John Adams
Library.

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF No.
☆ ADAMS
MO. 1
V. 1

PUBLII OVIDII NASONIS OPERA OMNIA,

IV. Voluminibus Comprehenſa.

B. Picart Inv. M. Pool Sculp.

PUBLII
OVIDII NASONIS
OPERA OMNIA

IV. VOLUMINIBUS COMPREHENSA;

CUM INTEGRIS

JACOBI MICYLLI, HERCULIS CIOFANI,
ET DANIELIS HEINSII

NOTIS,

ET

NICOLAI HEINSII

CURIS SECUNDIS,

ET

ALIORUM IN SINGULAS PARTES,

PARTIM INTEGRIS, PARTIM EXCERPTIS,

ADNOTATIONIBUS,

CURA ET STUDIO

PETRI BURMANNI,

QUI ET SUAS

IN OMNE OPUS NOTAS ADIECIT.



AMSTELODAMI,

APUD R. & J. WETSTENIOS, & G. SMITH.

M. D. C. C. XXVII.

ADAMS 70.1
no. 1

PUBLII
OVIDII NASONIS

HEROIDES
AMORUM LIB. III.

ARTIS AMATORIAE LIBRI III.
REMEDIA AMORIS,

MEDICAMINA FACIEI.
HALIEUTICA,

EPICEDION DRUSI CAESARIS.
A. SABINI EPISTOLAE III.

CUM INTEGRIS
JACOBI MICYLLI, HERCULIS CIOFANI,
DANIELIS ET NICOLAI HEINSIORUM,
ET EXCERPTIS ALIORUM
NOTIS,

QUIBUS SUAS ADJECIT
PETRUS BURMANNUS.
TOM I.

AMSTELODAMI,
APUD R. & J. WETSTENIOS, & G. SMITH.
M.D.C.C. XXVII.

CELSISSIMO PRINCIPI,

HEROI INVICTO,

EUGENIO,

SABAUDIAE

PRINCIPI,

ET

SUMMO EXERCITUUM

CAESAREANORUM DUCI:

ETC. ETC. ETC.

HANC OVIDII

EDITIONEM

ET

SE SUAQUE OMNIA

ANIMO DEVOTO

D. D. D.

PETRUS BURMANNUS.

Martia progenies, & ſanguine nobilis alto,
Belligeros, Princeps, vincere nate patres.
Qui licet, inter avos, Reges atque ordine longo
Sceptriferos poſſis enumerare Duces;
Acta tamen virtute novâ ſuperare priorum
Unica cui ſemper cura laborque fuit.
Quem primis inimica ducem jam ſenſit in annis
Turba, capis tenerâ dum puer arma manu.
Cui neque tam bellis, quam continuata triumphis

Pars

DEDICATIO.

Pars melior vitae, flore virente, fuit,
Laurigerum cui Fama caput nunc, neſcia mortis,
Ornat, & albentes Gloria ſumma comas.
Major & immenſis rerum prudentia factis
Conduplicat partum viribus ante decus.
Quem toties ſtrictos animoſum Caeſar Achillen
Per gladios ſtupuit fulminis ire modo,
Nunc, bene penſantem diſpendia mente vigoris,
Neſtora conſiliis gaudet adeſſe ſuis.
Imperii tutela ſacri, quo vindice Rhenus
Repulit hoſtiles Danubiusque minas.
Adſertosque manu primum, mox foedere, fines
Poſſidet, ut quondam, Teutonis ora ſuos.
Cui ſua nil metuens Batavus, ſua fata Britannus
Credidit, eventu laetus uterque bono.
Cui Padus, & palmas Atheſis ſine fine dederunt,
Hadria ſubmiſit cui violentus aquas.
Quo duce Germanas aquilas, Auguſtaque ſigna
Vidit in Heſperiis fixa Latinus agris:
Et Ligures didicere, Ciſalpinique clientes
Priſtina ſub Domini jura redire ſui.

* *

Magne

DEDICATIO.

Magne Vir, armatae decus immortale, ſimulque
Quae favet ingeniis, cultor amice, Deae,
Caſſide Te poſitâ teneat paulliſper & haſtâ
Filia, pacato pulchrior ore, Jovis.
Quique diu pharetrâ metuendus & adſtitit arcu,
Mulceat Aoniâ pectus Apollo lyrâ.
Dumque per arma nihil, quo creſcat Gloria, reſtat,
Det Tibi jam titulos numen utrumque novos.
Utque ſub auſpiciis & ductu fortia veſtro
Pectora victrices explicuere manus,
Et remeans ut ab hoſte, Tuo ſub nomine, miles
Tot poſuit celſis clara tropaea jugis;
Sic quoque, Barbarie jam victâ, mitis alumnus
Palladis ad veſtros collocet arma tholos.
Inque Tuâ certet longi monumenta laboris
Ponere doctorum turbâ diſerta domo.
Praeſes, & o ſtudiis laetum tutamen honeſtis,
Te, redeat Muſis, conciliante, decus.
Compoſitâ cum clauſa vacent nunc horrea pace,
Arte nec indigeant arma repoſta Tuâ.
Junge, precor, gravibus pacalia munia curis,

Et

Et ferat alternas Bibliotheca vices.
Regia, nec Phariae cedens numerove ſupellex,
Vel pretio, gazae, Pergame lauta, Tuae.
Quam colis & celebras, Princeps doctiſſime, ſi quid
Otia per blandae pacis ab hoſte vacas,
Poſcit in hac ſupplex tenerorum Luſor Amorum
Aede ſibi proprium conſpicuumque locum.
Utque ſuis pateant, quae numquam clauſa feruntur
Atria, quos dictat culta Thalia, libris,
Naſo rogat, Scythicas longe projectus in oras,
Et procul a patriâ contumulatus humo.
Cujus, in imperii Germani limite, nuper
Teutonicas errans audiit umbra tubas,
EUGENIIQUE, *caput tollens, ad nomen, & aures,*
Sperabat cineres poſſe quiete frui,
Et Latium mutare fero feliciter Iſtro
Thybrin, in externis oſſa ſepulta locis.
Jamque ſuburbanum migrare vovebat in hortum
A male pacatis urna ferenda Getis;
Cum Tua compoſito ſenſit victricia bello
Biſtonias triſtis linquere ſigna nives.

DEDICATIO.

Nunc quoque, quae tanto de Vate Poëmata reſtant,
Dux bone, Naſonis ſit tibi cura, rogant.
Et ſi fata ferant, temerato ut foedere Turcus
Provocet in poenas vindicis arma ſuas.
Si Tibi dent ſuperi per inhoſpita litora Ponti
Caeſaris ultrici ſigna movere manu;
Tranſierisque, ſacros quo manes dira vagari
Juſſit inhumani Caeſaris ira, locum;
Fer, tumulum notosque legens in marmore verſus,
Quîs rogat, ut Vatis molliter oſſa cubent;
Fer, precor, inferias, & juſtis rite ſolutis,
Sentiat officium Sarmatis umbra pium:
Interea facilem, Dux Clementiſſime, cauſſam,
Hic liber, a Batavo litore miſſus, agat.
Incolumis miſeri proles poſt fata parentis,
Sed ſemper viridi pagina laude recens.
Illa verecundae vix conſentanea vitae
Viſa ſuperciliis Muſa jocoſa feris,
Largaque Naſonis jejunis vena magiſtris
Luxuriae falſâ dedecorata notâ:
Ingeniis tamen antiquis adamata novisque,

Effe-

Effera latrantum deſpicit ora canum.
Vivet, & in culto Naſo cantabitur orbe,
Donec erit Latiis verſibus ullus honor.
Vivet, & immiti Pelignus Caeſare nomen
Grandius a doctâ poſteritate feret.
Et lepor, & ſimplex urbanae gratia linguae,
Quam Venus & ſacro fonte rigavit Amor.
Quam ſalibus tinctam Charis ingenioſa venuſtis
Naturae faciles fundere juſſit opes.
Plena miniſtravit cui pocla Aganippidos undae
Phoebus, amatores attrahet uſque novos.
Nam genus humanum ſapere, & rudis arte juventus
Diſcet ab hoc mores Vate polire feros.
Laetaque mulcebunt hilares modulamina mentes,
Triſtia dum Cenſor fronte rigente probat.
Sacra leget cupide, digeſtaque jura dierum
Doctus, & in facies corpora verſa novas.
Grataque principibus Naſonis carmina numquam
Oppoſitas aulae ſunt habitura fores.
Nec tamen haec foret auſa, meo ſub nomine, PRINCEPS
Maxime, nunc oculos charta ſubire tuos:

DEDICATIO.

Ni bonitas, miro praeſentem amplexa favore,
Indiciis eſſet teſtificata novis.
Nam mihi praeteritae recolenti tempora vitae,
Nulla dies ortu candidiore fuit,
Quam licuit tanti quâ PRINCIPIS *ora tueri,*
Et placidi verbis colloquioque frui;
Quâ Tua Piërias ſpirans facundia vires,
Fertilis ingenii tot documenta daret.
Et modo miratus numeroſa poëmata Flacci,
Et modo divini forte Maronis epos,
Culta fatereris minus haud Naſonis amare
Te, licet alterno carmina clauda pede.
Hi ſtimuli, hi calcar ſermones acre fuerunt,
Iret ut ad Veſtros noſtra Camena lares.
Blandaque, quâ tenuem non averſaris honorem,
Excuſſit timido litera corde metum.
Auſpice Te, PRINCEPS, *igitur, Celſiſſime, lucem*
Ingenio Vates ſummus & arte videt.
Qui Tibi cum per ſe placuit, ſemperque placebit,
Nil habet a noſtrâ quod ſibi poſcat ope.
Nec mea, quo ſacrum commendet vena Poëtam,

In-

Invenit, aut partes conciliantis agat.
Tu potius, Naſo, primo cultoris ab aevo
Mite patrocinium ſuſcipe ſponte tui.
EUGENIUMQUE *doce, quoties tua carmina tractat,*
Debueris curae quantulacumque meae.
Faſſus & Heinſiadis *omnem debere ſalutem,*
Dic quoque Burmannum *non meruiſſe nihil.*
Sed, quia ab ingenio famam ſperare vetatur,
Nomine laudetur ſedulitatis opus.
Hanc probet EUGENIUS, *lenique volumina vultu,*
Sordibus & turpi libera labe, legat:
Jam ſatis ampla mihi curae cepiſſe videbor
Praemia, nec ſterili vomere araſſe ſolum.
Naſo, novo cultu, limâque polite recenti,
EUGENII *nitidâ nomina fronte gerens;*
Exſulis Arctoâ poſito ſqualore ſub orâ,
Ad DUCIS *egregii corripe tecta gradum.*
O Utinam tua vis animaret fervida noſtrum
Frigus, inexſtinctas ſubjiceretque faces!
O Utinam tuus ille meas incendere venas
Aetherio poſſet miſſus ab axe calor!

EUGE-

DEDICATIO.

EUGENII *mea lingua decus, ſemperque virenti*
Fronde, gravi caneret laurea ſerta modo.
Nunc mihi nil ſupereſt, praeter te, Naſo, precari,
Carmina dent aditum veſtra recepta meis.
Mentis & obſequio devotae pignora, verſus
Hos placidi paucos ad DUCIS *ora feras.*
Quorum ſi merito ſubeant faſtidia, plena
Haec tua nectareo Muſa liquore levet.

PRAE-

PRAEFATIO.

Lectori aequo & benevolo

PETRUS BURMANNUS.

SI ad ullum opus cupide & alacriter adgressus umquam fui, id certe hoc Ovidianum fuit, sed dissimulare simul nequeo in eo profligando tot taedia & molestias mihi subortas, ut millies detestatus fuerim consilium semel initum Ovidium edendi; & poenituerit simplicitatem meam cunctatoribus & nihil nisi lucrum suum spectantibus commisisse. Nam ab anno 1714 per varias frustrationes dilatus & tractus, deinde rixis & jurgiis molestis, quae hîc longa enarrare oratione prohibeor, vexatus, vix tandem ingratum opus ex eorum manibus in publicos usus vulgandum divellere potui. Fatigatus itaque indignis per tot annos modis, omnem ex pectore meo alacritatem excessisse sentio, neque lubet de labore meo, quem Ovidio impendi, multa in praefatione hac verba consumere, neque, ut moris mei est, de ipso Poëta, ejus diversis editionibus & commentatoribus varia, forte non ingrata nec inutilia, differere; sed tribus tantum verbis monere Lectorem mihi relictum est, me in Ovidii verbis exhibendis fere secutum fuisse editionem Nicolai Heinsii An. 1668, cui ipse praefuit; saepe tamen, ob causas in annotationibus dictas, ab illo discessisse, neque semper obsecutum fuisse viro doctissimo, sed novandi libidine saepe ablato in diversa. Editiones Ovidii adhibui varias, quasdam sub incunabulis renatarum literarum proditas, deinde *Aldinas*, *Gryphianas*, *Micylli*, *Bersmanni*, *Heinsiorum* & aliorum, quorum plerasque Cl. *Fabricii* diligentia in Bibliotheca Latina recensuit. Ex illis in nostram transtulimus integras in totum opus *Jacobi Micylli* (nisi quod in Ibin tantum ea,

quae neceſſaria videbantur, ob nimiam commentatorum copiam, excerpſimus) *Herculis Ciofani*, *Danielis* & *Nicolai Heinſiorum*, notas. has vero minimum tertia parte ex ejus autographo auctiores. In Ovidium promiſerat quoque notas magnum illud nobilitatis Batavae lumen, & eruditorum princeps & Maecenas, *Janus Douza*, in Centurion. lib. 1. cap. 6. ſed quae numquam prodierunt. Codicem tamen ejus, ad cujus marginem quaedam adleverat, deinde in manus *Heinſii*, & *Francii* etiam perveniſſe notae ſatis declarant: & quum eum perveniſſe in Bibliothecam inſtructiſſimam viri Ampliſſimi *Johannis de Witt*, Senatoris & Judicis Amſtelodamenſis integerrimi, qui raro hodie exemplo, in dignitate clariſſima poſitus Muſas & humaniores diſciplinas religioſiſſime colit, comperiſſem, facile ejus uſum a benigniſſimo viro impetravi, ut viderem ſi quid reliqui feciſſent viri Docti. & cum neglexiſſe quaedam *Heinſium* & *Francium* deprehendiſſem, illa inde quoque bona cum Viri Ampliſſimi gratia transſcripſi, ut ſaltem hac gemmula etiam haec editio fulgeret. Ex commentariis & adnotationibus variorum in ſingulas Ovidii partes & diverſi generis Poëmata, quorum maximam partem exhibet editio Wecheliana Ann. 1601, partem etiam aliae editiones, delectum habui, & in Epiſtolas Heroidum dedi *J. Bapt. Egnatii*, in Amorum libros ſelectas ex commentario *Dominici Marii Nigrini*, in Halieuticon *Conradi Geſneri*, in Metamorphoſeôn libros excerptas *Raphaelis Regii*, raro *Thomae Farnabi*, & *Pontani*, deinde *Jacobi Conſtantii Fanenſis*, *Henrici Loritii Glareani* notas. His ad calcem libri *Joannis Gulielmi Capoferrei* animadverſiones, paucis viſas & notas, adjeci. In Faſtorum libris non magnam habuimus rationem *Antonii Conſtantii Fanenſis*, & *Pauli Marſi* commentationum, quas nugarum fere titulo eruditi hodie traducere ſolent, licet in ſtercoreis illis acervis hîc & illic micae quaedam aureae ſcintillent, ſed integram

gram adjecimus *Caroli Neapolis* Anaptyxin. In Triſtia & Epiſtolas ex Ponto, quae fere ſcholaſtica penſa ſolent eſſe, nullam rationem fere *Pontani*, nec *Verburgii*, quia id nolebat, habui. De *Weitzii* meritis conjicere coacto ex reliquis ejus operibus nihil excerpere datum, quum ejus copiam nanciſci nequierim. In Ibin, obſcurum, propter hiſtoriarum & fabularum vel ignotarum vel obſcurius indicatarum cumulum, poëma, ex magno grege commentatorum hîc & illic quaedam delegi, ſed integrum *Dionyſii Salvagnii Boëſſii* commentarium ideo adjeci, quia ille ex omnibus, ante ſe commentatoribus, optima congeſſit, & operoſe de ſingulis verſibus diſſeruit. In ſelecta quaedam Ovidii poëmata in uſum ſcholae Etonenſis in Anglia, eruditas etiam notas, nomine ſuo non expreſſo, Vir Doctiſſimus quidam edidit, ex quibus quaedam decerpſimus: ſed cum eas beneficio Viri egregii & amici ab ipſa fere pueritia, *Alexandri Cunninghami*, inſpiciendi demum copia facta eſſet, excuſis jam prioribus duobus tomis, reliquas cum omiſſis quibuſdam aliorum notulis, addendis inſeruimus. Reliquos omnes, *Knippingium*, *Criſpinum*, & neſcio quos e plebe commentatores, an Ovidii corruptores, longe abeſſe juſſimus. Appendicem Ovidianam contexuimus ex variorum vitis Ovidii, inter quas eminet accuratiſſima, & quae omnes numeros abſolvit, *Johannis Maſſonii* operâ per conſules diſpoſita, Poëtae noſtri vita, quam ipſe emendatam & auctam ad nos transmittere voluit. neque hîc egregii Viri, quo nemo hodie veterum doctrinam temporum magis in numerato habet, conſtitit benignitas; ſed addidit eruditiſſimam diſſertationem de Ovidii nummis, qui vulgo circumferuntur. Indicem in Ovidii opera confecit *H. Dreux*, qui licet hîc & illic lapſus videri poteſt, longe tamen poſt ſe reliquit ſtuporem & ignorantiam *Mattairii*, cujus ſexentos errores enumerare hodie non vacat. Quidquid ſit, ſi quid perperam fue-

rit in eo indice admissum vel omissum, ne nobis alienam adscribant culpam, etiam atque etiam a Lectore aequo contendimus. de nostris notis, & ratione quam iniimus, ut & de meritis & beneficiis eximiorum virorum, qui nobis vel subsidia quaedam subministrarunt, vel codices aut editiones quasdam nobiscum communicarunt, grata cum debitorum commemoratione, aliam differendi occasionem captabimus. nunc vero, quia ita jubemur, dimittimus te, Lector, postquam hoc unum monuerimus: post longissimi temporis moras, per quas extracta fuit haec editio, me saepe in renovatis aliorum Auctorum editionibus hîc & illic quaedam occurrere animadvertisse, quae tempore quidem occupata ab aliis fuisse videri possunt; sed quae tamen a me jam perscripta, immo typis expressa fuerunt, antequam aliorum notae in lucem exirent. Denique per duodecim illos annos, quibus haesi in hoc opere, multa mihi fuisse subnata, quibus insigni augmento notas meas locupletare potuissem, multa etiam didicisse, quae a sententia priori me abire juberent. sed haec magis ut calumniis occurram, quam ut plagii crimen extimescam, lectorem breviter hîc docere volui, quia maturior aetas vix uberioris commentarii, & secundarum curarum, quibus mea vindicem, promittere spem mihi videtur. Denique erratorum ampliorem, quam vellem, indicem adjeci: cum enim Amstelodami typis exprimeretur opus, non potui ad omnia, ut debui, attendere. Vale, lector, & fave. Leidae Kal. Octob. CIↃIↃCCXXVI.

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES.

EPISTOLA PRIMA.

PENELOPE ULIXI.

HAnc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe.
Nil mihi reſcribas ut tamen, ipſe veni.

Troja

P. Ovidii Nasonis.] *Q. Ovidius* apud Martialem occurrit, libro IX. Ep. LIII. & LIV. quo ille familiariter, quantum apparet, eſt uſus. Ejusdem, ni fallor, & libro primo meminit Epigr. CVI. & lib. IX. Epigr. c. Is ipſe nimirum, qui Caeſonium Maximum a Nerone damnatum in exſilio eſt comitatus, quemque idem Martialis elegantiſſimis verſibus libro VII. Epigr. XLIII. & XLIV. ut praeclarum fidei unicae exemplum, meritò commendat. In Opere Inſcriptionum Gruteri pag. DCCCLXXXI. vetuſtus lapis.

Messia. C. F. Monum. fecit. sibi. et. suis C. Ovidio. T. F. Tumulo. et. C. Ovidio. T. F. Luperco. et. T. Ovidio. C. F. Tumulo.

Apud reliquos Scriptores altum de gente nobiliſſima ſilentium eſt. Ovidius Pollio ditiſſimus libertus domum ſuam ampliſſimam Caeſari Auguſto legarat, in cujus dirutae locum Livia Porticus eſt ſubſtituta, Dione teſte. Praeterea Julius Paulus I C. D. de Legat. & Fideicommiſſ. III. L. XCVI. Ovidii cujusdam meminit, & Valerianae filiae ejus & Actoris Antiochi, quanquam ad familiam minus illuſtrem referri iſta poſſunt. *Naſonis* cognomentum *Axiae* quoque *genti* additur in denario argenteo, qui penes me exſtat, & a Fulvio Urſino in Axia gente publicatur, cum hac inſcriptione, C. Axsius Naso. Idem Urſinus iſtic loci profert fragmentum lapidis Tiburtini, quod *Axſii Naſonis* meminit. Vetus numiſma aereum apud Carolum Patinum virum amoeniſſimi ingenii in ſupplemento ad Familias Romanas Fulvii Urſini gente Axia, Naso, nulla gentis aut familiae addita deſignatione. Quod numiſma tamen referri poteſt ad aliam quamcumque familiam. In Inſcriptionibus Gruteri pag. CCCCLXXXVI. *C. Catii C. F. Fab. Naſonis* fit mentio, & pag. DCCCLXXXV. 18. *C. Pontii C. F. Scap. Naſonis Juliani Paulini, qui vixit ann.* XLI. p. MII. *C. Volcaſii Chreſti Naſonis. Otaciliae genti* apud Ciceronem lib. XIII. 33. Epiſtolarum Familiarium id ipſum cognomen additum. Idem *L. Octavii Naſonis* meminit epiſtolis ad Quintum fratrem. *M. Actorii Naſonis* Suetonius in Divo Julio cap. VIII. quem *Auctorium* membranae nonnullae appellant, mendoſe, ut opinor. *Julii Naſonis candidati*, viri inſignis, Plinius in epiſtola ad Fundanum & ad Tacitum libro ſexto, ipſe Tacitus Annalium tertio *Valerii Naſonis* viri praetorii meminere. Heinsius.

Heroides.] In Codice ſuo haec verba annotarat magnus Scaliger, *Quae Epiſtolae non ſunt Ovidii.* Eas autem hoc ordine collocarat, Paris Helenae, Helena Paridi, Leander Heroni, Hero Leandro, Acontius Cydippae, Cydippe Acontio. Ex Ovidianis Heroidibus periere, Helena Paridi, Phaedra Theseo. Quindecim Ovidianae. Bene igitur Ovidianas has quindecim exiſtimavit, Penelopes ad Ulyssem, Phyllidos ad Demophoontem, Briseidos ad Achillem, Phaedrae ad Hippolytum, Oenones ad Paridem, Hypsipyles ad Jasonem, Didonis ad Aeneam, Hermiones ad Orestem, Deianirae ad Herculem, Ariadnes ad Theseum, Canaces ad Macareum, Medeae ad Jasonem, Laodamiae ad Protesilaum, Hypermnestrae ad Linum, Sapphonis ad Phaonem. Cum quibus, (ſi, quam Paris ad Helenam, Helena ad Paridem ſcripſit, excipias) caeterae ne conferri quidem merentur. Paridis, ut Ovidii non eſt, ita proxime ad Ovidii accedit ſuavitatem. Longius recedit Helenes: quae divina tamen. Nam Sabino quae adſcribuntur, ita languent, ut ne hac aetate quidem ſcriptas ferre poſſem. In quibus & obſcuritas, & manifeſtus in ſcribendo defectus, ſive, ut Graeci ſignificantius loquuntur, ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ ἀσθένειαν elucet. Idem Scaliger, Sabino, Paridis ad Helenam, Helenae ad Paridem, Leandri ad Heronem, Herus ad Leandrum, Acontii ad Cydippen, Cydippes ad Acontium, adſcribit. E quibus ego, ut nonnullas adſcribere Sabino vix dubitem, ita omnes eas eſſe ejusdem, in tanta genii varietate ac characteris, quis credat? Quod duas periiſſe Scaliger exiſtimat, Helenae ad Paridem, Phaedrae ad Theseum, videndum, an non error ſit ex loco Ovidii, ubi de

Troja jacet certe, Danaïs invisa puellis.
Vix Priamus tanti, totaque Troja, fuit.
O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis!

Non

Epistolis suis agit, minus recte intellecto; qui Amorum libro II. Elegia XIX. exstat:

Quod Paris & Macareus, & quod male gratus Iason,
Hippolytique parens, Hippolytusque legat.

Certe *quod Paris legat*, est Epistola ad Paridem scripta: quae nunc exstat, nempe; OENONES AD PARIDEM. Parens Hippolyti est Theseus, ad quam Ariadne scribit, quae nunc ARIADNES AD THESEUM dicitur. Quod *Hippolytus legat*, est, quam ad Hippolytum Phaedra scripsit, quod nemo nescit. DAN. HEINSIUS.

Heroides] Hoc poëma PriscIano Lib. X. appellatur, nec alio id nomine à Scholiaste Metamorphoseon inedito passim citatum deprehendi. verè, ut opinor. Sarisberiensis quoque Polycrat. lib. I. Cap. 12. *Naso*, inquit, *in libro Heroidum*, & in codice Helmaestadiensi *Heroidum liber Ovidii*. Epistolas tamen Ovidius ipse libro III. Artis Amatoriae videtur nuncupare, ubi de suis scriptis:

Vel tibi composita cantetur Epistola voce:
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.

Neque aliter membranarum pars potior. quanquam & in nonnullis duplici titulo, *Heroides sive Epistolae*, hic liber inscribitur, quomodo Platonem, Ciceronem, Varronem, aliosque, tam in Graecis quam Latinis magni nominis scriptores, gemino nonnumquam titulo suas lucubrationes ornasse est in comperto. Caeterum quod Ovidius versibus paulo ante prolatis se auctorem primum atque inventorem facit hujus generis epistolarum, liquet hinc, eam Arethusae ad Lycotam, quae apud Propertium lib. IV. exstat, ad imitationem nostri fuisse conscriptam, Nasonique solidam Heroidum pangendarum ac principem gloriam omnino deberi. Meminit Apollinaris Sidonius lib. I. Epist. I. *Julii Titiani Epistolarum*, quas sub Illustrium feminarum nomine conscriptas ediderit, sed prosa, nisi fallor, oratione; cum Ciceroni, Plinio ac Symmacho adjungat. Quem Titianum Commodianis temporibus floruisse est certum. Ad epistolam primam quae observavimus, levioris pleraque momenti sunt, quod Puteaneus codex, qui fide atque integritate reliquos omnes magno numero à me inspectos longè antecellit, hac ex parte esset mutilus. HEINSIUS.

1. *Hanc.*] Semel modo Ovidium hoc pronomine, subintellecta *Epistola*, usum; Ciceronem quoque semel usurpasse, observat diligentissimus Vavassor de Vi & usu quorumdam verborum. pag. 86. Infra quoque Epist. X. vers. 3. quidam codices exhibent, *Quam legis.* quae si vera sit lectio, addi huic observationi poterit. Vid. & Epist. XVI. 1. BURM.

1. *Lento.*] Id est, non tantum qui tardas redire ad me, sed qui non commoveris desiderio uxoris, neque ejus cura tangeris, ut ita saepe Noster. vide Turneb. I. Adv. 15. & Heins. ad Epist. XV. 169. & XIX. 81. & alibi. BURMANNUS.

1. *Ulixe.*] Omnes libri scripti, quibus & in hoc tertio volumine, & in duobus aliis emendandis usus sum, perspicuè habent *Ulixe*, per *i* nostrum, & *x*, quemadmodum è Romana consuetudine scribi debere ait Plutarchus. Duxit autem Ulixes Penelopen uxorem Tyndarei auxilio, quod ei consilium dederat, quomodo Graecorum omnium principum, qui Helenam filiam suam in uxorem peterent, gratiam & amicitiam esset retenturus. Auctor Apollodorus Lib. III. Biblioth. CIOFAN. *Ulixe* & nos hic, & ubique recepimus, ob codicum fere omnium auctoritatem; & Claverius ad Claud. lib. I. in Rufin. pag. 46. ita in codice vetere exstare testatur. vid. Erythraei Indic. Virg. Regius tamen ad Quintil. I. IV. *Ulysses* praefert, quia ex Dialecto Aeolica ab Οὐδυσσεὺς deducitur. Vocativum vero in his nominibus ita extulisse veteres docent membranae emendatiores. Ita ex Mediceo codice apud Virg. v. Aeneid. 564. *Polite.* & saepe apud Nostrum libri meliores. ut Ep. VI. 109. *Aesonide.* Ep. VIII. 15. *Oreste*, & similia passim. BURMANNUS.

2. *Nil.*] Hunc versum citat Marius Victorinus de Syllabis. CIOFANUS.

2. *Nil mihi rescribas: attamen ipse veni.*] Rectius distinguas post *Tò attamen*: ut edendum curavimus. neque aliter in uno codice Florentino viri humanissimi Caroli Strozzae inveni. Epist. 8.

Non tu mille rates sinuosaque vela parabis,
Nec numeros Danai militis: ipse veni.

Johanni Frederico Gronovio lib. I. Obser. 22. viro ad ornandas hasce literas, ac promovendas unice nato, mihique conjunctissimo, legendum videbatur:

Nil mihi rescribas ut tamen; ipse veni.

argutè mehercule & venustè. quomodo & initio epistolae Herûs noster:

Quam mihi misisti verbis, Leandre, salutem,
Ut possim missam rebus habere; veni.

Apud Marium Victorinum tamen lib. III. Art. Gram. obtinet vulgata hujus loci scriptura & lectio, idque duobus locis. Posset & legi, *sed tamen ipse veni.* ut Epist. XVII. 184.

Nescio quo tardor sed tamen ipsa metu.

Et Epist. XI. 106.

Admissi memores sed tamen este mei. HEINS.

Retinuimus scripturam a Gronovio prolatam. Scribo

Non ego deſerto jacuiſſem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies:
Nec mihi, quaerenti ſpatioſam fallere noctem,
Laſſaret viduas pendula tela manus.

Quan-

bo quidem tibi lento & immemori, non ideo tamen, ut reſcribas mihi, redi enim ipſe potius. Eadem varietas apud Valer. Flac. lib. VII. 285.

Attamen hoc ſaeva corpus de morte receptum,
Hanc animam ſciat eſſe ſuam.

ubi etiam Heinſius ex ſcriptis, *ut tamen*. In codice Douzae hic erat, *non mihi reſcribas*, quod & admitti poſſet. ut infr. Epiſt. VIII. 23.

Nec tu mille rates ſinuoſaque vela pararis;
Nec numeros Danaï militis; ipſe veni. BURM.

3. *Jacet*] Hujus verbi antitheton *Manet*.

— *Troja maneret,*
Praeceptis Priami ſi foret uſa ſenis.

CIOFANUS.

3. *Certe*.] Hubertinus hanc vocem conjungit cum τῷ *inviſa*, quia Ulixi ſatis conſtabat jacere. Non diſputo an rectè, ſed quia Ulixes non inter ultimos fuit, per quos excidium Trojae fuit peractum, convenientior Uxori ſermo, in laudum Marito debitarum partem libenter venienti, ſi legamus:

Troja jacet per te, Danaïs inviſa puellis.

Ita ipſe gloriatur apud Noſtrum lib. XIII. Metam. 178.

— *per me jacet inclytus Hector.*

Confudiſſe vero voces *per te* & *certe*, indicio ſunt alia loca. Ita lib. XIV. Met. 30. vulgo legitur:

Dignus eras: ultro poteras certéque rogari.

Ubi varie aeſtuat Heinſius. ſed reſcribendum ex emendato codice:

Dignus eras: ultro poteras per teque rogari.

Contra in lib. IV. Triſt. III. 41. mallem legere:

Spiritus hic certè patrias exiſſet in auras.

quam *per te*; non enim culpa uxoris moriturus fuiſſet, ſed, ſi mortuus fuiſſet Romae, hoc ſaltem ſolatium habuiſſet, ut in patrias auras exiret ſpiritus. *Certe* ibi eſt ſaltem, ut centies Comici & alii. Elegans autem illa locutio *per te*, ut III. Faſt. 317.

Hunc tu non poteris per te deducere coelo.

Et ita veteres paſſim loquuntur. BURM.

4. *Vix Priamus tanti.*] Ut tamdiu abſis nimirum. Fruſtra igitur ſe exercent hoc in loco viri eruditi. Fuit cum & ego verſum unum alterumque excidiſſe ſuſpicarer. ſed nullus excidit. HEINS. Scoppam innuit Heinſius, qui Collectan. cap. 32. ita explicat, *tota jactura, quam Priamus & Troja fecerunt, non fuit tanti, quanti mea fuit, quod te carui ob bellum hoc.* Deinde duas alias interpretationes ſubjungit, aliam alia pejorem. Sed rectius Heinſius. Si vero noſtram correctionem *per te* recipimus, ſenſus poſſet eſſe hic, vix omnis illa gloria, quam ex Priamo & Troja everſa retuliſti, eſt tanti, ut ideo tamdiu abſis. Cicer. VIII. ad Famil. 14. *Tanti non fuit Arſacen capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quae hic geſtae ſunt, ſpectaculo careres.* Quae ſublegit auctor ſuppoſititiae Elegiae, (recentis enim ſcriptoris commentum eſt) quae ſub Cornelii Galli nomine, ſuperiori ſeculo ab Aldo Manutio, Paulli filio, eſt edita. cujus initium:

Non fuit Arſacidum tanti expugnare Seleucen, &c.

Seleucia haec Parthorum ad Euphraten, ubi is ſe cum Tigride confundit, nuſquam *Seleuce* vocatur: Graecis eſt Σελεύκεια. Eſt & Seleucia Aſperae Ciliciae oppidum Stephano. & aliae. Propertius III. 18.

Tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit.

Ita ſcribendum olim hîc notaverat Heinſius, quae nos perire noluimus. Broukhuſio quoque idem in mentem venerat; quem vide de hac locutione. BURMANNUS.

6. *Inſanis.*] Sic Epiſtola Leandri, *inſani ſit mora longa freti.* & *inſanitura freta* etiam apud Rutilium in Itinerario habes. Et *inſanam Propontida* Auſon. Epiſt. IX. ex veteri codice:

— *& inſanae generata Propontidis acta.*

vulgò *inſana*. HEINSIUS.

7. *Non ego.*] Mirè exprimit mulieris, quae legitime amat virum ſuum, ingenium. quod dicendum fuit, ne quis Penelopen impudicam a Poëta effictam putet. CIOFANUS.

9. *Spatioſam fallere noctem.*] Oxonienſis & Lincolnienſis *ſpatioſas noctes*. quod mihi praeferendum videtur, quia praeceſſerunt *tardi dies*. neque neſcio, poëtis ſaepe ſingularem numerum probari, ut mox Heinſius pluribus oſtendet. Sed hic pluralem recipiendum cenſeo, quia de longa abſentia queritur. Horat. III. od. 7.

— *Ille notis actus ad Oricum,*
Poſt inſana Caprae ſidera, frigidas
Noctes, non ſine multis
Inſomnis lacrimis, agit.

& lib. I. Od. 25.

Me tuo longas pereunte noctes.

ubi nollem contra codices reponi *longam noctem*. Propertius I. Eleg. XII. 13.

Nunc primum longas ſolus cognoſcere noctes
Cogor.

Noſter Epiſt. XVII. 181.

Et longae noctes, & jam ſermone coïmus.

longae vero & *ſpatioſae* noctes idem notant. Finis deeſſet, ſi omnia veterum loca conſtipare vellemus. ut vero hic *frigida jacuiſſem*, ita & *frigidas noctes*, dixit Horatius lib. III. od. 7. BURMANNUS.

Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.
Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum;
Antilochus noſtri cauſſa timoris erat:
Sive Menoetiaden falſis cecidiſſe ſub armis;
Flebam ſucceſſu poſſe carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat haſtam;
Tlepolemi leto cura novata mea eſt.

De-

9. *Fallere noctem.*] Eodem modo in epiſt. ad Leandrum dicet *decipere noctem*:

Sic ubi deceptae pars eſt mihi maxima noctis
Acta, ſubit furtim lumina feſſa ſopor. CIOFAN.

15. *Sive quis Antilochum.*] Rectè excuſat Penelopen Parrhaſius, rectéque ita legendum contendit contra Politiani opinionem. Fuit autem re vera Antilochus Neſtoris filius à Memnone occiſus. Auctor Q. Smyrneus lib. II. πυραλειπομένων Homeri. De hoc autem Antilocho ſic Tryphiodorus de Ilii excidio:

Ἀντιλόχῳ δ' ἐπὶ παιδὶ γέρων ὠδύρετο Νέστωρ.

CIOFANUS. Politianus in Miſcellaneis 76. hunc locum ita interpolat, ut dicat, legendum *Amphimachum*, pro *Antilocho*. *Amphimachum* enim ab Hectore victum, ac caeſum, ab Homero tradi Iliados 13. *Antilochum* autem Neſtoris à Memnone occiſum, ut Qu. Calaber refert lib. II. Sed ego cum Parrhaſio ſentio, qui cenſet hoc muliebri decoro datum, ut Penelope fingatur à vera hiſtoria aliquantum aberrare, & pro Memnone Hectorem narrare: cujus nomen illi notius, quam Memnonis fuiſſe, veriſimile ſit. Sunt autem &, qui *Archilochum* pro *Antilocho* reponant, ex Daretis autoritate ſcilicet. Sed facile eſt aliud nomen pro alio affingere, ſi quis à vetuſta lectione ſibi temerè diſcedendum exiſtimet. Quod autem ſupra dixit Penelope, *Flebam ſucceſſu poſſe carere dolos:* generaliter quidem dixit, ad Patrocli caſum reſpiciens. Privatim tamen & ad Ulyſſis aſtutias & vaframenta alluſit, vereri ſe innuens, ne illius quoque doli & aſtutiae non ſemper eosdem ſucceſſus habeant. MICYLL. Politianus in Miſcellaneis *Amphimachum* reponit: quod Antilochum à Memnone occiſum, non ab Hectore, tam Homerus, quam Q. Calaber, Dictys Cretenſis, Pindarus, Pyth. Od. VI. alii teſtentur. In contraria ivit Janus Parrhaſius Epiſtolicis Quaeſtionibus, Epiſt. 29. ut & Ciofanus. Certe Hyginus fab. CXIII. ab Hectore occiſum innuit, & cum Ovidio hac in re conſentit, quanquam paulo ante, fab. nimirum CXII. diverſam opinionem ſecutus. Voſſius Artis Grammaticae lib. II. cap. XXIV. ita locum tuetur adverſus Politianum, ut victum ab Hectore Antilochum liquere contendat ex ipſo Homero, Iliad. N. 177. Certe eſt aliud vinci, aliud occidi. HEINSIUS. Idem J. Voſſius lib. I. Poëtic. Inſt. c. 3. veriſimilius putat adſcribere hunc errorem non Poëtae, ſed ſimplicitati Penelopes, quamvis mox quoque hoc ei frigidius videatur. & Schottus lib. III. obſerv. 40. jam obſervavit, aliud eſſe victum, aliud occiſum, & ex Homero probavit. Nicolaus Loens. Epiphyll. lib. II. 22. & Alciat. I. Parerg. 6. Penelopae errorem hunc a Poëta decorè tribui tuentur, & exemplis illuſtrant. Schoppa *Archilochum* emendat, quia Dares Phrygius hunc ab Hectore occiſum refert cap. XX. ſed futili iſti ſcriptori quis credat? cum idem capite XVIII. Archilochum cum Rheſo ex Thracia Priamo auxilium tuliſſe referat. At Homerus Iliad. B. 822. eum Antenoris filium faciat. Joſephus vero Iſcanius lib. V. ℣. 307. *Archiloum* vocat ab Hectore occiſum, ubi tamen codices & editiones quaedam *Archilochum* quoque exhibent. Denique Munkerus ad Hygin. fabula CXIII. conjiciebat *Anchialum*, quem cum Meneſthe ab Hectore caeſum refert Homerus Iliad. E. 609. Sed quis non Ovidium alios Auctores ſecutum, praeter Homerum, praeſtabit, cum in Mythica illa Hiſtoria tot diſcrepantia tradant veteres? Vel quis quoque non ipſum Poëtam erraſſe fateri vellet? Certe non magis eum erroris immunem ſtatuam, quàm diligentiſſimum Hiſtoricum Nepotem, qui in vita Datamis cap. II. ſcribit, Pylaemenem a Patroclo interfectum, quem a Menelao caeſum Homerus canit. BURM.

16. *Cauſſa timoris.*] Praeceſſit modo: *Reſeſt ſolliciti plena timoris amor*, & hic in Mſſ. Gerardi Voſſii *cauſa doloris*. Francius in ora codicis ſui conjecerat, *cauſſa tremoris*. Non male, quae vox ſaepe cum *timore* fuit commutata. Vide inf. Epiſt. III. 82. & alibi. BURMANNUS.

17. *Menoetiaden.*] Patroclum Menoetii filium. Homerus lib. XVI. Iliad. & Hyginus cap. CVI. CIOFANUS.

19. *Lyciam.*] Propter Sarpedonem Lyciae regem, qui Tlepolemum interfecit, à Patroclo ipſe poſtea

inter-

Denique, quiſquis erat caſtris jugulatus Achivis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene conſuluit caſto Deus aequus amori.
Verſa eſt in cinerem ſoſpite Troja viro.
Argolici rediere duces: altaria fumant:
Ponitur ad patrios barbara praeda Deos.
Grata ferunt Nymphae pro ſalvis dona maritis:
Illi victa ſuis Troïa fata canunt.
Mirantur juſtique ſenes, trepidaeque puellae:
Narrantis conjux pendet ab ore viri.

At-

interfectus, cujus cadaver in Lyciam delatum ibidem ſcribit Homer. CIOFANUS.

20. *Cura.*] Sarravianus codex *poena*, quod de dolore explicari rite poſſet. Sed nihil muta. Eadem varietas apud Propert. lib. I. x. ỳ. 17.

Et poſſum alterius curas ſanare recentes.

Ubi cur *curas τῷ poenis* praeferri debeat egregiam rationem adfert amor quondam & decus noſtrum Broukhuſius. BURMANNUS.

21. *Quiſquis.*] Slichtenhorſtius in Epiſtola ad me legit, *ſi quis erat*, ut cum ſequentibus melius cohaereat. Quod Scriverii chartaceus codex habebat. Ego parum referre arbitror. HEINSIUS. Eodem modo jam olim Aaron Battaleus legendum eſſe ſcripſerat. Ita variant codices I. Amor. VI. 10. & III. Triſt. XI. 1. & apud Petron. cap. CXII.

24. *Verſa eſt in cineres.*] *In cinerem* ſeptem libri. idque rectius. Noſter l. II. Met. 216.

Cumque ſuis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt.

Auctor Queroli. *Aurum in cinerem verſum eſt.* Sil. Ital. XIII. 319.

Ne flammam taedaſque velint, ne templa ſub uno
In cinerem tranſiſſe rogo.

Stat. VII. Theb. 24.

— *immeritas cineri dabit impius urbes;*

& ita Horat. III. od. 3.

Ilion, Ilion,
Fatalis inceſtuſque judex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem.

Amant autem Poëtae ſingulari uti numero, ſic *coma*, *crinis*, de quibus diffuſius alibi. Sic ſupra *ſpatioſam noctem*, pro quo male Mſſ. *ſpatioſas noctes.* Sic Epiſt. VII. 170.

Ejectam ratem. HEINSIUS.

Senec. Troad. 739.

An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit?

Magis vero poëticum eſſe ſingulari uti, quàm plurali, tum verum eſt, ſi plus ſignificet ille numerus, quàm pluralis. Nam *in cinerem* verſa Troja ſi dicatur, ita univerſa delecta intelligitur; ut omnia ſint unus cinis. cum, *in cineres* ſi dicatur, hic & illic praecipua membra Trojae exuſta & in cineres verſa intelligamus. Ita apud Virgil. III. Aen. 221. & 236. & VII. 109. ex emendatioribus codicibus *per herbam* legendum, id eſt, per omnem herbam, ut nulla pars immunis reſtet. vid. Epiſt. IV. 91. Idem Maro lib. VIII. 492. *inter caedem Rutulorum*, non inter *caedes* dicit, quae minorem occiſorum numerum indicaret; eodem modo *coma ſoluta* eſt, cum omnes crines ſoluti, cum *comas ſolutas* aliquas ſparſas notare poſſit. Sed haec in immenſum abirent. BURM.

25. *Altaria fumant.*] Diſpoſita nempe ubique ob felicem victorum reditum. De quo more Caſaubon. ad Suet. Calig. cap. XIII. Bernec. ad Juſtin. XXIV. 3. De donariis vero ex praeda Diis oblatis Noſter ſaepe alibi, ut II. Faſtor. 728. VII. Met. 159. V. Tomaſin. de Donar. cap. XXI. & XXII. BURMANNUS.

26. *Barbara.*] Malebat *Dardana* Francius, ſed quis neſcit *Barbaros* in primis Phryges dictos?

27. *Grata ferunt Nymphae.*] Νύμφαι, *nuptae.* Graeciſſat hic Ovidius. vide Feſtum in *Nupta.* Parum tamen abeſt, quin à Naſone exaratum opinet *nuptae.* Nam alterum paulo inſolentius. HEINS. Noſter Faſt. III. 205.

Conveniunt nuptae dictam Junonis in aedem.

ubi Mſſ. *Nymphae.* & vers. 205. *dando mihi nomina nuptae.* Ubi Heinſ. corrigebat *numina Nymphae.* Eadem diverſitas lib. II. Faſt. 605. Scholiaſtes quoque Horatii *Nymphas* mulieres interpretatur ad lib. I. od. 4. Oppian. initio Poëmatis Νύμφη ἀριζεπόσειε. vid. Epiſt. XVI. 126. BURMANNUS.

28. *Troïa fata.*] Quae & quot fuerint fata, quae ad Trojanum excidium requirebantur, dixi lib. XIII. Metam. CIOFANUS.

28. *Troïa fata canunt.*] Codex Argentinenſis ſatis antiquus cum uno Medicco, (& Francofurtenſi) *Troïa fata*, magis poëtice. Certe Virgilius ſic paſſim, apud quem *Troïca*, aut *Troïcus* nuſquam invenias. Etſi diverſus ab eo Statius plerumque, & in Tragoediis Seneca. apud Auſonium in Epitaphiis Heroum, *Troïa cura*, & *Troïa tellus.* & Epigr. CXI.

Atque aliquis positâ monstrat fera proelia mensa.
Pingit & exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois, hic est Sigeïa tellus,
Hic steterat Priami regia celsa senis.

35 Illic

Troïus Aeneas, ad exemplum Maronis. Tibull. II. Eleg. 5.

Troïa qui profugis sacra vehit ratibus.

Ita enim vetustus Codex Bodlejanus. Noster Epistolâ Didûs sub finem, *Troïus ensis*, ut puto scribendum: & Epistola Paridis, *Troïa classis adest*, ex antiquis libris. *Troïa pineta*, ibidem. & *Troïa conjux*, Epistola Helenae: ut *Troïus hospes*, ibidem. lib. III. Art. Amat. 254. *Troïe raptor*, ex veteri codice. lib. II. de Ponto El. X. *Troïa bella*, ut & illic emendandum censeo. etiam in Ibide ℣. 416. *Troïa vela* apud Valer. Flacc. lib. IV. 78. male *Trojae differat arma*, pro *Troïa* legitur. Stephanus in Τρῶια· Τὸ ἐθνικὸν Τρώς, ὁμόφωνον τῷ κτίσῃ, ὡς Ἀχαιὸς, Δαναὸς; Σικελός. τὸ ἡηλυκὸν, Τρωΐς, καὶ Τρωϊάς. ἢ παρὰ τὸ Τρῶις Τρωΐς, ὡς Λέσβιος Λεσβιάς. ἐστὶ καὶ Τρῶα ἡηλυκῶς, καὶ Τρῶις καὶ Τρωΐας, καὶ Τρωϊκὸν τὸ κτητικὸν, καὶ Τρωϊκή. Noster *Troa agmina* dixit lib. 12. Metam. ut in optimo codice inveni. nam vulgò *Tota* legebatur, ℣. 74.

Troaque Peliacae sternebat cuspidis ictu
Agmina.

Troïades apud Persium pro Trojanis feminis. & in catalectis veterum poëtarum de signis coelestibus in Eusthenii carmine, ut quidem codices antiqui exhibent:

Troïadesque puer, geminique sub aethere Pisces.

Tros pro Aenea apud Prudent. lib. I. contra Symmach. 232.

Adsistunt etiam priscorum insignia regum
Tros, Italus, Janusque bifrons, genitorque Sabinus.

Sic ex duobus veterrimis exemplaribus scribe. vulgò. *Dux Italus.* Heinsius. Jul. Caes. Scaliger in Hypercritico pag. 785. haec Ovidii verba ad censuram, rigidam certe & supercilio-sam, exegit, & non victa Troïa fata, sed vicisse fatum Trojanorum contendit; vicit enim Trojanorum vota, quia in fatis erat Trojam capi. quae ego vix capio. Neque puto virum maximum pervidisse sensum nostri Poëtae, qui ex superstitiosa veterum credulitate debet illustrari. Cum enim nullam gentem, nullam urbem, immo nullum omnino crederent hominem existere, qui non ab ipsis natalibus sua scripta fata haberet, eaque esse immutabilia statuerent veterum σοφοὶ, quaedam simul esse majora, quaedam minora fata, credebant, haec posse vinci ab illis, & ideo non tam stabilia & immota, unde innumeris apud Poëtas locis lux accommodatur. Lucan. VI. lib. 605.

si Fata minora moveres,
Pronum erat, o juvenis, quos velles, inquit, in actus
Invitos praebere Deos.

Valer. Flac. I. 553.

Quot proceres natosque Deûm, quae robora cernes
Oppetere, & magnis Asiam concedere fatis?

Lib. VIII. 389.

Respicient pluresque animas, majoraque fata
Tot comitum.

Silius V. 201.

Avertêre Dei vultus, fatoque dederunt
Majori non sponte locum.

Plura de magnis & ingentibus Fatis vir supra plebem eruditus Bentlejus ad Horat. II. Ep. I. 6. quamquam illa nollemus ibi Horatio obtrudi, cum mille veterum loca clament, Deos illos novos Bacchum, Castora, Pollucem & Herculem factis & virtute sua coelum meruisse. sed haec agendi hic locus non est. neque etiam majorum aut minorum Fatorum temere mentio injicitur, nisi de oppositis sibi & comparatis adversariis agatur, quorum fata alterorum vincunt, si bello vel alio modo superent. Virgil. VII. Aen. 293.

Fatis contraria nostris
Fata Phrygum.

Valer. Flac. IV. 126.

Jamque aliae vires, majoraque sanguine nostro
Vincunt Fata Jovis.

lib. VII. 446.

Sed Fatis fum victa tuis.

Lucanus lib. VII. 113.

Vincis apud superos Fatis me, Caesar, iniquis.

Ita legendum puto. *Votis* enim vincere, ut vulgò exhibetur, aliud quid esse ex Justino lib. XX. c. 3. apparet. Manilius IV. 63.

——— *Nomenque cruore*
Delevit proprio, possent ut vincere Fata.

Huc refero nummos Diocletiani & Maximiani in quibus FATIS VICTRICIBUS legitur apud Spanhem. de Usu & Praest. Numism. Dissert. XIII. p. 639. edit. ultimae, & Morell. Specim. Rei Nummar. p. 81. & Amm. XVII. 12. dicit *quosdam opinari fatum vinci Principis potestate, vel fieri.* Aliud est apud Virgil. XI. Aeneid. 160. *vivendo vici mea fata*, de quo vide ibi Servium, & quod oppositum est *euntibus ordine fatis*, ut in fine hujus Epistolae dicit. Eadem ratio est, quando *Dii* alicujus populi *victi* dicuntur, ut Virg. II. Aen. 329. *victos Deos* Trojanorum dicit. & Noster Remed. Amor. 368.

Et tua sacrilegae laniarunt carmina linguae,
Pertulit huc victos quo duce Troja Deos.

& *Fortuna*, quae eadem quae Fatum, populi alterius *fortunam vincere* passim legitur. Justin. XXX.

4. *Sed*

Illic Aeacides, illic tendebat Ulixes:
Hic lacer admissos terruit Hector equos.
Omnia namque tuo senior, te quaerere misso,
Retulerat nato Nestor: at ille mihi.

Re-

4. *Sed Macedonas Romana Fortuna vicit.* Noster XIII. Metam. 435.

Ut cecidit Fortuna Phrygum.

Horat. III. Od. III.

Trojae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur.

IV. Od. 4.

Occidit, occidit
Spes omnis, & Fortuna nostri
Nominis Asdrubale interempto.

Quo spectat illa vox Hannibalis, *Agnosco Fortunam Carthaginis*, Flor. II. 6. & ita passim veteris superstitionis observantissimi scriptores. Fata ergo Trojana (de quibus ex Plauto Servius ad Virg. II. Aen. 13. observante Castal. Var. lect. cap. 26) fuere victa a Graecorum Fatis, quae erant sagittae Herculis & alia. Vid. Serv. ad Virg. I. Aeneid. 14. III. 402. & alibi. BURMANNUS.

31. *Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa. Pingit & exiguo Pergama tota mero.*] Solebant Graeci & Romani post coenam crateras vini in mensam afferre, & multo habito sermone ad multam noctem somnum producere. Ex eo vino aliquid in mensa fundebant. Quem morem hic tangit Penelope, additque ab illis, qui in bello Trojano affuerant, uxoribus suis ceterisque domesticis illo vino, quod super mensam vertebant, loca, in quibus cum Trojanis proelium fuerat commissum, ostendi, & universum Ilium, fluvium, aliasque illius urbis partes depingi. Eum etiam, quem suprà exposui, morem indicat hic Noster hisce aliis locis:

Quod deducta mero littera fecit AMO.

Et: *Verba leges digitis, verba notata mero.*

Et: *Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino*
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.

Et: *Blanditiasque leves tenui praescribere vino,*
Ut dominam in mensa se legat illa tuam.

Tibullus elegia ult. lib. I.

Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, & in mensa pingere castra mero.

Illud etiam poëtae nostri ejusdem fortasse generis est:

Diluitur posito serior hora mero.

Quamvis de eo aliter senserim. CIOFANUS.

31. *Atque.*] Codices quidam & Editio Micylli & aliorum *Jamque.* Male; Epist. II. 83.

Atque aliquis doctas jam nunc eat, inquit, Athenas.

HEINSIUS. Potest tamen retineri *jamque.* Dum tu abes, jam alii reduces narrant res ad Trojam gestas.

33. *Hac ibat Simoïs.*] Hujusmodi sunt illa in II. De Arte, 133. de Ulixe:

Hic, inquit, Troja est (muros in littore fecit)
Hic tibi sit Simoïs, haec mea castra puta.
Campus erat, (campum fecit) quem caede Dolonis
Sparsimus, Haemonios dum vigil optat equos.
Illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi:
Hac ego sum captis nocte reversus equis.

Hac per hunc locum. CIOFANUS.

33. *Hic est.*] Plurimi veteres *hoc est*; octo *haec est*, quod opinor verum esse. HEINS. ego praefero *hic*, ut respondeat τῷ *illic*, ut in loco a Ciofano ex III. Artis Am. adducto. & ita Tacitus I. Annal. 61. *referebat, hic cecidisse, illic raptas aquilas.* Tibullus I. III. 63.

Hic juvenum series, teneris immixta puellis,
Ludit, & adsidue proelia miscet amor.
Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti.

Frustra vero quidam codices, *Illuc Aeacides, illuc tendebat Ulixes.* Ignorabat scilicet librarius ille, *tendere* pro tentoria ponere sumi; ille vero pro ire, proficisci cepit. Sed hoc jam pueris notum. BURM.

34. *Senis Priami.*] Hoc epitheton passim fere ab auctoribus datur Priamo. Ennius, citat Priscianus lib. III.

Cur veter occubuit Priamus sub marte Pelasgo?

M. Tullius pro Sexto Roscio Amerino. cùm vellet ostendere, Antistium summa esse senectute hominem, vocavit eum *Priamum.* Ejus verba sunt: *Postremò Priamum ipsum, senem Antistium: quem non modò aetas, sed etiam leges pugnare prohibebant.* Alia exempla lib. XIII. in meis in Metamorph. observationibus collegi. CIOFAN.

36. *Admissos.*] Quis non videt *admissos* equos Hectoris laceri legendum? cum ea vox *celerem* Ovidio, Valerio & reliquis significet, magno eorum errore, qui *amissos* legunt. Ovidius certe ipse in Fastis:

Et celer admissis labitur annus equis.

Et item:

Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Jussit, & admissos praecipitavit equos.

Et in Epistola sequenti:

Et facer admissas exigit Hebrus aquas.

Quin & Valerius de Fulvio *admisso*, inquit, *equo Teanum contendit*, quae vox inde videtur esse ducta, quod adjunctis equis celerius iter conficimus. EGNATIUS. *Admissos* legendum puto, ut & Egnatius censuit. Ut *Admissos equos*, intelligamus veloces, sive incitatos: quemadmodum & alibi idem nomen poëta usurpavit, cum dixit, *Et celer admissis labitur annus equis.* Lacerum autem Hectorem terruisse

Retulit & ferro Rhesumque Dolonaque caesos,
Utque sit hic somno proditus, ille dolo.
Ausus es, ô nimium nimiumque oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere castra dolo;
Totque simul mactare viros, adjutus ab uno.
At bene cautus eras, & memor ante mei.

Us-

ruisse equos accipio, non quando equos impulit, & in praelium exhortatus est, cujus rei mentio fit Iliados octavo: aut etiam, quod aliis placet, quando equi Achillis interfecto Patroclo attoniti stetere; neque aurigae sui vocem audientes, neque viae memores, de qua re Iliados XVII. dicitur: sed postea quam ab Achille jam occisus fuit. Ibi enim singuli, qui tum aderant, jacenti vulnera inflixerunt, quemadmodum Homerus autor est Iliad. XXII. vs. 371. ubi ait, οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη. A quo & *lacerum* hic poëta vocat. Et mox Achilles de curru, pedibus loro trajectis, suspensum circa muros patriae traxit, saucium ac sanguinolentum adeò, ut aspectu suo non immerito equos terrere potuerit, aut etiam visus fuerit terrere. Nam reipsa terruisse, nisi ex Tragico aliquo acceperit poëta, apud Homerum certè non legitur. Atque hanc expositionem comprobat locus ejusdem poëtae ad Liviam, ubi iisdem fermè verbis inquit:

Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axes
Terruit admissos sanguinolentus equos, &c.

Micyll. *Admissos* rectè legendum docuit Egnatius. *Admissi* autem equi qui dicantur, docui in Scholiis lib. Tristium. Ciofan. *Hic lacer admissos terruit Hector equos.* Sic duo aut tres ex nostris codices, quomodo Baptista Egnatius primus castigavit. Perperam vulgo *alacer missos.* paria habes apud Auctorem Elegiae in mortem Drusi, vers. 319.

Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axes
Terruit admissos sanguinolentus equos.

Admissi equi sunt concitati. II Art. Am. 434.

— *modo admissos arte retentet equos.*

I. Amor. VIII. 50. IX. 56. XV. 50. & passim. Virg. XI. Aen. 272.

Et socii admissis petierunt aethera pennis.

Ita enim optime legitur in veterrimis exemplaribus: vulgata enim lectio, *Et socii amissi*, omnino languet, quam tamen & Servius imperitè defendit. Cogitaveram aliquando:

Hic Larissaeos terruit Hector equos.

ut Virgil. II. Aen. 197. *Larissaeus Achilles.* In codice Gronoviano erat glossa, *Missos, id est, Regis Mysi, quos Achilles abstulit Regi Mysiae.* Unde apparet illum Glossatorem legisse, *Hic alacer Mysos terruit Hector equos.* sed non placet. Heins. ita *equum admisit* Capitol. Maximin. III. ubi vid. Casaubonum.

37. *Namque.*] Haec vocula offendit Scaligerum patrem, in Hypercritico d. l. sed immerito. Mirari enim poterat Ulixes, unde haec omnia uxor sciret, quae domi sedens lanae operam dabat, & quae non captabat rumores; quare ex decoro Poëta auctorem addit unde, rescierit. Ex Telemacho nempe, qui apud Nestorem haec cognorat. vid. Castalion. var. lect. p. 60. Miscel. Italic. Burm.

37. *Te quaerere misso.*] Elegans graecismus: ita Statius I. Achil. 209.

— *duros laxantem Aegaeona nexus*
Missa sequi.

Ita legendum ex veteri Vossiano codice. Vulgati *Jussa sequi*, non aeque bene. Virgil. initio lib. III. Aeneïd. *quaerere agimus* dixit. vide plura ad lib. V. Metam. 660. Burmannus.

39. *Rhesum Dolonaque caesos.*] Miramur, cum adeo pateant Heroïdes Ovidianae, hactenus syllabam claudicantem in hoc versu non animadversam, cum *Dolon* utique primam corripiat, ut lib. XIII. Metam. 244.

Ausum eadem, quae nos, Phrygia de gente Dolonem

quare addenda fuit dictio *que.* Homer. Iliad. K. vs. 314.

Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δόλων Εὐμήδεος υἱός.

Egnatius. Haec lectio *Rhesumque* absque ulla literae suspicione reperitur in uno Vaticano, quae vera est, Ciofanus. *Rheson.* Erfurtanus Graeca enuntiatione; ut saepe alibi. narrat rem Servius ad Virgil. XII. Aeneïd. 347. cujus verba ita constituenda. *Cum Trojani exploratorem, quem ad castra Graecorum mitterent, quaererent, hic Dolon exploratum se ire obtulit, si sibi equi Achillis pro praemio darentur; qui cum isset, obvios habuit Diomeden & Ulixen, similiter exploratores missos ad castra Trojana. Captusque ab iis, & tormentis confiteri vera adactus, tam consilia Trojanorum, quam Rhesi adventum docuit, qui equos falcatos adduxerat in auxilium Trojanorum, quem Diomedes & Ulixes vinctum ad arborem relinquentes, profecti ad castra Trojana, occiso Rheso, & abductis equis, redeuntes occiderunt.* Heinsius.

39. *Rhesumque.*] Rhesus rex Thraciae, Trojanis opem ferens, prima nocte ex longo itinere fatigatus in ipsis tentoriis ab Ulixe & Diomede una cum omni exercitu est interfectus. Homerus K. Iliad. Euripides in Rheso, Tryphiodorus, & Ovid. lib. XIII. Metamorphos. quod tangit & in praeclarissimo opere, quod Ibin vocavit:

Nec tu, quàm Rhesus, somno meliore quiescas,
Quàm comites Rhesi tum necis, antè viae. Ciof.

41. *An-*

Usque metu micuere sinus; dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios? &, murus quod fuit ante, solum:
Si maneo, qualis Troja durante manebam;
Virque mihi, demto fine carendus, abes?

Di-

41. *Ausus es.*] Epist XII. 123.
Ausus es o (justo desunt sua verba dolori)
Ausus es Aesonia dicere, cede domo.

41. *Nimiumque oblite tuorum.*] Hochemistichium usurpavit Statius lib. VII. Theb. 547.
Heu nimium mitis, nimiumque oblite tuorum.
CIOFANUS. Illae repetitiones in aliis particulis frequentes sunt, sic Macrobius Somn. Scipionis lib. I. cap. 20. *multo, multoque saepius multiplicatum solis spatium.* Gellius XIII. 27. *longe longéque est amplius.* & XII. 1. *supra longe, atque longe infinitum.* vid. ad I. Art. Am. 127. & ad Quinct. II. 13. BURMANNUS.

42. *Tangere castra dolo.*] In quatuor membranis *frangere castra.* quod non est de nihilo, pro perfringere, aut domare. vid. infr. Ep. IV. 60. Sed & *tangere* probum est. sic apud Comicos, *Tangere dolo aliquem, Tactus est leno, Probe illum tetigi.* & similia. HEINSIUS. Non puto hanc vocis *tangere* significationem huic loco accommodatam; sed *tangere castra* est, simpliciter, pervenire in castra. ut lib. IV. Met. 778. *Gorgoneas tetigisse domos;* ita *tangere portus*, Virg. IV. Aeneid. 6. 12. & *attingere*, de quo nos vide ad Petron. cap. LXXXVIII. BURM.

45. *Usque metu micuere sinus.*] Male libri plurimi: *tremuere*, aut *timuere*, aut *tumuere*, aut *metuere*, aut *riguere.* Epist. Oenones, *Attoniti micuere sinus.* l. III. Art. Amat. fabula Procridis, 722.
Pulsantur trepidi corde micante sinus.
Fast. III. 36.
Terreor admonitu, corque timore micat.
Et mox. 35.
Corda micant regis, totoque è corpore sanguis
Fugit.
Lib. VI. 338.
—— *furtimque accedere tentat,*
Et fert suspensos corde micante gradus.
Tibul. I Eleg. X.
nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubas.
Apulej. Metam. X. *cor trepidans & micans adsiduo pulsu.* Noster lib. VI. Met. 557. de Philomela. *radix micat ultima linguae,* id est *tremit.* ut ipse explicat. nam & *tremere* & *salire* sequitur. vid. & lib. VI. Metam. 390. Plautus Aulularia, Act. IV. sc. III.
Continuo meum cor coepit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare.
Ubi digitorum micationem ludum notissimum respexit. HEINSIUS.

45. *Amicum.*] Malebat Francius *Achivum.* perperam; & recte Parrhasius hoc verbum *amicum* ostendere deposuisse timorem, notat. quid enim ex amico timendum? BURMANNUS.

46. *Dictus es.*] *Diceris* Gottorph. & Francof. codices. mea sententia elegantius, dum Telemachus nempe narrat, te rediisse in castra amica. BURM.

47. *Disjecta.*] Vid. ad Metam. XII. 108.

48. *Ilios.*] Ilion legendum censet Jos. Scaliger feminino genere, sicut *Granon*, & *regia Pleuron*, apud Silium. & *Dorica Ancon* apud Juvenal. BERSM. Sic apud Homerum Ἴλιος ἱερὴ non uno loco, & Ἴλιος ἀπείνη, & Ἴλιος ἐφρύσατα κατήριπεν, in Anthologia, *Troja superba ruit.* quomodo & *Ilium superbum* Virgilio. Horatio *non semel Ilios vexata*, & in Catalectis Pithoei:
Ilios en surgit rursum inclyta.
Noster lib. I. Artis, 363.
Tunc cum tristis erat defensa est Ilios armis.
Ita enim veterrimi codices. Metam. XIV. *postquam alta cremata est Ilios.* sic *Neriton* mons Ithacae apud Graecos, quae *Neritos* Virgilio est. & *Neritos ardua saxis.* Plurimi tamen scriptorum codicum, *disjecta Ilion* agnoscunt, ut apud Nostrum Laodamiae epistola, *Ilion & Tenedos.* quod & Scaligero placebat notis ad Catal. & Vossio lib. I. Annal. 12. certe in antiquis libris apud Ovidium modo *Ilios*, modo *Ilion*, promiscue scribitur. ut Fastor. III. 71. IV. 505. V. 93. VI. 401. & in Metamorphosi non semel. Adeatur Stephanus in Ἴλιον. Noster Epistola Helenae:
Et vatum timeo monitus, quos igne Pelasgo
Ilion arsuram praemonuisse ferunt.
Ita enim restitui malim, pro vulgata *arsurum.* ut & Paridis Epistola, idque veteris libri auctoritate:
Arsuram Paridis vates canit Ilion igni.
Horat. Ep. XIV.
Quod si nec pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion.
Sequenti versu in nonnullis membranis; *murus quo fuit ante.* ut apud Virgilium, *Atque solum quo Troja fuit.* in nonnullis etiam, *qui fuit.* forte *quâ fuit.* nam in uno Lovanienst erat *quae fuit.* ut Fast. III. 71.
Jam modo qua fuerant Silvae. ubi & Mss. *quo.* HEINSIUS.

48. *Murus quod fuit.*] Hoc quoque acerbe nimis carpit Scaliger, quia murus nunquam fuit solum.

Diruta ſunt aliis, uni mihi Pergama reſtant;
Incola captivo quae bove victor arat.
Jam ſeges eſt ubi Troja fuit, reſecandaque falce
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virûm curvis feriuntur aratris
Oſſa: ruinoſas occulit herba domos.
Victor abes; nec ſcire mihi, quae cauſſa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quiſquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.
Quamque tibi reddat, ſi te modo viderit uſquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleïa Neſtoris arva,
Miſimus. incerta eſt fama remiſſa Pylo.
Miſimus & Sparten. Sparte quoque neſcia veri.
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?
Utilius ſtarent etiam nunc moenia Phoebi.
(Iraſcor votis heu levis ipſa meis!)

Scirem

Solum enim jam erat, quod arabatur, ubi antea locus muri erat. ut II. faſt. 280.

Hic ubi nunc urbs eſt, tunc locus urbis erat.

vid. ad Petron. c. LXXXIX. BURMANNUS.

50. *Abeſt.*] *Abes* Palatinus unus & alii Codices. ut mox vers. 57. *Victor abes*, & 66. *lentus abes.*

51. *Diruta.*] Inveni codicem, in quo *Eruta* legebatur, quod non probo. Ep. III. 45.

Diruta Marte tuo Lyrneſia moenia vidi.

ſic *Diruta urbs* Senec. Nat. Quaeſt. III. II. & Senec. Agam. 651.

Moenia Divûm fabricata manu,
Diruta noſtrâ.

Virgil. lib. XI. Aeneïd. 279. in oratione Diomedis:

Nec mihi cum Teucris ullum poſt diruta bellum
Pergama.

Ita enim ibi legitur in veterrimo illo Vaticano Codice, atque eum locum reſpexiſſe videtur Ovidius, quamquam in vulgatis Virgilii exemplaribus *Eruta* legatur. & ſane quemadmodum plus eſt, ſi *diſiecta* moenia, quam ſi *dejecta* dicamus, ita plus eſt *diruta*, quam *eruta*; ſed tamen apud Virgil. II. 5.

Trojanas ut opes & lamentabile regnum
Eruerint Danai.

& Silius III. 255. *Eruta oppida*, & XII. 361. *Eruta Pergama* dixit. HEINSIUS. Senec. Troad. 235.

Ilion vicit Pater,
Vos diruiſtis,

51. *Uni mihi.*] *Soli mihi* multi codices, ut XIII. Met. 507. *ſoli mihi Pergama reſtant.* BURMANNUS.

52. *Incola.*] Lege *Accola.* HEINSIUS.

54. *Sanguine.*] Vid. ad Petron. cap. CXX.

55. *Feriuntur.*] Mallet *finduntur* Francius, non ego. *finditur* enim terra aratro, ſed oſſa ſemiſepulta feriuntur & percutiuntur. Lucan. VII. 859.

Pluraque ruricolis feriuntur dentibus oſſa.

58. *In quo orbe.*] In qua regione. & ſic ſaepe. CIOFANUS.

59. *Puppim.*] Quomodo? prora enim ad littus appellitur, non puppis. Verum peregrini & hoſtes cito abnavigaturi, ut dicitur VI. Aeneid. *Obvertunt pelago proras*, & ita puppis appellitur ad litus. ut paratae ſint naves, ſi neceſſe fuerit, ad fugam. PARRHASIUS inf. Ep. XII. 23.

Juſſes inexpertam Colchos advertere puppim.

63. *Neleïa arva.*] Appoſitio; in quibus Neleus regnavit, qui XII. filios ſuſcepit, ex quibus tantùm Neſtor ſuperſtes manſit. Hom. XI. Iliad. CIOFANUS. vid. Auſon. Perioch. Odyſ. II. & III.

63. *Antiqui Neſtoris.*] Quod tria ſaecula vixit: Unde ab Attio *triſaeclifenex* dictus eſt. Vid. Obſervat. in lib. Faſtorum. De Neſtore ſic Hyginus cap. X. *Chloris in urbe Seti Amphionis filia, quae ex ſeptem ſuperaverat. Hanc habuit in conjugem Neleus Hippocoontis filius. Ex qua procreavit liberos, maſculos duodecim. Hercules cùm Pylum expugnaret, Neleum interfecit, & filios ejus decem. Undecimus autem Periclymenes, beneficio Neptuni avi in Aquilae effigiem commutatus, mortem effugit. Nam duodecimus Neſtor in Ilio erat, qui tria ſaecula vixiſſe dicitur Apollinis beneficio. Nam quod*

Scirem ubi pugnares; & tantum bella timerem;
Et mea cum multis juncta querela foret.
Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demens:
Et patet in curas area lata meas.
Quaecumque aequor habet, quaecumque pericula tellus,
Tam longae cauſſàs ſuſpicor eſſe morae.
Haec ego dum ſtultè meditor (quae veſtra libido eſt)
Eſſe peregrino captus amore potes.
Forſitan & narres, quam ſit tibi ruſtica conjux;
Quae tantum lanas non ſinat eſſe rudes.
Fallar; & hoc crimen tenues vaneſcat in auras:
Neve, revertendi liber, abeſſe velis.
Me pater Icarius viduo diſcedere lecto
Cogit, & immenſas increpat uſque moras.
Increpet uſque licet: tua ſum, tua dicar oportet
Penelope: conjux ſemper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis
Frangitur, & vires temperat ipſe ſuas.

Duli-

quos annos Chloris & fratrum Apollo eripuerat. Neſtori conceſſit. CIOFANUS.

65. *Sparten.*] Lucianus in Charidemo, Ulixis filium ad Menelaum percontatum de patre veniſſe ſcribit.

66. *Quas habitas terras, aut ubi lentus abes.*] *Lentus agas* in Chartaceo Scriverii. quod placet prae vulgato, ſi *habites* quoque reponatur, ut in uno Medicco extat. vulgata ſcriptura minus Latina eſt. HEINIUS. Poſſet diſtingui hoc modo.

—— *Sparte quoque neſcia veri.* (vel *veri eſt.* ut in antiqua editione.)
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?

Ita *lentus abes*, Epiſtol. ſeq. 23. & Calpur. ecl. VII.

Nam dum lentus abes luſtravit ovilia Thyrſis.

lentus agis malebat Capoferreus. BURMANNUS.

67. *Etiam nunc.*] Lege *etiamnum.* HEINSIUS.

68. *Iraſcor.*] Hunc verſum parentheſi incluſimus; ut ſequentia aptius cohaererent.

73. *Quaecumque pericula tellus.*] ἀναφορὰ. CIOF.

75. *Quae veſtra libido.*] Recte exponunt interpretes de libidine omnium maritorum, quos hic Penelope tangit. vid. & Paſſer. ad Proper. lib. III. Eleg. 19. in principio. Helena inf. Ep. XVII. 29. Paridi aliquid praecipue dat:

Quae tua nequitia eſt, non his contenta fuiſſet.

Elegantem vero uſum pronominis *qui* in hac locutione jam Hubertinus notavit. Noſter lib. III. Triſt. v. 29.

Quaeque tibi eſt linguae facundia, confer in illud. v. Met. 373.

Quae jam patientia noſtra eſt,

I. Pont. VII. 59.

Quaeque tua eſt pietas.

& alibi. vide & ad Quinctil. Decl. IX. 21. BURM.

77. *Forſitan & narres.*] Ita ex optimis codicibus & editionibus. *narras* habent minus emendatae. vid. ad Petron. 130.

80. *Revertendi liber.*] Elegantem hanc conſtructionem illuſtrarunt Nic. Heinſius ad Claudian. lib. I. de Laud. Stilich. 150. Vorſtius ad Valer. Max. VI. cap. II. §. 3. & ad Sulpic. Sever. lib. I. cap. 4. ita & ſaepe Lucanus. ut lib. VI. 301.

Felix ac libera legum,
Roma fores, juriſque tui.

Ita vulgo legitur. & ſummus Gronov. Diatrib. Stat. cap. II. diſtinguit:

Felix ac libera, legum
Roma fores juriſque tui.

Ego mallem ex quinque codicibus, quos Heinſius conſuluit, legere, *Libera Regum Roma fores.* Idem Poëta lib. VII. 818.

Libera Fortunae mors es.

& lib. VIII. 648. legerem quoque:

Haud ego culpae,
Libera bellorum.

Vid. Heinſ. & Drakenb. ad Sil. Ital. II. 441. BURM.

81. *Viduo lecto.*] Eodem ſenſu ſuprà *deſertum* dixit, hoc modo infrà Epiſt. Oenonis: *Nunc jacet in viduo credulus ille toro.* & Seneca in Hippolito, qui Ovidii maximus fuit imitator:

—— *Cur toro viduo jaces?* CIOFAN.

81. *Diſcedere.*] Francius *decedere*, vel *ſecedere* malebat.

Dulichii Samiique, &, quos tulit alta Zacynthos,
Turba ruunt in me luxuriosa, proci:
Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula.
Viscera nostra, tuae dilaniantur opes.
Quid tibi Pisandrum, Polybumque, Medontaque dirum,
Eurymachique avidas, Antinoique manus,
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis?

Irus

83. *Tua sim.*] *Tua sum* sex codices, quod efficacius, non enim vovet, sed asseverat Penelope se Ulixis esse, & ideo quoque dici Ulixis vult, neque alteri in conjugium concedere. ita Epist. VIII.

Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis,
Et tua quod supersit temporis esse precor. BURM.

86. *Frangitur.*] Vide quae de hoc verbo Heinsius & ego olim notavimus ad Petron. c. LXXV. & Heinsius quoque ad Claud. I. Epist. 50. sic corrige ex codice Mediceo Senecae locum in Troad. 743.

Spiritus genitor facit,
Sed nempe fractus.

vulgo *tractus* circumfertur. Auctor Octaviae. 586.

Merita te divi patris,
Aetasque frangat conjugis, probitas, pudor.

Callimach. Hym. in Delo. 107.

Οὐδὲ κατεκλάσθης τε καὶ οἴκτισας. BURM.

86. *Temperat ipse.*] Forte, *temperat ira suas.* HEINS. Melius tamen legeretur *temperat inde suas.* propter pietatem meam & preces pudicas. saepe haec vocula *inde* loco pulsa ab *ipse* & *ille.* vid. ad V. Met. 356. & VI. 650. & ita Epist. sequente. 654.

Parte satis potui qualibet inde capi.

Francius malebat *voces temperat ipse suas*; quod minime placet. Bersmannus Propertianam imitationem volebat ex lib. III. Eleg. 21. *Victrices temperat ira manus.* ubi & *illa*, vide Broukh. BURM.

87. *Alta Zacynthos.*] Egregiè Homeri versum ex Odyss. α. transtulit:

Δυλιχίῳ τε, Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

ubi mirum quod ὑλήεντι masculino genere dixerit, quod jam Grammaticis ad illum locum notatum est: Ovidius autem, cum Virgilius aliique illud verbum *nemorosa* transferant, *alta* maluit. Ita & alio loco Virgil. lib. V. 588. Cretam *altam* dixit:

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum caecis iter.

HEINSIUS. Bochartus tamen libro I. de Phoen. Colon. cap. 23. a montibus, quibus effertur, ita dici vult. Silius lib. I. 275.

Conditus excelso sacravit colle Zacynthos.

ubi late eam describit, quam descriptionem illustrat Tristan. tom. II. Comment. Histor. p. 415. *tenet* vero est in duobus codicibus. BURM.

88. *Turba ruunt in me luxuriosa proci.*] Propriè & significantissimè loquitur: *Turba* enim, ut ait Ulpianus lib. LVII. ad Edictum tit. VIII. de vi raptorum, *de multis dicitur*, ita ut poëta indicet magnum fuisse procorum numerum, qui Penelopen ad sui amorem sollicitarent. Procorum numerum ponit Homerus lib. XVI. Odyss. unde haec conversa sunt. Ulpiani verba sunt: *Turbam autem ex quo numero admittimus? si duo rixam commiserint, utique non accipiemus in turba id factum: quia duo turba non propriè dicentur. Enimvero si plures fuerunt, decem aut quindecim homines, turba dicetur. Quid ergo si tres, aut quatuor? turba utique non erit.* At quid Ovidius ipse lib. Metamorph. I. 355. nonne turbam de duobus, illo hemistichio, *nos duo turba sumus*, dixit? sed praeclarè. Ostendit enim Deucalionem, & Pyrrham tantùm, ceteris aliis hominibus diluvio absumptis, ut turbam quandam superesse, praesertim τὸ *nos* addito, à quibus omne hominum genus esset reparandum. CIOFAN.

90. *Dilacerantur.*] In vet. quibusdam, *dilaniantur.* Aeque bene. CIOFAN. *Dilaniantur opes*, rectius meliores ex scriptis, quam *dilacerantur*, quod est in vulgatis. Respexit Homeri Illa. Odyss. π. ῥ. 315. κτήματα δαϊδάπτουσιν. Hoc verbum saepe Ovidio redonavimus in Metamorphosi. Ita & Infr. III. Am. 9. *dilaniata comas.* & Ibid. 596. *Dilanient vigilum te quoque turba canum:* vulgata tamen retineri potest ex Epist. III. 86. ubi:

Quid lacerat Danaas impiger Hector opes. HEINS.

91. *Polybum Medontaque.*] Et hic addenda copula fuit, cum *Medon* & ipse primam corripiat. EGNATIUS. Primo in duobus scriptis *Polybonque*, Graeco more, ut passim Noster. Et ita Helmstad. exhibet *Polybonque.* Sed quare *Medon dirus* dicitur, cui fere procorum uni Ulysses pepercit, ob modestiam & leviora delicta, caeteris interfectis Od. XXI? In multis codicibus *Polybum Medontaque* inveni. Haesit etiam hic aqua Mariangelo Accursio, qui in Diatribis legendum contendit *Polybum Amphimedontaque*, quod hosce duos cum Pisandro Homerus etiam conjunxerit:

Εὐρυνυμός τε καὶ Ἀμφιμέδων, Δημοπτολεμός τε,
Πεισανδρός τε Πολυκτορίδης, Πολυβός τε δαίφρων.

Sed praeterquam quod haec lectio versum paulo duriorem reddit, restat scrupulus de Penelopes Sabinianae

Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,
Laërtesque senex; Telemachusque puer.
Ille per insidias pene est mihi nuper ademtus;
Dum parat, invitis omnibus, ire Pylon.
Di precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Hoc

binianae ad hanc epistolam responsione, quae Polybo quoque Medontem subjungit,

Certe ego cum Antinoum Polybumque Medontaque legi,
Heu toto sanguis corpore nullus erat!

Praestat igitur locum relinquamus intactum. HEINS.

95. *Pecorisque Melanthius auctor edendi.*] Omnino legendum est, *actor edendi*. Homero in Odyss. passim dicitur Μελάνθιος αἰπόλος αἰγῶν. Auctorem fuisse procis pecoris edendi Melanthium non recordor me legisse. Confirmatur nostra lectio à novem aut decem libris calamo exaratis. Ita I. Fast. 323.

Pars quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen agonalem credit habere diem.

& γ'. 547. ex MS. *Tirynthius actor.* II. Metam.

Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas.

vid. II. Fast. 370. III. 64. HEINSIUS.

93. *Atque alios.*] Elegantius Junianus codex *Quidque alios*, quamvis ego *Quidve* mallem. BURMANNUS.

97. *Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor, Laërtesque senex, Telemachusque puer.*] Hunc locum imitatus est idem Seneca in Troadibus:

— *turba quae sumus super,*
Tumulus, puer, captiva. CIOFAN.

100. *Pylon.*] Telemachus postea duxit Polycastam Nestoris filiam. Hesiod. Fragm. pag. 330. Edit. Amstel. ita ut forte ejus amore jam incensus eo ire paraverit. BURMANNUS.

101. *Di precor hoc jubeant.*] Malim, si per membranas liceat, *Di, precor, ô jubeant.* quem errorem frequenter errarunt imperiti librarii. Noster Epistolâ Hypsipyles, v. 15.

O ego, si possem timide credentibus, Ista
Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!

sic enim locus ille restituendus. Epistola Deianirae sub finem,

Virque, sed ô possis, & puer Hylle, vale.

ubi membranae quaedam, pari modo peccantes, *hoc possis*, Trist. III. 3. 31.

Quantum erat, ô magni, perituro parcere, Divi.

& eleg. VIII. II. ex MSS.

Stulte quid ô frustra votis puerilibus optas,

& II. Pont. II. 93. ex MSS.

Felices quibus ô licuit spectare triumphos.

III. Art. Am. 347.

O ita, Phoebe, velis. vid. ad Epist. XIII. 161.

Elegia in obitum Drusi,

Quod licet, ô certe tumulo ponemur in uno,
Druse.

sic restituo, cum passim nunc circumferatur, *hoc certe.* nisi mavis, *at certe.* sed modus exemplorum non esset. recte autem *euntibus ordine fatis*, quae ordine procedunt, si majores natu prius è vivis tolluntur, quam natu minores. plena sunt hujus formulae monumenta sepulcralia in antiquis inscriptionibus. Tacitus XVI. Annal. II. *Servavitque ordinem Fortuna, ac senior prius, tum cui prima aetas exstinguuntur.* Priscilla ad Abascantium Maritum apud Statium lib. IV. Silv.

Linquo equidem thalamos, salvo tamen ordine, moestos,
Quod prior exegi longâ potiora senectâ
Tempora.

contra turbatum mortalitatis ordinem appellat Papinianus l. XV. ff. de Inoff. Testam. sic Urnae Papiniani inscriptum.

AEMILIO PAULO PAPINIANO PRAEFECTO PRAETORIO JURIS CONSULTO, QUI VIXIT ANNOS XXXVII. DIES X. MENSES. III. PAPINIANUS HOSTILIUS, EUGENIA GRACILIA, TURBATO ORDINE, IN SENIO HEU PARENTES FECERUNT FILIO OPTIMO.

Emenda in transcursu locum Martialis, qui Scaligero & aliis viris primariis multum negotii exhibuit libro. I. Ep. CXV. de Fenio Telesphoro (quem vulgati codices *Faenium* frustra nuncupant) Antullam filiam sepeliente:

Ad Stygias aequum fuerat prior isset ut umbras.
Quod quia non licuit, vivat, ut ossa colat,

pater otiose & perperam, non *prior* legebatur, quod ex interpretatione & scholio irrepsit, cum de patre Antullae totum agat epigramma. haec conjectura nostra est. reliqua membranis debentur. idem lib. I. 37.

Diceret infernas, & qui prior isset ad umbras,
Vive tuo frater tempore, vive meo.

apud Gruterum pag. DCLXX.

Hoc faciunt cuſtosque boûm, longaevaque nutrix:
Tertius, immundae cura fidelis harae.
Sed neque Laërtes, ut qui ſit inutilis armis,
Hoſtibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho veniet (vivat modo) fortior aetas:
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Nec mihi ſunt vires inimicos pellere tectis.
Tu citius venias, portus & ara tuis.

Eſt

ET. MATER. TEPIDO. CONDIDIT. OSSA. ROGO.
QUAE. PRIUS. HOC. TITULO. DEBUIT. IPSA. LEGI

Auctor Queroli:

Nonne hoc juſtum fuit, buſtum ut efferret filius.

HEINS. Ita Poetae paſſim Fatis ordinem adſcribunt. vid. Valer. Flac. I. 531. & V. 81. Statius & alii frequenter. vid. Barth. ad Stat. I Theb. 302. *Seriem* vocat Val. Flac. II. 218. Lucan. VI. 61. Claud. I. cap. 51. vid. Manut. ad Cicer. de Senect. cap. ult. BURMANNUS.

103. *Hoc faciunt.*] In hac Epiſtola plurima peſſime transpoſita eſſe, quidam olim Criticorum probarunt. Quod nos in quibusdam certum habemus. De hoc quidem loco nulli dubitamus. Nam quid haec ad ſuperiora? Non enim, niſi fallimur, hoc dicit, optare ſe ut cuſtos boum, aut Ulyſſis nutrix, oculos cum Telemacho ſibi & marito claudat. Ego non dubito, locum integrum ſic transponendum, qui ab aliis hic abeundum puto:

Tres ſumus, imbelles numero: ſine viribus uxor,
Laërtesque ſenex, Telemachusque puer.
Sed neque Laërtes, ut qui ſit inutilis annis,
Hoſtibus in mediis regna tenere poteſt.
Nec mihi ſunt vires, inimicos pellere tectis.
Tu potius venias, portus & ara tuis.
Telemacho veniet (vivat modo) fortior aetas.
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Hoc faciunt, cuſtosque boum, longaevaque nutrix:
Tertius immundae cura fidelis harae.

Hoc faciunt, inquit, illi, ut nempe, te abſente, auxiliis ſuis, (quod tuum erat) Telemachum tueantur. Lege praeterea *portus & ara*, non *aura*, ut in aliis poëtae hujus locis MSS. codices repraeſentant. DAN. HEINS. Hoc mecum precantur. nulla igitur tranſpoſitione verſuum hic opus. de Philetio vaccarum cuſtode, Euriclia Ulyſſis nutrice, & ſubulco Eumaeo copioſe Homerus. HEINS. Quidam codices hoc *faciant*, ſed recte ſatis Heinſius explicat. ſaepe enim hoc verbum notat id, quod praecedens. Ita II. Amor. II. 23. *ſi faciet tarde.* & centies alibi. ſed Gottorph. *hoc cupiunt*, quod perplacet: & ita Francius conjecerat. BURMANNUS.

104. *Cura.*] Id eſt qui curam gerit. vid. Caſaub. & Salm. ad Trebel. Poll. Claud. cap. XIV. idem ad Ammian. Marcel. obſervavit Valeſius. vide & Heinſ. ad Vell. Pater. II. 99. BURMANNUS.

105. *Ut qui ſit inutilis annis.*] *Armis* undecim codices, & placet. Amor. lib. II. El VII.

Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.

Faſt. II. 238.

Nam puer impubes & adhuc non utilis armis,
Unus de Fabiâ gente relictus erat.

lib. III. 173.

Nunc primum ſtudiis pacis, Deus utilis armis,
Advocor.

lib. V. 81.

Viribus ille minor, nec habendis utilis armis.

annis tamen eſt in lib. IV. Triſt. VIII. 21.

Miles ut emeritis non eſt ſatis utilis annis. HEINS. *τὸ armis* firmat ſequens mentio *hoſtium*, & *fortior aetas*, ſcilicet armis tractandis. praeterea ſequitur mox de Telemacho *mollibus annis*, & in loco Triſtium addita vox *emeritis* neceſſario requirit *τὸ annis.* BURMANNUS.

106. *Poteſt.*] *Valet* meliores ſcripti quatuordecim. HEINSIUS.

107. *Telemacho veniet, vivat modò, fortior aetas.*] Huc reſpexiſſe videtur Statius lib. IV. Thebaid.

— *veniet modò fortior aetas.*

Et II. Silvarum:

— *veniet jam triſtior aetas.* CIOFAN.

108. *Nunc erat.*] *Erit* Leidenſis codex. nihil muta: eſt enim poſitum pro *eſſet*. I. Amor. VII. 41.

Aptius impreſſis erat os livere labellis,

& mox vers 112. vid. ad Petron. cap. XXVIII. & cultiſſimum Broukhuſium ad Propert. II. VIII. 16. BURM.

108. *Illa tuenda.*] *Fovenda* Ambroſianus codex. non male.

110. *Tu citius.*] Francius mallet *potius*. idque & Heinſio placuit, ut. Ep. VII. 148. *hos potius populos &c.* ſed *citius*, quia nos imbelles ſumus, & ideo in mora ſummum periculum. *redeas* habent viginti codices.

110. *Et aura.*] In quibusdam libris *ara*: non displicet. Aram enim & portum pro tutis locis uſurpari ſolere quis ignorat? CIOFANUS. *Portus & aura tuis*, noſtri conſtanter, niſi quod Argentinenſis ſatis antiquus, *portus & avara.* mendoſe. Ciofanus è ſuis notat *portus & ara* quod verum eſt. Quomodo etiam reſtituendum Pont. lib. II. El. VIII.

Vos

Eſt tibi, ſitque, precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Reſpice Laërten: ut jam ſua lumina condas,
Extremum fati ſuſtinet ille diem.
Certe ego, quae fueram, te diſcedente, puella,
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

EPI-

Vos eritis noſtrae portus & ara fugae.
Triſt. lib. IV. El. v. ad amicum:
Unica fortunis ara reperta meis.
Qui veritus non es portus aperire fideles
Fulmine percuſſae confugiumque rati.
Cicero in Verrem de ſuppliciis: *Hic portus, haec arx, haec ara eſt ſociorum.* eadem varietas in codicibus MSS. Virgilii II. Aeneïd. 699. ubi male quidam *aras* pro *auras* exhibent. HEINS. poſſet tamen ſcriptorum codicum lectio defendi, ut maneat poëta in eadem Metaphora, a navigantibus deſumta, qui *auras* prius faventes, deinde *portum* deſiderant.

111. *Eſt tibi, ſitque, precor.*] Eleganter, pro *ſitque diu*, quod ſubintelligendum I. Triſt. IX. I.
Eſt mihi, ſitque, precor, flavae tutela Minervae.
Eleg. ad Druſum:
Eſt tibi, ſitque, precor, multorum filius inſtar.
Alibi ad Auguſtum:
Sic te deſideret Aether,
Id eſt diu deſideret. Senec. Oedip. 855.
Procul ſit omen, vivit, & vivat, precor.
vid. VI. Faſt. 219. & Mart. IX. 19. ubi additur. in quibusdam vero codicibus legitur *eſt mihi*, quod arridebat Francio. BURM.

111. *Mollibus annis.*] In pueritia, aut adoleſcentia. CIOFANUS.

112. *In patrias artes erudiendus erat.*] Extat in Ariſtotelis Oeconomicis praeceptum, quo ille docet, matrum eſſe filios alere; patrum verò erudire: ſcitè igitur *erudiendus*. CIOFANUS. Auſon. parentat. XIII.
Ingenio prior artes paternas imbibit. HEINS.
rarior vero locutio *erudiri in artes*, quam & Statio ex MSS. reddit Barth. lib. X. Theb. 501.
Et quae te in leges praeceptaque fortia belli,
Erudiit genetrix. BURMANNUS.

113. *Ut jam ſua lumina condas.*] Morem hunc claudendi oculos propinquis oſtendit & Euripides in Hecuba de Polydoro:

Ζῇ, καὶ θανούσης ὄμμα συγκλείσει τὸ σόν.
Vivit, & morienti oculos claudet tibi. CIOFAN.
variant hic codices, quorum magna pars *claudas*, eadem diverſitas Ep. X. 120. & Statius lib. II. Theb. 641. *claudere* dixit, & *ſignare* lib. III. Theb. 29. vid. ad Triſt. III. III. 44. *Condat* Francius emendaverat, ut & olim voluit Aaron Battaleus. BURM.

114. *Extremum fati.*] *Fatis* ſeptem ſcripti, forte recte; ut intelligat diem a *fatis* ſcriptum. *Suſtinet* vero eſt, differt ideo, ut tu veniens condas ejus lumina. lib. X. Metam. 188.
Nunc animam admotis fugientem ſuſtinet herbis.
Senec. I. Contr. XII. *deficientis adoleſcentis ſpiritus in adventum meum ſuſtinebatur.* Quinct. Decl. XII. 2. *non ut infelicem animam ſuſtineremus, non ut inviſum viſum produceremus.* Martial. IX. 4.
Expectes & ſuſtineas Auguſte neceſſe eſt,
Nam tibi quod ſolvat non habet arca Jovis.
Saepe pro exſpectare utitur Tertullian. lib. II. de Cult. foem. cap. ult. *Stolae Martyriorum praeparantur, Angeli Bajuli ſuſtinentur.* ubi vid. Rigalt. Adverſ. Judaeos. VI. *& ſi jam venit, ſerviendum eſt illi, ſi necdum venit, ſuſtinendum eſt.* & alibi ſaepius. BURMANNUS.

115. *Diſcedente.*] In bellum Trojanum proficiſcente. CIOFANUS.

116. *Redeas*] Viginti MSS. *venias.* quod pro *redeas* poteſt capi. ſic in initio *ipſe veni.* Prop. II. El. 23.
Infelix hodie vir mihi rure venit.
ſic *venire* pro *redire.* Ep. II. 20.
Si valet ille venit.
Ep. V. 57.
Utque celer venias virides Nereidas oro,
Scilicet ut venias in mea damna celer.
& III. Faſt. 466. ex MSS.
— *Et Eoo dives ab orbe venit.*
ſed quia paulo ante praeceſſit *tu potius venias*, vulgata retineri poteſt. HEINSIUS.

116. *Facta videbor anus.*] Verus muliebris ingenii affectus. CIOFAN.

EPISTOLA II.

PHYLLIS DEMOPHOONTI.

HOspita, Demophoon, tua te, Rhodopeïa Phyllis,
Ultra promiſſum tempus abeſſe queror.
Cornua cum Lunae pleno quater orbe coïſſent,
Litoribus noſtris anchora pacta tua eſt.
Luna quater latuit; pleno quater orbe recrevit;
Nec vehit Actaeas Sithonis unda rates.
Tempora ſi numeres, bene quae numeramus amantes,
Non venit ante ſuum noſtra querela diem.
Spes quoque lenta fuit. tarde, quae credita laedunt,
Credimus: invita nunc & amante nocent.
Saepe fui mendax pro te mihi; ſaepe putavi
Alba procelloſos vela referre notos.

The-

1. *Hospita.*] Quae te hoſpitio excepit. CIOFAN.

1. *Demophoon.*] De Demophoonte, & Phyllide ſic Hyginus cap. LIX. *Demophoon Theſei filius in Thracia ad Phyllidem in hoſpitium dicitur veniſſe, & ab ea eſſe amatus. Qui cùm in patriam vellet redire, fidem ei dedit ſe ad eam rediturum, qui die conſtituta cùm non veniſſet, illa eo die dicitur novies ad littus cucurriſſe, quod ex ea Enneados Graecè appellatur. Phyllis autem ob deſiderium Demophoontis ſpiritum emiſit. cui parentes cùm ſepulchrum conſtituiſſent, arbores ibi natae ſunt, quae certo tempore Phyllidis mortem deflent, quo folia areſcunt & diffluunt: cujus ex nomine folia Graecè Phylla ſunt appellata.* CIOFANUS.

2. *Ultra promiſſum tempus.*] Poſt unum menſem, quo ad me redire pollicitus es, qui tamen poſt quatuor menſes nuſquam appares. CIOFAN.

2. *Pleno ſemel.*] Non videtur tempus mihi ſatis longum, ut Athenas ire, ibique res ſuas componere, & rurſus in Thraciam redire potuerit. Gronovianus & Mediceus *pleno quater orbe*, quod verum puto, & ſequentia confirmant. ubi etiam Hafnienſis *pleno quater orbe recrevit*, quod recepimus. Ita VII. Met. 530.

Dumque quater junctis implevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem.

Convenit etiam melius puellae impatientius amanti, ut ad ipſum tempus pactum promiſſa exigeret, non ut tres menſes ultra conſtitutum ceſſaret, antequam ſcriberet. Et hoc eſt quod addit:

Non venit ante ſuum noſtra querela diem. BURM.

6. *Sithonis unda.*] Mare, quod Thraciam alluit. *Sithonis* autem Patronymicorum more dictum. Cariſius lib. I. & ego alibi plura exempla collegi. CIOF.

9. *Spes quoque lenta.*] Intricatior ſenſus, qui jam ſollicitum habuiſſe videtur Alexandrum Paninum, qui Caelium Calcagninum de hoc verſu conſuluit. Caelius vero lib. 5. Epiſtol. pag. 64. *ſpem* hic capit pro timore, ut amor diu fucum fecerit Phyllidi, dum moram Demophoontis vario cauſſarum praetextu defendit. Id fecit, ut jam ſero credat, quae citra offenſam credi non poſſunt, & quibus etiamnum amor repugnat. Hubertinus cum Caelio facit, ſed Antonius Volſcus exponit *ſpem lentam*, quae longa exſpectatione ſine ſucceſſu rerum conſumitur; a qua interpretatione non longe abit Doctiſſimus Bentlejus ad Horat. Art. Poët. 172. qui exponit, quae longa mora extrahitur. Ego cum illis facerem, qui de metu & ſuſpicione capiunt. Non ſtatim te perfidum credidi, ſed lente; nec cito inducere animum meum potui tantam in te eſſe perfidiam, quia tarde ſolemus credere ea, quae laedunt, & nunc etiam, licet invita & mallem non credere, cogor credere te non rediturum, quod maxime mihi nocet & dolet. BURMANNUS.

9. *Fuit.*] MSS. quidam *venit*. ſic & Epiſt. XVII. 108. *ſpes tua lenta venit* ex MSS. hac Epiſt. ℣. 62.

Quaecumque ex merito ſpes venit, acqua venit.

Stat. Theb. II. 322.

Et, qua non gravior mortalibus addita cura,
Spes ubi longa venit.

ubi lege *curis*. pro *tarde quae*, Lincolnienſis & ſex alii habent *quae tarde*. Voſſii codex *tarde quoque*. locus corruptus, forte:

Spes

Theſea devovi, quia te dimittere nollet;
Nec tenuit curſus forſitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
Merſa foret canâ naufraga puppis aquâ.
Saepe deos ſupplex, pro te, ſcelerate, rogavi,
Cum prece turicremis devenerata focis.
Saepe videns ventos coelo pelagoque faventes,
Ipſa mihi dixi; Si valet ille, venit.
Denique fidus amor, quidquid properantibus obſtat,
Finxit; & ad cauſſas ingenioſa fui.
At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
Numina; nec noſtro motus amore redis.
Demophoon, ventis & verba & vela dediſti:
Vela queror reditu, verba carere fide.
Dic mihi quid feci, niſi non ſapienter amavi?
Crimine te potui demeruiſſe meo.
Unum in me ſcelus eſt, quod te, ſcelerate, recepi.
Sed ſcelus hoc meriti pondus & inſtar habet.

Jura,

Spes quoque lenta venit, tarde (quia credita caedunt) Credimus. HEINSIUS.

12. *Alba.*] Rectè, quia boni ominis fuiſſent, ut notum ex hiſtoria Aegei & Theſei. BURMANNUS.

12. *Notos.*] Sic lib. II. Eleg. 6.

Vota procelloſo per mare rapta Noto. CIOFAN.

13. *Dimittere.*] Ita omnes fere editiones, ſed errore operarum: legendum *demittere.* HEINS. Male: Cicero ſaepius. XII. ad At. 18. *diſcedentem te non ſine magno dolore dimittam.* vid. Ep. V. 51. Am. I. VI. 35. & alibi. BURMANNUS.

17. *Saepe Deos ſupplex, ut tu ſcelerate valeres, &c.*] Recte legitur *Deos*: ſic enim ſequentis pentametri conſtructio poſtulat. ut ſit ordo: Saepe Deos ſupplex ſum devenerata prece, focis thuricremis: hoc eſt, apud aras ubi thura cremantur. Sed commentatores pentametrum hoc cum ſequente hexametro omittunt, quae res difficultatem ac dubitationem hanc illis parit. MICYLL. Dubito vehementer an haec ſatis Latina ſint, ut vulgo leguntur, & an *prece venerari focis*, recte dicatur. Codices vero variant. in priori verſu quidam: *ut tu ſcelerate redires*, vel *venires. pro te ſcelerate rogavi*, unus Regius & Leidenſis, quod minime rejiciendum puto, quia & rotundiorem verſum facit, & ſenſum optimum exhibet; *rogare* vero *pro aliquo* contra Scoppium alibi vindicavimus: *cum prece* recepimus ex Palatino & Vaticano. *Cum prece turicremis ſum venerata focis:* ut intelligat *comprecationem* proprie dictam, quae preces addebat ſacrificio; non dudum ante inducto apparatu, ſed ſubito, & ut res ferebat. vide quae ad Petron. c. LX. notavimus: & hinc *ſupplicare ture & vino.* Apud Suet. Aug. 35. & Plin. XIII. 1. Noſter. VI. Met. 161.

Cum prece tura tuli,
VII. 588, *Quis non altaribus illis,*
Irrita tura tulit? quoties pro conjuge corpus,
Pro gnato genitor, tum verba precantia dicit,
Non exoratis animam finivit in aris?
IX. Met. 159.
Tura dabant primis & verba precantia flammis.

Turieremis vero retinuimus, non *turiferis*, ut erat in illis codicibus: *Turiferae* ſunt regiones, unde *tus* venit, ſed *turicremae* arae, III. Art. Am. 393.

Viſite turicremas vaccae Memphitidos aras, Avien. deſcr. arb. 603.

Inter turicremas hic Phoebum vidimus aras. Virgil. IV. Aeneïd. 453. & alii paſſim. *Deis ſupplex* volebat Hubertinus, ſed nihil opus. BURM.

19. *Faventes.*] *Ferentes* Malebat Francius. nec nego ſaepe ita Ovidium & alios loqui, ſed non ideo ubique in unam formulam cogendi.

20. *Si valet, ipſe venit.*] Liber vetus *ille.* probo. CIOFANUS. nos cum Lovanienſi codice diſtinximus ſi *valet ille, venit.* BURMANNUS.

21. *Motus.*] *Captus* tres libri, ſed nihil muto. *captus amore* fuit Demophoon, cum primum viderat Phyllida, nunc ut rediret *moveri* debebat, unus etiam Heinſii *venis*; ſolemni permutatione. BURMANNUS

27. *Niſi non.*] Rectius vel invitis libris ſcribatur, *Dic mihi quid feci? ſi non ſapienter amavi, Crimine* &c.

Non ſapienter amare, ut apud Calpur. Flac. Decl. II.

Jura, fides, ubi nunc, commiſſaque dextera dextrae?
Quique erat in falſo plurimus ore Deus?
Promiſſus ſocios ubi nunc Hymenaeus in annos,
Qui mihi conjugii ſponſor & obſes erat:
Per mare, quod totum ventis agitatur & undis;
Per quod ſaepe ieras, per quod iturus eras?
Perque tuum mihi juraſti, (niſi fictus & ille eſt)
Concita qui ventis aequora mulcet, avum:
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela faces:
Junonemque, toris quae praeſidet alma maritis,
Et per taediferae myſtica ſacra Deae.

Si

miraris, ſi aliquis non ſapienter amat; cum incipere amare non ſit ſapientis. forte etiam *patienter* poſſet legi, ut ex MSS Remed. Am. 745. vid. II. Art. 511. & III. 565. & Epiſt. XIX. 4. HEINSIUS. ego nihil muto contra ſcriptos & editos codices. veteres enim *quid niſi* d'xiſſe, pro *praeterquam*, *absque hoc* docet Feſtus. quid feci, praeterquam quod non ſapienter amavi? Cicer. I. verſ. 30. *qui in illa re quid facere potuerit non habebat; niſi forte id quod omnes tum deſiderabant*, eadem ſententia dixit Ep. VII. 164.

Quod crimen dicis, praeter amaſſe, meum? BURM.

31. *Jura, fides ubi nunc?*] Heinſius malebat, *jura fidesque ubi ſunt.* ut III Am. VII. *pondusque & inutile ſignum.* in Francofurtenſi erat *Jura, fides ubi ſunt?* ſed *ubi nunc* elegantius. v. ad Epiſt. IV. 150. BURMANNUS.

31. *Commiſſaque dextera dextrae.*] Scite: eſt enim dextera fidei ſymbolum. CIOFANUS.

35. *Et undis.*] Decem libri *iniquis.* ita Amor. II. XI. 25.

Navita ſollicitus qua ventos horret iniquos.

Ep. VII. 121.

Hoc duce, nempe Deo, ventis agitaris iniquis.

Ep. VI. 137.

Dic age, ſi ventis (ut oportuit) actus iniquis.

I. Triſt. IX. II.

Perque tot eventus & iniquis concita ventis
Aequora.

Quindecim tamen libri habent & *auris.* forte legendum & *Euris.* HEINSIUS. Ego vero vulgatam tam hic retineo, quam III. Triſt. II. 15.

Dum tamen & ventis dubius jactabar & undis.

Nam *jactari terris*, dici recte non puto, ſed recte *ventis & undis*; ut Epiſt. XXI. 41.

Ipſa velut navis jactor; quam certus in altum
Propellit Boreas, aeſtus & unda refert.

ita & II. Amor. XVI. 46.

Irrita, quo viſum eſt, ventus & unda ferunt.

Ubi quidam etiam codices *aura*, quae voces ſaepe confuſae, v. in Ibid. 106. Epiſt. VII. 44. ubi etiam *ventus & aura* in quibuſdam. BURMANNUS.

37. *Perque tuum mihi juraſti, &c.*] Neptunum intellige. Hic enim Theſei pater creditus fuit. unde & Iſocrat. in Encomio Helenae, καὶ πρῶτον μὲν Θησεὺς, inquit, ὁ λεγόμενος μὲν Αἰγέως, γενόμενος δὲ ἐκ Ποσειδῶνος, &c. Et apud Euripidem in Hippolyto, ipſe Theſeus ita exclamat, ὦ θεοὶ, Πόσειδον, ὡς ἄρ' ἦθ' ἐμὸς πατὴρ ὀρθῶς ἀκοῦσας τῶν ἐμῶν κατευγμάτων. Et rurſum Hippolytus, ὦ δῶρα πατρὸς σοῦ Ποσειδῶνος πικρά. MICYLL.

37. *Niſi fictus & ille eſt.*] *Falſus* plurimae membranae cum priſcis editionibus. *Falli* aut *ludi* Dî dicebantur à perjuris. Epiſt. XX.

Jurabis, ſcit te fallere poſſe Deos.

Faſtor. V. 685.

Sive Deum prudens alium divamque fefellit.

III. Amor. XI. 46.

Qui dent fallendos ſe tibi ſaepe, Deos.

Sic *fallere Deos* dicuntur qui pejeraverunt. III. Amor. III. 15.

Dicite Dî, ſi vos impune fefellerit iſta.

Liv. XXX. 42. *Per quos Deos foedus icturi eſſent, quum eos, per quos ante ictum eſſet, fefelliſſent?* falſus ergo Neptunus erat, quia perjurio eum fefellerat Demophoon: ſic *falſus* pro eo, qui fallitur, Auſon. Moſella. 184.

—— *Dum lubrica falſi*
Membra petunt.

Diomedes libro primo Inſtit. Gram. *Fallor falſus, falſum facit, ut Virgil.*

—— *falſi implevit genitoris amorem:*
Significat enim qui fallebatur. HEINSIUS.

39. *Nimiumque mihi facientia tela.*] Otioſa certè & ſupervacua repetitio τοῦ *tela* poſſit videri. Scripti nonnulli *tella. bella* codex Franciſcanorum Patavinus. Unde legebam, *nimiumque mihi facientia belli.* Nunc vero recordatus Τὸ *facere* cum tertio caſu frequenter ab Ovidio jungi, nil muto. *Facere alicui* pro *facere ad aliquem.* Faſt. IV. 807.

Ipſe

Si de tot laesis sua numina quisque Deorum
Vindicet: in poenas non satis unus eris.
At laceras etiam puppes furiosa refeci:
Ut, qua desererer, firma carina foret.
Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis!
Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis:
Credidimus generi, nominibusque tuis:
Credidimus lacrimis. an & hae simulare docentur?
Hae quoque habent artes, quaque jubentur, eunt?
Dîs quoque credidimus. quo jam tot pignora nobis?
Parte satis potui qualibet inde capi.

Nec

Ipse locus casus vati facit. Urbis origo
Venit. ades sacris, magne Quirine, tuis.
Ita videtur restituendum, cum vulgati exhibeant,
Ipse locum vati casus facit.
Propert. lib. III. eleg. I.
Non faciet capiti dura corona meo.
Trist. III. XIV. 2.
Qui facis ingenio semper, Amice, meo.
Et absolute III. Trist. VIII. 23.
Nec coelum nec aquae faciunt, nec terra nec aurae.
Et II. Amor. IX. 36.
Hic tibi sunt vires, huc tua dextra facit.
Ubi possumus, ut & hic, *facere* pro *facessere* accipere, ut nos eleganter Belgae, die my al te veel werks geven. Onomast. *facesso* ἐφάπτομαι. sic *capio* & *capesso* dicimus. v. Salmas. ad Tertul. Pal. p. 160. HEINSIUS. Douzam legisse *officientia* notaverat Francius.

42. *Taediferae Deae.*] Cereris Eleusiniae; quod praesentissimum numen Athenienſibus. sic & Ἑκάτα δαδόφορος Bacchylidi in fragmentis dicta. p. 264. Edit. Steph. HEINSIUS.

44. *In poenas non satis unus erit.*] Imo *eris* cum melioribus scriptis, & editis nonnullis. & ita Slichtenhorstius in suis ad me literis. Senec. Med. in fine:
Unus est poenae satis.
Sequenti etiam versu. *At laceras* pro *Ah*, probe Puteanus & alii multi. quod indignationem efficacius exprimit. Vide notas ad epistolam Medeae ipso initio. HEINSIUS.

45. *Ah laceras.*] Rectius vetus exemplar *At laceras etiam puppes.* NAUGERIUS.

50. *Credidimus generi numinibusque tuis.*] Lege vel invitis libris, *nominibusque*; ne bis idem dicat. Sequitur enim mox, *Dis quoque credidimus. genus* & *nomen* saepe conjungunt auctores optimi. Noster Epist. XVII.

Quod genus & proavos & regia nomina jactas.
Et Epist. XII. 78. ut ibi excerpta Gallicana.
Per genus & nomen cuncta videntis avi.
ut quidem illic veteres libri. Martial. lib. V. Epist. XVII.
Dum proavos atavosque refers & nomina magna.
Prudent. I. contr. Symm.
Quin & Olybriaci generisque & nominis heres.
Nec tamen damnandum, quod in sex scriptis offendi, *muneribusque tuis.* sed Τὸ *nominibus* etiam placuisse exactissimo Gronovio nostro video. qui adeatur Observat. lib. IV. cap. XV. Vide & Notas nostras Ep. XVII. v. 60. neque aliter Janus Douza in margine sui codicis legendum monuerat. HEINS. Hubertinus hic non fraudandus sua laude, qui & *nominibus* legendum esse monuit, ne superflua esset iteratio.

52. *Quâque jubentur.*] Nihil muto: Prudent. Apoth. 838.
Surda prius, jam docta sequi, quâcumque jubentur.
Sic recte Codex optimus Bodlej: vulgo sine sensu *quodcunque.* Doctissimus Juvenis Slichtenhorstius *cumque jubentur.* de jussis lacrimis vide omninò locum Juvenalis Sat. VI. 274. HEINSIUS. vide ad Quintil. II. 20.

53. *Quid jam tot pignora nobis*] Puteanus codex, *quod jam.* Lege omnino, *quo jam.* elegans locutio, sed plerumque ab imperitis librariis interpolata. aliter dicebant *cui bono.* Auctor Queroli: *Fures mihi ac praedones, cui bono?* Locos auctorum plures, nostri praecipue, adscribam, ut unà vice corrigendi molestiâ saepe alioquin devorandâ hic defungar. Cicero Fabio Gallo lib. VII. Ep. Famil. 23. *Martis verò signum quo mihi pacis auctori?* Val. Maximus lib. IX. cap. XIII. de Masanissa se credente canum custodiae: *Quo tam late patens imperium? quo tantum liberorum numerum? quo denique tam arctae benevolentiae constrictam Romanam amicitiam, si ad haec tuenda nihil canino latratu valentius duxit?* ut recte ex antiquis libris Pighius legendum vidit. apud Phaedrum lib. III. pavus;
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?

Nec moveor, quod te juvi portuque locoque.
Debuit hoc meriti ſumma fuiſſe mei.
Turpiter hoſpitium lecto cumulaſſe jugali
Poenitet, & lateri conſeruiſſe latus.
Quae fuit ante illam, mallem ſuprema fuiſſet
Nox mihi; dum potui Phyllis honeſta mori.
Speravi melius, quia me meruiſſe putavi.
Quaecumque ex merito ſpes venit, aequa venit.
Fallere credentem non eſt operoſa puellam
Gloria. ſimplicitas digna favore fuit.
Sum decepta tuis, & amans & femina, verbis,
Dì faciant, laudis ſumma ſit iſta tuae:

Inter

Auctor diſtichorum de moribus, in Catalectis Pithoeï:
Quo tibi divitias, ſi pauper ſemper abundas?
Gunther. Ligur. lib. III.
Quo mihi divitias, cui ſervit gloria mundi.
Et mox:
Quo mihi divitias, cui quaeque potiſſima Reges
Ac populi crebris non ceſſant mittere donis.
Martial. lib. IX. 68.
Quo tibi natorum jura ſuperba trium?
Sic & *unde* cum accuſativo jungebant. vid. Notas Ep. XII. v. 86. Statius, Theb. IX. 55.
—— *quo gaudia tanti*
Emta mihi?
Noſter Met. XIII. 103.
Quo tamen haec Ithaco, qui clam, qui ſemper inermis
Rem gerit?
Amor. lib. II. El. XIX.
Quo mihi fortunam, quae nunquam fallere curet?
Quomodo & Horatius, lib. I. Epiſt. V.
Quo mihi fortunam, ſi non conceditur uti.
Epiſt. XIV. 65.
Quo bellica tela puellae.
Lib. III. Amor. El. IV.
Quo tibi formoſam, ſi non niſi caſta placebat?
El. VII.
Quo mihi fortunae tantum? quo regna ſine uſu?
P. Syrus apud Petronium,
Quo Carchedonios ignes lapideos, niſi ut ſcintillent?
Quo & illud referendum autoris antibucolici, in vita Virgiliana Donati:
Tityre ſi toga calda tibi, quo tegmina fagi?
Ubi nunc ſine ullo ſenſu circumfertur *tegmine*. Plura congeſſit ad Senecae Natur. Quaeſt. lib. I. cap. XVI. & Controverſ. II. lib. I. Gronovius. HEINS. vide Barth. ad Claud. I. in Rufin. 48. & Zinzerl. Promulſ. 24.

55. *Juvi portuque locoque.*] Excerpta Voſſii *portuque locoque recepi.* ut ſupra 29. *quod te ſcelerate recepi.* Epiſt. VI. 20.
In mihi promiſſi parte recepte tori.
Ibid. 55.
Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi.
At vulgata defendi poteſt illo Juvenalis loco. Sat. III. 211.
Nemo cibo, nemo hoſpitio tectoque juvabit.
HEINSIUS. nihil movendum ipſe docet Heinſius ad Valer. Flac. I. 375.
Amphitryoniadem Tegeaeo limine Cepheus
Juvit;
Jul. Caeſ. de Bel. G. VII. 78. *Orabant, ut ſe in ſervitutem receptos cibo juvarent.* Noſter II. Faſt. 42.
Credulus immerita Phaſida juvit ope. ut ibi ſcripti. BURMANNUS.

56. *Haec.*] Rectius *hoc* multi ex ſcriptis. HEINS. ſed mox *ſumma iſta*, & Pont. IV. 1. 4.
Accedet meritis haec quoque ſumma tuis.
Ubi etiam codices multi *hoc*. inf. Ep. III. 8. *Quamvis hoc quoque culpa tua eſt.* ſic apud Quinctil. Decl. V. 6. *Nondum hoc charitas eſt.* ut eſt in Mſ. non *haec:* ubi vide. BURMANNUS.

61. *Quia te.*] Libri quatuor *quia me*; atque ita legendum eſſe, deque ſuis meritis hic loqui Phyllidem ſequens verſus liquido arguit. HEINSIUS. & hoc jam monuit ex codice ſuo Hubertinus. ita Triſt. V. II. 59. ex Mſſ.
Omniaque haec timui, quia me meruiſſe videbam.
Francius ad oram codicis adſcripſerat, Caſaubonum velle, *quia demeruiſſe putabam.* ſed elegantiam in repetitione illarum ſyllabarum *me meruiſſe* deprehendit Broukh. ad Tibul. I. 1. vid. & ad VI. Faſt. 237. IV. Triſt. X. 75. & alibi. BURMANNUS

62. *Quaecumque.*] Nihil temere mutandum; mallem tamen, ut eſt in quibuſdam Mſſ. *emerito*; vel *cuicumque ex merito.* vid. ad Ep. IV. 26. & V. 7. BURMANNUS.

65. *Et femina*] Ita Dido VII. 121.
Bellis peregrina & femina tentor.
67. *Media ſtatuaris in urbe.*] *Urbs* vocata ab *orbe*, quod

Inter & Ægidas media ſtatuaris in urbe:
Magnificus titulis ſtet pater ante ſuis.
Cum fuerit Scyron lectus, torvusque Procruſtes,
Et Sinis, & tauri mixtaque forma viri;
Et domitae bello Thebae, fuſique bimembres,
Et pulſata nigri regia caeca Dei:
Hoc tua poſt illum titulo ſignetur imago:
Hic eſt, cujus amans hoſpita capta dolo eſt.
De tanta rerum turba, factisque parentis,
Sedit in ingenio Creſſa relicta tuo.
Quod ſolum excuſat, ſolum miraris in illo.
Heredem patriae, perfide, fraudis agis.

Illa

quod antiquae civitates in orbe fiebant: vel ab *urbo*, parte aratri, quo muri deſignabantur. Unde eſt illud:

Optavitque locum regno & concludere ſulco.

Locus enim futurae civitatis ſulco deſignabatur, id eſt, aratro. Cato, *qui urbem*, inquit, *novam condit, tauro & vacca aret; ubi araverit, murum faciat: ubi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portet, & portam vocet.* Ideò autem urbs aratro circumdatur, diſpari ſexu juvencorum, propter commiſtionem familiarum, & imaginem ſerentis, fructumque reddentis. Urbs autem aratro conditur: aratro vertitur. Unde Horatius:

Imprimeretque muris hoſtile aratrum.

Haec Iſidorus lib. XV. cap. 11. de aedificiis publicis. CIOFANUS.

69. *Lectus Scyron.*] *Scyron lectus*, codices. vide Claudian. 1. in Ruſin. 253. & ibi Delr. ſequenti verſu *Scinis* editi quidam & ſcripti. ſed *Sinis* rectum, v. Stat. Theb. XII. 576. Claudian. ibid. 252. & Delr. Senec. Hip. 1168. Senec. de Clement. II. 14. ubi Lipſ. noſter Metam. VII. 441. & Ibid. 445. rectius etiam codex Voſſianus, *formaque mixta.* apud Severum quoque in Aetna corrupte *Sollicitantque Scinim*, pro *Sinim.* HEINSIUS.

69. *Procuſtes.*] *Procruſtes*, non *Procuſtes.* ut ἀπὸ τοῦ προκούειν id eſt ab impellendo veniat. EGNAT.

71. *Et domitae bello Thebae.*] De hac re extat fabula Euripidis, quae inſcribitur Ἱκετίδες. Et meminerunt Plutarchus & Iſocrates quoque, ille in vita Theſei, hic in Encomio Helenes. MYCILL.

72. *Nigri.*] Mentelianus alter a manu prima *pulſata imi.* non male. v. ad Metam. X. 33. HEINS. nos *nigri* retinemus; librarius ſcilicet ille credebat primam in *nigri* producendam. & memini mihi quoque, qui primam in *nigri* corripueram, a naſuto quodam cenſore litem motam fuiſſe, quaſi in legem Pediam commiſiſſem. at aliter Horatius cenſebat 1. Od. 32. *Et Lycum nigris oculis nigroque crine decorum.* & IV. Od. 12. *Cui pecus & nigri colles Arcadiae placent.* Prop. IV. VI. 83. *Gaude, Craſſe, nigras ſi quid ſapis inter arenas. nigrum* autem Plutonem recte dici, non opus eſt ut multis adſtruatur. BURMANNUS.

73. *Hoc tua poſt illos titulo.*] *Titulo*, non *titulos* legendum, tum ratione, tum bonorum librorum auctoritate. CIOFANUS. *Poſt illum* excerpta Claudii Puteani, a Puteaneo codice diverſa. rectius, ut de Theſeo Demophoontis patre agatur. HEINSIUS.

74. *Hic eſt cujus amans hoſpita capta dolo eſt.*] Libri quinque, *hoſpite dolo.* ut hic idem innuat, quod in Helenes epiſtola:

Certus in hoſpitibus non eſt amor. ——

Hoſpes dolus, ut *cymba hoſpes* apud Statium, lib. V. Sylv. Pietate Abaſcantii. vers 254.

Manes placidos vehit hoſpita cymba.

Hoſtes turmae apud eundem Theb. XI. 22.

Nec jam hoſtes turmae aut ferrum mortale timentur.

Sic optime vetus liber. Cum in vulgatis ſit:

Nec jam aut hoſtiles turmae ferrumve timetur.

Eodem libro, 547.

—— *nec parcit cedenti, atque increpat, Hoſtes, Quo retrahis, Germane, gradus?*

Quomodo corrigendum cenſeo. Non, ut nunc legitur, *increpat Hoſtis*, aut *hoſtem. hoſpes gemma* Palladio de Agricult.

Cur non arbor iners pingueſcat ab hoſpite gemma.

Ita Claudian. VI. Conſ. Hon. 651. *Hoſpitem honorem* dixit, & Noſter *Hoſpita caſtra*, Epiſt. VI. 52. Pari modo *infans manus* Noſtro Epiſt. IX. v. 86. ubi plura, & ad Ep. III. 100. ita & *Fraxina virga* Ep. XI. 76. Sequenti verſu malim, ſi per libros liceat, *factiſque paternis*, quam *parentis.* qui error apud Noſtrum alibi admiſſus, veterrima editio *parentum* exhibebat. HEINS. v. Heinſ. ad Claud. Epith. Honor. 88. ego vero vulgatam retinui, quia durior videbatur conſtructio; ſed facilior, ſi ita capiamus, hic eſt Demophoon, cujus amans hoſpita (quod pondus habet, ne ideo morereretur capi & falli) eſt capta dolo; *cujus amans* vero, pro quem amans,

Illa (nec invideo) fruitur meliore marito;
Inque capiſtratis tigribus alta ſedet.
At mea deſpecti fugiunt connubia Thraces,
Quod ferar externum praepoſuiſſe meis.
Atque aliquis; Doctas jam nunc eat, inquit, Athenas:
Armiferam Thracen, qui regat, alter erit.
Exitus acta probat. careat ſucceſſibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

At

ut paſſim illa participia conſtruuntur. Hoſpita ergo pro amore retulit fraudem. Burmannus.

76. *Creſſa relicta.*] Alii omnes *puella.* nos ex MSS. codicibus *Creſſa relicta* emendavimus; in quo verbo & gravius πάθος eſſe videtur & acrior Phyllidis accuſatio. Egnatius. Emenda ex vetuſtis libris, *Creſſa puella.* Ciofan. Sed Epiſt. I. 8.

Nec quererer tardos ire relicta dies.

Ep. III. 66.

Et videam puppes ire relicta tuas.

77. *Quod ſolum excuſat, ſolum miraris.*] In Palatino codice legebatur, *Quod ſolum excuſat, ſolum imitaris.* quod fortaſſe eſſet, *Quod ſolum excuſat, ſolumne imitaris in illo?* Nihil tamen cauſae video cur hanc lectionem rejiciamus. Dan. Heinsius. Senſus eſt: Quod ille, ſcilicet pater tuus Theſeus, ſolum excuſat, hoc eſt, in ſe culpabile ac reprehenſibile agnoſcit, (ea enim excuſare ſolemus neceſſitate aut tranſlatione, aut ſimili aliquo colore) hoc tu ſolum miraris: id eſt, pro re egregia ducis, atque praeclarè factum exiſtimas, eoque & imitatione dignum tibi putas. Mycillus. Multo rectius in aliis *ſolum miraris.* Ciofanus. Haec vera lectio, etſi libri tam typis quam calamo deſcripti nonnumquam turbant. locus hic non ſatis intellectus, mire illuſtratur altero Ep. VI. 139.

Lemniadum facinus culpo, non miror; Iaſon,

Ubi τὸ *culpo* opponitur illi *excuſo*, hoc rei, illud actoris. Senſus eſt. tu Demophoon ea tantum laudas & imitaris in patre tuo, quae ille, utpote peccata, excuſat. *Mirari* pro imitari, ut apud Lucanum, IX. 807.

Magnanimo juveni miratorique Catonis.

Statius Sylv. I. v. Propemptico Criſpini:

— *aequaevo cedere fratri*
Mirarique patrem, Heinsius.

Evander ad Aeneam de Pallante filio apud Maron. lib. VIII. Aeneid. 517.

Tua cernere facta
Adſueſcat primis, & te miretur, ab annis.

Ubi interpretatio in plurimis codicibus adſcripta *imitetur*, quod & contextum quorumdam exemplarium occupavit. Val. Flac. lib. I.

Te parvus lituos & bella loquentem
Miretur.

Ubi Maronem aemulatur. Burmannus.

79. *Illa (nec invideo) fruitur meliore marito.*] Hunc locum expreſſiſſe videtur Seneca in Oedipo, ubi ita eſt de Baccho & Ariadna ipſa:

Naxos Aegaeo redimita ponto
Tradidit thalamis virginem relictam
Meliore penſans damna marito. Ciofan.

85. *Exitus acta probat.*] Varia de hoc loco diſputant. v. Salmaſ. ad Jus Att. p. 344. verus autem ejus ſenſus hic eſt. *Exitus acta probat*, id eſt, bonus exitus facta probanda eſſe efficit, ſed opto ut ſucceſſu careat, quiſquis facta culpanda eſſe credit poſt bonum exitum. exſtat libellus Joachimi Camerarii de hoc Diſticho apud D. Hieronymum de Backre. v. Homer. Iliad. P. v. 32. & Y. 198. *Eventum ſtultorum magiſtrum* vocat Livius XXII. 39.

86. *Ab eventu.*] Eſt poſt eventum. ſic ſaepe loquitur Ovidius I. Art. Am. 377.

Haec a concubitu fit ſedula, tardior illa.

Ubi male vulgo legitur *ad concubitum* I. Triſt. III. de Luna:

Hanc ego ſuſpiciens, & ab hac Capitolia cernens,

id eſt *poſt hanc.* male ibi vulgo & *adhuc.* ſic & *ab hoc tempore*, pro poſt hoc tempus. Calpurnius *ab hoc* videtur dixiſſe nova locutione, ut tempore ſubintelligatur Eclog. II. circa fin.

Eſte pares & ab hoc concordes vivite.

Ita enim ibi veterrima Romana editio. nam quod in caeteris vulgatis eſt & *ob hoc* omnino friget, nec ſenſum habet. ſic *poſt hoc* dixit Eclog. III. 59. Heinsius. Non recte cepiſſe haec verba mihi videntur viri eruditi. priora verba, *exitus acta probant*, ſunt. Thracum, qui illudebant credulae nimis Phyllidi, & exprobrabant ipſi facilitatem, qua ſe hoſpiti tradiderat, cum ex eventu nunc videat perfidiam Demophoontis. reſpondet illa, vovens ſucceſſibus omnes carere, qui ita argumentarentur, & putarent ideo damnanda & notanda eſſe facta, quia male & praeter opinionem evenirent. Barthius lib. XXV. adverſ. 5. *ab eventu* explicat ante eventum; quod forte ex gloſſis hauſit, nam in quibuſdam codicibus hic talis interpretatio reperitur, *ab eventu, a principio*; ſed inaudita illa vocis *ab* ſignificatio, neque Tibulli locus, quem depravatum adducit, hilum juvat. recte Heinſius *ab* hic poſt notare docuit. & ita ſaepe Noſter v. III. Met.

273.

At ſi noſtra tuo ſpumeſcant aequora remo,
Jam mihi, jam dicar conſuluiſſe meis.
Sed neque conſului: nec te mea regia tanget,
Feſſave Biſtonia membra lavabis aqua.
Illa meis oculis ſpecies abeuntis inhaeret,
Cum premeret portus claſſis itura meos.
Auſus es amplecti, colloque infuſus amantis
Oſcula per longas jungere preſſa moras:

Cum-

273. & IV. 329. IV. ex Pont. v. 26. & ita ex MSS. legendum inf. Ep. v. 152. *& a noſtro ſaucius igne fuit.* & x. 16. *a ſomno turbida.* ubi vide. melius potuiſſet Barthius praepoſitionis hujus ſignificationem, quam ipſi adfingit, ex aliquot noſtri Poetae locis in libris Faſtorum adſtruere, ut I. Faſt. 711.

Haec erit a menſis fine ſecunda dies.

Et II. 686.

Sextus ab extremo nomina menſe dies.

Ubi certe dies ante finem menſis ſecundus & ſextus debent intelligi, ſed in illis diverſa ratio; ubi enim licet numerare vel ab ipſo die ad finem, & hinc erit dies ſextus, vel ſecundus ante finem menſis, vel calculum ducere a fine menſis ad diem illum, qui tunc a fine erit ſecundus, ut ita *primum* & *ultimum* diverſo reſpectu dicimus eumdem. ſed haec longius abeunt. *Notare* vero eſſe arguere, reprehendere, vix opus eſt ut probemus, cum Cenſores ita *notaſſe* paſſim conſtet Senatores. v. Gronov. ad Liv. XXVII. 25. ſed eodem modo, ut hic *facta notare*, Noſter locutus eſt, Ep. IX. 20. Si per librarios licet;

Si macula ſtupri facta priora notas.

Ut legendum eſſe ubi docebimus. *notare*, pro infamare Propertium uſurpare docet elegantiſſimus Broukhuſius ad lib. III. eleg. v. 52. *arguere* dixit Symmachus lib. II. Ep. 28. *Argue, ut vis, rerum conſilia poſt exitum, & mihi vitio verte, quod contemptum ſui Praefectura conqueſta eſt. Facile accuſatur deſertus auxilio.* ubi plura ad rem. hoc ergo vult Phyllis, ſtultos eſſe, & dignos, quibus numquam res ulla bene eveniat, qui poſt eventum judicant, ſed ſapientes ipſam rem perpendere. ita Claudian. II. in Eutrop. 488.

Nec jam revocabile damnum
Eventu rerum ſtolido didicere magiſtro. BURM.

87. *At ſi noſtra.*] Nihil certe tuti ſupererit Poetis, ſi ex his quoque verbis obſcaeni aliquid & venerei liceat exſculpere, ut fecit Mariang. Accurſius in Diatribis ad lib. IV. Metam. pro *ſpumeſcant*, *caneſcant* eſt in editione principe. ut Ep. III. 65. BURMANNUS.

89. *Tangit.*] *Tanget* tres libri. quod arridet. HEINS. *Tangit* editiones priſcae & ſcripti fere omnes. ut & inf. Ep. v. 81.

Non ego miror opes, nec me tua regia tangit.

Sed hic ſequor Heinſium. diffidit enim jam Puella & deſperat de reditu. BURM.

90. *Feſſaque Biſtonia membra lavabis aqua.*] Sic quidem omnes legunt. & addunt Commentatores, negationem eſſe intelligendam, ut ſit ſenſus, Nec lavabis membra aqua Biſtonia. Ego vero legendum cenſeo *Feſſave Biſtonia*, &c. per disjunctivam particulam, quo pacto nihil ſupplendum in expoſitione erit. Nam disjunctivae negationibus ſubjectae, etiam ipſae negandi vim habent. MICYLL. *Feſſave* praeſtat, ut poſt negativam *nec* ſemper ſcribendum eſſe puto. v. Bentl. ad Horat. Ep. XVI. v. 6. & I. Sat. VI. 68. BURMANNUS.

91. *Abeuntis inhaeret.*] Ita legendum Ep. VII. 26.

Aeneas oculis ſemper vigilantis inhaeret.

Et Triſt. IV. III. 19. ex MSS.

Vultibus illa tuis tamquam praeſentis inhaeret.

Rectius etiam legeretur, *illa meis ſpecies oculis.* HEINSIUS. Vell. Pater. II. 37. *Pene ſtulta eſt inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio.*

92. *Meos.*] MSS. plurimi *tuos.* forte *ſuos.* HEINSIUS.

93. *Amantis.*] *Amanti* conjeceram; atque ita chartaceus Voſſianus. Met. IX. 602. ut ſcribendum puto:

Vidiſſet lacrymas, vultus vidiſſet amantes.

Contra Faſt. VI.

——— *Vultus velamine celat amatos.*

Epiſtolâ Herûs:

Lacrymae per amantia lumina manant.

Faſt. VI.

Huic aliquis juvenum dixiſſet amantia verba.

ſic & lib. I. Metam. Fabula Daphnes ſcribendum *tergoque fugaci Imminet.* non *fugacis.* lib. IX.

——— *Fugientia terga ſagitta*
Trajicit.

& lib. VII. Fab. Peliae ex antiquis libris:

Suſpenditque animos fictа gravitate rogantes.

cum nunc circumferatur *rogantum.* ſic & *orantia brachia.* Pont. II. El. IX. HEINSIUS.

94. *Oſcula.*] Moreti. *Jungere per longas baſia preſſa moras.* ſed a voce *baſia* ſtudioſe abſtinuit Ovidius, neque in omnibus ejus operibus vel ſemel occurrit, niſi nequitia librariorum, qui eam *oſculis* ſaepe ejectis ſubſtituerunt. ut II. Amor. v. 23.

Improba

Cumque tuis lacrimis lacrimas confundere noſtras;
Quodque foret velis aura ſecunda, queri:
Et mihi diſcedens ſuprema dicere voce;
Phylli, face exſpectes Demophoonta tuum.
Exſpectem, qui me numquam viſurus abiſti?
Exſpectem pelago vela negata meo?
Et tamen exſpecto; redeas modo ſerus amanti:
Ut tua ſit ſolo tempore lapſa fides.
Quid precor infelix? jam te tenet altera conjux
Forſitan, &, nobis qui male favit, amor.
Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida noſti.
Hei mihi! ſi, quae ſim Phyllis, & unde, rogas.

Quae

Improba tum vero jungentes oſcula vidi.
& alibi. BURMANNUS.

95. *Cumque tuis.*] Francius mallet:
Cumque meis lacrimis lacrymas conſundere veſtras.
Et ita fere Douzam ex veteri codice ſcribere ait. ſed eodem redit.

98. *Face.*] *Fac* editio pr. & multi ſcripti. ſed male. I. Faſt. 287.
Jane face aeternos pacem, pacisque miniſtros. V. 690.
Et face ut emtori verba dediſſe juvet.
Ubi tamen lego *& fac emtori.* ſic & remed. Am. 337. pro *face ut ambulet*, lego *fac ambulet.* & ibid. *Face ut e multis una ſit illa tibi.* e MSS. *jam fac e multis.* ſed II. Pont. II. 64.
Verba face, ut vita, quam dedit ipſe, fruar.
HEINSIUS. ego non puto *fac* poſſe corripi, ſed ubique *face* eſſe reponendum. vide quae de hac voce diſputant Gifan. Indice Lucret. & Lamb. ad lib. II. 484. & III. 422. Pincier. Parerg. IV. 39. & qui Menagiana illuſtravit, tom. III. pag. 340. BURMANNUS.

102. *Lapſa*] Unus codex *laſſa*, alius *laxa*, vel *laeſa*. Porphyr. Paneg. ad Conſtant.
Curis ſub Martis iniqui.
Nullis laeſa fides.
HEINSIUS. Sic & Horat. I. Od. 33.
Cur tibi junior
Laeſa praeniteat fide.
Francius etiam mallet, *Et tua.* &c. ut eſt in quibuſdam ſcriptis. BURMANNUS.

103. *Quid precor.*] Quid *loquor* Francius corrigebat, ſed praeceſſerant preces, *redeas modo.* &c.

103. *Altera conjunx.*] Videtur alludere ad Laodicen virginem, quam Plutarchus tradit clam cognitam Demophoonti, Munichum filium genuiſſe: alii Callionem fuiſſe ſcribunt. VOLSCUS. Muliebre ἦθος eſt, abſentes maritos ſuſpicari alieno amore implicatos teneri. Sic ſuprà Penelope quoque ad Ulyſſem, *Haec ego dum ſtulte meditor* (inquit) *quae veſtra libido eſt, Eſſe peregrino captus amore potes.* Nam quae hic Volſcus de Laodice, & filio Demophoontis Municho ex illa nato refert, ea antequam in Thraciam & ad Phyllidem veniſſet Demophoon, acciderant. Quam fabulam prolixè tradit Parthenius in Eroticis. niſi quod is Acamantem nominat, fratrem Demophoontis, pro eo quem Plutarchus & alii Demophoontem vocant, à quo Laodice compreſſa Munichum pepererit. MICYLLUS.

105. *Utque tibi excidimus*] Ita Senec. Med. 561. *Excidimus tibi.*

106. *Si quae ſim Phyllis, & unde roges.*] Vulgata contemtus & vilitatis formula, qua ignotos compellare conſueverant, ut Virg. I. Aeneid. 369.
Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris.
Ubi τὸ *tandem* inſervit vehementiori animi commotioni. ita Flor. I. 18. de Tarentinis, *ſine diſcrimine inſultant, qui enim aut unde Romani?* quem locum ejecto gloſſemate egregie conſtituit Salmaſius. Livius XXIII. 34. *Cum quaereret qui & unde, & quo tenderent curſum.* Emendandus quoque Valer. Flac. VII. 40.
Quis regum Pelias, quae Theſſalis, aut quae
Graecia, quodnam hominum cerno genus.
Vulgo *quis Theſſalus*, inepte legitur. ita paſſim rogabant obvii ſe olim *quis genus, unde domo?* ſed de eo alibi. hic agitur de contumelioſa interrogatione, qua ignorare fingimus, quos maximi facere deceret. Cicer. VII. ad Fam. 16. *Oro te, quis tu es?* ita Terentius & alii paſſim vid. & IV. ex Pont. III. 10. *Roges*, etiam Vaticanus, *roget*, Moreti. BURMANNUS.

107. *Erroribus.*] *Errantibus* Codex Patricii Junii. lege *longis erratibus.* Metam. IV. v. 567.
——— *longiſque erratibus actus*
Contigit Illyricos profuga cum conjuge portus.
quae illic veterum librorum lectio. ut & I. XV.
Quae videam natum longis erratibus actum.
HEINSIUS.

108. *Por-*

Quae tibi, Demophoon, longis erroribus acto
Threïcios portus hoſpitiumque dedi.
Cujus opes auxere meae: cui dives egenti
Munera multa dedi, multa datura fui.
Quae tibi ſubjeci latiſſima regna Lycurgi,
Nomine femineo vix ſatis apta regi:
Qua patet umbroſum Rhodope glacialis ad Haemum,
Et ſacer admiſſas exigit Hebrus aquas.
Cui mea virginitas avibus libata ſiniſtris,
Caſtaque fallaci zona recincta manu.
Pronuba Tiſiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit moeſtum devia carmen avis.

Ad-

108. *Portus.*] *Paſtus* Puteaneus a prima manu. quod minime placet. Valer. Flac. II. 322. *Portum demus, ait.* BURMANNUS.

111. *Latiſſima.*] *Laetiſſima* erat in Puteaneo a manu prima. ſed fertilem fuiſſe Thraciam negant ſcriptores, & nec *caelo laetam, nec ſolo*; & infecundam, niſi qua mari propior, & frigidam eſſe dicit Mela lib. II. 2. quare retineo vulgatam. *Latiſſima* vero regna proprie dici oſtendimus ad Petron. cap. LXXXII. unde vero Volſcus hauſerit, hunc Lycurgum fuiſſe patrem Hypſipiles, quem omnes Thoanta faciunt, fateor me ignorare. cum *regna Lycurgi* ſit periphraſis Thraciae. ut Virgil. II. Aeneïd. 14.

Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo.

Hujus autem opportune hic mentio injicitur, ut beneficium ſuum eo magis commendet, quae receperat portubus ſuis Demophoonta, unde ſaevus & inhoſpitalis Lycurgus ſolitus erat non modo arcere hoſpites, ſed occidere. vide quae nos olim ad Petron. cap. LXXXIII. notavimus. BURMANNUS.

114. *Sacer.*] Bene; ſive quod omnes fluvii ſacri, & Deorum numero adſcripti, ſive propter Bacchi orgia. vide Colum. ad Enn. ſic & Stat. I. Sylv. VI. 80. *Nilus ſacer* ob ſacra Aegyptia, ubi vide Gevart. Avien. Deſcript. Orb. *Sacer Alpheus*, propter ludos Olympiacos. *Sacer Eurotas* Virgilio ob Palaeſtricam: poſſet tamen legi *celer.* quia *admiſſae aquae* ſequitur. ſic a Senec. Theb. 607. vocatur *rapidus Hebrus.* & ita I. Amor. VIII. 50.

Ut celer admiſſis labitur amnis equis. HEINSIUS.

Et ſacer admiſſas.] Ita legendum potius arbitror, quam *emiſſas*, propter verbum *exigit*, ut ſignificet celeres aquas, quas Hebrus curſu ſuo exigat, & quaſi propellat in mare. nam & Virgilius celerem Hebrum vocat, ubi inquit, *celeremque fuga praevertitur Hebrum.* Poſſet tamen & *emiſſas* defendi, nequaquam *amiſſas*, circa quod verbum Hubertinus, & hic, & ſupra in Epiſtola Penelopes tantopere laborat. MICYLLUS. vindicavit ſatis hanc vocem *admiſſas* Nob. Heinſius ad Epiſt. praecedentis vers. 36. Illuſtris vero Busbequius Epiſtola prima, *amiſſas aquas* hic legendum eſſe contendit, & adludi ad brevitatem fluvii & inopiam aquae. Hubertinus etiam *amiſſas aquas* hic, & altero illo loco *amiſſos equos* tuetur, & explicat celeres, liberos a freno; ſed inepte uterque; & vellem tales vocis *amiſſas* ſignificationes nobis ulla idonei ſcriptoris auctoritate confirmaſſent. pro *exigit* in Sarraviano codice erat *exſerit*; ſed nihil mutandum. eleganter enim notat evolvere & expellere aquam per oſtium in mare, ita Propert. III. eleg. 19.

Tu quoque, qui aeſtivos ſpatioſius exigis ignes,
Phoebe, moratuare contrahe lucis iter.

Silius III. 295.

—— *Aut exigit Umber*
Nare ſagax e calle feras.

Livius III. 61. *Pulſum vos immiſſis equis exigite e campo.* Et appoſite magis Avienus Ora Marit. vers. 635. de Rhodano:

Effuſus ille & ore ſemet exigens.

Eadem ratio in locutione *exigere enſem*, de qua ad lib. V. Metam. 171. BURMANNUS.

115. *Cui mea.*] Mallem hoc Diſtichon legere cum nota interrogationis, ut *cui* cum ſtomacho pronuntietur, id eſt quam infido & perjuro amatori virginitatem libandam dedi? Epiſtol. ſeq. 61. *Cui me violente relinquis?* BURMANNUS.

116. *Caſtaque fallaci zona recincta manu.*] Nos ad Virginenſem Deam, quam illi priſci colebant ac venerabantur, referendum exiſtimamus. Solebant enim viri prima nocte ſponſae zonam in Virginenſis Deae honorem ſolvere, quod Homerus in λ′ Odyſſeos his verbis tetigit, λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην· hoc eſt *ſolvit autem virginalem zonam*, ad quod eſt quoque referendum Catulli carmen: *Quod zonam ſolvit diu ligatam*, licet aliter, non bene, ſentiant commentatores, SCOPPA. Ex antiquo more ſumptum hoc eſt, quo ſponſus ſolebat ſponſae zonam, qua praecincta erat, primo concubitu

Adfuit Alecto, brevibus torquata colubris;
Suntque ſepulcrali lumina mota face.
Moeſta tamen ſcopulos fruticoſaque litora calco,
Quaque patent oculis aequora lata meis.
Sive die laxatur humus, ſeu frigida lucent
Sidera; proſpicio, quis freta ventus agat.
Et quaecumque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa meos auguror eſſe Deos.
In freta procurro, vix me retinentibus undis,
Mobile qua primas porrigit aequor aquas.
Quo magis accedunt; minus & minus utilis adſto:
Linquor, & ancillis excipienda cado.

Eſt

ſolvere. Hinc & Homerus Odyſſ. Λ. de Neptuno & Tyro dixit: Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν. Et Catullus ad paſſerem, de Atalanta loquens: *Tam gratum mihi, quam ferunt puellae Pernici aureolum fuiſſe malum, Quod zonam ſolvit diu ligatam*, &c. Hanc zonam Muſaeus in hiſtoria Leandri & Herus, μίτρην vocat, ita inquiens: Ὣς ἡ μὲν τὰτ' εἶπεν, ὁ δ' ἀντίκα λύσατο μίτρην. Sunt qui tradant, hanc ſolutionem zonae, in honorem deae, cui Virginenſi nomen fuerit, fieri ſolitam fuiſſe. Vide Annot. Joannis Scoppae. Micyllus. Cingulum ſolutum. Hunc morem oſtendit M. Varro. Novos maritos tacitus taxim uxoris ſolvebat cingulum, quem multò magis declarat Feſtus in verbo *Cingulo*: cujus haec ſunt verba: *Cingulo nova nupta praecingebatur, quod vir in lecto ſolvebat, factum ex lana ovis: ut ſicut illa in glomos ſublata conjuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus, vinctuſque eſſet. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir ſolvit ominis gratia: ut ſic ipſe felix ſit in ſuſcipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui* LXX. *liberos reliquit.* Dicebatur & ceſtus: Unde inceſtae nuptiae appellatae, prohibitae, non legitimae, in quibus ceſtus non eſſet adhibitus. Hypſipyle apud Statium lib. v. Theb. ſub principium:

Illa Paphon veterem, centumque altaria linquens
Nec vultu, nec crine prior, ſolviſſe jugalem Ceſton.

Ciofanus. Haec illuſtrarunt Viri Doctiſſimi ad Callim. Hym. in Jovem. v. 21. & Spanhem. ad Hym. in Dian. 14. Briſſon. de ritu Nupt. p. 49. Brodaeus ad Anthol. lib. III. cap. 12. & alii. Burmannus.

117. *Pronuba Tiſiphone.*] Interpres, & quaſi ſequeſtris nuptiarum, quae ex parte viri & uxoris ſunt contrahendae, dicitur pronuba. quod epitheton Junoni datur. Infrà epiſt. VI. Ciofanus. Sic Seneca Oedip. 644.

Et mecum Erinnyn pronubam thalami traham.

Auctor Octaviae vers. 24.

Illa, illa meis triſtis Erinnys
Thalamis Stygios praetulit ignes. Heinsius.

Nihil frequentius Poetis, quam infauſtis nuptiis pronubas & auſpices Furias facere. Lucan. VIII. 90.

Me pronuba duxit Erinnys.

Vide Noſtrum Epiſt. XI. 103. & VI. Metam. 430. Stat. IV. Theb. 133. & XI. 491. Aeſch. Agamem. 471. Valer. Flac. II. 173. v. Heinſ. ad Claud. I. de Rapt. Prof. 40. Burmannus.

119. *Torquata.*] Sic & *torquatae colubrae.* Priſcian. Perieges. p. 395.

Pſittacus hic viridis decoratus torque rubenti
Naſcitur.

Horat. Ep. V.

Canidia brevibus implicata viperis
Eminet. Heinsius.

120. *Lumina mota.*] Invenies eamdem phraſin Amor. I. Eleg. II. 11. & Met. IV. 508. & X. 7. quare male faciunt, qui ex MSS. hic *limina* ſubſtituunt. Voſſianus *lata face.* Burmannus.

122. *Aequora lata.*] Scripti omnes *litora lata*, niſi quod in tribus ſit *litora nota.* non male. Ep. XV. 147.

Agnovi preſſas noti mihi ceſpitis herbas. Heins. Certe *aequora lata* hic locum habere nequeunt. nam illa calcari poſſe vix credo. nec ſenſus conſtat, niſi ſubintelligatur aliud verbum. quare vitium hoc Diſticho latere ſuſpicor. in priori verſu *fluctuoſa* duo codices. Douſae placuiſſe *ſcrupicoſaque*, notat Francius. & certe *fruticoſa litora*, quae ſterilia, arenoſa & ſine fruticibus fere ſunt, facile mutarem, ſi exemplum ejus vocis exſtaret. ſi *ſcrupoſaque* reſcriberet quis (de qua voce vide Heinſ. ad Val. Flac. II. 518.) non difficile manus darem. lapillis enim & ſcrupis litora plena eſſe quis ignorat? vid. II. Amor. XI. 13. ſed quia in ſecundo verſu conſtanter libri ſcripti *litora* habent, & illa calcari recte poſſunt, vitium latere in praecedenti verſu ſuſpicor; & legendum forte:

Moeſta

Eſt ſinus, adductos modice falcatus in arcus,
Ultima praeruptâ cornua mole rigent.
Hinc mihi ſuppoſitas immittere corpus in undas
Mens fuit; &, quoniam fallere pergis, erit.
Ad tua me fluctus projectam litora portent,
Occurramque oculis intumulata tuis.
Duritie ferrum ut ſuperes, adamantaque, teque;
Non tibi ſic, dices, Phylli, ſequendus eram.
Saepe venenorum ſitis eſt mihi: ſaepe cruenta
Trajectam gladio morte perire juvat.
Colla quoque, infidis quia ſe nectenda lacertis
Praebuerunt, laqueis implicuiſſe libet.

Stat

Moeſta tamen ſcopulos, fruticoſaque culmina calco,
Quaeque patent oculis litora lata meis.

Ut per *culmina* intelligamus colles & montes, in quibus frutices, ita Epiſt. x. 25.

Mons fuit, apparent frutices in vertice rari.

Quaeque eſt in duobus ſcriptis & prima editione. *aequora* vero & *litora* confuderunt ſaepe etiam librarii apud Claudianum v. 11. in Rufin. 242. III. Conſ. Hon. 209. BURMANNUS.

123. *Die laxatur.*] *Laſſatur* multi; ſed nihil muta. Stat. Theb. III.

Ortus ubi algentes laxavit ſole pruinas.

Calpurn. Eclog. v.

At ſi forte vaces, dum matutina relaxet
Frigora ſol.

Avien. Deſcr. Orb. 705.

Nam cum vere novo tellus ſe dura relaxet.

Senec. Herc. Fur. 8.

Hinc qua tepenti vere laxatur dies. HEINS.

Stat. IV. Silv. IV. 13.

Jam terras, volucremque polum fuga veris aquoſi
Laxat.

Ubi inepte Behotius Apoph. I. cap. I. ſcribi jubet *laſſat*, id eſt fatigat, ac nimio ardore coquit terram anhelantem. nihil frequentius Poetis, quam *ſolem, ver, aeſtatem*, & omnem calorem *ſolvere, aperire, laxare* terras, ut Gronovius ad Senecae locum ab Heinſio adlatum notat. vide etiam, quae nos ad Petron. 122. & hinc *terra patere* Noſtro dicitur IV. Faſt. 88. ut ex Codicibus MSS. legendum ibi eſt. BURMANNUS.

126. *Meos deos.*] vid. Parrhas. Quaeſita per Epiſt. 35.

127. *In freta procurro, vix me retinentibus undis, Mobile qua primas porrigit aequor aquas.*] De Remedio, 597.

Perfide Demophoon ſurdas clamabat ad undas,
Raptaque ſingultu verba loquentis erant.
Limes erat tenuis, longa ſub nubibus umbra,
Quo tulit illa ſuos ad mare ſaepe pedes. CIOF.

128. *Mobile quâ.*] Legendum puto *quo. qua* autem, id eſt *ubi*, minus hoc loco congruit. CIOFAN.

129. *Minus & minus utilis adſto.*] Latere aliquid mendae ſuſpicor. forte *utilis, actae*, & conſtrue, *quo magis accedunt actae.* HEINSIUS. Durior haec conjectura. ſimpliciter cape, aequori adſto, minus & minus compos ſenſus & mentis. ut infr. Ep. IV. 7.

——— *Ter inutilis haeſit*
Lingua. BURMANNUS.

132. *Cornua mole rigent.*] *Fronte* codex Angeli Aproſis Vintimiliae, viri optimi & officioſiſſimi. HEINSIUS. Ita & in Ambroſiano codice legitur, quae lectio ab indocto librario proficiſci nequiit. quamvis enim omnia contra vim aquarum excitata opera *moles* dicantur, eleganter tamen eminentia in illis loca *frontes* dicuntur, ut ita hic in cornibus frons eſt; Parnaſo ſic tribuit Virgilius in Culice 15.

Seu qua Parnaſia rupes
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte.

vide Virg. I. Aeneïd. 166. & Noſtrum IV. 525. ubi montibus *frontes* dantur. & Plin. XII. 7. *Frontem Caucaſi* dixit. & alii paſſim. & ita Graeci *μέτωπα* vocant procurrentia in mare loca. BURMANNUS.

133. *Immittere.*] *Submittere* quidam; Douza *dimittere* teſte Francio, qui ipſe malebat *demittere.*

134. *Erit.*] Mens. CIOFANUS.

137. *Duritia.*] *Duritie* ſcripti. ſic Epiſt. IV. 85. iidem codices, & Met. I. 401. & IV. 750. ubi male *duritiam.* ita forte *materie* Ep. VIII. 511. & Ep. IX. 19.

Quid niſi notities miſero quaeſita pudori.

Virg. I. Georg. 191. *Luxuries*, ut ibi MSS. exhibent. *Duritiem* dixit etiam Sever. in Aetn. 514. ubi male quidam editi *duritiam.* & 540. *lentities.* HEINSIUS.

142. *Praebuerant.*] *Praebuerint* ſcripti nonnulli. Sed codex Puteanus optimus, & quatuor alii, *Praebuerunt*, vere. ſic epiſtola Didus: *Nec ſteterunt*

Stat nece matura tenerum penſare pudorem:
In necis electum parva futura mora eſt.
Inſcribêre meo cauſſa invidioſa ſepulcro:
Aut hoc, aut ſimili carmine notus eris.
Phyllida Demophoon leto dedit, hoſpes amantem:
Ille neci cauſſam praebuit, illa manum.

EPI-

runt in te virque paterque meus. ubi plura. Nota illa: *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* probe etiam veteres nonnulli *implicuiſſe libet*, pro *juvat*, quod jam praeceſſerat. niſi quis illic *libet* cum uno Ambroſianae Bibliothecae reponi malit. HEINSIUS.

143. *Matura.*] Hoc loco eſt feſtina, ut Senec. Oedip. 73. *Matura poſcens fata*, Troad. 600. *Me fata maturo exitu facilique ſolvant.* HEINSIUS.

143. *Tenerum penſare pudorem.*] *Miſerum* libri duo. ut Met. lib. x. Fab. Myrrhae:

—— *miſeroque pudori*
Parce ait.

Ep. IX.

Quid niſi notitia eſt miſero quaeſita pudori?

Valer. Flac. VII.

Flagranteſque genas vidit, miſerumque pudorem. HEINSIUS.

144 *In necis electu.*] Scriverianus, Argentinus, Francofurtenſis, & undecim alii ſcripti, cum editione antiqua Veneta, habent *electum.* quod multo elegantius mihi vulgata lectione apparet. ita ſupra v. 44. *In poenam non ſatis unus eris.* & Ep. XVIII. 216. ex bonis codicibus:

Lumen in adſpectum tu modo ſemper habe.

Flor. II. 6. *In cauſſam belli deleta Sagunthus.* Et centies alibi. BURMANNUS.

145. *Inſcribêre.*] Malim *inſcribende*, ut aptius cum ſequentibus cohaereant. HEINSIUS. ſed in pentametro poſſet legi, *atque hoc, aut ſimili.*

145. *Sepulchro.*] Cum Paris ad Helenam rapiendam proficiſceretur in Graeciam, Phyllidis ſepulchrum in Threicii Pangei promontorio extabat. Auctor Coluthus de Raptu Helenae. CIOFANUS.

148. *Ille necis cauſam.*] *Neci cauſam* rectius ſcribetur, quicquid membranae noſtrae diſſentiunt. ſic I. Faſt. 674.

Haec praebet cauſſam fruſtibus, illa locum.

Vulgatam tamen tuentur loca III. Art. Am. 40.

Tamen hoſpes & enſem
Praebuit, & cauſſam mortis, Eliſſa, tuae.

Et Ep. VI. 195.

Praebuit Aeneas & cauſſam mortis & enſem.

Et I. Art. Am. 714.

Da cauſſam voti principiumque tui. HEINSIUS. Ego praetuli *neci*; quia *necis* cum *manu* conſtrui vix poteſt, licet cum *cauſſa* poſſet, ſed ſaepius etiam Noſter *mortis cauſſam* dixit. Epiſt. XVIII. 200. I. Pont. II. 17. & alibi. ubi tamen MSS. etiam variant.

148. *Ipſa manu.*] Plurimi ſcripti *illa.* & ſolet Noſter de duobus agens hoc pronomen geminare. Epiſt. ſequenti. 28.

Ille gradu propior ſanguinis, ille comes.

I. Am. 8.

Et faciant udas illa vel illa genas.

I. Amor. IX. 9.

Ille fores Dominae ſervat, at ille Ducis.

I. Triſt. IX. 50. ex MSS.

Illa ſuos habeat, nec minus illa ſuos.

V. Faſt. 188.

Convenit in laudes ille vel ille tuas.

Ita olim editi & ſcripti plurimi. ſic apud Quinctil. lib. II. 48. ex MSS. *Iſocrates de Ephoro atque Theopompo ſic judicabat, ut alteri frenis, alteri calcaribus opus eſſe diceret, aut in illo tarditatem, aut in illo pene praecipiti concitationem adjuvandam docendo exiſtimavit?* & lib. XI. 3. de Demoſthene & Aeſchine, *neque ille per propugnatores juravit, nec ille Thebas deflevit.* ita MSS. BURMANNUS.

EPISTOLA III.

BRISEIS ACHILLI.

QUam legis, à rapta Briſeïde litera venit,
Vix bene barbaricâ Graeca notata manu.
Quascumque adſpicies, lacrimae fecere, lituras;
Sed tamen & lacrimae pondera vocis habent.
Si mihi pauca queri de te, dominoque viroque,
Fas eſt; de domino pauca viroque querar.
Non, ego poſcenti quod ſum cito tradita Regi,
Culpa tua eſt: quamvis hoc quoque culpa tua eſt.
Nam ſimul Eurybates me Talthybiusque vocarunt;
Eurybati data ſum Talthybioque comes.
Alter in alterius jactantes lumina vultum,
Quaerebant taciti, noſter ubi eſſet amor.
Differri potui. poenae mora grata fuiſſet.
Hei mihi! diſcedens oſcula nulla dedi.
At lacrimas ſine fine dedi, rupique capillos.
Infelix iterum ſum mihi viſa capi.
Saepe ego decepto volui cuſtode reverti;
Sed, me qui timidam prenderet, hoſtis erat.

Si

4. *Sed tamen hae lacrymae.*] *Et lacrymae* Puteani & Jureti liber. ut Art. Amat. 1. 19.

Sed tamen & tauri cervix oneratur aratro.

& 236.

Sed tamen & ſpargi pectus amore nocet.

x. Met. 445.

Sed tamen & gaudet. HEINSIUS.

6. *Fas eſt.*] Forte *fas ſit.* niſi totus locus melius ita ſit conſtituendus:

Sit mihi pauca queri de te Dominoque viroque,
Fas ſi de Domino pauca viroque queri.

Nam Puteaneus & Regius *queri* habebant. HEINS. Non recte. ſolet enim Noſter ſimili repetitione verborum aliquando argutari. v. Ep. xv. 39. color autem ſumtus eſt & jure, quo vetitum ſervis de Dominis queri, ut ex Platonis lib. IX. de Republ. adnotabat Berſmannus. BURMANNUS.

7. *Sum cito.*] Forte *tam cito*, & mox ex ſcriptis, *hoc quoque culpa tua eſt.* HEINSIUS. Reſpexit forte illa Catulli Carm. LXVIII.

Non ita Caecilio placeam, cui credita nunc ſum,
Culpa mea eſt, quamquam dicitur eſſe mea.

v. Vorſt. de Latin. Merit. Suſp. 27. & ſupr. ad Epiſt. II. 56. BURMANNUS.

9. *Vocarunt.*] Exprimit Graecum κεκύσσειν, quod proprium Praeconum. idem forte quod Caeſar v. de Bell. Gall. 26. dixit *conclamare*, ut explicat Brantius p. 450. edit. Junger. HEINSIUS.

10. *Eurybati.*] Mallem *Euribatae.* HEINSIUS.

11. *Vultum.*] *Vultus* libri XIV. bene. HEINSIUS.

12. *Noſter.*] Imo *veſter*, vel invitis libris. niſi interpretaris amorem, qui inter nos fuit. HEINS.

16. *Iterum ſum mihi viſa rapi.*] Briſeïdem raptam ante fuiſſe non legi. Quare arripio, quod in plurimis codicibus eſt exaratum, *viſa capi*, expugnatâ ſcilicet ab Achille Lyrneſſo. Briſeïs ipſa hac eadem Epiſtola:

An tantum, dum me caperes, fera bella probabas.

ſimile mendum inſedit l. III. Art. Amat. 189.

Pulla decent niveas: Briſeïda pulla decebant,
Cum capta eſt, pulla tum quoque veſte fuit.

ita ſcribo. Nam falſum eſt de pullis veſtibus, cum ab Agamemnone fuit rapta. Senec. Her. Fur. 418.

Capta nunc videor mihi.

Epiſt. VIII. 12.

Cum caperet Grajas barbara turba nurus.

Si progreſſa forem, caperer ne forte timebam,
Quamlibet ad Priami munus itura nurum.
Sed data ſim, quia danda fui: tot noctibus abſum,
Nec repetor. ceſſas, iraque lenta tua eſt.
Ipſe Menoetiades, tunc, cum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic parvo tempore, dixit, eris.
Non repetiſſe parum eſt: pugnas, ne reddar, Achille.
I nunc, & cupidi nomen amantis habe.
Venerunt ad te Telamone & Amyntore nati;
Ille gradu propior ſanguinis, ille comes:
Laërtaque ſatus; per quos comitata redirem.
Auxerunt blandae grandia dona preces:
Viginti fulvos operoſo ex aere lebetas;
Et tripodas ſeptem, pondere & arte pares.

Addita

inf. 54. *Utile dicebas ipſe fuiſſe capi.* Lege praeterea *infelixque.* HEINSIUS.

19. *Caperer ne nocte.*] Fortaſſe rectius, quod nonnulli, *caperer ne forte, timebam.* NAUGERIUS. Praeſtat quod eſt in Naugerianis libris & Francofurtenſi, *forte.* ſed Auſon. Ep. 92. *Nocte capi metuo.* HEINSIUS. *Forte* jam conjecerat Aaron Battaleus, qui offenſus voce *nocte* quatuor hic verſus, ut ſpurios, ejicere volebat, vel mutare ordinem verſuum. q. vide.

20. *Nurum.*] *Nurus*, Puteaneus a manu prima. HEINSIUS.

21. *Sed data ſum.*] *Data ſim*, Puteani codex optimus. & quidem vere ac eleganter: Demus enim me datam eſſe. HEINSIUS.

21. *Tot noctibus.*] Non diebus dicit, ut conſuetudinis nocturnae admoneat, & deſiderium moveat, cujus oblivionem nunc Achilli objicit.

23. *In aure.*] *In aurem* rectum eſt. Mart. v. Epiſt. 82.

Neſcio quid Dominae teneram qui garrit in aurem.
1. Epigr. 90.

Ut ſaepe in aurem Cinna Caeſarem laudes.
VII. 39. *Garris Neſtor in auriculam.* Petron. *Tanquam in aurem aliquid ſecreto diceret.* Amm. Marc. lib. XIV. cap. 1. *Suſurrare in aurem.* Macrob. III. Satur. ex Cic. de fato. *Cum Scipio unum & alterum ex iis, qui eum ſalutatum venerant, invitaſſet, pluriſque etiam invitatus videretur, in aurem Pontius, Scipio, vide, inquit, quid agas.* Cato Diris. p. 65.

Cantat & interea mihi quae cantarat in aurem.
Juven. III. Sat. 123. HEINSIUS. Ita Graeci πρὸς τὸ οὖς Luc. XII. 3. & Lucian in Gall. ἐς οὖς Euripid. Jon. 15. 21. Plaut. Trinum. 1. 2. 170. *Sciunt id, quod in aurem Rex reginae dixerit. Ad aurem inſuſurrare dixit* Cicer. v. Verr. 41. BURMANNUS.

25. *Nec repetiſſe.*] *Non* editiones fere omnes & ſcripti. quod probo. de uſu vero vocis *parum* vide Gronov. ad Plin. XXI. 13. Epiſt. IX. 47. *Haec mihi ferre parum eſt.* Quinctil. Decl. IX. 12. *Parum eſt quod inſanos pertuli fluctus.* Ita *parum habere.* Vellej. Paterc. II. 76. ſic & *minimum eſt.* de quo ad Quinct. Decl. II. 1. & VI. 17. BURMANNUS.

26. *I nunc & cupidi.*] Lege *I nunc, I cupidi.* HEINSIUS. Sed nihil opus contra ſcriptos. licet enim elegantius τὸ & ſubintelligi quoque cenſeat Heinſius ad Claudian. 1. de Rapt. Proſ. 92. mille tamen exempla occurrunt, ubi exprimitur; etiam inter illa, quae adduxit infra ad III. Amor. III. 1. BURMANNUS.

28. *Ille gradu.*] Scribendum, vel ſine libris:

Iſte gradu propior ſanguinis, ille comes.

niſi eo modo dictum id velis, quo paſſim alibi *Ille vel ille* apud Noſtrum. Sequenti verſu *Laërtaque* pro *Laërteque* idem Puteani codex & unus Vaticanus. ſic apud Auſonium Epitaphiis Heroum.

—— *Laërtâ natus Ulyſſes.*

libro XII. Met. ex veſtigiis veterum librorum:

—— *ſolis Telamone creatis*
Laërtaque fuit tantae fiducia laudis.

ſic infr. v. 39. *Atrida.* Senec. Troad. 700. & ex MSS. Oed. 943. *Oedipoda.* Virgilius ſaepe *Anchiſa generate.* Noſter in Ibide 305. ex MSS. *Nataque ut Aeacida.* HEINSIUS. Ego vero nihil intereſſe arbitror, cum utrumque dicatur natus *patri* & *patre* filius, ita apud Senec. Agamem. 293. *Gnatus Thyeſtae* ex optimo codice Medicco. BURM.

30. *Auxerunt blanda grandia dona prece.*] Sic nos ex veteri lectione caſtigavimus, ſed & recte in nonnullis, *blandae grandia dona preces.* NAUGER. *Blandas preces* Puteani liber cum reliquis pleriſque. alii quatuor cum Menteliano *blandae preces.* quod genuinum Naſonis arbitror, cum τὸ *grandia dona* quarti caſus ad ſequentia ſit referendum. id quod Douzae arridebat. niſi *lebetes* & *tripodes* mox legas, ut

Addita ſunt illis auri bis quinque talenta:
Bis ſex, adſueti vincere ſemper, equi.
Quodque ſupervacuum, forma praeſtante puellae
Lesbides, everſâ corpora capta domo.
Cumque tot his, (ſed non opus eſt tibi conjuge) conjux
Ex Agamemnoniis una puella tribus.
Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuiſſem,
Quae dare debueras, accipere illa neges?
Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?
Quo levis à nobis tam cito fugit amor?
An miſeros triſtis fortuna tenaciter urguet?
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrneſia moenia vidi:
Et fueram patriae pars ego magna meae.

Vidi

ut in multis manu exaratis offendi. & tum *blandas preces* admittam, ſed & hoc vitioſum. ſic apud Virgilium III. Aeneïd. 466. optimi MSS. *Dodonaeoſque lebetas.* Stat. x. Theb. 101. ex MS. *Tapetas.* HEINS. Ego *blandae preces* retineo, licet enim grandia eſſent dona, auxerunt ea & pretium majus addiderunt blandae preces. Senſus idem in illis Terentii Eunuchi. II. 1. *Munus noſtrum ornato verbis.* ex quibus etiam lectio Naugerianorum, Sarraviani & Francof. poſſet firmari, qui habent *blanda prece.* quod firmari illis Ciceronis II. de Off. 20. poſſet: *Neque vero verbis auget ſuum munus.* BURMANNUS.

31. *Viginti fulvos &c.*] Quae hic ad Achillem placandum ab Agamemnone miſſa ait poëta, ab Homero tranſtulit lib. IX. Iliad. 34. CIOFANUS.

34. *Bis ſex.*] Omnes alii Codices *bis ſeptem.* Nos ex Homerica Rhapſodia *bis ſex.* in qua Phœnix ſic Achillem alloquitur: Αἴθωνας δὲ λέβητας ἑείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους. &c. EGNATIUS. In libro Aldino, qui anno M. D. II. impreſſus eſt & in uno Vatic. *Bis ſeptem* legitur, malè priorem lectionem retinet alter Vatic. & Homerus comprobat lib. jam citato. ubi ita eſt:

— — δώδεκα δ' ἵππους
Πηχοὺς, ἀλοφόρους, οἳ ἄθλια ποσσὶν ἄροντο.

Poſtquam haec ſcripſeram, animadverti hunc Homeri quoque locum huc ab Egnatio adductum. CIOFANUS. *Bis ſeptem* major librorum pars. ſed aliter Homerus, ex quo haec omnia mutuatus eſt Noſter, Iliad. I. ubi Agamemnon legatis ad Achillem abituris:

Τμῖν δ' ἐν πάντεσσι περικλυτὰ δῶρ' ὀνομήνω,
Ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα,
Αἴθωνας δὲ λέβητας ἑείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους
Πηχοὺς, ἀλοφόρους, οἳ ἄεθλια ποσσὶν ἄροντο.
Δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονας, ἔργ' εἰδείας,
Λεσβίδας, ἃς ὅτε Λέσβον ἐὺκτιμένην ἕλεν αὐτὸς,
Ἐξέλεσεν, αἱ κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν.

Et mox:

Τρεῖς δὲ μοὶ εἰσὶ θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ,
Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιανάσσα,
Τάων ἣν κε βέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω,
Πρὸς οἶκον Πηλῆος, ἐγὼ δ' ἐπιμείλια δώσω.

& quae appoſita illic plura occurrunt. In Mycilli editione, *Bis ſeni aſſueti.* HEINSIUS.

34. *Vincere.*] Quidam codices *currere*, quae lectio licet ex gloſſa videtur eſſe, poſſet tamen defendi altero Ovidii loco I. de Pont. eleg. III.

Quamque licet longis curſibus aptus equus.

Sed *vincere* hic eſt currendo vincere. HEINSIUS.

36. *Corpora capta.*] Proprie locutus: In ſervitutem enim redacti vix hominum nomine digni, *corpora* tantum vocabantur. leg. XLIII. §. 4. ff. de ritu nuptiar. & ita paſſim Graeci σώματα. BURM.

38. *Ex Agamemnoniis.*] Hac de re dixit lib. XII. Metam. ubi Agamemnonis filiarum nomina notavi. CIOFANUS.

40. *Negas.*] Malim, *neges*, cum altero Scriveriano, per interrogationem. HEINSIUS.

44. *Nec venit inceptis mollior aura meis.*] *Mollior hora* optimus Puteani codex, cum aliis nonnullis. Sic Propertius lib. II. El. XXVIII.

Extremo veniet mollior hora die.

Ubi tamen *aura* quoque in nonnullis codicibus. Pont. III. El. III.

Et veniet votis mollior hora tuis.

Ubi ſcripti nonnulli *aura.* ſic *durior hora* Manil. lib. III. & ita excerpta Gallicana. Epiſt. XI. 22.

Veniſſet leto ſerior hora mea.

Hora enim pro tempore. Petron. c. 133. *Fortunae arriſerit hora.* & ita recte in formulis *bona hora*; noſtratibus ter goeder ſtond. Noſter tamen, Triſt. lib. IV. El. V.

Utque facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior aura Deo.

Ubi *hora* etiam in nonnullis ſcriptis. Faſt. II. 148.

Vidi ego conſortes pariter generisque necisque
Tres cecidiſſe: tribus, quae mihi, mater erat.
Vidi ego, quantus erat, fuſum tellure cruenta,
Pectora jactantem ſanguinolenta, virum.
Tot tamen amiſſis te compenſavimus unum.
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, juratus per numina Matris aquoſae,
Utile dicebas ipſe fuiſſe capi.
Scilicet ut, quamvis veniam dotata, repellas;
Et mecum fugias, quae tibi dentur, opes.
Quin etiam fama eſt, cum craſtina fulſerit Eos,
Te dare nubiferis linea vela notis.

Quod

Zephyris mollior aura venit. ut rectè ibi meliores libri. Quare nihil temere mutandum. Rutilius. I. Itiner.

Vergentem ſequitur mollior aura diem.

Hinc & *Inceptis aſpirare*, aliaque à navigantibus ſumta. Heinsius. Mihi quoque *aura* placet. Catalect. Petron.

Mollior aura venit.

Et Dracont. Hexaem. 77.

Sunt ibi, ſed placidi, fructus quos mollior aura Edidit.

Et v. 410.

Ventitat aeſtivo quae flatu mollior aura.

Ita *lenior aura* Epiſt. XIX. 72. ubi & codices duo *mollior*. Burmannus.

147. *Vidi conſortes.*] Mollius eſt, quod in duobus libris hic & ſequenti diſticho eſt, *vidi ego.* ſic & III. Amor. IV. 13.

Vidi ego nuper equum contra ſua vincla tenacem.

Et III. IX. 13. ex MSS.

Vidi ego cum foribus laſſus prodiret amator.

Stat. II. Silv. I. 101.

Vidi ego tranſertos alieno in robore ramos.

Horat. III. ad v. 22.

Vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero.

Propertius II. Eleg. 20.

Vidi ego te in ſomnis fractâ, mea vita, carinâ.

Quod neſcio cur minus molle & venuſtum Broukhuſio videatur, cum pondus praeterea ſit in pronomine *ego.* ut toties alii *his oculis vidi, ego ipſe vidi.* de quibus Quinct. VIII. Inſt. 3. ſic quoque poſt *ergo* ſaepe *ego* repetitur, v. ad X. Epiſt. 119. Burm.

48. *Tribus.*] Diſtingue *tribus, quae mihi, mater erat*, tres fratres ſuos innuit. Heinsius. Francius volebat, *quibus, quae mihi, mater erat.*

50. *Jactantem.*] Plurimi MSS. *verſantem.* forte praeſtat. ſic enim loqui amat Stat. IX. Theb. 162.

Heu qualem verſari in ſanguine vidi.

Sic lege, non *verſare*, vel *lapſare*, ut Bernartius ex ſuis legit. vulgata tamen non temere rejicienda. v. Met. 59.

Hunc ubi laudatos jactantem in ſanguine vultus.

Et X. 721.

Exanimem, inque ſuo jactantem ſanguine corpus.

Heins. Eadem diverſitas eſt in IV. Triſt. III. 26.

Feſſaque jactati corporis oſſa dolent.

Ubi quidam *verſati*, ut legitur I. Amor. II. 4.

Laſſaque verſati corporis oſſa dolent.

51. *Tot tamen amiſſis.*] Quidam codices *nos de tot amiſſis*, forte pro *noſque, tot amiſſis, te compenſavimus unum*, malo tamen: *Tot tamen amiſſos te compenſavimus uno.* Heinsius. Gronovius IV. Obſer. 13. legit:

Tot tamen amiſſos tecum penſavimus uno.

Ego Heinſii conjecturam praeferrem. compenſamus enim damna lucris. Cicer. pro Fontejo cap. I. *Socii, qui Gallicorum bellorum pericula, populo Romano coriis remiſque compenſarunt.* & ita paſſim alii. Quamvis illae locutiones, in quibus mutationes ſunt utrinque, reciprocae fere ſint: ut de *mutare* notavit Bentlej. ad Horat. II. Od. 16. & II. Satyr. VII. 109. de *repenſare* nos ad Vell. Pater. II. 12. Et ideo vulgatum reliqui. Burmannus.

55. *Scilicet, ut, quamvis veniam dotata, repellar.*] Simplicius eſt, quod Scaligero placebat, *repellas.* Sequitur enim, *Et mecum fugias, quae tibi dantur, opes.* Dan. Heinsius. *Repellas* Puteaneus, placet. pro *dantur* mox Lovanienſis unus *dentur.* Heinsius.

57. *Fulſerit hora.*] Ita eſt in libro Vaticano. Ciof. *Eos* optimus Puteaneus. caeteri omnes, *hora.* perperam. *Eos* pro Aurora, ſaepe in Faſtis, & alibi apud poëtas Latinos. Virgil. III. 588.

Poſtera namque dies primo ſurgebat Eoo.

I. Georg. 288.

Aut cum ſole novo terras inrorat Eous.

Noſter IV. Faſtor. 389.

Proxima victricem cum Romam inſpexerit Eos.

Quod ex Homero Iliad. I. 678.

Αἰτὸς

Quod ſcelus ut pavidas miſerae mihi contigit aures,
Sanguinis atque animi pectus inane fuit.
Ibis: & (ô miſeram) cui me, violente, relinques?
Quis mihi deſertae mite levamen erit.
Devorer ante, precor, ſubito telluris hiatu,
Aut rutilo miſſi fulminis igne cremer:
Quam ſine me Phthiis caneſcant aequora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.
Si tibi jam reditusque placent, patriique penates;
Non ego ſum claſſi ſarcina magna tuae.
Victorem captiva ſequar, non nupta maritum:
Eſt mihi, quae lanas molliat, apta manus.

Inter

Αὐτὸς δ' ἠτείλησεν ἅμ' ἠοῖ φαινομένῃφι.

Neque tamen alteram ſcripturam, quae in omnibus ſcriptis meis & Ciofani, praeter unum Puteaneum, eſt, & quam Editiones Mycilli & aliae praeferunt, damnaro. ſic enim *hora* pro temporis omnis momentis & partibus ſumitur. Ep. XIX. 23.

Sic ubi lux acta eſt, & noctis amicior hora.

1. Art. Am. 250.

Horaque formoſam quamlibet illa facit.

Valer. Flac. II. 38. de nocte ingruente:

Auxerat hora metus jam ſe vertentis olympi.

Et ibid. v. 60.

It tacitis ratis ocyor horis.

Ut ibi Carrionis codex, in vulgatis male *auris*. & lib. III. 48.

Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad horas Antra tenent.

Ad *horas*, id eſt uſque ad horam, quae profecto lectio a Carrione ſollicitanda non fuit, qui videatur. Eodem libro 417.

Jamque ſopor mediis tellurem preſſerat horis.

Ubi nec audiendi ſunt, qui ex Bononienſi codice *oris* legendum contendunt. ut nec Carrio, qui lib. V. ℣. 312.

Optat & almum
Jam jubar, & certi tandem diſcriminis oras.

legit, cum *horas* legendum ſit. HEINSIUS.

58. *Lintea plena.*] Reponendum *lintea velle*, ſic enim & ſenſus & ordo conſtructionis poſtulat. MYCILLUS. Notum variare hic libros, cum alii, eo quo edidimus modo, alii *lintea plena* legant. Ego nondum ab iis diſſentio, qui ex utraque lectione veram conſtituunt, & *lintea velle*, emendant:

Quin etiam fama eſt, cum craſtina fulſerit Eos.
Te dare nubiferis lintea velle notis.

DAN. HEINSIUS. Sic infrà in epiſtola Oenonis:

Aura levis rigido pendentia lintea malo
Suſcitat.

Et lib. III. Elegiarum:

Lintea dem potius.

Et Virg. lib. III. Aeneïd.

——— *certum eſt dare lintea retro.*

In lib. tamen Vatic. eſt, *linea vela*. utrumque rectè. CIOFANIUS.

Nimbiferis notis.] Sic Hafnienſis liber. ſcripti praeterea plurimi, *lintea vela* vel *vella*. unde *velle* poſtea procuſum, quod Vlitio noſtro notis ad Gratium arridebat. Ego, ſi quid mutandum ſit, legam cum quatuor codicibus, *lintea plena*. ut Remed. Amor. 266.

Ille dedit certae lintea plena fugae.

Vid. ad II. Amor. XI. 41. ſed *te dare* pro te daturum. ſic Met. VII. *Dum cenſus dare me pro nocte paciſcor.* pro *dum paciſcor me daturum*. HEINSIUS. vide Munker. ad Hygin. Fab. 41.

58. *Nubiferis Notis.*] Falſusne eſt Ovidius, qui Noti è Meridiana plaga ſpirantis hîc meminerit, quo Achilles è Troja (à qua regione navigantibus is ventus efflans eſt contrarius) in Graeciam ſoluturus utatur? minimè verò. Quippe qui Notum pro quolibet vento, qui ei in patriam redeunti proſper ac ſecundus ſit, ponit. Sic Virgil. lib. I. Aeneïd. cum dixiſſet Trojanos maxima tempeſtate laboraſſe, à ventis cardinalibus excitata, Eurum poſtea pro quolibet vento ponit. ejus verba ſunt:

Vix ſeptem (naves) *convulſae undis, Euroque ſuperſunt.*

CIOFANUS.

60. *Animi pectus inane fuit.*] Malim *animae pectus inane fui*. ut apud Statium, *Tirynthius almae Pectus amicitiae*. ſi locus ſanus eſt. *Animae*, ut infr. hac Epiſtola. v. 142.

Suſtinet hoc animae ſpes tamen una tui.

Sequenti verſu libri veteres conſtanter,

Ibis & ô miſeram cui me. HEINSIUS.

Sic Metam. XII. 487. *Corpus inane animae* dixit.

61. *Ibis &.*] Diſtinctione juvimus locum:

Ibis & (ô miſeram!) cui me violente relinques.

67. *Si tibi jam.*] Placet, quod in margine libri ſui, quem cum Palatinis contulerat, & quo uſi

 ſumus,

Inter Achaïadas longe pulcherrima matres
In thalamos conjux ibit (eatque) tuos.
Digna nurus ſocero, Jovis Aeginaeque nepote;
Cuique ſenex Nereus proſocer eſſe velit.
Nos humiles, famulaeque tuae, data penſa trahemus:
Et minuent plenas ſtamina noſtra colos.
Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor,
Quae mihi neſcio quo non erat aequa modo.
Neve meos coram ſcindi patiare capillos:
Et leviter dicas: Haec quoque noſtra fuit.
Vel patiare licet; dum ne contemta relinquar.
Hic mihi vae miſerae concutit oſſa metus.
Quid tamen exſpectas? Agamemnona poenitet irae,
Et jacet ante tuos Graecia moeſta pedes.

85 Vince

ſumus, annotaverat vir eximius Janus Gruterus, *Si tibi tam reditusque placent.* DAN. HEINSIUS. ſcribe *tam placent*, ut Grutero videbatur & Douzae. Epiſt. Sapphus,

Si tam certus eras hinc ire.

Similiter peccatum Metam. x. Fab. Myrrhae. 339.

Nunc quia tam meus eſt, non eſt meus. —

Cum libri editi ac ſcripti conſtanter illic exhibeant, *jam meus.* Sequenti etiam verſu rectius reponas, *Non ego ſim.* HEINSIUS.

67. *Patriique penates.*] v. ad Ep. v. 126. quidam ſcripti hic *ſociique.*

71. *Inter Achaeïdas longè pulcherrima matres.*] Mirum videri poteſt, verſum hunc, cum tamen hactenus claudicarit, non eſſe etiam ab his, qui doctiſſimos ſeſe putant, animadverſum, cum hactenus aut corruptè legerint, aut corruptius emendarint. Nos *Achaeïadas*, non refragante Graecorum veterum forma & uſu, quadrante etiam ſyllaba, emendamus. nec neſcio ab *Achaea* ἀχαιὶς deduci. Quod vel ipſe Hom. Rhapſodia probet:

Ὦ πέπονες κακ' ἐλέγχε' Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαῖοι.

Qui tamen verſus admonere negligentiſſimum quemque poterat, carmen Ovidianum non ita legi poſſe. Quare ſyllaba non repugnante, *Achaeïadas* leges, ut apud Theocritum emendatis codicibus in Helenae Epithalamio:

Ἥδε Ἀχαιϊάδων γαῖαν πατεῖ, οὐδεμί' ἄλλα.

Callimachus in Delon:

Ἀλλ' ὅτ' Ἀχαιϊάδες μιν ἀπηρνήσαντο πόληες.

Sed de hac nominum forma in Sapphûs Epiſtola plura, cum de lapſu eorum, qui non minus docti, quam diligentes videri volunt, agetur. EGNATIUS. *Inter Achaeïadas longe pulcherr.* legendum cenſeo, quemadmodum & Egnatius & alii doctiores legunt. nam eadem voce & Theocritus uſus eſt in Helenae epithalamio, & Callimachus Hymno in Delum. MICYLLUS. *Inter Achaïadas* cum melioribus libris ſcribendum, non *Achaeïades.* ἀχαΐαδας, Graeco more. quomodo apud Callimachum Lavacro Palladis, 13. & Hymno in Delon, 100. Theocrit. Idyll. 25. alioſque Graecos poëtas. ſic *Nereidas* Ep. v. 25. *Pelaſgiadas* Ep. IX. 3. *Maenadas* Stat Theb. IX. 598. pro *nepote* paulo poſt *Nepoti* Puteaneus. HEINSIUS. *Nepotis* Medicaeus & editio prima, ut ſaepe Noſter. ſed tunc *ſoceri* legendum eſſet. in Puteaneo *nepoti.* ſicut & in MS. dativum repperimus apud Quinct. Decl. x. 9. BURMANNUS.

80. *Et leviter.*] In Gronoviano erat *leniter & dicas.* Editio vetus contra metrum *& leniter*, quod exponunt ſine ira, & turbatione. ſed recte ſe habet vulgatus: *leviter* vero *dicere* eſt non vehementer, non voce magna & ſublata, ut increpantes ſolent, ſed quaſi ſuppreſſa; nolim, dicit Briſeis, te uxorem, me exagitantem, increpare iracunde, ſed voce ſubmiſſa dicas, *haec quoque noſtra fuit.* ita I. Amor. III. 30.

Tu leviter puerum poſce quid ipſe velis.

I. Am. VI.

Et leviter, fies tu quoque fortis, ait.

Ex quibus apparet viros doctos falli, qui apud Ciceronem pro Sulla cap. x. reponere volunt *leniter dicere*, pro *leviter*, cum praeceſſerit, *ſuppreſſa voce dicere.* & fruſtra quoque hanc locutionem *leviter dicere* improbari. ſic & *leviter audire* Quinctiliano reddidimus Decl. XIX. & ita *leviter accedere*, ſuſpenſo pede, Quinct. I. Decl. 3. BURM.

81. *Et patiare.*] Alii libri habent *vel patiare.* placet. CIOFANUS.

82. *Concutit oſſa metus.*] Multi codices *concitat*, alii etiam *tremor* vel *timor.* vid. Heinſium ad Epiſt. XIV. 18.

83. *Quid tamen expectas.*] *Qui* Puteaneus, Junianus. *Quod tamen.* Lege, *Quo tamen.* niſi quod apud Juve-

Vince animos, iramque tuam, qui cetera vincis.
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?
Arma cape, Aeacida, sed me tamen ante recepta:
Et preme turbatos, Marte favente, viros.
Propter me mota est, propter me desinat ira:
Simque ego tristitiae caussa modusque tuae.
Nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris:
Conjugis Oenides versus in arma prece est.
Res audita mihi, nota est tibi. fratribus orba
Devovit nati spemque caputque parens.
Bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis,
Et patriae rigida mente negavit opem.
Sola virum conjux flexit. felicior illa!
At mea pro nullo pondere verba cadunt.

Nec

Juvenalem Sat. II. 115. *Quid tamen expectant?* Vide notas ad Epist. XIV. v. 61. HEINSIUS.

87. *Arma cape Aeacide.*] *Aeacida* codex alter Regius, ut Silius de Homero ad Achillem:

Felix Aeacida, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi.

Noster lib. VII. Met. v. 800.

Juvat ô meminisse beati
Temporis Aeacida.

Quomodo optimae membranae. sic & lib. XI.

Aeacida, dixit, votis potiere petitis,

Notum illud oraculi:

Ajo te Aeacida Romanos vincere posse.

Ita Ep. VI. 169. *Mobilis Aesonida* I. Art. Am. 691. *Quid facis Aeacida.*

II. Fast. 120.

Vellem Maeonida pectus ineesse tuum. HEINS.

89. *Desinat.*] Ἀνάφορὰ. CIOFANUS. Vossianus, Leidensis, & Basileensis *finiet.* unde *finiat* scribendum. ita II. Metam. 103. ex MS. *Finierant monitus.* sic *praecipitat* Virg. I. Aeneïd. prin. & Stat. VIII. Theb. 155. plura exempla congessit Bernartius ad Stat. II. Theb. 43. HEINSIUS.

91. *Nec tibi turpe puta.*] Argumentum a comparatione, & a minori. CIOFANUS.

94. *Spemque caputque sui.*] Eleganter. *Spes* enim proprie de liberis, in quibus egregia indoles conspicitur. Virg. VI. Aeneïd. 364. & X. 524. *Per spem surgentis Iuli.* vide ad Petron. cap. IV.

95. *Bello erat ille ferox.*] Recte Puteaneus, *Bellum erat: ille ferox.* Fast. IV. 880. *Turnus an Aeneas Latiae gener esset Amatae, Bellum erat.* sic & *Pax erat,* Fast. I. 285.

Pax erat, & vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.

Auctor Elegiae in obitum Maecenatis:

Pax erat: haec illos laxarunt otia cultus.

Lucan. IV. 196.

Pax erat: & castris miles permixtus utrisque.

Pari modo *Nox erat, Lux erat,* & similia apud Poëtas obvia. Caeterum ex Homero Historiam hanc est mutuatus de Meleagro, quam Iliad. I. Phoenix Achilli narrat. Extat & apud Antoninum Liberalem Metamorph. Fab. II. Codex Gottorphianus, *Marte erat ille ferox.* HEINSIUS.

95. *Secessit.*] Forte, *positis secesserat armis.* vel *ab armis,* id est, post arma posita secesserat. ut Epist. praeced. v. 85. BURMANNUS.

97. *Sola virum conjunx flexit.*] Alcyone Hygino Fab. CLXXIV. quae & Cleopatra Antonino Liberali, & Homero, cujus Scholiastae hanc Idae Apharei & Marpissae Eveni filiae natam faciunt, ut & Apollodorus in Bibliotheca. quo teste, post Meleagri mortem sese ipsa interemit. HEINSIUS.

98. *At mea pro nullo pondere verba cadunt.*] Sane nec Latinum est, nec sensum explet. Bene in libri sui margine Gruterus:

At mea proh nullo pondere verba cadunt.

DAN. HEINSIUS. Gruterus, *proh nullo pondere!* ut & Gebhardus in Crepundiis. sed frustra. ut recte vidit perspicacissimus Gronovius ad Livii lib. I. cap. XXI. *pro nullo pondere,* id est, tanquam sine pondere. Fast. IV.

Pro magna teste vetustas
Creditur.

id est, tamquam magna testis, male legitur, *magno teste.* Noster Trist. lib. I. El. VII. 16.

Illud amicitiae sanctum & venerabile nomen
Re tibi pro vili sub pedibusque jacet.

Propertius, lib. I. El. X.

Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.

Plautus Menaechmis:

Pro sano loqueris, qui meo me appellas nomine.

Ibidem,

Non pro insano hoc verbum respondit.

Sed modus exemplorum non esset. *pro nullo pondere.*

Nec tamen indignor: nec me pro conjuge geſſi,
Saepius in dominum ſerva vocata torum.
Me quaedam (memini) Dominam captiva vocabat:
Servitio, dixi, nominis addis onus.
Per tamen oſſa viri, ſubito male tecta ſepulcro,
Semper judiciis oſſa verenda meis;
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Qui bene pro patria, cum patriaque, jacent,
Perque tuum noſtrumque caput, quae junximus una;
Perque tuos enſes, cognita tela meis;
Nulla Mycenaeum ſociaſſe cubilia mecum
Juro: fallentem deſeruiſſe velis.
Si tibi nunc dicam: Fortiſſime, tu quoque jura,
Nulla tibi ſine me gaudia facta: neges.
At Danaï moerere putant. tibi plectra moventur:
Te tenet in tepido mollis amica ſinu.

Et

dere. ſic *in nullo pondere* Propertio, II. Eleg. XXII. ſi locus eſt ſanus:

Quid juvat in nullo pondere verba loqui? HEINS.

100. *In domini ſerva vocata torum.*] *Dominum torum* Codex Epiſcopi Lincolnienſis. placet. ſic *dominos Deos* dixit Ep. IV. v. 12. *dominas manus* Amor. lib. II. El. v. v. 30. Auſonius de Biſſula, *domina libera facta manu. domina haſta* Juvenali Sat. III. 33. *domina menſa* Statio Sylv. IV. Epulo. Domitiani. ita *dominus ſenatus* Sil II. 45. atque ita paſſim optimi ſcriptores. ut & *domina urbs*, pro Roma. ſic & *famulae manus*, *famulae aquae*, & ſimilia. De his loquendi modis Faſtor. lib. I. v. 286 & ſupr. Epiſt. II. 74. dixi. alii *domini toro.* Fruſtra. *vocare* enim eſt imperii herilis. Epiſtola Acontii:

Ignoras tua jura, voca: cur arguor abſens?
Jamdudum dominae mere venire jube.

lib. II. Art. 227.

Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit.
Tum quoque pro ſervo, ſi vocat illa, veni.

HEINSIUS.

104. *Judiciis.*] Janum Vlitium maluiſſe *ſuppliciis*, notavit Francius. ſed nihil movendum docent loca. De Pont. III. v. 52.

Candida judiciis illa ſit hora meis.

Et IV. 3.

Ille ego judiciis unica muſa tuis.

Et Eleg. 10.

Judiciis igitur liceat Flaccoque tibique
Talibus Auguſti tempus in omne frui. BURM.

105. *Mea numina.*] Quia eorum manes ut Deos colebant. vel quos inſtar numinum colo. Ep. XIII. 159.

Per reditum, corpuſque tuum, mea numina, juro,

Vid. Quinctil. VI. Praef. BURMANNUS.

107. *Quod junximus una.*] *Quae junximus* bene Puteaneus. (& alter Mentelianus & Francofurtenſis) *jungere capita*, pro rem Veneream exercere. Petron. *conjunctis marcebant capitibus.* ſic & *jungere membra*, de quo Notis ad lib. II. Faſt. v. 592. & *jungere Venerem.* de quo notis ad Remed. Amor. v. 407. & *jungere corpus*, & *jungere oſcula*, & ſimilia. HEINSIUS.

109. *Nulla Mycenaeum.*] Hoc idem dicit Neſtori Agamemnon apud Homerum libro ſuperius citato. CIOFANUS.

112. *Nulla tibi ſine me gaudia facta.*] Puto *pacta.* Art. Amat.

Si dederint, & vos gaudia pacta date.

Sic & *pactae noctes* apud Propertium IV. Eleg. 3. poteſt & vulgata ferri. HEINSIUS. Recte mutavit Heinſius conjecturam. nam Latine dici *gaudia facere* jam, ut vindicaret antiquum interpretem, oſtendit Druſius ad Act. Apoſt. XV. 3. Plin. VII. 42. *Cetera exempla fortunae variantis innumera ſunt. Etenim quae fecit magna gaudia, niſi ex malis?* Paullinus Natali VII. princ.

Iſta luce tamen nobis pia gaudia laetum
Ver facit, & cedit, pulſis a pectore curis,
Moeror, hiems animi.

Ita enim malo legere quam *ver faciunt, cedit.* BURM.

113. *Moerere.*] Scriverianus *te flere*, quomodo & Francius conjecerat.

115. *Et ſi quis quaerat.*] *Si quis nunc quaerat*, Puteaneus. HEINSIUS.

116. *Noxque Venuſque.*] Haec idem fere notant. Junianus codex *Voxque Venuſque*, quam etiam Berſmannus lectionem notavit, & exſtat in Veneta editione A°. 1493. & recte meo judicio; cum citharae

Et ſi quis quaerat, quare pugnare recuſes:
Pugna nocet: citharae, voxque, Venusque juvant.
Tutius eſt jacuiſſe toro, tenuiſſe puellam,
Threïciam digitis increpuiſſe lyram,
Quam manibus clypeos, & acutae cuſpidis haſtam,
Et galeam preſſa ſuſtinuiſſe coma.
Sed tibi pro tutis inſignia facta placebant:
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua victa jacet?
Dî melius: validoque, precor, vibrata lacerto
Tranſeat Hectoreum Pelias haſta latus.
Mittite me, Danaï; dominum legata rogabo:
Multaque mandatis oſcula mixta feram.
Plus ego quam Phoenix, plus quam facundus Ulixes,
Plus ego quam Teucri (credite) frater agam.

Eſt

tharae optime *vox* ſive cantus ſocietur. Horat. I. Od. 24.

Cui liquidam pater vocem
Cum cithara dedit.

Cicer. II. de Nat. Deor. 58. *Aurium item eſt admirabile quoddam judicium, quo judicatur, & in vocis & in tibiarum, nervorumque cantibus varietas ſonorum.* & I. Tuſc. 2. *Nervorum vocumque cantus.* & hinc *vocalis Orpheus* Horat. I. Od. 12. vid. Barth. VIII. Adverſ. cap. 19. & Vales. ad Amm. Marcel. XIV. 6. Noſter III. Amor. X. 47.

Feſta dies, Veneremque vocat, cantumque, merumque.

Noſter XII. Met. 156.

Non illos citharae, non illos carmina vocum,
Longaque multifori delectat tibia buxi.

Voces vero haec *nox* & *vox* ſaepe a librariis confuſae. v. Heinſ. ad VI. Faſtor. 140. ita dubito, an non apud Silium. VIII. 209.

Anxia ducebat vigili ſuſpiria voce.

Rectius cum MSS. legatur *nocte*. Ampl. Cuperus in literis ad Heinſium etiam *vox* probabat, ſed conjungebat cum citharae, ut *citharae* eſſet ſecundi caſus, ut apud Maronem lib. VI. 646. *Septem diſcrimina vocum* fidibus dantur, & Homerus βοὴν dat citharae & φόρμιγγι. ſed haec ab Ovidiana ſimplicitate longius abeunt. BURMANNUS.

121. *Sed tibi pro tutis inſignia facta placebant.*] Scripſerat Ovidius, ni fallor, *prae tutis.* HEINSIUS.

123. *Probabas.*] Quatuor codices *parabas*, neſcio an male. Epiſt. V. 89. *Nulla parantur bella.* BURMANNUS.

124. *Laus tua victa jacet.*] *Tibi victa* alter Scriverianus. & Helmſtad. paulo venuſtius. vid. Epiſt. VIII. 100. HEINSIUS.

125. *Valido vibrata.*] *Librata*, codex Illuſtris Archiepiſcopi Lincolnienſis, rectius, ut puto. ſic II. Metam. 311.

Dextra libratum fulmen ab aure.

Virgil. IX. 417.

Ecce aliud ſumma telum librabat ab aure.

Noſter II. Amor. eleg. VI. *Librare curſum*, de avibus. & Metam. VIII. *Corpus in alas librare.* in Priapeïs:

Quintia libratas docta movere nates.

Ita vetuſtus codex. Silius I. 317.

Hic valido librat ſtridentia ſaxa lacerto.

Stat. VII. 676.

Librabat magna venturam mole cupreſſum.

VIII. 523.

Librans uni ſibi miſſile telum.

IX. 548.

Telumque immane lacerto
Hortatur librans.

Claudian. II. de Rapt.

Libratur in ictum
Fraxinus.

Et ita forte legendum Epiſt. IV. 43.

Aut tremulum excuſſo jaculum librare lacerto.

ſic & Virgil. X. Aeneïd. 478.

Hic Turnus ferro praefixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit.

Et V. 421.

Ferro, quod miſſile libro.

Silius. I. 317.

Hic valido librat ſtridentia ſaxa lacerto.

Sic optimi codices apud Lucan. IV. 40.

Nulli telum librare vacabat.

Et III. 433.

Primus raptam librare bipennem.

Ubi vulgo *vibrare* legitur. & ita forte legendum

Eſt aliquid collum ſolitis tetigiſſe lacertis,
Praeſentisque oculos admonuiſſe ſui.
Sis licet immitis, Matrisque ferocior undis;
Ut taceam, lacrimis comminuêre meis.
Nunc quoque (ſic omnes Peleus pater impleat annos,
Sic eat auſpiciis Pyrrhus in arma tuis)
Reſpice ſollicitam Briſeïda, fortis Achille;
Nec miſeram lenta ferreus ure mora.
Aut, ſi verſus amor tuus eſt in taedia noſtri;
Quam ſine te cogis vivere, coge mori.
Utque facis, coges. abiit corpusque colorque.
Suſtinet hoc animae ſpes tamen una tui.

Qua

apud Servium ad Virg. IX. Aeneïd. 605. *Amentum eſt lorum, quo media haſta libratur & jacitur.* vulgo *ligatur.* HEINSIUS. Vid. Optimum Drakenborgium ad Sil. I. 351. & XIII. 165. & Schult. ad Quinct. Decl. I. 10.

132. *Praeſenteſque oculos admonuiſſe ſinu.*] *Praeſentiſque* Puteaneus cum aliis nonnullis. Idem *admonuiſſe ſinum*, & ſupra adſcriptum, *vel ſuis* pro diverſa lectione. *Praeſentique ſinus* unus Vaticanus. tres alii, *Praeſentique ſinu.* prior Scriverianus ſatis antiquus:

Praeſentiſque oculis admonuiſſe ſinus.

Lego minima mutatione:

Praeſentiſque oculis admonuiſſe ſui.

Vel *mei*; nam *praeſentiſque meis* erat in altero Menteliano. ſed prius praeſtat: nam *meis* ſequitur. *Oculi* autem *ſunt in amore duces*, ut inquit ille, quibus amantes capiantur potiſſimum ac trahantur. Si quis Puteanei codicis tamen atque aliorum plurium veſtigiis inſiſtens:

Praeſentiſque oculos admonuiſſe ſui,

praeferendum contendat, nil repugnem, dum vulgatam lectionem, ut inurbanam, mecum adverſetur. *admonuiſſe ſui*, ut in Fragmento Halieutici:

Accepit mundus legem, dedit omnibus arma,
Admonuitque ſui.

Epiſtola Ariadnes:

Candidaque impoſui ſummae velamina virgae,
Scilicet oblitos admonitura mei.

Plura ad Statii Silvas Gronov. Diatribes cap. XLIX. ſi vero retineatur *ſuis*, poteſt illuſtrari ex Epiſt. XII. 36.

Abſtulerant oculi lumina noſtra tui.

Et Ep. XVIII. 18.

Sumque tuos oculos uſque ſecuta meis.

Eleg. in Druſum. 394.

Nec cernere nati
Semineces oculos ſuſtinuere tui.

Superiori verſu vocibus tranſpoſitis ſcripti plerique, *collum ſolitis tetigiſſe lacertis.* HEINSIUS.

136. *Eat auſpiciis Pyrrhus ad arma tuis.*] *In arma* codices plerique. & ſane id elegantius. ſic *ire in hoſtem, in pugnam, concitare in arma, ruere, ferri, mittere, venire, trahi in arma*, & ſimilia. Statius Theb. VIII.

Imus in arma palam.

Noſter Amor. lib. I. El. IX. 35.

Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma.

Tò *in* enim infeſti animi ſignificationem interdum prae ſe fert. Noſter infra:

Enſis in Atridae pectus iturus erat.

Et III. Art. 428.

Et Jovis in multas devolat ales aves.

Remed. Amor. 282. ex veteri codice:

Non aliquis ſocios Rheſus in arma vocat.

Attonitum vulgus in arma ruit. Faſt. VI. 598. ex antiquis libris. & Virg. XI. 886. *Inque arma ruentum.* ſic *verti in aliquem* infeſto animo. de quo Met. I. ſic Ep. I.

In te fingebam violentos Troas ituros.

Virg. XI. 514.

Per deſerta jugo ſuperans adventat in urbem.

Ut ex optimo MS. legi debet, id eſt infeſtis armis rectà ad urbem contendit: cogitandum quoque de lectione lib. X. v. 455. *Meditantem praelia*, ubi vetuſtiores MSS. *meditantem in praelia*, quae lectio omnino vera eſt. ſic lib. II. v. 347. *Audere in praelia* dixit. Martial. XII. Ep. 61. *In Tauros Libyci fremunt leones.* ſic *ire in leges*, ut primus docuit Gronov. noſter Diatr. Stat. c. III. ſic Virg. II. Aeneïd. 408.

Et ſeſe medium injecit periturus in hoſtem.

Ut legi ex MSS. debet. & ibid. 511.

Ac denſos fertur moriturus in hoſtes.

Ubi Pierius *ad hoſtes* probat, inſulſe. & hinc illae voces *incurrere* apud Virg. XI. 834. ex MSS. *inferre* lib. IX. 53. quod & male illic mutant. & lib. XI. 742. imo Cicero dicit *invadere in aliquem*, & Philip. VII. *Imminere in fortunam alterius*, & Philip. XI. c. I. *Minitari in hoſtem ſupplicia.* ut ibi MS.

Ferrari

Qua ſi deſtituor, repetam fratresque virumque:
Nec tibi magnificum femina juſſa mori.
Cur autem jubeas? ſtricto pete corpora ferro.
Eſt mihi, qui foſſo pectore ſanguis eat.
Me petat ille tuus, qui, ſi Dea paſſa fuiſſet,
Enſis in Atridae pectus iturus erat.
Ah potius ſerves noſtram, tua munera, vitam.
Quod dederas hoſti victor, amica rogo.
Perdere quos melius poſſis, Neptunia praebent
Pergama. materiam caedis ab hoſte pete.
Me modo, ſive paras impellere remige claſſem,
Sive manes, domini jure venire jube.

EPI-

Ferrari veterrimus. pro Milon. 32. *Inſultare in rempub.* Senec. Herc. furent. 778. *Succenſus in bella*, ut ibi ex MSS. legendum. HEINSIUS. Nuc. 110.

Praeda nefandae
Conjugis Aonium miſit in arma virum.

Ubi quidam codices etiam *ad.* & Met. XIII. 39.

—— *Vitataque traxit in arma.*

Ubi etiam alii *ad.* III. Art. Am. 419.

In multas lupa tendit oves.

I. Art. 97.

Sic ruit in celebres cultiſſima femina ludos.

In quibus omnibus etiam *ad* habent codices plurimi. BURMANNUS.

139. *At ſi verſus amor tuus eſt in taedia noſtri.*] Optime idem Gruterus legebat: *Aut ſi verſus amor tuus eſt in taedia noſtri.* DAN. HEINSIUS. *Aut* Puteaneus, nec pauci alii ex melioribus. placet. HEINSIUS.

142. *Suſtinet.*] In Aldinis legitur: *Suſtinet hoc animae ſpes tamen una tui.* ut ſit dictum *hoc animae* pro hanc animam. hoc ſenſu, una tamen ſpes tui, ſive quam de te habeo ſuſtinet hanc animam, hoc eſt vitam meam, ceteris ut corpore & colore delabentibus. eſt autem argumentum Epiſtolae hujus ex nono Iliados. 30, quo eodem libro etiam pleraque loca difficiliora, ſi qua hic fuerint, explicari poterunt. MICYLLUS. *Una tui.* Vaticanus; Aldinus vero, *una mei.* CIOFANUS. *Animi ſpes tamen una mei* quatuor libri. etiam bene; Lucan. x. 68.

Hoc animi nox una dedit.

Niſi malis *animae meae.* & mox *Quâ ſi deſtituor*, pro *deſtituar*, Puteaneus aliique nonnulli. HEINS. vid. ſup. v. 60.

144. *Nec tibi magnificum.*] Douza conjiciebat, *Nae tibi*, ut ſit Ironia.

149. *At potius ſerves.*] *Ah* Puteaneus cum duobus aliis. vid. Ep. XIX. 105. HEINSIUS.

154. *Domini more.*] Sic prope in Epiſtola Acontii:

Jamdudum dominae more venire jube. CIOFAN.

Non damno hanc lectionem: Puteaneus tamen cum tribus aliis *domini jure.* Paulinus Epiſtolà ad Auſonium:

Totuſque noſtra jure domini vindicat
Et corda, & ora, & tempora.

Acontius Cydippae:

Ignoras tua jura, voca: cur arguor abſens?
Jamdudum dominae more venire jube.

Hac de voce vide quae noto lib. I. Amor. El. II. Remed. Amor. v. 100. ex antiquis libris:

Non ſunt imperii tam fera jura mei.

Hinc *jus habere in aliquem.* Nil temere tamen mutandum hoc loco, aut ſi quid mutem, lubens corrigam, *domino jure*, vel, *more*; de qua locutione paulo ante agebamus hac ipſa Epiſtola. HEINSIUS.

EPISTOLA IV.

PHAEDRA HIPPOLYTO.

QUa, niſi tu dederis, caritura eſt ipſa, ſalutem
Mittit Amazonio Creſſa puella viro.
Perlege quodcumque eſt. quid epiſtola lecta nocebit?
Te quoque, in hac aliquid, quod juvet, eſſe poteſt.
His arcana notis terra pelagoque feruntur:
Inſpicit acceptas hoſtis ab hoſte notas.
Ter tecum conata loqui, ter inutilis haeſit
Lingua, ter in primo deſtitit ore ſonus.
Qua licet & ſequitur, pudor eſt miſcendus amori.
Dicere quae puduit, ſcribere juſſit Amor.

Quid-

1. *Qua, niſi tu dederis.*] Regius,& duo alii codices: *Quam niſi tu dederis, non eſt habitura, ſalutem.* Quod mihi mollius fluere videtur. huic Epiſtolae egregie reſpondit Sidronius Hoſſchius, nullo Poëtarum inferior. BURMANNUS.

5. *His arcana notis.*] Sequenti verſu repetitur *notas*, ſine ulla ſpecie elegantiae. forte hic ſcripſerit, *His arcana modis*, ita *notae* & *modi* confunduntur II. Met. 452. BURMANNUS.

8. *Ter in primo deſtitit ore ſonus.*] Sunt qui *reſtitit* legendum contendant. Inter quos Douza & Slichtenhorſtius quodam meus. & in uno Lovanienſi extat. Tres alii, *conſtitit*. Sed nil mutandum. Etſi ſuccurrunt illa Laodamiae:

Semper in his apte narrantia verba reſiſtunt.

Virgilianum quoque iſtud:

Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.

Pro vulgata enim lectione ſtat locus ille, Faſt. II. v. 823.

Ter conata loqui, ter deſtitit: auſaque quarto
Non oculos ab humo ſuſtulit illa ſuos.

Ubi perperam ſcripti nonnulli, *deficit*. Epiſtola Laodamiae. v. 83.

Hunc fateor volui revocare, animuſque ferebat.
Deſtitit auſpicii lingua timore mali.

Sic puto, cum in quinque codicibus ſit, *ſed ſtetit*. Vulgati *ſubſtitit*. etiam non male. Faſt. lib. I. v. 538.

Subſtitit in medios praeſcia lingua ſonos.

Deſiſtere pro ſtare, reſtare Plautus quoque dixit Moſtellaria Act. III. ſc. II.

Quid illic obſecro tamdiu deſtitiſti?

Ut exemplaria nonnulla praeferunt. HEINSIUS. Sed *reſtitit* mihi valde blanditur, ita *reſiſtens & ſalebroſa oratio*, Quinct. XI. 2. Capoferreus initium Epiſtolae ab hoc diſticho faciebat, & praecedentia ſpuria credebat, vel ſaltem duobus ejectis, hoc poſt primum ponebat. BURMANNUS.

9. *Et ſequitur.*] Exponunt conveniens, utile eſt. ſed melius *facile eſt* redditur, ut Gronov. Diatribes Statianae cap. XLV. Quinct. VIII. 6. *Refert autem in quantum dictus tropus Oratorem ſequatur.* & ita ille ſaepius. vid. ad lib. II. cap. 14. BURM.

12. *Regnat, & in dominos jus habet ille Deos.*] Sic Vat. & alii. Naevius Gymnaſtico: *Aedepol, Cupido, cum tam puſillus ſis, nimis multum vales.* Seneca in Hippolyto. 201.

Regnumque tantum minimus in ſuperos habet.

CIOFANUS. Senec. Hippol. 184.

Vicit ac regnat furor.

In Dominos jus habet ille Deos.] Sic ſcripti. non *ſuperos*, ut editio Micylli & aliorum. in uno meo, *domitos*. ſed perperam. Amor. lib. III. El. X.

Haec decet ad Dominos munera ferre Deos.

Sic *Domina Venus* apud Petronium Apulej. VIII. Met. *Cum ſuo Adonide Domina Venus.* Prop. III. Eleg. III.

Et Veneris Dominae volucres, mea turba, columbae.

Et II. Eleg. V. *Dominam Junonem.* & Mart. XII. Epig. XVIII. *Dominam Dianam.* Noſter lib. I. Art. Am. 148.

Tu Veneri dominae plaute favente manu.

Am. III. Eleg. XIII. de Junone.

Inviſa eſt dominae ſola capella Deae. HEINSIUS.

16. *Figat.*] Francio non videbatur hoc verbum reſpondere τῷ *fovet*. quare ille refingebat:

Adſit, & ut noſtras avido vorat igne medullas,
Urat ſic animos in mea vota tuos.

Codices vero nihil mutant, niſi quod in quibusdam ſit *fingat*; quare cum librarii ſaepe haec verba ſuppo-

Quidquid Amor juſſit, non eſt contemnere tutum.
Regnat, & in Dominos jus habet ille Deos.
Ille mihi primo dubitanti ſcribere, dixit:
Scribe, dabit victas ferreus ille manus.
Adſit, &, ut noſtras avido fovet igne medullas,
Figat ſic animos in mea vota tuos.
Non ego nequitia ſocialia foedera rumpam.
Fama (velim quaeras) crimine noſtra vacat.
Venit Amor gravius, quo ſerius. urimur intus,
Urimur; & caecum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros laedunt juga prima juvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus:
Sic male vixque ſubit primos rude pectus amores;
Sarcinaque haec animo non ſedet apta meo.
Ars fit, ut a teneris crimen condiſcitur annis.
Quae venit exacto tempore, pejus amat.

Tu

ſuppoſuere pro *frangat*, & *figere animos* ſit inſolentius dictum, hic mallem *frangat*, quod τῷ *fovere* non eſt contrarium? ut enim meas medullas fovit & mollit igne ſuo, ita tuum animum durum frangat in mea vota. ſic III. Met. 84. pro, *figitque in acumine dentes*, Heinſius ex MSS. repoſuit, *Frangit*; & IV. Met. 392. pro *duro fera robora roſtro Figit*, multi codices habent *frangit*. vide ſupr. ad Epiſt. I. 86. BURMANNUS.

17. *Nequitia.*] Hic pro laſcivia ponitur, qua in cujuſcumque amplexus ferimur. & opponitur amori. amore ergo Hippolyti, non libidine ſe moveri ſcribit. non intellexit haec Criſpinus, qui explicat inepte, *non libidinoſa levitate foedera, quae tu mecum iniveris, rumpam. Socialia* illa *foedera* reſpiciunt nuptias cum Theſeo initas; hoc ſequentia indicant. BURMANNUS.

17. *Socialia.*] Ita lege apud Stat. II. Achil. 354. ex MSS.

Quis enim illicitis ſocialia rumpi
Pacta dolis &c. perferat?

Ubi vulgo *genialia* legitur. HEINSIUS.

19. *Venit amor gravius.*] Quidam libri *urit amor*, ut III. Amor. I. 20. ſed nihil opus. I. Am. VI. 20.

Nec mora; venit amor.

Et vide mox ad vers 26. HEINSIUS. Douzae tamen placebat, *urit.*

20. *Caecum pectora vulnus habent.*] Minime damno hanc lectionem. Non minus eleganter tamen unus ex meis, *tacitum vulnus.* appoſite apud Maronem:

—— *eſt mollis flamma medullas*
Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.

HEINSIUS. V. I. Amor. II. 6.

21. *Laedunt.*] Codex Ambroſianus *urunt*, quod elegantiſſimum, & niſi praeceſſiſſet *urimur*, ſine ulla haeſitatione amplecterer. ita Remed. Amor. 235.

Ut prenſos urunt juga prima juvencos.

Et Pont. I. V. 25.

Subducunt oneri colla peruſta boves.

Ita Horat. I. Ep. 13. *Urit me ſarcina.* vid. Paſſerat. ad Propert. IV. 3. & Barth. ad Stat. VI. Theb. 398. BURMANNUS.

23. *Primos rude pectus amores.*] Broukhuſium maluiſſe *primo amori* notavit Francius. ſed quamvis uterque caſus huic verbo jungi poſſit, hic aptius puto *amores*, quia continuat Poeta Metaphoram a jugo inceptam; & ita rude pectus male ſubit amores, qui ſunt grave jugum, quo ſenſu puto aptius eſſe caſum quartum. ut apud Tibul. I. IV.

Nec te poeniteat duros ſubiiſſe labores.

Ut recte Broukhuſius. & ita paſſim *jugum ſubire* ſcriptores. ſic *ſubire inſolitos cibos*, Quinct. Decl. XII. 7. ubi vide. aliud eſt cum Amor dicatur *ſubire*, id eſt clam ſubrepere in animos; ut I. Am. IX.

An ſubit, & tacita callidus arte nocet.

De qua locutione v. Broukh. ad Propert. I. IX. 26. BURMANNUS.

25. *Ubi.*] *Ut a teneris* novem libri. *ut* pro *ubi*; ſic ſaepe Noſter. v. Epiſt. XV. I. II. Art Am. 590. IV. Faſt. 255. & paſſim. HEINSIUS. *Ut a teneris crimen quom diſcitur annis*, antiqua editio & codex Palatinus.

26. *Quae venit.*] *Cui venit* legebat Faber ad Lucretii lib. III. p. 480. & ita jam olim ad marginem codicis ſui Heinſius notaverat, & haec adjecerat. forte *cui venit.* ſcilicet amor, & refer ad, *venit amor gravius.* locutio autem eſt mere Ovidiana. ſic Ep. V. 8. ex MSS.

Tu nova ſervatae capies libamina famae;
Et pariter noſtrûm fiet uterque nocens.
Eſt aliquid, plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue roſam.
Si tamen ille prior, quo me ſine crimine geſſi,
Candor ab inſolita labe notandus erat;
At bene ſucceſſit, digno quod adurimur igni:
Pejus adulterio turpis adulter abeſt.
Si mihi concedat Juno fratremque virumque;
Hippolytum videar praepoſitura Jovi:

Jam

Cui venit indignae poena dolenda venit.
Art. Am. II. 11. ex MSS.
Nec ſatis eſt veniſſe tibi me vate puellam.
Ubi vid. Ep. VI. 106.
—— *à gelido queis venit axe nurus.*
Prop. I. IX.
Dicebam tibi venturos irriſor amores.
Et II. Eleg. III.
His ſaltem ut tenear jam finibus, aut mihi ſi quis,
Acrius ut moriar, venerit alter amor.
Et lib. I. El. VII.
Saepe venit magno foenore tardus amor.
v. Inf. v. 115. & Ep. v. 8. haec Heinſius. & certe illud, quod additur, *pejus amat*, hanc lectionem requirit, non enim *ars* amat, ſed illa, cui ars ſerius venit. in Francof. erat *quod venit*, forte pro *quoi*, ut olim ſcribebant. BURMANNUS.

27. *Carpes libamina formae.*] *Carpere* ſequenti verſu denuo habes. quare praetulerim quod in nonnullis, *capies*. niſi *rapies* fortaſſe malis. HEINS.

Famae.] Vetus editio, qua uſus Gruterus, *flammae*. ſed *famae* praeſtat: ita *perdere famam* Epiſt. v. 6. multi codices hic quoque, ſolemni permutatione, *formae* habent. ſed famam illibatam pudicitiae ſe huc uſque ſervaſſe, & in unius Hippolyti gratiam ſe peccaturam oſtendit. pro *deligere*, *diſſicere* in antiqua editione invenit Heinſius. ſcripti plurimi *diligere*. Leidenſis, & alii nonnulli *colligere*, omnes fruſtra. v. Paſſerat. ad Propert. lib. II. Eleg. 32. p. 386. BURMANNUS.

31. *Sic tamen ille prior.*] Vetus lectio fortaſſe melior, *ſi tamen ille prior*. ſequitur enim: *At bene ſucceſſit, digno quod adurimur igni*. NAUGERIUS. *Sic tamen* Puteani liber cum pleriſque aliis. Sed verum eſt, quod ex ſuis profert Naugerius, quodque ego in uno alteroque offendi, *Si tamen*. Vulgati, *Sed tamen*. Sequenti verſu idem Puteaneus *igne* pro *igne* ἀτταικῶς, ut ſaepe alias. Junianus & Gronovianus, *aeſtu*. etiam non male. Stat. I. Silv. II. 93.

Ipſe ego te tantos ſtupui ſupereſſe per aeſtus.
Claudian. Epith. Honor.
Hauſerat inſolitos promiſſae virginis aeſtus.
Epiſt. XVI. 25.
Perſtet, & ut pelagi, ſic pectoris adjuvet aeſtus.
HEINS. *Sic tamen* Scaliger & Douza probabant.

32. *Labe.*] Proprie macula, quae candorem foedat. vide ſomnium lib. III. Amor. v. 44.

34. *Obeſt.*] *Abeſt* legendum videtur; atque ita Scriverianus liber. HEINSIUS. Landinus ad Horat. I. Od. 27. citat:
Turpis adulterio pejus adulter erit.
Sed male, ut puto. *turpis* hic non tam ad animum, quam ad formam corporis referendum. ut ſibi placeat Phaedra, quod elegerit adulterum formoſum, & cujus amor excuſari poſſet pulchritudine, qua capta fuit. ita & Horat. I. Od. 33.
Sed prius Appulis
Jungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Senſus ergo eſt, abeſt a meo amore deformis adulter, quod ipſo adulterio pejus eſt. BURMANNUS.

36. *Videor.*] *Videar*, Vaticanus & Farneſianus unus, rectius. HEINSIUS.

37. *Mittor in artes.*] *Mutor* Puteaneus codex & Argentinenſis. venuſte, niſi malis *nitor*. Vide Notas Art. Am. III. 667. *Miror* alter Mentelianus. *credas* pro *credes* quinque libri. ſic Epiſt. XVIII. 99.
Quam multos credas juvenes optare, quod optas.
Epiſt. XIX. 122.
Hinc quoque vix credas.
Ut ex MSS. ibi legendum. HEINSIUS. *Mittor* nihili eſt lectio; conjecturam Heinſii *nitor* firmant Mentelianus & Francofurtenſis. ſic Flor. IV. 11. *Niti in decus*. Lucan. lib. V. 197.
Tanta patet rerum ſeries, atque omne futurum
Nititur in lucem.
Ita MSS. perperam editiones priſcae *mittitur*. ita III. Met. 599. pro *udaeque innitor arenae*, alii codices habent *immittor*. *mutor* tamen defendi poſſet auctoritate Senecae, apud quem Phaedra ita ad Hippolytum vers. 667.
Reſperſa labe nulla, & intacta, innocens
Tibi mutor uni.
Ubi codex Trajectinae Bibliothecae, & alii etiam *mittor*. Tacitus I. Hiſt. cap. 50. de Veſpaſiano:

Solus

Jam quoque (vix credas) ignotas nitor in artes:
Eſt mihi per ſaevas impetus ire feras.
Jam mihi prima Dea eſt, cornu praeſignis adunco
Delia. judicium ſubſequor ipſa tuum.
In nemus ire libet, preſſisque in retia cervis,
Hortari celeres per juga ſumma canes:
Aut tremulum excuſſo jaculum vibrare lacerto;
Aut in graminea ponere corpus humo.
Saepe juvat verſare leves in pulvere currus,
Torquentem frenis ora ſequacis equi.

Nunc

Solus omnium ante ſe principum in melius mutatus. BURMANNUS.

38. *Per ſaevas impetus ire feras.*] *In feras ire*, recte & eleganter dici vidimus modo Epiſt. III. 36. ſed per *feras ire*, non placet, nec ut Criſpinus notat, plus eſſe, *quam in feras*, credimus. niſi transfixas velit intelligi. ut nec *ſaevas feras* probo. quare forte ſcripſerit, *per ſilvas impetus ire feras. ſilvae ferae* eleganter dicuntur. v. Heinſ. ad Claud. Conſ. Olybr. 186. ſic *fera Aetna* Propert. III. 2. ubi vid. Paſſerat. *fera arva.* Manil. I. 86. ut vero hic *ire per ſilvas*, ita Epiſtol. v. 64. *Per fluctus impetus ire fuit.* BURMANNUS.

39. *Arcu praeſignis adunco Delia.*] *Cornu adunco* Scriverianus liber. ſic κέρας pro arcu etiam apud Graecos poëtas eſt invenire. ut apud Anacreontem, ſub finem Odae III. Cupido de arcu ſuo Κέρας ἀβλαβὲς μέν ἐϛι. Claudianus de Raptu Proſerpinae II. 205. *Intento feſtinat Delia cornu.* & de eadem, *quae terret Maenala cornu.* Noſter Epiſtola Ariadnes:

Non poterant figi praecordia ferrea cornu.

I. Met. 455.

Viderat adducto flectentem cornua nervo.

VI. 243. ex Mſſ.

Cum tento concita cornu.

Virgil. XI.

Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu.

Ibid. 859.

Cornuque infenſa tetendit.

Atque ita Poëtae paſſim. ſequenti verſu *ſubſequor* Puteaneus liber cum aliis nonnullis. HEINSIUS.

41. *Preſſisque.*] *Prenſis*, Puteanea excerpta & quinque libri ex noſtris. ſed *preſſis* probum eſt. Virgil. III. Georg. 413.

Ingentem clamore premes in retia cervum. HEINS. Stat. IV. Theb. 322.

Nuper te pallida vidi,
Dum premis, obnixo venabula cominus apro,
Poplite ſucciduo reſupinum ac pene ruentem.

Ubi Lutatius, *venatores cum inveſtigant, errant, cum proſequuntur, premunt.* v. Gebhard. ad Nepot. Miltiad. c. 3. BURMANNUS.

42. *Hortari.*] Quidam codices *citari*, alii *ſectari*, quod placet. Prop. III. XIV.

Sectari patrios per juga longa canes.

Senec. Hippol. 110. *Juvat excitatas conſequi curſu feras.* HEINSIUS. nihil muto. *Hortari* enim, ut & *monere*, verbum eſt venatorum. v. Gebh. ad Prop. II. IX. 20. Noſter Met. X. 537. *Hortaturque canes.* Praeterea Broukhuſius ad Tibul. I. Eleg. IV. 18. mallet hic: *Hortari celeres per juga longa canes.* ut Epiſt. ſeq. 20.

Saepe citos egi per juga longa canes.

Sed conſtanter *ſumma* retinent codices, & impoſuit fallax memoria Heinſio; cujus monitu Broukhuſius ita corrigebat. praeterea majus meritum, & laboris inſoliti impetum indicat vulgata lectio, ut etiam enitatur in ſumma juga. BURMANNUS.

46. *Ora fugacis equi.*] *Sequacis* Puteaneum exemplar & Scriverianum cum quatuor aliis, tam hic, quam Epiſtola Herûs initio:

Flectitis aut freno colla ſequacis equi.

Ubi etiam *fugacis* vulgo. Virgil. X.

Ut vidit Pallas Latio dare terga ſequaci.

Remed. Amor. 246.

Nunc leporem pronum catulo ſectare ſequaci.

Ut quidem Jureti excerpta. Sed verior lectio, *Catulo ſagaci.* Ita Calpur. Eclog. I. *Sequaci oculo*, & Licentius carmine ad Auguſt. apud Pith. p. 338. *Sequaces vitulos.* & Gratius. 411. *Sequax malum.* Contra Lucanus VIII. 3. de equo dixit:

Cornipedem exhauſtum curſu ſtimuliſque negantem.

Sic *ſequacia ſaxa ducere*, de Orpheo initio Met. XI. *Sequens annona* apud Stat. Sylv. IV. ad Plotium Grypum. vide de eleganti uſu ejus vocis Gronovium Diatrib. c. XLV. ſic & *Parentem undam* Noſter dixit; de quo egimus II. Amor. El. XVI. *Fugacem* tamen *equum* Ammianus lib. XIX. dixit: *Fugaci equo nudo & infreni calonum quidam ſedens.* Propertius de Parthis:

Tela fugacis equi, & braccati militis arcus.

Servius ad lib. I. Georg. 280. *Velocem equum fugacem dicimus.* Certe Noſter *velocem* equum alibi non ſemel dixit; hoc vero loco equum deſcribit

Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleïdes actae,
Quaeque sub Idaeo tympana colle movent:
Aut quas semideae Dryades, Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere suo.
Namque mihi referunt, cum se furor ille remisit,
Omnia. me tacitam conscius urit Amor.
Forsitan hunc generis fato reddamus amorem;
Et Venus è tota gente tributa petat.
Juppiter Europen (prima est ea gentis origo)
Dilexit, tauro dissimulante Deum.
Pasiphaë mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo.

Per-

frenis parentem. Rectius ergo, *Sequacis equi*. At paulo post hac eadem epistola,

Sive fugacis equi luctantia colla recurvas,

duo libri exhibent, cum in vulgatis legatur *ferocis*. HEINSIUS.

47. *Eleleides.*] *Eleides* in omnibus. Quin & Planudes, qui Epistolas has Heroidum in Graecam linguam transfert, sic hoc carmen interpretatur; Νῦν δὲ φέρομαι ὡς αὐτὰις τοῦ βάκχου μανίαις ἐλαυμέναι Ἠλήιδες. NAUGERIUS. Omnes ad hunc diem *Eleides*, in quo nescias, utrum magis accuses negligentiam hominum an insciticiam, an potius utrumque: quis enim non videat versum, si *Eleides* legas, subsultare. jam Bacchi nomen *Eleleus*, non *Eleus* erat. quod Ovidii auctoritas Metamorphoseos sexto probat:

Nyctheleus, Eleleusque parens.

Quod nomen Apollinis etiam esse Macrobius prodidit, dictumque illud: Ἀπὸ τοῦ ἐλίττεσθαι περὶ τὴν γήν. quod alterno scilicet meatu circa terram volvi videatur. jam Euripides:

Ἥλιος θοαῖς ἵπποισιν ἑλίσσων σθένος
Πολλοῦ πυρός.

Nec vero minus Empedocles de illo:

Οὐν ἐκ ἐλισσεὶς μέγαν οὐράνον ἀμφιπολεύει.

Sive igitur a volutione hujusmodi, sive ab *Elele* Bacchantium voce (nam etiam a sonis Bacchum dixere & *Bromium* & *Iacchum*) sive & ipse, qui & Apollo sit, a rotatione illa perpetua dictus *Eleleus* est, unde *Eleleides* quoque factae sunt, ut aliter versus legi nequaquam possit. EGNATIUS. Eadem quoque Micyllus habet.

48. *Quaeque.*] Videndum, num potius *Quique* legendum sit, & de Gallis sacerdotibus intelligendum. neque enim feminas Cybeles sacrificia, perinde ut Bacchi, celebrasse alibi legimus. MYCILL. *Quique* rescribi Mycillus velit, ut de Gallis intelligatur. At argute Ovidius Gallos tanquam feminas hic describit, pro qua lectione libri stant veteres uno consensu. *Gallas* simili modo Catullus in Galliambo vocavit. ubi passim ludit, Attyn tanquam feminam describens, quem & Anacreon Od. XIII. vocat ἡμίθηλυν *semi-marem*, ut & Claudianus Eutropium Eunuchum. & ita Ovid. II. Am. III. videtur vocare: *Nec feminam nec virum.* Sic & in Ibide 453. ex MS.

Ut quas Cybeleia mater incitat.

Virg. Ceiri. 104.

Saeva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ictave Barbarico Cybeles antistita buxo.

Certe Lucianus Gallorum Choro feminas immistas, ipsosque Gallos vestitu muliebri fuisse usos testatur. sed codex nunc non est ad manum. Vide quae ad Claudianum notamus libro I. in Eutropium. v. 271. sic apud Statium Theb. XII. *Dux vesana chori* Attys aut Archigallus vocatur. quod temere mutari nolim. Apud Apulejum Met. VIII. Archigallus ad Cinaedos: *Puellae servum vobis pulchellum, en ecce, mercatus perduxi, sed illae puellae chorus erat cinaedorum, quae statim exultantes in gaudium, fracta, rauca & effoeminata voce clamores absonos intollunt, rata scilicet vere quempiam hominem servulum ministerio suo paratum.* Ita apud Homer. Ἀχαΐδες οὔκετ' Ἀχαιοι. & apud Maronem:

Vere Phrygiae; neque enim Phryges. HEINSIUS.

53. *Hunc fato generis.*] Rectius legitur *generis fato*, ut ambiguitas vitetur. sic Ep. VIII. 65.

Hoc generis fato, quod nostros errat in annos.

Scribendum vero *reddamus* & *petat* ex MSS. solet enim Ovidius τὸ *forsitan* cum subsiantivo nectere. v. Ep. I. 77. VII. 133. X. 85. XII. 177. ex MSS. XIX. 123. Trist. I. 165. ita & Juvenal. Sat. XI. 162. *Forsitan exspectes.* Silius XV. 643.

Forsitan & pugnas venias Germanus in ipsas.

E tota quoque Scriverianus & alii nonnulli: nam in Puteaneo unius paginae hic est lacuna. HEINS. Pro *reddemus*, *debemus* conjiciebat Francius. Veneri vero adscribit insaniam suam Phaedra, quia illa irata

Perfidus Aegides, ducentia fila ſecutus,
Curva meae fugit tecta ſororis ope.
En ego nunc, ne forte parum Minoïa credar,
In ſocias leges, ultima gentis, eo.
Hoc quoque fatale eſt: placuit domus una duabus.
Me tua forma capit, capta parente ſoror.
Theſides Theſeusque duas rapuere ſorores.
Ponite de noſtra bina tropaea domo.
Tempore, quo vobis inita eſt Cerealis Eleuſin,
Gnoſia me vellem detinuiſſet humus.
Tunc mihi praecipue (nec non tamen ante) placebas:
Acer in extremis oſſibus haeſit amor.

Can-

irata Soli, omnem ejus progeniem vexare ſtudebat. Ovid. IV. Met. 109.

Exigit indicii memorem Cytherëia poenam.

Vide Serv. ad Virg. Eclog. VI. 46. & VI. Aenëid. 14. Libanii Διηγήματα ab Allatio edita. capite XV. & XVI. & Seneca Hippol. 114.

Stirpem perosa Solis inviſi Venus.

V. Boeſſ. ad Ibin. 579. BURMANNUS.

55. *Europam.*] *Europen*, Sarravii liber, ut Noſter etiam alibi. HEINSIUS. vid. I. Art. Am. 322.

58. *Utero crimen onuſque ſuum.*] Ita nos ex veteri lectione correximus. ſed & recta prior lectio. *Enixa eſt utero crimen onuſque ſuo.* Ut inferius in Canace. *Et poſitum eſt uteri crimen onuſque mei.* NAUGERIUS. *Suo* ſcripti plerique. probe. Epiſtola Canaces:

Et poſitum eſt uteri crimen onuſque mei. HEINS.

60. *Fugit tecta.*] *Fregit tecta* alter Scriverii codex. de quo ad Epiſtolam primam. v. 42. ſic apud Virgilium lib. V. Aen. in labyrinthi deſcriptione:

—— *quâ ſigna ſequendi*
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.

Quo loco libri nonnulli veteres, & Servius manu exaratus Bibliothecae Leidenſis *Frangeret* agnoſcunt. Ita *Frangere clivum* pro ſuperare dixit Senec. de Vita Beata XV. *Frangere aciem* pro perrumpere Auct. de Vir. Illuſt. XVI. De A. Poſthumio. ubi male *aciem fuderunt.* Stat. Theb. VI. 108. *Fractum antrum.* Claud. II. Rapt. 184. *Fractoque meatu*, male ibi *facto.* ſic *Frangere iter.* Stat. Theb. X. 177. ubi *fregit* pro abrupit. HEINSIUS. Sed in Vaticano, Ambroſiano, & Hafnienſi erat, *ſubiit tecta*, etiam non male. nam illud *fregit* durius mihi videtur & moroſius dictum. & vox haec *ſubiit* melius ſecurum & interritum Theſei animum notat, qui infamia illa caede tecta ſubire audebat, Ariadnes filo fidens. nec permutatio horum verborum, *ſubire* & *fugere* inſolens librariis. ſic apud Virgil. X. Aenëid. 344. in codicibus eſt, *protinus haſta ſubit*, ubi vulgo *fugit.* apud Lucanum quoque IX. 540. pro *Te ſegnis Cynoſura ſubit*, in quibusdam libris eſt *fugit.* in Menteliano hoc loco erat *refugit.* Vlitius etiam pro *tecta*, *texta* mallet. BURMANNUS.

61. *Minoïa credar.*] Quidam *dicas*, alii *credas.* Duo etiam *Minoida.* unde poſſet legi *ne forte parum Minoida credas.* ſed nihil muto. inf. VIII. 81. *Ne non Pelopëia credar.* BURMANNUS.

62. *In ſocias.*] *In ſolitas* unus Heinſius. non male.

63. *Duabus.*] Septemdecim codices *duobus.* manifeſto errore. Aemulatus eſt Seneca. Hippol. 665.

Domus ſorores una corrupit duas,
Te genitor, at me natus. BURMANNUS.

67. *Tempore quo nobis inita eſt Cerealis Eleuſis.*] Primo *vobis* ſcribendum, ut ſequenti verſui melius haec reſpondeant, idque auctoribus duobus libris. Deinde τὸ *inita* perperam in *viſa* vel *nota* mutant libri nonnulli. Ad *Initia* enim Cereris videtur alludere. quod & Magno Scaligero ad Annum MMCLXVII. Chronici Euſebiani eſt viſum, ubi complura de ſacris Eleuſiniis. Caeterum in Proſodia admodum vetuſto charactere exarata, tempore Caroli M. facta, apud Patres Societatis Jeſu Lovanienſes *Eleuſin* legebatur. idque recte: ſic lib. IV. Faſt. 507. veterrimi codices:

—— *quod nunc Cerealis Eleuſin*
Dicitur, hic Celei rura fuere ſenis.

Ut & Metamorph. lib. VII.

Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleuſin.

Etiam apud Claudianum lib. I. de Raptu:

—— *ſanctaſque faces attollit Eleuſin.*

Nec non apud Sidonium Apollinarem Carm. XXII.

Quanta Leontino turgeſcit meſſis acervo
Quantum, quae tacitis Cererem venerata choreis
Attica Triptolemo civi condebat Eleuſin.

Ubi primo verſu rectius legas *Leontino in arvo.* tertio *credebat Eleuſin.* Athenienſes enim inventarum frugum gloriam ſibi vindicabant, & civem Triptolemum, cui Ceres Eleuſinia, ſpargendas per orbem fruges credidiſſe ferebatur. Hinc *Actaeus*

Candida veſtis erat, praecincti flore capilli:
Flava verecundus tinxerat ora rubor.
Quemque vocant aliae vultum rigidumque trucemque,
Pro rigido, Phaedra judice, fortis erat.
Sint procul à nobis juvenes, ut femina, comti.
Fine coli modico forma virilis amat.
Te tuus iſte rigor, poſitique ſine arte capilli,
Et levis egregio pulvis in ore decet.

Sive

Triptolemus Stat. Epul. Domitiani. Neque aliter apud Senecam in Tragoediis non uno loco, & Silium in optimis codicibus exaratum offendi. ſic Stat. II. Theb. 382. ex MSS.

Te mitis Eleuſin
Levis habet.

VII. 411.
Pernox ululavit Eleuſin.

XII. 132.
Quamvis ſibi luget Eleuſin.

& 628.
Illos Cerealis Eleuſin.

Ubi etiam *Salamin* in MSS. Grammatici praeterea utrumque dici monent. Servius lib. I. Georg. 63. *Talis eſt & in Graecis ratio, nam Attis & Attin dicunt: delphin & delphis, Eleuſin & Eleuſis. ſed verius in* IN *deſinunt, quod in obliquis habent Attinos, delphinos, Eleuſinos.* ſic ſcribe. Similia habes apud Priſcianum lib. VI. *Et ſciendum quod omnia in IN deſinentia etiam in IS producta finiuntur. Attin proprium nomen & Attis, delphin & delphis, Eleuſin & Eleuſis, Trachin & Trachis. Et notandum, quod auctores Graecorum in IS magis terminatione ſint uſi: noſtri vero frequentius in IN. etſi Cicero pro Scauro Aris & Arin dixerit.* ſic & illa ſunt conſtituenda. Neque aliter Ammianus Marcellinus, lib. XVII. Pomponius Mela, Plinius, alii. Apud Senecam Natural. Quaeſt. lib. VII. cap. XXXI. ſcribendum videtur, *Eleuſin ſervat, quod oſtendat reviſentibus.* Heinsius. *Inita* recte ſervavit Heinſius; ſed ad *initia* reſpicere Ovidium vix puto, qui ſibi in his argutiis & adluſionibus, more ineptorum Poëtaſtrorum, placere non ſolet. ſic lib. IV. Faſt. 565.

Hinc init Aegaeum.

Et XIV. Metam. 752.

Ut patulis iniit tectum ſublime feneſtris.

Eleuſin vero rectum eſt, quod & Senecae reddidit Gronov. Herc. Fur. 302. & Hippol. 838. *Cerialis* vero ſcribitur in nummo Gentis *Mummiae.* & in lapidibus apud Gruter. CCLXXII. 6. & CCCCXXIII. 1. & alibi. utroque vero modo ſcribi dicit Servius ad Virg. I. Aeneid. 177. & 665. ubi male editur *Cerealea* pro *Cerealia.* Burmannus.

71. *Praecincti flore capilli.*] Hujus argumenti opinor fuiſſe Tragoediam Euripidis, quae Ἱππόλυτος στεφανήφορος inſcribebatur. Menimerunt ejus non uno loco Stobaeus & Heſychius. Heinsius hoc nomine inter integras una eſt Euripidis, ſed perdita, cujus fragmenta ſuperſunt, vocatur Ἱππόλυτος καλυπτόμενος, quarum haec fuit prior. quare ita dictae, & an diverſi argumenti fuerint egregie Bentlej. Epiſt. ad Millium p. 31. diſputat. certe nihil hic Ovidii locus ad titulum earum facere mihi videtur. nam coronam Dianae offert Hippolytus apud Euripid. vers. 73. ubi vid. Barneſ. in Eleuſiniis Ceres colebatur, cujus myſteriis initiandus vel operaturus hic Hippolytus, conveniente ſacris habitu deſcribi videtur. Burmannus.

72. *Tinxerat.*] Senec. Hippol. 376. *Non ora tingens nitida purpureus rubor.* niſi mavis *pinxerat.* hoc enim diſtichon expreſſit Senec. Hipp. 650.

—— *Preſſerant vittae comam,*
Et ora flavus tenera pingebat pudor.

Ut ibi e MSS. reſcripſere. ſic II. Amor. XIV. 52.

Ingenuas picta rubore genas.

Et ex MS. Faſt. V. 335.

Tempora ſutilibus pinguntur tota coronis.

Et III. Art. Am. 269. forte ex conjectura:

Pallida purpureis pingat ſua corpora virgis.

Niſi in Senecae loco vulgata ſit retinenda, propter alium priore loco laudatum. & Prudent. Apoth.

Tincta rubore genas paullatim purpura veſtit.

Heins. Ita variant codices apud Lucan. IX. 714.

Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
Quam parvis tinctus maculis Thebanus Ophites.

Ubi *pictus* in MSS. & in priori verſu etiam *tinguitur.* Burmannus.

73 *Vocant.*] Malim *vocent.* Heinsius.

79. *Sive ferocis equi.*] Tale quippiam admiratur Scylla in Minoë lib. IIX. Metamorph. 25.

Seu caput abdiderat criſtata caſſide pennis,
In galea formoſus erat, ſeu ſumpſerat aere
Fulgentem clypeum, clypeum ſumpſiſſe decebat.
Torſerat adductis haſtilia lenta lacertis,
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.
Impoſito calamo patulos ſinuaverat arcus,
Sic Phoebum ſumptis jurabat ſtare ſagittis.
Cùm verò faciem demto nudaverat aere,
Purpureuſque albi ſtratis inſignia pictis
Terga premebat equi, ſpumantiaque ora regebat. &c.

Ciofanus.

79. *Lu-*

Sive ferocis equi luctantia colla recurvas;
Exiguo flexos miror in orbe pedes.
Seu vastum valido torques hastile lacerto:
Ora ferox in se versa lacertus habet.
Sive tenes lato venabula cornea ferro.
Denique, nostra juvat lumina, quidquid agas.
Tu modo duritiem silvis depone jugosis:
Non sum materia digna perire tua.

Quid

79. *Luctantia colla retorques.*] *Recurvas* priscae editiones & scripti codices. placet. nam *torques* mox sequitur. praeterea duo exemplaria *fugacis equi* exhibere jam supra monui. idque praetulerim, quod *ferocem lacertum* mox subjungat. nam II. Pont. IX. 58. *Velocis* dixit, quamvis etiam Stat. IV. Silv. II. 117. dixerit: *Vexantemque Ilia nudo Calce ferocis equi.* Alter Mentelianus habet pro diversa lectione *minacis.* HEINS. Mihi *ferocis* placet propter τὸ *luctantia.*

80. *In orbe.*] Volscus hic admodum ineptit, qui cyclum ferreum interpretatur, in quo pedes figunt equites, quos ignotos fuisse hoc tempore certum est. vide Torrent. ad Sueton. Calig. 3. Ampl. Cuper ad Lactant. de Mort. Persec. c. 5. & Dresem ad Jos. Iscan. de bell. Troj. v. 261. *In orbe*, est *in gyro*: Varius Poeta vetus apud Macrob. VI. Satur. 2. ut emendat Torrent. ad Horat. I. Od. 8.

Sed angusto prius orbe coërces.

vid. Virgil. III. Georg. 115. & alios. BURMANNUS.

81. *Seu lentum valido.*] *Vastum* libri veteres fat multi. ut scripserit forsan Ovidius:

Sive actum valido torques hastile lacerto.

Aut quod malo, *seu quassum*, sic Metam. VIII. 404. *Valida quatiens venabula dextra.* nisi quis malit *jactum.* HEINSIUS. Ambrosianus habet *rigido.* sed vulgata sana est. II. Fast. II. *Si mihi non valido torquentur pila lacerto.* vide & Epist. III. 125. praeterea *vastum hastile* placet, quod feroci & valido lacerto convenientius. de qua voce v. ad VIII. Metam. 359. *lentum* Crispinus interpretatur ponderosum, & ideo incurvatum. an ergo & *lentae salices*, & *lenta virgulta* & similia ponderosa sunt. sed videbat parum valido lacerto convenire *lentum* hastile, quare *vastum* rectius videtur. BURM.

86. *Non sum materiâ digna perire tua.*] Non sum digna, quae peream te praebente ac suppeditante causam & materiam mortis. eleganter & Latine dictum. nec credidissem interpretationis indigere hunc locum, nisi invitus deprehenderem Tanaquillo Fabro, homini erudito, nuperis in Lucretium animadversionibus pag. 480. perperam visum esse castigari oportere: *Non sum duritia digna perire tua*, idque obnitentibus membranis, quotquot a me sunt inspectae. praeterea cum praecesserit jam versu proximo *durities*, odiosa omnino ejusdem vocis sit repititio & ingrata. Epistolâ Hermionae VIII. 51.

Materia vellem fortis meliore fuisses. HEINSIUS. Locus hic obscurior, & quidquid adferant interpretes, non efficient, ut *perire alicujus materia*, sit, causa alicujus. *Materies* hominis vero eleganter dicitur, indoles, & ingenium ejus, unde effecta in futurum providemus vel speramus. sic Cicer. III. Verrin. 68. *Fac enim fuisse in illo, aut C. Laelii aut M. Catonis materiem atque indolem*, id est vim illam, quae, si excolatur, Catonem referret. sic de Servio Tullio Livius lib. I. 39. *Materiem ingentis publice privatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus*, id est indolem illam, ex qua spem decoris concipimus. Idem eodem lib. cap. 46. *Angebatur ferox Tullia, nihil materiae in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse*, id est, esse ignavum, nihil in illo esse quod mulier accendere posset. ex omni ligno, sive materia, non fit Mercurius, ut recte Graevius haec capit, ad d.l. Ciceronis. si ergo eo significatu capiamus, sensus debet esse, non sum ego digna, quae peream per tuam duritiem, si in ea perstabis. sed quomodo tunc cohaereant versus non video. tentaverat prius animum juvenis, jactando pudicitiae servatae decus, deinde similitudine studiorum & venandi, adhoc fatalis forte amoris suo generi attributi praetextu. deinde se pulchritudine Hippolyti, cum Eleusine verteretur, primum captam fuisse narraverat, nunc precatur ut duritiem deponat, quia non erat digna perire per indolem ejus. haec non cohaerent. immo addere debebat, se dignam esse, ut duritiem in ejus gratiam exueret, & mutuo amore eam amplecteretur. quare legerem:

Nam sum materiâ digna perire tua.

Perire hic est amando perire, ut Horatius, Virgilius & alii loqui amant, de quo pluribus ad Quinct. Decl. XV. 8. egimus. deposita ergo rogat duritia, ut se amet, & amando perdat, nam digna erat in quam materiem illam, non ad venatum, sed ad amorem & libidinem, huc usque segnem & inertem, nunc exserat & exerceat, & juvenili ardore ita eam amplecteretur, ut periret. haec mea de obscurissimo loco sententia. si quis meliora offerat, lubens accedam. BURM.

87. *Im-*

Quid juvat incinctae ſtudia exercere Dianae;
Et Veneri numeros eripuiſſe ſuos?
Quod caret alterna requie, durabile non eſt:
Haec reparat vires, feſſaque membra novat.
Arcus (& arma tuae tibi ſunt imitanda Dianae,)
Si numquam ceſſes tendere, mollis erit.
Clarus erat ſilvis Cephalus, multaeque per herbam
Conciderant, illo percutiente, ferae.
Nec tamen Aurorae male ſe praebebat amandum.
Ibat ad hunc ſapiens à ſene Diva viro.
Saepe ſub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum,
Suſtinuit poſitos quaelibet herba duos.

Arſit

87. *Incinctae.*] Id eſt ſuccinctae, vid. ad x. Metam. 536

88. *Numeros.*] Berſmannus interpretatur *jura.* alii gradus amorum; ſed proprium in re Venerea; partes Veneri debitae. ut III. Am. 7.

Me memini numeros ſuſtinuiſſe novem.

Et ſic in aliis, ut *numeri Palaeſtrici.* Quinct. XII. 2. & in unaquaque arte & diſciplina, quae *numeris omnibus* inde *perfectae* dicuntur, ſi nihil deſit. BURMANNUS.

90. *Feſſaque membra levat.*] *Novat* potiores ſcripti. & recte, pro *renovat.* ſic in Faſtis lib. I. 622.

Ingratos nulla prole novare viros,

quod in liberis patres renaſci videantur. Sic *novare gregem* dixit Statius Theb. X. 223. & *novare pignora* eodem libro, 791.

Non ego monſtrifero coitu revoluta novavi
Pignora, nec nato peperi funeſta nepotes.

Vulgo ſine ſenſu legebatur *notavi. Revoluta pignora novare* eſt, ſi cum filio ſuo congreſſa mater liberos inde pariat. Nam & liberi utriuſque ii ſunt, quia ex utroque geniti, & fratres Patris ſui ſunt, quia & hic & illi eandem matrem agnoſcunt, denique & nepotes matris ſuae ſunt, quia ex ejus filio concepti. Ita illa contra jus naturae, cum liberos tantum parere poſſit, parit etiam nepotes. non dubitabunt de hac lectione, qui Statianum genium intelligunt. nam & confirmatur ex Senec. Oedip. 1040. & ſeqq. idem v. Theb. 475. *Nomen avi renovo.* Art. Am. III.

Ignotum hoc aliis ille novavit opus.

Hoc eſt, primus excogitavit. ſic & *vulnus novatum* in Remedio Amoris dixit, & *Naturam novare.* lib. VIII. Met. & *naturae jura novanda*, Artis Amator. lib. II. & *novare fata* Met. II. 648. Denique *membra novare* Valerius Flaccus lib. III. 422. appoſite, ad hunc Naſonis locum:

Hic ſale purpureo vivaque nitentia lympha
Membra novat, ſeque horrificis accommodat actis.

Liv. XXI. 21. *Quies renovavit corpora animosque.* neque etiam vulgata temere rejicienda. Amor. I. 7.

Appoſui medio membra levanda toro.

Faſt. VI. 328.

Et molli gramine membra levat.

Remed. 206.

Pingui membra quiete levat.

IV. Triſt. VII. 6. *Moeſtaque corda levat.* ſic in principio hujus verſus *reparat* retinendum, non *recreat*, aut *revocat.* IV. Met. 216.

Feſſa diurnis
Membra miniſteriis nutrit, reparatque labore.

Senec. Thyeſt. 475.

Reparatque vires juſtus amiſſas amor. HEINS.

91. *Arcus & arma tuae tibi ſint imitanda Dianae.*] *Sunt* ſcripti nonnulli. Scribo & diſtinguo, ut melius cohaereant:

Arcus (ut arma tuae tibi ſint imitanda Dianae)
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.

Mox *per herbam* duo libri ex melioribus. HEINS. Ita ex Virgilio loca, ubi *per herbam* dixit, attulimus ad Epiſt. I. 24.

94. *Conciderant.*] Alter Moreti *inciderant.* unus Heinſii *ceciderant.* proxime ad veram lectionem, quae eſt in Lovanienſi codice, *deciderant.* eleganter. ita Statius VIII. Theb. 124.

Ut Leo Maſſyli, cum lux ſtetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat; ſi decidit hoſtis,
Ire ſuper ſatis eſt, vitamque relinquere victo.

Idem Lib. IX. 755.

Fuſum donec prolapſus in Idam
Decidit.

Claudian Praefat. I. in Ruf.

Phoebeo domitus Pythone cum decidit arcu.

Et ita ſaepe τὸ *occidit* occupavit locum τοῦ *decidit.* v. ad x. Met. 10. & XIV. 805. ſic & *dejicere* proprium in hac re verbum Claud. II. Rapt. Prof. 39.

Tergeminique ducis numeroſos dejicis artus.

v. ad Phaedr. II. 2. & Vorſt. ad Valer. Max. IV. v. I. eadem verba *decidere* & *dejicere* de victimis macta-

Arſit & Oenides in Maenalia Atalanta.
Illa ferae ſpolium, pignus amoris, habet.
Nos quoque jam primum turba numeremur in iſta.
Si Venerem tollas, ruſtica ſilva tua eſt.
Ipſa comes veniam: nec me ſalebroſa movebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.
Aequora bina ſuis oppugnant fluctibus Iſthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque mare.
Hic tecum Troezena colam, Pittheïa regna;
Jam nunc eſt patria gratior illa mea.
Tempore abeſt, aberitque diu Neptunius heros;
Illum Pirithoi detinet ora ſui.

Prae-

mactatis ſaepe occurrunt. ut ad Valer. Flac. I. 191. notabimus. Prudentius tamen Pſychom. 539. dixit *concidit Achas.* ſimiliter *concidere* & *decidere*, permutant libri ſcripti II. Triſt. 317. BURMANNUS.

96. *Sapiens.*] Quae ſciebat ſcilicet cum juvene majorem voluptatem capi, quam cum ſene. Priapej. car. VII.

Nimirum ſapiunt matronae.

Epiſt. XVII. 275.

— *utetur ſi qua puella ſapit.*

Pro *a ſene*, *de* habent Francof. Scriverianus & quinque alii. ſic, *de conſpectu fugere*, Phaedrus lib. I. Fab. 17. ubi vide Scheffer. BURMANNUS.

98. *Suſtinuit poſitos quaelibet herba duos.*] Malim, ſi per libros liceat, *quamlibet*; ut Epiſtola Canaces:

Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos.

Plura de hoc loquendi modo mox notabimus Ep. VI. HEINSIUS. Ego nil mutem. *quaelibet*, eſt obvia quaeque, licet viliſſima & non delicata. etiam gramen, ut ſolebant aevo ſimplici & aureo. Propert. I. VIII. 4.

Et ſine me vento quolibet ire paras.

Petron. 127. *In hoc gramine pariter compoſiti.* vid. Epiſt. V. 14. BURMANNUS.

101. *Jam primum.*] Francius malebat, *quam primum.*

103. *Nec me latebroſa movebunt Saxa.*] Legitur & *ſalebroſa.* quae lectio fortaſſe verior. NAUGER. Optime in uno Palatino ſcriptum erat: *Nec me ſalebroſa movebunt Saxa.* DAN. HEINSIUS. *Salebroſa* priſcae editiones cum uno Mediceo. quod & in ſuis Naugerius invenerat. Propert. lib. III. XIV. 15.

Luna miniſtrat iter, demonſtrant aſtra ſalebras.

Ita *ſalebroſus paſtillus* Auctori Moreti, & *ſalebroſa ſemita* Apulejo. Metam. lib. VIII. HEINSIUS. *Salebroſa* eſt in Editione Veneta 1498.

106. *Audit.*] Slichtenh. ex lib. VI. Metam. 419.

Quaeque urbes aliae bimari clauduntur ab Iſthmo.

Legebat *claudit.* ſed nihil mutandum. Senec. Thy. 113.

Vicina gracili dividens terra vada
Longe remotos latus exaudit ſonos.

Stat. I. Theb. 335. in deſcriptione Iſthmi:

In mediis audit duo litora campis.

Sil. V. 399.

Fractasque in rupibus undas
Audit Tarteſſos latis diſtermina terris. HEINSIUS.

Capiunt haec omnes interpretes de Iſthmo Corinthiaco, ut & Heinſius ad lib. VII. Met. 396. ſed manifeſtum eſt agi de Troezene, quae non in Iſthmo Corinthiaco, ut imperite Hubertinus, ſita, ſed remotior ab illo, quam ut Aegeum & Ionium audiret mare. ſed credo Troezenen ſitam fuiſſe in Cherſoneſo quadam, & eam alluiſſe ab utraque parte mare. unde legendum putem:

Et tenuis tellus audit utrimque mare.

Intelligit fauces Cherſoneſi, in quibus Troezene utraque parte fluctibus maris feriebatur. *Ambit utrumque* erat in duobus. *utrimque* vero & *utrumque* facile confudiſſe librarios ex Propertio. lib. III. XX. 22. conſtat. & poſtea vidi Gronovium ad Senec. Thyeſt. 112, hunc verſum ita adducere, licet nihil moneat. BURMANNUS.

108. *Charior illa mea eſt.*] Puteaneus cum aliis nonnullis:

Jam nunc eſt patria gratior illa meâ. HEINS.

Sollemnis iſta eſt librariorum in his vocibus permutandis inconſtantia. Virgil. XII. Aeneïd. 141.

Nympha decus fluviorum, animo gratiſſima noſtro.

Ubi codices plurimi *cariſſima.* ſic & apud Noſtrum III. Pont. IV. 51.

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum.

Ut codices ibi exhibent. & ita alibi ſaepe. BURM.

109. *Tempore abeſt, aberitque diu.*] In tempore & oportune abeſt. quae duo Plautus etiam in Aſinaria conjunxit. ſic Cicero in Offic. *Ad coenam tempore venit.* quomodo & alibi idem. Phaedr. lib. IV. Epilog.

Praepoſuit Theſeus (niſi ſi manifeſta negamus)
Pirithoum Phaedrae, Pirithoumque tibi.
Sola nec haec nobis injuria venit ab illo:
In magnis laeſi rebus uterque ſumus.
Oſſa mei fratris clava perfracta trinodi
Sparſit humi: ſoror eſt praeda relicta feris.
Prima ſecurigeras inter virtute puellas
Te peperit, nati digna vigore parens.
Si quaeras, ubi ſit; Theſeus latus enſe peregit:
Nec tanto mater pignore tuta fuit.

At

Qui ſint, requiris; apparebunt tempore.
Ceterum a Naſone ſcriptum fuiſſe arbitror, *abſitque diu.* ſic voventes & bonum augurium captantes loquebantur. Noſter Pont. lib. IV. El. XII.
Hic cumulus noſtris abſit abeſtque malis.
Virgilius lib. X.
Aeneas ignarus abeſt, ignarus & abſit. HEINS.
Retineo *aberit.* non enim ex voto ſuo, quod incertum & timidum faceret Hippolytum, ſed ex certa notitia loquitur, ut confidentiorem faceret adoleſcentem. BURMANNUS.

III. *Niſi nos manifeſta negemus.*] *Negamus* potiores ſcripti. Puteaneus & Farneſianus, *niſi manifeſto negamus.* Scribe, *niſi ſi manifeſta negamus.* Eleganter. Epiſtola Helenae:
At tu diſſimula, niſi ſi deſiſtere mavis.
Remedio Amoris:
Poſſe pati facile eſt, niſi ſi patientia deſit.
Ita & illic cenſeo reſcribendum. Met. X.
Quae mea culpa tamen? niſi ſi luſiſſe vocari
Culpa poteſt, niſi culpa poteſt & amaſſe vocari.
Lib. XIV.
Quid mihi tunc animi (niſi ſi timor abſtulit omnem
Senſum animumque) fuit?
Elegia de Nuce:
Nil ego peccavi: niſi ſi peccaſſe vocatur,
Annua cultori poma referre ſuo.
Triſt. IV. El. III.
Tempus ubi eſt, quo te (niſi ſi fugis illa referre)
Et dici memini, juvit & eſſe meam.
Ita enim ſcribendum ſuo loco monebimus. Vatinius Ciceroni lib. V. Ep. IX. *Dicitur mihi ſervus tuus anagnoſtes fugitivus cum Lardaeis eſſe, & profecto tibi illum reperiam, niſi ſi in Dalmatiam aufugerit.* Sulpitius Severus Dial. *Quod utrum ſolers antiquitas procurarit, an ſolis natura gignat, ignoro. niſi ſi Deus praeſcius habitandam quandoque à ſanctis eremum, haec ſervis ſuis paraverit.* Triſt. lib. V. El. IX. ex veſtigiis veterum librorum:
At non parerem, niſi ſi meminiſſe putares.
Pont. III. El. I.
Non avis obloquitur, ſilvis niſi ſi qua remotis
Aequoreas rauco gutture potat aquas.
Columella. lib. II. c. 10. ex optimis membranis: *Lini ſemen, niſi ſi magnus eſt in ea regione, quam colis, proventus, & pretium proritat, ſerendum non eſt.* Idem denuo c. XVIII. *Arbores, quae interveniunt, radicitus exſtirpabimus, niſi ſi fructus arbuſti id facere nos prohibuerint.* & c. XXII. *Nec foenum ſecare, aut vincire, aut vehere, ac ne vindemiam quidem cogi per Religiones Pontificum feriis licet, niſi ſi catulo feceris.* ſic idem veterrimus S. Germani codex. vulgati, *niſi prius catulo feceris.* denuo ex iiſdem membranis lib. III. c. 9. *Niſi ſi putamus ea, quae nuper ac modo plane longinquis regionibus arceſſita notitiae noſtrae ſunt tradita vineta, eos coluiſſe.* quo Columellae loco cum vox *plane* prorſus aliena ſit, ac pro ea codex veterrimus exhibeat *palaeae*, corrigendum reor, *talea e longinquis regionibus arceſſita. Taleae*, & *taleolae* non ſemel alibi meminit idem Columella. eſt autem virga aut lignum pedali circiter magnitudine, quam *plantare* alii nuncupant. ſed haec non ſunt hujus loci. quare ad rem. *Niſi ſi* habes apud eundem lib. IV. c. 6. & 16. *Niſi ſi propaginibus proſpiciemus.* &, *niſi ſi tamen gracilitas vitis alicuius anguſtiorem putationem deſiderabit.* cap. XXI. *Niſi ſi admodum nimia ubertas plures poſtulabit.* cap. XXIX. Rurſus, *Pampinus cum excrevit, nepotibus orbandus eſt, niſi ſi, propter penuriam & calvitium loci, ſummittuntur in propagines autumnas:* Ita is locus peſſime vulgo adfectus eſt conſtituendus, *ſummittuntur* membranis debetur. *Autumnas* pro *autumnus* conjectura noſtra eſt, quà pluribus ad Metamorph. III. 728. Iterum Columella libro VI. cap. XXXVII. ex iiſdem membranis, de mulo: *Terram commode proſcindit, niſi ſi pretium quadrupedis rationem ruſtici oneret.* Denique ex iiſdem lib. XII. cap. I. *Sat erit tricena componi labra, niſi ſi vaſta fuerint oliveta.* Eodem modo *quaſi ſi*; quo Plautus frequenter utitur, Mart. II. Ep. 8. ex optimis membranis:
Illa tamen mala ſunt, quaſi ſi manifeſta negemus.
HEINSIUS.

112. *Pirithoum Phaedrae.*] De Phaedra ſic Hyginus: *Phaedra Minois filia, Theſei uxor, Hippolytum privignum ſuum adamavit, quem cùm non potuiſſet*

At ne nupta quidem, taedaque accepta jugali.
Cur? niſi ne caperes regna paterna nothus.
Addidit & fratres ex me tibi: quos tamen omnes
Non ego tollendi cauſſa, ſed ille fuit.
O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,
In medio niſu viſcera rupta forent!
I nunc, ſic meriti lectum reverere parentis;
Quem fugit, & factis abdicat ille ſuis.
Nec, quia privigno videar coïtura noverca,
Terruerint animos nomina vana tuos.

Iſta

tuiſſet ad ſuam perducere voluntatem, tabellas ſcriptas ad virum ſuum miſit, ſe ab Hippolyto compreſſam eſſe, ſeque ipſa ſuſpendio necavit, & Theſeus re audita filium ſuum laribus excedere juſſit, & optavit à Neptuno patre filio ſuo exitium. Itaque cùm Hippolytus equis junctis veheretur, repente è mari Taurus apparuit, cujus mugitu equi expavefacti Hippolytum diſtraxerunt, vitaque privarunt. CIOFAN.

113. *Nec ſola haec ad nos injuria venit.*] *Sola nec haec* ſcripti, praeter Barberinum codicem & alterum Lovanienſem Societatis Jeſu, in quibus: *Sola nec haec nobis injuria venit.* eleganter. Τὸ *venire* enim cum tertio caſu jungit frequenter Ovidius, ut in Faſtis lib. v. 648. fide optimorum codicum:

Et tandem Caco debita poena venit.

Sic & Graeci ἔρχεσθαι pro *eſſe*. Propertius multus quoque eſt in hac locutione. Noſter Artis Amator. lib. I. 483.

Forſitan & primo veniet tibi littera triſtis.

Lib. II. 161.

Non ego divitibus venio praeceptor amandi.

Et, lib. III. 251.

Non mihi veniſtis Semele Ledeve docendae.

Ep. XIII. 104.

Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.

Art. Am. II. 117.

Et tibi jam cani venient, formoſe, capilli.

Mox, 323.

Nec tibi moroſi veniant faſtidia morbi.

Libro III. Art. Am. 477.

Fac metuat ſperetque ſimul, quotieſque remittes,
Spes magis huic veniat certa minorque metus.

Sic & ibi lego, non cum vulgatis, *hinc veniat.* Epiſtola Oenones:

Quae venit indignae poena, dolenda venit.

Perperam vulgo, *indigne.* atque ita paſſim. Statius Sylvis:

Quicunque venit mihi dexter Apolline Caeſar.

Vetus interpres Matth. XXI. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus,* ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σοι ἔρχεται πραΰς. Plura Art. Am. lib. II. initio. HEINSIUS. Mollius fore ſi legatur, *ſola neque haec*, cenſebat Francius, ne concurrant *nec* & *haec.* ut vero *injuria venire* hic dicitur, ita & Statius VI. 634.

Eque tuo venit haec injuria voto. BURMANNUS.

118. *Nati digna favore parens.*] *Digna vigore*, uno conſenſu praeter Helmſtadienſem ſcripti. & vere. Silius lib. III.

—— *Gelidos nec ſcandere tecum*
Deficiam montes conjux tua. crede vigori
Foemineo.

Poſſet & *rigore* legi cum excerptis Voſſianis, ut ſupra, *Te tuus iſte rigor*, HEINSIUS. *Vigor* autem pro *rigore* ponitur. v. Salmaſ. ad Tertul. Pal. p. 293. Epiſt. XVI. 51.

Forma vigorque animi.

Si vero vulgatam *favore* tueri alicui libeat, referat ad illa quae ſequuntur:

Nec mater tanto pignore tuta fuit. HEINSIUS.

Et ita Vellej. Pater. II. 98. Piſonis *mores* dicit *eſſe vigore ac lenitate mixtiſſimos*, ubi etiam *rigore* reſcribunt viri docti. BURMANNUS.

121. *At nec nupta.*] Mollius eſt, *at ne nupta quidem*, ut eſt in Francofurtenſi & plurimis aliis, nec non in vetuſtis editionibus aliquot. BURM.

124. *Sed ille fuit.*] *Non ego tollendi cauſſa, ſed ille, fui.* malebat Francius. ut Epiſt. VIII. 41. *Tu mihi, quod matri pater, es.* ſed parum refert.

126. *In medio nixu.*] *Niſu* Puteaneus & alii meliores. parum refert. ſic & lib. V. Faſtor. 171. quidam veteres:

Hunc ſtirps Oceani maturis niſibus Aethra
Edidit.

Metamor. IX. 294.

Lucinam nixosque pari clamore vocabam.

Virgil. IV. Georg. 199.

In Venerem ſolvunt aut partus nixibus edunt.

HEINSIUS. vid. Gifan. Indic. Lucret.

127. *I nunc, & meriti.*] Scripti nonnulli *immeriti*, vel, *emeriti.* In quibuſdam vetus lectio eſt eraſa. Excerpta Jureti & Helmaeſtad. *ſic meriti.* Puteaneus *ii meriti* à manu primâ. Lego:

I nunc, i, meriti lectum reverere parentis.

Triſt. lib. I. El. I.

I tamen, i pro me tu, cui licet, aſpice Romam.

Iſta vetus pietas, aevo moritura futuro,
Ruſtica Saturno regna tenente, fuit.
Juppiter eſſe pium ſtatuit, quodcumque juvaret:
Et fas omne facit fratre marita ſoror.
Illa coït firma generis junctura catena,
Impoſuit nodos cui Venus ipſa ſuos.
Nec labor eſt; celare licet. pete munus ab illa.
Cognato poterit nomine culpa tegi.
Viderit amplexos aliquis; laudabimur ambo.
Dicar privigno fida noverca meo.
Non tibi per tenebras dabitur reſeranda mariti
Janua, non cuſtos decipiendus erit.

Ut

Sic lego Ep. Cydippes:

I nunc, i, ſolitoque tibi me decipe more.

Ita & ibi ſcribendum. Virgilius lib. VI.

I decus, i noſtrum, melioribus utere fatis.

Auſon. Moſell. 48.

I nunc, i Phrygiis ſola levia conſere cruſtis.

Plura congeſſi ad l. III. Amor. El. III. & Epiſtol. XIV. 126. v. Met. 114 VI. Faſtor. 594. nonnihil etiam ad Claudian. I. Rapt. 92. HEINSIUS. vide ſupr. Ep. III. 26. At mihi multo elegantius videtur, quod praeterea repperi in Francofurtenſibus excerptis, *i nunc, ſic meriti.* nimius certe fuit Heinſius in intrudendis ubique voculis & formulis, quas in deliciis habebat, etiam ubi codices minime addicerent. hic certe debuerat meminiſſe, quam recte olim apud Valer. Flacc. lib. II. 144. reſcripſerat:

In tali quoniam tibi tempore conjux
Sic meritae.

Et quae ibi adnotaverat. & ſic paſſim Poetae utuntur hac particula; Virgil. III. Aeneid. 6.

Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, ſic merito.

Statius lib. VI. Theb. 167.

Miſerae mihi nec punire poteſtas
Sic meritam.

Lucan. II. II. 6.

Degener o populus, vix ſecula longa decorum
Sic meruiſſe viros.

Sic fidelis Horat. II. Od. 4.

Neque ſic fidelem,
Sic lucro adverſam, potuiſſe naſci
Matre pudenda. BURM.

128. *Ille.*] Mallem *ipſe.* HEINSIUS.

130. *Animos.*] *Animum tuum* Junianus codex. ut III. Am. V. 2.

Terruerant animum talia viſa meum. BURM.

132. *Ruſtica Saturno.*] Poſt hunc verſum inſulſe codices nonnulli hoc diſtichon addunt:

Saturnus periit, perierunt & ſua jura.
Sub Jove nunc mundus. juſſa Jovis ſequere.

HEINSIUS. Vel *juſſa tuere Jovis:* addita vero haec eſt gloſſa, *alii textus antiquiores non habent hos verſus.* In Palatino ita legitur:

Sub Jove mundus adeſt, jura Jovis ſequere.

Et Mycillus nothos eſſe, nec Ovidianae elegantiae notavit.

134. *Fratre marita ſoror.*] Sligtenhorſtio videbatur legendum, *fratris amica ſoror.* HEINSIUS. Inſolentior ſcilicet ipſi videbatur conſtructio. ut & Douzae, qui capiebat *fratre* pro *fratri.* ſed ita & Horat. III. Od. 5.

Mileſne Craſſi conjuge barbara
Turpis maritus vixit. BURMANNUS.

136. *Nodos.*] Vide quae de hac voce notamus ad Petron. c. LXXX. ſic Lucret. lib. IV. 1142. dixit *Veneris perrumpere nodos.* BURMANNUS.

137. *Nec labor eſt, celare licet.*] Scribe, *Non labor, & celare licet.* ut τὸ *eſt* ſubintelligatur. HEINSIUS.

139. *Viderit amplexus aliquis.*] *Amplexos* Puteaneus. Val. Flaccus lib. IV. 701. qui locus non eſt ſollicitandus:

——— *pallentia jungunt*
Oſcula, vix primis amplexi luminis oris.

Silius lib. XII. 741.

Inque vicem amplexi, permiſta voce triumphum
Tarpeji clamant Jovis.

Sic Epiſtola Medeae ex libris antiquis:

Complexos utinam Symplegades eliſiſſent.

Virgilius Aeneid. 18.

Complexi inter ſe noctemque diemque morantur.

HEINSIUS. Priſcianus lib. VIII. pag. 791. Edit. Putſ. multis exemplis adſtruit veteres *Amplecto* & *amplexo* dixiſſe, & profert illud ex Petronio fragmentum: *Animam noſtro amplexam in corpore,* περιπλεχθεῖσαν. BURMANNUS.

142. *Non Cuſtos.*] *Non cuſtos* meliores. HEINS. Eleganter talem amorem *incuſtoditum* vocat Taci-

tus

Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit.
Oſcula aperta dabas, oſcula aperta dabis.
Tutus eris mecum, laudemque merebere culpa;
Tu licet in lecto conſpiciare meo.
Tolle moras tantum, properataque foedera junge.
Qui mihi nunc ſaevit, ſic tibi parcat Amor.
Non ego dedignor ſupplex humilisque precari.
Heu! ubi nunc faſtus, altaque verba, jacent?
Et pugnare diu, nec me ſubmittere culpae
Certa fui: certi ſi quid haberet Amor.
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia. quid deceat, non videt ullus amans.

Depu-

tus XII. Annal. 4. in praecedenti verſu illud epitheton *duri* adprehendiſſe librarios puto, ut obvium in hac re, ſed hic minime neceſſarium, cum neque *cuſtodi* addatur epitheton. in Junii codice erat:

Non tibi per tenebras dabitur reſeranda mariti
Janua.

Eleganter, ut puto. infr. XVI. 15.

——— *Nos dabimus quod ames.*

Et v. 205.

Non dabimus certe ſocerum tibi clara fugantem
Lumina. BURMANNUS.

147. *Properataque foedera.*] In membrana Scriverii & mea erat, *ſociataque foedera* pro varia lectione, quod non eſt contemnendum, ſic *ſociare cubilia* Ep. III. & ſimilia: In Barbariniano & Baſileenſi codice erat, *properataque gaudia*; forte bene. Art. Am. II. 481.

Cum quo ſua gaudia jungas
Invenit in media. HEINSIUS.

Non placet *ſociata*. quod librarius repetiſſe ex vers. 17. videtur. *Properata* enim vult vel *foedera* vel *gaudia* jungi, quia metuebat Theſei reditum, qui nunc tempore abſens, opportunitatem dabat ad tuto coëundum. ſi quid mutandum, mallem *ſperataque gaudia junge*. in Scriveriano erat etiam, *Tolle moras, oro*. BURMANNUS.

150. *Heu ubi nunc faſtus altaque verba jacent.*] *Ubi nunc flatuit* mendoſe alter Moreti. Sed *flatus* forte reponendum. Vide quae notavi ad librum I. Artis Am. 715. Porro libri nonnulli, *Heu mihi*. Excerpta Puteani, *Hei mihi!* ut opiner legendum:

Hei mihi! quam faſtus, altaque verba jacent.

Ut Epiſt. XII. 53.

Quam tibi nunc longe regnum dotale Creuſae.

Vel etiam hoc modo, ut vulgatae lectionis veſtigiis inſiſtamus:

Heu! ubi nunc faſtus altaque verba jacent.

Ubi nunc, ut Epiſtola XII. v. 103.

Dotis opes ubi nunc? ubi nunc tibi regia conjux?

Quomodo & illic ſcripſerim. Met. XIII.

——— *Ubi nunc facundus Ulyſſes?*

Val. Flaccus lib. IV. 569.

Heu ubi nunc regni generiſque ubi gloria?

Male in vulgatis libris *O ubi*. Claudianus lib. III Raptus:

Heu ubi nunc, ubi, nata, mihi es?

Petronius: cap. 115. *Ubi nunc eſt, inquam, iracundia tua? ubi impotentia tua?* Noſter Art. Am. lib. I. 703.

Vis ubi nunc illa eſt?

Faſt. III. 484.

Heu! ubi pacta fides? ubi quae jurare ſolebas?

Lib. V.

Heu! ubi Mars pater eſt?

Propert. IV. Eleg. 3.

Haec ne marita fides? pactae heu ubi nunc mihi noctes?
Cum rudis urgenti brachia victa dedi.

Sic ſcribo ex veſtigiis veterum codicum. Neapolitanus vetuſtus, *& parce avia mihi noctes.* alii, *hae nunc pactae mihi noctes*, vel, *& pactae ſunt mihi noctes.* vel, *& pactae jam mihi.* Statius Thebaid. IX. 385.

Heu ubi ſiderei vultus? ubi verba ligatis
Imperfecta ſonis?

Ubi *Heus* vulgo perperam ſcribitur:

Heu ubi nam ille frequens modo circa limina matris
Ambitus?

Et lib. V.

Heu ubi nunc furiae?

Et lib. VIII

Heu ubi laurigeri currus?

Sylvar. lib. III.

Heu ubi nota fides?

Noſter Amor. III. El. VIII ut libri meliores:

Heu, ubi mollities pectoris illa tui eſt? HEINS.

Epiſt. VI. 41. *Heu ubi pacta fides? ubi connubialia*

Depuduit, profugusque pudor sua signa relinquit.
Da veniam fassae, duraque corda doma.
Quo mihi, quod genitor, qui possidet aequora, Minos?
Quod veniant proavi fulmina torta manu?
Quod sit avus, radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem?
Nobilitas sub Amore jacet. miserere priorum:
Et, mihi si non vis parcere, parce meis.
Est mihi dotalis tellus, Jovis insula, Crete:
Serviat Hippolyto regia tota meo.

Flecte

jura? Phaedr. 1. Fab. 9. *Ubi pernicitas nota illa tua est?* vide ad Petron. LXXXVIII. & CXV.

151. *Et pugnare diu.*] Mallem, si per libros veteres liceret:

Pugnavique diu, nec me submittere culpae
Certa fui.

Met. IX. 542.

Pugnavique diu violenta Cupidinis arma
Effugere infelix. HEINSIUS.

155. *Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit.*] Scribe vel invitis libris, *profugusque rubor.* quod omnino concinnius. *relinquit* praeterea Puteaneus & alii ex melioribus. *Depudere* etiam in Amoribus dixit lib. III. El. X.

Et quae depuduit ferre, tulisse pudet.

ut quidem illic optime Jureti excerpta. Suetonius, *depudere didicerat.* HEINSIUS. *depudescere* Apulej. dixit. lib. X. Metam. Forte:

Depuduit, profugusque pudor vix signa relinquit. BURMANNUS.

157. *Quod mihi.*] Recta profecto haec, & vetus lectio. sed & recte in nonnullis. *Quid mihi si genitor, qui possidet aequora Minos?* & reliqua per interrogationem. NAUGERIUS. *Quod mihi sit* genitor vulgo quidem legitur. Ego vero legendum censeo, *Quid mihi, quod genitor* &c. aut certe, *Quo mihi, quod genitor.* perinde ut Horatius dixit, *Quo mihi fortunae, si non conceditur uti.* ut sit oratio ἐλλειπτικὴ, pro, *quid* vel *quo* mihi prodest, quod genitor mihi est Minos. MICYLLUS. Melius quod olim Micyllus, *Quid mihi, quod genitor?* nisi malis, *quo mihi, si genitor.* notum illud. *Quo mihi fortunae, si non conceditur uti.* DAN. HEINSIUS. *Quod mihi sit genitor, qui possidet aequora Minos.* Puteaneus, & alii nonnulli; sed legendum,

Quo mihi, si genitor.

ut in illo Juvenalis Sat. VIII. 144.

—— *quo, si nocturnus adulter*
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?

& ibid 9.

—— *Effigies quo*
Tot bellatorum, si luditur alea pernox.

Propertius lib. IV. El. III.

Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris;
Crystalluque tuas ornet aquosa manus?

vel etiam,

Quo mihi, quod genitor. —

idque verum esse sequentia liquidò evincunt. Nam quinque libri, *Quid mihi quod.* Mentelianus, *Quid tibi quod.* sic & Attici τί μοὶ τοῦτον. Plura congessimus ad Epistolam II. 53. HEINSIUS.

158. *Proavi.*] Atqui vulgo Minos filius Jovis creditur, ergo Jupiter avus Phaedrae erit. sed cum duo Minoes fuerint, & secundus Lycastae filius prioris Nepos, poterit Jupiter longius a Phaedra quidem removeri, nec tamen *proavus* dici, sed *Abavus*: quamvis Poëtae hos gradus tam diligenter non observare videantur, immo nec ipsi saepe Historici, vid. ad Vell. Pater. I. 2. Confundi vero duos Minoas docuit egregie Broukhusius ad Propert. III. Eleg. XVII. v. 21. sed *Proavus* proprie quoque Phaedrae dici potest Jupiter per matrem: Pasiphaes enim pater Sol, & hujus Jupiter. & sequens distichon indicat Nasonem hoc potius stemma elegisse, quia in altero Minoes confundi solebant. ceterum in Francofurtensi codice erat a manu prima, *Proava fulmina missa manu.* elegantissime. & ita *Proava tropaea*, Propertio lib. IV. XI. 29. asserere volebat Barthius, non probante Broukhusio. BURM.

159. *Vallatus.*] Eleganter, quasi corona cinctus, ita ut radii acuti illi telorum speciem praebeant. Et ita Lucianus de Saltatione. p. 505. Edit. Bourdel. dicit Aethiopes radiorum instar tela capiti circumdare, & hoc illis vicem Pharetrae praestare. & Claudian. Idyll. IV. de Nubis.

Et gens compositis crinem vallata sagittis.

ut recte Heinsius restituit pro *velatus*; quod verbum & hic quatuor codicibus insederat. BURM.

160. *Qui movet.*] Mentelianus pro diversa lectione, *vehit.* ut in Amor. I. XIII. 2.

Flava pruinosum quae vehit axe diem.

Fast. III. 518.

Purpureum rapido qui vehit axe diem. BURM.

163. *Est mihi dotalis.*] Si hanc vocem vulgato sensu

Flecte feros animos. potuit corrumpere taurum
Mater. eris tauro ſaevior ipſe truci?
Per Venerem parcas, oro, quae plurima mecum eſt:
Sic numquam, quae te ſpernere poſſit, ames.
Sic tibi ſecretis agilis Dea ſaltibus adſit,
Silvaque perdendas praebeat alta feras.
Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes:
Et cadat adverſa cuſpide foſſus aper.
Sic tibi dent Nymphae (quamvis odiſſe puellas
Diceris) arentem quae levet unda ſitim.

Addi-

ſenſu velimus capere, conſequetur Cretam fuiſſe in dotem Phaedrae datam, quod neque veterum quisquam tradidit, neque fieri potuerit, cum Minoi eſſet filius Deucalion, qui ipſi ſucceſſit, & illi frater Catreus, huic vero Idomeneus Deucalionis filius. v. Meurſii Cretam lib. III. cap. 3. & 4. praeterea notarunt jam viri docti Heroidas non adtuliſſe dotales terras maritis, ſed contra procos emiſſe ſibi ſponſas muneribus, quae dotis vicem illis praeſtabant. vide Salmaſ. de Modo Uſurar. p. 138. Ampl. Cuper. I. obſerv. 20. & Cl. Perizon. ad Aelian. IV. 1. unde etiam ſaepe *dos* ipſa illa munera vocabantur, ut notat Barthius ad Claud. I. de Rapt. 28. ſed non perpetuam tamen hanc fuiſſe conſuetudinem, ſed & dotatas etiam Heroici ſeculi puellas ad viros veniſſe patet ex Apollon. Rhod. II. v. 238. Euripid. Hippol. 625. & aliis. quod tunc praecipue uſu veniebat, ſi nulli eſſent illis fratres, & ideo ſucceſſio ad illas deferretur, ut ita epiſtola ſexta Hypſipyle *dotalem* Lemnon recte offert Jaſoni, neque in eo erravit Poëta noſter, ut volebat Salmaſius. praeterea ſi qua femina novum conderet regnum, poterat illud viro *dotale* dare, ut Dido Aeneae offert apud Virgil. IV. Aeneid. 103. Quare ſtatuendum videtur, Poëtam hic vel non ſatis attendiſſe ad antiquorum temporum rationem, ut & in ſequenti Epiſtola lapſum ejus videbimus, vel illum, parum de antiquitate ſollicitum, omnia Phaedrae tribuiſſe lenocinia, quibus caſtum Hippolytum corrumpere poſſet, & ideo ſplendidae etiam dotis mentionem injeciſſe. quod forte Hubertinus voluit, qui ad hunc locum oratorio magis, quam hiſtorico more loqui Ovidium notavit. forte poſſet & legi:

Eſt mihi natalis tellus, Jovis inſula, Crete.

ut poſt memoratos majores, nunc etiam nobilitatem natalis ſoli jactet, & obſcure inducere tentet Hippolytum, ut ſi Theſea timeat, ſecum abeat in Creten, ubi contra Patris vim tutus eſſe poſſit, & voveat ipſi magis, quam promittat regnum. & ideo ſequens verſus pro voto capiendus, & in parentheſi ponendus:

Serviat Hippolyto regia tota mea.

utinam Patris Minoi mei regia meo Hippolyto cederet, & ſerviret. in quibusdam codicibus eſt *ſerviet*, quod adfirmationem contineret, quaſi Hippolyto ſponderet regnum. ut apud Silium III. 150. *Thybris tibi ſerviet omnes.* Francius corrigebat:

Serviat Hippolyto dos ea tota meo.

ſed ego tantum mihi non permitto. BURMANNUS.

165. *Flecte feros.*] *Ferox* Sarravian. ſed male. Catalect. Pith. p. 46. *Flecte truces animos.* ut Heinſ. ad Ovid. II. Met. 482. correxit. ſed nihilominus diſtichon hoc neſcio quo modo non ſatisfacit, nec Ovidianae venae eſſe videtur, ut fortaſſe aeque ac praecedens ſit intruſum. Aptius enim oratio procederet ſi illa connecterentur,

Et mihi ſi non vis parcere, parce meis.
Per Venerem parcas, oro, &c. BURM.

170. *Perdendas.*] Helmaeſtadienſis *praedandas*, vide quae notavi ad Claudian. Feſcenn. in Nupt. Hon. v. II. HEINSIUS. Male. v. ad I Metam. 444.

171. *Panes.*] *Fauni* Francof. Lincoln. & octo alii. parum refert.

172. *Sic cadat adverſa.*] *Et cadat* libri omnes. Habes eundem verſum Remedio Amoris 204. HEINSIUS.

174. *Arentem.*] *Ardentem* plurimi codices. Ita Claud. I. in Rufin. 104. *Ardebat majore ſiti.* & Phaedr. III. fab. 16. *ardere ſiti* dixit. & alii. ſed idem tamen Claudianus II. in Rufin. 510.

Areſcat decepta ſitis.

& ibid. verſ. 8.

Pollutaeque negant areſcere fauces. HEINS.

ſic *Ardens* & *Arens Libye.* vide Heinſ. ad Claud. III. Conſ. Hon. 205. & *Arens Meroe* Lucan. IV. 333. ubi & MSS. *ardens.* vid. & Gron. ad Liv. XLIV. 38. ſed hic *arentem* praefero. v. ad. III. Amor. VII. 51. *Arida ſitis urit* Catal. Pith. p. 35. XI. Met. 129. Senec. Thyeſ. 5. Paullin. Carm. v. de Joan. Baptiſta:

Arentemque ſitim decurrens unda levabat. BURM.

176. *Per-*

175 Addimus his lacrimas precibus quoque: verba precantis
Perlegis; at lacrimas finge videre meas.

176. *Perlegis, & lachrymas finge videre meas.*] Acute in libro suo Gruteus emendarat,

Addimus his precibus lachrymas quoque. verba precantis
Perlegis, & lachrymas finge videre meas.

Dan. Heinsius. *Perlege* & tres libri. Lincolnienſis, *Perlege, ſed.* bene, niſi fallor. Certe illud *Perlegis* ſubnatum videtur ex primo verbo ſequentis epiſtolae. At vero opinor unam literam eliſam eſſe, & ſcribendum *Perlegito.* adi notas noſtras lib. I. Art. Am. 225. ubi plura hujusmodi collegimus. libr. II. Met. 131. *Polumque effugit Auſtralem.* cum *Effugito* reponi debere monuerim. volui aliquando *dum legis.* vel *ut legis.* optimo ſenſu, niſi quod longius abſit a vulgata ſcriptura. Heinsius. Ego vero legerem:

Verba precantis
Perlegis; at lacrimas finge videre meas,

addimus nos quidem precibus noſtris lacrimas, ſed quas tibi non poſſimus praeſenti fundere. tu tantum *legis* verba, aut, ut ſpero, & initio Epiſtolae rogavi, *perlegis*, ſed quaeſo, finge lacrymas te ſimul videre, quas ego addo quidem verbis dum ſcribo, ſed ad te perferendas, ut verba, dare non poſſum. Burmannus.

EPISTOLA V.

OENONE PARIDI.

Perlegis? an conjux prohibet nova? perlege: non eſt
Iſta Mycenaea litera facta manu.

Pegaſis

A principio hujus Epiſtolae in quibusdam verſus duo praeponuntur, quos pro nothis & adulteris alii rejiciunt. Nam neque Ovidianae elegantiae reſpondent, & adfectum, quem Poëta principio abrupto captavit, intervertunt. quare & hos ſeorſim, & diverſo charactere ſcribendos curavimus. Micyllus. Excerpta Puteani & nonnulli ex noſtris ſequens diſtichon OEnones Epiſtolae praefigunt, quod ab aliis rectius abeſt:

Nympha ſuo Paridi (quamvis meus eſſe recuſes)
Mittit ab Idaeis verba legenda juga. Heins.

de diſtichis initio Epiſtolarum Ovidii praefixis vide Schott. II. Obſerv. 53.

2. *Facta manu.*] Editio princeps & aliae, ut & Micylli, *ſcripta.* ſed emendatiores, & codices Francof. & Moreti, *facta.* Noſter lib. I. Triſt. x. 2.

Eſt mihi ſollicitae tempore facta viae.

& mox vers. 26. multi codices, *litera facta manu.* Juſtin. xxvii. 2. *inde ad Antiochum facit literas.* Tibul. III. I. 12.

Indicet ut nomen litera facta meum.

ubi v. Broukhuſ. Burmannus.

3. *Pegaſis.*] *Nympha Nais*, id eſt amnis Cebreni filia, atque eo pacto ſe diſtinguit ab ejuſdem nominis aliis. Oenone enim fuit etiam Budionis filia, a qua Aegina inſula appellata *Oenone.* Prius erit, ut autumat Pythonetus, Aeginetarum prima. Oenotium praeterea celebrat Euripides in Iphigenia, Aeaco patre natam. Parrhasius. Ita quidem omnes legunt, ac Oenonem *Pegaſion* appellative dictum accipiunt pro Naide, ſive Nympha fontana. ἀπὸ τῆς πηγῆς, quod nomen fontem Graecis ſignificat. fuit enim Oenone filia Cebrenis, quem fluvium Herodianus, citante Stephano, vocat. a quo & Cebrenia regio ſub Ida monte appellata. Ceterum quia tamen alibi idem nomen *Pegaſidis* abſolute pro Nympha, ac generaliter poſitum non facile reperitur, ipſumque patronymicum *Pegaſis*, a *Pegaſo* magis, quam a πηγῆ factum videtur, dubitare ſoleo, num pro *Pegaſis*, *Pedaſis* legendum ſit. ut ſit gentile nomen, a Pedaſo oppido tractum, quod ſub Ida olim ſitum fuit, vicinum Cebreniae regioni. Nam ab eodem & Pedaſides Maſculini generis Patronymicum, Graecis aliquando uſurpatum apud Stephanum legimus. Quod hic adnotare libuit, ut amplius cogitandi occaſionem ſtudioſis praeberemus. Porro totam Oenones & Paridis fabulam tractavit Parthenius in Eroticis, & collegit ejus pleraque Phavorinus quoque in dictione *Oenone.* Micyllus. id eſt πηγῆς ſive fontis filia. ut recte Paſſerat. ad Propert. III. eleg. I. pag. 407. docuit, & inde *Pegaſidas* Muſas vocari.

7. *Ex merito*] *Emerito* Barberini codex. ſed nihil mutem ſup. Epiſt. II. 62.

Quaecumque ex merito ſpes venit, aequa venit.

ubi ſimiliter turbant libri. & Epiſt. XI.

Et jubet ex merito ſcire, quid iſte velit.

Vell. II. 118. *Ita ſe res habet ut, quod accidit, etiam ex merito accidiſſe videatur.* ita lego, & paullo poſt *ex merito aeſtimare.* Burmannus.

8. *Quae venit indigne.*] *Indigno* Puteaneus cum Jureti excerptis, quae vir Cl. Philibertus de la Mare Senator Divionenſis, qua eſt humanitate, mecum

Pegaſis Oenone, Phrygiis celeberrima ſylvis,
Laeſa queror de te, ſi finis ipſe, meo.
Quis Deus oppoſuit noſtris ſua numina votis?
Ne tua permaneam, quod mihi crimen obeſt?
Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum eſt:
Quae venit indignae poena, dolenda venit.
Nondum tantus eras, cum te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha, fui.
Qui nunc Priamides, (adſit reverentia vero)
Servus eras: ſervo nubere Nympha tuli.
Saepe greges inter requievimus arbore tecti;
Mixtaque cum foliis praebuit herba torum.
Saepe ſuper ſtramen, foenoque jacentibus alto
Defenſa eſt humili cana pruina caſa.
Quis tibi monſtrabat ſaltus venatibus aptos;
Et tegeret catulos qua fera rupe ſuos?
Retia ſaepe comes, maculis diſtincta, tetendi;
Saepe citos egi per juga longa canes.

In-

mecum communicavit: *indigna* meus chartaceus. At Caroli Strozzae liber, *indignae*. probe. Faſt. v. 648.

Et tandem Caco debita poena venit.

diximus ſuperiori epiſtola. HEINSIUS.

11. *Abſit reverentia vero.*] Alii *adſit*, atque ita quinque ex noſtris. quomodo apud Horatium, *liceat concedere veris.* Helmaeſtad. *aſſit*. III. Art. Am. 617. *adſit modo certa voluntas.* HEINSIUS.

12. *Nympha tuli.*] Ovidiana locutio, ſed ſaepe a librariis expulſa. XIII. Met. 460.

Scilicet aut ulli ſervire Polymena ferrem.

ubi alii *vellem*, lib. XI. Met. 447.

Nec tulit Halcyonen in partem adhibere pericli.

Ita MSS. vulgo *nec vult*. Ep. XV. 155. ex MSS. Heinſius reſtituit:

Tene manus umquam noſtrae dimittere ferrent.

BURMANNUS.

14. *Herba torum.*] Ut moris erat antiquo ſeculo amantibus. Proper. III. Eleg. XI. 35.

Hinulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.

vid. Ep. praeced. 98. BURMANNUS.

16. *Depreſſa.*] Quidam ex veteribus *defenſa*, ego nusquam legi. & *depreſſa* cur legi non poſſit, neſcio. NAUGERIUS. ſunt qui *defenſa* legunt, qua ratione dixit Virgilius *defendere teneras myrtos a frigore*, & *defendere frigus tectis*, ut Gellius etiam ex Quadrigarii Annalibus obſervavit. EGNATIUS. corrige *defenſa*, & eſt vitata ſub humili caſa. ſed haec in Claudianum lib. I. Rapt. 167. copioſius. Itaque ne Jovis (ut ajunt) Corinthus, inculcare ſuperſedebo. PARRHASIUS. *Defenſa* emendavit Parrhaſius. Ego in duobus Vatic. ſcriptum repperi; *Deprenſa*. quae lectio, ut mihi quidem videtur, genuina eſt. In alio lib. ſcripto Achillis Statii eſt; *Depreſſa*, ut in omnibus vulgatis, id eſt, ſoluta, liquefacta. CIOFAN. Libri veteres multi *Deprenſa*. Unde *Defenſa* ſcribendum Parrhaſius ad Claudianum contendit. nec dubita quin vere. Remedio Amoris, 229.

Proximus à tectis ignis defenditur aegre.

Horatius Sat. III. lib. I.

—— *Toga, quae defendere frigus,*
Quamvis craſſa queat. ——

Seneca de Providentia cap. IV. ubi de Germanis agit: *Imbrem culmo aut fronde defendunt.* Cicero Catone Majore, c. 15. *nimios ſolis defendit ardores.* Sic & Quadrigarius apud Gellium, Arnobius, Tertullianus, Vegetius, alii locuti. Hinc & *Vim vi defendere* apud Juriſconſultos. Stat. Hercule Surrentino III. Silv. I. 68.

Forte diem Triviae dum litore ducimus udo,
Anguſtasque fores aſſuetaque tecta gravati
Frondibus & patula defendimus arbore ſoles,
Delituit coelum, & ſubitis lux condita ceſſit
Nubibus.

Ita totus locus ſcribendus *Anguſtas fores*, ob immenſum frigus, non *Auguſtas*; *condita lux*, non *candida*, nam *lux candida* plerumque pro fortunata. *Tecta gravati*, non *gravamus* parum cohaerente oratione: quem loquendi modum pluribus aſſerui ad

Inciſae ſervant à te mea nomina fagi:
Et legor Oenone, falce notata, tua:
Et quantum trunci, tantum mea nomina creſcunt:
Creſcite, & in titulos ſurgite recta meos.
Populus eſt (memini) fluviali conſita ripa,
Eſt in qua noſtri litera ſcripta memor.
Populo, vive precor, quae conſita margine ripae,
Hoc in rugoſo cortice carmen habes:

Cum

Claudian. I. in Eutrop. 300. v. & Gell. IX. 1. Martial. VII. epig. 36. de villa:

Plurima quae poſſit ſubitos defendere nimbos.

Ita ibi neſcio quem legere monent Scriverus, in repetitae lectionis notis, & Gruterus: primum quaerendum quis ille ſit, quod ſi auctoritate MSS. id factum, immerito profecto illis vapulat. locus autem apprime ad hunc locum facit Virgilii x. Aeneid. 905. *Hunc oro defende furorem*, id eſt prohibe, ut explicat Schol. Stat. Theb. I. 409. Stat. de Tydeo & Polynice.

Hic vero ambobus rabiem fortuna cruentans
Attulit: haud paſſi ſocius defendere noctem
Culminibus.

Quod ipſe poſtea interpretatur, cum Tydeus ad Adraſtum:

——— *tecto coelum prohibere (quis iſte)*
Arcuit.

Ita lege. inepte vulgo *arguit*. ubi *coelum tecto prohibere*, idem quod ſupra, *noctem defendere culminibus*. idem Theb. IX. 316.

——— *cur ipſe excitus in arma*
Iſmenos, doctae noſſe indulgere ſorores:
Veſtrum opus ire retro, & ſenium defendere famae.

Ita veriſſime vetuſtiſſima editio, & Aldinus codex, quod imperite, in *depellere*, vel *repellere* mutarunt Correctores, quae mera gloſſemata ſunt. Plaut. Moſtel. IV. II. 20. *Qui his injuriam foribus defendat.* ubi vid. Taubman. apud Ciceron. Philip. VIII. c. 10. *At iſtud vetuit lex Caeſaris & tua.* ubi *defendit* MSS. quidam veterrimi Hieronymi Ferrarii, quod ille non percepit. *defendit*, prohibet: videtur tamen illi lectioni obſtare quod denuo ſequitur: *Et tu acta Caeſaris defendis.* Nonius in *defendere*, ex Enn. Achil. *Serva cives, defende hoſtes, cum potes defendere.* ſic intellige illa, quae Nonius perperam intellexit vid. Colum. in Enn. p. 341. Pallad. Septemb. cap. 18. Pluribus de *defendendi* verbo hac ſignificatione egi ad eumdem Claudianum III. Conſ. Stilich. 171. Heinsius. *Deprenſa* J. Douza poſſe recipi credebat. ſed ſimul tum *canam pruinam* improbius paullum, quam prima fronte videbatur, capiebat. ſic ſaepe interpretes ipſis Poëtis laſciviores deprehendimus.

20. *Per juga ſumma.*] *Juga longa* Puteaneus & Jureti Excerpta cum aliis multis. Quomodo Propertius III. Eleg. 13.

Sectatur patrios per juga longa canes.

Et Virgil. XI. 544.

——— *Juga longa petebat*
Solorum nemorum ———

Recte: nam *juga* montium inde dicta Grammatici volunt, quod ipſa continuatione jungantur. Sic *longa Ida* Epiſtol. Paridis:

Innumeraſque mihi longa dat Ida trabes.

Noſter tamen Epiſtola ſuperiori:

Hortari celeres per juga ſumma canes.

Senec. Hippolyto:

Summaque montis juga Cecropii.

Egi autem eſt verbum venatorium. Virgil. IV. Aeneid. 71. *Paſtor agens telis.* Heinsius. & III. Georg. 411. *Apros latratu turbabis agens. Citas canes* malebat Francius, & recte, ut puto. vide ad III. Metam. 140.

25. *Ripa.*] MSS. XXXIII *rivo*, quod & agnoſcit Gualth. Alexandr. lib. I.

Dumque vetuſtatis ſaltem veſtigia quaerit
Sedulus, objicitur fluviali conſita rivo
Populus Oenone.

Ubi de Alexandri expeditione in Phrygiam agit, ut fortè *fluvialis rivus* ſit dictus pro torrenti rivo. ſed tamen nil temere mutem. Stat. I. Syl. Epith. Stel. v. 245. *Flumineа ripa.* Heins. Neque ego, quia certum eſt ad ripas populos fere conſeri. Val. Flac. v. 186.

Populeos flexus, tumulumque virentia ſupra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi.

Populos vero in Troade fuiſſe frequentes docuit Sam. Petitus lib. VI. Miſcel. c. 10. & cum iſta arbor maxime undis & humidis locis gaudeat, teſte Virgilio Eclog. VII. v. 66. & circa Idam in vallibus eſſent plurimi fontes, unde *celeberrima fontibus Ide*, Noſtro dicitur II. Metam. 218. & *aquoſa* VI. Faſt. 15. & alibi, optime huic arbori amores ſuos inſcripſiſſe inducitur Oenone. ſequenti vero diſticho mallem, *quae margine conſita rivi.* & multi codices, ſequens diſtichon praeponunt huic. Burmannus.

28. *Rugoſo.*] Quod indicat vetuſtatem arboris, Metam. VII. 627.

Rugoſoque ſuum ſervantes cortice callem.

Multi

Cum Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.
Xanthe, retro propera; verſaeque recurrite lymphae;
Suſtinet Oenonen deſeruiſſe Paris.
Illa dies fatum miſerae mihi dixit: ab illa
Peſſima mutati coepit amoris hiems:
Qua Venus & Juno, ſumptisque decentior armis,
Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.

Atto-

Multi quoque codices hic *nomen habent*; ſed perperam. Burmannus.

30. *Ad fontem Xanthi.*] Jam illud proverbium Graecis uſurpatum frequens innuit, dubio procul, quod illi ἄνω ποταμῶν. Ex Euripidis jambico in Medea, ſic enim chorus:

Ἄνω ποταμῶν χωροῦσι πάγαι.

Unde etiam Horatius: *Quis neget arduis Pronos relabi poſſe rivos montibus, & Tyberim reverti?* Cicero quoque in Epiſtolis ad Atticum, principio tantum Graeci verſus uſus, adagii hujus meminit. Egnatius. Xanthus haud dubie ex monte decurrebat, unde ἀδύνατον, ut retro poſſet flecti. Claud. 1. Eutr. 353.

Prona petunt retro fluvii juga.

Ita enim cum melioribus MSS. legendum. Heins.

31. *Verſaeque recurrite lymphae.*] *Nymphae* Puteaneus & ſeptem alii. lib. IV. Metam. 297.

Videt hic ſtagnum lucentis ad imum
Uſque ſolum Nymphae.

Ita ſcripti nonnulli: Statius Villa Surrentini, II. Silv. II. 18.

— *Occurrit dulcis amaro*
Nympha mari.

Et Theb. V. 519.

— *Trepidaeque latent in pulvere Nymphae.*

Rutilius Itinerario, 265.

Elicitas ſimili credamus virgine Nymphas.

Ubi *lymphas* perperam reponunt. Propert. lib. III. XIV. 4. ex veteri codice:

Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.

Ubi *patulos ſpecus* legendum. in cavatas enim rupes ſeſe Anio praecipitat. Ita Graecis νυμφολήπτοι, qui Latinis *lymphati*. Idem Propertius lib. III. Eleg. XXI.

Potaque Pollucis nympha ſalubris equo.

Ita vetuſti codices. reddidit & Statio bis terve Gronovius Diatribes cap. XVIII. Feſtus Avienus deſcriptione Orbis:

Flore frequenti
Pinxit terra ſinus, ac nymphis unda cucurrit
Largior.

Cato in Diris ex MS.

Flectite currentes nymphas vaga flumina retro,
Flectite, & adverſis rurſum diffundite campis.

Seren. Samm. Comp. XX. ex MSS.

Dulcibus aſſocias nymphis mellique liquenti.

Sympoſ. Aenigm. 74.

Ardeo de nymphis, mediis incendor ab undis.

Ut habent MSS. Heinsius.

33. *Illa dies fatum miſerae mihi duxit.*] *Dixit* Puteaneus, Argentinenſis, & quatuor alii. bene, apto ad hanc rem verbo. Horat. lib. III. Od. III.

Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico.

Virgil. Ecl. I.

Saepe malum hoc nobis, ſi mens non laeva fuiſſet,
De coelo tactas memini praedicere quercus.
Saepe ſiniſtra cava dicebat ab ilice cornix.

Ita codices complures, non *praedixit*. Gell. lemmate capitis primi lib. XIV. *De iis qui ex coetu motibusque ſiderum, fata ſe hominum dicturos pollicentur.* Proper. lib. IV. Eleg. I.

Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo.

Et Tibul. I. Eleg. VI. de Bellonae Sacerdote:

Et tibi neſcio quas dixit mea Delia poenas.

Pro vaticinata eſt. idem lib. II. Eleg. VI.

Quidquid Amalthea, quidquid Marpeſſia dixit,
Herophile Phoebo grata quod admonuit.

Et lib. III. Eleg. IV.

Sed proles Semeles Bacchus doctaeque ſorores
Dicere non norunt, quid ferat hora ſequens.

Silius lib. XIII.

Haec quoque caſtae
Augurio valuit mentis, venturaque dixit
Magna viro.

Noſter Ibide v. 245. *Praeſagia dicere.* hinc *fatidici vates.* & *dictio* pro oraculo Apollinis apud Accium & Pacuvium; & Plautum Menaechmis, *dictum Apollinis.* apud Solinum. cap. IX. in optimis codicibus de Macedonia, *reſponſum dictum Deo*, non *datum.* Noſter Ep. Paridis:

Quo ruis? exclamat. referes incendia tecum.
Quanta per has neſcis flamma petatur aquas.
Vera fuit vates: dictos invenimus ignes.

Hoc eſt, *praedictos.* Faſt. I. de Carmenta vate:

Talibus ut dictis noſtros deſcendit in annos.

Plura de his ad librum primum Claudiani in Eutropium memini notaſſe. v. 160. Heinsius. Vid. Salmaſ. ad Solin. tom. I. p. 110. Douza *duxit*, adduxit, advexit interpretabatur.

Attoniti micuere ſinus, gelidusque cucurrit,
Ut mihi narrâſti, dura per oſſa tremor.
Conſului (neque enim modice terrebar) anusque,
Longaevosque ſenes: conſtitit eſſe nefas.
Caeſa abies, ſectaeque trabes, &, claſſe peracta,
Caerula ceratas accipit unda rates.
Flêſti diſcedens: hoc ſaltem parce negare;
Praeterito magis eſt iſte pudendus amor.
Et flêſti, & noſtros vidiſti flentis ocellos;
Miſcuimus lacrimas moeſtus uterque ſuas.
Non ſic adpoſitis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua ſunt collo brachia nexa meo.

Ah

35. *Qua Venus, & Juno ſumptiſque decentior armis, Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.*] Attingit etiam Paridis judicium infrà, cujus antè meminerunt Lycophron, Euripides, Coluthus, Lucianus, & Virgilius. De hoc judicio multa praeclara ex Graecis auctoribus collegit Lud. Coelius lib. & cap. XIX. Antiq. Lectionum. CIOF.

38. *Tremor.*] *Timor* Lovanienſis & Junianus. male. vid. Epiſt. XIV. 18.

Et ſubitus dextrae praepedit orſa tremor.

Vid. ſupra Epiſt. III. 82. BURMANNUS.

40. *Longaevos.*) MSS. *grandaevos.* ut Epiſt. XIII. 25. *Grandaevus Acaſtus.*

41. *Parata.*] Gronovii & tres alii *peracta*, quod verum puto. quia vulgo minus frequens. Sueton. Calig. 21. *Quorum operum a ſucceſſore ejus Claudio alterum peractum.* Oth. 6. *Peragere domum auream.* & has voces ſaepe confuderunt librarii. vid. VI. Faſt. 587. & 629. BURMANNUS.

44. *Praeterito magis eſt iſte pudendus amor.*] *Pigendus* in Puteaneo, quomodo Epiſtola Didûs, 108.

Adde fidem: nullâ parte pigendus erit.

Auſonius de Conſulatu ſuo: *Emendatiſſimi viri eſt, pigenda non facere.* Propertius libro IV. El. 1.

Poſcis ab invita verba pigenda lyra.

Pigitum dixit Silius lib. VII.

Nec pigitum parvoſque lares humiliſque ſubire
Limina coelicolam tecti.

Vulgatam tamen tuetur locus III. Faſt. 500. *Ille pudendus amor.* & IV. 598.

Nec gener eſt nobis iſte pudendus, ait. HEINS.

Ita Horat. III. Od. 27. *Erubeſcendos ignes* dixit.

45. *Noſtros vidiſti flentes.*] Nonnulli & fortaſſe rectius: *Et madidos vidiſti flentis ocellos.* NAUGER. Naugerius *madidos* malit, quod eſt in nonnullis ſcriptis, ſed fruſtra. Amor. lib. I. El. VIII. 108.

Ut mea defunctae molliter oſſa cubent.

Ubi tamen MS. *ut mihi.* & lib. III. El. II.

An magis hic animi meus eſt, non aëris aeſtus?

Triſt. lib. IV. El. III.

Vultibus illa tuis, tanquam praeſentis, inhaeret.

Ut legunt veteres libri. & lib. V. VIII. 5.

Nec mala te reddunt mitem placidumque jacenti
Noſtra.

Ut ibi legit Slichtenhorſtius. Epiſtola Canaces:

Sic mea vibrari pallentis membra videres.

Ità nempe reponendum cenſeo. Epiſtola Acontii:

Inque meo cupidi rapta ferere ſinu.

Quomodo & illum verſum ex veſtigiis optimi codicis emendandum opinor. Triſt. II.

At memini vitamque meam moreſque probabas,
Illo, quem dederas, praetereuntis equo.

Quod male mutant libri veteres, Seneca Hippolyto:

——— *quis meas miſerae Deus,*
Aut quis juvare Daedalus flammas queat.

Auſonius Epiſt. XXIII.

——— *non iſta duorum*
Culpa, ſed unius tantum tua.

Virgilius Ciri:

Quod te per Divûm crebros obteſtor amores,
Perque tuum memoris hauſtum mihi pectus alumnae.

Qui locus à viro maximo ſollicitari non debuit. Horatius, lib. I. Sat. IV.

— *cum mea nemo*
Scripta legat vulgo recitare timentis. —

Cicero Philip. II. *Tuum hominis ſimplicis pectus vidimus.* apud Livium: *Ut noſter duorum eventus oſtendit.* Apulej. Metam. IX. *De iſto quidem, mi herilis, tecum ipſa videris, quae ſine meo conſilio pigrum & formidoloſum familiarem iſtum ſortita es; qui inſuavis & odioſi mariti tui caperatum ſupercilium ignaviter perhorreſcit, ac per hoc amoris languidi deſidia tuos volentis amplexus diſcruciat.* Ita enim, non *volentes*, optime in quibuſdam codicibus exſtat. Martial. lib. VII. Ep. 50.

Ah quoties, cum te vento quererere teneri,
Riſerunt comites! ille ſecundus erat.
Oſcula dimiſſae quoties repetita dediſti!
Quam vix ſuſtinuit dicere lingua, Vale!
Aura levis rigido pendentia lintea malo
Suſcitat; & remis eruta canet aqua.
Proſequor infelix oculis abeuntia vela,
Qua licet; & lacrimis humet arena meis.
Utque celer venias virides Nereïdas oro.
Scilicet ut venias in mea damna celer.
Votis ergo meis alii redituri rediſti?
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui!

Adſpi-

Si tenet abſentis noſtros cantatque libellos.
Adeatur Scaliger lib. II. Auſonianarum Lect. cap. XII. & Taubm. ad Plaut. Men. v. II. 118. & Pſeud. I. I. 4 pari modo & Graeci. apud Sophocl. Τά μκ δυςήνου κακά. Homer.

Δαὴρ ἀυτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος. HEINSIUS.

48. *Brachia vincta meo.*] Ita legendum è bonis, & emendatis libris. CIOFANUS. *Nexa* veteres libri omnes, Baſileenſi excepto. quod probum eſt. Statius Sylv. v.

At nunc heu aliquis longa ſub nocte puellae
Brachia nexa tenens ultro te, ſomne, repellit.

Theb. IV. 26.

—— *certant innectere collo*
Brachia.

Silius Italicus lib. III 412. ex optimis membranis:

Fluit omnis ab antris
Nereidum chorus, & ſueto certamine nandi
Candida perſpicuo connectunt brachia Ponto.

Ubi *convertunt* nunc legitur. & ita in Catal. Pith. p. 149.

Grata Thalia tamen, geminae connexa ſorori
Implicat alterne brachia, blanda ſoror.

Ubi male *converſa.* & Silius iterum lib. XI. 75.

Dextraeque innexa profatur.

Et 528.

Enſes impliciti innexaeque manus.

Ex MSS. Statius II. Silv. I. 64.

Abituſque morabitur arctis
Nexibus.

Noſter Metam. IX. 57.

Vix ſolvi duros a corpore nexus.

Claudianus:

Mutuaque alternis innectite colla lacertis.

Noſter ipſe Epiſtola Phyllidis:

Colla quoque inſidis quae ſe nectenda lacertis
Praebuerunt.

Fruſtra igitur Ciofanus eſt, qui *brachia vincta* hoc loco tuetur. HEINSIUS.

50. *Secundus.*] Scilicet mihi amanti, quia te retinebat, nec illo flante abire poteras. v. Epiſt. XIII. 3. Valer. Flac. II. 406. Propert. I. Eleg. VI. 17. BURMANNUS.

53. *Rigido.*] Junianus *Phrygio*, & ita conjeceram. ſic III. Faſt. 529. pro *rigidis columnis*, reſcribendum *Phrygiis* monui. HEINSIUS. *Gelido* Berſmanni editio.

55. *Abeuntia vela.*] Regius unus *fugientia.* quod imitatio auctoris Declamat. XIII. 6. ſub nomine Quinctiliani, poſſet probabile facere: *Inde fugientia vela longo viſu proſecuti.* ſed Noſter Ep. XII. 551.

Triſtis abis, oculis abeuntem proſequor udis. BURM.

56. *Et lacrimis.*] Quidam codices *in lacrimis* forte recte, nam amat Noſter ſimiles locutiones. Epiſt. I.

Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.

Et mox:

In immenſis qua tumet Ida jugis. BURM.

59. *Ergo.*] Corripit hic ultimam Ovidius, quod Heinſ. ad I. Triſt. I. 87. umquam fieri ab Ovidio negat.

60. *Hei mihi pro dirâ pellice blanda fui!*] Puteaneus & alii nonnulli ex melioribus, *Et mihi.* Gronovianus, *Et tibi.* Puto Ovidium ſcripſiſſe:

Et dis pro dirâ pellice blanda fui.

Ut Noſter alibi:

Et pro delictis hoſtia blanda fuit.

Hinc *blandum tus* dici opinor Propertio lib. IV. El. 6. & Tibullo III. Eleg. 3. Horat. III. Od. 23.

Immunis aram ſi tetigit manus,
Non ſumptuoſa blandior hoſtia
Mollibit averſos penates
Farre pio, & ſaliente mica.

Haec vero Ovidii verba reſpexit Deianira apud Senec. Herc. Oet. 292.

Vota, quae ſuperis tuli,
Ceſſere captae, pellici felix fui. HEINSIUS.

Adſpicit immenſum moles nativa profundum;
Mons fuit: aequoreis illa reſiſtit aquis.
Hinc ego vela tuae cognovi prima carinae:
Et mihi per fluctus impetus ire fuit.
Dum moror, in ſumma fulſit mihi purpura prora;
Pertimui: cultus non erat ille tuus.
Fit propior, terrasque cita ratis attigit aura:
Femineas vidi, corde tremente, genas.
Non ſatis id fuerat: quid enim furioſa morabar?
Haerebat gremio turpis amica tuo.
Tunc vero rupique ſinus, & pectora planxi,
Et ſecui madidas ungue rigente genas:
Implevique ſacram querulis ululatibus Iden.
Illinc has lacrimas in mea ſaxa tuli.

Sic

62. *Illa reſiſtit.*] Scribendum opinor *icta.* ita proprie aquis *ici* & *feriri* dicuntur litora, & ſcopuli, & naves. vid. XI. Metam. 556. & ad Valer. Flac. IV. 48. pro *nativa* vero erat in Voſſiano codice *ignata*, quod eſt *innata.* ut Epiſt. VII. 37.

Innataque rupibus altis
Robora. BURMANNUS.

63. *Hinc ego prima tuae proſpexi vela carina.*] *Cognovi* unus Vaticanus. mihi *proſpexi* magis placet. CIOFANUS. *Vela tuae cognovi*, ſcripti omnes. HEINSIUS. ſed *proſpexi* confirmat, in ſimili deſcriptione, Lucanus VIII. 46.

Rupis inabruptae ſcopulos, extremaque currens
Litora proſpiciens fluctus, nutantia longe
Semper prima vides venientis vela carinae.

Corip. I. 103.

Pars proſpicit una
Immenſum pelagus.

Et proprie *proſpicere* eſt ex alto videre. vid. ad Phaedr. I. 17. Statius I. Theb. II. 480.

Tectorum e culmine ſummo
Proſpectant matres.

Ubi male quidam codices *aſpectant.* lib. III. 492.

Et e cunctis proſpectem collibus undas.

Et ita idem vers. 591. & XII. 15. Noſter Epiſt. II. 124.

Proſpicio quis freta ventus agat.

Epiſt. X. 49.

Aut mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi.

Epiſt. XIX. 21.

Aut freta proſpiciens odioſo concita vento. BURM.

67. *Attigit.*] Membr. Scriverii *attulit*, uſitato errore, pro *appulit.* Epiſt. XVI. 29.

Neque nos huc appulit error.

Et 126. *applicor* dixit. ut & Epiſt. Didûs. HEINS.

69. *Morabar.*] Haec non intelligo. forte rectius *morabor* cum Leidenſi codice. HEINSIUS. Francius quoque *morabor* probabat; ſcilicet narrando. ſed perperam, ut puto. Senſus eſt, non ſatis fuerat hoc vidiſſe, quid enim eſſet quod me moraretur; furor certe egit, ut propius cognoſcerem. non ſufficiebat mihi ad dolorem movendum feminas praeter ſpem procul in nave vidiſſe, quare nihil erat quod me in furorem actam retineret, quin propius inſpicerem omnem tuum comitatum, in quo vidi mox gremio tuo turpem amicam haerere. ſimili formula Ep. XII. 117.

Nec tamen extimui (*quid enim poſt illa timerem*)

Et Ep. XVI. 221.

Quid enim tamen omnia narrem.

De formula *nec ſatis id fuerat.* vid. ad VI. Metam. 363. BURMANNUS.

70. *Turpis amica.*] Famoſa Helena. Vide quae dixi in Scholiis in lib. Triſtium. CIOFANUS.

71. *Tunc vero.*] Micylli & Venetae editiones *tunc flevi*, quod & in Mediceo, & uno Heinſii codice extat.

72. *Genas.*] *Comas*, Junii & Scriverii codices, ſollemni permutatione. ſed praefero *genas*, quia illae verius dici poſſunt madere lacrimis, quam comae. Ep. XI. 92.

Inque meas unguibus ire genas. BURMANNUS.

73. *Implevi.*] Vid. ad Valer. Flac. VI. 726.

73. *Querulis ululatibus Idam.*] *Iden* meliores. quomodo ſaepe alibi Noſter. Ita Stat. Theb. IV. 104. ex MS. Tiliobrogae & Behotii, & noſtro Anglicano:

Et quae Jove provocat Iden.

Sic & ipſe eodem libro. 795.

Magnis reſonat clamoribus Ide.

Claud. III. de Rapt. 140. e MS.

Cum necdum abſconderit Iden.

Ovid. Metam. X. 71.

Quos humida ſuſtinet Ide.

Et ita ex MS. inf. Epiſt. XIII. 53.

Simoiſque & Xanthus & Ide.

Et

Sic Helene doleat, deſertaque conjuge ploret;
Quaeque prior nobis intulit, ipſa ferat.
Nunc tibi conveniunt, quae te per aperta ſequantur
Aequora, legitimos deſtituantque toros.
At cum pauper eras, armentaque paſtor agebas,
Nulla, niſi Oenone, pauperis uxor erat.
Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,
Neç de tot Priami dicar ut una nurus.
Non tamen ut Priamus Nymphae ſocer eſſe recuſet;
Aut Hecubae fuerim diſſimulanda nurus.
Dignaque ſum, & cupio fieri matrona potentis;
Sunt mihi, quas poſſint ſceptra decere, manus.
Nec me, faginea quod tecum fronde jacebam,
Deſpice: purpureo ſum magis apta toro.

Deni-

Et Faſtor. I. 215. & 247. *Ida* tamen apud Stat. I. Sylv. Equo Dom. ne ſyllaba claudicet. & ſequenti verſu *Illinc* pro *Illic* iidem recte. HEINSIUS.

75. *Deſertaque.*] Poſſet legi non ineleganter *dejectaque*, ut Ep. XVII. 230. ſed & vulgata recte ſe habet. vid. Ep. XII. 161. BURMANNUS.

77. *Nunc tecum veniunt.*] *Nunc tibi conveniunt* Puteani & Jureti, & Mentelianus codex, & Francof. aliique nonnulli ex praecipuis. recte. qui loquendi modus noſtro eſt familiaris. Amor. III. Eleg. VIII.

Laeva manus, cui nunc ſerum male convenit aurum.

Epiſtola Sapphûs:

Grata lyram poſuit tibi, Phoebe, poëtria Sappho.
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.

In Ponticis:

Tu quoque conveniens ingenti nupta marito.

Remed. Amor. 312.

Haeſerat in quadam nuper mea cura puella:
Conveniens animo non erat illa meo.

Et mox:

Exitus ingeniis convenit iſte feris.

Faſt. III. 684.

Conveniunt partes hae tibi, comis anus.

Atque ita paſſim. vid. I Art. Am. 79. 277. & 514. II. 617. Statius VIII. 295. Ceterum *ſequantur* etiam & *deſtituant* libri potiores agnoſcunt, non *ſequuntur* & *deſtituunt* cum vulgatis. HEINSIUS.

78. *Viros.*] Primus Ambroſianus, alter Mentelii & Moreti, ſolemni librariorum variatione *Toros*, quod verum puto. Epiſt. XIX. 284.

Caſtaque legitimi fallere jura tori.

Ubi ſimilis varietas. Faſt. V. 24.

Corpora legitimis impoſuere toris.

III. Pont. III. 50.

Scis tamen, & liquido juratus dicere poſſes,
Non me legitimos ſollicitaſſe toros. BURMAN.

83. *Non tamen ut Priamus.*] Perperam quidam reſcribunt, *aut Priamus.* Propert. II. XV. 21.

Non tamen ut vaſtos auſim tentare leones.

Virgilius XII. Aeneid.

Juturnam, fateor, miſero ſuccurrere fratri
Suaſi, & pro vita majora audere probavi.
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcu.

Guntherus, qui veterum elegantiarum ſtudioſus eſt. lib. II. Ligur.

Romanus tempore priſco
Pauper erat praeſul, regali munere crevit;
Nec tamen ut faſces & regia jura Latini
Vel dare perſonae, vel cuiquam tollere poſſet.

Noſter Art. Am. III. 209.

Non tamen ut poſitas menſa deprendat amator
Pyxidas.

Ita ſcribendum videtur ex optimo libro, in quo *& poſitas.* vulgo, *expoſitos.* HEINSIUS.

85. *Dignaque ſum & cupio.*] To & abeſt à libris pleriſque. Codex Patavinus praeterea, *potenti.* Tanaquillus Faber notis ad Lucretii librum III. p. 480. corrigebat:

Dignaque ſum Regis fieri matrona potentis.

Quae conjectura longiſſime abit a veſtigio editae ac ſcriptae lectionis. Sequenti verſu, *quas poſſint*, non *poſſunt* meliores. ſic Briſeïs:

Eſt mihi, quae lanas molliat, apta manus.

Nonnulli etiam *quae poſſint.* ut Faſtor. II. 106.

——*capit ille coronam,*
Quae poſſit crines, Phoebe, decere tuos.

Stat. IV. Silv. IV. 65.

Sunt membra accommoda bellis,
Quique gravem ſubeant tardi thoraca lacerti.

Sic *decere* ſaepe ponitur. Plin. XXXVII. 8. *Incluſae decorantur auro, nullaeque magis aurum decent.* Ep. XV. 178.

Quaeque ſuos dicas templa decere deos.

Martial. Spectac. 15.

Stravit

Denique, tutus amor meus eſt tibi. nulla parantur
Bella, nec ultrices advehit unda rates.
Tyndaris infeſtis fugitiva repoſcitur armis.
Hac venit in thalamos dote ſuperba tuos.
Quae ſi ſit Danaïs reddenda, vel Hectora fratrem,
Vel cum Deïphobo Polydamanta roga.
Quid gravis Antenor, Priamus quid cenſeat ipſe,
Conſule; quîs aetas longa magiſtra fuit.
Turpe rudimentum, patriae praeponere raptam.
Cauſſa pudenda tua eſt; juſta vir arma movet.
Nec tibi, ſi ſapias, fidam promitte Lacaenam,
Quae ſit in amplexus tam cito verſa tuos.
Ut minor Atrides temerati foedera lecti
Clamat, & externo laeſus amore dolet;

Tu

Stravit & ignota ſpectandum mole Leonem,
Herculeas potuit qui decuiſſe manus.

Ita & Stat. IV. Sylv. IV. 46. & Theb. II. 243. & X. 335. poſſet & legi, *quae poſſent ſceptra tenere manus*, ex Patricii, Douzae & Scriverii codice. Stat. II. 429.

Sceptra dicavit honos, teneo longumque tenebo.

Ep. XVI. 175.

Sceptra Parens Aſiae, qua nulla beatior ora,
Finibus immenſis vix obeunda tenet.

Vel cum Vaticano:

Quas deceat ſceptra tenere manus. HEINSIUS.

87. *Jacebam.*] *Cubabam* Lovanienſis. HEINS. *Sepe jacebam*, alios legere notabat Douza.

89. *Denique tutus amor meus eſt tibi.*] Sic diſtinguit Puteaneus, & alii quidam. Puto ſcribendum:

Denique tutus amor meus eſt. mihi nulla parantur
Bella, nec ultrices advehet unda rates.

Ut oſtendat ſuas nuptias Paridi utiliores fore, quam nuptias Helenae; & ſequens diſtichon correctionem hanc firmat. HEINSIUS. Eleganter tales nuptias ἀπτολέμου ἐννὰς vocat Euripides Medea. 643. & Aeſchyl. Agamem. 695. Τὰν δορύγαμβρον ἀμφινεικῆ Ἑλέναν. Capoferreus malebat, *cui nulla parantur bella.* BURMANNUS.

93. *Hectora fratrem.*] Non prohibet, ut quidam putant: omnino ſuadet. Hector enim connubii fidem ſanctiſſime coluit. Adjecit Deiphobum, non ex hiſtoria, (quippe quem conſtat auctorem fuiſſe ne Helene redderetur) ſed opinionis errore, & puellari bonitate, quam non decebat eſſe ſuſpicioſam. PARRHASIUS.

94. *Pulydamanta roga.*] Ex imitatione Homerica & hic, & alibi, ne ſyllaba ſubſultet, legimus *Pulydamanta*, quemadmodum & *Pulypus*, licet alii *Polydamanta* & *Polypum*, ut ſit ω mega, ſcribere malint. EGNATIUS. Scribe *Pulydamanta*, ut apud Perſium Sat. I. 4. *Non mihi Pulydamas.* exemplo Homeri notiſſimo. PARRHASIUS. Legunt alii *Pulydamanta*, Homeri exemplo, apud quem Πουλυδάμας pro Πολυδάμας verſus gratia aliquoties dicitur. Ego tamen non video, cur non & *Polydamas* per *o* recte legatur, quando & *Polypus*, quod ab eadem origine deſcendit *o* longa poſitum, cum apud Latinos, tum apud Graecos reperiatur. ut apud Horatium I. Satyr. 3. 39.

Turpia decipient caecum vitia, aut etiam ipſa haec
Delectant veluti Balbinum Polypus Agnae.

Et in Epigrammate Iſidoro auctore:

Πώλυπον ἀγρεύσας ποτὲ Κώνιχος ἐξ ἅλος εἰς γῆν
Ἔρριψεν, δείσας ὑηρὸς ἱμαντοπέδην.

Deinde & Athenaeus libro ſeptimo, Δωριεῖς δὲ, (inquit, de Polypo loquens) αὐτὸν διὰ τοῦ ὠ καλοῦσι Πωλύπουν, ὡς Ἐπίχαρμος, καὶ Σιμωνίδης δ' ἔφη Πώλυπον διζήμενος &c. ſed haec prior annotavit etiam Aldus. MYCILLUS. *Pulydamanta* per *u* legendum, aliter ſyllaba claudicabit. CIOFANUS. Sunt, qui tam hoc loco, quam Metamorphoſeon XII. v. 547. *Pulidamanta* ſcribendum cenſent. quos inter Ciofanus: quod Homero ſit Πουλύδαμας paſſim, & in Πολύδαμας prima corripiatur. ſed cum membranae veteres conſtanter pro vulgata ſtent Scriptura, apud Propertium quoque & Silium Italicum & Perſium, non auſim immutare receptam ſcribendi rationem. praeſertim cum dialecto Dorica & Παλύδαμας dicatur. ſic κοράλλον, κουράλλον & κωράλλον, aliaque ejuſdem notae. apud Propertium libro III. Elegia prima: *Polydamanta ſine armis.* apud Perſum Satyra prima: *Ne mihi Polydamas & Troïades Labeonem Praetulerint.* apud Silium libro XII. *Polydamanteis juvenis Pedianus in armis Bella agitabat atrox.* HEINSIUS.

95. *Quid gravis Antenor, Priamus quid ſuadeat ipſe.*] Illuſtravi hunc locum lib. XIII. Metam. CIOF.

Priamus quid ſuadeat ipſe.] *Cenſeat* Lovanienſis. Sic Epiſtola Helenae vetus codex. 211.

Quid

Tu quoque clamabis. Nulla reparabilis arte
Laesa pudicitia est: deperit illa semel.
Ardet amore tui: sic & Menelaon amavit;
Nunc jacet in viduo credulus ille toro.
Felix Andromache, certo bene nupta marito!
Uxor ad exemplum fratris habenda fui.
Tu levior foliis, tunc cum, sine pondere succi,
Mobilibus ventis arida facta, volant.
Et minus est in te, quam summa pondus aristа,
Quae levis adsiduis solibus usta riget.
Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat,
Sic mihi diffusis vaticinata comis?
Quid facis, Oenone? quid arenae semina mandas?
Non profecturis litora bubus aras.

Graja

Quid Priamus de me, Priami quid censeat uxor. HEINSIUS. Recepimus hanc emendationem, quam poscit verbum *consule. Consulebant*, qui sententias rogabant, *censebant* qui dicebant.

99. *Si cupias.*] Lego, *nec tibi, si sapias.* hanc enim lectionem & aliis quibusdam probari video, eademque sensum reddit puriorem. MICYLL. *Si sapias* praestantiores libri. ut Epistola Acontii, 174.

Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.

Remed. 477.

Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles.

Lege *sapies.* & vide quae noto Metam. XIV. 675. in Puteaneo hic rursus duplicis paginae est hiatus. HEINSIUS.

102. *Externo.*] v. Passer. ad Propert. I. Eleg. III. 44.

103. *Tu quoque clamabis.*] Perperam sequentia distinguuntur in vulgatis libris, ac si clamantis Menelai verba sint. quod Poëta minime voluit. forte tamen *damnabis*, & versu superiore *damnat* legendum. HEINSIUS. Nihil muto. *clamare* enim est hic Deos inclamare ob temerati foedera lecti. vid. ipsum Heins. ad Petron. LVIII.

107. *Certo marito.*] Qui praeter Andromacham justo matrimonio nullam sibi junxit. etsi liberos ex pellicibus eum suscepisse, licet ex Euripide suspicari. quod & Anaxicrates Argolicorum secundo videtur affirmare. PARRHASIUS.

110. *Facta cadunt.*] Sic legendum. CIOFANUS. *Volant* meliores, ut apud Virgilium VI. 74.

——*foliis ne carmina manda,*
Ne turbata volent rapidis perjuria ventis.

Et in Georgicis I. 368.

Saepe levis palea & frondes volitare caducae.

Idem tamen lib. VI. Aeneid. 310.

Lapsa cadunt folia.

Noster Art. Am. III. 162.

Ut Borea frondes excutiente cadunt.

Plaut. Menaech. II. III. 24. *Folia nunc cadunt.* hinc & *folia caduca, & caducae frondes.* Am. II. El. XVI.

Verba puellarum foliis leviora caducis. HEINS.

111. *Quam summa.*] *Quam in summa* antiquae editiones, & Gryphii & Bersmanni. sic apud Phaedr. IV. 4. *Plus esse in uno saepe, quam in turba boni.* ubi Schefferus ejicere *in* volebat. *Levius est in te*, etiam Lovanienses codex.

113. *Hoc tua nam recolo.*] *Refero* libri nonnulli, eodem sensu. sic Remedio Amoris 299.

Saepe refer tecum sceleratae facta puellae.

Et ibid. 644.

Deque tua domina multa querenda refers.

Quae illic vera lectio. ut & Amorum lib. II. El. VIII.

At quanto (si forte refers) praesentior ipse
Per Veneris feci numina magna fidem.

Quod perperam mutant. Pont. I. El. IX.

Saepe refert animus lusus gravitate carentes.

Metam. XV. 450.

Haec Helenum ceciniſſe penatigero Aeneae
Mente memor refero.

Trist. IV. El. III.

Tempus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre)
Et dici memini, juvit & esse meam.

Ita enim scribendum. Propert. lib. I. 1. 38.

Heu referet quanto verba dolore mea?

Id est recordaberis. Alii codices, *memini.* Regius *memoro.* ut lib. XIV. Metam. 813.

Nam memoro memorique animo pia verba notavi.

Sed & illic scribendum censeo *Nam refero.* At Sarravianus hoc loco *recolo.* quomodo etiam multi ex scriptis legunt, Epistola Paridis 279.

Hoc tua (nam repeto) fore ut à caeleste sagitta
Figar, erat verax vaticinata soror.

Trist. lib. I. El. III.

Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui.

Graja juvenca venit, quae te, patriamque, domumque
Perdat. ïo prohibe; Graja juvenca venit.
Dum licet, obſcaenam ponto, Dî, mergite puppim.
Heu quantum Phrygii ſanguinis illa vehit!
Dixerat. in curſu famulae rapuere furentem;
At mihi flaventes diriguere comae.
Ah nimium vates miſerae mihi vera fuiſtî?
Poſſidet en ſaltus illa juvenca meos.

Sit

Ubi vetus liber *recolo* ſimiliter. Virgil. tamen III. 184.

Nunc repeto haec generi portendere debita noſtra.

Et libro VII. 123.

Nunc repeto, Anchiſes fatorum arcana reliquit.

Noſter Pont. II. 10.

Nec repetunt oculi ſigna vetuſta mei.

Juvenal. Sat. IX. 22. *Nuper enim, ut repeto.* ubi Scholiaſtes MS. *id eſt, recolo.* Valer. Flac. VI.

Recolit feſſos aetate parentes.

In V. C. Florilegii Epigrammatum MS. ſchedarum mearum, oratione Achillis:

Nam cum reſpicio, quo ſim de ſemine cretus,
Semiferique animo recolo praecepta magiſtri.

HEINSIUS. *Refero, repeto, memini*, quae in ſcriptis quibuſdam ſunt, omnia ſunt interpretamenta τοῦ *recolo*, quod in optimis libris, & priſcis editionibus conſpicitur.

113. *Germana canebat.*] Tale Lycophronis carmen. ſic & Bacchylides vaticinantem induxerat. v. ejus fragmenta apud Fulv. Urſin. p. 208. HEINS.

116. *Non profecturis littora bobus aras.*] Conſule huic voci *bobus*, cujus brevis eſt prima, itaque lege *bubus*, per *u*. ut eſt in vetuſtioribus, & ratio requirit. Cato de Re Ruſtica cap. XXXVII. *Ubi uvae variae coeperint fieri, bubus medicamentum dato quotannis, uti valeant.* Saepiſſimè etiam apud Varronem de Re Ruſt. & ipſe lib. Noſter I. Faſtorum:

Tantaque res paucis paſcua bubus erat.

Idem lib. III. De Arte:

Quid niſi araturis paſcua bubus erant?

Horat. in Carm. ſaeculari:

Quique vos bubus veneratur albis Clarus &c.

CIOFANUS. *Bubus* rectè quidam libri. atque ita ubique ex auctoritate optimorum codicum caſtigandum. Auſon. Epig. V. *Abactis bubus.* Vid. Metam. XIV. initio & I. Faſt. 244. ex MSS. proverbii vero ſpeciem obtinuit haec locutio. Noſter in Triſtibus lib. V. 4.

Non ſinet ille tuos litus arare boves.

Juvenal. Satyr. VII.

In pulvere ſulcos
Ducimus, & ſterili litus verſamus aratro.

Adludit Virgil. IV.

Cui litus arandum
Cuique loci leges dedimus.

Vid. Eraſmum, & Zenob. p. 66. ubi Schottus. ceterum quidam codices *nil* habent. male. I. Triſt. 2. 13.

Verba miſer fruſtra non proficientia perdo.

Et El. 3. 115.

Utque parum validus non proficientia vector;
Cervicis rigido fraena remittit equo.

Epiſt. XX. 47. *Si non proficiant artes.* Metam. XIII. 411.

Non profecturas tendebat ad aethera palmas.

Nuce: *Non profectura dextra lavatur aqua.*

Ibi. 520. *Non profecturae conditor hiſtoriae.*

HEINSIUS. Douza malebat, *nec profuturis.*

117. *Juvenca.*] Per ambages vaticinium. Nam quod *juvenca* ſignificet adulteram, quaeque ſui copiam facit, affaniae ſunt & merae nugae. quippe cùm dicit Ovidius in Arte lib I. 78.

Multas illa facit, quod fuit ipſa Jovi.

Intelligi voluit in Iſaeo, id eſt Iſidis templo; puellas exemplo Deae ſuis amatoribus obſequi, itaque morem gerere, ut ipſa Io olim Jovi. PARRHASIUS. Probroſa admodum Metaphora in Helenam. CIOFANUS. *Venit* vero poſitum pro *veniet*; ita ſolebant vaticinantes. Virg. VII. 98. *Externi veniunt*, ut Servius & plurimi MSS. *juvencam* vero vocat exemplo Graecorum. ita Lycophr. v. 102. vocat πόρτιν, quam vocem Tzetzes exponit Πολύνυδρον ἁμάλιν, quod ibi de libidine capi debet. ſic quoque quidam codices lib. XII. Metam. 609.

Vinceris a timido Grajae raptore juvencae.

Ubi vulgo *maritae.* Jo. Iſcanius, non ineptus Poeta, de bello Trojano lib. III. 374. manifeſta imitatione Ovidii:

Tunc illa juvenca,
Quae ſaltus ingreſſa novos, praeſepe paternum
Inceſtâ liquiſſe fugâ, taurumque jugalem
Diceris. BURMANNUS.

118. *Perdet.*] *Perdat* ſeptem codices bonae notae, & Berſmanni Edit.

118. *Iö.*] Dictio hoc loco commiſerationis & doloris plena, alibi laetitiae. CIOFANUS.

119. *Ponto demergite puppim.*] In quibuſdam *Dii mergite puppim.* NAUGERIUS. Alii *dimergite.* ſed meliores *Dî mergite.* quomodo ſcribendum ſenſus requirit. Sic in Faſtis, III.

Plenaque odorati Dis ponit pocula Bacchi.

Cum

Sit facie quamvis insignis, adultera certe est.
Deseruit patrios, hospite capta, Deos.
Illam de patria Theseus, (nisi nomine fallor)
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.
A juvene & cupido credatur reddita virgo.
Unde hoc comperierim tam bene, quaeris? amo.
Vim licet appelles, & culpam nomine veles;
Quae toties rapta est, praebuit ipsa rapi.

At

Cum *disponit* vulgo nunc legatur. Sic illud *Di* corrupt. Ep. Did. 71. Acont. 127. Epist. XIII. 49.

Di precor a nobis omen removete sinistrum.

Amor. II. XI.

Di faciles peccasse semel concedite tuto. HEINS.

121. *Dixerat incursu.*] Alii plerique divisis dictionibus *in cursu* legunt, quasi dicat in medio vaticinandi cursu sive calore. Ego vero etiam una dictione *incursu*, pro accursu, & interventu recte legi existimo, ut intelligamus famulos incursu & interventu suo vaticinantem longius progredi prohibuisse. MYCILLUS. Lege, *in cursu famulae rapuere furentem.* hoc est, in ipso furoris cursu. De quo loquendi more plura lib. x. Met. in Fab. Myrrhae dixi. Cicer. Tusc. Quaest. 1. *Nonne modo pueros, modo adolescentes in cursu a tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus?* id est in aetatis cursu. Nisi cui scribendum videatur hoc loco:

Vox erat in cursu. famulae rapuere furentem.

Amor. lib. 1. El. VIII.

Vox erat in cursu, cum me mea prodidit umbra.

Fast. v. 245.

Vox erat in cursu: vultum dubitantis habebam.

Fast. VI. 362.

Spes erat in cursu: nunc lare pulsa suo est.

HEINSIUS. vid. Ep. VI. 39.

121. *Rapuere.*] Nam Priamus imperaverat, ut quoties Cassandra solveret os in oracula, toties eam famulae coercerent marmorei thalami claustris, ut insanam. meminit Lycophron & ejus interpres. PARRHASIUS.

123. *Nimium vera.*] Valer. Flacc. v. 5.

At memor Aesonides nimium jam vera locuti
Phineos.

Ita *verus Calchas.* Papinio II. Achil. 7. ipsa Cassandra apud Aeschyl. Agamemn. 125.

Καὶ σὺ μὲν τάχει παρὼν
Ἀγὰν γ' ἀληθόμαντιν, οἰκτείρας, ἐρεῖς. BURM.

124. *Possidet saltus.*] Locutio desumta ab amoribus Taurorum, qui ob juvencam saepe silvas implebant tumultibus. v. ad Phaedr. 1. Fab. 30. Stat. IV. Theb. 404.

Et saltus dux alter habet. BURMANNUS.

125. *Sit facie quamvis insignis.*] *Praesignis* codex Ambrosianus. recte. Noster Met. XII. 216.

Cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva
Praesignis facie.

Fast. v. 628.

Praesignis facie Corniculana fuit.

Art. Am. III. 773.

Quae facie praesignis erit, resupina jacebit.

Sic:

——*vittis praesignis & auro*
Victima.

Lib. XV. Met. v. 131. ex veteribus libris, & Epistola superiori. 39.

——*arcu praesignis adunco*
Delia——

Sic & *praesigne morum*, in Priapaeis Epigr.

Praesigne rami nec mei ferunt morum.

Ita scripti duo codices. cum *praepingue* nunc perperam & insulse ibi circumferatur. pari modo *praevalidus* & *praegravis*, infra Epist. IX. Statio libro IV. Sylv. ad Julium Menecratem, VIII. 12.

Libyca praesignis avunculus hasta. HEINSIUS.

126. *Deseruit patrios hospite capta Deos.*] *Socios Deos* codices exarati omnes. vere. nam *patria* mox sequitur. Deos enim conjugales intelligit. Amor. II. El. XI.

Ecce fugit notumque torum sociosque penates.

Sic ibi veteres libri. quomodo Virgil. Aeneid. III. 15.

Hospitium antiquum Trojae sociique penates.

Et Epist. Briseïdis:

Si tibi jam redituque placet sociique penates.

Ut illic Lincolniensis codex exhibet. *Communes Deos* pro sociis dixit Propert. 1. Eleg. XI. sic Ep. IV. 62. *Sociae leges* Fast. II. 618.

Et venit ad socias turba propinqua dapes.

Stat. Theb. VIII. 24. *Socia mensa.* vid. ad 1. Amor. IX. 6. alioquin, & *patrii Dei* & *penates* Poëtis passim, quos θεοὺς πατρώους vocitatos, Hyginus apud Macrob. docet. lib. IV. Sat. 1. v. Gronov. ad Stat. p. 290. Stat. Theb. XII. 699.

Patriis modo fixa revellam
Arma Deis.

Ubi male vulgo *patris.* v. Claud. Cons. Hon. VI. 613. Ovid. Ep. 1. 26. III. 67. & XII. 128. Fast. II. 728. HEINSIUS. Ego tamen hic *patrios* praeferrem, propter vocem *hospite:* peregrinum enim secuta virum *patrios Deos* deseruit. BURMANNUS.

At manet Oenone fallenti caſta marito:
Et poteras falli legibus ipſe tuis.
Me Satyri celeres (ſilvis ego tecta latebam)
Quaeſierunt rapido, turba proterva, pede:
Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta
Faunus, in immenſis qua tumet Ida jugis.
Me fide conſpicuus Trojae munitor amavit:
Ille meae ſpolium virginitatis habet.
Id quoque luctando. rupi tamen ungue capillos,
Oraque ſunt digitis aſpera facta meis.

Nec

129. *A Juvene.*] Aut oratoriè mentitur, ut Helenam inducat in ſuſpicionem ſtupri; aut certe juventam produxit ex ſententia Varronis ad annum quintum & quadrageſimum. nam cum Theſeus Helenam rapuit, agebat annum fere quinquageſimum. PARRHASIUS.

130. *Hoc.*] Forte *ea*, ut habet codex Voſſianus. HEINSIUS.

131. *Veles.*] Maluerim, ſi per membanas detur, *hoc culpam nomine veles*, vel, *& culpam hoc nomine veles*, ut in illo Maroniano lib. IV.

Conjugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.

HEINSIUS. Multi codices *celes*, quae eadem differentia II. Metam. 37. & Epiſt. IX. 618. Ariſtoph. Plut. I. II. 101. Ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν. BURMANNUS.

132. *Praebuit ipſa rapi.*] Vide Coluthum de ipſius Helenae raptu. CIOFANUS.

133. *Caſta.*] Mallem *fida*. HEINSIUS. *Fallaci* codex Douzae.

134. *Legibus*] Sic eleganter apud Val. Flac. in fine lib. IV. de Amyco, caeſtibus a Polluce interfecto, quod genus pugnae ipſe praeſcripſerat Grajis, Lycus ait:

Bellove magis laetarer, & armis
Procubuiſſe meis, quam lege quod occidit ultus
Ipſe ſua.

Ubi notandum *ultus* ſumi paſſive, nec audiendus Carrio, qui lectionem *uſus*, quam vitioſi codices habent, defendit, in plerisque etiam *accidit*. HEINS.

136. *Quaeſierant.*] *Quaeſierunt* liber chartaceus Lovanienſis, & placet. ſic *ſteterunt*, *dederunt*, *tulerunt*, & ſimilia penultima ſyllaba correpta. de quibus ad Epiſtol. VII. 166. HEINSIUS.

136. *Turba proterva.*] Adluſit ad originem vocabuli. Satyros enim dictos a Σάθη, quae priſca Graecorum lingua ſignificat mentulam, Macrobius auctor eſt, quia ſalaces & libidinoſi ſunt. PARRHASIUS.

138. *Qua tumet Ida.*] Ubi magis denſa eſt arboribus, vel magis alta. CIOFANUS. Ita recte *tumidas Germaniae terras*, montoſas interpretatur Pichena apud Tacit. II. Annal. 23. & Noſter *tumidos montes* dixit II. Amor. XVI. 52. Avien. Deſcr. Orb. 99.

Hic tumet Atlas
Arduus.

Et v. 477. ut legendum:

Oceani Heſperii tumet illic ardua Calpe.

Et 587.

Et macerum praepinge ſolum tumet ardua Calpe.

Et 738.

Dorſum tumet hic Erytheja.

Et paſſim. Lucan. IV. 11.

Colle tumet modico.

Ceterum plurimi ſcripti habent, *& immenſis qua tumet Ida jugis.* quare forte legendum:

Me Satyri celeres ſilvis (ego tecta latebam)
Quaeſierunt, rapido turba proterva pede,
Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta
Faunus, & immenſis qua tumet Ida jugis.

Quaeſierunt me Satyri & Faunus in ſilvis, & montis Idae jugis. BURMANNUS.

139. *Me fide conſpicuus. Trojae munitor amavit.*] Περίφρασις Apollinis ad differentiam Neptuni. Ideoque poſtea ſubjicit:

Ipſe ratus dignam medicas mihi tradidit artes,
Admiſitque meas ad ſua dona manus.

Conſtat enim cùm ex aliis locis, tum ex lib. I. Metamorph. & ex lib. I. De remedio amoris, eum medicinae inventorem fuiſſe. Apollo autem & Neptunus cùm Ilium moenibus eſſent circumdaturi, laboris ſocium Aeacum ſibi adſciverunt: quoniam fatale erat Ilium exciſum iri: idque eventurum non erat, niſi aliqua parte muri à mortali extruerentur. Hinc igitur factus eſt locus fabulae. Pindarus in Olymp. Η.

Τὸν (de Aeaco loquitur) παῖς ὁ Λατοῦς Εὐρυμέδων τε Ποσειδᾶν,
Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ ςέφανον
Τεύξαι, καλέσαντο συνεργὸν
Τείχεος· ἦν ὅτι νίν, &c. CIOFANUS.

Trojae.] Ilii. Alias Troja regio eſt. CIOFANUS.

141. *Tamen ante.*] *Ungue* ſcripti: rectius. ſup. 72. Epiſt. XI. 92.

Contigit inque meas unguibus ire genas.

Art.

Nec pretium ſtupri gemmas aurumve popoſci.
Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipſe, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes;
Admiſitque meas ad ſua dona manus.
Quaecumque herba potens ad opem, radixque medenti
Utilis in toto naſcitur orbe, mea eſt.
Me miſeram, quod amor non eſt medicabilis herbis!
Deficior prudens artis ab arte mea.
Ipſe repertor opis vaccas paviſſe Pheraeas
Fertur, & a noſtro ſaucius igne fuit.

Quod

Art. Am. II. 45. 2. Amor. III. Eleg. VI.
Ungue notata comas, ungue notata genas.
Et paſſim. HEINSIUS. Et hoc probat ex ſuo codice Douza.

145. *Medicas.*] Vide Lycophron. Caſſand. v. 61. & ibi Scholiaſten & Commentarios.

147. *Radixque medendi Utilis.*] *Medenti* malim. *medens* pro medico. Ep. Cydippes:
Adjuvor & nullâ feſſa medentis ope.
Remedio Amoris, 77.
Tu pariter vati, pariter ſuccurre medenti.
Marcellus de Medicina:
Vertat in exitium non ſollers cura medentis.
Statius v. Silv. I.
Ars operoſa medentum. HEINSIUS.

149. *Medicabilis.*] *Sanabilis* plurimi ſcripti. Eadem varietas. lib. I. Metam. 523. & alibi.

150. *Deſtituor prudens artis ab arte mea.*] *Deficior* ſcripti potiores, optime. ſic Triſt. II. 407. *Tempore deficior.* ubi male *deficiam.* Ep. Herus, ut legendum cenſeo:
Deficiar; parvi temporis adde moram.
Silius lib. III.
——*gelidos nec ſcandere tecum*
Deficior montes conjux tua.
Ita ſcribo. ſic apud Noſtrum in Ibide, 119.
——*ſolito defecta favore*
Fortunae facies.
Ibidem ex antiquis libris, 426.
Plenus inextincta deficiare fame.
Apulejus libro I. *Et nunc etiam ſpiritu deficior.* libro IV. *Viae ſpatio defectus.* libro V. *Defectus ſalute.* libro VI. *Defectus aſſiduis laboribus.* libro IX. *Argumenti ſatietate defectus.* atque ita ille paſſim. cui hunc loquendi modum reddidimus ad Faſtos libro V. ỳ. 675. Caeſar libro 3. Belli Civilis: *Cum gravi vulnere adfectus & viribus deficeretur. Defici ſtercore* Columella II. cap. 15. 16. *Si deficiatur omnibus rebus agricola.* libro VII. 9. *Defici memoria.* 10. *Laude defici.* libro VIII. 16. *Nulla parte copiarum defici.* pari modo idem cum alibi locutus eſt, tum libro IV. cap. XXX. *Dentibus defecti leones*, apud Plinium. Senec. Ep. XXX. *In conſpectu mortis hilarem, laetumque, nec deficientem, quamvis deficiatur*, ita lego e MSto. Epiſt. LXXVI. *Si quis deficiatur pecunia.* Ep. XCII. *etſi aliquibus commodis deficitur.* Conſol. ad Marc. c. X. *Jam deficietur iſte comitatus*, ita lego ex MSS. vulgo *deficiet.* v. Salm. ad Hiſt. Aug. p. 254. Min. Felix p. 17. Ed. Leid. *Britannia ſole deficitur.* Scrib. Larg. comp. 191. *Animo deficiuntur.* v. Coler. ad Valer. Max. v. IV. idem Valer. VIII. III. 2. *Quod advocatis deficiebatur.* & VIII. VII. ext. 1. *Lateris firmitate defectus.* Statius Saturnalibus:
Jam jam deficior, tuoque Baccho
In ſerum trahor ebrius ſoporem.
Quomodo probe vetuſta editio Parmenſis. apud Virgil. Aeneid. XI.
Cur indecores in limine primo
Deficiuntur.
Ita vetuſtus codex, quem munus accepi a V. D. Ovidio Montalbano. Noſter Pont. III. IV. 37. *His ego defectus.* Faſt. III. 674. *Dape defectis* ex conjectura. Ubi vide notas noſtras. Neque aliter optimi Latinitatis auctores paſſim loquuntur. HEINSIUS.

151. *Ipſe repertor opis vaccas paviſſe Pheraeas Fertur.*] Callimachus diverſam ab aliis cauſam ſervitii canit, cùm ſcilicet Admeto Apollinem ſerviſſe prodat, quòd adoleſcentis amore captus eſſet, atque ad emerendum ejus amorem gregem ab eo paſtum. EGNATIUS. Senſus eſt: Neque tamen mirum videri debet, me non poſſe mederi morbo, id eſt amori meo: cum nec ipſe Apollo, inventor ac deus medicinae, idem hoc potuerit: ut qui amore impulſus, Admeti armenta paverit. Sumptum autem exemplum hoc eſt ex hymno Callimachi in Apollinem, ubi ille:
Φοῖβον καὶ νόμιον, inquit, κίκλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
Ἔξοτ' ἐπ' ἀμφρυσῷ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
Ἠθέου ὑπ' ἐρώτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.
Niſi quod Callimachus ἵππους vocat, quas hic Ovidius *vaccas* dicit. Sed in hoc non multum momenti poſitum. De Oenones autem exitu, & quo pacto in morte tandem iterum conjuncti fuerint ipſa & Paris, apud Calabrum poëtam vide, qui lib. 10. Paridem à Philoctete ſagitta vulneratum,

Quod neque graminibus tellus fecunda creandis,
Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes.
Et potes, & merui. dignae miserere puellae;
Non ego cum Danaïs arma cruenta fero.
Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis:
Et tua, quod superest temporis, esse precor.

EPI-

ad Oenonem confugisse ait, ab eaque auxilium atque remedium vulneris rogasse. Quod cum illa negasset, inter redeundum in Ida monte expirasse. Ubi cum à pastoribus ex more cremaretur, Oenonem eodem secutam, in eundem rogum, cui tum fortè Paris impositus erat, seipsam quoque praecipitasse. Micyllus. lib. II. Art.

Cynthius Admeti vaccas paviſſe per aeſtus
Fertur. ——

Hujus rei causſam reddit Hyginus cap. XLIX. his verbis: *Aesculapius Apollinis filius, Glauco Minois filio vitam reddidisse, sive Hippolyto dicitur; quem Juppiter ob id fulmine percussit. Apollo, quod Jovi nocere non potuit, eos, qui fulmina fecerunt, id est Cyclopes interfecit. Quod ob factum Apollo datus est in servitutem Admeto regi Thessaliae:* Hac etiam de re & Euripides sub initio Alcestis tragoediae de Apolline multa cognitu digna scribit, & Phurnutus de Natura Deorum. Ciofanus. *Pheraeas*, sic meliores libri, non *per aestus*, aut *per herbas*. similiter vetustiora exemplaria Art. Am. II. 239. monent reponendum esse:

Cynthius Admeti vaccas paviſſe Pheraei
Dicitur.

Ubi pari modo in vulgatis codicibus peccatur. Seneca Hercule Furenti, 451.

Pastor Pheraeos Delius pavit greges.

Pheraeorum enim rex Admetus. hinc Apollonio lib. I. 49. Οὐδὲ Φερῇς Ἄδμητος ἐϋῤῥήνεσσιν ἀνάσσων, Μίμνεν ὑπὸ σκοπιὴν ὄρεος χαλκωδόνιοιο. & ita Valer. Flacc. I. 444.

Te quoque dant campi tanto paſtore Pheraei
Felices Admete.

Copiose haec fabula narratur in paroemiis Graecis Schotti p. 45. ubi v. notas. Apollod. p. 27. & 37. Hygin. Fab. 49. 50. 51. v. Friſchl. in Callim. p. 14. & 36. *Pheraei* Moschionis a Stobaeo citantur. Admetus autem ab Hygino Fab. XIV. filius Pheretis, & Periclymenes. Heinsius.

152. *Et è noſtro ſaucius igne fuit.*] Ita legendum è bonis libb. idque est magis poëticum. Ciofanus. Pauci codices, & post Gryphium recentiores quaedam editiones, *dicitur*, *& noſtro*. sed antiquiores & Aldinae cum Lovanienſi codice *fertur & a noſtro*. quod praetulimus. *a* hic ponitur pro *poſt*. sensus est, Phoebus, postquam me amavit, etiam Alcestida deinde amavit. quid miri ergo, si repertor Medicinae, & qui mihi medicas artes tradidit, ipse adhuc postquam me amaverat, non potuerit ab amore se continere, si nec ego accepta medendi arte, nondum resanuerim. passim autem praepositio haec ita a Nostro ponitur. v. ad Epist. X. 16. & supr. Epist. II. 86. sic & recte Heinsius vindicavit Velleji locum lib. II. 127. *D. Augustus M. Agrippa, & maxime ab eo Statilio Tauro usus.* Senec. I. de Clem. 14. *Numquid aliquis sanus filium a prima offensa exheredat?* ut recte pro, *ad primam offensam*, correxerunt viri docti. Burmannus.

EPISTOLA VI.

HYPSIPYLE JASONI.

Litora Theſſaliae reduci tetigiſſe carina
Diceris, auratae vellere dives ovis.
Gratulor incolumi, quantum ſinis. hoc tamen ipſum
Debueram ſcripto certior eſſe tuo.
Nam, ne pacta tibi praeter mea regna redires,
Cum cuperes; ventos non habuiſſe potes.
Quamlibet adverſo ſignetur epiſtola vento;
Hypſipyle miſſa digna ſalute fui.
Cur mihi fama prior, quam nuntia litera, venit,
Iſſe ſacros Marti ſub juga panda boves?
Seminibus jactis ſegetes adolêſſe virorum,
Inque necem dextra non eguiſſe tua?
Pervigilem ſpolium pecudis ſervaſſe draconem,
Rapta tamen forti vellera fulva manu?
Haec ego ſi poſſem timide credentibus, Iſta
Ipſe mihi ſcripſit, dicere, quanta forem!

Quid

Etiam huic Epiſtolae praefigitur diſtichon hoc in Excerptis Puteani:

Lemnias Hypſipyle, Bacchi genus, Aeſone nato
Dicit: & in verbis pars quota mentis erat.

Ubi tamen malo *mentis ineſt.* HEINSIUS.

3. *Incolumi.*] Id eſt tibi Jaſon, qui incolumis reverſus es. CIOFANUS. *Incolumem* unus Moreti. quod non negligendum, ut ſubintelligatur, te rediiſſe, vide Malaſp. ad Cicer. v. ad Att. 20. & nos d Phaedr. IV. 20. BURMANNUS.

3. *Hoc tamen ipſo.*] Argentinenſis *ipſe.* Lege *ipſa*; niſi malis *ipſum* cum Douza. HEINSIUS. *Ipſo* fere ſcripti, & editi; niſi quod in Leidenſi erat *ipſum*, ut ſit Graeciſmus. & probabat Douza. poſſet & *ipſo* capi per ellipſin, pro de hoc ipſo.

5. *Praeter.*] Id eſt *prope*, vide quae dixi in obſervationibus in Metamorphoſim. CIOFANUS. mallem *propter*, vide VIII. Metam. 258. ſed tamen Statius Theb. IX.

Jamque fere medium Parnaſi frondea praeter
Colla tenebat iter.

Niſi & illic *propter* legas. poſſet & *propere in mea regna*; ut Ep. XIX. 157. *In tua caſtra redi.* HEINSIUS. vide ad v. Metam. 159.

7. *Quamlibet.*] In quibuſdam *Quolibet adverſo.* ut alibi etiam. *Quaslibet admiſſas detinuere rates.* Quin multis in locis utitur hac locutione Ovidius. mihi utrumque rectum videtur. NAUGER. Naugerius notat in quibuſdam legi *quolibet adverſo*, quam lectionem adſtruere conatur ex alio loco:

Quaslibet admiſſas detinuere rates.

Perperam, nam & illic *quamlibet* legendum. v. Sup. Epiſt. IV. 98. & inf. hac Epiſt. 140. Triſt. IV. VII. 4. forte etiam *ſignatur*, non *ſignetur.* HEINSIUS.

10. *Martis boves.*] Dios tauros & feros, & mirae magnitudinis Apollodorus lib. 1. Bibliothecae. CIOFANUS. *Marti* malim. ſed obſtant membranae. Scriverii codex habebat *Marti*, ſed ſciolus quidam adſcripſerat *s.* HEINSIUS. IV. Faſt. 286.

Veneri ſacra Cythera petit.

15. *Haec ego ſi poſſem timide credentibus iſta.*] *Hoc ego* meliores ſcripti. & ſane *Haec* ac *iſta*, minus apte cohaerent. Lege:

O ego, ſi poſſem timide credentibus, Iſta
Ipſe mihi ſcripſit, dicere, quanta forem!

Et vide quae noto hanc in rem ad Epiſtolam primam v. 101. Metam. VIII. 51.

O ego, quam felix, ſi pennis lapſa per auras,
Gnoſiaci poſſem caſtris inſiſtere regis!

Lib. IX. 486.

Quid queror officium lenti ceſſaſſe mariti!
Obſequium, maneo ſi tua, grande tuli.
Barbara narratur veniſſe venefica tecum,
In mihi promiſſi parte recepta tori.
Credula res amor eſt. utinam temeraria dicar
Criminibus falſis inſimulaſſe virum!
Nuper ab Haemoniis hoſpes mihi Theſſalus oris
Venerat; & tactum vix bene limen erat:

Aeſoni-

O ego, ſi liceat mutato nomine jungi,
Quam bene, Caune, tuo poteram nurus eſſe parenti.
Heins. Reduxi veterem ſcriptorum & excuſorum lectionem, qui non variant, niſi quod quidam habeant *hoc*, quod eodem redit. quamvis *haec* propter *iſta*, quod ſequitur, praetulerim. ingenioſa quidem Heinſii conjectura, ſed nobis tantum non permittimus, ut in textum recipiamus conjecturas, quae nihilo meliorem ſenſum faciunt, nec fide codicum nituntur. Ceterum egregie huc facit locus Ciceronis III. ad Fam. 3. *De qua etſi permultum antea certior eram factus literis, nuntiis, fama denique ipſa, tamen eadem laetiora fecerunt mihi tuae literae. non ſolum quia plenius loquebantur, & uberius, quam vulgi ſermo; ſed etiam quia videbar magis tibi gratulari, cum de te ex te ipſo audiebam.* Forte etiam magis ſenſus hujus loci erigeretur, ſi legeretur:

Haec ego ſi poſſem timide credentibus, Ipſe,
Ipſe mihi ſcripſit, dicere, quanta forem!

In illis repetitionibus vis & venuſtas eſt. ita mox duo codices repetunt, *officium maneo, ſi tua; grande tuli.* Burmannus.

20. *Recepta.*] Plurimi MSS. & editi *futura*; etiam bene. Art. Am. I. 566.

Atque erit in ſocii foemina parte tori.

Sed recte ſe habet *recepta*. v. ſup. ad Epiſt. II. 55. mox v. 95. ut quidam codices habent:

Thalamoque receptus in uno.

Remed. Amor. 456.

Callirrhoe fecit parte recepta tori. Heinsius. Codex Douzae *vocata*, unde ille *locata* faciebat.

24. *Et tactum.*] Lege, *ut tactum.* Heinsius. Francius volebat *venit*, *& ut tactum v. b. l. e.*

26. *Oppoſita.*] Tres libri *appoſita*, idque rectius fortaſſe. vid. ad Epiſt. VII. 100. Heinsius. Minime. millies enim Poëtae *adverſa* & *oppoſita* vocant, quae ante oculos ſunt poſita. lib. XIII. Metam. 541.

Adverſa figit modo lumina terra.

Heinſius vero admodum pronus fuit in vocem *adpoſitus*, & ideo ubique fere eam intrudit. Sic & III. Amor. VI. 7. *Adpoſitum montem*, ubi ego etiam *oppoſitum*, ſcilicet Poëtae ad ripam fluminis ſtanti adverſum. & ita *adverſum montem* Lucan. IV. 38. dicit, ubi certe non licet *appoſitum* reſcribere. ſed de illis plura dicemus ad Valer. Flac. I. 493. Francius etiam reſcribi volebat, *in oppoſitam terram*; ſed neque hoc neceſſarium. IV. Triſt. II. 29.

Hic, qui nunc in humo lumen miſerabile figit.

Et ut *figere*, ita & *tenere*. I. Amor. IX. 18.

In rivale oculos alter, ut hoſte, tenet. Burm.

27. *Exilui.*] *Exilui*, inquit metu ac trepidatione, ſcilicet pro ſalute tua anxia atque ſollicita ſum. non egreſſa ſum propius ad eum. ut Hubertinus exponit. Micyllus.

27. *Tunicisque a pectore ruptis.*] *Raptis* libri meliores. ſic *deripere ex humero veſtem* & ſimilia. at libro III. Art. Am. 707.

——— *tenues à pectore veſtes*
Rumpite.

Statius II. Silv. I. 171.

Nunc torvus pariter veſtes & pectora rumpit.

Sequenti praeterea verſu quidam libri, *fata vocant* cum Jureti excerptis. ut Epiſt. VII. I. nihil tamen muto. vid. infr. v. 51. Ep. XII. 35. Silius VI. 191.

Sed fata trahebant. Heinsius.

29. *Vivit, ait, timidumque mihi jurare coëgi.*] In pluribus antiquis libris. *Vivit ait timidum, quod ait jurare coëgi.* Quod & Planudes agnoſcit. & ego rectius judico. Naugerius. Diverſe legitur. Alii: *Vivit, ait, timidum, quod ait, jurare coëgi.* ut ſit ſenſus, Coëgi timidum illum, ſive timidè loquentem, ut jurejurando id, quod ait, hoc eſt, te vivum atque incolumem eſſe, confirmaret. Alii: *Vivit, ait: timidum, quod amat, jurare coëgi.* ut ſit ſenſus, Quoniam qui amant, ſolliciti ac timidi ſunt, jurare illum coëgi. Ut ſit alluſio ad id, quod prima Epiſtola Penelope ait: *Res eſt ſolliciti plena timoris amor.* Sed hic rurſum videndum, num rectius legeretur: *Quòd amo*, prima perſona: pro eo quod eſt, Quia ego amo, jurare timidum illum coëgi. Ceterum ſimpliciſſima lectio videtur ea, quam nos ſecuti ſumus, ſi legas: *Timidumque mihi jurare coëgi.* ut timidum eum accipias, de quo paulo antè dixit: *Ille pudore Haeſit*, &c. & Hypſipylen ad jurandum adegiſſe illum quia timentem ac trepidantem animadverterat, cum primùm de Jaſone interrogaretur. Mycillus. *Timidum quod ait jurare coëgi*, vel *timide* libri veteres:

Aeſonides, dixi, quid agit meus! Ille pudore
Haeſit, in oppoſita lumina fixus humo.
Protinus exſilui; tunicisque à pectore ruptis,
Vivit? an, exclamo, me quoque fata trahunt?
Vivit, ait. timidumque mihi jurare coëgi.
Vix mihi, teſte Deo, credita vita tua eſt.
Ut rediit animus, tua facta requirere coepi.
Narrat, aënipedes Martis araſſe boves:

Vipe-

teres: *Vivit ait timidumque virum* alter Mentelianus. Puto corrigendum eſſe:

Vivit, ait timide: timidum jurare coëgi.

Niſi *ait timidus* malis. Ejuſmodi repetitiones vocum à ſupinis librariis ut plurimum neglectae (dum ſemel tantummodo exprimunt, quod bis fuerat exprimendum) corrumpendo non uni apud Naſonem loco occaſionem dederunt. Ep. VII.

Nec mihi parcatur, puero parcatur Iulo.

Quae vera ibi lectio eſt. Ep. VIII.

Quem ſibi permiſit, genero permittet amorem.

Ubi *concedet* repoſuerunt. Ep. IX. 127.

Ingreditur late lato ſpectabilis auro.

Sic ſcripti omnes, pro quo *multo auro* in vulgatis. Epiſt. XIV.

In thalamos laeti, thalamos ſua buſta feruntur.

Et mox:

——— *Nudâ nuda recumbis humo.*

I. Amor. IX. 30.

Quoſque neges umquam poſſe jacere, jacent.

II. Am. VIII. 13.

Non ego Tantalide major, nec major Achille.

Remed. 375.

Grande tonant Tragici. Tragicos decet ira cothurnos.

Ep. XVII. ex veteri libro:

Nec tamen iraſcor: quis enim iraſcatur amanti?

Ep. XVIII.

Me pariter venti teneant, teneantque lacerti.

Ut ſcribendum illic conjeci. Amor. lib. I. Eleg. II. 41.

Tu pennas gemmâ, gemma variante capillos.

Qui etiam locus male in vulgatis codicibus eſt habitus. & pari id modo paſſim apud Noſtrum. lib. I. Art. Am. 127.

Si qua repugnârat nimium, nimiumque negârat.

Ubi *comitemque negarat* ſupponunt. & II. Amor. VI. 59.

Oſſa tegit tumulus, tumulus pro corpore parvus.

Feſtus Avienus Deſcr. Orb.

Tum Piſida ferox exercet pinguia culta
Telmeſſuſque dehinc urbs eminet; eminet arcem
Inclyta per nubes attollens moenia Lyrbe.

Ubi ſemel tantum *eminet* legebatur, claudicante verſu. paullo poſt ſcribe:

Hic diros Cilicas trames tenet.

Peſſime nunc *hic diros Caelicaſtrames tenet.* ſed ad rem. HEINSIUS.

31. *Utque animus rediit.*] Turbant hic denuo libri. Sed Excerpta Jureti cum uno Patavino, *Ut rediit animus.* recte: producitur enim Naſoni aliisque Poëtis paſſim ultima ejus verbi ſyllaba, quemadmodum & in *adiit*, *abiit*, *iniit*, *praeiit*, *ſubiit*, *praeteriit*, & ſimilibus, de quibus ſuo loco. Epiſtola Laodamiae, 29.

Ut rediit animus, pariter rediere dolores.

Art. Am. III. 707.

Ut rediit animus, tenues à pectore veſtes
Rumpit.

Faſtor. lib. III. 333.

Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit.

Lib. V. 515.

Ut rediit animus, cultorem pauperis agri
Immolat.

Quibus etiam in locis libri veteres ſibi non conſtant, dum alii, *Ut rediitque animus:* alii, *Utque redit animus*, alii alia, ſubſtituunt. meliores conſtanter, quod nos exhibemus, agnoſcunt. Metam. XIV. 519.

Mox ubi mens rediit, & contempſere ſequentem.

Remed. Am. 6.

In liquidum rediit aethera Martis equo.

Faſt. II. 341. loco itidem in vulgatis libris mendoſo, poſtrema ſyllaba in *rediit* pari modo producitur:

Attonituſque metu rediit, ut ſaepe viator
Turbatum viſo rettulit angue pedem.

I. Metam. 114. *Subiit argentea proles.* Statius VI. Theb. 664. ex MS.

Adorato rediit ingloria diſco.

Epicedio in Druſum 235.

Ille meus periit; periit arma inter & enſes.

Rediit vero *animus* opponitur *linqui animo.* Plaut. Trucul. Act. II. Sc. 4. *Adſperſiſti aquam, jam rediit animus.* HEINSIUS.

32. *Rettulit aenipedes.*] Haec lectio eſt in bonis libris. probo. CIOFANUS. Correctores haec interpolarunt. Nam vetuſta exemplaria *Narrat & aeripides*, vel, *Narrat aëripedes.* Codex Helmaeſt. *Narrat aripedes.* Lege, minima mutatione:

Narrat aënipedes Martis araſſe boves.

Epiſtola Medeae, 93.

Vipereos dentes in humum pro ſemine jactos,
Et ſubito natos arma tuliſſe viros:
Terrigenas populos, civili Marte peremtos,
Impleſſe aetatis fata diurna ſuae.
Devicto ſerpente, iterum, ſi vivat Iaſon,
Quaerimus. alternant ſpesque timorque fidem.
Singula dum narrat; ſtudio curſuque loquendi,
Detegit ingenio vulnera facta ſuo.
Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia jura?
Faxque ſub arſuros dignior ire rogos?
Non ego ſum furto tibi cognita. pronuba Juno
Adfuit, & ſertis tempora vinctus Hymen.

At

Jungis aënipedes inaduſto corpore tauros. Quomodo & illic ſcribendum. *aëneus* & *aënus* pro aeneo paſſim Poëtae. Martialis Spectaculorum Ep. XXVII. *Ignipedes* vocat hos tauros:

Ignipedes poſſet ſine Colchide vincere tauros.

Sed vide ne & illic *Aenipedes* ſit corrigendum. quamquam *Ignipedes ſolis equi* Naſoni & Statio dicantur, de quo Metam. II. v. 392. dicemus. *Aeripedem cervam* habes apud Virgil. Aeneid. VI. 803. in loco Martialis *jungere tauros* pro *vincere* caſtigandum recte vidit Gronovius. Hyginus: *Itaque Aeeta Jaſoni hanc ſimultatem conſtituit, ſi vellet pellem auratam auferre, tauros aeripedes, qui flammas naribus ſpirabant, jungeret.* HEINSIUS.

37. *Devicto ſerpente.*] Sic in nonnullis. ſed & recte *devictus ſerpens.* NAUGERIUS. Ita quidem in Aldinis legitur, ut ſit ſenſus; poſtquam autem audiſſem tandem etiam devictum Draconem, ſive Serpentem, a quo cuſtodiebatur vellus, &c. Iterum, prae timore ac ſollicitudine ſcilicet, quaero, num vivat Jaſon &c. Alii autem *devictum ſerpentem* legunt, ut cum praecedentibus cohaereat, & ſit ordo: Ille rettulit aëripedes boves, vipereos dentes, & ex iis armatos viros è terra natos, mox a ſe mutuo interemptos; poſtremo & Serpentem, ſive Draconem devictum. Atque ibi tamen ego iterum quaeſivi &c. ſed haec non ita magni momenti. Mihi tamen Aldina lectio magis probatur. MYCILLUS.

39. *Studio curſuque loquendi.*] Vide ad Epiſt. V. 121. Juvenal. XIV. 26.

Quae nunquam maternos dicere moechos
Tam cito, nec tanto poterit contexere curſu.

Deinde malo, *Detegit ingenio vulnera noſtra ſuo.* Ut in Aldina, Micylli, Gryphii & aliis editionibus eſt, & exſtat quoque in ſcriptis codicibus quamplurimis, & probavit Schottus II. Obſerv. 53. *Ingenio ſuo*, id eſt ſponte, ſimpliciter, in rapiditate illa & curſu loquendi & narrationis, excidit ipſi perfidia tua, qua me laeſiſti; & ideo majorem ipſi fidem habeo, quam ſi ſubornatus & compoſita & meditata oratione mihi id exponere tentaſſet. ita *crines ingenio ſuo flexi*, id eſt ſponte, ſine arte, Petronio cap. 126. Claudian. I. in Rufin. 210.

Hic radiant flores, & prati viva voluptas
Ingenio variata ſuo.

Et leg. 19. §. 1. ff. de Offic. Praeſid. *Ita jus reddat ut auctoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat.* & ita contra *ingenio alieno formabat orationes & edicta* Domitianus, teſte Sueton. cap. 20. vide ad Quinctil. VIII. 2. Capoferreus in Epiſtola ad Heinſium malebat, *Detegit ingenuo vulnera facta toro.* ſed audacius, quam ut probemus. BURMANNUS.

41. *Heu ubi pactu fides.*] *Heus* quidam codices. Aproſianus, *Dic ubi.* ſed nihil muta. vid. ad Ep. IV. 150.

42. *Faxque.*] Vid. Schott. II. Obſ. 40.

43. *Furtim.*] Scriverii, Francofurtenſis & quatuor alii *furto*, quod recipere non dubitavimus, quia id elegantius, & bonis auctoribus uſitatum novimus. ſed ſaepe vox haec a librariis loco mota, ita apud Virgil. IV. 337. ex optimis membranis:

Non ego hanc abſcondere furto
Speravi, ne finge, fuga.

Et Statio reddidit Bernartius I. Theb. 312. qui pluribus de ea voce agit. Idem Statius V. 494. *Vaga litora furto Incomitata ſequor.* ubi itidem alii codices *furtim.* & I. Silv. II. 192.

Niſi Dardana furto
Cepiſſet Martem, nec me prohibente, ſacerdos.

XI. Theb. 757.

Interea pulſi vallum exitiale Pelaſgi
Deſtituunt furto.

Et alibi ſaepe. Plinius VIII. 31. *Et parere furto cupiunt.* & ita ille aliquoties. Noſter VI. Faſt. 555.

Improbus hunc Athamas furto dilexit.

Ita optimae membranae. vulgo *furtim.* ita & *patrios furtis accedere ſaltus.* Valer. Flac. II. 283. requiris

At mihi nec Juno, nec Hymen, ſed triſtis Erinnys
Praetulit infauſtas ſanguinolenta faces.
Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?
Non erat hic aries villo ſpectabilis aureo:
Nec ſenis Aeëtae regia Lemnos erat.
Certa fui primo (ſed me mala fata trahebant)
Hoſpita feminea pellere caſtra manu.
Lemniadesque viros, nimium quoque, vincere norunt.
Milite tam forti ripa tuenda fuit.
Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi:
Hic tibi bisque aeſtas, bisque cucurrit hiems.

Tertia

quirit etiam *τὸ furto* addita vox *cognita*, ut furtivos amores notet. II. Amor. VIII. 3.

Et mihi jucundo non ruſtica cognita furto. BURM.

49. *Villo ſpectabilis aureo.*] Synizeſis. ſic lib. I. Amorum Eleg. IIX.

Ipſe Deus vatum, palla ſpectabilis aurea,
Tractat inauratae conſona fila Lyrae.

Et in Epiſt. Medeae XII. 201.

Aureus ille Aries villo ſpectabilis aureo
Dos mea. CIOFANUS.

Multi codices *fulvo ſpectabilis auro.* ut *vellera fulva* ſupra dixit. ſed nihil mutandum temere. Valer. Flac. VIII. 122.

Villiſque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus.

VII. 30.

Aurea ſi jam
Pellis, & oblatis clareſcant atria villis.

Senec. Troad. 1035.

Cum gregis ductor radiante villo
Aureo. BURMANNUS.

51. *Mala fata trahebant.*] Plautus in Bacchidibus: *Pro libidine fata agunt homines.* CIOFANUS. Pro *mea fata*, *mala fata* Puteaneus & duo alii. ſic *malus error* & ſimilia. Noſter in Amorib. III. 9.

Cum rapiant mala fata bonos. ——

Eadem varietas infr. Epiſt. XII. 35. HEINSIUS.

52. *Pellere caſtra manu.*] *Domo* Voſſii excerpta & codex Junii. ſed nihil mutandum ſuadent ſequentia. *Caſtra* vero hic recte Hubertinus claſſem interpretatur. Virgil. IV. 604.

Faces in caſtra tuliſſem.

Ubi vid. Serv. & nos ad VII. Metam. 99. BURM.

54. *Milite tam forti vita tuenda fuit.*] *Fortuna tuenda* Puteaneus. mendoſe. At in uno Voſſiano (& Francof.) pro diverſa lectione, *ripa tuenda.* quod placet. Hoc enim omni ſtudio Lemniades agebant, ut Argonautas littore prohiberent. de vitâ nullum certamen fuit. Cauſam dedit loco interpolando, quod *ripam* pro *littore* nonnunquam ſumi neſciret, quiſquis *vitam ripa* ſuppoſuit. at Horatius lib. III. Od. XXVI.

Aequoris nigri fremitum & trementes
Verbere ripas

dixit. Florus quoque lib. IV. cap. II. de Bello Antonii Parthico: *Purpuram aurumque in ripam aſſidue mota ventis maria revomebant.* Contra *littus* fluvii pro ripa paſſim apud optimos auctores Latinitatis. *Litus tueri* habet Noſter Met. XII. 66.

Prohibent aditu, littuſque tuentur
Troes.

Apud Germanicum in Aratêis, pro *vita* & *vitta*, *ripae* legitur etiam in antiquiſſimo codice Puteaneo bis terve. contra XI. Metam. 138. ex optimis membranis: *Perque jugum vitae*, pro *ripae.* HEINSIUS.

55. *Urbe virum vidi.*] *Τὸ vidi* vehementer friget. nec juvant tamen membranae noſtrae. Scribo:

Urbe virum viduâ, tectoque, animoque recepi.

Viduam urbem eleganter dixit, quod viri in ea omnes ab uxoribus eſſent obtruncati. nihil notius hac fabula. eandem conjecturam Capoferreo etiam in mentem veniſſe ſerus nunc intelligo. Virgilius lib. VIII. 571.

Multis viduaſſet civibus urbem.

Sic *vacuam urbem* dixit Valer. Flacc. II. 308. in hac narratione, quam Noſter *viduam.* & paullo ante v. 290.

Quam genitor patriam, quanta modo linquis inanes
Pube domos.

Ut ibi legendum ad ipſum Flaccum monemus. HEINSIUS. Ingenioſa certe conjectura, quam adjuvant quoque illa Valerii Flacci lib. II. 370.

Urbe ſedent laeti Minyae, viduiſque vacantes
Indulgent thalamis.

Sed quia per gradus amor venire ſolet, & aſpectus praecedit hoſpitium, & penitus animo receptum amorem, nihil muto; maxime ob illa quoque Noſtri inf. XII. Ep. 9.

Cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argo.

Tertia meſſis erat: cum tu, dare vela coactus,
Implêſti lacrimis talia verba tuis:
Abſtrahor, Hypſipyle: ſed (dent modo fata recurſus)
Vir tuus hinc abeo: vir tibi ſemper ero.
Quod tamen è nobis gravida celatur in alvo,
Vivat; & ejusdem ſimus uterque parens.
Hactenus: &, lacrimis in falſa fluentibus ora,
Cetera te memini non potuiſſe loqui.
Ultimus è ſociis ſacram conſcendis in Argo.
Illa volat: ventus concava vela tenet.
Caerula propulſae ſubducitur unda carinae:
Terra tibi, nobis adſpiciuntur aquae.
In latus omne patens turris circumſpicit undas.
Huc feror; & lacrimis osque ſinusque madent.

Per

Et ibid. 31.

Tunc ego te vidi, tunc coepi ſcire quid eſſes.

Francius malebat, *hic ego te vidi.* Burmannus.

56. *Bisque aeſtas.*] Quatuor tantum menſes huic morae tribuit Valer. Flacc. lib. II. 367. multo elegantius & veroſimilius. Fortaſſe Naſoni longius tempus placuit, quia duos ex hoc coitu filios natos ſciebat, *Euneum* & *Deiphilum.* Hygin. Fab. XV. & CCLXXIII. *Thoanta* & *Euneum* vocat Lutat. ad Stat. VI. Theb. 340. ſed geminos peperit. Stat. V. Theb. 464. & Noſter ipſe mox 121. ad quos generandos biennio non erat opus. recte vero adhuc gravida de unico foetu mentionem facit apud Valer. Flac. II. 425. ex naturali & conſueto more partus numerum conjiciens. ut & Noſter, mox vers. 61. de uno modo in utero latente loquitur. Burmannus.

58. *Implêſti lacrimis talia verba tuis.*] Malo *lacrymis ſuis.* vel contra membranarum auctoritatem. Vide notas ad Epiſt. XVII. V. 252. Heinsius. Sed cur non *tuas lacrimas*, perfidas, tibi uſitatas, interpretari liceat, & ita codicum omnium fidem ſequi? Burmannus.

59. *Si dent modo fata recurſum.*] *Sed dent modo fata recurſus*, libri meliores. Heinsius.

60. *Vir tuus.*] Apollonius lib. I. ỳ. 892. & ſeqq. fingit Jaſonem non promiſiſſe reditum, neque ergo connubium; ſed petiiſſe ut puerum natum ſibi in Theſſaliam mitteret. Minus certe amatorie. Burmannus.

63. *Cadentibus.*] Gottorphianus *fluentibus.* quod minime ſpernendum, cum majorem hoc loco vim habere mihi videatur; quaſi ſponte & ubertim provenerint, nec coactae aut ſimulatae viſae ſint Hypſipylae; & quae ita facilius per illas decepta fuerit. hinc *flumina* lacrimarum & *imbres* paſſim occurrunt. de verborum horum confuſione vid. ad III. Amor. II. 14. Burmannus.

65. *Ultimus*] Atqui Apollonius lib. I. vers. 910. primum navem conſcendiſſe canit. cui concinit Statius V. Theb. 480.

Primoque ferit dux verbere pontum.

Sed illi magis ſolliciti videntur fuiſſe, ut bonum nobis ducem Jaſona, quam doctum amatorem exhiberent. At Ovidius aptius fingit, & decorum magis fraudi Hypſipylae ab Jaſone factae, eum coactum ab Hercule & aliis, ultimum tandem in navem compulſum. Valerius, licet non expreſſis verbis dicat Jaſonem ultimum conſcendiſſe, haeſiſſe tamen cum Caſtore & Polluce diutius reliquis Argonautis in amplexibus Lemniadum innuit. lib. II. V. 425. Burmannus.

66. *Illa volat.*] Alludit ad Etymon Ἀργοῦς, quae idcirco *cita* navis a veteribus dicta eſt. Ciof.

66. *Ventus concava vela tenet.*] Francius corrigebat *vela rapit.* vel *vento concava vela tument.* ego nil muto ſed *tenet concava*, id eſt implet.

68. *Aſpiciuntur.*] Scriverii & Moreti codices *proſpiciuntur.* vid. ad Epiſt. V. 63. Burmannus.

70. *Ora ſinusque.*] Optimi libri *osque ſinusque.* poſſet & legi *osque ſinusque madent.* Heinsius. *A lacrimis* etiam codex Douzae.

71. *Cupidaeque faventia menti.*] Non *menti*, ſed *amanti* legas. Volscus.

73. *Adde preces.*] Francofurtenſis, Regius, Junii & ſeptem alii *addo*, concinnius ut mihi videtur; dicit enim ſe lacrimis addidiſſe preces & vota. ita Phaedra Ep. IV. in fine: *Addimus his precibus lacrimas quoque.* Burmannus.

75. *Vota ego.*] Ex Tibullo adumbratum, qui lib. I. Eleg. 5.

Omnia perſolvi; fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

76. *Irae*

Per lacrimas ſpecto; cupidaeque faventia menti
Longius adſueto lumina noſtra vident.
Addo preces caſtas, immixtaque vota timori,
Nunc quoque te ſalvo perſolüenda mihi.
Vota ego perſolvam? votis Medea fruetur?
Cor dolet; atque ira mixtus abundat amor.
Dona feram templis, vivum quod Iäſona perdo?
Hoſtia pro damnis concidat icta meis?
Non equidem ſecura fui; ſemperque verebar,
Ne pater Argolica ſumeret urbe nurum.
Argolidas timui: nocuit mihi barbara pellex.
Non expectatâ vulnus ab hoſte tuli;
Nec facie meritisve placet; ſed carmine movit:
Diraque cantatâ pabula falce metit.

Illa

75. *Irae mixtus.*] *Ira* libri fere omnes. HEINS. vid. ad lib. VI. Faſt. 170.

77. *Dona feram.*] *Tura* Gronovius, quae eſt gloſſa τοῦ *dona*, quae vox & tura, & omnia, quae Diis offeruntur, notat. Obſeq. c. XLI. *Virgines viginti ſeptem dona canentes tulerunt.* c. XLIV. *Matronae theſaurum & virgines dona Cereri & Proſerpinae tulerunt. Dona templorum* Tacitus Agric. 6. dixit. BURMANNUS.

77. *Vivum quod Jaſona perdam.*] *Perdo* Puteaneus cum Regio. & ſequenti verſu *concidat* pro *concidet*. probe utrumque. & tum *fruatur* paulo ante legendum. Fuit cum emendarem:

Dona feram templis; vivumque ut Jaſona perdam,
Hoſtia pro damnis concidet icta meis? HEINS.

Zinzerlingus cap. XXIV. Promulſidis Criticae legebat, *Vivum quo Jaſona perdam.* non certe male ſi illud *quo* non explicuiſſet, *cui fini, cujus rei gratia*, ſed pro *ut* poſitum animadvertiſſet, ut millies Cicero & alii. accedit ad hanc lectionem Gronovianus, qui habet *vivum quoque Jaſona.* BURMANNUS.

81. *Argolicas timui.*] *Argolidas* Puteaneus. ſic *Argolis Alcmene* Met. IX. 276. & *Argolides puppes* Remedio Amoris 535. Statius Theb. IV.

— *Argolidaſque habitu praeſtabo maritas.*

Sic malo, quam cum vulgatis *Argolicas.* idem Theb. II.

— *Caſta matres cinxere corona*
Argolides.

Et lib. VI.

— *Argolidum coetu circumdata matrum.*

Lib. IV. 752.

— *Neque enim ipſe Deorum*
Arbiter Argolidum thalamis novus.

Claudianus Bell. Getic. 629. ex optimis membranis:

Scilicet Argolidas Ephyreiadasque puellas
Coeperat, & pulchras jam faſtidire Lacaenas.

Vide quae noto Epiſtola IX. v. 73. HEINSIUS.

81. *Barbara.*] Sic Noſter ſaepe Medeam vocat. Epiſt. XII. 105.

Illa ego, quae tibi ſum nunc denique barbara facta. VII. Metam. 276.

Propoſitum inſtruxit mortari barbara munus. HEINSIUS.

82. *Exſpectato.*] *Expectata* Puteaneus. recte. HEINSIUS. Sic egregie Livio lib. XXX. 14. reſtituit Gronov. *Quo die captam hoſtem vidiſſet*, & ex Priſciano illuſtravit. BURMANNUS.

83. *Carmine movit.*] Junianus, Lovanienſis, & tres alii *carmina novit.* non male. I. Amor. VIII. 5.

Illa magas artes Aeaeaque carmina novit.

Propert.

Et Circes carmina novit. HEINSIUS.

Accedit Francofurtenſis codex. Valer. Flacc. I. 416.

Qui maris inſidias, clarae qui ſidera noctis
Norit.

Epiſt. XV. 26.

Nec norat Lyricos illa, vel illa, modos.

Propert. I. 1. 24.

Poſſe Cytaeaeis ducere carminibus.

Ubi & *noſſe* unus Broukhuſii codex, Quinct. Decl. XIV. 6. *Excuſatio eſſet, ſi illa noſſet, quae gratiam tui deſideriumque ingerere poſſint nolentibus.* Ubi vid. ita apud Claudian. I. in Eutrop. 274.

Tu telas, non tela pati, tu ſtamina noſſe.

Ubi Heinſius reponit ſine libris *neſſe.* minime neceſſarium. ſic & Hygin. 101. *Artem medicam noſſe.* ubi alii *poſſe.* hic tamen quia praecedit *placet*, retineo *movit.* eadem varietas apud Silium. XIV. 141. BURMANNUS.

Illa reluctantem curru deducere Lunam
Nititur, & tenebris abdere Solis equos.
Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit:
Illa loco silvas, vivaque saxa movet.
Per tumulos errat passis discincta capillis,
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.

De-

85. *Cursu deducere Lunam.*] Sic in omnibus. ego libenter *curru* legerim, non *cursu*. Nauger. Repone *curru* cum tribus codicibus. De curru Solis ac Lunae apud Poëtas jam protrita sunt omnia. Tibullus, I. Eleg. VIII.

Cantus & è curru Lunam deducere tentat.

Sic & *Lunares currus* Metam. XV. 790. Avien. Prognost. p. 116. Ed. Grot.

Protollit Cynthia currus.

Manil. I. 167.

Lunaque submersos regeret per inania currus.

Ut legit Scaliger. & v. 667.

Subsequiturque suo Solem vaga Delia curru.

Et lib. V. 721.

Sed cum clara suos avertit Delia currus.

Senec. Hipp. 311. *Lunares currus.* Stat. VIII.

Aëre pendentem vacuo te currus uterque
Circuit.

Lib. IX.

Vetitam currus disjungere Phoeben.

Valer. Flacc. III. 415.

Movet en gelidos Latonia currus.

Virg. X. Aeneid. 215.

Almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum.

Ita Theocrit. Idyl. XXII. & XXV. & Pindarus Olymp. Od. III. Lunae dant currum. Heinsius.

87. *Obliquaque flumina sistit.*] Duo libri, *fulmina.* ut apud Senecam Thyeste, *Obliqui via fulminis.* Forte rectius; ne bis idem dicat. & ita legendum contendit Delrius ad Senec. Herc. Oet. v. 455. Cornelius Severus Aetn. 635. *Obliquos ignes* dixit. Senec. Natur. Quaest. lib. I. cap. I. & II. 58. *De fulmine quare oblique feratur.* Senec. Thyest. 358.

Quam non concutiet cadens
Obliqui via fulminis.

Nihil muto tamen. nam & *flumina* recte *obliqua* dicuntur. Heins. Et Broukh. ad Tibul. I. II. 44. *Fulmina* quoque probat, sed ego nihil muto: aliena enim hic mentio fulminis inter aquas, silvas & saxa. *Obliqua* vero *flumina* sunt decurrentia ex monte vel altis locis, curvato cursu, quae sistere artis magicae opus. I. Metam. 39.

Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis.

Et IX. 17.

Regem me cernis aquarum
Cursibus obliquis inter tua regna fluentem.

Remed. 121.

Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
Pugnat in adversas ire natator aquas.

Horat. II. Od. III.

Et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.

Lucan. I. 220.

Primus in obliquum sonipes opponitur amnem.

Claudian. I. in Ruf. 160. inter artes magicas hoc quoque recenset. *Pronum lapsum* dicens:

Versaque non prono curvavi flumina lapsu,
In fontes reditura suos.

Ubi praecesserat & *fulmen stare coegi*, & in codicibus multis est etiam *flumen.* vid. ibi Heinsium. Lucan. VI. 473.

Amnisque cucurrit,
Non qua pronus erat.

Vid. I. Amor. VIII. 6. Eadem varietas apud Plin. XXXVII. 10. *In Persis vero suffitu earum tempestates averti, & praeterea fulmina*, (ubi alii *flumina*) *sisti.* Apoll. Rhod. III. 532.

Καὶ ποταμοὺς ἴσχουσιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας.

Burmannus.

88. *Vivaque saxa movet.*] Quamquam *loco movere* proba sit locutio, ut Senec. de Vita Beat. XXVII. *Nec ideo aut loco eam movent*, mallem tamen hic *trahit*, ut codices Vossii, Scriverii, & Gottorphienses habent. est autem verbum magicum, lib. VII. Metam. 207.

Te quoque Luna traho.

Senec. Hipp. 791.

Tractam Thessalicis carminibus rati.

Quod v. 421. *Detrahere* dixit. & Med. 684.

Tracta magicis cantibus.

Ubi manifeste Seneca ad hunc locum Ovidii respicit. Medea. 968. ut bene emendavit Delrius:

Saxa cum silvis traham.

Noster III. Fast. 325.

Quaque trahant superis sedibus arte Jovem.

Claud. I. Rufin. 156.

Et condita funera traxi
Carminibus victura meis.

Senec. IV. Nat. Quaest. IV. 7. *Attrahere* dixit. at obstat locus VII. Metam. 204.

Vivaque saxa, sua convulsaque robora terra
Et silvas moveo.

Sed & ibi codices quidam *vivaque saxa traho.* Heinsius.

90. *Certaque de tepidis colligit ossa rogis.*] Puteaneus *colligat. Cunctaque ossa* Scriverianus & Hafnienses.

Devovet abſentes; ſimulacraque cerea figit,
Et miſerum tenues in jecur urget acus.
Et quae neſcierim melius. male quaeritur herbis,
Moribus & forma conciliandus, amor.
Hanc potes amplecti? thalamoque relictus in uno
Impavidus ſomno, nocte ſilente, frui?

Scili-

nienſis. *Curtaque* ſuſpicatur Doctiſſimus Gronovius Obſervationibus Eccleſiaſticis cap. 5. Propertius lib. II. El. XIII.

Aut mea quid poterunt oſſa minuta loqui.

Coctaque perperam Dorleantius. ad Tacit. II. an. p. 298. Legebam aliquando *uſtaque* ut apud Tibullum lib. I. El. III.

Quae legat in maeſtos oſſa peruſta ſinus.

Lucanus lib. VI. 533.

Fumantes juvenum cineres, ardentiaque oſſa
E mediis rapit illa rogis.

In mortem Druſi 434. *Iliaca ambuſtis oſſibus arva premit. Duraque* alter Mentelianus pro diverſa lectione. ſi quid mutandum, ſcribo, *Erutaque è tepidis.* vel *junctaque.* ſed nil mutandum. vid. Rem. Am. 112. HEINSIUS. Nihil equidem mutandum. non enim omnia oſſa, licet minuta, utilia erant magicis artibus, ſed praecipue calvae & praeſegmina quaedam, ut jam Hubertinus vidit. & Reineſius Epiſt. xxx. ad Daumium hanc lectionem retinendam eſſe ſe perſuaſiſſe Gronovio ſcribit. vide de hoc Magarum inſtituto Lindenb. ad Ammian. lib. XIX. in fine. *colligit* vero non eſt movendum Horat. I. Sat. VIII. 22.

Quin oſſa legant, herbasque nocentes. BURM.

91. *Simulacraque cerea fingit.*] Puteaneus *figit.* optime, ut de defixionibus magicis agatur. Vidit id jam Salmaſius. Seneca Hercule Oetaeo:

—— *Hoc, inquit, magae*
Dixere amorem poſſe defigi malo.

Paulo aliter Perſius Sat. v. 16. *Ingenuo culpam defigere ludo*, tanquam aculeo tangere Satyricis reprehenſionibus. Tertull. de Spectac. c. II. *Vis homicidium ferro, veneno, magicis defixionibus, perfici.* Ita enim malo, quam *devinctionibus*, quod nunc legitur. Apulej. in Herbario. *Si quis devotus defixusve fuerit, ſic eum reſolves. Figere carmina* Valer. Flac. lib. VII. 463. de Medea:

Carmina nunc totos volvit figitque per artus
Aeſonidae.

Ubi perperam *ſolvit* nunc ſcriptum extat a mala manu:

Iolciacis animum defigere votis.

In Ciri Virgiliana. Plinius, lib. XXVIII. c. II. *Defigi diris precationibus nemo non metuit.* Seneca lib. VI. de Beneficiis, cap. XXXV. *Execraris enim illum, & caput ſanctum tibi dira imprecatione defigis.* Plenius quid hic velit, explicat Noſter Amor. III. El. VI.

Sagave punicea defixit nomina cera,
Et miſerum tenues in jecur egit acus.

Ubi plura. HEINSIUS.

93. *Et quae neſcierim.*] Varia lectio eſt, ſcribentibus aliis, *& quae neſcierim: meliusne age quaeritur herbis?* &c. per interrogationem. aliis, *& quae neſcierim: melius mage quaeritur herbis.* ut ſit *mage* dictum pro *magis*, *meliusque* adverbium cum *conciliandus* conſtruatur. ſed nos Aldinam lectionem ſecuti ſumus, quae & ſimplicior & planior. ut ſit ſenſus. & quae ego melius ſive rectius neſcierim. male enim quaeritur herbis amor, qui moribus & forma conciliandus erat. MICYLLUS. Scripti plerique cum Puteaneo *mage.* perperam. quatuor, *Et quod neſcierim.* Cantabrigenſis *quas* pro diverſa lectione. Emenda:

Et, quas neſcierim melius, male quaeritur herbis.

Vel:

Et quae neſcierit melius maga. HEINSIUS.

96. *Frui.*] Non damno hanc lectionem. ſed neſcio an non elegantior ſit Argentinenſis codicis lectio *premi.* id eſt tam alte & ſecure dormire, ac ſi nullum tibi periculum a maga illa immineret. profundus enim ſomnus arguit abeſſe omnem timorem & ſollicitudinem. Virgil. Culic. 159.

Securo preſſos ſomno mandaverat artus.

Noſter Ep. X. 109.

Crudeles ſomni, qui me tenuiſtis inertem?
At ſemel aeternâ nocte premenda fui.

III. Art. Amat. 647.

Sunt quoque quae faciant altos medicamina ſomnos,
Victaque Lethaea lumina nocte premant.

Valer. Max. I. VII. 6. *Somno preſſus Ti. Gracchi fratris effigiem vidit.* Et in fragmento Servii Sulpicii apud Quinctil. IV. 2. Ex optimis codicibus: *Somnone te languidum, an gravi lethargo putem preſſum?* Similiter quidam codices lib. XIV. Met. 779. habent, *corpora preſſa ſopore*, quod tamen ibi minus commodum. Livius VII. 35. *Quod tempus mortales ſomno altiſſimo premit.* & ita paſſim Poëtae, quando aut de nimio vino, aut etiam morte, qui ſomnus perpetuus, loquuntur. Propert. II. XII. 42.

Et preſſi multo membra jacere mero.

Horat. I. Od. 4.

Jam te premet nox,
Fabulaeque manes.

Et hinc quoque paſſim *graves* ſomno, & vino βεβαρημένοι Graecis dicuntur. Lucas Euang. IX. 32.

&

Scilicet ut tauros, ita te juga ferre coëgit:
Quaque feros angues, te quoque mulcet, ope.
Adde, quod adſcribi factis procerumque tuisque
Se favet; & titulo conjugis uxor obeſt.

Atque

& XXI. 34. & Ovidius III. Met. 608. *Ille mero ſomnoque gravis.* Noſter Met. XV. 21. *Preſſum gravitate ſoporis Claviger adloquitur.* & paſſim. ita quoque *oppreſſum ſomno gravi* dixit Livius VII. 39. & Caeſar II. Bel. civ. 38. & Ter. Eun. III. 5. *Somnus virginem opprimit.* ſed haec jam nimia. τῷ *frui* etiam ſua elegantia ineſt. BURMANNUS.

99. *Adſcribi.*] Plin. IX. Epiſt. 13. *Conſule te, conſule illas, an velitis adſcribi facto, in quo ego comite non egeo, ſed non ita gloriae meae faverim, ut vobis ſocietatem ejus invideam.* Alter Plinius VII. Hiſt. Nat 26. *Oppida* DCCCLXXVI. *in ditionem redacta victoriae ſuae adſcripſit.* Cicer. IX. ad Fam. 14. *Hominum opinio me adſcribit ſocium tuis laudibus.* vid. ad Phaedr. IV. 2. BURMANNUS.

100. *Se facit.*] *Se favet* priſcae editiones cum optimo Puteanco, & aliis nonnullis membranis. Venuſte. Ennius Annali XIII.

Matronae muros complent ſpectare faventes.

Paullinus nono Natali B. Felicis:

Et quia Paſtor oves auget bonus, ampla redemtis
Creſcere cum gregibus favet altus ovilia Chriſtus.

Alia ſignificatione dixit Solinus ſub finem capitis V. *Dat India* (*Curaliachatem*) *quem oculis vidiſſe favet.* pro prodeſt vidiſſe. HEINSIUS.

101. *Peliae de partibus.*] Recte *partes* dixit. nam populi pars favebat Peliae, pars Aeſoni. Valer. Flacc. I. 70. de Jaſone iter a Pelia mandatum auſpicaturo:

Heu quid agat, populumne levem, veterique tyranno
Infenſum, atque olim miſerantes Aeſona partes
Advocet.

Sic n. optime Aldinus codex. quod mirum neminem interpretum obſervaſſe, inepte vulgo *miſerantes Aeſona patres* eodem libro de Aeſone:

Sic curae ſubiere ducem, ferrumne capeſſat
Imbelle, atque aevi ſenior geſtamina primi,
An partes regnique acuat mutabile vulgus.

Sic reſtituo invitis Codd. vulgo etiam in omnibus Edit. *patres.* ſed videatur Apollonius. autor autem noſter, cum *credat* dicit, ad vulgi levitatem reſpicit. HEINSIUS. Vid. ad Val. Flac. I. 70.

103. *Non haec Aeſonides, ſed filia Phaſis Aëtae*] Dubitavi ſaepe antea, quae maximè probabilis eſſet hujus carminis lectio. An haec ipſa, quam ipſi reliquimus, an quam alii ſubſtituêre, *Phaſias Aetae*, legentes cum hic, tum in Medea, ut *Aetam* biſſyllabum fecerint. Ego, ut contractionem illam, malè etiam ab his ſcriptam, non hactenus legere memini, ſic malim triſſyllabum ſervare, ut diphthongus illa corripiatur, ſequenti vocali, quod & Graecis & Latinis noſtris eſt peculiare, in duabus ſcilicet dictionibus: cùm una enim terminatur diphthongo, & ſubſequens à vocali incipiat, corripitur diphthongus praecedens, natura alioqui longa, ut *Inſulae Ionio*, ne Graeca citem, & *Ilio alto*, & *Pelio Oſſam.* ſed & in eadem dictione Virgilius, cum dixit *ſudibusque praeuſtis*, diphthongum corripuit. Quin & ipſe Ovidius in Metamor. VII. 131.

Quos ubi viderunt praeacutae cuſpidis haſtas.

Tametſi ſunt, qui legant *peracutae.* Verum hoc Auſonii nullus invertere poſſit, cum ille in Protreptico ad Nepotem ſcribens hoc verſu ita ludat:

Te praeeunte nepos modulata poemata Flacci.

Adde quod vix legas, niſi memoria me deficit, *Aëtam* biſſyllabum: nam ille Ovidii verſus ita legitur in vetuſtis codicibus. VII. Met. 170.

Diſſimilemque animum ſubiit Aëta relictus.

Et paullo poſt Ovidius 325.

Cum rapido fallax Aeëtias igni
Imponit purum laticem.

Et Medea:

Non erat Aeëtas, ad quem deſpecta veniret.

Et iterum:

Non ſenis Aëtae regia Lemnos erat. EGNATIUS.

Sic in veteribus nonnullis exemplaribus. & profecto *Phaſis Aeëtae* nullo pacto legi poteſt, ut *Aëtae* prima corripiatur. neque ulla eſt ſimilitudo inter hoc & *praeuſtum* Virgilianum, ac *praeacutum* Ovidianum. Simplex eſt nomen *Aëta*, compoſita illa. Ac ſimplicis quidem nominis alicujus primam ſyllabam diphthongo longam corripi neque umquam vidi, neque quomodo fieri poſſit intelligo. in compoſitis ea ratione poteſt, qua diphthongi in ultima ſyllaba ſequente vocali, ut *Inſulae Ionio in magno: prae* enim monoſyllabam praepoſitionem finit diphthongus, & vocalis ſequitur. Et id tamen eſt animadvertendum, quod apud alium neminem *Aetam* biſſyllabum eſt invenire. praeterquam apud Ovidium; & id hoc tantum loco, quod affirmari poſſit, (ſi tamen hoc modo legendum eſt hoc carmen) nam in Medea, quamvis in veteribus nonnullis legatur:

Excipit hoſpitio juvenes pater Aeta Pelasgos.

Non minus tamen eſt inveniri, *juvenes Acëta Pelasgos.* in VII. etiam Metam.

Diſſimilemque animum ſubiit pater Aeta relictus.

Subiit Aeëta relictus in multis legitur. Ideo vel Ovidium hoc nomen ex triſyllabo in biſſyllabum contraxiſſe dicendum eſt: vel fortaſſe. *Phaſias Aeëtae* legendum, ut *Arbutus horrida*, ac mille alia. Quod & ex Planude quaſi colligi poteſt, qui hoc ita interpretatur carmen:

Οὐ ταῦτ' Αἰσονίδης ἀλλ' ἡ Φάσιας Αἰήτου
Θυγάτηρ. NAUGERIUS.

Aeëtae

Atque aliquis Peliae de partibus acta venenis
Imputat, & populum, qui sibi credat, habet.
Non haec Aesonides, sed Phasias Aeëtine
Aurea Phryxêae terga revellit ovis.

Non

NAUGER. *Aeëtae* integre scribo, sed in scansione duas syllabas pro una sumo, ut fiat *συνεκφώνησις*, non syncope. Perinde ut apud Homerum in versu: Ἦ οὐχ ἁλις ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ὑπεροπεύεις. Et in versu: Βούκολ' ἐπεὶ οὔτε κακῷ, οὔτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας. Et id genus aliis. Qua figura idem Poëta & in Metamorphosibus usus est. libro VII. 4.

Dissimilemque animum subiit pater Aeëta relictus.

Tametsi hunc versum sunt qui legant, omissa dictione *pater*, hoc modo:

Dissimilemque animum subiit Aeëta relictus.

Sed ii, dum uni syllabae medentur, alteram vitiosam relinquunt. alii autem legunt, *Non haec Aesonides sed filia Phasis Aeëtae.* ut diphthongus, quae in prima syllaba *Aeëtae* est, communis fiat propter sequentem vocalem, ut in *subibusque praeustis* apud Virgilium, & apud Homerum Iliad. N. Οἶδε ἀρετὴν οἷος ἐσσὶ & similibus. quod equidem, ut non magnopere impugno, ita mihi tamen patronymicum *Phasias* magis quam *Phasis* placet, quando hoc in idem cadit cum primitivo *Phasis*. Illo autem etiam alibi utitur idem Poëta; ut VII. Metam. 297.

Odium cum conjuge falsum
Phasias assimulat.

Neque dubito, quin certos auctores habuerit Ovidius, quos hic secutus fuerit; sive sane *Aeta* duabus syllabis scribendum, sive tribus. MICYLLUS. Valdè Naugerius, aliique interpretes se in hoc loco torserunt, ut Carrio Notis in Valer. Flaccum. & Vossius Art. Grammat. lib. II. c. XI. & libri quidam *Phasis Acëtae*, pessime. *Aeëta* enim vel *Aeëtes* trisyllabum est. Nam quod Epistolâ Medeae legitur:

Excipit hospitio juvenes pater Acta Pelasgos.

Et Metamorph. lib. VII. 170.

Dissimilemque animum subiit pater Aeta relictus.

Tò *pater* ex fide optimorum codicum delendum. quod decepit cum alios, tum Salmasium Animadversis ad Flori libr. III. c. V. ut *Aeta* a Nasone dictum esse arbitrarentur. Idem tamen Salmasius *Aeëtae* nomen illic Floro feliciter reddidit. Auctor elegiae in obitum Maecenatis:

Viscera dissecti mutaverat arietis agno
Aeëtis, succis omniperita suis.

Sic lego ex vestigiis veterum codicum. aliter *Aetias & succis.* si quis *directi* pro *dissecti* cum Scaligero malit, non repugnabo, sed nimis acutum videtur. *Fucis* Scaligeri non probo. *Aetis* quoque dicta Apollinari in Narbone. v. 271. *Sive Aetis & inclytas Iasone.* ita ex vestigiis MSS. lege, in quibus *Oetos.* vulgo aliter. Gronovius noster in Observationibus *Aetam* contracte pro *Aeëtam* dici quoque monuit, idque probat ex corrupto Valer. Flacci loco, in quo non *Aeta* sed *Aea* scribendum; est enim *Aea* inter praecipuas Colchidis civitates, unde & Medea *Aeaea venefica* dicitur. & sic meminit ejus Schol. Pindar. ad Pyth. Od. IV. Ceterum in veterrimo codice Puteaneo pars posterior hujus versus in litura cubabat, veteri lectione erasa, cujus tamen è vestigiis utcunque appareret scriptum primo fuisse *Phasias Aeëtine*, cum Τὸ *filia* à manu secunda esset additum. Atque hanc esse genuinam Nasonis ipsius scripturam ausim affirmare, quam & Mezeriacus Gallicis in has Epistolas Notis, Salmasio suggerente, laudavit. *Aeëtine*; ut *Neptunine*, *Nereïne*, *Oceanine*, *Adrastine*, *Nonacrine*, *Evenine*, & similia. quod etiam in nominibus obtinet civitatum: sic *Elephantine* in Aethiopia civitas, quam Vitruvius & Mela *Elephantidem.* Insula Aethiopiae *Daphnis* Plinio & Ptolemaeo est *Daphnine.* Pari modo duo quoque patronymica conjunxit lib. VII. Metam. 547. loco mendosissimo, *Calydonides Eveninae.* ut quidem illic monui corrigendum. ita & *Inachis Acrisione* Virgilio Danaë dicta Elegia ad Messallam. & *Tyndaris Lacaena* Helena lib. II. Aeneidos. Jason Orpheo in Argonauticis Θέσσαλος Αἰσωνίδης. Medeâm verò Aeëtinen dictam ab Avieno quoque Descriptione Orbis apparet hisce versibus. v. 658.

Absyrti cautes & crebras protinus arces
Inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque
Extulit, insanam sectantes Aeëtinem.

Sic enim versus ultimus minima mutatione scribendus. idem Avienus eodem Poëmate: vs. 1226.

Nam Medea ferox fuit ollis sanguinis auctor.
Haec Pandionia sedem cum poneret aula,
Attica qua pulchro tellus pingescit Ilisso,
Proditur, inque fugam propere convertitur exul,
Post has in terras pinu subit Aeëtine,
Insedítque locos. veteres accedere Colchos
Nulla inerat menti fiducia. HEINSIUS.

104. *Aurea Phrixeae terga revulsit ovis.*] Ex optimis lib. & ex Servii lib. IV Aeneidos traditione legendum *revellit.* sic enim facit *revello* in praeterito, non *revulsit*, ut falso hic docet Hubertinus, atque ita legitur in quibusdam vett. exemplaribus illud IX. Metamorphos.

A silvis silvas, & ab arvis arva revelli. CIOFAN.

Terga revellit ovis meliores libri, non *revulsit.* lib. III. Amor. El. X.

Prima jugo tauros supponere colla coëgit,
Et veterem curvo dente revellit humum.

Non probat Alcimede mater tua; conſule matrem:
Non pater, à gelido cui venit axe nurus.
Illa ſibi Tanai, Scythiaeque paludibus udae
Quaerat, & à patria Phaſidos usque, virum.
Mobilis Aeſonide, vernaque incertior aura,
Cur tua pollicito pondere verba carent?
Vir meus hinc ieras, vir non meus inde rediſti.
Sim reducis conjux, ſicut euntis eram.
Si te nobilitas, generoſaque nomina tangunt;
En ego Minoo nata Thoante feror.

Bacchus

Fruſtra *revulſit* quidam codices. ut & lib. VIII. 583.
A ſylvis ſylvas & ab arvis arva revelli.
Lib. IX. 86.
Infregit cornu truncaque à fronte revellit.
Lib. XII. 300.
Ingemuit, duroque ſudem vix oſſe revellit.
Atque ita locutos ſcriptores antiquos obſervant Grammatici. quos inter Diomedes libro I. *Sunt quaedam verba quae habent perfecta duplicia, ut pango pepigi & panxi. pungo pupugi & punxi. vello velli & vulſi. ſed melius velli, ut Virgil.* I. *Cineres manesque revelli. Idem: ima de ſtirpe revelli.* ſic *divellit* pro *divulſit* non uno loco in veteribus libris Metamorphoſeων, ut ſuis locis monebitur. Lucanus *vulſi* & *vulſerunt* maluit, & ex Laberio Diomedes citat *praevulſerunt*. Cicero cum Naſone conſentit paſſim. Nec minus tamen venuſtum, quod Matthaeus Herculanus in codice ſuo, qui in Vaticanâ extat Bibliotheca, obiter mihi inſpectus, ex veteri libro notarat, *refixit*. quomodo *refixus Panthoidae clypeus* apud Horatium libro I. Ode XXVIII. & apud eundem libro I. Ep. XIIX.
Sub duce, qui templis Parthorum ſigna refigit.
Silius libro X.
Clypeos in bella refigite captos.
Quanquam & vulgatum probum. Stat. Theb. XII.
——*Patriis modo fixa revellunt*
Arma Deis. HEINSIUS.
Revexit, maluiſſe Broukhuſium notavit Francius.

105. *Non probat Alcimede mater tua.*] Hanc Hyginus Fab. 14. Clymeni filiam facit. alii Autolyco natam volunt. Sunt tamen qui Rhoco vel Polymelam Jaſoni matrem adſignent. ſuſpendio vitam finivit Apollo. p. 37. Vide Tzetzen Chiliad. VII. Hiſt. XCVI. Sequenti verſu malim *quis venit*, ut tam ad matrem quam patrem referatur. HEINS.

106. *A gelido.*] *A Getico* mallet Francius. & ita ſaepe in Triſtibus hae voces a librariis commutatae fuerunt. ſed ibi patientius feram, quam hic, quia Getas Hypſipylae incognitos adhuc fuiſſe reor. BURMANNUS.

107. *Illa ſibi à Tanai.*] Vetus lectio, *à Tanai*. NAUGERIUS. Sic legendum, non *Tanais*: *s* enim propter eam, quae ſtatim ſequitur, vocem fruſtra additum eſt à librariis, qui in ejuſmodi ſaepiſſimè peccarunt: nonnulla exempla in obſervationibus in Metamorph. collegi. CIOFANUS. *Illa ſibi Tanais* potiores ſcripti. Lege, *Tanai*. Naugerius & Ciofanus ex ſuis, *à Tanai*. Deinde major codicum pars cum Puteaneo, *Scythiaeque paludibus undae*. ſed *Scythiae udae* reſtituendum, ut recte quatuor libri veteres. intelligit Maeotin. ſic & Faſt. II. 597. corrigendum *Tyberinides udae* pro *undae*. Deinde *Phaſidos* ſequenti verſu pro *Phaſidis* ſex libri. ſic *limoſi Phaſidos* Noſter dixit Met. VII. & Catullus *Phaſidos ad fines*. HEINSIUS.

108. *A patria Phaſidis.*] Janus Vlitius corrigebat, *à patrio Phaſidos amne*, ſed non opus: patria Phaſidis eſt, fons, origo fluvii; ut III. Am. VI. 40. de Nilo:
Qui patriam tantae tam bene celat aquae. BURM.

110. *Polliciti pondere.*] *Pollicito pondere* libri octo: quod non eſt de nihilo. ſic *polliciti jura tori* Epiſtola Cydippes, & *pollicita fides*. lib. III. Faſt. 366.
Pollicitam dictis Jupiter adde fidem.
Adeantur Notae Met. XI. 108. HEINSIUS.

111. *Cur non meus inde rediſti.*] *Vir non meus* Puteaneus & novem alii. ſed nihil muta. ſic Epiſt. X.
Venimus huc ambo, cur non diſcedimus ambo. HEINS.

114. *Feror.*] Barth. ad Stat. V. Theb. 650. ex ſuis membranis profert *precor*, quod impenſe placet, & melius reſpondet τῷ *tangunt*. ego, illa nobilis Hypſipyle, ſupplex precor. ut ſupra Phaedra Ep. IV.
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia. BURMANNUS.

117. *Dos tibi Lemnos erit.*] Sic in libris Vaticanis. ſequor. CIOFAN. Editiones Berſmanni & aliae *Dos mihi*. ſed arridet ſcriptura optimi codicis Francofurtenſis. *Dos tibi Lemnos eat*. de quo verbo ad Valer. Flac. IV. 217. V. Barth. ad Stat. VI. 548. *Erat* eſt in Gronoviano. BURMANNUS.

117. *Ingenioſa.*] Sic lib. IV. Faſt. 684.
Nec olivis apta ferendis
Terra, ſed ad ſegetes ingenioſus ager. CIOFAN.

118. *Me quoque jam tales inter habere potes.*] In vete-

Bacchus avus; Bacchi conjux redimita corona
Praeradiat ſtellis ſigna minora ſuis.
Dos tibi Lemnos erit, terra ingenioſa colenti:
Me quoque res tales inter habere potes.
Nunc etiam peperi. gratare ambobus, Iäſon.
Dulce mihi gravidae fecerat auctor onus.
Felix in numero quoque ſum; prolemque gemellam
Pignora Lucina bina favente dedi.
Si quaeris, cui ſint ſimiles; cognoſceris illis.
Fallere non norunt: cetera patris habent.

Lega-

veteribus quibusdam libris, *Me quoque res tales.* in aliis, *Me quoque quod tales.* quodnam horum rectius ſit, judicent alii. Ego, quoquo modo legatur, non ſatis, quid ſibi velit Ovidius, percipio. NAUGERIUS. Quidam legunt, *Me quoque quod tales.* quam lectionem prorſus reſpuo. Alii autem, *Me quoque res tales*, &c. Quae lectio, ut quidem planior eſt, ita tamen ſimplicior Aldina videtur: quam & nos ſecuti ſumus, ut particula *Jam ἐπιλογικῶς*, ut ita dicam, ſumatur. Q. d. Cum ea ſit nobilitas meorum, tanta dos mea, poſſis non immeritò me quoque ob, vel inter talia ac tanta, te dignam eſſe exiſtimare, &c. MYCILLUS. Libri ſcripti, *Me quoque quod tales*, vel *res tales.* quod poſterius arridet elegantiſſimo Gronovio in Obſervationibus lib. IV. cap. XI. qui videatur. Tanaquillus Faber notis in Lucret. lib. III. p. 481. tentabat:

Me quoque jam matres inter habere potes.

Jam tum, cum haec ſcribebat Hypſipyle, prolem ſe peperiſſe gemellam in hac eadem innuit Epiſtola. Nos vetuſtos codices videamus. In Puteaneo *Me quoque q.....lis.* eraſis iis, quae per puncta deſignantur. Unde Mezeriacus *Me res dotales* concinnat. Salmaſius *Me quoque dotales inter*, pro *dotatas.* ut *res dotales* ſubintelligantur. Hoc ſenſu. Non tantum Lemnos tibi dotalis erit, ſed ego quoque ipſa. Quae conjectura ſic illi placuit, ut eamdem Commentariis de modo uſurarum, & libello adverſus Wiſſembachium ſuper mutui alienatione inculcarit. nec melius, quod pro *terra ingenioſa*, ſubſtituit *invidioſa.* Quid ergo? Scribo minima mutatione:

Me quoque, quot tales, inter habere potes!

Hoc vult, paucas eſſe quae ſecum comparari poſſint. Amor. lib. II. Eleg. XI. quamquam diverſo ſenſu:

Quam vir, quam cuſtos, quam janua firma (quot hoſtes!)
Servabant, ne quâ poſſet ab arte capi.

Ita vetus codex. Florus I. c. 6. *Cum per hoc interficiendos principes intelligi vellet (quae ſuperbia) ſic reſpondet.* ita Tzetz. Chiliad. XX. 17. Καὶ ἀνγγράφεως πόσων. *& authoris quot rerum?* Sentius Augurinus apud Plinium lib. IV. Epiſt. XXVII.

Unus Plinius eſt mihi prioris.
Mavult verſiculos foro relicto,
Et quaerit quod amet, putatque amare.
Ille ô Plinius, ille quot Catones!
I nunc, quiſquis amas, amare noli.

Hoc eſt, qui unus habet inſtar multorum Catonum. Ita verſus iſti ex veterrimo libro Mediceo ſunt reſtituendi, niſi quod minimum nobis indulſimus, reponendo *quot*, pro *quod Catones. d* in *t* mutato, qui error eſt frequentiſſimus. ſi conjectura noſtra in Naſonis hoc loco non arridet, lege:

Me quoque dotatas inter habere potes.

Sic Propert. I. Eleg. 8.

Dotatae regnum vetus Hippodamiae.

Poſſet & caſtigari:

Hanc quoque dotales inter habere potes.

Lemnon videlicet; ut ſupr. Epiſt. IV.

Eſt mihi dotalis tellus Jovis inſula Cretes.

Neque diſplicet tamen Salmaſianum, ut ſe non tam *dotatam*, quam *dotalem* innuat Hypſipyle. *Dotalium ſervorum* frequens in jure mentio. Apud Plautum quoque, Apulejum & Claudianum. HEINSIUS.

119. *Gratare ambobus, Iäſon.*] Barth. ad Stat. V. Theb. 713. ita diſtinguit:

Gratare ambobus. Iaſon
Dulce mihi gravidae fecerat auctor onus.

123. *Si quaeras.*] *Quaeris* meliores. Ita pro *cognoſceris* duo libri *ignoſceris.* hoc eſt *agnoſceris.* vide Faſt. III. v. 65. ſed nil neceſſe. lib. IV. Metam. 290.

Hujus erat facies, in qua materque paterque
Cognoſci poſſet.

Apulej. V. Metam. *In hoc ſaltem parvulo cognoſcam faciem tuam.* Sunt Pſyches verba ad maritum. Capoferreus, *cognoſcor in illis.* HEINSIUS. Variant fere ſemper codices in hac formula *ſi quaeris*, vel *quaeras.* vid. Epiſt. IV. 119. XII. 115. XVI. 173. XX. 219. Metam. III. 141. & alibi ſaepius. peſſima vero Capoferrei correctio; Jaſon enim, non Hypſipyle, cognoſci debebat ſimilitudine parvulorum, ut omnem ſuſpicionem alieni tori à ſe removeret. BURMANNUS.

Legatis quos pene dedi pro matre ferendos:
Sed tenuit coeptas ſaeva noverca vias.
Medeam timui: plus eſt Medea novercâ.
Medeae faciunt ad ſcelus omne manus.
Spargere quae fratris potuit laniata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis?
Hanc tamen, ô demens, Colchisque ablate venenis,
Diceris Hypſipyles praepoſuiſſe toro.
Turpiter illa virum cognovit adultera virgo:
Me tibi, teque mihi taeda pudica dedit.

Prodi-

125. *Legatos.*] Poſſet explicari, quaſi hos tam parvulos, ut adhuc ferri oporteret, pene adlegaſſet ad Jaſonem, pro matre deprecaturos. ſed mihi magis placet, quod in Scriverii & uno Regio eſt, *legatis.* ut ſit ſenſus: Dedi hos fere ferendos, quia ingredi nondum poſſunt, legatis pro matre miſſis ad deprecandum. quod melius convenit τῷ *dedi*, nam *dare legatos* an eleganter dicatur dubito: *Sed dedi parvulos ferendos legatis*, recte & plane. Burm.

129. *Spargere quae fratris potuit laccrata per agros Corpora.*] Metaphora ab agricolis, qui ſemina in terras propriè ſpargere dicuntur. ſic in Ibin:

Et tua ſic latos ſpargantur membra per agros,
Tanquam quae patrias detinuere vias.

Et:

Aut lacer in ſilvis manibus ſpargare tuorum:
Sparſus ut eſt Thebis angue creatus avo. Ciof.

130. *Pignoribus parceret illa meis?*] Hanc ſententiam expreſſam legimus lib. 1. Epigramm. quam ita Latinè reddidit Alciatus in ſuis emblematis:

Colchidos in gremio nidum quid congeris? eheu
Neſcia cur pullos tam malè credis avis.
Dira parens Medea ſuos ſaeviſſima natos
Perdidit, & ſperas parcat ut illa tuis? Ciof.

131. *Hanc tamen.*] Unus Regius, *Hanc ô tu demens.* multi quoque, *Colchis ablate*, alii *oblate*, *eblite.* ego nihil muto. *ablatus* eleganter dictum, pro in diverſum a priſtina ſententia & amore deducto, alienato. ita mox vers. 150.

Quemque veneficiis abſtulit illa ſuis.

Florus II. 6. *Sive fatum urbis imperaturae, ſive averſi a Carthagine Dii, ſive mala mens in diverſum abſtulerunt.* Cicer. II. ad Fam. 7. *Ne te aliorum conſilia auferant.* Senec. Agamem. 275.

Sed nulla Atriden venere furtiva abſtulit.

Vide Heinſ. ad Epiſt. XV. 140. Burmannus.

133. *Adultera virgo.*] In multis codicibus *adultera certe*, in quibuſdam *certe eſt.* ut fortaſſe legendum:

Turpiter illa virum cognovit. adultera certe eſt.

Ut Epiſtola praecedenti:

Sic facie quamvis praeſignis, adultera certe eſt.

Virginem tamen *adulteram* dici probat Grotius ad Matth. v. 27. & *cognoſcere*, tam de feminis, quam viris; ad Matth. 1. 23. Burmannus.

136. *Deſeruit Colchon.*] *Colchos* libri omnes, idque recte. *Colchos* enim non dicitur, ſed *Colchi.* Κόλχοι καὶ Κόλχις Graecis. Stat. v. Theb.

Alios Colchi generatis amores.

Ennius apud Priſcan. de verſibus comicis:

Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio regis Peliae per dolum.

Et ita Noſter ſemper. Epiſt. XII. 23. XVIII. 157. XIX. 175. Amm. Marcel. lib. XXII. *Phaſis fremebundis curſibus Colchos attingit.* Heinsius.

137. *Quid referam, ſcelerata piam ſi vincit.*] *Referat* Puteaneus. Sed verum eſt, quod ex ſuis profert Naugerius, *Quid refert? vincet* etiam meliores. Epiſtola Paridis, 213.

Quid tamen hoc refert, ſi te tenet ortus ab illis?

Metam. XIII. 268.

Quid tamen hoc refert, ſi ſe pro claſſe Pelaſga
Arma tuliſſe refert?

Faſt. III. 495.

Quid tamen hoc refert? vitio tibi gratior ipſo eſt.

Epiſtola prima Sabini:

Quid refert? pelago ſunt obruta.

Epiſtola III.

Quid refert? cauſâ tu meliore cales.

Statius Theb. X. 793.

Quid refert? habet ecce ſuos Jocaſta. Heinsius.

138. *Crimine dotata.*] Eleganter; quaſi crimen eſſet pro dote. ita loquitur & Juſtin. 1. cap. 7. *Uxor mariti ſanguine dotata regnum viri & ſe pariter adultero tradidit.* Burmannus.

138. *Emeruitque virum.*] *Demeruitque* Sarravianus cum quatuor aliis. ſed *emeruiſſe* pro *demeruiſſe* ſimili ſignificatione occurrit: ſic A. Gellius, cum lib. 1. cap. 8. de Laïde Corinthia dixiſſet, ob *elegantiam formae grandem pecuniam demerebat*; idem lib. VI. c. 7. de Acca Larentia ait, *corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quaeſtu uberem.* apud Tibullum lib. 1. Eleg. IX.

Nec laſciva ſoror dicatur plura bibiſſe
Pocula, vel plures emeruiſſe viros.

Ubi ex ſcriptis codicibus *quam plures* reponendum vide-

Prodidit illa patrem: rapui de caede Thoanta.
Deſeruit Colchos: me mea Lemnos habet.
Quid refert, ſcelerata piam ſi vincit, & ipſo
Crimine dotata eſt, emeruitque virum?
Lemniadum facinus culpo, non miror, Iaſon.
Quamlibet iratis ipſe dat arma dolor.
Dic age, ſi ventis (ut oportuit) actus iniquis
Intraſſes portus, tuque comesque, meos;
Obviaque exiſſem, foetu comitata gemello:
(Hiſcere nempe tibi terra roganda foret.)

Quo

videtur, ut & Gebhardus jam monuit. Orientius Commonitorio:

Conjugis implicitum detentat cura maritum,
Solum vult coelebs emeruiſſe Deum.

Amor. lib. II. El. VIII. 24.

Unum eſt è dominis emeruiſſe ſatis.

Sic conſtanter libri veteres. Triſt. IV. El. VIII.

At vos admoniti noſtris quoque caſibus eſte
Aequantem ſuperos emeruiſſe virum.

Ita & illic editi ac ſcripti pari conſenſu. Art. Am. II. ex veteribus libris:

Nec tibi ſit ſervos emeruiſſe pudor.

Mereri quoque pro *demereri* dicebant, de quo videndus Noſter Gronovius ad Senecae Hippol. v. 632. HEINSIUS.

140. *Quaelibet iratis.*] Alii libri *Quodlibet ad facinus*, vel *Quaelibet ad facinus.* Sed recte Puteaneus, *Quamlibet iratis.* Qui loquendi modus unice in deliciis eſt Naſoni, ſed ut plurimum è vulgatis libris per inſcitos librarios juſſus exulare. ſupra, vers. 7.

Quamlibet adverſo ſignetur epiſtola vento.

Epiſtola Canaces:

Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos.

Amor. lib. I. El. VII. 66.

Quamlibet infirmas adjuvat ira manus.

Art. Am. lib. II.

Quamlibet inventis aëra carpe meis.

Lib. III. 312.

Quamlibet admiſſas detinuere rates.

Et mox, 578.

Quamlibet extinctos injuria ſuſcitat ignes.

Et poſtea, 602.

Et cedat lecto quamlibet aegra ſuo.

Remed. Amor. 364.

Quamlibet impugnent unus & alter opus.

Elegia de Nuce:

Tangat ut & multis quamlibet una ſuam.

In Ibide, 361.

Quamlibet & miſero debitus hoſtis ero.

Faſt. II. 752.

—— *Stricto quamlibet enſe furit.*

Triſt. lib. I. El. II.

Quamlibet è minimis domui ſi favimus illi.

El. III.

Quamlibet inviſo Caeſar in hoſte probat.

El. IX.

Occupat egreſſas quamlibet ante rates.

Pont. lib. III. El. IV.

Quamlibet invitum difficilemque tenent.

Lib. IV. El. IV.

Quamlibet abſentem quâ poſſum mente videbo.

Et alibi paſſim. Loca plura adſcripſi, quod ea majori ex parte mendoſa in vulgatis libris circumferantur. auctor Monoſtichorum de Moribus in Catalectis Pithoei:

Quamlibet ignavum facit indignatio fortem.

Sic & ibi ſcribendum. HEINSIUS. Francius non inconcinne conjiciebat:

Quamlibet iratis juſta dat arma dolor.

Schottus vero lib. II. Obſerv. 47. dicit ſe in codice MS. reperiſſe:

Quodlibet ad facinus ipſe dat arma dolor.

Quod & in plurimis Heinſio inſpectis extat. in uno etiam pro *dolor*, eſt *furor*; nec hoc male: *ira* enim *furor brevis* eſt. ſic Virgil. I. Aeneid. 154.

Furor arma miniſtrat.

Apud quem etiam eodem libro v. 594. quidam codices, *quis indomitas tantus furor excitat iras*, cum in aliis ſit *dolor:* & apud Senec. Herc. Oet. 233. ex Florentino codice:

O quam cruentus feminas ſtimulat furor!

Vulgo *dolor.* & ita apud Lucan. VI. 228. & Noſtrum VI. Metam. 280. hae voces a librariis permutatae. BURMANNUS.

143. *Comitata.*] Παθητικῶς. CIOFANUS. *Comitante* Puteaneus & nonnulli alii. Fruſtra. Ep. XVI. 113. & II. Faſt. 463. *Comitata Cupidine parvo.* III. Faſt. 603. *Solo comitatus Achate.* IV. Faſt. 425. *Comitata puellis*, & alibi. HEINSIUS.

144. *Nonne.*] *Nempe* ſcripti fere omnes. HEINS. Barth ad Stat. v. Theb. 472. ſcribit: *Syntia nonne* (vel *Synteis anne*) *tibi terra roganda foret.*

Quo vultu natos, quo me, ſcelerate, videres?
Perfidiae pretio, qua nece, dignus eras?
Ipſe quidem per me tutus ſoſpesque fuiſſes:
Non quia tu dignus, ſed quia mitis ego.
Pellicis ipſa meos implêſſem ſanguine vultus,
Quosque veneficiis abſtulit illa ſuis.

Me-

146. *Perfide, quo pretio.*] In Scaligeri codice legebatur, *Perfidiae pretio qua nece dignus eras?* Dan. Heinsius. Puteaneus & Scaligeri excerpta:

Perfidiae pretio qua nece dignus eras?

Optime; ut & parens meus in notis ad ipſum Naſonem, & poſtea Salmaſius de Uſuris Commentario c. 11. reſtituerunt. Multus eſt paſſim in hac locutione Naſo. ſic Epiſtola ſequenti:

Grande morae pretium tuta futura via eſt.

Et Epiſt. XIV.

Exul Hypermneſtra pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipſa tulit.

Lib. II. Amor. El. I. Corinnam *pretium* carminis vocat:

Ad vatem pretium carminis ipſa venit.

Eleg. VIII.

Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende
Concubitus hodie, flava Cypaſſi, tuos.

De Jove Danaën adeunte Eleg. VIII. libri III.

Corruptae pretium virginis ipſe fuit.

Eleg. XIII. de capra:

——— *jaculis inceſſitur index,*
Et pretium auctori vulneris ipſa datur.

Ep. Leandri:

——— *pretium non vile laboris*
Jam dominae vobis colla tenenda dabo.

Art. Amator. lib. I. 155.

Protinus officii pretium, patiente puella,
Contingent oculis crura videnda tuis.

Metam. 572.

Mors pretium tardis, ea lex certaminis eſto.

Juvenal. Sat. XIII. 105.

Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.

Liv. XXIV. 15. *Capita hoſtium pretia libertatis facta.* ita lego non *libertati.* reſtituit & Gronov. ad Senec. Oedip. 634. Propertius de Cleopatrâ, III. IX. 31.

Conjugis obſcoeni pretium Romana popoſcit
Moenia.

Sed modus exemplorum non eſſet. ſic Metam. lib. II. 701. Fabula Batti:

Juncta ſuo pretium dabitur tibi femina tauro.

Ut in veteri codice ſcriptum offendi. vere. ubi plura. ſic eodem libro 528. *Caelum ſtupri mercedem* vocat Fabula Caliſtûs:

Sideraque in caelo, ſtupri mercede, recepta
Pellite.

Quomodo & ibi corrigendum monebimus ex membranis. haec operoſius, quia, quae Salmaſius teſtimonia Livii Andronici & Terentii adſtruendae huic lectioni proferebat, parum ad rem facere videbantur. Heinsius. Vid. Graev. ad Juſtin. I. 7. & Gronov. ad Liv. XXVI. 40.

147. *Per me.*] *Per te* Puteaneus. Heinsius. *Pro me* alii: ſed nihil muta: quantum in me eſſet, ego te non laeſiſſem. vid. Ep. I. 3.

150. *Suis.*] Lincolnienſis *tuos.*

151. *Quod ſi quis ab alto Juſtus adeſt.*] *Quod ſi quid adeſt* ſcripti plerique cum priſcis editionibus. venuſte & verè. nili quod in Puteaneo, *quod ſi quod.* Tò *quid* eleganter redundat. Ennius apud Lactant. lib. I. de Falſa Religione c. 14. in vetuſtis codicibus: *Itaque pactus eſt cum Saturno, ut ſi quid liberorum virilis ſexus ei natum eſſet, ne quid educaret.* Triſt. III. Eleg. III.

At tibi, qui tranſis, ne ſit grave, ſi quid amaſti,
Dicere.

Ita & ibi ſcribendum ex veſtigiis veterum librorum. Triſt. V. El. I.

Delicias ſi quis laſcivaque carmina quaerit,
Praemonco nunquam ſcripta quid iſta legat.

Sic & ibi corrigendum ſuſpicor; ſic in Faſtis:

——— *Pacando ſi quid ab hoſte vacas.*

Ammianus lib. XXII. *Si quid te laeſum exiſtimas, ſi quid annuis.* Panegyrici ad Piſonem auctor. & Virgil.

——— *Si quid pietas antiqua labores*
Reſpicit humanos.

Poſſet & retineri *ſi quis*; ut Horat. III. Od. 27. 51. *O Deorum ſi quis haec audis.* Deinde *Juſtus ades*, vel ſine libris ſcribendum videtur: ut Jovem alloquatur. Cauſam mox videbimus. Deinde *Juppiter ille* a Naſonis ipſius manu eſſe opinor, etſi pro recepta lectione ſtantibus membranis antiquis. Fragmentum Cornelii Nepotis, ubi Cornelia Mater Gracchorum: *Nec ille ſinat Juppiter. Sic Juppiter ille monebat* apud Maronem ex optimis codicibus Aeneidos VII. vers. 110. ubi pluri-

Medeae Medea forem. quod ſi quid ab alto
Juſtus ades votis, Juppiter, ipſe meis;
Quod gemit Hypſipyle, lecti quoque ſubnuba noſtri
Moereat, & leges ſanciat ipſa ſuas.
Utque ego deſtituor conjux, materque duorum;
A totidem natis orba ſit, aque viro.

Nec

pluribus exemplis hunc loquendi modum illuſtravimus, quae hic loci iterare nunc piget. HEINS. Cum vero Autolyci cujusdam piceata manus illas in Virgilium notas ſummo rei literariae damno ſurripuerit, detrimentum hoc reparavit Egregius Broukhuſius ad Tibulli I. Eleg. IV. 19. Francius corrigebat, *ſi quid ab alta Juſtus ades votis Jupiter arce meis.* Offendit forte vocula *ipſe*, quae jam bis praeceſſerat, & mox ſequitur. ſed nihil muta: *ab alto*, eſt *ex alto*, ſcilicet coelo. Art. Am. 633.

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum.

Ades precibus Colinei & Berſmanni editiones. nil muta: III. Triſt. I. 78.

Ades voto, maxime dive, meo. BURMANNUS.

153. *Lecti quoque ſuccuba noſtri.*] Vetus lectio, *ſubnuba noſtri.* NAUGERIUS. Gloſſae H. Steph. Παλλακὴ, *Concubina*, *ſuccuba*, *pellex.* Eaedem *unicuba* μονολεχής. vetus ſcriptor de Baptiſmo Baebiani, inter Poëtas Chriſtianos a Georgio Fabricio editus:

Felix Apra, cui licuit terraque poloque
Conjugis unicubae juge tenere bonum.

Papias, *ſuccuba*, *pellex*, *amica a ſuccumbendo*, *latenter jacendo.* Tamen Puteaneo & melioribus ſcriptis accedo, in quibus *ſubnuba. Subnuba*, ut *pronuba*, *innuba*, & ſimilia. At Prudentius Hymno in Romanum martyrem de Phoebo Hyacinthum lugente:

Mox flevit impuratus occiſum gravi
Diſco, & dicavit florulentum ſuccubam.

Pro *ſuccubonem.* contrà Nonius Marcellus monet & Titinium dixiſſe *ſuccubonem* pro *ſuccubo.* Venus apud Apulejum Met. V. Pſychen, *formae ſuae ſuccubam*, appellat. apud Stat. X. 78. *Succubitus* pro *concubitus* in MSS. Tiliobrogae. hinc & in vetuſtiſſimo Epigrammate Luxurii MSS. Epig. 54. *De cauſſidico turpi, qui concubam ſuam Charitem vocabat.* & Ep. 57. *In eum, qui ut ſenior dici nollet, multas ſibi concubas faciebat, & horrebat ſenior vocari.* HEINSIUS. Vide Munkeri notas ad Hygin. Fab. CLXXVII.

154. *Leges ſentiat ipſe ſuas.*] *Sanciat* ſcribendum cenſeo. atque ita liber Voſſianus & alter Mentelianus. *Sancire leges* obvium apud veteres auctores. Lucanus VII. 351.

Romanas ſancire volent hoc ſanguine leges.

Livius lib. XXIII. *Jam ego, inquit, ſanguine Hannibalis ſanciam Romanum foedus.* Nihil magis obvium. Adeantur Jurisconſulti. Noſter Epiſtola Medeae ex eodem Voſſiano:

Flebit, & ardores ſanciet uſta meos.

Auſonius: *Pareto legi quisque legem ſanxerit.* Stat. XII. Theb.

Parvane proſtratis, inquit, monumenta Mycenis
Sanximus.

Lib. XI. ex MSS.

Non ego te contra Stygiis feralia ſanxi
Vota Diis.

Cic. II. Tuſc. Quaeſt. *Leges, quas ſive Jupiter, ſive Minos ſanxit.* Valer. Max. VI. c. V. ſub fin. V. Herald. ad Arnob. 124. Serv. ad Aeneid. XII. 200. Catalect. Pith. p. 62.

Sed Caeſar legi paruit ipſe ſuae.

Amor. I. VIII. 46. *Captos legibus ure ſuis.* HEINS. Sic apud Catull. Epith. Theſ. V. 21. *Sanxit*, pro *ſenſit* repoſuere viri docti.

155. *Duorum.*] Eunei & Nebrophoni Apollodor. lib. I. Biblioth. CIOFANUS.

156. *A totidem*, &c.] Feliciſſimè hunc locum conſiderat Julius Caeſar Scaliger in Critico, cujus haec ſunt: *Ovidianae Hypſipyles clara admodum imprecatio eſt; quae neque tumida, neque vulgaris, ac tam rotunda, ut tam brevi gyro, tam compoſita apud multos etiam excellentes poſſimus deſiderare.* Vide & Scholia in lib. Triſtium. CIOFAN.

A totidem natis orba ſit atque viro.] *Orba à natis* infrequens. uſitatum *orba natis*, aut *natorum.* Deinde *illa viro* Puteaneus & reliqui plerique. Legebam:

Da totidem natis orba ſit, orba viro.

Vid. ſupr. ad V. 29. *Dare* ex veteri formula. *Dî date*, & *Dî dent*, quorum pleni ſcriptores antiqui. Noſter libro XIII. Metam. 48. qui locus vulgo peſſime habitus:

—— *Laërtiadaeque precaris*
Quae meruit: quae Dî dent ô non vana preceris.

Tò *orba* nimirum geminare librarius neglexerat, ut ſaepe. qua de re ſupra. alloqui autem Jovem videtur, quare & *ades* ſupra pro *adeſt* reponendum, ut jam diximus. niſi mavis, quod verum omnino videtur:

A

Nec male parta diu teneat; pejusque relinquat.
Exſulet; & toto quaerat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit, miſeroque parenti
Filia; tam natis, tam ſit acerba viro.
Cum mare, cum terras conſumſerit, aëra tentet.
Erret inops, exſpes, caede cruenta ſua.
Haec ego conjugio fraudata Thoantias oro;
Vivite devoto, nuptaque, virque, toro.

EPI-

A totidem natis orba ſit, atque viro.

Nam *orba ab optimatibus concio* apud Ciceronem, Oratione pro Flacco, exſtare deprehendo. HEINS. In Douzae codice erat *cum totidem natis.* Ego legendum cenſeo:

A totidem natis orba ſit, aque viro.

Locum Ciceronis, quem innuit Heinſius, eſt cap. 23. ubi videndus Sylvius. BURMANNUS.

157. *Pejusque relinquat.*] *Pejuſque relicta* unus Ambroſianus. Patavinus unus *poeniſque relinquat.* ut *poeniſque relicta Exſulet* videatur corrigendum. Atque ita Jureti Excerpta prae ſe ferre poſtea agnovi. HEINSIUS.

158. *In orbe fugam.*] Durius dictum, *quaerere fugam : petere fugam* pro fugere dici novimus. Quare forte hic non rejicienda Vaticani unius lectio, *quaerat in orbe fidem*, ut nuſquam fidem, at ubique perfidiam inventuram imprecetur. niſi *quaerat fugam* dictum quis velit, ut *petere fugam*, de quo Davies. ad Jul. Caeſ. II. de Bel. Gal. 24. & *petere viam*, Gron. ad Liv. XLII. 3. nam & hic unus Strozzae habebat, *quaerat in orbe viam.* BURMANNUS.

162. *Erret, inops, exſpes.*] Multi ſcripti, *Erret inops mentis.* male. ita XIV. Metam. 217.

Solus, inops, exſpes, letho poeniſque relictus.

In Ibide III.

Exul, inops, erres, alienaque limina luſtres.

In Leidenſi erat adſcriptum alterum pentametrum:

Et fugiat natis ipſa cruenta ſuis.

Quod videtur pro varia lectione appoſitum. Douzae codex habebat, *erret inops mortis.* BURM.

EPISTOLA VII.

DIDO AENEAE.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Maeandri concinit albus olor.
Nec, quia te noſtra ſperem prece poſſe moveri,
Adloquor: adverſo movimus iſta Deo.

Sed

1. *Sic ubi.*] Ab hac ſimilitudine doctiores plerique Epiſtolam hanc ordiuntur, ellipſim ac praeciſionem iſtam affectui tribuentes. Ceterum quia particula *ſic* vulgo ſententiam aliquam poſtulat, cui vel inferatur, vel alias adaptetur: Deinde & ſimilitudinem abſque collatione poni, ita ut neque epilogi, neque epiphonematis vicem ſuſtineat, non ita uſitatum eſt; curioſus quiſpiam rei mederi volens, verſiculos a principio alios duos adjecit, quibus ſimilitudo ipſa inferretur, & quod affectus cauſſa omiſſum a Poëta erat, perfectum ac plenum redderetur. Quamquam igitur ipſi verſus tolerabiles ſunt, & cum iis, quibus praemiſſi ſunt, non male cohaerent; quia tamen a doctis tanquam nothi & adulterini notantur, nos quoque eosdem ab aliis ſeparavimus, ſeorſimque & ſuo charactere ponendos duximus. MYCILLUS. Liber Regius & Excerpta Puteani cum codice Lovanienſi ſequens diſtichon huic Epiſtolae praefigunt:

Accipe, Dardanide, morituraе carmen Eliſſae,
Quae legis, à nobis ultima verba legis.

Ceterum *Eliſſa*, non *Eliſa* conſtanter Dido nominatur in veterrimis Virgilii, Silii, Auſonii, Claudiani, Paterculi & noſtri Poëtae codicibus. nec aliter apud Graecos. nam *Eliſſam* lingua Punica *divinam viraginem* ſonare contendunt. Vide Etymologici auctorem in Διδώ. ubi alia proferuntur ad hanc rem. adi & virum ſummum Samuelem Bochartum in Phaleg ſuo. HEINSIUS.

2. *Concinit albus olor.*] Huc facit, quod ſcriptum reliquit Cicero lib. 1. Tuſcul. Diſputationum: cap. 30. *Cygni, qui non ſine cauſſa Apollini dicati ſunt, ſed quod ab eo divinationem habere videantur, quia providentes quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriantur.* Videndus eſt Aelianus lib. 1. De Var. Hiſtoria, & Hyginus. CIOFAN.

4. *Adverſo movimus iſta Deo.*] *Novimus* Puteaneus cum aliis nonnullis. Baſilienſis *vois.* Scribe *vovimus*. ita & corruptum. 1. Amor. III. 3.

Ah nimium vovi.

Ibid. 127.

Certe ego quae voveo ſuperos motura putabo.

Ibid. 241.

Tempus in immenſum lacrymas tibi vovimus iſtas.

Metam. x. 626. *Vovit quia vivere mecum.*
Stat. Theb. VIII. 702. *Unum omnia tela vovent.*
Ubi male MS. *movent.* & ſic forte legendum apud eundem XI. 510.

Letum utrique vovens.

Noſter II. Am. XV. 27. *Irrita quid voveo.*
Ubi alii *moneo.* ſed & *averſo Deo* corrigendum. ſic enim loquebantur. hoc eſt non audiente. *Deis averſis* opponuntur *Dei praeſentes.* Noſter Triſt. 1. Eleg. III.

Multaque in averſos effudit verba Penates,
Pro deplorato non valitura viro.

Ita legendum. Propert. lib. 1. Eleg. 1.

Cum tamen averſos cogor habere Deos.

Ita malo, quam *adverſos.* ſic Spart. Peſcen. *Averſa populi voluntate.* ubi vulgo male *adverſa.* Tibul. III. Eleg. III.

Audiat averſa non meus aure Deus.

In mortem Druſi:

Tu letum optaſti, Dîs averſantibus omen.

Martial. VIII. Ep. 62.

Scribit in averſa Picens epigrammata charta,
Et dolet averſo quod facit illa Deo.

Ita *averſus Mars* in Faſtis. Stat. v. Theb. 641. è MSS.

—— *ubi averſo dederat proſecta tonanti.*

Et x. 70.

Scit fata ſuis contraria Grajis
Averſumque Jovem.

Horatius III. Od. 23.

Placabit averſos Penates
Farre pio & ſaliente micâ.

Averſum Jovem precari idem Epod. x. Noſter Amor. lib. III. El. XII.

Averſis utinam tetigiſſem carmina Muſis!

Quomodo illic etiam veteres libri. Paulinus Epiſtolâ ad Auſonium:

Cum ſteriles fundas non ad divina precatus,
Caſtalidis ſupplex averſo numine Muſis.

Lucanus lib. VI. 148.

Deſerit averſo poſſeſſam numine ſedem
Caeſar.

Sic membranae. Apulejus Met. VII. *Illicitas tentat libi-*

Sed merita & famam, corpusque animumque pudicum
Cum male perdiderim, perdere verba leve est.
Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido:
Atque idem venti vela fidemque ferent.
Certus es, Aenea, cum foedere solvere naves:
Quaeque ubi sint nescis, Itala regna sequi.

Nec

libidines, & ferinas voluptates aversa Venere invitat ad nuptias, hoc est Venere non audiente; quae & illic vera est scriptura. sic *verso Apolline* pro *averso* Statius Epiced. Patris:

Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso
Frigida damnatae praeduxit nubila menti.

Perperam illic legitur *Apolline merso*, & *produxit nubila*. hinc etiam illud Boëthii de morte, lib. 1. Cons. Philosoph.

Eheu, quam surda miseros avertitur aure!

Quod ex illo Statii Glaucia Melioris est imitatus:

Odistique Chelin surdaque averteris aure.

HEINSIUS. Nos tamen contra libros meliores nihil movemus; & *movimus* retinuimus, quod melius τῷ *alloquor* convenit. *Movere* enim de scriptione, epistola, & sermone recte dicitur. v. Epist. xv. 4. 1. Art. Amat. 29. & alibi: & Deos tam *adversos*, quam *aversos* recte dici scimus, licet librarii perpetuo fere commutaverint. vid. Gronov. ad Senec. Med. 10. & ita *adversus Mars* necessario retinendus in lib. 1. Fast. 60. quia idem notat, quod *adversa praelii fortuna*, quam *aversam* dici posse non puto. *Aversi* vero proprie dii, si excedere ex templis, destituere loca, aut homines, ante amata inducuntur. *Adversi*, ubi inimica mente, iniqui, irati, contrarii sunt. sensus vero est; Scripsimus ergo hanc Epistolam non ea spe, quasi tu moveri posses, sed quia leve est verba perdere. BURMANNUS.

5. *Sed meriti famam.*] Gottorphianus & alter Mentelianus, *meritam*. Unus Mediceus *merita*. Puteaneus, *merite*. Scribe:

Sed merita & famam.

Merita vocat beneficia, quae in ingratum Aenean contulerat. sic Auson. parentalibus, *merita & famam* conjunxit. Senec. Herc. fur. 259.

Cuncta jam amisi bona,
Mentem, arma, famam, conjugem, natos, manus.

Epistola Sapphus:

Et forma & meritis tu mihi Phoebus eris.

Ubi *& formae meritis* similiter legebatur. qua elisione literarum saepe peccatum. sic infra hac Epistola, *temperet usum*, pro *tempore & usu*. lib. 1. Art. Am. 1397. *Communi noxia culpae*, pro *obnoxia*. Medicamine Faciei, *Addite de querulo*, pro *Adjice & è querulo*. apud Propertium lib. IV. El. VIII.

Atque ita mutato per singula pallia lecto
Respondi, & toto solvimus arma toro.

Cum reponendum videatur:

Et sponda & toto movimus arma toro.

Nam *respondi* hic praeter rem est, & jam paulo ante praecesserat. idem innuit Noster alibi, cum ait:

Spondaque lascivâ mobilitate tremat.

Mirum quas turbas saepe dederit ista librariorum supinitas, dum compendio lucri studentes ac proinde praeter aequum festinantes pro duabus vocibus parum inter se discrepantibus, ac syllabarum similium cognatione junctis, unam nobis vocem exhibuere. Apud Ausonium in Sapientibus de Solone:

—— Bellum ille in Persas parat,
Profectus, & devictus & regi deditus.

Ita legitur in editionibus priscis, claudicante versu, cum ex optimis, quibus usus sum, membranis fit refingendum:

—— Bellum ille in Persas parat,
Profectus, victus, vinctus, regi deditus.

Sed hoc Vinetus jam vidit. Alter locus est insignis apud Marcianum Capellam, qui hactenus animadversus non fuit, quod sciam:

Tandem senilem Martiane fabulam
Miscella lusit quam lucernis flamine
Satyra, Pelasgos dum docere nititur
Artes creagris vix amicas Atticis;
Sic in novena decidit volumina:
Haec quippe loquax docta indoctis aggerans
Fandis tacenda sarcinat, immiscuit
Musas Deosque, disciplinas Cyclicas
Garrire agresti cruda finxit plasmate.

Versus sunt Jambici, ut & sequentes. Versu tamen sexto prior syllaba in *loquax* producitur nimis quam insolite. Sed hoc librariorum commentum est aut criticorum semibarbarorum: cum nullus dubitem a Marciani manu esse, *Haec quippe dicta docta indoctis aggerans*. Posset & legi, *Haec quippe linguax: linguaces* enim pro loquacibus dictos antiquis, testis est Gellius; sed alterum praestat. Versu primo *Habes senilem* ex membranis revocandum. Versu secundo pro *flamine*, vetus codex *famine*. Scribe:

Miscella lusit quam lucernae adflamine
Satyra.

Versu quarto illud *creagris Atticis* non est nauci. Sed & facessat *Diacriis* virorum doctorum. *Choragis Atticis* vel *theatris* repono. Versu ultimo *agresti phasmate* corrigo. Sic *comoedicum phasma* apud Fulgentium initio Mythologiae. *Clamosum phasma Menandri* apud Satyricum. Φάσματα & φαν-

Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt
Moenia; nec sceptro tradita summa tuo.
Facta fugis; facienda petis. quaerenda per orbem
Altera, quaesita est altera terra tibi.
Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?
Quis sua non notis arva tenenda dabit?

Alter

φαντάσματα nonnulli Grammaticorum confundunt. Totus denique locus sic refingendus:

Habes senilem, Marciane, fabulam:
Miscella lusit quam lucernae adflamine
Satyra, Pelasgos dum docere nititur
Artes theatris vix amicas Atticis.
Sic in novena decidit volumina.
Haec quippe dicta docta indoctis aggerans;
Fandis tacenda sarcinans, immiscuit
Musas Deosque: disciplinas Cyclicas
Garrire agresti cruda finxit Phasmate.

Plura vide ad lib. 1. Art. Am. 225. & 397. & sub finem notarum ad Epistolam tertiam Sabini, hujus erroris exempla. HEINSIUS.

6. *Perdiderim.*] Patavinus *perdideris.* venuste: amat enim Noster secunda persona loqui. supr. Epist. v. 7.

Leniter ex merito, quicquid patiare, ferendum est.

HEINSIUS 1. Trist. 11. 13.

Verba miser frustra non proficientia perdo.

Douza adscripserat locum Quinctil. lib. VIII. *Miser enim & pauper orator est, qui nullum verbum aequo animo perdere potest.*

11. *Nec te crescentia tangunt Moenia.*] Dices moenia esse animata? Sed scitè. Aristoteles enim lib. III. Rhetoricorum inter eas figuras, quibus oratio illustratur, ponit eam, ut rebus sensu carentibus detur sensus. Sic Virg. lib. 1. Aeneid. 437. unde locus hic expressus est, item de Carthagine ait:

O fortunati, quorum jam moenia surgunt,

Et lib. IV. 86.

Non coeptae assurgunt turres. CIOFANUS.

Surgentia, codex Regius, solemni horum verborum apud Nasonem permutatione. idque rectius puto. Horat. III. Od. III.

Ter si resurgat murus aheneus,
Auctore Phoebo.

Et Noster 1. Fast. 523.

Eversaque Troja resurges.

Et alibi passim. Virgil. 1. Aeneid. 365.

Ubi nunc ingentia cernes
Moenia, surgentemque novae Carthaginis arcem.

Vide Cerdam ad v. 437. non invenuste quoque hoc loco Lovanienses, *nec mea Carthago*, quod conveniret sequentibus:

Sceptro tradita summa tuo.

Suam enim poterat Aeneae tradere. Sed *nova* non temere rejiciendum: nam respicit fortè ad Etymon Carthaginis, quae lingua Phoenicia *novam urbem* notat. quod & Douzae placuisse postea vidi. Vide Solin. 27. & ibi Salmasium. BURMANNUS.

12. *Nec sceptro tradita summa tuo.*] *Sceptrum* Puteaneus à manu prima. Scribo:

Nec sceptri tradita summa mei.

Vel *credita.* Metam. XIII. 191.

Hunc tamen utilitas populi fraterque, datique
Summa movet sceptri.

Plura de hoc vocabulo Juretus ad Symmachum lib. III. Ep. XL. videtur hic mendosus locus Guntherum decepisse, ut in Ligurino suo, eleganti Poëmate, *summam* pro regno poneret:

Proximus agnatus Comitis Reinaldus & haeres,
Legitimus tantae nactus moderamina summae.

Si quis tueri vulgatam tamen volet, habet pro se stantia illa Propertii III. VII. 11.

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.

Sic *summa Thucydidis* apud Petronium cap. 11. HEINSIUS. Sed in illo Propertii loco subintelligi puto *gloriam*, quod praecedit, & in Petronii loco *famam*, quod sequitur. nisi quis ibi legere verbis transpositis malit: *Ad summam, quis postea ad Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit. Ad summam* Petronio familiaris locutio pro *denique.* Vid. cap. XXXI. XXXVII. & alibi. *Summam meriti* tamen etiam dixit Noster Epist. 11. 56. & *laudis.* 66. vid. Gebhard. 1. Crepund. 3. & hic *summa imperii*, ut alii loquuntur, intelligi posset: ex Plauti Trucul. IV. 2. adfertur *solus summam habet hic apud nos:* Undecim vero libri hic, *sceptro tradita regna tuo.* Moreti *credita regna.* BURMANNUS.

13. *Facienda.*] Haec est veterum librorum lectio. vere: CIOFAN. *Fugienda* Aldina & Venetae duae editiones. ut & codices plurimi.

16. *Arva tenenda.*] *Regna tenenda*, tres libri, *arva colenda*, unus Vaticanus. & Mentelii alter *tuenda:* nihil muta. *Tenere* enim proprium verbum regum, ut notissimum. eadem varietas apud Lucan. IX. 440.

Nudus rura tenet.

Ubi codex Vossii *colit.* praeterea *tenere* convenit praecedenti verbo *Habere*, cujus eadem vis, & quod male Douza antique sumit, pro *habitare.* cum ipse infr. 163. *habendam* explicet *possidendam.* Ovid. 1. Metam. 197.

Qui vos habeoque regoque.

Et ita centies Noster & alii. BURMANNUS.

Alter habendus amor tibi reſtat, & altera Dido:
Quamque iterum fallas, altera danda fides.
Quando erit, ut condas inſtar Carthaginis urbem,
Et videas populos altus ab arce tuos?
Omnia ut eveniant, nec te tua vota morentur;
Unde tibi, quae te ſic amet, uxor erit?
Uror, ut inducto ceratae ſulfure taedae:
Ut pia fumoſis addita tura focis.
Aeneas oculis ſemper vigilantis inhaeret:
Aenean animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, & ad mea munera ſurdus;
Et quo, ſi non ſim ſtulta, carere velim:
Non tamen Aenean, quamvis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, queſtaque pejus amo.
Parce Venus nurui, durumque amplectere fratrem,
Frater Amor: caſtris militet ille tuis.

Aut

18. *Quaque iterum fallas.*] Recte ſcripti *Quamque. Fallere fidem.* nihil magis obvium apud bonos auctores. Senec. III. de Benef. c. 15. *Ita non honeſtius erat a quibusdam fidem falli, quam ab omnibus perfidiam timeri.* JCtus: *Grave eſt fidem fallere, quam ſervari natura aequum eſt.* Faſt. IV. 227. *Ille fidem juſſis dedit, & ſi mentiar inquit, Ultima quam fallam, ſit Venus illa mihi.* HEINSIUS.

21. *Omnia ſi veniant.*] *Ut eveniant* quidam ex melioribus, etiam Puteaneus à manu primâ. recte. qui error ex cliſione vocalium profluxit. ſic apud Phaedrum lib I. Fab. II. *Majus ne veniat malum*, pro *eveniat*, perperam nunc legitur. Auctor Queroli: *Utinamque tibi illa omnia eveniant, quae nos optamus ſervuli.* Liv. lib. XXIII. cap. 28. *Cui ut omnia proſpere evenirent.* ita ſcripti. vide illic Gronovium. *omnia ſubveniant* Mentelian. HEINSIUS. Petron. XLIV. *Aedilibus male eveniat.*

21. *Nec te tua vota.*] *Facta*, multi codices. quidam *ficta*. forte, *nec te tibi ficta morentur*. HEINS.

23. *Uror, ut inducto.*] Notarunt alii, in aliis codd. legi:

Uror, ut inducto ceratae ſulfure taedae,
Ut pia fumoſis addita thura focis.
Aeneaſque oculis ſemper vigilantibus haeret,
Aeneamque animo noxque diesque refert.

Ut duo inſerantur verſus. Qui ut admittantur, legam: *Aeneas oculis ſemper vigilantibus haeret, Aenean animo.* DAN. HEINSIUS. Poſt hunc verſum in uno Vatic. à veteri gloſſario notatum eſt, legiſſe ſe in veteri textu hoc diſtichon:

Ut pia fumoſis addita tura rogis.
Aeneas oculis vigilantis ſemper inhaerent.

CIOFANUS. Excerpta Sarravii *incocto*, quod non de nihilo eſſe ſuſpicor: intelligit vero facem luſtralem. v. Scaliger. ad Sever. Aetnae vers. 350. BURM.

24. *Ut pia fumoſis.*] Hunc & ſequentem verſum à vulgatis libris exulantes adjeci ex auctoritate optimarum membranarum. & ſunt elegantes nec Ovidio indigni. Invenerat etiam eos in ſuis codicibus Andreas Schottus, ut Obſervationes ejus II. cap. 53. teſtantur. Mycillus eosdem quoque agnoſcit. in Sarraviano & plurimis erat, *addita tura rogis.* ſed Gronovianus & Baſileenſis *focis.* recte. Epiſt. XXI. 34.

Feſtaque fumoſis ingerit exta focis.

In Nuce 178.

Noſtraque fumoſis urite membra focis.

III. Amor. III. 33.

Et quiſquam pia tura focis imponere curet.

Sed & in *rogis* tus crematum, ex Statio Silv. II. Epiced. Glaucae poſſet oſtendi:

Puerile feretrum
Produxi, & ſaevos damnati turis acervos.

Virg. VI. 224.

Congeſta cremantur
Turea dona. HEINSIUS.

25. *Vigilantis inhaeret.*] *Vigilantibus haeret.* MYCILLUS. Sed *vigilantis inhaeret* rectum. vid. II. Epiſt. 91. BURMANNUS.

26. *Aenеamque animo.*] *Aenean animo* meliores. & ſic Graeco more etiam infra, ac paſſim alibi in optimis libris ſcribitur. HEINS. II. Art. Am. 348.

Exhibeat vultus noxque diesque tuos.

Ubi neſcio, cur ex uno codice, *exhibeant* maiit Heinſius, cum hic locus vulgatam manifeſte tueatur. BURMANNUS.

27. *Surdus.*] *Tardus* Moreti, Hafnienſis & Leidenſis, quod proprium in amore frigidi & ceſſantis.

Aut ego, quem coepi (neque enim dedignor) amare;
Materiam curae praebeat ille meae.
Fallor; & iſta mihi falſo jactatur imago.
Matris ab ingenio diſſidet ille ſuae.
Te lapis, & montes, innataque rupibus altis
Robora, te ſaevae progenuere ferae:
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis:
Quod tamen adverſis fluctibus ire paras.
Quo fugis? obſtat hiems: hiemis mihi gratia proſit.
Adſpice, ut everſas concitet Eurus aquas.
Quod tibi maluerim, ſine me debere procellis.
Juſtior eſt animo ventus & unda tuo.
Non ego ſum tanti, (quamvis merearis, inique,)
Ut pereas, dum me per freta longa fugis.
Exerces pretioſa odia, & conſtantia magno;
Si, dum me careas, eſt tibi vile mori.

Jam

tis. eadem varietas apud Propert. I. Eleg. VIII. 41.

Sunt igitur Muſae, neque amanti ſurdus Apollo.

Ubi in MSS. quos Heinſius contulit, *tardus.* & praetulit Broukhuſius & alii. BURMANNUS.

29. *Quamvis male cogitet odi.*] *Cogitat* meliores & *Aenean* etiam hic. Plinius Nat. Hiſt. XVIII. c. v. *Fortiſſimi viri & milites ſtrenuiſſimi ex agricolis naſcuntur, minimeque male cogitantes.* hoc eſt minime doloſi. hauſit ex Catone, qui initio Rei Ruſticae de agricolis: *Minime male cogitantes ſunt, qui in eo ſtudio occupati ſunt.* HEINSIUS. *Quamvis* cum indicativo conſtrui vidimus ad Quinct. III. inſtit. & paſſim. apud Ovidium etiam ſaepe. Ep. XVII. 63. XVIII. 49. & centies. Virg. III. Ecl. 34. de τῷ *cogitare.* vid. ad Vellej. II. 13. BURMANNUS.

33. *Quae coepi.*] Interruptionem pono ſtatim poſt *Aut.* ut intelligas, aut ille praebeat materiam. vel eſt ſubſtractum meae curae, meo amori, neque enim ego, quae coepi, dedignor amare. AARON. Lege ex veteris libri fide & ratione, *quem coepi.* CIOFANUS. *Quem coepi* meliores, & ita Naugerius. ut dicat, quod alibi:

Aut amet, aut faciat cur ego ſemper amem.

Sic III. Amor. XII. 2.

Quam coepi ſolus amare. HEINSIUS.

Nondum tamen video ſenſum, cum ſuſpenſa ſit oratio. In Puteaneo & duobus aliis erat, *& ego*, in alio, *ait.* in quinque, *en ego quae* in Argent. *haud ego.* in Francofurtenſi, *quem cepi, nec enim dedignor amore.* Legendum forte erit:

Caſtris militet ille tuis;
Atque ego, quae coepi: nec enim dedignor amare.

Ille militet, qui durus eſt, & ego, quae jam coepi amare: neque enim detrecto, ut ille, militiam tuam. praebeat modo ille mutuo amore materiem meo amori. BURMANNUS.

35. *Et ipſa mihi falſo jactatur imago.*] *Iſta imago* Puteaneus & alii ex caſtigatioribus. placet. *falſa* quoque idem Puteaneus. Forte, *mihi falſae.* HEINS.

40. *Quo tamen adverſis fluctibus ire paras.*] Malim, *Qua tamen* cum Scriveriano, vel etiam, *Quod tamen* cum Strozzae codice, quia ſequitur, *Quo fugis?* qui durus eſt concurſus. *Ire maria* obvium. Ep. Herus, *Helleſpontiacam iturus aquam* ex antiquis libris. Art. Am. II. 47. ex vetuſtis exemplaribus:

Reſtat iter caeli, caelum tentabimus ire.

Amor. II. El. XI.

Fallaceſque vias ire Corinna parat,

de mari. Epiſtola Ariadnes:

Ibis Cecropios portus.

Ire iter. vide Notas ad Epiſt. XVIII. v. 135. ita locuti Virgilius, Val. Flaccus & Gratius, qui *ire fretum* dixit. HEINSIUS.

43. *Malueram.*] *Maluerim*, Argentin. & quinque alii. rectius. HEINSIUS. *Quod te malueram*, in antiquis membranis, quas profert Barth. Adverſ. XXXVII. 13.

44. *Ventus & unda.*] *Aura* quidam. vid. ad Ep. II. 35.

45. *Quamvis merearis inique.*] In quibusdam *meditaris*, utrumque recte. NAUGERIUS. Miruin hic in modum variant libri veteres. Diverſas lectiones ſubjiciam, ut alienae quoque conjecturae ſit locus. Puteaneus, *quid non terreris.* & emendatum *quod.* Ut forte corrigendum ſit, *quo non terreris*, Vel, *quod non tu reris.* At Puteani & Jureti excerpta, & alter Mentelianus & Francofurtenſis, *quod non cenſeris*, cum quatuor aliis. duo,

Jam venti ponent; ſtrataque aequaliter unda,
Caeruleis Triton per mare curret equis.
Tu quoque cum ventis utinam mutabilis eſſes!
Et, niſi duritia robora vincis, eris.
Quid? ſi neſcieris, inſana quid aequora poſſint?
Expertae toties quam male credis aquae?
Ut pelago ſuadente etiam retinacula ſolvas,
Multa tamen latus triſtia pontus habet.
Nec violaſſe fidem tentantibus aequora prodeſt.
Perfidiae poenas exigit ille locus.

Praeci-

quo non ceſſaris. Octo alii, *quod non mediteris*, ſeptem, *meditaris.* quatuor, *quamvis mediteris.* totidem alii, *quod tu meditaris.* Scriverianus, *quamvis dimittis*, vel *miraris.* alius, *quod tu non credis.* Itaque ſcribendum videbatur, *quicquid tu reris*, vel, *quanti tu reris.* Vel, *quamvis id reris*, vel denique, *quanti me reris.* Niſi propius inſiſtendo veſtigiis vetuſtiorum codicum refingi malis, *quamvis cenſeris*, vel, *quanti cenſeris.* Ut *cenſeri* dixerit, quomodo Cicero pro Flacco, *Cenſus es mancipia Amyntae. Cenſeri* enim pro aeſtimare veteres aevo optimo certum eſt dixiſſe. ita Noſter in Ponticis, lib. I. Eleg. III.

Eſt inter comites Marcia cenſa ſuas.

Faſt. lib. v. 25.

His ſata Majeſtas, hos eſt Dea cenſa parentes.

Ut quidam vetuſtiſſimi codices illic agnoſcunt. Certe Hafnienſis liber expreſsè praeferebat, *quantus cenſeris.* Noſter Triſt. IV. El. v.

Cujus eram cenſu non me cenſurus egentem.

Quomodo reſtituendum puto. vera igitur ſcriptura revocetur:

Quamvis cenſeris inique.

Id eſt quamvis iniquum mihi pretium addis. De eo verbo vide doctiſſimum & accuratiſſimum Gronovium in Obſervationibus, lib. IV. c. 3. quae unice huc faciunt. HEINSIUS. Legerem, *quamvis cenſebis inique:* id eſt tanti me non habebis, nec juſto pretio me aeſtimabis. ita *pretium iniquum.* Epiſt. XIV. 129. & *iniqua pondera.* Flor. I. 13. Douza vulgatum, *quamvis merearis inique*, retinet. BURMANNUS.

48. *Si dum me fugias.*] *Me careas* praeſtantiores. *Fugis* paullo ante praeceſſerat. HEINSIUS. Octo etiam libri, *ſit tibi velle mori*, quod poſſet capi, pro ſit tibi voluntas moriendi. ut Mart. v. Ep. 85.

Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Sed vulgata praeſtat. non magni ducas mortem, dummodo me careas. Apud Flor. II. cap. 6 male puto Salmaſium reſcribere, *gens contumax vilisque morti.* & explicare facilem ad mortem excipiendam. cum *gens vilis mortis*, ſit in cujus morte non magnum damnum: Sardi enim venales, & alius alio nequior, vili pretio vendebantur, & ita non magna jactura in eorum morte. ita Lucan. v. 263. *Animas effundere viles.* BURMANNUS.

49. *Ponent.*] Ita paſſim Noſter & alii loquuntur. ſed ſubintelligi debere *mare*, vel *undas* docet locus Horatii. I. Od. 3. ubi de Noto:

—— *tollere ſeu ponere vult freta.*

Vide Cerdam ad Virg. VII. Aeneid. 27. vel etiam poteſt ſubintelligi *flatus*, ut apud Statium II. Silv. II. 117.

Hinc motis audit Tritonia criſtis:
Tunc rapidi ponunt flatus.

Qui locus & Douzae erat notatus. BURMANNUS.

52. *Duritia.*] *Duritie* mallem. Vid. ad Ep. II. 137. HEINSIUS.

53. *Quid ſi neſcires.*] *Neſcieris* tres libri. bene. ultima producta. ut Art. Am. I. 222.

Et quae neſcieris, ut bene nota refer.

Metam. X. 560.

Forſitan audieris aliquam certamine curſus
Veloces ſuperaſſe viros.

ſimiliter in *dederis*, *tuleris*, alibi produxit ultimam. ratio eſt, quod interdum quartam ſyllabam producebant, in *neſcieritis*, & *audieritis*, ſimilibusque. quod non vidit Cl. Vir Gerard. Voſſius, qui in opere Grammatico complura exempla hanc in rem adfert. Eodem Artis Amatoriae libro, 389.

Aut non tentaris, aut perfice.

Quod etiam librarii interpolarant. & mox v. 447.

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui.

Ubi plura hujuſmodi videantur. Remedio Amoris, 247.

Quid, quod, ut abfueris, avidus ſitiensque redibis?

Quomodo & illic meliores libri. Pont. lib. I. Eleg. IX.

Nec tu credideris urbanae commoda vitae
Quaerere Naſonem.

Seneca Thyeſte, 1105.

Nec, quod nefandas hauſeris angit, dapes:
Quod non pararis.

Ita veterrimus codex. vulgati *tangit.* Triſt. IV. Eleg. ult.

Quem legis, ut noris, accipe poſteritas.

Art.

Praecipue cum laesus Amor: quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.
Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti;
Neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.
Vive, precor: sic te melius, quam funere, perdam.
Tu potius leti caussa ferare mei.
Finge, age, te rapido (nullum sit in omine pondus)
Turbine deprendi: quid tibi mentis erit?
Protinus occurrent falsae perjuria linguae,
Et Phrygia Dido fraude coacta mori.

Con-

Art. I. 370.
Ut puto non poteris ipsa referre vicem.
Fast. I.
Hanc simul ut noris officiumque meum.
Lib. II.
Qua positus fueris in statione mane.
Et:
Haec ubi praestiteris, ut tandem litora tangas.
Epistola Ariadnes, cum optimis codicibus:
Cum steteris urbis celsus in arce tuae.
Amorum lib. I. El. IV.
Quae tu reddideris, ego primus pocula sumam:
Et quâ tu biberis, hac ego parte bibam.
Eleg. VIII.
Cum multa abstuleris, ut non tamen omnia donet.
Et ibidem:
Haec ubi praestiteris, usu mihi cognita longo.
Plura loca animum intendenti facile tam apud Nostrum, quam alios primi ordinis Poëtas hic illic occurrent. Statius praesertim frequens est in hisce. Similiter in *tentaritis*, *dederitis*, *praestiteritis*, *abfueritis*, *steteritis*, *reddideritis*, *abstuleritis*, tertiam aut quartam syllabam interdum producebant. imo si Valerio Probo credendum, natura longam haberi syllabam hanc oportet. is artis Grammaticae libro primo pag. 1433. Edit. Putsch. *Sunt aliquae syllabae apud Virgilium, quae necessitate metrica cum vitio βαρβαρισμοῦ, qui apud Poëtas μεταπλασμὸς appellatur, contra rationem corripiuntur, sunt aliquae, quae cum breves sint, necessario producuntur; in his, Matri longa decem tulerunt &c. item, Obstupui steteruntque comae*, te *syllabam longam in verbo corripit. item Egerimus nosti, & nimium meminisse necesse est*; ri *syllabam longam corripit.* Noster lib. VI. Metam. *vitam dederitis in undis.* Ponticorum lib. IV. El. V.
Consulis ut limen contigeritis, erit.
Ibid.
Cum maris Ionii transieritis aquas.
Sic *oderimus & erimus* tertia & secunda producta apud Paulinum carmine Sapphico ad Nicetam:
Et quia spes jam rapitur tenendi,
Urget adfectus, placitis favere,
Jam vias illas licet oderimus;
Quae rapiunt te.
Et postea eodem carmine:
Quaque contendes, comites erimus
Aetheris arce.
Ita utroque loco veterrimus codex Vossianus Longobardicis literis exaratus. Priori *execremur*, posteriori, *comites feremur mente sequaci* in vulgatis substituerant. *Coeperimus* pari modo & *sustulerimus* apud Terentianum Maurum. sic *noverimus*, apud Prudentium praefatione in Psychomach. Atque haec ad hunc locum. *possint* etiam pro *possent* meliores libri. HEINSIUS.

53. *Insana aequora.*] Eodem modo Ep. I. dixit *Insanas aquas.* CIOFANUS. *Vesana* est in Vossii excerptis.

54. *Tam male.*] Vaticanus & Lovanienses, *quam male*, ut per interrogationem legatur. Francius malebat sine interrogatione, *expertae toties te male credis aquae*, vel, *quam bene credis aquae?* BURMAN.

59. *Quia mater amorum, Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.*] In Epist. ad Helenam:
In mare (nil mirum) jus habet orta mari.
Ausonius: *Orta mari, susceptа solo*, &c. CIOFAN. *Mater amoris*, concinnius quatuor libri. HEINSIUS.

63. *Vive precor.*] Diras his verbis imprecari Aeneae Dido credebat bonus ille Dausquejus ad Sil. lib. I. pag. 41. quasi vitam miseram & morte pejorem voveat. inepte. Amoris est vehementia, ut licet mereatur Aeneas odium Didûs, illa tamen eum vivere malit, quam naufragio perire, quod mortis genus miserrimum credebant, quia sepulturâ carebat. BURMANNUS.

64. *Caussa ferere.*] *Ferare* Junianus & Douzae codex. ut sit optantis. mox pro *rapido*, Argentinensis & unus Patavinus *trepido*, ut ad omen referatur. HEINSIUS.

67. *Occurrunt.*] *Occurrent* scripti omnes. HEINS.

68. *Et Phrygia Dido fraude coacta mori.*] Fabulosum, & planè falsum est, Didonem ab Aenea adamatam fuisse: Cùm certum atque exploratum sit, Aeneam ante Urbis Romae primordium anno CD. eoque amplius in Italiam venisse, Carthago autem

Conjugis ante oculos deceptae ſtabit imago
Triſtis, & effuſis ſanguinolenta comis.
Quidquid id eſt, totum merui, concedite dicas:
Quaeque cadent, in te fulmina miſſa putes.
Da breve ſaevitiae ſpatium pelagique tuaeque:
Grande morae pretium tuta futura via eſt.
Nec mihi parcatur; puero parcatur Iülo.
Te ſatis eſt titulum mortis habere meae.
Quid puer Aſcanius, quid Dî meruere Penates?
Ignibus ereptos obruet unda Deos.
Sed neque fers tecum: nec, quae mihi, perfide, jactas
Preſſerunt humeros ſacra Paterque tuos.
Omnia mentiris: nec enim tua fallere lingua
Incipit à nobis; primaque plector ego.

Si

autem ante Romam annis LXXII. vel, ut aliis placet, XCVII., condita eſt à Didone. Unde probabiliter colligitur, Didonem ab Aenea nec amari, nec videri potuiſſe. At licet Poëtis vulgo receptas opiniones ſequi, quam fabulam ab Ennio in Romanorum gratiam primum confictam eſſe litteris proditum eſt. Huc facit Auſonii è Graeco epigramma, in quo ejus fabulae auctorem Virgilium fuiſſe ait:

Illa ego ſum Dido, vultu quam conſpicis hoſpes,
Aſſimulata modis pulcraque mirificis.
Talis eram, ſed non, Maro quam mihi finxit, erat mens,
Vita nec inceſtis laeta cupidinibus.
Namque nec Aeneas vidit me Troïus unquam,
Nec Libyam advenit claſſibus Iliacis.
Sed furias fugiens atque arma procacis Iarbae
Servavi, fateor, morte pudicitiam.
Pectore transfixo, caſtos quod pertudit enſes,
Non furor, aut laeſo crudus amore dolor.
Sic cecidiſſe juvat: vixi ſine vulnere famae,
Ulta virum, poſitis moenibus opperii.
Invida cur in me ſtimulaſti Muſa Maronem,
Fingeret ut noſtrae damna pudicitiae?
Vos magis hiſtoricis lectores credite de me,
Quàm qui furta Deûm, concubitusque canunt.
Falſidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisque Deos aſſimilant vitiis. CIOFANUS.

71. *Quicquid, id eſt, totum merui.*] Puteaneus *Quid tanti eſt? tutum*, & emendatum poſtea, *totum*. quomodo & ſeptem alii. Jureti Excerpta, *Quid tamen eſt totum*. Latet mendum. *Totum merui*, vetus formula: Queroli auctor, *Omnia igitur peregiſti. totum commerui*, *vale*. in altero Menteliano, *Quicquid erit totum. dicas* etiam pro *dices* Puteaneus, & quatuor alii, quod ſequens verſus requirit. & *cadent* Hafnienſis. *cadunt* duo alii. HEINSIUS.

75. *Nec mihi tu parcas.*] *Tu curae* Puteaneus & alii nonnulli ex potioribus. Codices Andreae Schotti in Obſervationibus, *Nec mihi parcatur*. non invenuſte. quomodo & tres ex noſtris. de repetitionibus ſimilibus ſupr. ad Epiſt. VI. 29. ſimilis vero huic loco Ep. XIX. 205.

Si tibi non parcis, dilectae parce puellae.

Et II. Art. Am. 30.

Si non vis puero parcere, parce ſeni. HEINSIUS.

85. *Haec mihi narrabas.*] Videtur hic textus vel obſcurus, vel ambiguus. Alii *novere*, alii *movere* legendum putant. Sed cum in aliis multis codicibus, tum in meo vetuſtiſſimo legitur *novere*. Erit ergo ſenſus: Narrabas mihi, Creuſam à te relictam; ſed ego non ſolum fui tibi uxor, ſicut ipſa, ſed ego tibi praeſtiti beneficia. unde majorem poenam es daturus, quod me deceperis & dereliqueris, quam quod illam reliqueris. *Novere*, ſciunt, ſcilicet omnes. *Merentem*, id eſt, praeſtantem tibi beneficia. nam hoc ſignificat *mereri*. Virgil. in 6. Aeneid. *Quique ſui memores alios fecere merendo*. HUBERTINUS. Videtur expoſitio Hubertini paullo durior eſſe; ideo rectius, ut puto, conſuetam lectionem ſequemur. MICYLLUS. *Narráras* meliores. ſic *exturbabat* pro *exturbárat* apud Statium. X. Theb. 214. male legitur. & inf. X. Ep. 127. *Narrabis* quidam codices, pro *narráris*. *Hoc* etiam. quod non placet. ut nec *novere* pro *movere*. Sequenti verſu Puteaneus, pro *Illa* habet *Ure*.

Ure: minor culpâ poena futura mea eſt.

Ut Creuſam igne abſumtam illi oblique exprobret. ſic apud Tibul. lib. I. Eleg. V.

Ure ferum & torque.

Et Eleg. IX.

Ure meum flamma potius caput.

Vetula illa apud Apulej. Metam. IV. ad puellam captam minabunda: *Niſi deſinis, viva exureris.* I. Am. VIII. 70.

Captos

Si quaeras, ubi ſit formoſi mater Iüli:
Occidit, à duro ſola relicta viro.
Haec mihi narraras: nec me movere: merentem
Ure; minor culpâ poena futura meâ eſt.
Nec mihi mens dubia eſt, quin te tua numina damnent.
Per mare, per terras ſeptima jactat hiems.
Fluctibus ejectum tuta ſtatione recepi,
Vixque bene audito nomine, regna dedi.
His tamen officiis utinam contenta fuiſſem:
Et mihi concubitûs fama ſepulta foret!
Illa dies nocuit, qua nos declive ſub antrum
Caeruleus ſubitis compulit imber aquis.
Audieram vocem; Nymphas ululaſſe putavi;
Eumenides fatis ſigna dedêre meis.

Exige

Captos legibus ure tuis.
Mezeriacus, in Gallico ad has Epiſtolas Commentario, Puteaneum codicem minus diligenter viſus eſt conſuluiſſe. Septem libri *Inde minor.* duo, *Unde.* unus *Atque.* alius *Ipſa.* alter Mentelianus pro diverſa lectione *vive*, vel *inde.* Videtur aliud quid latere. HEINSIUS. Vitioſus certe locus, ſi quis alius. Criſpinus legit, *at me movere merentem, Inde minor* &c. ut narratio Aeneae moverit Didonem ad miſericordiam, & ex eo, quod doleret vices Aeneae, evenerit, ut minorem perfidiae poenam luerit. ſed haec longe a mente Poëtae abeunt. Variant vero vehementer codices: in Scriveriano erat vulgata quidem lectio, ſed adſcriptum pro varia lectione, *nec eram corruptior inde* in Regio poſt *narrabas* erat ſpatium vacuum, ſed in margine vulgata ſcriptura. in Francof. erat pro *ure*, *jure* Ego ex veſtigiis veterum puto ſic refingi commode poſſe:

Haec mihi narraras; nec me movêre; merentem
Ure; minor culpâ poena futura mea eſt.

Hoc ſenſu: debueram ex ipſa tua narratione, de uxore Creuſa prodita, perfidiam tuam didiciſſe, ſed ita amore eram excaecata, ut me illa non moverent; quare me quoque, (nam ſtultitia mea id meruit) ure, ut Creuſam in igne & flammis prodidiſti; illa enim poena minor adhuc culpâ meâ erit. *Me movêre.* ut Ep. XII. 89.

Haec animum (& quota pars haec ſunt) movêre puellae.

Si vero quid ſani lateat ſub illa Scriveriani codicis lectione, quae nec a librario videtur profecta, poſſet legi, *nec eram quoque cautior inde*, vel *nec eram prudentior.* ſed verius opinor prius. Francius conjecerat:

Haec me movere gementem,
At minor haec culpâ culpa futura mea eſt: BURM.

87. *Quin te tua numina damnent.*] *Munera* multi ex ſcriptis. Puteaneus, *Quin te te munera damnant.* quod non aſſequor. De diis certe Aeneae comitibus jam ſupra egerat. HEINSIUS. In Regio & Francof. erat, *te mea munera*; ſed optimam credo Moreti codicis lectionem, *Quin te tua crimina damnent.* BURMANNUS.

89. *Ejectum.*] *Ereptum* Moreti & duo alii fruſtra: proprium enim hoc de naufragis in litus ejectis. Catal. Petronii:

Naufragus ejecta nudus rate quaerit eodem
Percuſſum telo, cui ſua fata legat.

Ubi perperam Douza *everſa rate.* vide quae nos ad Petronii cap. CXV. & reſpicit Noſter illa Virgilii lib. IV. 373.

Ejectum litore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi.

Et mox, ut Priſcianus citat, notante Pierio:

Ejectam claſſem, ſocios a morte reduxi.

Ubi nunc legitur *amiſſam claſſem.* Terent. Andr. v. 4. *Ejectus apud Andrum navi fracta.* Plaut. Rudente. II. VII. *Ejectus è mari.* & ita ſaepe in ea fabula. Caeſar. III. Bel. Gall. *Ejecere navem in terram.* & III. de Bel. Civil. 25. *Si vel ad litora Apolloniatium curſum dirigerent, quod eo naves ejicere poſſent.* ubi tamen paullo alio ſenſu videtur ſumi. ut & mox 28. *Gubernatorem in terram navem ejicere cogunt.* Livius XXIII. 34. *Claſſis foeda tempeſtate vexata, ad Baleares inſulas ejicitur.* XLIV. 28. *Pars velis datis ad Chium naves ejecere.* & Senec. Agam. 173.

Ejecit Aulis impias portu rates.

Quaſi non ſolviſſent è portu, ſed tempeſtas eas ejeciſſet. Lucan. IX. 368. *Ejectaque claſſis Syrtibus.* BURMANNUS.

92. *Sepulta*] Lincolnienſis *relicta*: male. vid. ad Petron. Fragm. p. 676. BURMANNUS

95. *Voces.*] *Vocem* meliores. HEINSIUS. Ita quoque Francof. Sueton. Nero. 46. de Mauſoleo.

Exige laeſe pudor poenas, violate Sichaeo:
Ad quem (me miſeram!) plena pudoris eo.
Eſt mihi marmorea ſacratus in aede Sichaeus:
Adpoſitae frondes velleraque alba tegunt.
Hinc ego me ſenſi noto quater ore citari:
Ipſe ſono tenui dixit, Eliſſa veni.
Nulla mora eſt; venio; venio tibi debita conjux:
Sed tamen admiſſi tarda pudore mei.
Da veniam culpae; decepit idoneus auctor;
Invidiam noxae detrahit ille meae.

Diva

Sponte foribus patefactis exaudita vox eſt, nomine eum citantis. vide de hoc prodigio Bulenger. de Prodig. IV. 19. ſed in MS. quoque ſaepe *voces* occurrunt. Valer. Flac. III. 405.

—— *Et ſubitae poſt longa ſilentia voces.*

Et hic quoque *voces* retineri poſſent, quia de Nymphis ſequitur. BURMANNUS.

97. *Violate Sichaei.*] Sunt qui *Sichaeo* malint. EGNATIUS. *Sichaeu* veteres omnes. quod notandum: nec tamen quid ſibi velit ſatis adſequor. *Thais Menandru* pro Μενάνδρου. in vetuſtis codicibus exaratur. ſed hic *Sichaeu* eſt caſus tertius. *Ceu Simonidei*, pro *Cei* Auſon. Profeſ. XIV. ex veteri codice. *Melampu* in vocativo. Stat. III. Theb. 546. & 573. praeterea in Regio codice haec ita auctiora & interpolata legebantur:

Exige laeſe pudor poenas, violataque —
Jura, nec ad cineres fama retenta meos:
Vosque mei manes, animaeque ciniſque Sichaei,
Ad quas, me miſeram, plena pudoris eo.

HEINSIUS.

98. *Ad quas me miſeram plena pudoris eo.*] Sic ſcripti omnes. Occuparat jam editiones nonnullas *Ad quem.* nec auderem id damnare, ſi ſcriptorum codicum auctoritate inniteretur. Ut haec, non minus quam ſequentia, ad ſtatuam referantur Sichaei, quam aditura ſit Dido. Praeterea ſcribe, *plena ruboris*, ne toties eodem vocabulo utatur prorſus inconcinne. nam & *pudor* proximo praeceſſerat verſu, & mox ſubſequitur denuo, *admiſſi tarda pudore mei.* HEINSIUS.

100. *Oppoſitae frondes.*] *Appoſitae* quatuor libri. & placet. ſic *appoſita humus* ſuperiori Epiſtola v. 26. ex membranis. Art. Am. lib. III. ex iiſdem:

Surgit & appoſitas agitato corpore frondes
Movit.

Noſter Faſt. III. 770.

—— *Nymphas*
Hanc frondem cunis appoſuiſſe ferunt.

Ita ſcripti. Faſt. IV. 141.

Senſit & appoſitâ texit ſua corpora myrto.

Quomodo meliores lib. Triſt. III. El. I. 39.

Cur tamen appoſitâ velatur janua lauro,

Quod & ibi codices emendatiores agnoſcunt. ſic *appoſita foliorum* quoque legendum puto apud Auſonium Perioch. Odyſſ. VI. Faſt. VI. 583.

—— *creſcebat imagine luctus:*
Donec eam appoſitis occuluere togis.

Sic ſcribendum opinor, non *poſitis.* Epiſtola Oenones:

Non ſic appoſitis vincitur vitibus ulmus.

Metam. IV. 600. *appoſitum nemus.* pari modo apud Juvenal. Sat. XI. ſcribendum:

Craſſa nec appoſito pavidus tenet inguina gutto.

Stat. VI.

Appoſitas impaſta avertitur herbas.

Sic *appoſita lucerna* apud Propertium libro II. Eleg. XV. Apulejus Apologia: *Cur cava ſpecula, ſi exadverſum ſoli retineantur, appoſitum ſomitem accendunt?* ubi perperam magnus Caſaubonus, *oppoſitum* reponit, applaudente Pricaeo & Elmenhorſtio, contra fidem veterum librorum. plura Epiſtola IX. ỳ. 60. & Amor. III. El. VI. HEINSIUS.

100. *Velleraque alba.*] Lanam niveam recte ex Virgilio interpretes eſſe docent. Baudelotius vero de utilitate Peregrinationum tom. I. pag. 275. de *pelle canis* explicat; nihil vidi ineptius. BURM.

103. *Nulla mora eſt.*] Sollemni ex formula. Nepos Conon. 3. *Huic ille inquit, nulla mora eſt.* ſaepe Comici. BURMANNUS.

103. *Venio, venio.*] Quidam, *venio dixi tibi.* Puteaneus vero & novem alii, *dedita conjux.* ſic apud Apulej. Metam. V. *Et nos quidem, quae natu majores ſumus, maritis advenis, ancillae deditae extorres patria degimus.* Juven. Sat. IX.

Quid ni tibi deditus eſſem,
Devotusque cliens.

Amor. II. 4.

Nos tua ſentimus, populus tibi deditus, arma.

Ibide 182. ex conjectura:

Viſceraque aſſiduae dedita praebet avi.

Faſt. I. 359.

Noxae tibi deditus hoſtis.

Vulgatum tamen *debita* etiam retineri poteſt. Claud. I. Eutr. 43.

Cuna-

Diva parens, ſeniorque pater, pia ſarcina nati,
Spem mihi manſuri rite dedêre viri.
Si fuit errandum, cauſſas habet error honeſtas:
Adde fidem; nulla parte pigendus erit.
Durat in extremum, vitaeque noviſſima noſtrae
Perſequitur fati, qui fuit ante, tenor.
Occidit internas conjux mactatus ad aras:
Et ſceleris tanti praemia frater habet.
Exul agor; cineresque viri, patriamque relinquo:
Et feror in duras, hoſte ſequente, vias.

Adpli-

Cunabula prima cruentis
Dedita ſuppliciis.
Ita duo Leidenſes, ſed rectius vulgo *debita*. Ep. xx.
Debitus ut conjux, non ut adulter amo.
Claud. laud. Seren. 84.
Debita cui conjux.
Et in Rufin. 371.
Debitus ultor. HEINSIUS.

110. *Pigendus erit.*] *Pigendus amor* quatuor ſcripti. vide notas Epiſt. v. 44. HEINSIUS.

112. *Proſequitur.*] Lege cum IV. MSS. *perſequitur*, id eſt cum infeſto animo. Phaedr. lib. III. Fab. 20.
Qui natus eſt infelix, non vitam modo
Triſtem decurrit, verum poſt obitum quoque
Perſequitur illum dura fati miſeria.
BURMANNUS.

113. *Occidit in terras.*] Sic in omnibus: ego quid ſibi illud *in terras* velit neſcio. fortaſſe *internas* legendum. Ante deos enim penates & aras domeſticas occiſus eſt Sichaeus. ut Virgilius etiam, *& ſparſos fraterna caede penates.* NAUGERIUS. Ita quidem in plerisque legitur, nulla ſatis commoda ſententia, quid enim ad ſententiam faciunt hae voces *in terras?* Proinde quidam emendare volentes hunc locum, pro *in terras*, *internas* ſubſtituêre: ut ſit *ad internas aras* dictum, pro ad interiores, ſive occultas, ut opinor. Quando & Virgilius dixit, *Clam ferro incautum ſuperat* &c. Sed quid ſi legas *Herculeas*, pro *in terras*. ut ad Herculis aras occiſum accipiamus: quando Sichaeus Herculis Sacerdos fuiſſe etiam apud Juſtinum traditur. Studioſis ergo hunc locum amplius excutiendum relinquimus. MYCILLUS. Eruditiſſimorum virorum ſequor opinionem, qui non magna mutatione legunt, *Occidit internas*. *Internas* autem *aras*, id eſt ante Deos penates, interpretantur. Virgil. lib. IV. Aeneid. Vulgata autem lectio ita vitioſa eſt, ut nullo pacto ferri poſſe videatur. CIOFANUS. *In terras* Puteaneus cum aliis plerisque. quinque libri *ad terras*. quatuor *in terris*. duo *in terra*. *Externas* totidem. Mycillus *Herculeas* reponit. Forte Naſo reliquerat, *Herceas ad aras*. Ara enim in interiori parte aedium dedicabatur Jovi Herceo. Talis illa, ad quam à Neoptolemo interfectus eſt Priamus. Noſter in Ibide de Priamo:
Cui nihil Herceï profuit ara Jovis.
Atque ita paſſim, cum extrema Priami deſcribunt Poëtae. Senec. Agamem.
Sparſum cruore regis Herceum Jovem.
Heſychius: Ἕρκιον κύκλος αὐλῆς, οἰκία, τειχίδιον, ϛεφανὴ δώματος. Idem: Ἑρκίου Διὸς, τοῦ ἀσφαλίου ἢ τοῦ κατὰ τὴν οἰκίαν. ἔϛι δὲ ἕρκειος Ζεὺς παρὰ Ἀθηναίοις. Vide & Harpocrationem in eadem voce, & Suidam, & Etymologici auctorem, & Euſtathium in Iliada atque Odyſſeam. & Sciopp. Paradox. Literar. p. 48. & Column. in Enn. p. 367. Unde liquet Latine ſine diphthongo id nomen ſcribendum Lucanus lib. IX. de Caeſare Troadem tranſeunte:
Herceas monſtrator ait, non reſpicis aras!
Ubi pari modo, quo Ovidius, *Herceas aras* dixit pro aris Hercei Jovis. Feſtus: *Herceus Jupiter intra conſeptum domus cujusque colebatur, quem & Deum penetralem appellabant.* Servius in lib. II. Aeneid. *Singula domus ſacrata ſunt Diis, ut culina diis Penatibus, maceries, quae ambit domum, Herceo Jovi. Herceum* Jovem Dictys Cretenſis unica voce Jovem *anteaedificialem* videtur vertiſſe libro V. 12. *Priamus re cognita ad aram Jovis anteaedificialis confugit.* ita codex manu exaratus, qui apud me extat. vulgati *anteaedificile*. At Pater meus notis ad Silium lib. II. 426. *Infernas* exiſtimat legendum. ſed ſi vulgata placet, poteſt *internas* pro *infernas* dictum eſſe, quomodo *ſubterna centra* Prudentio lib. I. contra Symmach. v. 393. pro infernalibus; & Hamart. v. 930. *ſubterna nox* è MS. veterrimo; & ita Amm. lib. XV. *Interna veritatis adyta.* HEINSIUS.

116. *In duras.*] *Dubias* Baſileenſis. ſic ſaepe alibi; ut & *fallaces vias*. II. Amor. XI. 8. quoties de mari agitur. HEINSIUS. Recte, & ita eſſet de navigatione, quae dubia & periculoſa, capiendum. ut *ambiguas* dixit Epiſt. X. 62. & Epiſt. XVI. 22. *Dubias* etiam dixit. ſic ſaepe *dubium* mare, aquam, &c. paſſim Noſter & alii. praefero tamen hic con-

Adplicor ignotis: fratrique elapſa fretoque,
Quod tibi donavi, perfide, littus emo.
Urbem conſtitui; lateque patentia fixi
Moenia, finitimis invidioſa locis.
Bella tument: bellis peregrina & femina tentor:
Vixque rudes portas urbis, & arma, paro.
Mille procis placui: qui me coïere, querentes,
Neſcio quem thalamis praepoſuiſſe ſuis.
Quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae?
Praebuerim ſceleri brachia noſtra tuo.
Eſt etiam frater; cujus manus impia poſſit
Reſpergi noſtro, ſparſa cruore viri.
Pone Deos, & quae tangendo ſacra profanas:
Non bene coeleſtes impia dextra colit.

Si

ſenſum codicum, ut *durae* viae ſint laborioſae & plenae jactationis. ita Valer. Flac. 1. 565.

Durum vobis iter & grave coeli
Inſtitui.

Lucan. IX. 39.

Durum iter ad leges patriaeque ruentis amorem.

Ita contra *molle iter.* II. Amor. XVI. 20. has vero voces *durus* & *dubius* frequentiſſime confuderunt librarii. vide ad Quinct. VI. Inſt. Orator. 3. & Val. Flac. VI. 543. BURMANNUS.

117. *Applicor ignotis.*] Puto Ovidium ſcripſiſſe, *Applicor his oris.* ut apud Virgilium, I. 616.

—— *Quae vis immanibus applicat oris?*

Applicare remos vadis. Triſt. III. Eleg. IX. *Scopulis applicare ratem.* Propert. lib. I. Eleg. XX. Donatus ad illud Terent. Andr. Act. V. Sc. IV. *Applicat ſe ad Chryſidis patrem; proprie*, inquit, *de naufrago & egenti.* Epiſt. Parid. 126. *Applicor in terras.* Enn. Fragm. p. 19. Edition. Scriver. *quo applicer.* ita lege pro *applicem.* HEINSIUS. *Ignaris* Moreti codex, ut ſaepe alibi, pro *ignotis.*

119. *Lateque patentia fixi moenia.*] *Finxi* Putean. & decem alii; novem *feci*, ut in Faſtis III. 92.

Factaque Telegoni moenia celſa manu.

Niſi *jeci moenia* hic, & ibi *jacta moenia* legendum, ut in illo Propertii II. Eleg. XXV. 64.

Jactaque Lavinis moenia littoribus.

De Roma. & Faſt. IV. 835.

Jaciunt fundamina cives. HEINSIUS.

Inſolentius *jacere* moenia, quam *figere* puto. quamvis etiam melius ſedes, quam moenia *figi* dici arbitrer: *jacere* vero *fundamina*, *moles*, & ſimilia recte dici puto. ut notat Acro in Horat. III. Od. 1. ſed *jacere moenia* non placet; ſi *ſtruxi* in MSS. eſſet amplecterer. ut Ep. XVI. 180.

Moenia Phoebeae ſtructa canore lyrae.

Ubi & codices quidam *facta*, quare & hoc verbum hic praefero. praeterea neſcio an non rectius cum uno Regio legatur, *lateque potentia.* de quo v. ad Petron. LXXXII. BURMANNUS.

121. *Tument.*] Parenti meo non placebat *tument.* quare inſiſtendum veſtigiis Cod. Lugdun. & Scriverii, in quibus *timent*, & legendum, *bella timens.* vel legendum, *bella tonant*, Claud. III. Conſ. Honor. 63. *Civilia rurſus bella tonant.* v. ad Claud. IV. Conſ. Honor. 320. ſed pro vulgata eſt illud Paterculi lib. II. c. 15. *Mors Druſi jam pridem tumeſcens bellum excitavit Italicum.* HEINSIUS. Vulgata recte ſe habet. Claudian. II. de Laud. Stilic. 95.

Quamvis certamine partes
Jam tumeant.

Ubi vide Barth. & quidam illic codices *certamina partis jam timeant.* & ita *tumere* omnes dicuntur, qui graviori animi motu concitantur. vid. Heinſ. ad Claud. Bell. Gild. 330. ſic *tumere* negotia dici, cum maxime agitantur, notat Ampl. Cuper. II. Obſ. 4. & in his locutionibus metaphoram eſſe a mari concitato puto, quod *tumere* Noſter II. Pont. III. 27. dixit, & *tumidum* paſſim Noſter & alii vocant. ſimilis ratio in *ardere*, ut enim mare *ventis ardere*, ſic *bella ardere*, & *regiones ardere bellis* dicunt ſcriptores. de quibus alibi. BURMANNUS.

122. *Vixque rudes.*] Portae recte *rudes* poſſent intelligi, nondum arte fabrili perfectae & politae; ut *rudes remi* Claud. Praef. in Rapt. & *rude ſolium.* vid. Rittersh. ad Querol. p. 82. ſed cum in Puteanei excerptis ſit, *virque rudis*; in Leidenſi *ad arma.* ego ex veſtigiis eorum legere mallem;

Vixque

Si tu cultor eras elapſis igne futurus;
Poenitet elapſos ignibus eſſe Deos.
Forſitan & gravidam Dido, ſcelerate, relinquas;
Parsque tui lateat corpore clauſa meo.
Accedet fatis matris miſerabilis infans;
Et nondum nato funeris auctor eris.
Cumque parente ſua frater morietur Iüli;
Poenaque connexos auferet una duos.
Sed jubet ire Deus. vellem vetuiſſet adire;
Punica nec Teucris preſſa fuiſſet humus.
Hoc duce (nempe Deo) ventis agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.
Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,
Hectore ſi vivo, quanta fuere, forent.

Non

Vixque rudis portas urbis ad arma paro.

Ut ſit ſenſus; ego femina, rudis ad arma, vix paro portas urbis. vel etiam, vix paro portas urbis rudis ad arma. ſic infr. Ep. XI. 48. *rudis ad partus. rudis ad Veneris furtum.* XVII. Ep. 141. & Juſtin. I. I. *rudes ad reſiſtendum populos.* portarum autem recte mentio, quibus incurſus ſuſtineri vicinorum poſſet, ſine quibus moenia nihil prodeſſent. BURMANNUS.

123. *Qui me coiere.*] Videndum an deſit, *in* praepoſitio, vel quid ſimile, ut *in me coïere* legas. EGNATIUS. *Me coiere* omnino legendum, neque ullo pacto *in me coïere* admittendum, ut ſit querentes me praepoſuiſſe. NAUGERIUS. Unus Vaticanus *me coluere*; alter *me cupiere.* CIOFANUS. Alii codices, *me cupiere* vel *petiere.* ſed vera lectio eſt vulgata, ſi Τὸ *in* tollas ex auctoritate optimorum exemplarium. Refer autem *me* ad *querentes*, non ad *coiere. Coire* pro convenire. III. Metam. 716.

—— *Cunctae coëunt, cunctaeque ſequuntur.*

Metam. VIII. 300.

Lecta manus juvenum coïere cupidine laudis.

Ut & illic ſcribendum. lib. XIV. 239.

—— *Coëunt, & ſaxa trabeſque*
Conjiciunt.

III. Faſt. 741.

Ecce novae coëunt volucres.

Et 753.

Millia crabronum coëunt.

Virgil. Aeneid. VII. 582.

Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.

Faſt. IV. 275.

Mille manus coëunt.

Coire cum quarto caſu jungunt Juriſconſulti veteres, hinc *coire ſocietatem* apud illos frequens, & Cic. Philip. II. apud Gell. lib. I. c. IX. *Societas coibatur.* Auctor vitae Pomp. Attici: *Sed neque cum quoquam ea de re ſe collocuturum nec coiturum.* Capitol. in fin. M. Anton. *Coire in matrimonium alicujus*, ubi lege *coire matrimonium.* HEINSIUS. Probo Heinſii expoſitionem. ejectum & hoc verbum apud Senec. II. de ira 8. *Undique velut ſigno dato ad ſas nefasque miſcendum coïere.* ita ſcripti. vulgo *coörti ſunt.* BURMANNUS.

126. *Praebuerim.*] Douza legebat *praebueram.*

127. *Poſcit.*] *Poſſit* conſtanter libri veteres, quos ſequor. niſi legendum *poſcat.* IV. Triſt. IV. 59.

Sunt circa gentes, quae praedam ſanguine quaerant. HEINSIUS.

133. *Gravidam Dido.*] Sic C. Vellejus Paterculus lib. I. cap. 6. *Hoc tracta temporum antè anno* V. & LX. *quàm Urbs Romana conderetur, ab Eliſſa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur.* Soſipater lib. I. Inſt. Grammat. pag. 102. *Didun. Attejus Philologus librum ſuum ſic edidit inſcriptum; An amaverit Didun Aeneas, ut refert Plinius, conſuetudinem dicens facere hanc Calliſto, hanc Calypſo, hanc Io, hanc Alecto.* CIOFANUS. *Didon* tam hic, quam ſupr. v. 7. multi codices habent. & II. Am. XVI. 31. *Heron.* XII. Epiſt. 9. *Argon.*

134. *Lateat.*] *Latitat*, Colinaei & Berſmanni & priores aliquot editiones, quae & *relinquis.* male. vid. ad Ep. IV. 54.

135. *Accedat fatis matris.*] Malim *matris fato*, ne tres voces in *is* exeant. ita vers. 187. *Quam bene conveniunt fato tua munera noſtro.* BURMANN.

136. *Nondum nati.*] Scribe *nato*, ut ambiguitas vitetur; & ita Slichtenhorſtius. HEINSIUS.

138. *Connexos.*] *Connixos* Berſm. MS. quod ille explicat partu ſimul laborantes.

Non patrium Simoënta petis; ſed Thybridas undas.
Nempe, ut pervenias quo cupis, hoſpes eris.
Utque latet, vitatque tuas abſtruſa carinas,
Vix tibi continget terra petita ſeni.
Hos potius populos in dotem, ambage remiſſa,
Accipe; & advectas Pygmalionis opes.
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem:
Hancque, locum regni, ſceptraque ſacra tene.
Si tibi mens avida eſt belli, ſi quaerit Iülus
Unde ſuo partus Marte triumphus eat;
Quem ſuperet, ne quid deſit, praebebimus hoſtem.
Hic pacis leges: hic locus arma capit.

Tu

145. *Non patrium Simoënta petis, ſed Tibridis undas.*] Argentinenſis liber *bibis.* quomodo & Gronovianus pro diverſa lectione. Scribe *bibes.* Epiſtola Med.

Grajaque Phaſiacam turba bibiſtis aquam.

Art. Amand. III. 195.

Sed neque Caucaſeâ doceo de rupe puellas,
Quaeque bibant undas, Myſe Caice, tuas.

Triſt.

Non bene pacatis flumina pota Getis.

Virgilius, Eclog. I.

Aut Ararin Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Et VII. Aeneid. 717.

Qui Tiberim Fabarimque bibunt.

Claudianus:

——— *Patriamque bibens Meotida Alanus.*

Exempla propemodum infinita ex Graecis Latiniſque Poëtis poſſent proferri, ſi liberet in re protritâ morari. nec ſoli Poëtae ita locuti. Solinus c. XXXVIII. *Quaecumque Euphraten bibunt gentes.* Sidon. Apoll. IV. Ep. 17. *Potor Moſellae.* Hoc primum. deinde optimus Puteaneus *Tybridas undas.* egregie. ſic *Cephiſidas undas* Noſter dixit libro primo Met. v. 369. & ibidem *Peneïdes undae.* II. Faſt. 597. *Tiberinides undae.* Tibul. I. Eleg. 6. *Aniena flumina.* quomodo & Horat. III. Od. XII. *Tyberinas undas.* & in veteri Epigrammate Graeco Anthologiae τύμβριας Ῥώμη. & Lucanus libro III. 277. *Maeotidas undas*, ex veteri codice:

Quoque fretum torrens Moeotidas egerit undas.

Et *Garamantidas undas* idem lib. IX. 369. HEINS.

146. *Hoſpes eris.*] Gebhardus notaverat in ora codicis ſui ſe exiſtimare legendum, *Hoſtis eras.* non probo. BURMANNUS.

147. *Utque latet refugitque tuas.*] *Vitatque tuas* Puteaneus & alii quidam. ſic Virgilio v. 629.

Italiam ſequimur fugientem.

Abſtruſa etiam meliores. Alii aliter, eodem tamen omnes ſenſu hunc verſum libri exhibent. HEINS. Immo vero diverſo ſenſu multi codices hunc verſum exhibent. nam in Regio, Juniano & ſex aliis erat: *Utque juvet ventusque tuas, remusque carinas.* & octo alii eodem fere modo, niſi quod *remus* & *ventus* tranſponant. Leidenſis: *Utque juvet velumque tuas ventusque carinas.* Scriverii: *Ut moveas remoque tuas ventoque carinas.* in alio erat: *Utque volet remusque tuis ventusque carinis.* ut *volet carinis* ſit dictum, ut *alicui velle*, pro favere, Stat. XI. Theb. 510. & dubito valde, an non ad ſenſum accommodatior ſit Regii codicis ſcriptura. ut velit, licet proſperrima utaris navigatione, vix tamen pervenies in terram, quam petis, ante ſenectutem. *Juvare* vero proprie ventus dicitur, ut ſaepe apud Noſtrum & alios. Val. Flac. II. 587.

Stridentesque juvant aurae.

Ubi plura notabimus. *venti* autem & *remi* toties junguntur, ut proverbio locum dederint. ſic Florus II. 18. *Mox ventis remisque properatum eſt.* & antiquos, in primis etiam Aenean, ventis remisque navigaſſe docet Servius ad Virgil. I. Aeneid. 104. BURMANNUS.

149. *Hos populos potius in dotem ambage remota.*] *Potius populos* cum quibuſdam lege, ut verſui conſulatur. *ambage remiſſa* deinde meliores. & *Pygmalionos* ſequenti verſu Puteaneus. ſic *incoeptum opus remittere*, & *remittere incoepta fila* Noſter alibi. de quo diximus ad lib. II. Art. Am. v. 79. ſic Faſt. II. 337.

——— *ſed verum ambage remota*
Abdidit, & dubio terruit ore virum.

Ubi vetus liber *remiſſa* ſimiliter. Horat. Sat. V.

Quando pauperiem miſſis ambagibus horres.

Sic *mora miſſa* Propert. III. Eleg. 15.

Tybure me miſſa juſſit adeſſe morâ.

Pro *advectas opes* libri multi *adductas.* prima editio *aductas.* Scribo *avectas opes.* HEINSIUS.

152. *Inque loco regis ſceptra ſacrata tene.*] In Puteaneo totus hic verſus erat eraſus, ſed ſic ut liqueret ſcriptum fuiſſe *ſceptraque ſacra.* quod & in aliis

Tu modo, per matrem, fraternaque tela, ſagittas,
Perque fugae comites, Dardana ſacra, Deos:
(Sic ſuperent, quoscumque tua de gente reportas,
Mars ferus & damnis ſit modus ille tuis,
Aſcaniusque ſuos feliciter impleat annos,
Et ſenis Anchiſae molliter oſſa cubent)
Parce precor domui, quae ſe tibi tradit habendam.
Quod crimen dicis, praeter amaſſe, meum?
Non ego ſum Phthias, magnisve oriunda Mycenis:
Nec ſteterunt in te virque paterque meus.
Si pudet uxoris; non nupta, ſed hoſpita dicar.
Dum tua ſit Dido, quodlibet eſſe feret.

Nota

aliis plurimis extat. Reliqua à me legi non potuerunt. At Salmaſius monet à manu prima fuiſſe *Nomine coregis.* Unde is faciebat, *Nomine cum regis.* Forte *Nomine & hanc regis.* Leidenſis *hancque loco.* Barberin. & Voſſ. *Inque locum.* HEINSIUS. Ego ex veſtigiis Barberini Voſſiani & Leidenſis codicum recepi:

Hancque, locum regni, ſceptraque ſacra tene.

Hanc urbem, non illam, quam in Italia quaeris, tene locum regni tui, & ibi ſceptra ſacra habe. BURMANNUS.

155. *Quem ſuperet.*] *Quod ſupereſt* Puteaneus & alii ex melioribus. Forte *Quos ſuperet hoſtes.* HEINS.

157. *Tu modo per patrem.*] Imo *matrem* cum decem ſcriptis. De patre mox aget. Erfurtanus *per Venerem.* quod alterius interpretamentum eſt. HEINSIUS. Heumannus in Parerg. Criticis. pag. 118. legit:

Tu modo fer patrem, fraternaque tela ſagittas,
Ferque fugae comites.

Et *fer* pro *refer* capit. ſed an repeteret patris oſſa ex Sicilia? ergo prius Siciliam tendere debebat? & qualis haec conſociatio oſſium paternorum, & telorum Cupidinis? BURMANNUS.

160. *Damni ſit modus ille tui.*] *Damnis tuis* Erfurtanus & alter Lovanienſis. rectius. HEINSIUS, Ita poteſt capi Epiſt. III. 90.

Simque ego triſtitiae cauſſa modusque tuae.

Quamvis ibi & ſecundo caſu poſſit accipi. ſed apud Horat. I. Od. XXIV. non item:

Quis deſiderio ſit pudor aut modus.

Quinct. II. cap. I. *Nos ſuum cuique profeſſioni modum demus.* ubi male *profeſſionis* Gebhardus. noſter lib. II. Art. 25. *Sit modus exilio.* & lib. VI. Met. 82. *Operi victoria finis.* & alibi. ceterum Capoferreus hic legebat:

Haćtenus. & damni ſit modus ille tui. BURM.

164. *Praeter amaſſe.*] Haec eſt genuina lectio, quam Vaticanum exemplar habet. CIOFANUS. *Amare* alii.

165. *Non ego ſum Phthia.*] *Phthias* Puteaneus cum emendatioribus novem aut decem aliis. vere. foemina *Phthias* & *Phthiotis.* Euripides Andromacha choro primo, nam apud alios vix occurrit:

Φθιὰς, ὅμως ἔμολον ποτὶ σὰν Ασιήτιδα Γύναν.
Ad te Phthias ego quamvis Aſiatida veni.

Inter nummos Philippi Parutae Siculos unus exſtat elegans in primis aereus, ab una parte fulmen referens, cum inſcriptione ΠΥΡΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ab altera parte foemina vittata; reginae habitu, ΦΘΙΑΕ, quo deſignari Achillis patriam exiſtimo, per fulmen autem originem ejus ab ipſo Jove deductam. Apoll. Rhodius libro I. 53.

Τοῖσι δ' ἐπὶ τρίτατος γνωτὸς κίε νισομένοισιν
Αἰθαλίδης. καὶ τὸν μὲν ἐπ' Ἀμφρύσσοιο ῥοῇσιν
Μυρμίδονος κούρη Φθιὰς τέκεν Ἐυπολέμεια.
Tertius Aethalides hos frater in arma ſecutus,
Amphryſi in lucem quem propter fluminis oras
Filia Myrmidonis Phthias dedit Eupolemia.

Euripidis exemplum producit Stephanus Byzantinus in Φθίη. *Pthia* hinc nomen muliebre, quomodo appellata apud Juſtin. lib. XXVIII. cap. I. neptis Pyrrhi Epirotarum Regis; & apud Plutarch. in vita Pyrrhi ejusdem mater. HEINSIUS. Non tamen damno *Pthia*, quia *Mycenis* ſequitur, quas conjungit etiam Virgil. I. 284.

Cum domus Aſſaraci Pthiam claraſque Mycenas
Servitio premet.

Scribendum vero *magniſve* vel invitis libris, quorum multi habent, *magnis oriunda*, unus *ornata.* BURMANNUS.

166. *Nec ſteterunt.*] Ea forma, qua Virgilius *ſteteruntque comae*, & Terentius *emerunt.* EGNAT. *Steterunt* Puteaneus & Leidenſis. recte: Virgilius II. 774.

Obſtupui, ſteteruntque comae.

Sic *Quaeſierunt* Epiſtola Oenones ex veteri libro. & *Vagierunt* in Faſtis. ſic apud Statium Theb. III. v. 302. *Exciderunt.* Theb. v. 274. *Abſciderunt.* lib. XII.

Nota mihi freta ſunt Afrum frangentia littus:
Temporibus certis dantque negantque viam.
Cum dabit aura viam, praebebis carbaſa ventis.
Nunc levis ejectam continet alga ratem.
Tempus ut obſervem, manda mihi; certius ibis:
Nec te, ſi cupies ipſe, manere ſinam.
Et ſocii requiem poſcunt, laniataque claſſis
Poſtulat exiguas ſemirefecta moras.
Pro meritis, & ſiqua tibi praebebimus ultra,
Pro ſpe conjugii tempora parva peto.
Dum freta miteſcunt, & Amor: dum tempore & uſu
Fortiter ediſco triſtia poſſe pati.

Sin

XII. v. 167. *Horrucrunt.* Epiſt. Medeae ex veteri libro:

Noſtin? an exciderunt mecum loca?

Epiſtola Hypermneſtrae ỷ. 72. *Expulerunt.* Epiſt. Acontii. ỷ. 242. & Art. Am. III. 405. *Fuerunt.* & ỷ. 188. *Exciderunt. Mollierunt* Amor. II. Eleg. I. *Terruerunt.* lib. III. El. V. *Profuerunt.* Remed. 263. *Praebuerunt.* Epiſt. II. v. 141. *Contigerunt.* Faſt. I. v. 592. *Vagierunt.* Faſt. II. v. 505. *Horruerunt.* Faſt. II. v. 502. *Annuerunt.* Faſt. II. v. 497. *Audierunt.* Faſt. III. v. 65. *Finierunt.* Faſt. III. v. 231. *Polluerunt* Faſt. III. quae loca in vulgatis libris ſunt depravata. Plura alibi dicemus. HEINSIUS.

168. *Quidlibet eſſe feret.*] *Quodlibet* Puteaneus & alii meliores. Propertius tamen, II. II. 18.

Si cuivis nuptae quidlibet eſſe licet.

Sed & ibi forte ſcribendum *quodlibet.* malo etiam *ſim* & *feram.* ſic enim amat Noſter Epiſt. XII. 5. *Tunc potui Medea mori bene.* & 25. *Hoc illic Medea fui.* & Epiſt. XIV. 12. ex MSS. *Nupta cadam.* HEINSIUS.

169. *Frangentia.*] Ita eſt in eodem Vaticano, & in aliis melioribus. CIOFANUS. Alii *tangentia.* Puto ſcribendum *plangentia.* Epiſtola Herus:

Me miſeram! quanto planguntur littora fluctu!

Ubi etiam *franguntur* in veteri libro: male. Lucanus libro VI 691.

Exprimit & planctus illiſae cautibus undae.

Apud Statium quoque Achilleide I. 389. ſcribendum videtur:

—— —— *Interque vadoſas*
Cycladas, Aegaeae plangunt ubi ſaxa procellae.

Ubi pari modo peccatur. Virgilius Georgicon libro primo v. 233

Ingeminant Auſtri, & denſiſſimus imber
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangit.

Ita enim in nonnullis exemplaribus. Vulgati codices *planxunt.* Lucretius libro II. 1154.

Nec mare, nec fluctus plangentes ſaxa crearunt.

Et ita alii. Fluctus vero à littore frangi paſſim Poëtis dicuntur, non littus à fluctibus. quomodo *fluctifragum littus* Lucretius Senec. Oed. 603.

Fluctus non tot frangit Ionium mare.

Herc. Oet. 731.

Evolutas frangit Ionio ſalo
Oppoſita fluctus Leucas.

Et v. 1384.

Et qui Thracios fluctus Athos
Frangit.

Rutil. II. Itin. de Monte:

Caerula quae occiduis frangit Etruſca jugis.

Priſcian. Perieg.

—— *Cilicum nam frangitur oris.*

Et poſtea:

Prima eſt Hiſpanum quae frangit litore pontum.

HEINSIUS. Dubito an perpetuo vera ſit Heinſii obſervatio. & aeque littora *frangi* a fluctibus dici deprehendo, ac fluctus a littoribus. idem enim Priſcianus in Periegeſi dixit:

Rapido quod frangit gurgite ſaxa.

Alias, fatemur, frequentius eſt de aquis. Vid. ad Val. Flac. III. 36. & ad Petron. 123. Scaligero placuiſſe *mutantia*, notat Berſmannus. quia hoc naturam Syrtis melius exprimit. BURMANNUS.

170. *Negantque viam.*] Forte, *fugam*, quia ſequitur: *cum dabit aura viam.* HEINSIUS.

172. *Ejectam.*] Vid. ſupr. ad vers. 89.

173. *Certius ibis.*] Sunt qui *ſerius* malint. EGNATIUS. *Certius* legendum ex probatiſſimis libris. CIOFANUS. *Tutius* Francof. pro Var. Lect.

175. *Et ſocii.*] Forte *en.* HEINSIUS.

177. *Debebimus ultra.*] *Ultro* Puteaneus & Argentinenſis. hoc eſt, ſi quid tibi debebimus, quod vincat mea beneficia. HEINSIUS. Neque verba Ovidii, neque Heinſii interpretationem ſatis recte capio.

Sin minus; eſt animus nobis effundere vitam.
In me crudelis non potes eſſe diu.
Adſpicias utinam, quae ſit ſcribentis imago!
Scribimus; & gremio Troïcus enſis adeſt:
Perque genas lacrimae ſtrictum labuntur in enſem;
Qui jam pro lacrimis ſanguine tinctus erit.
Quam bene conveniunt fato tua munera noſtro!
Inſtruis impenſa noſtra ſepulcra brevi.
Nec mea nunc primo feriuntur pectora telo:
Ille locus ſaevi vulnus Amoris habet.
Anna ſoror, ſoror Anna, meae male conſcia culpae,
Jam dabis in cineres ultima dona meos.

Nec,

capio. nec puto nos obteſtari & rogare per ea, quae debemus alteri; neque etiam *debere ultro* eleganter dici. quare Voſſiani codicis ſcripturam amplectimur, & legimus:

Pro meritis, & ſi qua tibi praebebimus ultra.

Rogat, ut aliquid ſibi reddat pro tot meritis, quibus jam eum proſequuta eſt, & pro illis, quae adhuc praeter ea libens eſt praebitura. idem ut dicat, quod Phyllis Demophoonti Epiſt. II. 110.

Munera multa dedi, multa datura fui.

Praebebimus etiam codex Douzae. ſolemnis illa confuſio τῶν *debere* & *praebere*, ut VII. Metam. 48. *Tibi ſe ſemper debebit Iäſon.* ubi etiam codices *praebebit.* ſi quis *ultro* malit, non valde repugnabo. reſtituimus etiam hoc verbum *praebere*, Quinctiliano Decl. IX. 19. BURMANNUS.

179. *Dum freta miteſcunt. & amor dum temperat uſum; Fortiter ediſcam triſtia poſſe pati.*] *Ediſco* meliores omnes. hoc primum. Puteaneus deinceps priore verſu *dum temperet uſum.* ſed ſic ut in voce *uſum* priſca ſcriptura prorſus ſit eraſa. Unde Salmaſius, teſte Mezeriaco:

Dum freta miteſcunt & amor: dum tempore & uſu
Fortiter ediſco triſtia poſſe pati.

Cui emendationi nos ſubſcribimus. nam & ex noſtris nonnulli *temperet uſum*, vel *uſus.* & alter Mentelianus *temperet uſu.* poſſet etiam:

Dum freta miteſcunt, & amorem temperet uſus.

Utraque conjectura & Salmaſiana & mea Sligtenhorſtio quoque noſtro in mentem venerat. HEINS. Douza *temperat uſu*, pro temperatur, id eſt tolerabilis fiat, capiebat. ſed Salmaſiana emendatio palmam refert, & ex ipſis Philoſophorum placitis petita eſt ſententia. Vid. Senec. de Tranquillitate, cap. X. BURMANNUS.

184. *Et gremio.*] *In* tres ſcripti. ut Noſter in I. Faſt. pr. *In munere ades.* ſed forte legendum *en.* BURMANNUS.

188. *Inſtruis impenſa.*] Argute: *impenſa* non pro ſumtu capiendum, quod volunt interpretes, ſed pro re qualibet ad ornandum ſepulchrum idonea. in antiquo marmore apud Gruterum pag. MXCVI. 10. *Huic ordo publice locum ſepulturae, impenſam funeris, & ſtatuam decrevit.* & ſic apud Juſtinum libro XI. cap. 15. videtur ſcribendum, *pro ſe magis juſtam quam gravem ſepulturae impenſam orare.* non *veniam.* idem libro XII. *Alexander amiſſos milites magnis funerum impenſis extulit.* apud Juvenalem:

Ardet adhuc, & jam accurrit, qui marmora donet,
Conferat impenſas: hic nuda & candida ſigna,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris aut Polycleti.

Vides per *impenſas* marmor deſignari & ſtatuas, quae ad inſtaurandam ac ornandam domum exuſtam ab amicis conferebantur. *Inſtruere* pro ornare, dictum Faſt. II. v. 318. quomodo *inſtruere hortos* Tacito libro XV. *Aſiam novis urbibus inſtruere* Tertulliano de Pall. nam alia ſignificatione Solinus cap. primo Polyhiſtoris, *poſuiſſe ſedes, inſtruxiſſe moenia*, pro ſtruxiſſe aut condidiſſe dixit. ita enim illic codices vetuſti. perperam Delrius, *Inde ſtruxiſſe.* HEINSIUS. Idem de voce *impenſa* notavit Salmaſius de Uſuris p. 40. & verum puto in quibusdam locis. & ita forte illa apud Jul. Obſeq. cap. LXXXVII. capienda: *Terracinae ſereno navis velum fulmine tactum, in aquas dejectum, & impenſas omnes, quae ibi erant, ignis abſumſit.* ubi male Schefferus, *Res impoſitas omnes*, audaci conjectura reſtituit. *Impenſae navis* ſunt ornamenta, vel armamenta, quibus inſtructa fuit navis. non vero in inſcriptionibus, ubi funeris impenſae ſunt ſumptus publice facti in funus. BURMANNUS.

189. *Nec mea nunc primum.*] *Primo telo* codex alter Regius, & Erfurtanus. placet. Vid. I. Art. 36. & II. 571. & ad Claudian. I. in Rufin. 304. HEINSIUS.

Nec, conſumta rogis, inſcribar, Eliſſa Sichaei;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:
Praebuit Aeneas & cauſſam mortis & enſem.
Ipſa ſuâ Dido concidit uſa manu.

EPI-

103. *Eliſſa Sichaei.*] Ita *Caecilia Metelli* in veteri lapide. vid. Pigh. ad Valer. Max. I. v. & VIII. 3. HEINSIUS. Vide Clar. Perizonium Diſſertat. I. p. 18.

194. *Tumuli.*] Codex chartaceus Car. Strozzae *tituli. Titulus* eſt inſcriptio. Am. II. XII. 25.

Adjiciam titulum ſervata Naſo Corinna.

Met. XI. 429. ex MSS.

Et ſaepe in titulis ſine corpore nomina legi.

Et ita MSS. exhibent Faſt. III. 547.

Titulique in marmore carmen
Hoc breve.

Appoſite inf. Ep. XIV. 128.

Scriptaque ſunt titulo noſtra ſepulchra brevi.

Triſt. III. III. 77.

Hoc ſatis in titulo eſt. HEINSIUS.

Sed rectius *marmor tumuli* dici puto. cum *titulus marmoris* potius, quam *tituli marmor* dicendum eſſet, & Virgilii locus ab aliis productus, *tumulo ſuperaddite carmen*, ſatis hoc evincit. paſſim vero permutari a librariis *titulum* & *tumulum* videbimus ad XI. Met. 429. BURMANNUS.

195. *Praebuit Aeneas & cauſſam mortis & enſem. Ipſa ſua Dido concidit uſa manu.*] Repetit hoc diſtichon lib. III. Faſtorum 549. Et III. 39. De Arte hanc eandem expreſſit ſententiam, ubi ita eſt:

Et famam pietatis habet, tamen hoſpes & enſem
Praebuit, & cauſſam mortis Eliſſa tuae.

CIOFAN. Sententia ex Jure, quo occidiſſe dicitur, qui mortis cauſſam praebuit. leg. 51. ff. ad L. Aquil. & l. 15. ad Leg. Cornel. de Sicar. & hinc toties in Declamationibus, quinam cauſſa mortis fuiſſe dicatur, diſceptatur. Vid. Quinctil. Decl. CCLXX. CCLXXXIX. CCXCII. & alibi. BURMANNUS.

196. *Uſa manu.*] MSS. plurimi hic & III. Faſt. 550. habent:

Ipſa ſuâ Dido concidit icta manu.

HEINSIUS.

EPISTOLA VIII.

HERMIONE ORESTAE.

[ADloquor Hermione nuper fratremque virumque,
Nunc fratrem; nomen conjugis alter habet.]
Pyrrhus Achillides, animoſus imagine patris,
Incluſam contra jusque piumque tenet.
Quod potui, renui; ne non invita tenerer;
Cetera femineae non valuere manus.
Quid facis, Aeacide? non ſum ſine vindice, dixi:
Haec tibi ſub domino, Pyrrhe, puella ſuo eſt.
Surdior ille freto clamantem nomen Oreſtae
Traxit inornatis in ſua tecta comis.

Quid

1. *Alloquor.*] Non inveniuntur haec in antiquis exemplaribus, ſed omnino his ablatis neſcio quid deſideraretur. NAUGERIUS. Etiam hos verſus ſunt qui velut nothos rejiciant, & omittant: quod equidem miror, cum & propoſitionem Epiſtolae contineant, & iisdem omiſſis Epiſtola ipſa plane ἀκέφαλος relinquatur. Quare & nos quidem, Aldi auctoritatem ſequuti, apud quem idem Epiſtolae hujus principium eſt, integras, ac ſuo loco immotas reliquimus. Ceterum ut hoc παρεργῶς addamus; familiare Ovidio eſt a principio Epiſtolarum, & item aliarum Elegiarum, ponere diſtichon aliquod, quod ſummam argumenti quandam proponat. ſic hactenus in plerisque epiſtolis factum videmus. ſic alibi in amoribus, ut de morte Pſittaci:

Pſittacus, Eois ales mihi miſſus ab Indis,
Occidit, exſequias ite frequenter aves.

Et in Nuce:

Nux ego juncta viae, cum ſim ſine crimine vitae,
A populo ſaxis praetereunte petor.

Sed haec hactenus. MICYLLUS. Hi duo verſus non ſunt in lib. Vatic. neque in aliis, quos vidi, veteribus. CIOFAN. Primum hoc diſtichon ab omnibus, quos vidi, libris manu deſcriptis abeſt, niſi quod in uno meo margini eſt adjectum, & quidem manu recentiori. Videtur autem ejusdem notae eſſe, cum iis verſibus, quos initio Epiſtolae Oenones & Didûs extare in nonnullis libris monuimus. HEINSIUS.

3. *Achilleides.*] Ita quidem Commentator legendum cenſet, *Achilleïdes*, quinque ſyllabis, diviſa Graeca diphthongo ει in duas. ſed ego nihil cauſſae video, quo minus *Achillides* quatuor ſyllabis legatur, perinde ut *Theſides* tribus, utraque enim ſcriptura eodem redit, ſive integris vocalibus, ac Graece *Achilleides*, ſive Latino modo *Achillides*, *i* longa, ſcribatur. MYCILLUS. De Pyrrho & Oreſte vide quae ex Hygino in Ibin adnotabo. Pyrrhus autem dictus eſt à patris ſui nomine, qui cum in Scyro inter Lycomedis regis filias lateret, Pyrrha vocabatur. Auctor idem Hyginus cap. XCVI. & XCVII. CIOFAN. *Achillides* bene Puteaneus hic, ut & Ibide 301. ſic *Atrides*, *Aegides*, *Pelides*, *Belides*, *Phinides*, *Theſides*, *Driantides*, *Promethides*, *Oenides*, *Amphiaraides*, & ſimilia apud Noſtrum. HEINSIUS.

3. *Animoſus.*] Ita egregie in ſcenam prodit apud Senecam in Troad. v. 210. & ſeqq.

4. *Jusque piumque.*] Eſt idem quod *jus* & *fas*. Vid. ad Petron. CVIII.

5. *Quod potui.*] *Quam potui* alter Mentelianus, pro diverſa lectione, cum gloſſa, id eſt *quantum*. adi notas Remed. Amor. v. 325. Gottorph. *qua*. alius *quo*. HEINSIUS. Nihil muta; nam aeque bene & eleganter *quod potui* dicitur: ita Terent. Eunuch. II. I. 9. Heaut. III. 16. & alii. permutaſſe vero librarios has formulas, *quam* & *quod potui* docebit Pierius ad Virg. XII. 147. de *quam potes* vid. ad Remed. 325. BURMANNUS.

7. *Aeacide.*] Lege *Aeacida*, & vid. ad Epiſt. III. 87. & mox ad v. 9. HEINSIUS.

9. *Clamantem nomen Oreſtis.*] Puteaneus *Oreſtes*. Lege *Oreſtae*. non enim aliter ſecundum tertiumque caſum ejus nominis meliori aevo efferebant. niſi quod Priſcianus notet libro ſexto, Ciceronem & Salluſtium ſemel *Oreſtis* caſu ſecundo enuntiaſſe. *Oreſti* eſt apud Gell. lib. III. cap. 10. In Ibide ex ſcriptis:

Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Oreſtae.

Quid gravius, capta Lacedaemone, ſerva tuliſſem,
Si raperet Grajas barbara turba nurus?
Parcius Andromachen vexavit Achaïa victrix,
Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.
At tu, cura mei ſi te pia tangit, Oreſte,
Injice non timidas in tua jura manus.
An, ſi quis rapiat ſtabulis armenta recluſis,
Arma feras? rapta conjuge lentus eris?
Sit ſocer exemplo, nuptae repetitor ademtae:
Cui pia militiae cauſſa puella fuit.

Si

Oreſtes, Oreſtae. Thyeſtes, Thyeſtae. Geriones, Gerionae. Pylades, Pyladae. Triſt. lib. I. El. VIII. ex membranis:

De comite Argolici poſtquam cognovit Oreſtae.

Et Amorum lib. II. Eleg. VI. ut optimae membranae:

Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Oreſtae.

Sidon. Apollin. Carm. ult. *& fidum rabidi ſodalem Oreſtae.* idem Paneg. Major.

Si ſe Pollucis perfudit ſanguine Caſtor;
Theſea Perithous, Pyladen ſi ſtravit Oreſtae
Vel furibunda manus.

Ita legendi illi verſus. apud Martialem duo veterrimi codices lib. VI. 11.

Nec melior rhombus, turduſve dabatur Oreſtae.

Sic & *Thyeſtae* apud eundem alibi non uno loco. Idem lib. IX. Ep. 11.

Quid? quod nil unquam Pylades donavit Oreſtae.

Ita ſenſus jubet eſſe legendum. neque aliter veſtigia veterrimi codicis Puteanei. in quo *Pila donabitur eſſe.* vulgati *Pyladi donavit Oreſtes.* Noſter Pont. lib. II. Eleg. III. cum optimo codice:

Adſuit inſano juvenis Phoceus Oreſtae.

Hinc & *Oreſta* non ſemel in quinto caſu apud Noſtrum. At Patavinus liber habet *nomen Oreſti.* Quomodo Priſcianus, *Bootes, Bootae,* & *Booti* ex Ciceronis Arateis notat, ut Ulyſſes, Ulyſſi, & ſimilia. Noſter in Ibin:

——— *ſit quod Pelopea Thyeſtae.*

Ita enim libri veteres: poſtea *referas exempla Thyeſtae.* & *olla Thyeſtae* apud Perſium Sat. V. *Dapes Thyeſtae* non ſemel apud Sidon. Apollinarem. Hinc *Thyeſta* in vocativo, ut apud Senecam in Thyeſte ſaepe. ita V. 15. legendum *Oreſta.* Cicer. Tuſc. Quaeſt. III. *Stultiſſime Aëëta* & ibid. *Tu te Thyeſta damnabis orbabisque luce.* & in nominativo apud Lactant. lib. I. de falſa Religion. cap. IX. in optimis membranis: *Hunc homines Deum putant? ſed Philoctetа heres non putavit.* ſic idem Cicero *Philoctetа* quoque iisdem libris in vocativo. ut & Noſter XIII. Met. 329. *Dure Philoctetа* ex MSS. Hinc *Philoctetae fama* Noſtro Pont. III. Eleg. I. & *Philoctetae crura* Propertio, & *Philoctetae murus* Virgilio lib. III. ſic & *Polydectа* Noſter ex auctoritate veterum codicum quinto caſu lib. V. Metam. 242.

——— *O parvae rector Polydectа Seriphi.*

Geriones, Gerionae. Virgil. lib. VIII. 202.

Tergemini nece Geryonae. ———

Et apud Senecam Agamemnone, *Heſperium pecus Gerionae.* ut illis locis legunt optimi Medicêi codices. Priſcianus Periegeſi, etiam ex veteri codice:

——— *poſt fata peremptī*
Gerionae.

Aulus Gellius hunc quoque loquendi modum captavit anxie. ſic lib. I. c. 9. in optimis membranis *Alcibiadae commiſſationem*, non *Alcibiadis. Bootae* apud Noſtrum ſecundo caſu paſſim occurrit. apud Avienum Deſcriptione Orbis *Bootis* frequenter. vid. Servium ad Virg. Aeneid. VII. 662. Heins.

10. *Traxit.*] *Tradit* Baſileenſis, unde Heinſius olim faciebat *Trudit.* ego nihil muto. eſt enim elegans oppoſitio violenti raptus, & placidae deductionis ſponſae. quam ducere debebat ornatam & comptam (vide Epiſt. IX. 125. & XII. 156. & alibi) eam vi traxit inornatis capillis. in *ſua caſtra* etiam venuſtius Gronovianus. Burmannus.

11 *Quid gravius capta Lacedaemone ſerva tuliſſem.*] Sic propè lib. IV. Faſt. de Cerere:

Quid gravius victore Gyge captiva tuliſſem? Ciof. In multis codicibus eſt *fuiſſem*, an pro *luiſſem?* Francius pro *barbara*, malebat Dardana. vid. Epiſt. I. 26.

13. *Achaïa.*] A parte totum, κατὰ συνεκδοχήν, ſic in epiſtola ad Helenam:

O quoties dices quàm pauper Achaïa noſtra eſt.

Et lib. XIII. Metamorph.

——*& auxilium promittet Achaïa Trojae.*

Ciofanus.

15. *Si*

Si ſocer ignavus vidua ſediſſet in aula;
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.
Nec tu mille rates ſinuoſaque vela pararis;
Nec numeros Danai militis: ipſe veni.
Sic quoque eram repetenda tamen: nec turpe marito
Aſpera pro caro bella tuliſſe toro.
Quid? quod avus nobis idem Pelopeïus Atreus;
Et ſi non eſſes vir mihi, frater eras.
Vir, precor, uxori, frater ſuccurre ſorori:
Inſtant officio nomina bina tuo.

Me

15. *Si te jam tangit.*] Alii *pia tangit*, alii *nunc*. EGNATIUS. Dubito tamen an aeque recte *cura pia* dicatur, ac *cura piae ſororis*. ita certe loquitur Epiſt. XIV. 123.

At tu ſi qua piae, Lynceu, tibi cura ſororis.

Quare & hic poſſet legi, *At te, cura piae ſi te jam tangit, Oreſte*. ſed parum abeſt, quin praeferam ſcripturam codicis Balliolenſis: *At te cauſſa mei ſi te pia tangit. Pia cauſſa* paſſim, pro juſta, aequa. ut mox v. 20. ubi etiam alii codices *pia cura*. & VI. Met. 496. *Quoniam pia cauſſa coëgit*. II. Amor. XVI. 47. tamen dixit: *Si qua mei tamen eſt in te pia cura relicti*. ita parum certum ex uno loco ad alterum argumentum ducitur. Francius, *ſi te modo*. BURMANNUS.

17. *An ſi quis.*] Argumentum a minori. CIOFAN.

17. *Recluſis.*] Non grave ſatis verbum, nec aptum raptori, qui vi effringere fores fingendus. vid. XIV. Met. 781. ubi de apertis admodum leniter foribus adhibetur. Forte ſcripſit, *revulſis*, vel *refractis*. ut VI. Metam. 597.

Portasque refringit,
Germanamque rapit. BURMANNUS.

20. *Cui pia.*] Hunc & ſequentem verſum plerique codices non agnoſcunt, ſed male. pro *vacua aula* tres libri *vidua*. HEINSIUS.

21. *Stertiſſet.*] Miror omnes Interpretes tam ſecure hoc verbum tranſire, cum certe barbarum ſit: dicendum enim *ſtertuiſſet*. ſed hoc reſpuit lex carminis. v. Voſſium de Analog. lib. III. c. 31. Editiones Venetae & Gryphii cum Palatino codice *ſtetiſſet*. quod aeque vitioſum, nec verſus admittit. margo Micylli & Berſmanni *ſediſſet*, quod recipi poſſet: *Sedere* enim proprie eſt deſidis & inertis, ut vulgo notiſſimum. & ita Virgilius in noſtri Ovidii ſenſum utitur III. Georg. 456.

— *Et meliora Deos ſedet omnia poſcens.*

Neque minus venuſtate ſua ſe commendat Regii unius & Heinſiani alterius lectio:

Si ſocer ignavus vidua ploraſſet in aula.

Eſt autem adluſum ad illud, quod graviter Salluſtius extulit. Catil. 52. *Non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene conſulendo proſpere omnia cedunt* &c. Vid. & Liv. XXV. 37. ſic & Noſter VI. Faſt. 444.

Non eſt auxilium flere, Metellus, ait.

Et IV. Met. 693.

Lacrimarum longa manere
Tempora vos potcrunt, ad opem brevis hora ferendam.

Et VI. 611.

Non eſt lacrimis hic, inquit, agendum,
Sed ferro.

Et quae paſſim ejus generis apud omnes cordatos ſcriptores occurrunt. idem ſenſus eveniret certe, ſi *ſtertiſſet* poſſet ſtare. nam Terent. Adel. IV. 5. dixit: *Credebas dormienti haec tibi confecturos Deos*. ſed muliebre magis eſt plorare. Quinctil. Decl. 343. *Fruſtra plorabimus apud judices*. BURMANNUS.

23. *Non tu mille rates ſinuoſaque vela parabis.*] *Nec tu* meliores. deinde *pararis* Puteaneus & Barberinianus. bene. HEINSIUS. Valde blanditur Voſſiani codicis lectio, *nec mihi mille rates* &c. eſt enim venuſtas quaedam in illo praenomine *mihi*, quod vel παρέλκει, ut ſaepe ſolet, & millies a viris doctis adnotatum; vel hic vim ſuam habet, ut valeat, in meam gratiam, ut me vindices a raptore, quemadmodum Menelaus Helenae cauſſa fecit. BURMANNUS.

24. *Nec numerum Danai militis.*] *Numeros* Puteaneus, Gottorphianus & Ambroſianus. ſic *numeri militares* paſſim. *Gallicani numeri*, & *numeri Italici* ac *Illyrici* Ammiano. Tertullianus Apologetico: *Si hoſtes agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum?* Caſſiodorus lib. I. Hiſt. Tripart. *Romanorum cohortes nunc numeri vocantur. Numeri* Graecis σπεῖραι. Theophylactus in Acta Apoſtolorum: Σπεῖρά ἐστιν ὃ καλοῦμεν νῦν Νούμερον. Sequenti verſu Τὸ *eſt* meliores non agnoſcunt. HEINSIUS. Vide Lindenbr. ad Ammian. Marcel. XIV. 7. & Torrent. ad Suet. Veſpaſ. VI. ne vero quis dubitet hoc ſenſu jam aevo Naſonis *numeros* dictos eſſe, ita III. Am. 9.

Auxiſii numeros culte Tibulle pios.

Sed & pro multitudine poſſe capi non nego, ut *numeri laborum*. VII. Met. 8. ubi vide. BURMAN.

Me tibi Tyndareos, vita gravis auctor & annis,
Tradidit: arbitrium neptis habebat avus.
At pater Aeacidae promiſerit inſcius acti;
Plus quoque, qui prior eſt ordine, poſſit avus.
Cum tibi nubebam, nulli mea taeda nocebat:
Si jungar Pyrrho, tu mihi laeſus eris.
Et pater ignoſcet noſtro Menelaus amori:
Succubuit telis praepetis ipſe Dei.
Quem ſibi permiſit, genero permittet amorem:
Proderit exemplo mater amata ſuo.
Tu mihi, quod matri pater, es: quas egerat olim
Dardanius partes advena, Pyrrhus agit.
Ille licet patriis ſine fine ſuperbiat actis;
Et tu, quae referas, acta parentis habes.
Tantalides omnes, ipſumque regebat Achillen.
Hic pars militiae; dux erat ille ducum.

Tu

31. *Tyndareus.*] *Tyndareos* codex Leidenſis, & ſic editio Veneta anni 1485. ita *Androgeos* Ep. x. 99. ſic & alia ſimiliter nomina Graeca pronuntiatione extulit. Heinsius.

32. *Arbitrium neptis habebat avus.*] Locum hunc ex Jurisconſultorum doctrina duo interpretes rectè interpretari ſunt. Ciofanus.

34. *Plus quoque qui prior eſt ordine poſſit avus.*] Puteaneus Tò *qui* non exhibet. deinde *poſſet* habet, ut & alii nonnulli. Lego:

Plus quo, qui (vel *quod*) *prior eſt ordine, poſſet avus.*

Et *promiſerit* ſuperiori verſu. Heinsius. Ex emendatione Heinſii ſequeretur Avum, qui prior eſt ordine, plus poſſe in nuptiis neptis, Patre, cujus filia erat. ſed an hoc rationi & juri communi conveniat, vehementer dubito. & hoc ſibi objici poſſe Hermione ſentiebat, quae ab Avo materno Tyndareo deſponſata erat Oreſtae. quem ſcrupulum in his verbis conatur removere, ſed quae corrupta ita reſtitui poſſe arbitror:

At pater Aeacidae promiſerit; inſcius acti,
Plus quoque, qui prior eſt ordine, poſſit avo.

Demus, ait, hoc adverſariis, Patrem me promiſiſſe Aeacidae, demus quoque Patrem meum, qui prior eſt ordine, & cujus voluntas ante Avi voluntatem eſt conſulenda, plus poſſe. haec ex ſtricto jure adfirmari poſſe video. ſed aequum & bonum hac in cauſſa vincere debet, Pater promiſerat, inſcius me jam eſſe alii datam; Tyndareus vero me deſpondit eo tempore, quo libera & nulli amori obnoxia eram. itaque tibi jam jus in me quaeſitum fuit, quod ſi auferat Pater jure ſuo utens, tibi injuriam faciet. ita argumentatur Puella ſibi colores ex aequo & bono quaerens, quae ſummo jure ſe Neoptolemo cedere debere ſentiebat. Interpretes, qui dicunt Tyndarea plus patre valuiſſe, propter abſentiam Menelai, vel emancipationem, meras nugas agunt. Burmannus.

39. *Permittet amorem.*] Vaticanus *concedit* habet. alii tamen malunt *permittet.* Ciofanus. *Concedet* plerique. Heinsius.

41. *Tu mihi.*] Imitatus Auſonius Profeſſ. xx.

Tu mihi quod genitor, quod avunculus.

42. *Quas egerat olim.*] *Egerat* repone ex optimo Puteaneo, (neque aliter Barberinus, Hafnienſis, Mentelianus, Francofurtenſis cum excerptis Gallicanis) cum quòd Latinior ſit ea lectio, tum quòd elegans ſit repetitio *agit.* & ità ſtatim praeſtat *acta parentis habes*, cum praeſtantioribus codicibus, quia praeceſſit *ſuperbiat actis.* ſimilis repetitio eſt lib. xi. Met. 222.

Mater eris juveni, qui fortibus actis
Acta Patris vincet. Heinsius.

Egerat recte. ii. Art. Am. 294.

Partes illa potentis agat.

Et ita paſſim veteres, locutione ex ſcena deſumpta.

44. *Referas.*] Non inconcinne reponeretur, *regeras*; ſic *regerere convicia.* quamquam abſit, ut vulgatam ſcripturam damnem. ſequenti verſu Puteaneus, *ipſumque petebat Achillem*, quod non capio, quid ſibi velit. Heinsius.

45. *Hic pars militiae, dux erat ille ducum.*] Hunc locum expreſſit Seneca in Agamemnone:

Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum.

Ciofanus. *Hic dux militiae*, Broukhuſium maluiſſe notabat Francius.

48. *Si melius numeres.*] Codex Douzae *altius enumeres.* quod ille probabat, & dictum notabat, ut apud Salluſtium *altius repetere.*

48. *A*

Tu quoque habes proavum Pelopem, Pelopisque parentem:
Si melius numeres, à Jove quintus eris.
Nec virtute cares: arma invidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? induit illa pater.
Materia vellem fortis meliore fuisses:
(Non lecta est, operi sed data caussa tuo.)
Hanc tamen implesti; juguloque Aegysthus aperto
Tecta cruentavit, quae pater ante tuus.
Increpat Aeacides, laudemque in crimina vertit;
Et tamen adspectus sustinet ille meos.
Rumpor, & ora mihi pariter cum mente tumescunt:
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.
Hermione coram quidquamne objectet Orestae?
Nec mihi sunt vires; nec ferus ensis adest.
Flere licet certe: flendo diffundimus iram:
Perque sinum lacrimae, fluminis instar, eunt.

Has

48. *A Jove quintus erit.*] Lege *ab Jove*. sic alibi semper apud Nostrum in optimis membranis. monui Fast. I. vs. 236. Superiori versu *Pelopen* Graeco more duo codices. HEINSIUS.

50. *Induit illa patrem.*] Sic in omnibus. ego *pater* legendum puto, ut sit pater induit illa arma tibi, ut idem Ovidius:

Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque.

NAUGER. Accuratius observandum censeo, quid illud verbum *induit* hic sibi velit. nam interpretes ganniunt. EGNAT. *Induit illa patrem.* sic quidem vulgò, ut ad matrem Orestis referatur, & ad vestem perplexam & impeditam, qua illa Agamemnonem indutum & implicatum, Aegisto trucidandum objecerat: ut Seneca in Tragoedia author est. Verùm haud scio an eorum lectio sit simplicior, qui legunt, *Induit illa pater.* ut intelligas, patrem induisse arma illa invidiosa Oresti: hoc est, fuisse causam, cur ille arma sumeret: pietate videlicet postulante, ut caedem patris filius ulcisceretur. MICYLLUS. *Induit illa pater* recte Puteaneus. reliqui cum vulgatis *patrem.* Noster lib. I. Art. Am.

Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque.

Liv. XXX. 13. *Nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit.* Silius XIV. 292.

Hostem induere arma sibi.

Val. Flac. VII. 90.

Cum prima tuis pro moenibus arma
Induimus HEINSIUS.

Heumannus in Parergis Criticis p. 119. legit *imbuit illa patrem*, sed quo referendum τὸ *illa* non video. nam non praecessit mater, quae imbuisset patrem, denique quis umquam dixit *imbuere aliquem*, pro interimere, aut alicujus sanguine suas manus imbuere? BURMANNUS.

52. *Non lecta est.*] Aut *operae* legendum, aut hic versus Parenthesi includendus, ut τὸ *hanc tamen implesti*, ad τὸ praecedens *materiam* referatur. nam in uno Moreti erat, *hanc caussam implesti.* BURMANNUS.

56. *Aspectus.*] *Amplexus* Scriverii & Basileensis. perperam. nec enim Hermione rapta & invita amplecteretur Pyrrhum. Curt. III. 4. *Qui relicti erant ne conspectum quidem hostium sustinere valuerunt*, ita codex Leidensis. vulgo *voluerunt.* Flor. II. 18. *Ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret.* simili locutione Sulpitius Sever. lib. I. Hist. Sacr. c. 18. *Populus timore inhorruit, verba Dei non sustinens.* BURMANNUS.

59. *Quisquamne objecit Oresti.*] Lege *quicquamne* cum tribus quatuorve. Mentelianus alter, *si quicquam objecit.* Leidensis *quisquamne objectet. Orestae* praeterea legendum. Nisi malis:

Hermione coram quisquamne objectet Oresten.

Quod placet. Nam in Argentinensi codice, *si quisquam objecit Orestem.* loquitur enim de Pyrrho, & *objectat* est indignantis. Met. II. 400.

Natumque objectat & imputat illis.

Et ita è MSS. lege I. Met. 725.

Horriferamque oculis animoque objectat Erinnyn.

Coram, ut alibi Epistola Briseïdis:

Neve meos coram scindi patiare capillos.

Apulej. Metam. III. *Sum namque coram magiae noscendae ardentissimus cupitor.* ubi τὸ *coram* immerito carpit Elmenhorstius. HEINS. *Quisquamne objecit Orestem*, Douza volebat.

61. *Diffundimus iram.*] Et hinc facilè apparet, *diffusiones dierum* esse legendas apud Jurisconsultos:

&c

Has ſolas habeo ſemper, ſemperque profundo:
Hument incultae fonte perenne genae.
Hoc generis fato, quod noſtros errat in annos,
Tantalides matres apta rapina ſumus.
Non ego fluminei referam mendacia cygni:
Nec querar in plumis delituiſſe Jovem.
Qua duo porrectus longe freta diſtinet Iſthmos,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Caſtori Amyclaeo & Amyclaeo Polluci
Reddita Mopſopià Taenaris urbe ſoror.
Taenaris, Idaeo trans aequor ab hoſpite rapta,
Argolicas pro ſe vertit in arma manus.

Vix

& Gellium, non *diffiſiones:* quod quibuſdam placuit; ut improbè faciant, qui immutare veteres lectiones audeant. Egnatius. *Flere licet certe. Flendo diffundimus iram.* ſic diſtinguunt meliores. & *ſinum* ſequenti verſu iidem agnoſcunt. niſi malis *flere libet.* Triſt. III. II. I. 9.

Nil niſi flere libet.

In Puteaneo eſt, *defundimus.* & recte forſan. hoc eſt effundimus, egerimus. vide quae noto ad Ep. XV. ẏ. 13. lib. IX. Met. 142.

——*flendoque dolorem*
Defudit miſeranda ſuum.

Sic & ibi forte ſcribendum. *defundere vinum.* Faſt. V. ẏ. 517. ubi plura. vinum *defuſum pateris* Horatio. ſic optimi codices, & apud Senecam Thyeſt. V. 1055. ex Etruſcis membranis:

Ex vulnere ipſo ſanguinem calidum in tua
Defundere ora debuit.

Non. Marcell. *Fundere eſt liquorem defundere.* Sic apud Maronem Aeneid. VI. *Demiſit lachrymas.* Heinsius. Non movendum illud *flere licet certe.* quia non licet arma capere & enſe vindicare dolorem, quod virile eſt, ſaltem muliebria arma moveo, quae ſunt lacrimae; *certe* hic eſt ad minimum, ſaltem, ut apud Terentium & alios centies. *Si illud ergo non licet, ſaltem hoc licebit*, ut in alia re Terentius ait. IV. Eun. 2. neque *diffundere* diſplicet, quod idem eſt quod minuere, in diverſas partes fundendo exhaurire. nam *defundere* puto eſſe fundere ex patera, vel ſimili re liquorem, in aliud vas vel locum inferius poſitum, *diffundere* eſt ita fundere, ut ipſe liquor pereat, diverſis locis fuſus; & hinc tranſlate eſt minuere. & idem hic dicit quod in Triſtibus:

Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Ita *diffundere animum, vultum, dolorem* & ſimilia de quibus vid. Barth. ad Stat. II. Theb. 213. Broukh. ad Tibull. I. II. 3. Ceterum male Egnatius huc *diffuſiones dierum* refert. nam *diffiſſos dies*, & *diffiſſiones dierum*, eſſe legendum, jam diu eſt quod viri docti oſtenderunt. vide Gronov. ad A. Gell. XIV. 2. Burmannus.

63. *Has ſolas habeo.*] In membranis antiquis, quas producit Barth. XXXVII. Adverſ. 13. eſt: *Has ſemper lacrymas habeo, ſemperque profundo.*

64. *Hument.*] Francof. *vivent*, Moreti *livent*, forte pro *uvent.* Vid. ad Petron. c. CXV.

65. *Hoc generis fatum, quod noſtros errat in annos.*] *Nam generis fato quod noſtros erat* Puteaneus. Alter Mentel. pro diverſa lectione *regnat in annos. fato* etiam alii nonnulli. pro *errat*, forte *durat*, ut Ep. VII. III. *Durat in extremum.* vel *haeret*, vel *perſtat* ſcribendum. & pro *Nam*, *Num.* Epiſtola IV.

Forſitan hunc generis fato reddamus amorem.

Heinsius.

66. *Tantalides omnes.*] *Matres* ſcripti. hoc eſt matronae vel nuptae. ſic *Dardanides matres* Epiſtola Helenae. 212. *Troades matres.* Epiſtola Paridis. & *Phylaceides matres* Epiſtola Laodamiae. & *Nyſiades matres* Epiſtola Sapphûs, & Met. XIII. 412. & *Oebalides matres.* III. Faſt. 230. ac *Italides matres* in Faſtis. lib. II. ẏ. 441. Epiſtola Briſeidos:

Inter Achaïadas longe pulcherrima matres
In thalamos conjux ibit, eatque, tuos.

Vide notas ad ſequentem epiſtolam. ẏ. 73. Heins.

69. *Qua duo porrectus longe freta diſtinet Iſthmos, Vecta peregrinis Hippodamia rotis.*] Duo ſunt advertenda, & quòd malè codices omnes habent, *detinet*, cum *diſtinet* dubio procul legendum ſit, quod quivis vel mediocriter doctus advertat: & quid ſit illud, quod *externas rotas* in Hippodamia hîc dicat Ovidius. Nos rem eruditis etiam non paucis ignotam brevi explicabimus, ex Pindaro in primis & Apollonio, qui cum interpretibus ſuis prodidere, Hippodamiam inter currendum alieno curru, id eſt procorum, qui cum ea curſu certabant, eſſe vectam: unde & hoc in loco *peregrinas rotas* Pelopis currum intellexit, quo donatus ille olim à Neptuno eſt in amoris compenſationem. Egnatius. In Epiſt. Phaedrae:

Acquora

Vix equidem memini: memini tamen. omnia luctus,
Omnia solliciti plena timoris erant.
Flebat avus, Phoebeque soror, fratresque gemelli:
Orabat superos Leda, suumque Jovem.
Ipsa ego, non longos etiam nunc scissa capillos,
Clamabam, Sine me, me sine, mater, abis?
Nam conjux aberat. ne non Pelopeïa credar,
Ecce Neoptolemo praeda parata fui.
Pelides utinam vitasset Apollinis arcus!
Damnaret nati facta proterva pater.
Nec quondam placuit, nec jam placuisset Achilli,
Abducta viduum conjuge flere virum.

Quae

Aequora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque fretum.
Et Medeae:
Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?
Sed vide ne hic legendum sit *quo*, non autem *qua*. CIOFANUS. *Destinat* vetustiores. quod perperam tam hic, quam Epistolâ Medeae illo versu:
Quique maris gemini distinet Isthmos aquas,
Juretus ad Symmachum amplectitur. Quidam codices, *detinet*, *separat*, & similia. sed frustra. Statius Theb. VII. 15.
—— *omne quod Isthmius umbo*
Distinet, & raucae circumsonat ira Maleae.
Ut ibi meliores libri, & primus restituit Bernartius, & ad quem locum erudite, ut solet, de hoc verbo disputat Gronovius. Avienus Orbis Descriptione:
Unus utramque salis fluctus secat, & procul unum
Distinet os ambas.
Lucretius lib. V. 204.
Et mare quod late terrarum distinet oras.
Lucanus lib. IV. 674.
—— *vasti plaga fervida regni*
Distinet Oceanum.
Ubi & codex Rumfianus veterrimus *destinat*. Prudentius lib. II. contra Symmachum 597.
Omnibus in terris quas distinet Occidualis
Oceanus.
Sic veterrimus liber Bodleianus. vulgo *continet*, alibi *separat* dixerunt. Noster *in bivio distineri*. Remed. Amor. 486.
Et tuus in bivio distineatur amor.
Ita legit praestantissimus codex. Solinus cap. XXII. de Britannia, ex vetustis membranis: *Siluram quoque insulam turbidus sinus distinet*. vulgo, *turbidum fretum distinguit*. Virgil. XI. 381. *Agger distinet hostes*, quam ibi veram lectionem esse puto. HEINSIUS.

70. *Vecta peregrinis Hippodamia rotis.*] Omnium optimè hunc locum explicat Parrhasius lib. III. in Claud. de Raptu Proserpinae. CIOFAN. Propert. I. II. 20. *Avecta externis Hippodamia rotis.* ubi vid. Broukhusium.

72. *Tyndaris urbe soror.*] Puteaneus *Taenaris*, tam hic, quam sequenti versu. probe. Delectatur enim Noster hisce oppositionibus. ut supra v. 14.
Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.
Et I. Art. 686.
Grajaque in Iliacis moenibus uxor erat.
Quorum finis non esset. sic *Taenaris terra* Ep. Paridis 31. & *Taenaris ora* Ep. Helenae, *Taenariam maritam* Helenam quoque Epist. XIII. 45. vocat. in quibus omnibus locis eadem in MSS. varietas. HEINSIUS.

73. *Trans aequora.*] Lege, *trans aequor*. HEINS.

77. *Flebat avus, flebatque soror.*] *Phoebique soror* Puteaneus, Francofurtensis & Junianus. Lege *Phoebeque*. Euripides Iphigenia non longe ab initio apposite:
Ἐγέροντο Λήδᾳ Θεσιάδι τρεῖς παρθένοι,
Φοίβη, Κλυταιμνέστρατ' ἐμὴ ξυνάορος,
Ἑλένητε.
Phoebe ergo soror Helenae. Veram quoque lectionem subodoratus est Mezeriacus. HEINSIUS. Egregie quidem Heinsius. sed alii non Helenes sororem Phoeben, sed Leucippi filiam faciunt, & uxorem Pollucis. vid. ad Propert. I. Eleg. II. 15. & infr. Epist. XVI. 327.

79. *Etiam nunc scissa capillos.*] Lege *etiamnum*. ita in Metamorphosi vetustissimi libri semper scribunt. Certe Farnesianus unus hoc loco, *etiam tum*. HEINSIUS.

82. *Praeda parata.*] *Petita* Moreti: quod defendi posset ex II. Art. Am. 2. sed nihil muto. vid. ad Petron. XV. sic apud Curt. XI. 10. pro *parta praeda*, rescribebat Modius, *parata praeda*. recte. ita enim idem lib. IV. 14. *Parata hostibus praeda* & v. 1. *Praedam opimam paratamque ipsum & milites spectare*. BURMANNUS.

83. *Pelides utinam vitasset Apollinis arcus.*] Achilles interfectus est ab Apolline ad portas Scaeas, quod vaticinium à matre sua Thetide acceperat.

Quae mea coeleſtes injuria fecit iniquos?
Quod mihi (vae miſerae) ſidus obeſſe querar?
Parva meâ ſine matre fui; pater arma ferebat:
Et, duo cum vivant, orba duobus eram.
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis:
Nec gremio ſedi ſarcina grata tuo.
Non cultûs tibi cura mei: nec pacta marito
Intravi thalamos, matre parante, novos.
Obvia prodieram reduci tibi (vera fatebor)
Nec facies nobis nota parentis erat.
Te tamen eſſe Helenen, quod eras pulcherrima, ſenſi.
Ipſa requirebas, quae tibi nata foret.

Pars

Q. Smyrnaeus lib. III. Paralip. Alii volunt eum, dum Polyxenam, Priami ex Hecuba filiam, cujus forma captus erat, uxorem ſibi poſtulaſſet, in templo Apollinis Tymbraei à Paride, qui ab ipſo Deo edoctus erat, qua corporis parte vulnerari poſſet, interfectum. Idque oſtendit Virg. lib. VI. Aeneid.

Phoebe graves Trojae ſemper miſerate labores,
Dardana qui Paridis direxſti tela, manuſque
Corpus in Aeacidae.

Et hic Noſter lib. XII. Metamorph.

— & oſtendens ſternentem Troïca ferro
Corpora Peliden, arcumque obvertit in illum,
Certaque letifera direxit ſpicula dextra.

Hecuba apud Euripidem:

— ἐγὼ τέκνων Πάριν, ὃς παῖδα Θέτιδος ὤλεσεν τόξα βαλών. CIOFANUS.

87. *Quae mea.*] Alter Mentelianus, *quod mea.* tres ſcripti, *quae mihi*: elegantius.

88. *Quodve mihi miſerae.*] Scripti plerique *Quod mihi vae miſerae.* & recte. quamvis Puteaneo obnitente. Epiſtola Briſeïdis, 82.

Hic mihi vae miſerae concutit oſſa metus.

Epiſtola Cydippes, 169.

At mihi vae miſerae torrentur febribus artus.

In Ibide, 205.

Tot tibi vae miſero venient taleſque ruinae.

Amorum lib. III. El. VI. 101.

Huic ego vae demens narrabam fluminum amores.

Sic ſcribunt illic meliores libri. atque ita Comici ſaepe. Calpurnius Eclog. III.

Te ſine vae miſero mihi lilia nigra videntur.

HEINSIUS.

89. *Arma gerebat.*] Pro bello, continens pro eo, quod continetur. CIOFAN. *Ferebat* meliores.

92. *Incerto ore.*] Imitatum haec Quinctilianum lib. I. notavit Douza: *Ita futurus eloquentiſſimus, edidit aliquando vagitum, & loqui primum incerta voce tentavit.*

99. *Et tamen eſſe Helenen.*] *Te tamen* ſcripti. Sequenti verſu Leidenſis & Voſſianus cum Jureti Excerptis, *quae tibi nata foret.* HEINSIUS.

101. *Pars haec una mihi.*] Malim *ſors.* ſed obſtant libri. in altero Menteliano *ſpers*, forte pro *res.* ſic Ep. XXI. 150.

Dominum res habet illa ſuum.

Triſt. IV. III.

Ita res tibi magna videtur.

Et Eleg. IV. 15.

Quia res eſt publica Caeſar.

Pont. II. VII.

Res timida eſt omnis miſer.

Mox, *ni pro ſe pugnat* Puteaneus. & deinde *Pyrrhus habet raptam.* quod verum eſt. fruſtra vulgati *captam.* HEINSIUS.

104. *Et minus a nobis diruta Troja fuit.*] Sic in nonnullis, quidam, *Ah non hoc nobis diruta Troja fuit.* in aliis, *Munus & hoc nobis diruta Troja dedit.* quod & Planudes interpretatur. & fortaſſe eſt rectius. ſunt & qui legunt, *Et minus hoc nobis diruta Troja dedit.* NAUGERIUS. *Munus & hoc nobis diruta Troja dedit*, legendum potius cenſeo, quam ut vulgo habetur, *& minus a nobis diruta Troja fuit*, ut ſit ironicè dictum pro eo, quod eſt, hoc quoque munus, ſive beneficium, ex Troja diruta conſecutae ſumus, ut nos, quae Graecae ſumus, deteriore conditione ſimus, quam ipſae barbarae & captivae. MICYLLUS. *Munus & hoc nobis diruta Troja dedit.* Quis non videt hanc lectionem, quae optimam continet ſententiam, multo illa altera, quam ſubſtituunt, *Et minus hoc nobis diruta Troja fuit*, elegantiorem? Quum eam & Planudes, idque alii teſtati ſunt, agnoſcat, & Vatic. lib. habeat. Itaque non dubito, quin prorſus vera ſit. CIOFANUS. Cogitandum de eo, quod alii codices reprae-

Pars haec una mihi conjux bene ceſſit Oreſtes:
Is quoque, ni pro ſe pugnet, ademtus erit.
Pyrrhus habet raptam, reduce & victore parente:
Munus & hoc nobis diruta Troja dedit.
Cum tamen altus equis Titan radiantibus inſtat,
Perfruor infelix liberiore malo,
Nox ubi me thalamis, ululantem & acerba gementem,
Condidit, in moeſto procubuique toro;
Pro ſomno lacrimis oculi funguntur obortis:
Quaque licet fugio, ſicut ab hoſte, virum.
Saepe malis ſtupeo: rerumque oblita locique
Ignara tetigi Scyria membra manu.
Utque nefas ſenſi; malè corpora tacta relinquo:
Et mihi pollutas credor habere manus.

Saepe

repraeſentant, *Munus & hoc nobis diruta Troja dedit.* DAN. HEINSIUS. Valde hic denuo turbant libri. Puteaneus:

Et minus à nobis diruta Troja dedit.

à pro *ah*, ut Argentinenſis & duo alii. quod eſſet:

Munus id ah nobis diruta Troja dedit.

Priſcae editiones, Excerpta Jureti & ex noſtris multi:

Munus & hoc nobis diruta Troja dedit.

Sex alii:

Hoc munus nobis diruta Troja dedit.

Alii tres:

Et munus nobis diruta Troja fuit.

Alii aliter. Lego:

Muneris hoc nobis diruta Troja fuit.

Vel, *dedit.* quanquam illud malo. Sic in Faſtis, II. 37.

Graecia principium moris fuit.

Ubi plura. Noſter Metamorph. lib. IX. 400.

Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe.

Cicero lib. IX. Ep. famil. XIII. *Oro velis per te hoc muneris cum ipſis amicis hominibus, tum municipio Caleno dare.* Faſt. IV. 798. ex veteribus libris:

Hoc argumenti flamma Palilis habet.

Sic *hoc juris* apud Lucanum. Lib. VIII. 95.

Hoc juris habebat

In tantum fortuna caput.

Idem lib. IV. 398.

Hoc quoque ſecuris oneris fortuna remiſit.

Noſter Met. X. 218.

Durat in hoc aevi.

Apulejus in Apolog. *Spretis ad hoc aevi voluptatibus.* Faſt. I. 34.

Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.

Et v. 46.

Non habet officii Luciſer omnis idem.

Ubi plura Propert. II. Eleg. XXI.

Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis, huic quod des muneris ecquid habes?

Ita locum illum ex veſtigiis veterum membranarum videri caſtigandum ad ipſum Propertium pluribus adſtruemus. Lucan. lib. X. 68.

Hoc animi nox illa dedit.

Et mox:

Fas mihi magnorum Caeſar ſecreta parentum
Prodere, ad hoc aevi populis ignota profanis.

Et apud Juvenalem ex veterrimis membranis:

Acti, inquit, nil eſt, niſi Pocno milite portas
Frangimus.

Sat. IX.

Legati omne capit.

Ita codex Voſſianus, non *legatum.* vide quae noto Amor. I. El. I. v. 5.

Nil mortalibus ardui eſt.

Horatio lib. I. Od. III. quomodo legitur in antiquiſſimis ſcriptis. infra Ep. XIV.

— parum facti ſanguinis. —

Ex vetuſtis libris. *ſuit munus.* ſic Remed. Amor. 528.

Auxilium multis ſuccus & herba fuit.

Quod non eſt mutandum. HEINSIUS. Heuman. Parerg. Crit. p. 119. *Hoc munus nobis*, quaſi conjecturam ſuam venditat. cum ſex codices ita habere jam Heinſius monuerit. Criſpinus profert:

Et minus, ah, nobis diruta Troja fuit.

Eo ſenſu, quo Penelope dixit Ep. I.

Diruta ſunt aliis, ſoli mihi Pergama reſtant.

Sed quis ita Latinorum loquitur? Douza legebat ex codice ſuo, *Munus & hoc Pyrrho diruta Troja dedit.*

110. *Sicut ab hoſte viro.*] *Virum*, quinque ſcripti. & placet. HEINSIUS.

114. *Credor habere.*] Id eſt videor mihi. ſic ego:

Et mihi Piëriis credor ineſſe choris.

Id eſt *intereſſe.* DOUZA.

Saepe Neoptolemi pro nomine, nomen Oreſtae
Exit: & errorem vocis, ut omen, amo.
Per genus infelix juro generisque parentem,
Qui freta, qui terras, qui ſua regna quatit;
Per patris oſſa tui, patrui mihi; quae tibi debent,
Quod ſe ſub tumulo fortiter ulta jacent:
Aut ego praemoriar, primoque extinguar in aevo;
Aut ego Tantalidae Tantalis uxor ero.

EPI-

115. *Oreſtis.*] *Oreſtes* unus Farneſ. etiam hic *Oreſtae* reponendum. HEINSIUS.

117. *Per genus infelix oro.*] Lego, *Per genus infelix juro*, &c. Atteſtatione enim quadam confirmare vult, ſe aut ſtatim prima hac aetate morituram eſſe, aut Oreſti, ſuo priori maritoque legitimo uxorem futuram. MICYLLUS. *Oro* Puteaneus & alii multi, ſed fruſtra. ſequenti verſu, *qui ſua regna*, non *& ſua* meliores duodecim. quod ſequor. aliter tamen Puteaneus. HEINSIUS.

120. *Quod ſe ſub tumulo fortiter ulta jacent.*] Neſcio an recte oſſa dicantur *ſe ulta*. non enim illa ſe vindicarunt, ſed Oreſtes patris caedem caede matris ultus curavit, ut patris oſſa bene ſub tumulo jacerent, inferiis ab adultero Aegyſtho exactis. quare verior mihi videtur codicis Lovanienſis lectio:

Quod ſic ſub titulo fortiter ulta jacent,

licet malim *ſub tumulo*, quamvis *ſub titulo* defendi poſſet. *Ulta* vero paſſive eſt capiendum, vid. ad VII. Metam. 3. & ad Valer. Flacc. v. 753. BURMANNUS.

EPISTOLA IX.

DEIANIRA HERCULI.

GRatulor Oechaliam titulis accedere noſtris:
Victorem victae ſuccubuiſſe queror.
Fama Pelasgiadas ſubito pervenit in urbes
Decolor, & factis inficianda tuis;
Quem numquam Juno, ſeriesque immenſa laborum
Fregerit; huic Iölen impoſuiſſe jugum.
Hoc velit Euryſtheus, velit hoc germana Tonantis:
Laetaque ſit vitae labe noverca tuae.

At

1. *Gratulor.*] Hoc verum Epiſtolae hujus principium eſt: nam reliqui duo verſus, qui eidem in quibusdam praeponuntur, neque ſententiam quicquam juvant, & per ſe inculti ac putidi ſunt. Quare eos, ut ſuperiores ejus generis, a reliquo corpore ſepoſuimus. MYCILLUS. Huic denuo Epiſtolae Puteani Excerpta & vetuſtae editiones cum codice Regio ſequens diſtichon praefigunt:

Mittor ad Alciden à conjuge conſcia mentis
Littera, ſi conjux Deïanira tua eſt. HEINSIUS.

1. *Titulis accedere noſtris.*] Nimis invidioſe profecto mariti titulos invadit & ſibi vindicat, quod Hypſipyle Medeae ſupra objiciebat:

Adde, quod adſcribi factis procerumque tuiſque
Se facit, & titulo conjugis uxor obeſt.

Recte igitur codices nonnulli, *titulis veſtris.* ſic infra:

Ne videar titulis inſidiata tuis.

Et Ariadne:

Non ego ſum titulis ſurripienda tuis. HEINSIUS. Immo vero reducenda antiquarum editionum & ſcriptorum lectio, quam habent fere omnes, praeter duos Scriverii & unum Gronovii, qui tantum pro varia lectione habent *veſtris*, loco verae ſcripturae *noſtris.* Decebat enim objurgantem & iratam uxorem, ſibi partem vindicare eorum, quae maritus geſſerat, & ſibi quoque gratulatur, tot titulis jam ante partis, nunc Oechaliam ſubactam accedere; minime vero ſibi pellicem inde adduci. Imitatus vero hunc locum Lucanus lib. II. 555.

Te quoque ſi ſuperi titulis accedere noſtris
Juſſerunt. BURMANNUS.

2. *Victorem victae.*] Annominatio. ſic & mox in hac ipſa Epiſt. Livius lib. XXV. *Quod ni tam in tempore ſubveniſſet, victoribus victisque pariter perniciosa fames inſtabat.* Valer. Max. lib. V. cap. III. *Themiſtoclem victorem victi hoſtis genua complecti.* CIOFANUS.

3. *Pervenit in urbes.*] *Ad urbes*, codex Douzae.

4. *Decolor & factis inficianda tuis.*] *Diſcolor* Gronovianus, duo Voſſiani, & unus, quo vir humaniſſimus Angelus Aproſius Intimelius me donavit, cum altero Menteliano: cum gloſſa, *priori famae tuae. Diſcolor factis tuis.* quomodo apud Horatium lib. I. Epiſt. ad Lollium. Ep. XVIII.

Ut matrona meretrici diſpar erit; aeque
Diſcolor infido ſcurra diſtabit amicus.

Noſter Triſtium lib. IV. II. 42.

Quaeque ſemel toto veſtis mihi ſumitur anno,
Sumatur fatis diſcolor alba meis.

Stat. Theb. IX. *Pelago nec diſcolor amnis*, id eſt concolor. & Catal. Pith. p. 35. & p. 160. *Diſcolor calculus.* & p. 161. *Diſcolor Iris. Concolor error* Prudentio contra Symmachum libro II. v. 871. vulgata tamen ſcriptura poteſt ferri. Mort. Druſ. 386. *Decolor infecta teſtis Itargus aqua.* Claud. Bell. Gild. 193. *Terret cunabula decolor infans.* Amm. Marc. XVI. *Dies humectus & decolor*, id eſt fuſcus. Statius XII. *Et ſanguine decolor ibat.* Vetus Poëta apud Ciceron. lib. II. Tuſc. Quaeſt. *Jam decolorem ſanguinem omnem exſorbuit.* Amm. Marc. XVI. *Spumans deinde cruore barbarico decolor alveus.* Minucius in Octavio: *Ut Thraſimenus Romanorum ſanguine & major eſſet & decolor.* Silius libro XI. 423.

——*Patrias paulatim decolor artes*
Exuit.

De Hannibale. apud Virgilium lib. VIII. *Deterior & decolor aetas.* & apud Prudentium, *decolor uſus* lib. I. contra Symmachum:

— — — *Nec decolor uſus*
In vitium verſae monumenta coinquinet artis.

Vide Obſervata Franciſci Jureti in Symmachum pag. 38. & pag. 76. HEINSIUS. Recte *decolor*, id eſt deformis: ita *decolor Indus*, qui aliis *niger.* ut noſtro III. Art. Am. 130. & V. Triſt. III. 24. Proper. IV. III. 10. ubi vide egregie Broukhuſium. BURMANNUS.

At non ille velit, cui nox (ſi creditur) una
Non tanti, ut tantus conciperêre, fuit.
Plus tibi, quam Juno, nocuit Venus. illa premendo
Suſtulit: haec humili ſub pede colla tenet.
Reſpice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus caerulus ambit humum.
Se tibi pax terrae, tibi ſe tota aequora debent:
Implèſti meritis Solis utramque domum.
Quod te laturum eſt, coelum prior ipſe tuliſti:
Hercule ſuppoſito ſidera fulcit Atlas.
Quid niſi notitia eſt miſero quaeſita pudori,
Si macula ſtupri facta priora notas?
Tene ferunt geminos preſſiſſe tenaciter angues,
Cum tener in cunis jam Jove dignus eras?

Coepiſti

9. *Venit.*] *Velit* legendum eſſe cum decem libris antiquis ſuperiora ſatis perſuadent. HEINSIUS. Ita Daunius Epiſt. 1. & 2. ad Reinelium.

10. *Non tanti.*] Sligtenhorſtius ex ſcriptis libris legebat:

Non ſatis, ut tantus conciperêre, fuit.

Atque ita minor Gryphii editio. HEINSIUS. In Moreti codice eſt, *non tanta, ut tantus*; forte bene. ut Epiſt. XII. 58.

Acta eſt per lacrimas nox mihi, quanta fuit.

BURMANNUS.

13. *Vindicibus.*] Sarravianus ſollemni aberratione *judicibus*. male. Senec. Herc. Oet. 321.

Vindicem tellus ſuum
Defendet omnis.

Et 109.

Totusque poſcit vindicem mundus ſuum.

Qui locus & hic *tota aequora* confirmat. BURMAN.

14. *Qua.*] Id eſt *ubi*. CIOFANUS.

15. *Se tibi pax.*] Sic in veteribus, atque hoc loquendi modo ſeptimo etiam Metam. Ovidius utitur:

Tibi ſe ſemper debebit Iaſon. NAUGERIUS.

Alii codices *pars terrae* habebant. nos ex manu ſcriptis codicibus *pax* reſtituimus. EGNAT. Scribe:

Se tibi pax terrae, tibi ſe tuta aequora debent.

Nam & mare & terras, domitis belluis & monſtris marinis, pacaverat. Pindar. Nemae. Od. 1. & III. & hinc a Senec. lib. 1. de Benef. c. 12. *Terrarum marisque pacator* Hercules dictus. Senec. Med. 637.

Ipſe poſt terrae pelagique pacem.

Unde & patet hoc verſu *pax* terrae, non *pars* legendum. idem probatur ex Hercul. Oet. v. 250.

Senſere terrae pacis auctorem ſuae
Abeſſe terris.

Vide & Herc. Oet. v. 31. 283. & 793. & Herc. Fur. 270. & 1837. hinc in inſcriptionibus dicitur HERCULES PACIFER. quo alludit Claudian. Praef. lib. II. de Rapt. Prof.

Thracia pacifero contigit arva pede.

Tuta autem aequora, ut in Halieut.

Tutumque evadit in aequor.

Vulgatam qui praefracte tueri velit, habeat ſibi iſta ex Herc. Oetae.

Geſſeris coelum licet
Totusque pacem debeat mundus tibi. HEINSIUS.

Qui *tuta* cum Heinſio probant, poſſunt & illa Ovidii noſtri adducere ex lib. 1. Faſt. 67.

Quorum ſecura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.

Sed cum in nullo codice haec lectio appareat, nos *tota* retinemus. imitatus haec Joſ. Iſcanius lib. II. Bell. Troj. 130.

Non ſolum tibi ſe tellus, ſed ſidera debent. BURM.

16. *Utramque domum.*] Id eſt orientem & occidentem, quia inde Sol, ut ex domo egreditur, huc iterum quaſi domum ſe recipit. Senec. Herc. Furent. 1061. *Novit tuas utrasque domus.* & Herc. Oet. 3.

Utraeque Phoebi ſentiunt fulmen domus.

Noſter *utrumque Phoebum* dicit. 1. Metam. 338. & *utrumque latus Solis.* II. Faſt. 136. BURMANNUS.

17. *Prius.*] Baſileenſis & Moreti *Prior*. recte: ita II. Art. 218.

Qui meruit coelum, quod prior ipſe tulit.

18. *Suppoſito.*] Malebat Heinſius olim *ſepoſito*; quod Hercule omiſſo explicabat, & ita Parentem ſuum accepiſſe notavit. vel explicabat Hercule *ſepoſito*, pro ſeponente, ut eo ſeponente ſucceſſerit Atlas. nimirum, ut poſtquam Hercules aliquamdiu tuliſſet coelum, dum Atlas quieſceret, ille deinde iterum remoto Hercule, munus ſuum ſubierit. ſed quia in nullo codice haec ſcriptura exſtat, & in omnibus fere codicibus legatur *fulſit*, ego hunc verſiculum, parentheſi incluſum, legerem hoc modo:

Her-

Coepisti melius, quam desinis. ultima primis
Cedunt: dissimiles hic vir & ille puer.
Quem non mille ferae, quem non Stheneleius hostis,
Non potuit Juno vincere; vincit Amor.
At bene nupta feror; quia nominer Herculis uxor:
Sitque socer, rapidis qui tonat altus equis.
Quam male inaequales veniant ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus: species laesura ferentem.
Si qua voles apte nubere, nube pari.
Vir mihi semper abest; & conjuge notior hospes
Monstraque, terribiles persequiturque feras.
Ipsa domo vidua, votis operata pudicis,
Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.

Inter

(*Hercule suppositо sidera fulsit Atlas.*)
Ut sensus sit, tu coelum, quod te laturum est, prior tulisti, tunc scilicet, cum Atlas perpetuo onere coeli fatigatus & deficiens, supposuerit ad tempus Herculem, quo quasi vicario fulsit sidera, quae aliter fuissent ruitura. Claud. I. laud. Stil. 142.

Sic Hercule quondam
Sustentante polum, melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit signifer astris
Perpetuaque senex subducta mole parumper
Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas.

Supponere hic est substituere. ita *vicariam fidem supponere* dixit Cicero pro Rosc. Americ. 38. *Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur. Fulsit* si vero alicui non placet, licet Vossius lib. III. Anal. 33. hoc etiam ex loco probet, ille *fulcit* pro *fulciit* capiat, vel *fulcivit.* Burmannus.

19. *Notitia est.*] Illud *est* abest a multis. forte *Quid nisi notities.* vid. supr. II. 137. *Pudorque*, etiam malebat Slichtenhorstius. non probo. Heins.

20. *Si cumulas stupri facta priora nota.*] Cum Regio codice scribendum videtur, *Si maculas stupri facta priora nota.* nisi quod *turpi nota* malim. ut est apud veterem Poetam:

Cur te dedecoras, formam cur maculas tuam?

Vel, *Si macula turpi facta priora notas*, quod est in aliis quibusdam. nonnulli, *cumulus notat.* Vulgata minus est Latina. Heinsius. In tanta codicum varietate praeferrem ego:

Si macula stupri facta priora notas.

Macula stupri, ut apud Terentium *avaritiae macula.* Adel. v. 8. apud Justin. XXXVI. *Segnitiae. Furtorum & flagitiorum.* Cicer. v. Verr. 46. *Notas* vero est infamia & deformia reddis egregie ante acta, hac nova stupri servilis nota. ut supr. II. 86.

Quisquis ab eventu facta notanda putet.

Vid. Broukh. ad Propert. III. v. 52. neque tamen rejicerem codicis Leidensis lectionem: *Si cumulo stupri facta priora notes*, vel *notas*, ut est in Francof. si post tot amores, nunc cumulo hujus stupri notas facta priora. *Turpi* in nullo codice conspicitur. Douza ex suo codice proferebat:

Si cumulus stupri facta priora notat? Burman.

21. *Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues, Cum puer in cunis jam Jove dignus eras?*] Lib. I. De Arte:

Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
Pressit, & in cunis vel Jove dignus erat.

De hac re Senec. Hercule furente actu secundo, initio. Virg. VIII.

— — *ut prima novercae*
Monstra manu, geminosque premens eliserit angues.

Theocrit. ἐν ἡρακλίσκῳ sub initium:

Τᾶμος ἄρ᾽ ἀινὰ πέλωρα δύω πολυμήχανος Ἠρη
Κυανέαις Φρίσσοντας ὑπὸ σπείρῃσι δράκοντας
Ὧρσεν ἐπὶ πλατὺν οὐδόν.

Vide reliqua. Ciofanus. Vid. Morell. ad Stat. III. Silv. I. p. 310.

27. *Quia nominor.*] *Nominer* Argentinensis, quod requirunt sequentia. Heinsius.

29. *Veniunt.*] *Veniant* Puteaneus. Idem.

31. *Non honor est, sed onus.*] Παρωνομασία. P. Rutilius: *Ad hujus sceleratissimi opera qui fuit locus? religiosissimus: nimirum quia traditam sibi publicorum custodiam sacrorum non honori, sed oneri esse existimavit.* Ciofanus.

31. *Ferentes.*] *Ferentem* meliores. Heinsius. Et hoc Douza probat, & mox, *si qua velis.*

33. *Conjuge notior, hospes.*] Tolle distinctionem. Heinsius.

35. *Votis operata pudicis.*] *Studiis* Argentinensis. sic *studiis operata Dianae.* Metam. VII. 751. & *studioque operatus inhaesi.* lib. VIII. 865. ita III. Fast. 261. ex MSS.

— *Nemori studioque operata Dianae.*

Operae

Inter ſerpentes, aprosque, avidosque leones
Jactor, & eſuros terna per ora canes.
Me pecudum fibrae, ſimulacraque inania ſomni,
Ominaque arcanâ nocte petita movent.
Aucupor infelix incertae murmura famae:
Speque timor dubia, ſpesque timore cadit.
Mater abeſt; queriturque Deo placuiſſe potenti;
Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adeſt.
Arbiter Eurytheus irae Junonis iniquae
Sentitur nobis, iraque longa Deae.

Haec

Operari autem proprie in ſacris. de quo vide Paſſerat. ad Propert. lib. II. Eleg. XXXIII. ỳſ. 3. & Pigh. ad Valer. Max. VI. c. 6. Hafnienſis vero habebat, *thalamis operata pudicis.* Forte:

Ipſe domi viduae thalamis operata pudicis.

Domi vidua erat in uno Moreti. Heinsius. Retinerem *votis.* vota enim concipiebat, ne vir caderet inter tot Athla & pericula, & ſacrificiis deorum pacem expetebat. non agit hic de laniſicio aut aliis pudicarum matronarum ſtudiis, ſed de votis & precibus, ne vir cadat. Burmannus.

38. *Et haeſuros cerno per oſſa canes.*] *Eſuros* eſt in multis codicibus. Puteaneus *haeſuros terna per oſſa.* in uno Vaticano *eſuros cerno per ora.* Scribe, *eſuros terna per ora canes.* Cerberum intelligit. ſimiliter fere Seneca Herc. Fur. 795. de eodem:

——— *vocis horrendae fragor*
Per terna miſſus ora, felices quoque
Exterret umbras.

Et Noſter Metam. VII. 414.

Implevit pariter ternis latratibus auras.

Metam. X. 22.

Terna Meduſaei vincirem guttura monſtri.

Paullinus Epiced. Celſi Pueri:

Latrantem in foribus per tria roſtra canem.

Triſaucem Cerberum faciunt Poëtae, notum illud Maronis lib. V. 417.

Cerberus haec ingens latratu regna triſauci
Perſonat.

Feſtus Avienus Deſcriptione Orbis:

Et Maryandinon gens incolit, unde triſauci
Ore canem ſuperas quondam produxit ad oras
Alcides Erebo.

Peſſime legitur, *triformis Ora canis*, poſſis &:

——— *Triſaucis*
Ora canis. ———

Sed praeſtat alterum. apud Graecos Poëtas τρικάρηνος Cerberus. Heinsius. Nihil certius hac correctione. ſic & apud Senec. Herc. Fur. 784.

Qui trina vaſto capita concutiens ſono
Regnum tuetur.

Ubi alii codices *terna*, ſed nihil opus. idem enim in Thyeſte 676.

——— *Saepe latratu nemus*
Trino remugit. ———

Ubi & ad Cerberi latratum reſpicit. ſic *trina* & *terna* de his iisdem Cerberi capitibus confunduntur lib. X. Metam. 22. loco ab Heinſio adducto. & Schol. Statii ad lib. II. Theb. 32. dicit *trina lumina trium capitum*, de Cerbero, qui paullo poſt a Poëta vocatur ỳ. 53. *Triformis janitor leti.* unde vulgata apud Avienum poſſet defendi. vid. ad IV. Metam. 449. Burmannus.

40. *Omina.*] Id eſt reſponſa ac vaticinia, quae noctu captare ſoleo. eſt enim nox arcanis hujusmodi ſacris maxime idonea: unde & *arcanam* vocat. ſic & apud Virgilium Dido noctu ſacris vacat, dum una amore Aeneae laborat. Mycill. Imo, *Ominaque*, ut in ſuo codice notaverat Scaliger. Dan. Heinsius. *Ominaque.* jam monuerunt alii. Tibullus lib. III. Eleg. IV.

At natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant & ſaliente ſale.

De ominibus nocturnis Valerius Flaccus libro VII. ỳſ. 250.

——— *Triſtes thalamos infauſtaque cerno*
Omina.

Sic ſcribendum. Noſter libro IX. Metam. 766.

——— *Omina ſaepe*
Viſaque cauſatur.

Plautus Mercat. Act. II. Scen. I.

Miris modis Dî ludos faciunt hominibus,
Mirisque exemplis omina in ſomnis danunt.

Ut recte caſtigavit Paſſeratius ad lib. IV. Propertii Eleg. IV. qui plura de nocturnis ominibus congeſſit. Heinsius. Ego mallem quidem, *ſomniaque arcana nocte petita movent.* quia rectius *ſomnia petere*, quam *omina* dici puto. Virgil VII. Aeneid. 89.

Pellibus incubuit ſtratis ſomnosque petivit.

Medicinam ſomnio petere dixit Quartilla apud Petronium: ſed quia praeceſſit *ſimulacraque inania ſomni*, acquieſco emendationi Heinſianae, & intelligo de ominibus per magica ſacra petitis. nox enim *arcana* eſt, quae magiae impenditur. ut Statius quoque vocat X. Theb. 360. quam Valer. Flac. VIII. 25. *ſacram* dixit. vid. ad Valer. Flac.

VI.

Haec mihi ferre parum eſt: peregrinos addis amores:
Et mater de te quaelibet eſſe poteſt.
Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos:
Non tibi crimen erunt Theutrantia turba ſorores:
Quarum de populo nulla relicta tibi.
Una, recens crimen, praefertur adultera nobis;
Unde ego ſum Lydo facta noverca Lamo.
Maeandros, toties qui terris errat in ìsdem,
Qui laſſas in ſe ſaepe retorquet aquas,

Vidit

VI. 477. praeterea Heinſius ad XIII. Metam. 416. hic *monent*, (ut & conjecerat Slichtenhorſtius) legendum eſſe contendit. quod ego ſollicitudini & jactationi convenire minus puto, ac *movent*, quod eſt turbant, & vexant. praeterea in nullo libro *monent* exſtare deprehendi. Criſpinus hic ſibi egregie placet, qui explicat *petita*, excogitata, & *omina*, inanes ex quibuslibet rebus conceptas per noctem cogitationes, ut ex abaci crepitu, &c. BURMANNUS.

42. *Speque timor dubia, ſpesque timore cadit.*] Scite. Nam nulla ſpes eſt ſine timore, nullus timor ſine ſpe. ſic libro & elegia I. Triſtium:

Nam ſpes eſt animo noſtra timore minor.

Et in Epiſt. XIII.

Spes bona ſollicito victa timore cadit.

Et lib. II. Amor. Elegia XIX.

Speremus pariter, pariter metuamus amantes.

Sed hac de re videndus eſt Ariſtoteles lib. II. Rhetoricum. CIOFANUS. *Cadunt* unus Vaticanus.

43. *Potenti.*] In uno Strozzae erat, *Deo placuiſſe tonanti*, quod & pro varia lectione in Scriverii & Sarravii erat adſcriptum; neque Heinſio diſplicebat. *Petenti* Douzae codex.

44. *Hyllus.*] *Ilos* Alter Lovanienſis. lego *Hyllos*. HEINSIUS.

45. *Arbiter Euryſtheus ſentitur nobis, &c.*] Non tantum quia Herculi labores imperabat, ſed & quia totam ejus familiam perſequebatur. Hinc eſt, quod alios alio diſperſos & disjectos dicit. MICYL.

46. *Sentitur.*] Efficax verbum. vid. ad Petron. cap. 139.

46. *Iraque longa Deae eſt.*] Sic alibi idem Poëta: *An neſcis longas regibus eſſe manus?* q. d. ipſam Junonem etiam extra Euryſthei regnum perſequi ipſos. Sunt tamen, qui ſcribant, *lenta*, pro longa: ut ſit, *lenta ira* dictum pro diuturna. MYCILLUS.

47. *Parum eſt.*] *Haec mihi ferre parum* meliores. HEINSIUS. Vid. ſupr. ad Epiſt. III. 25.

48. *Mater quaelibet.*] Imitatio Propertii:

Et de me poterat quilibet eſſe loquax. DOUZA.

51. *Nec tibi.*] *Non tibi* meliores. HEINSIUS.

51. *Theutrantia turba.*] Non *Theſtitia*, aut *Theſpicia* legendum eſſe, facit cum illud a Politiano inventum, tum etiam quod Stephanus Theutrantem Theſpii patrem facit, à quo *Theutrantia turba* jure Theſpiades appellatae. EGNATIUS. Varia hic comminiſcuntur interpretes. ſed verum quod Egnatius poſt Politianum notavit, Noſtrum ſequi auctores illos, qui Theſpium ſive Theſpin faciunt Theutrantis filium, Pandionis nepotem. vid. Euſtath. ad Iliad. β. 498. & Steph. in Θεσπέια. & Bernartium ad Statii III. Silv. I. qui ibi Domitio miranti hoc epitheton ſatisfacit. vid. & Senec. Herc. Fur. 177. ubi Gronov. de hoc Herculis virili plane facinore vid Munker. ad Hygin. Fab. CLXII. BURM.

53. *Refertur.*] Nos, ſyllaba refragante, quandoque *referetur*, nunc vero diligentius examinata re, *defertur* legendum cenſemus. quod proprie id verbi ſignificatum ſit, unde & *delatores*. ſed & codex unus manuſcriptus *defertus* habuit. EGNATIUS. *Refertur* multi ex ſcriptis. ſed *praefertur* legendum cum ſex codicibus. Deianira de Iole ſimiliter apud Senecam Hercule Oetaeo 304.

——*Capta praelata eſt mihi,*
Non praeferetur. HEINSIUS.

Praefertur etiam Francofurtenſis.

55. *Maeander, toties qui terris errat in ìsdem.*] *Ripis in ìsdem* vetus editio. *Terris toties qui volvitur ìsdem* unus Vaticanus. *Verſat in ìsdem* prior Lovanienſis. alter, *regnat in ìsdem. Maeandros* etiam praeſtantiores libri. ut ſupra *Tyndareos*. V. 31. quomodo & Met. lib. II. 246

Quique recurvatis ludit Maeandros in undis.

Et lib. VIII. 162.

—— *Phrygiis liquidus Maeandros in undis*
Ludit.

Lucanus lib. III. 207.

Qua celer & rectis deſcendens Marſya ripis
Errantem Maeandron adit.

Ubi perperam vulgo *erectis*. *Rectis*, non recurvatis. & ſic praeter codices ſcriptos Grammatici veteres hunc Lucani locum exhibent. Senec. Phoenis. 605.

Nec laetis minus Maeandros arvis
Flectis errantes aquas.

Sic Orpheo in Argonauticis, καὶ πολυπλάνεος Μαιάνδρου. Vibius Sequeſter: *Maeandros Cariae, gentis*

Vidit in Herculeo ſuſpenſa monilia collo;
Illo, cui coelum ſarcina parva fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et ſolidis gemmas adpoſuiſſe toris.
Nempe ſub his animam peſtis Nemeea lacertis
Edidit: unde humerus tegmina laevus habet.
Auſus es hirſutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeae populus alba comae.

Nec

Aſiae. hic tam flexuoſus eſt, ut in ſeſe recurrat. Solinus cap. LIII. *Maeander recurrentibus ripis flexuoſus.* Ceterum codex Puteaneus hunc verſum ita conſtituit:

Maeandros toties terris erratur in isdem.

Recte, ſi *errator* reponas. At Scriverianus prior:

Maeander fluvii toties redeuntis eodem.

Quomodo Byblis libro Metam. IX. dicta:

Filia Maeandri toties redeuntis eodem.

Quam lectionem illa Plinii lib. v. 29. confirmant: *Maeander ortus in monte &c. ita ſinuoſus flexibus, ut ſaepe credatur reverti.* & paullo ante: *Lydia perfuſa flexuoſis amnis Maeandri recurſibus.* vid. Plutarch. de Flumin. p. 31. Ed. Mauſ. & Vib. Sequeſt. in *Maeandro*: tres alii codices non contemnendae notae:

Maeander qui ſe toties concludit in orbem.

HEINSIUS. Hic iterum mire variarunt manus librariorum in hoc loco exprimendo. in Vaticano, Intimeliano, Barberino & uno Menteliano erat, *qui ſe toties concludit in orbem.* in Regio, *toties qui ſe includit in orbem*, quae lectiones ex librariorum cerebro provenire nequierunt: occultant enim venuſtiſſimam lectionem, & quam a Poëta luxuriante, ut ſolet in his, profectam putem, ſcripſit nimirum:

Maeandros, toties qui ſecum ludit in orbem,
Qui laſſas in ſe ſaepe retorquet aquas.

Ludere dicit *in orbem* Maeandrum, adludens ad ſaltantes, qui chorum ducunt, & in gyrum ludunt. ut de Delphinibus III. Met. 685.

Inque chori ludunt ſpeciem.

Et de Fluvio Petronius cap. CXXXI.

Has inter ludebat aquis errantibus amnis.

Ubi plura notavimus. & haec ſignificatio τοῦ *ludere* eſt ſatis obvia; & locus II. Met. 246. ab Heinſio adductus egregie adfirmat. cui adde VIII. Metam. 162. & quae ibi Heinſius notat. nemo melius hunc ſecum ludentis & quaſi chorum ducentis Maeandri imaginem expreſſit Senecā Herc. Fur. 684.

Qualis incerta vagus
Maeander unda ludit, & cedit ſibi
Inſtatque, dubius litus an fontem petat.

Ludentes rivos in MSS. eſt apud Noſtrum Remed. 177. BURMANNUS.

56. *Qui lapſas in ſe.*] *Laſſas* Puteaneus & alii nonnulli cum primis editionibus. pro *retorquet* vetus Scholiaſtes in Metamorphoſes lib. II. 246. *Recurvat*, agnoſcit, ut ibi:

Quique recurvatis ludit Maeandros in undis.

HEINSIUS. *Laſſas*, non *lapſas* reſcribimus cum optimis codicibus; & convenit hoc quoque ſaltatione fatigatis. ita Propertius I. Eleg. 3. *Edonis feſſa chorois.* & Noſter I. Faſt. 424. *Sicut erat luſu feſſa, quievit humo.* ſic aquas quoque & flumina paſſim *laſſa* & *feſſa* Poëtae dicunt; praeſertim ſi recurvata ſunt. Noſter I. Met. 582.

In mare deducunt feſſas erroribus undas.

Lucan. v. 466.

Neuter longo ſe gurgite laſſat.

Et VI. 45.

Flumina tot curſus illic exorta fatigant. BURM.

58. *Illo cui coelum.*] *Collo, cui coelum* pro diverſa lectione unus ex noſtris. HEINSIUS.

60. *Gemmas appoſuiſſe toris.*] Perperam Puteaneus & multi alii *oppoſuiſſe.* nec *impoſuiſſe* probum eſt, quod alii exhibent. Vopiſcus in Aureliano. cap. 7. *Torquem brachialem & annulum apponat.* Ubi contraria ſententiā, *ne apponat* puto ſcribendum. ſic & Spartianus in Aelio Vero cap. 5. *Alas alicui apponere* dixit. Juvenalis Sat. VII. de calceis:

Appoſitam niveae lunam ſubtexere alutae.

Marc. Capell. lib. I. *Diadema capiti apponere.* & ibidem: *Flammantem coronam vertici apponere.* qui id verbum unice in deliciis habuit. lib. II. *Apponit vertici Diadema nuptiale:* & alibi: *Ornatum pectori apponere.* Noſter initio lib. I. Faſt. 44.

Menſibus antiquis appoſuitque duos.

Ut illic legendum. & lib. II. Art. Amat. 584.

— — vix denique poſſunt
Partibus obſcoenis appoſuiſſe manum.

Triſt. III. El. XIV.

Hoc quoque neſcio quid noſtris appone libellis,
Diverſo miſſum quod tibi ab orbe venit.

Ut & illic recte libri veteres. Pont. III. El. III.

Appoſui ſenis te duce quinque pedes.

Horat. lib. I. Od. XVI. *Inſani Leonis vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.* Macrob. Saturn. lib. VII. cap. VII. *Dic, oro te, quae facit cauſſa, ut ſinapi & piper, ſi appoſita cuti fuerint, valnus excitent & loca perforent.* A. Gell. lib. VI. c. 9 ex annalibus L. Piſonis: *Sellam curulem in limine appoſuit, ne quis illorum*

exire

Nec te Maeonia, laſcivae more puellae,
Incingi zona dedecuiſſe putas?
Non tibi ſuccurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equas?
Si te vidiſſet cultu Buſiris in iſto;
Huic victor victo nempe pudendus eras.
Detrahat Antaeus duro redimicula collo;
Ne pigeat molli ſuccubuiſſe viro.

Inter

exire poſſet. Appoſita coma pro adſcititia Avien. Fab. x. de Equite Calvo:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quae fuit ante coma.

Ubi & mox videtur legendum:

Quid mirum appoſitos referens fugiſſe capillos,
Quem prius aequoreae deſeruere comae.

Ubi circumſertur *referens poſitos*; niſi *poſitae comae* pro *appoſitis* illic ſumuntur. quomodo *poſita* & *appoſita* menſa, tum *poſiti* & *appoſiti cibi* apud Poëtas frequenter. Idem Avien. Fab. xxxv. de Simia & natis:

Sed cum laſſatis nequeat conſiſtere plantis,
Appoſitum fugiens ſponte remiſit opus.

Ubi male *oppoſitum* nunc legitur, *remiſit* quoque, non *relinquit* ex vetuſtis manuſcriptis legi debet. Plura dixi Ep. VII. ℣. 10. HEINSIUS.

62. *Edidit.*] Moreti codex *perdidit*. Leidenſis *credidit*. ſed electa & proba locutio *edere animam* pro mori. Cicero. pro Seſtio cap. 38. *Ac ſi tunc P. Seſtius, Judices, in templo Caſtoris animam, quam vix retinuit, edidiſſet.* ubi vid. notas Abrahami. apud Noſtrum quoque lib. XIV. Metam. 777. quidam codices habent *edidit*, ſed nos ibi *exſuit* retinemus. & apud Ciceron. pro Planc: 37. *Qui pro repub. vitam ediderunt*, ubi alii *dederunt*, *dedidderunt*, *reddiderunt*. BURMANNUS.

64. *Populus alba.*] *Alma* Puteaneus. ſed nil muta. ſuperiori verſu, *myrto redimire*, pro *mitra* liber Hafnienſis, ut populus myrto opponatur. HEINSIUS. Sed *mitra* probum eſt. vid. Senec. Herc. Oet. 375. & Furent. 471. *Cohibere capillos* quoque Lovanienſis, quod niſi praeceſſiſſet, reciperem. nam proprium in hac re verbum eſſe oſtendit doctiſſimus Bentl. ad Horat. III. Od. 14. & vide ad lib. V. Metam. 53. ſed *redimire* etiam proprie, quia *mitrae* habent *redimicula*, ut Virgilius canit lib. IX. 616. ubi vide interpretes. *Alma* etiam populus an dici queat dubito, cum hoc epithetum proprie in frugiferas arbores, unde alimenta ſunt, conveniat. *Alba* vero populus, quia ejus folia interiora ſunt alba, ut vetus Scholiaſtes docet ad illa Horatii II. Od. 3.

Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis.

Virgilius Eclog. IX.

Hic candida populus antro
Imminet.

Graecis inde λευκὴ, & noſtratibus WITBOOM. aptior autem illa Herculi dicitur, quia ea coronatus ab inferis rediit, teſte Servio ad Virg. Eclog. VII. 61. ubi fabulam de Leuce Nympha narrat. & ad v. Aeneid. 135. Philargyrius vero ad Virg. II. Georg. 67. videtur notare Herculem palma coronatum rediiſſe in lucem; ſed puto ejus notam loco motam, & referendam ad proxime praecedentem verſum:

Herculeaeque arbos umbroſa coronae.

Quod inde patet, quia de colore arboris addit, quod ſignificaret ſe è tenebris in lucem commeaſſe. Palmam vero arborem albi coloris frondem gerere numquam legi vel audivi. etiam *bicolor populus*, notante Servio, ab eodem Marone dicitur; praeterea omnes Mythologi uno ore de Populea corona loquuntur. BURMANNUS.

66. *Incingi zona dedecuiſſe pudet.*] *Putas* nonnulli. *Putes* Leidenſis. certe *puduit* jam praeceſſerat. Remed. Amor. 410.

Et nihil eſt quod ſe dedecuiſſe putent.

Ubi ſimiliter *pudet* in quibusdam libris. Praeterea *Maeoniam zonam* excerpta Douzae, ut ſit Graeciſmus. HEINSIUS.

67. *Non tibi ſuccurrit crudi Diomedis imago, Efferus humana qui dape pavit equos.*] In Ibin:

Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viſcere pavit equos. CIOFANUS.

Equas Puteaneus & tres alii. ſic infra:

Non hominum pingues caede tacentur equae.

Alii tamen equos fuiſſe contendunt. Claud Praefat. lib. II. de Rapt. Proſerp.

Et Diomedeos gramine pavit equos.

Vide quae noto lib. IX. Met. V. 194. HEINSIUS.

69. *Si te vidiſſet cultu Buſiris in iſto, Huic victor victo nempe pudendus eras.*] Lib. IX. Metamorph. *Buſirim domui.* Ubi ex D. Auguſtino lib. XIIX De Civitate Dei, cap. XII. haec dixi: *Buſiris regnante Danao Argivis rex, vel potius tyrannus, ſuis diis hoſpites immolabat, & ab Hercule interemptus eſt, cùm etiam eum voluiſſet occidere* Oroſius lib. I. cap. XI. *Buſiridis in Aegypto cruentiſſimi tyranni crudelis hoſpitalitas, & crudelior religio tunc* (ante

Inter Iöniacas calathum tenuiſſe puellas
Diceris; & dominae pertimuiſſe minas.
Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
Raſilibus calathis impoſuiſſe manum?
Craſſaque robuſto deducis pollice fila,
Aequaque famoſae penſa rependis herae?
Ah quoties, digitis dum torques ſtamina duris,
Praevalidae fuſos comminuêre manus.

Crede-

Urbem conditam DCCLXXV.) *fuit*, *qui innocentium hoſpitum ſanguine diis*, *ſcelerum ſuorum participibus*, *propinabat*. De eodem Arnobius, & Hyginus. CIOFANUS.

70. *Huic.*] Sarravianus codex *ſic.* bene; illo in habitu. BURMANNUS.

73. *Maeonias inter.*] Rectius vetus, *Inter Iöniacas.* brevi prima ſyllaba, ut

Nec Latium norat, *quam praebet Iönia dives.*

NAUGER. Alii *Maeonias inter*, reclamante codicum fide. ex quorum auctoritate lectionem ita reſtituendam admonere lectorem voluimus. EGNAT. Verbum inſolitum & inuſitatum *Iöniacas* eſt; quamvis hoc quidam defendant. lego igitur *Maeonias inter* &c. perinde ut & Aldina editio habet. Aut certe *Inter Iönicas*, quo pacto idem verſus etiam in ſecundo de Arte legitur. quanquam prior lectio magis placet, magisque propria eſt. quando ancillae Omphales, de quibus hic intelligit non Iönicae, ſed Lydiae fuerunt. MICYLLUS. Lege ex utroque Vatic. *Inter Iöniacas* &c. Repetit hunc verſum lib. II. De Arte, ubi ita eſt:

Inter Iöniacas calathum tenuiſſe puellas
Creditur, *& lanas excoluiſſe rudes.* CIOFANUS.

Maeonia zona paulo ante praeceſſerat. quare *Maeoniae puellae* hic minus placent. *Inter Iöniacas* libri veteres. quomodo & Art. Amat. lib. II. ỳ. 219.

Inter Iöniacas calathum tenuiſſe puellas
Creditur, *& lanas excoluiſſe rudes.*

Ubi tamen vetuſtiores libri *Iönicas inter.* Forte, *Inter Cöiadas.* ut Epiſtola Sabini ad Oenonen. 45.

Dicitur & Coae ſediſſe in veſte puellae,
Illa Cleonaeo tecta leone fuit.

Sed verius puto, *Inter Iöniadas.* quomodo alibi, *Achaiades matres*, *Pelaſgiades urbes*, & ſimilia. Stephanus in Ἰωνίχ, ὁ οἰκῶν Ἴων, καὶ Ἴωνις, καὶ Ἰάς. Scribo, καὶ Ἰωνίας καὶ Ἴας. ſic *Pyrrhiades Methymniadeſque puellae*, & *Lesbides & Sicelides* Epiſtola Sapphus, & Paridis Epiſtola *Dardanides nurus* ỳ. 19. ubi plura. & Helenes 212. & *Argolides* Epiſtola Hypſipyles. ỳ. 81. ubi etiam nonnihil dictum eſt. *Italides* & *Oebalides matres* in Faſtis. Plura ad I. Art. Amat. 172. HEINSIUS.

75. *Non fugis.*] Lego, *non pudet Alcide.* nam & haec lectio in quibuſdam ferri notatur. MICYLLUS. Repone cum melioribus, *Non fugis*, noto Graeciſmo. ſic *fuge credere* apud Lucretium, *fuge quaerere*, & *fuge ſuſpicari* apud Horatium, ut & plura hujuſce notae. Virgilius IX. 199.

Mene igitur ſocium ſummis adjungere rebus,
Niſe fugis?

Statius: *Magnos fuge tangere manes.* Noſter Triſt. IV. El. III. ex antiquis membranis:

Tempus ubi eſt, *quo te* (*niſi ſi fugis illa referre*)
Et dici, *memini*, *juvit & eſſe meum.*

Tibullus lib. I. Eleg IV.

O fuge, *te tenerae puerorum credere turbae.*

Claud. lib. I. in Eutr. 501. ex optim. membran.

—— *Stilico quid vincere differs*,
Dum pugnare fugis?

Vulgati, *pugnare pudet.* ubi vide plura. Orientius Commonitorio:

Contere calcatum cum mundi Principe mundum,
Et fuge laſcivis credere deliciis. HEINSIUS.

76. *Impoſuiſſe.*] *Implicuiſſe* codex Douzae.

77. *Deducis pollice fila.*] *Deducere* malim, ſi libri veteres aſſentiantur, & *rependere* ſequenti verſu. HEINSIUS. *Craſſa* recte dicit, ut *ſolocem* intelligat, quae ut imperito lanam deducendi dabatur; ut contra mollis peritiſſimis ancillis dabatur. vide Paſſ. ad Catul. Epith. Thet. 312. BURMANNUS.

78. *Aequaque formoſae.*] *Famoſae* Lovanienſis. ſic *famoſus Hymen* infra, ubi male turbant libri veteres. & lib. I. Amor. El. V. *Famoſa Semiramis.* ut illic agnoſcit optimus liber. *Famoſus* pro infami illo aevo dicebant. Cicero de Orator. lib. II. 68. *Non pol*, *inquit audeo*, *nam me ad famoſas vetuit mater accedere.* Plaut. Aſin. *Qui etiam me miſerum famoſum facit flagitiis ſuis.* Plura exempla habes apud Non. Marcell. in *fama.* Martialis II. 39.

Coccina famoſae donas & hianthina mocchae.

Et ibid. Epig. 47.

Subdola famoſae moneo fuge retia mocchae.

Noſter lib. III. Am. El. V.

Deſit famoſus, *qui notet ora*, *pudor.*

Ubi *famoſum pudorem*, pro re pudenda poſuit. & El. XIV.

Solaque famoſam culpa profeſſa facit.

Certe veriſimile non fit, Deianirae laudatam eſſe à forma Iölen. Oenone de Helena ſupra:

Haerebat gremio turpis amica tuo.

Pro

Crederis, infelix, ſcuticae tremefactus habenis,
Ante pedes dominae procubuiſſe tuae.
Eximias pompas, praeconia ſumma triumphi,
Factaque narrabas diſſimulanda tibi.
Scilicet immanes eliſis faucibus hydros
Infantem cunis involüiſſe manum?
Ut Tegeeus aper cupreſſifero Erymantho
Incubet, & vaſto pondere laedat humum?

Non

Pro *Aequaque penſa*, Excerpta Puteani *Creſſaque. Craſſaque* vel *Groſſaque* multi. Regius *Plenaque.* non male. tres, *Tu quoque.* duo, *Et quoque.* Excerpta Jureti, Barberini & Voſſii codex, *Et data penſa.* quomodo & noſter Graevius conjiciebat. ſic Faſtorum lib. II. 743.

Lumen ad exiguum famulae data penſa trahebant.

Met. XIII. 511.

—— *Qui me data penſa trahentem*
Matribus oſtendens Ithacis.

Briſeïs:

Nos humiles famulaeque tuae data penſa trahemus.

Triſt. lib. IV. El. I.

Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis,
Fallitur ancillae decipiturque labor.

Aut, ſi quid mutandum, libens reponam:

Netaque famoſae penſa rependis herae.

Idque verum opinor. vid. notas in Ibid. ℣. 74. hinc *Lanipenda*, quae lanam appendit lanificis ancillis apud Scholiaſt. Juvenalis Sat. VI. ℣. 495. HEINS. *Aequa* rectum eſt: idem enim pondus, quod domina in lana appendebat, in filis rependere debebat ancilla. ſic *graviora penſa*, Propert. IV. VII. 37.

Et graviora rependit iniquis penſa quaſillis.

Ita *grandia* mox Ep. X. 90. & in Propertio habes etiam *rependere*, ut & in alia re apud Statium IV. Theb. 763.

Dircaeos tibi, Diva, greges, numerumque rependam
Plebis. BURMANNUS.

82. *Ante pedes dominae pertimuiſſe minas.*] Haec eadem fere totidem verbis habes ſupra ℣. 74. quare diſtichon hoc adulterinum eſſe opinor. quod in optimo Puteaneo, ut & ſequens, margini eſt adjectum, in ipſo contextu non apparet. HEINSIUS. Non tam facile damnanda diſticha & ejicienda arbitror. Hoc Ovidianae elegantiae mihi ſatis convenire videtur, ſi modo ex codice regio pentameter ita conſtituatur:

Ante pedes dominae procubuiſſe tuae.

In cujus locum alius adulterinus ex vers 74. conflatus & partim repetitus invaſit, & a mala manu intruſus eſt. Ep. XII. 186.

Nec moror ante tuos procubuiſſe pedes. BURMAN.

83. *Eximiis pompis praeconia ſumma triumphi.*] *Eximiis pompis immania ſemina laudum* Puteaneus. at Scriverianus, *Eximias pompas*, in ceteris cum Puteaneo conſentiens. Excerpta Douzae, *Exuviis poſitis.* Statius Achilleïde:

Quae ſolitus laudum tibi ſemina pandere Chiron.

Claudianus III. Conſ. Hon.

—— *Haec ſemina laudum,*
Haec exempla dabat.

Sed & hoc diſtichon ſuſpectum eſt. HEINSIUS. Neque hoc repudiarem, ſi ex optimis codicibus ita conſtituatur:

Eximias pompas, immania ſemina laudum,
Factaque narrabas diſſimulanda tibi.

Ironice omnia capienda, tu ita inſtructus lanificae ancillae habitu narrabas eximias pompas, (per quas *triumphos* intelligit, & quae vox ex gloſſa nata eſt. vid. I. Amor. II. 28.) quae femina laudum tuarum ſunt, & facta, quae revera tibi nenti erant diſſimulanda. ſic *laudes* & *triumphum* conjungit II. Amor. IX. 16.

Hinc tibi cum magna laude triumphus eat.

Vel, quia *immania* praeceſſit, poſſet legi:

Eximias pompas, & praemia ſumma, triumphos.

Berſmanni margo: *Exuviis poſitis meritarum ſemina laudum.* quam lectionem & Douzae codex agnoſcebat. in quibusdam codicibus huic diſticho alterum praeponebatur adulterinae, ſi quod aliud, notae:

Turpiter ipſe aliis referebas verba puellis,
Conjugis in gremio debita penſa trahens.

Et in Regio ſubjiciebatur iſti tale:

Dumque paras veniam, pudet ha! celanda recenſes,
Ante pedes dominae procubuiſſe tuae.

Unde apparet, quid ſibi librarii arrogarint, & qua audacia veterum ſcripta interpolarint. BURM.

85. *Eliſos.*] *Eliſis* meliores. HEINSIUS. Recte. & ita codex Douzae. XIV. Met. 738.

Atque onus infelix eliſa fauce pependit.

Senec. VI. Natur. Quaeſt. 28. *Non aliter, quam tor vim eliſae fauces tument.* Senec. Herc. Fur. 221.

Et tumida tenera guttura elidens manu. BURM.

86. *Infantem nuda dilaceraſſe manu.*] Multis erroribus hi duo verſiculi foedati antea erant, qui tamen ita reſtituendi, ut arbitror, fuerant:

Scilicet immanes eliſis faucibus hydros,
Infantem & caudis involüiſſe manum.

Sit tamen hoc integrum lecturis. EGNATIUS. Hic verſus in aliis ita legitur: *Infantem & caudis involüiſſe*

Non tibi Threïciis adfixa penatibus ora,
Non hominum pingues caede tacentur equae?
Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi,
Geryones; quamvis in tribus unus erat?

Inque

volüiſſe manum. ut ſit ordo. ſcilicet jactabas, ſive narrabas, hydros eliſos faucibus, & infantem involüiſſe manum caudis, ſerpentum ſcilicet. ut ſit ejusdem ſententiae iteratio ſive interpretatio. ſed prior lectio ſimplicior ac planior. Micyllus. In opt. lib. Vatic. *cintis*, non *caudis* legitur. Ut ſit ſenſus, ſcilicet manum infantem (Herculem infantem) involviſſe hydros immanes eliſos cinctis faucibus. Itaque haec lectio mihi admodum probatur. Ille autem verſus, qui in aliis libris eſt, *Infantem nuda dilaceraſſe manu:* multis de cauſis mihi non placet; tum praecipuè, quòd infanti id facinus minus convenit, & fabulae repugnat, niſi ironicòs dictum accipias. Ciofanus. Locus mendoſiſſimus. Puteaneus optimus cum ceteris pleriſque praeſtantioris notae: *Infantem caudis involüiſſe manum:* quae ſcriptura proxima eſt verae, uti mox videbimus. Alii, prout quisque interpolatorum licentiam magis magisque ſunt experti, a veſtigiis Naſonianae manus longius recedunt. Nonnulli ex minime contemnendis: *Infantem cunis involüiſſe manum.* quidam: *Infantem nuda dilaceraſſe manu.* Alter Mentelianus: *Infantem viduum dilaceraſſe manu.* alii aliter. ſcribendum: *Infantem nodis involüiſſe manum.* nihil verius. in qua correctione nihil a membranis deflexi caſtigatioribus, nihilque permiſi mihi, niſi quod *nodis* repoſui pro *caudis*; nimirum *codis* pro *nodis* antiqua librarii dederat manus. *Codas* enim & *caudas* promiſcue confundebant. ſic in fragmento Petronii Traguriano *coda vituli.* qua de re dicetur nobis nonnihil Metamorph. xii. v. 430. Singula nunc videamus. dilaceratos ab Hercule ſerpentes fuiſſe contra fidem eſt hiſtoriae, & ipſe *eliſos* verſu proxime praecedenti dixerat omnino probe. rectum igitur *involüiſſe* per διαίρεσιν. Triſtium ſecundo 237.

Miror in hoc igitur tantarum pondere rerum
Unquam te noſtros evolüiſſe jocos.

Epiſtola Medeae:

Debuerant fuſos evolüiſſe meos.

Et *involüere* in Faſtis libro vi. 584.

Donec eum appoſitis involüere togis.

Ut illic caſtigandum eſſe moneatur. *Perſolüenda*, Epiſtola Hypſipyles:

Immixtaque vota timori,
Nunc quoque te ſalvo perſolüenda mihi.

Faſt. iv. 530. *Exſolüiſſe famem.* libro v. 330. *Ludos perſolüere mihi.* Trist. iv. el. viii.

Ne temere in mediis diſſolüantur aquis.

Multa ejusdem aut conſimilis notae occurrunt quoque apud Catullum, Tibullum, Propertium, alios Poëtas. *Infantem manum* quoque bene aſſeruerunt hic nobis codices vetuſti. ſic enim & alibi Noſter. ut Metamorph. iv. 518.

—— Infantia ſaxo
Diſcutit ora ferox.

Faſt. vi. 145.

Pectoraque exſorbent avidis infantia linguis.

In Ibide:

Pectoraque imbuerunt infantia lacte canino.

Faſtorum quarto, 208.

Tutus ut infanti vagiat ore puer.

Epiſtola Canaces ex optimis membranis:

Ipſa quoque infantes cum vulnere perſequar umbras.

Infantes ſtatuas habes apud Horatium ii. Sat. v. 39. & ii. Sat. vi. 57. *Infantem pudorem.* Martialis libro xi. Ep. lxxiv.

Effigiem tantum pueri pictura Cameni
Servat, & infantis parva figura manus.

Quomodo diſertim codex Thuanus exquiſitae notae. non, quod eſt in vulgatis, *infantis parva figura manet.* Idem Martialis libro xii. Ep. lxxxii.

Sint licet infanti ſordidiora ſinu.

Quomodo & illic in Puteaneo codice pervetuſto inveni exaratum. vulgati perperam *infantis ſinu.* Accius Athamante apud Nonium: *Priusquam infans facinus oculi veſcantur tui.* ubi pro infando facinore videtur poſitum. *Uterus infantulus* apud Apulejum Metam. v. *Infantulus uterus geſtat nobis alium infantem.* niſi illic ſcribendum, *infantilis uterus.* quod opinor. Nunc de *nodis* reliquum eſt ut videamus: ita enim ſpirae ſerpentum dicebantur. apud Maronem lib. ii. 220. Laocoon, quem ſerpentes duo arcte circumligarant:

Ille ſimul manibus tendit divellere nodos.

Libro v. 279. itidem de ſerpente, *pars vulnere clauda retentat Nexantem nodis ſeque in ſua membra plicantem.* appoſite, ne dubitare poſſis, de hac ipſa re Seneca Hercule Furenti, 218.

—— Igneos ſerpentium
Oculos remiſſo lumine ac placido intuens
Artos ſerenis vultibus nodos tulit,
Et tumida tenera guttura elidens manu
Proluſit hydrae.

Rurſus ad rem auctor de laudibus Herculis, quod Poëmatium Claudiano ſubtexitur, verſibus vulgo mendoſiſſimis:

Corripis exiguis ingentia guttura palmis,
Et quavis crebris cohibentes brachia nodis
Porrigis elidens prenſos tellure dracones.

Vulgo nunc legitur:

Et quamvis teneris cogens in brachia pondus Corripis.

Sed *corripis* praeceſſerat. Elegans harum ſpirarum deſcriptio iterum apud eundem Senec. Medea: 686.

Hic

Inque canes totidem trunco digeſtus ab uno
Cerberos, implicitis angue minante comis?
Quaeque redundabat fecundo vulnere ſerpens
Fertilis, & damnis dives ab ipſa ſuis?

Qui-

Hic ſaeva ſerpens corpus immenſum trahit,
Trifidamque linguam exerat, & quaerens quibus
Mortifera veniat, carmine audito ſtupet;
Tumidumque nodis corpus aggeſtis plicat,
Cogitque in orbem.

Mox ibidem:

Huc ille vaſti more torrentis jacens
Deſcendat anguis, cujus immenſos duae
Major minorque ſentiunt nodos ſerae.

Lucanus libro VI. 490

Viperei coëunt abrupto corpore nodi.

Solinus cap. XXV. de ſerpentium ac elephantorum pugna: *Ac primum pedes nodis alligant, ut laqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem. nam elephanti, niſi praeventi hac ſpirarum mora, vel arboribus ſe vel ſaxis applicant, ut pondere nitibundo attritos necent angues.* ubi malim *pondere elidibundo.* ex quibus locis fit manifeſtum, *nodos* pro nexibus poni. Plinius lib. VIII. cap. II. utrumque conjunxit in eadem narratione: *Tanta magnitudine ut complexu facili ambiant, nexuque nodi praeſtringant.* ubi plura. ſic & in Palaeſtrica *nodos* dicebant, quibus illigabantur luctatores. de quibus Diatribe ad Silvas Statianas erudite multa congeſſit doctiſſimus Gronovius cap. XXV. hos autem ſerpentium nodos, nodos Herculis appellabant, teſte Macrobio, ab hac Herculis infantis cum ſerpentibus lucta. Is Saturnalium primo cap. XIX. ubi agit de caduceo Mercurii: *Hi dracones parte media voluminis ſui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur, primaeque partes eorum, reflexae in circulum preſſis oſculis ambitum circuli jungunt, & poſt nodum caudae revocantur ad capulum caducei mox amor oſculo ſignificatur, neceſſitas nodo.* habes ecce *nodos Herculis* in ſerpentibus. Plinius libro XXVIII. cap. VI. *Vulnera nodo Herculis praeligare mirum quantum ocioris medicinae eſt.* ſic ſcribo. Graecis Ἡράκλειον ἄμμα, de quo Medici & Athenagoras pro Chriſtianis. Atque haec de nodis ſerpentium copioſius fortaſſe, quam par erat, ne quid illuſtrando Naſonis loco hactenus perplexiſſimo deeſſet. Eſt autem hoc diſtichon εἰρωνικὸν, quod loco foedum, uti apparet, in modum interpolando cauſam dediſſe non exiguam videtur. de *nodis capillorum* libro III. Artis Amatoriae v. 139. ſumus dicturi. Heinsius. Heinſii conjectura egregie firmatur ex antiqua Statua urbis Romae, quae inter eas conſpicitur pag. XVI. quam conſulere & intueri operae erit pretium.

87. *Ut Tegaeus.*] Ita editi multi. *utque Tegeus* Puteaneus & novem alii. ſed legendum, ut Micylli & Heinſii editio, *ut Tegeeus*; vid. ad I. Faſt. 545. & ita ſemper. II. Faſt. 167. VI. 531. VIII. Metam. 317. & 380. Burmannus.

87. *Cupreſſifero.*] *In cypreſſifero* fere omnes ſcripti, & editio princeps, ſed perperam. Virgilius vero v. Aeneid. 44. pinum naſci in Erymantho indicat. neſcio an & ob cupreſſum Horatius I. Od. 21. *Nigras Erymanthi ſilvas* dixerit, quamvis & pro denſis cum veteri Scholiaſte accipere liceat: *Cyllenen* etiam *Cypreſſiferam* vocat Noſter v. Faſt. 87. Burmannus.

88. *Incubat & vaſto pondere laedit humum*] Puteaneus *Incubet* & *laedat*. optime. ut per interrogationem haec dicantur. Sciolus tamen aliquis deleverat poſtea utrumque. *laedat* etiam Moreti liber. Gronovianus *pulſet*. non male Scriverianus:

Incumbens vaſto pondere laedat humum?

Sequentia etiam per interrogationem ſunt legenda uſque ad v. 103. Heinsius. Douzae codex habebat, *incubuit vaſto.*

89. *Adfixa penatibus.*] Ex Virgilio ſumptum VIII. 196.

Foribuſque adfixa ſuperbis
Ora virum.

Ubi male quidam legunt *foribus ſuſpenſa ſuperbis*, quos hic locus refellit. Heinsius.

94. *Cerberus.*] *Cerberos* Puteaneus. ut lib. VII. Metam. 414.

Cerberon abſtraxit.

Sic etiam Statius in v. Silv. II. 95. & in Culice Virgilius. vide ſupr. vers. 55. Heinsius.

95. *Redundabat.*] Puteaneus a manu prima ...., *elulabat*. forte pro *reſultabat*. Heinsius. Sed *redundabat* elegans & probum, Metaphora a fluctibus deſumpta. Cicero pro Murena. c. 39. *Sed quid tandem fiet? ſi haec elapſa de manibus noſtris, in eum annum, qui conſequitur, redundarint.* ubi v. Camerarii notas. & ita paſſim optimi quique. Burm.

96. *Et damnis ditior ipſa ſuis.*] Sic in eod. lib. & in aliis emendatioribus. ſequor. Ciofanus. Puteaneus & ceteri praeſtantioris notae, *damnis dives ab ipſa ſuis.* probe. Epiſtola XII. 18.

Ut caderet cultu cultor ab ipſe ſuo.

XIII 116.

Languida laetitia ſolvar ab ipſa mea.

Art. Am. lib. III. 667.

— Quid aperto pectore in hoſtem
Nitor, & indicio prodor ab ipſe meo?

Pont. III. El. III.

Diſcipulo perii ſolus ab ipſe meo.

In Ibide:

— Cui reddere vitam
Urbe Coronides vidit ab ipſe ſua.

Sic

Quique inter laevumque latus, laevumque lacertum,
Praegrave compreſſa fauce pependit onus?
Et male confiſum pedibus formaque bimembri
Pulſum Theſſalicis agmen equeſtre jugis?
Haec tu Sidonio potes inſignitus amictu
Dicere? non cultu lingua retenta ſilet?
Se quoque Nympha tuis ornavit Iardanis armis,
Et tulit è capto nota tropaea viro.
I nunc, tolle animos, & fortia facta recenſe:
Quod tu non eſſes jure, vir illa fuit.

Qua

Sic bene libri veteres. mox:

Et laeſus lingua Battus ab ipſe ſua.

Amor. lib. 1. El. VII. cum optimis membranis:

Et valui poenam fortis in ipſe meam. HEINSIUS.

97. *Quique inter laevumque latus, laevumque lacertum.*] Sic vetus lectio. Atque in his verſibus Antaei & Herculis lucta ab Ovidio deſcribitur. ut ſublatum laevo brachio Antaeum Hercules ſuſtineat, ne mater vires ſubminiſtret; dextra autem manu fauces comprimens eum necet. aliter id *compreſſa fauce* nullam ad rem accommodari poterit. ſunt tamen qui de Nemeaeo leone hic agi credant, ac *dextrumque lacertum* legant. NAUGER. Habitum compreſſi ab Hercule Antaei his verbis expreſſit Ovidius, ut male emendaſſe videri poſſint, qui *laevumque latus, laevumque lacertum* legerint. EGNATIUS. *Quique inter laevumque latus, laevumque lacertum* apertè legitur in lib. Statii, & in utroque Vatic. verè. Cogor autem hoc loco diſſentire ab eruditiſſimo Egnatio, qui de his epiſtolis optimè meritus eſt. legit enim *dextrumque lacertum.* Ignoſcant mihi tanti hominis manes, qui quid dicat, neſcit. Quaero enim quî potuit Hercules Antaeum dextro lacerto ſuſtuliſſe, & inter laevum latus eum, ut eſt in ſequenti carmine, ſuffocaſſe? Itaque legendum, ut dixi; hoc ſenſu, Antaeum laevo brachio ſublatum & inter laevum latus ab Hercule ſuſtentatum: dextera autem illius fauces compreſſas fuiſſe. Viderat & hoc Paganinus, quamvis poſtea de ſententia demoveatur. Juvenalis:

— — *Cervicibus aequat*
Herculis Antaeum procul à tellure tenentis.

CIOFANUS. *Laevumque lacertum* Puteaneus cum ceteris praeſtantioribus. quomodo Naugerius & Ciofanus ex ſuis. HEINSIUS. Herculaneus liber habet *dextrumque latus dextrumque lacertum*, & ita Antaeum quoque ab Hercule compreſſum docet nummus, quem Gronovius in Diatr. Statiana. c. XXV. exhibet, ubi pendet Antaeus compreſſus dextra manu ad dextrum latus Herculis. Utraque manu conſtrictum, ventre pectori Herculis admoto, exhibet de Wilde in Signis pag. 37. ita ut Poëtae & fictores variaverint. BURMANNUS.

101. *Haec tu Sidonio.*] Heinſius ad II. Art. Am. 219. corrigebat *Mygdonio.*

102. *Num cultu.*] *Non cultu* praeſtantiores. HEINSIUS.

103. *Se quoque &c.*] Cave audias vetuſtos codices, qui *oneravit* exhibent. praeſtantiores ſtant pro altera lectione. ſic apud Caeſar. lib. III. Bel. Gal. *Naves paratiſſimae atque omni genere armorum ornatiſſimae.* apud Virgil. Aeneid. XII. v. 343.

Quos Imbraſus ipſe
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis.

Claudian. lib. II. in Rufin:

Hic ultrix acies ornatu fulgida Martis
Explicuit cuneos.

Cornelius Nepos Vita Hannibalis, Elephantum *ornatum* homini inermi opponit, qui & alibi *ornari* pro *armari* dixit. codex Patricii Junii habebat:

Se quoque Nympha tuis ingentibus inſtruit armis.

Ut forte legendum ſit:

Se quoque Nympha tuis inſtruxit Iardanis armis.

HEINSIUS. Mihi *ornavit* ita ſatisfacit, ut aliam quaerere lectionem otio abutentis eſſe putem. ſic lib. XII. Metam. 462. ex Baſileenſi codice reſcriberem:

Emathii ſpoliis ornatus Haleſi.

Ubi vulgo *armatus.* & lib. XIII. 122.

Arma viri fortis medios mittantur in hoſtes
Inde jubete peti, & referentem ornate relatis.

Ubi perperam quidam codices *armate. Ornare* & *onerare* ſollemniter permutarunt librarii. vid. Heinſ. ad Val. Flac. III. 9. & Gronov. ad Liv. XXIV. 48. mox Scriverii codex, *tulit in capto tropaea viro.* de quo cogitandum: Gronovii *a capto.* BURMANNUS.

103. *Iardanis.*] Patronymicâs dictum accipe ab *Iardano* patre Omphales. MICYLLUS.

104. *Et tulit è capto nota tropaea viro.*] *Bina tropaea* unus Vaticanus, & Baſileenſis & Gronovianus pro diverſa lectione exhibent, quod placet. quomodo & Erfurtanus, & Excerpta Voſſii. Alterum enim tropaeum de amore ejus, alterum de ſpoliis hiſce tulit. Epiſt. Phaedrae:

Theſides

Qua tanto minor es, quanto te maxime rerum,
Quam quos vicisti, vincere majus erat.
Illi procedit rerum mensura tuarum.
Cede bonis: heres laudis amica tuae.
Pro pudor! hirsuti costas exsuta leonis
Aspera texerunt vellera molle latus.
Falleris, & nescis: non sunt spolia ista leonis,
Sed tua, tuque feri victor es; illa tui.
Femina tela tulit Lernaeis atra venenis,
Ferre gravem lana vix satis apta colum:

In-

Thesides Thesseusque duas rapuere sorores.
Ponite de nostra bina tropaea domo.
Remedio Amoris. 157.
Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas,
Et refer ad patrios bina tropaea lares.
Epistola Helenae:
Utque favet Cytherea tibi, quia vicit, habetque
Parta per arbitrium bina tropaea tuum.
Denique Epistola Cydippes:
Quid tamen hoc venias? anne ut miserabile corpus,
Ingenii videas bina tropaea tui. HEINSIUS.

105. *Fortia facta.*] *Gesta* Puteaneus, & alii quinque. HEINSIUS. Sic & Douzae codex. sed desidero exemplum, cum *fortia facta* apud unum Ovidium centies occurrant, & ita *fortiter facere* in declamationibus obvium. BURMANNUS.

106. *Quod tu non.*] *Quem* Puteaneus. Forte *quam.* vel ut alter Mentelianus: *Quo tu non esses jure vir, illa foret.* HEINSIUS. Ego nihil muto. illa fuit vir, quod tu jure & merito non poteras esse; sed femina debebas dici propter mollitiam. ita VII. Ep. 41.
Tu mihi, quod matri pater es.
Et XI. 24.
Et tibi non debet quod soror esse, fui.
XII. 24.
Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est.
XIX. 91.
Sit tamen hoc potius, quam quod prius esse solebas.
Et alibi saepius. Metam. VIII. 881. & XII. 502. Quinctil. Decl. I. *Cum Patri filium laetum hoc esse crederet, quod orbitatem.* Hannibal apud Liv. XXX. 30. *Quod ego fui ad Trasimenum, ad Cannas, id tu hodie es.* Phaedr. v. Fab. ult.
Quod fuimus laudas, jam damnas quod non fumus. BURMANNUS.

109. *Procedit.*] Hoc est illi accrescit, ac velut in majus augetur. MICYLLUS. *Procedat* unus Vaticanus. simili modo apud Sallustium: *Quippe beneficia mea rei publicae procedunt. proh cedit*, Puteaneus à manu secunda. tum sequenti versu Tò *est* tollit, ut & alii non pauci. HEINS. Putem locutionem desumtam ex re Romanorum militari, ubi stipendia & *aera* militibus *procedere* dicebantur, ubi anni, quos militabant, ad missionem honestam proderant. vide Livii v. 7. & alibi. Illi ergo gloria quaeritur ex tuis rebus, illa omnem inde laudem capiet. & ita capio etiam illa Valerii Flacci VIII. 457.
Procedit non gentis honor, non gloria magni
Solis avi, non barbaricae decor ille juventae.
Nihil ista omnia se juvare queritur Medea, quo minus eam negligat Iason. BURMANNUS.

111. *O pudor hirsuti costis exsuta leonis Vellera.*] *Pro pudor* rectius sex libri. Petronius:
Pro pudor! imperii deserto nomine fugit.
Et cap. 81. *Reliquit veteris amicitiae nomen, & pro pudor! unius noctis jacturam vendidit.* Stat. x. Theb. 868.
Pro pudor! Argolicas hinc ausi obsidere portas?
Et postea:
Pro pudor! hi faciles carmenque imbelle secuti.
Catalecta Pithoei. p. 88.
Pro pudor! hoc sacrum magnus ut adspiceret.
Florus I. XII. *Coreolos quoque: Pro pudor! devictos adeo gloriae fuisse.* Sidon. Apoll. Carm. VII. 66. Paneg. Anthem. v. 101. Senec. Cons. ad Polyb. c. XXXVI. & sic passim optimi auctores. Martialis VIII.
O pudor, o pietas!
Et Val. Flac. VIII. 298.
O pudor!
Deinde *costas exuta* eleganti Graecismo Puteaneus. & Francofurtensis & alter Mentelianus, qui & *pro pudor!* sic *exutus senium*, Silio Italico lib. VI. 100. & lib. XIII. 120. *exuta feram*, de cerva. Statius IX. Theb. 103.
Exutus canos lacero diademate crines.
Et praecipue lib. X. 643 de hoc ipso Hercule:
Sic Lydia conjux
Amphitryoniadem exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus.
HEINSIUS.

114. *Tuque ferae victor es.*] *Feri* Puteaneus, & Gronovianus pro diversa lectione. sic lib. VI. Met. *Exiluisse ferum* pro equo. Vs. 77. ubi plura. Met.

Inſtruxitque manum clava domitrice ferarum:
Vidit & in ſpeculo conjugis arma ſui.
Haec tamen audieram: licuit non credere famae;
En venit ad ſenſus mollis ab aure dolor.
Ante meos oculos adducitur advena pellex:
Nec mihi, quae patior, diſſimulare licet.

Non

VIII. 355. *Ira feri mota eſt*, de apro Calydonio. & 382.

Fixa ſub aure feri ſummum diſtrinxit arundo
Corpus.

Quomodo Phaedrus de cervo. lib. I. Fab. XII. v. 39. item de leone lib. I. Fab. XXI. XXXII. de apro LXII. & de eodem apro Calydonio Noſter Met. 422.

Immanemque ferum multa tellure jacentem
Mirantes ſpectant.

Sic ibi codex longe optimus. Auſonius Epiſt. v.

An ſpumantis apri curſum clamoribus urges,
Subſidisque fero?

Hinc *ferus aper* paſſim Poëtis, & *ferox*. de quo Met. III. VI. 213. Met. XI. 395. de lupo:

——*Vaſtatoremque cruento*
Ore ferum ſpectant.

De bubus Faſt. I. 550.

Traxerat averſos Cacus in antra feros.

Ut cenſeo legendum. HEINSIUS.

115. *Lernaeis atra venenis.*] In Leidenſi codice erat *uſta*. forte pro *uncta*, ut paſſim *ungere tela* poetae duo alii *tincta*, quod loquendi genus non minus obvium. de utroque vide huc facientia exempla apud Bentlejum in eruditiſſimis ad Horat. II. Od. I. notis. in altero regio codice legebatur in margine hoc ineptum diſtichon:

Femina cum miles, & miles femina fiat,
Incipit eſſe quod es, deſinis eſſe quod es. BURM.

119. *Haec tamen audieram.*] In quibusdam *haec tantum audieram*. utrumque recte. NAUGERIUS. ita veteres editiones, ſed Naugerius non improbat *haec tantum*, ut Lincoln. & Mediceus unus. & eadem varietas eſt lib. II. Art. Amat. 405.

Haec tamen audierat, Priameida viderat ipſam.

Sic I. Am. IV. 41.

Haec tamen aſpiciam.

Unde apparet hic *ſenſum* proprie capi de oculis & viſu; ut Heinſius ex loco Ciceronis Divin. c. XI. illuſtrat: *Putaſne poſſe id, quod ex ejuſmodi re maxime neceſſarium eſt, facere, ut quae ille libidinoſe, quae nefarie, quae crudeliter fecerit, ea aeque acerba & indigna eſſe videantur iis, qui audient, atque illis viſa ſunt qui ſenſerunt.* cui adde eumdem lib. IV. ad Fam. 9. *Multa videbis fortaſſe, quae nolis, non plura tamen, quam audis quotidie. non eſt porro tuum uno ſenſu ſolum oculorum moveri, cum idem illud auribus percipias, quod etiam majus videri ſolet, minus laborare.* & Epiſt. ſequente: *Quod ſi nullum haberes ſenſum niſi oculorum, prorſus tibi ignoſcerem, ſi quosdam nolles videre.* vide & ejusdem Partition. c. 6. & Albinov. Eleg. in Druſ. 345. & hoc eſt, quod in alia re dicit Horatius Art. Poët. 180.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quae ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quae
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Vide Heinſ. ad Vell. Pater. II. 12. ubi legit: *En venit*. ſic Arnobius p. 208. dixit *ſenſum oculorum*. & hunc locum forte ante oculos habuit Orientius in Commonitorio lib. II.

Luminibusque illinc, hinc venit aure dolor.

Poſſemus & capere haec verba ita, & dolor ab aure *venit*, (pro eſt, ut millies. vid. ad Epiſt. IV. 115.) mollis, ſi comparetur cum dolore, qui ab oculis venit: mollior dolor eſt audire, quam videre. ut *ad* inſerviat hic comparationi, ſicut apud Terent. Eunuch. II. III. 69. *At nihil ad noſtram hanc.* Livius XXII. 22. *Homo non ad cetera Punica ingenia callidus.* ſed praefero prius. BURMANNUS.

121. *Adducitur.*] Leidenſis codex *deducitur*, quod non de nihilo. notum enim hoc verbum paſſim de meretricibus & pellicibus dici, ut & *perducere*; ſic illud Ciceronis apud Sueton. Caeſ. 51. *Tertia deducta eſt.* ſed quia in hoc verbo potius illa vis inſit, ut ſecreto deducatur in thalamos adulteri vel amatoris amica, vulgatam hic ſervo; cujus etiam verbi in turpi commercio illo uſus eſt, & praecipue huic loco convenit, ubi additur *ante oculos*. ut & III. Faſt. 483.

Auſus es ante oculos adducta pellice noſtros,
Tam bene compoſitum ſollicitare torum.

Ubi itidem *deducta* eſt in codice Francof. Terent. Adel. v. 9. *Obſonare cum fide, ſcortum adducere, apparare de die convivium.* & Heaut. v. 4. *Non mihi per fallacias adducere ante oculos.* & Eun. IV. 7. *Qui mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum.* & hanc lectionem ſequentia confirmant: Quinctil. Decl. CCCXXXVIII. *In torum uxoris prioris veſtigio calentem adducta eſt nova nupta.* BURM.

123. *Non ſinis.*] Puteaneus a manu ſecunda *num ſinis?* elegantius, ut puto: habent enim magnam vim in exprobrationibus illae interrogationes, quae in hac epiſtola frequentiores. ſenſus vero: An prae pudore jubes illam via ſecreta & averſa duci in domum, ut me inſcia pellice uti poſſis? minime; immo vero jubes eam, per mediam urbem triumphantis modo, per ora omnium circumduci. ſequenti verſu in Scriveriano erat, *conſpicienda*, quod etiam puto efficacius, quia hoc

verbo

Non finis averti; mediam captiva per urbem
Invitis oculis adſpicienda venit.
Nec venit incultis, captarum more, capillis,
Fortunam vultus faſſa tegendo ſuos.
Ingreditur latè lato ſpectabilis auro:
Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras.

Dat

verbo aptius admiratio ſpectatorum exprimitur, qui notabilia intentis oculis ſpectant, quae nunc Deïanira invitis videbat. II. Faſt. 309.

Ibat odoratis humeros perfuſa capillis
Maeonis, aurato conſpicienda ſinu.

Livius XXI. 4. *Veſtitu nihil inter aequales excellens, arma atque equi conſpiciebantur.* & ita Noſter & alii paſſim. *Inſpicienda* Douzae codex, de quo verbo vide ad Petron. BURMANNUS.

125. *Nec venit incultis captarum more capillis, Fortunam vultus faſſa tegendo ſuos.*] Eruditiſſimus, & ad omnis diſciplinae laudem natus, P. Meliſſus legendum putat: *Fortunam vultu faſſa tacente ſuam.* vel: *Fortuna vultum faſce tegente ſuum:* ſed ad priorem lectionem magis inclinat. In quibusdam aliis impreſſis eſt, *Fortunam vultu faſſa tegente ſuo.* In uno Vatic. *Fortunam vultum faſſa tegendo ſuum.* In altero, *Fortunam vultu faſſa tegendo ſuam.* quam lectionem una cum Clariſs. Ciaccono veram puto. Gerundio in *do* brevi utitur & Germanicus Caeſar hoc verſu:

Quem liber ignarum caeli formando docebat.

Et Auſonius:

Quae noſti, meditando velis inoleſcere menti.

CIOFANUS. Unicus hic eſt Naſonis locus, puto, qui poſtremam in gerundio corripit, quo etiam nomine ſuſpectus eſt. etſi Tibullianum hunc citant Grammatici:

Auſer & ipſe meum pariter medicando dolorem.

Certe codices antiqui mirum in modum à vulgata lectione diſcedunt. pro qua tamen cum alii nonnulli, tum Puteaneus ſtant, niſi quod in eo emendatum, *falſo tegente ſuam.* Quidam hoc uno à vulgatis differunt, quod *falſa*, aut *feſſa*, pro *faſſa* agnoſcunt. Major librorum pars:

Fortunam vultu faſſa tegendo ſuam.

Vel *tegente.* alii:

Fortunam vultum faſſa tegendo ſuum.

Vel *ſuam.* unus:

Fortunam vultu faſſa tegente ſuo.

Unus Ambroſianus:

Fortunam vultu diſſimulante ſuam.

Alter Mentelianus:

Fortunam vultu falſa tegère ſuam.

Plura hujus notae qui vult, adeat Ciofanum. Gronovius Obſervat. lib. II. cap. XI. emendat:

Fortunae vultum faſſa tegendo ſuum.

Ut in Ibide:

Fortunae facies invidioſa tuae.

Et Triſt. III. El. VIII.

Adſtans fortunae forma verenda meae.

Et Triſt. I. II. 20.

His oro dicas inter mutata referri
Fortunae vultum corpora poſſe meae.

Tum illud Manilii de Pantomimo:

Omnis fortunae vultum per membra reducit.

Chorus ad Iölen apud Senecam Herc. Fur. *Fugiat vultus fortuna prior.* Sed hic aliquid latere videtur. apud Paterculum. lib. II. cap. 41. *Diſſimilem fortunae ſuae induens habitum.* Auſon. Epiſtola ad Paulinum de villico ſuo:

Videbis iſtum, qualis adſtet cominus,
Imago fortunae ſuae,
Canus, comoſus, hiſpidus, trux artubus,
Terentianus Phormio.

Tegebant autem vultus, qui moerebant. Valer. Flacc. II. 147.

Et nota veſte Neaerae
Tecta genas.

Ut ibi legi debet. huc illud Plauti refer Ciſtel. Act. I. Sc. I. v. 115. *Immundas fortunas ſqualorem ſequi decet.* Quid ſi legas?

Fortunam vultu faſſa rigente ſuam.

Vultu rigente, inculto, inornato. ſic Epiſt. Oenones, *ungue rigente* pro *rigido.*

Et ſecui madidas ungue rigente genas.

Scriptum videlicet *regente* fuerat. hinc *tegente* factum. ſic *rigere torvis ſuperciliis.* Ep. XVII. v. 16. ut ibi caſtigamus, quamquam hoc loco *vultus rigens* pro ſquallido, non ſevero eſt ſumendus. HEINSIUS. Forte poſſet legi:

Fortunam vultu faſſa pudente ſuam.

Vel *tremente*, alio vultu atque ante captivitatem erat, ob pudorem dejecto, vel tremente. nam de *fortunae vultu* ſunt ſomnia. IV. Triſt. II.

Et cernet vultus aliis pro tempore verſos,
Terribiles aliis immemoresque ſui.

Douzae codex habebat, *Fortunam vultu faſſa tegente manu.* BURMANNUS.

127. *Ingreditur late multo ſpectabilis auro.*] Libri veteres *late lato ſpectabilis auro.* & recte, ut jam monui. poſſet nihilominus *lauto* etiam *auro* legi. ſed praeſtat prius. Perſ. Sat. IV. *Sed lato balteus auro Praetegit.* quod ex illo Maronis lib. V. 312. adumbratum:

— Lato quam circumplectitur auro Balteus.

Juvenal. Sat. VI. 480.

Aut latum pictae veſtis conſiderat aurum.

Dat vultum populo ſublime ſub Hercule victo:
Oechaliam vivo ſtare parente putes.
Forſitan &, pulſa Aetolide Deïanira,
Nomine depoſito pellicis, uxor erit:
Eurytidosque löles, atque inſani Alcidae
Turpia famoſus corpora junget Hymen.
Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
Et jacet in gremio languida facta manus.
Me quoque cum multis, ſed me ſine crimine, amâſti:
Ne pigeat, pugnae bis tibi cauſſa fui.

Cornua

Et Sat. x. 27.

Lato Setinum ardebit in auro. HEINSIUS.

Met. VI. 567.

Velamina Procne
Deripit ex humeris, auro fulgentia lato.

Voces autem *ingreditur* & *late* ſecuritatem & faſtum, quae minime captas decent, indicat. ita Horat. II. Sat. III. 1803.

Latus ut in circo ſpatiere.

Ubi nollem virum doctiſſimum Maſſonium in vita Horatii pag. 135. *latum* pro *vectum* capere, quaſi participium eſſet a *fero*. quod neque τῷ *ſpatiere* convenit, neque Ampl. Cuperus de hoc loco mecum agens, verum credebat Praetoriis eum honorem tributum, ut curru inſigni & pene triumphali veherentur. ſed *latus ſpatiere* eſt cum pompa, faſtu, qualis erat Menas libertus Pompeji, qui ſacram metiebatur viam cum bis trium ulnarum toga. Horat. Epod. IV. BURMANNUS.

129. *Dat vultum populo ſublimis ut Hercule victo.*] *Sublime ſub Hercule victo* conſtanter ſcripti. niſi quod in altero Menteliano ſit, *ſublimis ab Hercule*. ſed *ſublime ſub Hercule* cur rejiciamus, nihil cauſae eſt. ſic *ſublime ferre*, pro *in ſublime* aut *ſublimiter* paſſim Poëtae. ita *ſublime ferri* Lucretio, & *ſublime volare*. *Sublime micare* Germanico in Arataeis. & Avieno, *ſublime erigi*. Multus eſt hac in voce Silius Italicus. *Sublime ſedens*. lib. III. & XI. 232. & 275.

Multoque procul ſplendentibus oſtro
Accipitur ſublime toris.

Vid. & XIV. 330. XV. 155. XVII. 253. Virgil. III. Georg. 108.

Jamque elati ſublime videntur.

Calp. Nemeſ. Ecl. I.

Laudesque tuas ſublime feremus.

Sub Hercule vero, ut illud Stat. V. Theb. 464.

Duroque ſub hoſpite mater
Mater avi renovo. HEINSIUS.

Neſcio tamen, an non rectius, *ſublimis ab Hercule victo*, ex Menteliano. ſimilis error apud Sil. XI. 246. ubi pro *victorque immane ſub ira infremuit*; Heinſius reſcribit *immanis ab ira*. Macrob. II. 4. *Sublimis Actiaca victoria revertebatur*. *Ab* autem hic pro *ob*, *propter* ſumitur. vid. Gron. ad Senec. I. de Clement. 20. Livius III. 61. *Ferocior ab re bene geſta*. BURMANNUS.

131. *Forſitan expulſa.*] *Et pulſa* Puteaneus. recte, lib. II. Met. 525.

Cur non & pulſa ducit Junone?

Faſt. III. 559.

Pellitur Anna domo.

Triſt. II. 414.

Pulſus Ariſtides non tamen urbe ſua eſt.

Propert. III. Eleg. XV.

Peccáram ſemel & totum ſum pulſus in annum.

Fl. Vopiſcus in Carino: *Uxores ducendo ac rejiciendo novem duxit, pulſis pleriſque praegnantibus*. HEINSIUS. Douza malebat *Forſan & expulſa*. vide ad Epiſt. XII. 135. Ceterum unus Mediceus *Eonide*. unde forte poſſe legi *Oeneide* Heinſius credebat, quia Oenei filia Dianira.

133. *Eurytidos löles atque inſani Alcidae.*] *Et inſani* Puteaneus aliique nonnulli. *Eurytidosque* duo libri praeterea. Sequenti verſu rectius ſcripti plerique *junget hymen* quam *jungit*. quia *uxor erit* praeceſſerat. HEINSIUS.

134. *Famoſus.*] Haec eſt genuina lectio. CIOFAN. *Formoſus* quidam codices.

135. *Frigusque.*] Mendoſe hic Puteaneus *frigidosque*. Frigus eſt mortis inſtantis indicium. ita III. Amor. XIV. 37.

Mens abit (vel *fugit*) *& morior*. BURMANNUS.

139. *Rapidis Achelous in undis.*] *Ripis Achelous in imis* Puteaneus. ſed pro *imis* aliud quid à manu prima ſcriptum videbatur fuiſſe. Argentinenſis & alius, quem à Cl. V. Jacobo Mentelio donum accepi, *ripis udis*. quo alludit & Farneſianus unus, qui *ripis undis* habet. In ripa enim Achelous fluminis, non in ipſo flumine cum Hercule eſt luctatus. *Imas* Naſonis hoc loco *ripas* confirmat Boëth. de Conſol. Philoſ. lib. IV. Carm. VII.

Fronte turpatus Achelous imis
Ora demerſit pudibunda ripis.

Achelous amnis, perperam nunc illic loci circumfertur. Stat. Thebaid. lib. IV.

Amnis

Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
Truncaque limosà tempora mersit aqua.
Semivir occubuit in letifero Eveno
Nessus; & infecit sanguis equinus aquas.
Sed quid ego haec refero? scribenti nuntia venit
Fama, virum tunicae tabe perire meae.
Hei mihi! quid feci? quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deïanira mori?
An tuus in media conjux lacerabitur Oeta?
Tu, sceleris tanti caussà, superstes eris?

Si

Amnis adhuc imis vix truncam attollere frontem
Ausus aquis. HEINSIUS.

141. *Vi Lerniferoque veneno.*] Melius fortasse in nonnullis *letiferoque veneno.* NAUGERIUS. *Letiferoque veneno* prorsus legendum ex spectatae bonitatis exemplaribus. De Nesso, Hercule, & Deïanira sic Hyginus cap. XXXIV. *Nessus Ixionis & Nubis filius, Centaurus, rogatus ab Deïanira, ut se flumen Evenum transferret, quam sublatam, in flumine ipso violare voluit: Hoc Hercules cùm interveniisset, & Deïanira cùm fidem ejus imploraisset, Nessum sagittis confixit. Ille moriens cùm sciret sagittas Hydrae Lernaeae felle tinctas quantam vim haberent veneni, sanguinem suum exceptum Deïanirae dedit, & id philtrum esse dixit, si vellet ne se conjux sperneret, eo juberet vestem ejus perungi. Id Deïanira credens, conditum diligenter servavit.* CIOFANUS. Illud *vi* à correctoribus est. pro quo libri omnes antiqui *in* agnoscunt. sed & ridiculum *Lerniferum venenum.* quare enim *Lernaeum* non dixit? Scripti nonnulli:

Semivir occubuit Lernaei tabe veneni.

Vel *trajectus terga sagitta.* Sed & hic interpolatores agnosco. alii *in lethiferoque veneno*, idque aliquanto rectius, ut Naugerius quoque & Ciofanus observant. alter Mentelianus *in Lernaeoque veneno.* Puteaneus à secunda manu, *in lerniferoque veneno*, sed à prima *in letifero veneno.* Miror Scaligerum, Salmasium, alios viros eruditos, qui ante nos eo codice sunt usi, non vidisse veram lectionem, quae minimâ mutatione est in promptu, si scribas:

Semifer occubuit in lethifero Eveno
Nessus.

Semifer enim, quod est in quatuor scriptis, praestat *Semiviro.* quamvis Barthius vasto in Claudianum commentario pag. 500. & 827. τὸ *Semifer* Latio exturbandum censet cum Jano Douza. De Eveno confirmant sequentia, *& infecit sanguis equinus aquas.* Etsi alii Nessum in Eveno non occubuisse dicant, sed vulneratum solummodo fuisse; quos inter & Noster Met. IX. & in Trachiniis Sophocles. Vibius Sequester, *Evenus Calydoniae, ubi Hercules sagittis Nessum Centaurum interfecit.* Lucanus VI. 366.

Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Evenos Calydona secat.

Idem mox, 391.

Hospes & Alcidae magni Phole; tuque per amnem
Improbe Lernaeas vector fensure sagittas.

Ceterum Eveni vox Scholiastae Statii etiam reddenda Theb. XI. ỳs. 238. *Hercules enim victo Acheloo Deïaniram duxit uxorem, qui cum ad fluvium perveniisset.* Lege, *fluvium Evenum perveniisset.* Apud Servium quoque lib. VIII. ỳs. 290. perperam desideratur. Scriverianus codex, *sub lauriferoque veneno.* ut fortasse sit scribendum *Centaurifero Eveno*, quomodo idem *Centaureus Lycormas* Statio est dictus lib. IV. Theb. Sed hoc in dubio facile reliquerim. Neminem autem poëtios utcunque peritum hiatus offendat iste *lethifero Eveno*, qui meminerit istorum Virgilii, *Ionio in magno.* & similium. Noster hac ipsa epistola, *in cupressifero Erymantho.* &, *insani Alcidae.* quibus fulciendis Τὸ *que* inculcabant plerumque inscii librarii; ut in antiquissimis etiam Virgilii exemplaribus est deprehendere. sic apud Silium quoque peccatum lib. IV. v. 225. ubi *Anienicolae Catilli* ex Virgilii & veteris libri auctoritate est reponendum. Sed manum de tabula. HEINS.

144. *Virum tunicae labe perire meae.*] *Tabe* reponatur ex melioribus libris. quomodo & peccatum Cydippes epistola. ỳs. 60. Seneca de Herc. Med. 640.

Praebuit saevis sua membra flammis
Tabe consumtus gemina prioris
Munere nuptae.

Ita liber Etruscus. *gemina tabe*, tunica venenata & rogo Oetaeo; *prior nupta* Deïanira respectu Ioles. Idem Hercule Oetaeo, 716.

Ut missa palla est tabe Nessea illita.

Tabem menstruum muliebre dixit Solinus cap. I. ubi non sunt audiendi codices, in quibus *labes.* sed eidem *tabescere ignis*, qui in favillas canescit. cap. XXII. HEINSIUS. *Tabe* rectè restituit Heinsius. idem Seneca Herc. Oetae. 520.

Tabemque fluentis vulneris dextra excipit.

Et ita passim Poëtae.

Si quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
Credar; conjugii mors mihi pignus erit.
Tu quoque cognoſces in me, Meleagre, ſororem.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Heu devota domus! ſolio ſedet Agrios alto:
Oenea deſertum nuda ſenecta premit.
Exſulat ignotis Tydeus germanus in oris.
Alter fatali vivus in igne fuit.
Exegit ferrum ſua per praecordia mater:
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Deprecor hoc unum, per jura ſacerrima lecti,
Ne videar fatis inſidiata tuis.
Neſſus, ut eſt avidum percuſſus arundine pectus,
Hic, dixit, vires ſanguis amoris habet.
Illita Neſſeo miſi tibi texta veneno.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Jamque vale, ſeniorque pater, germanaque Gorge,
Et patria, & patriae frater ademte tuae.

Et

145. *Quo me furor.*] Regius codex, *quis me furor*, elegantius multo, ut puto. Petronius cap. CVIII.

Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?

Noſter v. Met. 13.

Quae te, germane, furentem
Mens agit in facinus?

Ubi male & invitis membranis *quod* legit Heinſius. Virgil. IV. Georg. 495.

Quis tantus furor?

Vſ. 670.

Quis furor iſte novus?

Et ita alii. BURMANNUS.

148. *Tu ſceleris tanti cauſa ſuperſtes eris.*] *Viva ſuperſtes* Puteaneus & multi alii. Forte:

Tu ſceleri tanto viva ſuperſtes eris? HEINSIUS.

149. *Et quid adhuc habeo facti.*] *Ei quid* Puteaneus. Lege, *Si quid. mors mihi pignus* poſt libri quidam, pro *mors mea.* IDEM.

153. *Solio ſedet acrior alto.*] Ita vulgo quidem legitur, nulla certe ſententia. mihi vero legendum videtur, *ſolio ſedet Agrius alto.* Ut intelligamus Agrium, poſt diſperſam Oenei domum, Aetoliae regnum occupaſſe, eamque rem Deïaniram inter cetera mala & infortunia generis ac patriae ſuae recenſere. fuerunt autem fratres Agrius, Melas & Oeneus. ut ex Homero patet, apud quem Iliados Ξ. 115. Diomedes ita loquitur:

Πορὲῖ γὰρ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο,
Ὠκεάνου δ' ἐν Πλευρῶνι καὶ αἰπεινῇ Καλυδῶνι,
Ἄγριος ἠδὲ Μέλας Τρίτατος δ' ἦν ἱππότα Οἰνεύς,
Πατρὸς ἐμεῖο πατήρ. MICYLLUS.

Scripti plerique, *acrior.* alii, *altior*, *aptior*, *artior.* Puteaneus, *acrios.* quod eſt *Agrios.* reſtituendum idem nomen Pont. lib. III. El. IX.

Auctor opus laudat. ſic forſitan Agrius olim
Therſiten facie dixerit eſſe bona.

Ita enim Vaticanus liber. vulgati *Accius.* Fuit autem Therſitae pater Agrius, ut illo loco dicetur. HEINSIUS. Felix & certa emendatio. Therſitae patrem facit Tzetz. Chiliad. VIII. c. 151. & 153. Agrius ejecit Oenea regno, quem deinde interfecto Agrio Diomedes ejus nepos reſtituit. Anton. Liber. cap. 37. & Hyginus Fab. CLXXV. Agrium ejeciſſe Oenea dicit, cum videret orbum. ſed Agrium ſe ipſum interfeciſſe addit, quod & repetit Fab. CCXLII. BURMANNUS

154. *Longa ſenecta premit.*] *Nuda* libri veteres. & recte. ſic *inopem* alibi & *egenam* vocat *ſenectam.* Juvenalis Sat. VII.

Tunc ſeque ſuamque
Terpſichoren odit facunda & nuda ſenectus.

HEINSIUS.

155. *Exulat ignotis.*] Cur vero *ignotas* vocat oras, qui Argi exulabat? ſcribe *Inachiis.* HEINS. Sed Deïanirae ignotae poterant eſſe, nec illa ſcire poterat, quo abiiſſet; & imitatio eſt Virgiliana Georg. III. 225.

Longeque ignotis exulat oris.

Vel *ignotae orae* pro peregrinis, quarum nomen quidem notum eſt, ſed non ita incolae, ut patriae cives. BURMANNUS.

156. *Alter fatali.*] Latet mendum in hoc verſu. alter Mentelianus, *miſſus in igne fuit*, an, *fatali*

vivus

Et tu, lux oculis hodierna noviſſima noſtris,
Virque, (ſed ô poſſis!) & puer Hylle, vale.

vivus in igne perit? HEINSIUS. *Toſtus in igne fuit* conjiciebat Francius. Douza, *vivus in igne fluit.*

160. *Ne videar thalamis inſidiata tuis.*] In Puteaneo vetus lectio erat eraſa, & repoſitum *titulis tuis.* quomodo & ſex alii. quatuor *fatis tuis.* ſex aut ſeptem, *noſtris toris.* tres, *toris tuis*, duo, *tuis toris.* priſca editio, *totis toris.* Latet aliquid. HEINS. *Ne videar votis in*, Francius conjiciebat.

163. *Neſſeo.*] Mallem *Lerneo.* HEINSIUS. Nihil opus. Senec. Herc. Oet. 716.

Ut miſſa palla eſt, tabe Neſſea illita.

Et ſupra v. 527. dixerat:

Illatas veſtes dabis
Hac, inquit, ipſa tabe. BURMANNUS.

166. *Ademte meae.*] In quibusdam *tuae*, non *meae.* & fortaſſe elegantius. NAUGERIUS. *Tuae* libri veteres majori ex parte cum Puteaneo. HEINSIUS.

107. *Tu quoque lux.*] *Et tu lux* ſcripti, praeter Argentinenſem, in quo, *nec non lux.* HEINSIUS.

EPISTOLA X.

ARIADNE THESEO.

Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum:
Credita non ulli, quam tibi, pejus eram.
Quae legis, ex illo, Theſeu, tibi litore mitto:
Unde tuam ſine me vela tulere ratem.
In quo me ſomnusque meus male prodidit, & tu,
Per facinus ſomnis inſidiate meis.

Tem-

Illa relicta feris &c.] Verſus ſunt non ſolum ſubditicii ac nothi, verum etiam putidi. neque quidquam Ovidianae facilitatis & elegantiae habentes. id quod etiam mediocriter docto apparet. quare & hos a reliquis ſeparavimus. MYCILLUS. Priſcae editiones & codices nonnulli etiam hic copioſiores ſunt vulgatis, cum hanc Epiſtolam ſic exordiantur:

Illa relicta feris etiam nunc, improbe Theſeu,
Vivit: & haec aequâ mente tuliſſe velis.

Ejusdem nempe farinae, cum iis, quae hic illic jam ante dedimus. HEINSIUS.

1. *Mitius inveni.*] Haec non dubitabat Heinſius reſpexiſſe Senecam, qui in Hippolyt. 558. dixit:

Taceo novercas: mitius nil eſt feris.

Qui locus tamen minime planus, & viros magnos exercuit, & diverſo modo explicatus; ſed ego puto ita capiendum, ut *triſte lupus ſtabulis* & ſimilia. & *nil* pro *non.* hoc ſenſu *taceo novercas*, iſtud genus *nihil*, id eſt non, *eſt mitius feris*, ſed multo ferocius. ante oculos enim habuit Seneca illud Euripidis ex Alceſtide 319.

Ἐχθρὰ γὰρ ἡ νιοῦσα μητρὰ τέκνοις,
Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἧπιοτέρα.

Francio etiam hoc diſtichon ſuſpectum videbatur, & Epiſtolam a ſequenti *Quae legis* &c. inchoabat. BURMANNUS.

2. *Non ulli.*] Earum ferarum. *Pejus* adverbium. CIOFANUS.

3. *Quae*] Regius & octodecim alii, *quam.* vid. ad Epiſt. 1. vers. 1.

3. *Ex illo, Theſeu, tibi littore mitto, Unde tuam ſine me vela tulere ratem.*] Diam inſulam ſignificat, ubi Ariadnam reliquerat Theſeus. Apollonius lib. IV. Argon. de ipſa Ariadna:

— — ἣν ποτὲ Θησεὺς
Κνωσσόθεν ἐσπομένην Δίκῃ ἔνι κάλλιπε νήτῳ.

Alii eam in Naxo relictam ſcribunt. Vide Plutarchum in Theſeo. Hyginus in Fabulis hac de re: *Theſeus in inſula Dia tempeſtate retentus, cogitans ſi Ariadnen in patriam portaſſet, ſibi opprobrium futurum: itaque in inſula Dia dormientem reliquit. Quam Liber amans, inde ſibi in conjugium adduxit. Theſeus autem cùm navigaret, oblitus eſt vela atra mutare: itaque Aegeus pater ejus credens Theſeum à Minotauro eſſe conſumptum, in mare ſe praecipitavit, ex quo Aegeum pelagus eſt dictum. Ariadnes autem ſororem Phaedram Theſeus duxit in conjugium.* CIOFANUS.

6. *Pro facinus.*] *Per facinus* ſcripti, duobus recentioribus exceptis. In Ibide 566.

Per facinus ſoror eſt cui ſua facta parens.

Remediis Amoris, 62.

Per facinus fieri non meruiſſet avis.

Faſt. II. 807.

——— *Eripiam, dixit, per crimina vitam.*

Quae illic vera eſt lectio. apud Maronem Aeneid. V. 793.

Per

Tempus erat; vitreâ quo primum terra pruina
Spargitur, & tectae fronde queruntur aves.
Incertum vigilans, à ſomno languida, movi
Theſea preſſuras ſemiſupina manus.
Nullus erat: referoque manus, iterumque retento,
Perque torum moveo brachia: nullus erat.
Excuſſere metus ſomnum. conterrita ſurgo:
Membraque ſunt viduo praecipitata toro.
Protinus adductis ſonuerunt pectora palmis:
Utque erat à ſomno turbida, rapta coma eſt.
Luna fuit: ſpecto, ſi quid, niſi litora, cernam.
Quod videant oculi, nil, niſi litus, habent.

Nunc

Per ſcelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Excuſſit ſoede puppes.

Ita vetuſtiſſimus Mediceus aliique complures, non *Pro ſcelus?* Auctor Octaviae:

Octaviae favore perculſa agmina,
Atque efferata, per neſas ingens ruunt. HEINS.

Claudianus IV. Conſ. Honor.

Per varium gemini ſcelus erupere Tyranni.

Noſter Faſtor. II. 630.

Et quicumque ſuas per ſcelus auget opes.

Sic Stat. V. 216. ex MS.

Per murmura Gorgen
Quaerit. BURMANNUS.

9. *Incertum vigilans an ſomno languida.*] Scripti omnes, *à ſomno.* praeter alterum Mentelianum, in quo *è ſomno.* Lego, *ac ſomno languida. Incertum vigilans*, dubie vigilans. Sic Statius Theb. V. qui haec videtur reſpexiſſe:

Turbidus, incertumque oculis vigilantibus hoſtem
Occupat.

Quae illic meliorum codicum ſcriptura eſt. idem IX. Theb. de ſomno:

Ille Deae juſtis dubium mixtumque ſopori
Adnuit.

Quomodo & illic caſtigatiores membranae. ſic *indignum.* I. Amor. 6. 1. ubi plura. HEINS. *A ſomno* retinendum & hic & mox, vers. 16. *à* eſt *poſt.* vid. ad Epiſt. II. 86. & V. 152. ſic I. Art. 529. ex ſcriptis:

Utque erat à ſomno tunica velata recincta.

è ſomno tamen dixit Tacit. de Mor. Germ. 22. & *ex ſomno.* Liv. VIII. 37. eadem differentia. III. Met. 631. *aque mero*, vel *eque mero.* BURMANNUS.

10. *Semiſupina.*] Cum primo etiam Amorum Elegia XIV. Ovidius antepenultimam *ſemiſopitae* ſyllabam corripuerit, *purpureo jacuit ſemiſopita toro*; nullo pacto hoc invertendum carmen. NAUGER. Codices omnes *ſemiſopita* prae ſe ferunt, reclamante tamen ſyllaba: nam *ſopire* ſemper primam producit, ut apud hunc ipſum infra Ep. Medeae:

Quae me non poſſum potui ſopire Draconem.

Et Hypermneſtrae:

Dum petis amplexus ſopitaque brachia jactas.

Tametſi *ſopor* corripiat. quare *ſemiſepulta* libentius eodem ſenſu legerim. EGNATIUS. Movet quosdam hoc loco dictio *ſemiſopita.* quaſi verſus repugnet, propter ſyllabam a fine tertiam, quae in primitiva ſive ſimplici ſolet eſſe longa. ſed mihi nihil incommodi hic locus habere videtur; nam & alibi eadem voce, eodem modo, eademque quantitate idem Poëta uſus eſt. ut I. Amor. Eleg. 14. ubi legitur:

Purpureo jacuit ſemiſopita toro.

Et *ſemiſepulta*, quam vocem iidem hic ſubſtituunt, plenioris ſignificationis eſt, quam ut huic aut illi loco conveniat. Invenias autem & alia, in quibus derivati aut compoſiti quantitas primitivo non ſemper reſpondeat. Quare & hoc loco Poëtae auctoritati aliquid concedendum. MYCILLUS. Lego, *ſemiſupina.* Ne bis idem dicat, utque metro conſulatur. prima enim in *ſopita* haud eſt ut poſſit corripi. Sarravianus certe pro diverſâ lectione *ſemiſepulta.* uſus etiam eſt ea voce Martialis lib. VI. 35. ſic Amor. lib. I. El. XV.

Purpureo jacuit ſemiſupina toro.

Ex auctoritate meliorum codicum. Nam vulgati illic etiam ſimili prorſus modo peccabant. Art. Am. III. 788.

Cum jacet in dextrum ſemiſupina latus.

Ubi etiam codices quidam *ſemiſopita.* Scribebant *ſopina* pro *ſupina.* hinc natus error. ſic libro I. Art. Am. 489. in veterrimo codice Oxonienſi:

—— Sive illa toro reſopina feratur.

In Catalectis Scaligeri:

Et flectat niveum ſemiſupina latus.

Hoc tamen Naſonis loco parum abeſt, quin cenſeam reponi debere *ſemiſopora*, quomodo apud Sidon. Apollin. Carm. XV.

Semiſopora levi ſcalpebat lumina penna. HEINS.

Mihi *ſemiſupina* quoque placet. ſed pro *prenſuras* mal-

Nunc huc, nunc illuc, & utroque, ſine ordine, curro:
Alta puellares tardat arena pedes.
Interea toto clamanti litore, Theſeu,
Reddebant nomen concava ſaxa tuum:
Et quoties ego te, toties locus ipſe vocabat;
Ipſe locus miſerae ferre volebat opem.
Mons fuit; adparent frutices in vertice rari;
Hinc ſcopulus raucis pendet adeſus aquis.
Adſcendo, (vires animus dabat) atque ita late
Aequora proſpectu metior alta meo.
Inde ego (nam ventis quoque ſum crudelibus uſa)
Vidi praecipiti carbaſa tenta noto.

Aut

mallem cum primis editionibus, & viginti ſeptem ſcriptis, *preſſuras*, quod melius amori, & ardori Ariadnes convenire videtur; quae non apprehendere modo, ſed artiſſimo amplexu invadere ſtatim a ſomno Theſea ſuum volebat. ita millies *premere* apud Poëtas. lib. VI. Met. 640. ex optimis membranis:

Eja, & jam, mater clamantem & colla prementem
Enſe ferit Precne.

Eleganter vero hos vanos a ſomno amplexus deſcribit Lycophron in Alexandra, vers. 113.

Ψυχρὸν παραγκάλισμα κ' ἐξ ὀνειράτων
Κεναῖς ἀφάσσων ὠλένοισι δέμνια.

Prenſura tamen defendi poſſet ex v. Faſt. 476.

Lubrica prenſantes effugit umbra manus. BURM.

11. *Retento.*] Satis aptum verbum. ut *tentare*, *pertentare* in ſimili re. vid. ad Phaedr. III. 10. & ad Petron. cap. XIII. & LXXVIII. ſed in Moreti & Ambroſiano erat *retendo*, quod Heinſio non diſplicebat: ſed *retento* eſt, iterum iterumque tactu exploro, an in parte tori Theſeus meus eſſet. mox pro *moveo* Farneſianus *jacto brachia*, quod non diſplicet, quia praeceſſerat, *movi manus*. BURMANNUS.

16. *Rapta.*] *Rupta* margo Berſmanni: rectius. Epiſt. III. 15.

At lacrymas ſine fine dedi, rupique capillos.

Ita *ſciſſae comae*. Epiſt. XV. 114. ubi quidam *ruptis* & ita conjecit etiam legendum Slichtenhorſtius. vid. Gronov. Obſerv. II. cap. XXI. & inde toties *laniare capillos*. ut II. Art. Am. 451. ubi tamen quidam codices *rapiat* pro *laniet*. ſic ſaepe *lacerae comae* Noſtro, & *lacerati capilli*. Juvenal. Sat. VI. 488. HEINSIUS. Eadem diverſitas eſt inf. I. Amor. VII. 49. *raptis*, vel *ruptis à fronte capillis*. & ſupra Epiſt. VI. 27. vide quae nos notavimus olim ad Petron. cap. CXI. & puto diſtinguenda ſemper haec duo verba eſſe: *rumpuntur* crines in luctu, planctu & ſimilibus, *rapiuntur*, in jurgio, vel cum aetate deficiunt. vid. III. Art. Am. 161. & 570. *turbida* vero hic eſt turbata. ut recte Douza etiam cepit. ſic alibi lib. III. Amor. XIV 33.

Cur plus quam ſomno turbatos eſſe capillos.

BURMANNUS.

18. *Litus habent.*] *Erat.* tres ſcripti ut Epiſt. Laodam.

Et quod ſpectarem nil, niſi pontus, erat.

HEINSIUS.

19. *Et utroque ſine ordine.*] *Retroque*, vel, *iterumque ſine ordine*, ex Jano Vlitio adnotaverat Francius.

26. *Nunc ſcopulus.*] Excerpta Jureti cum aliis nonnullis *hinc*; Voſſianus *huic*: quatuor *hic*. HEINS. Nos recepimus *hinc ſcopulus*: non enim Ariadne mutatam ab eo tempore montis conditionem vult innuere, ſed ex monte partem, inſtar ſcopuli, eminuiſſe in mare. ut v. Faſt. 150. *Pars bona montis* ſaxum dicitur. *Pendet* vero eleganter, quia inferiori parte adeſus aquis, ſuper aequor pendere videbatur. *hic* probabat Douza. BURMANNUS.

29. *Crudelibus.*] Ita mox *crudeles ſomnos* & *ventos*, & *ſaevos* vocat. vers. III. & 113. ſed in Moreti uno & margine Berſmanni eſt *crudelius*, quod neque repudiandum temere. ita Epiſt. XVI. 245.

Ut poſſim verbis petulantius uti.

Ubi etiam alii codices *petulantibus*. ſic *crudeliter uti*. III. Pont. VII. 17. & *civiliter uti*. III. Triſt. VIII. 41. BURMANNUS.

30. *Carbaſa tenſa noto.*] *Tenta* Puteaneus & alii nonnulli. ſic Met. XIII. 417. ex veteri codice:

Jamque viam ſuadet Boreas, flatuque ſecundo
Carbaſa tenſa ſonant.

Ubi vulgati *mota*. HEINSIUS. Ita Valer. Flacc. IV. 422.

Placidi tendebant carbaſa venti.

Et Virg. III. 268.

Tendunt vela noti.

Aut vidi: aut etiam, cum me vidiſſe putarem,
Frigidior glacie ſemanimisque fui.
Nec languere diu patitur dolor. excitor illo,
Excitor; & ſummâ Theſea voce voco.
Quo fugis? exclamo: ſcelerate, revertere, Theſeu.
Flecte ratem; numerum non habet illa ſuum.
Haec ego. quod voci deerat, plangore replebam.
Verbera cum verbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut ſaltem cernere poſſes,
Jactatae late ſigna dedere manus.
Candidaque impoſui longae velamina virgae,
Scilicet oblitos admonitura mei.
Jamque oculis ereptus eras: tum denique flevi;
Torpuerant molles ante dolore genae.
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Poſtquam deſierant vela videre tua?

Aut

31. *Aut vidi, aut certe quia me vidiſſe putavi.*] Mire turbant hic denuo priſca exemplaria. alter Mentelii, *dum me vidiſſe putarem.* Puteaneus, hiatu relicto in illis, quae legi non poterant:

Aut vidi à.... jam quae me vidiſſe putarem.

Puto:

Aut vidi, aut quod erant quae me vidiſſe putarem.

Quo & alludunt tres alii codices, in quibus:

Aut vidi, aut fuerant quae me vidiſſe putarem.

Et ita Schot. II. Obſerv. LIII. ex duobus MSS. multi libri:

—— *Aut etiam cum me vidiſſe putarem.*

Etiam non male. Virgil. VI. 454.

Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila lunam.

Alii aliter. ſed piget in his morari. HEINSIUS.

34. *Et ſummâ Theſea voce voco.*] Alio modo dicitur *clara voce*, & *magna voce*. CIOFANUS.

36. *Numerum.*] Locutio haec quidem in alia re ſaepius occurrit, ut II. Pont. VIII. 3.

Utque ſuum munus numerum, quem debet, haberet.

Sed hic maxime proprie poſita videtur. nam ſic & Cicer. v. Verrin. 51. *Tuus teſtis, tuus imperator, tuus hoſpes Cleomenes, hoc dicit ſe in terram eſſe egreſſum, uti Pachyno è terreſtri praeſidio milites colligeret, quos in navibus collocaret, quod certe non feciſſet, ſi ſuum numerum naves haberent.* BURMANNUS.

37. *Hoc ego quod voci deerat.*] *Haec* Puteaneus & duodecim alii. diſtingue:

Haec ego. quod voci deerat, plangore replebam.

Sulpic. in Satyra:

Haec ego: tum paucis Dea me dignatur & infit.

Noſter Epiſtolâ Hypermneſtrae, 67.

Haec ego. dumque queror, lacrymae ſua verba ſequuntur.

Amor. II. El. v. 33.

Haec ego: quaeque dolor linguae dictavit.

Remediis Amoris: 39.

Haec ego: movit Amor gemmatas aureus alas.

Similiter *ſed quid ego haec?* de quo Epiſtola XV. v. 207. HEINSIUS.

39. *Ut ſaltem.*] Junii *haec ſaltem*. forte, *at ſaltem ut*. BURMANNUS.

40. *Jactatae.*] Codex Douzae *Jactantes*; certe *jactatae late* non placet.

42. *Admonitura.*] In Gronoviano erat, *ammonumenta*. forte, *oblitis ah monumenta mei*. HEINS.

46. *Deſierant.*] *Deſieram* Puteaneus & quinque alii. HEINSIUS. Nos antiquam lectionem reduximus; quam magis Poëticam credimus, & poſcit praecedens *facerent*. VI. Met. 680.

Viderunt oculi telum jaculabile noſtri.

Ita paſſim *lingua* & *os dicere*, & alia membra id facere dicuntur, quod nos per ea facere ſolemus. vid. & inf. vers. 120. BURMANNUS.

48. *Qualis ab Ogygio.*] Ogygium Deum Bacchum accipe, ab Ogygo antiquiſſimo Boeotorum rege, quem Pauſanias αὐτόχθονα fuiſſe, Boeotiaeque imperaſſe ſcribit, populumque ejus fuiſſe Hectenes, quibus peſte abſumtis, ſucceſſiſſe Hyantas & Aonas uſque ad Cadmi tempora, a quo Thebas conditas, ubi poſtea Bacchus natus. quem hic Ogygium vocat Poëta, ut Phoroncos & Inachios, Argivos alibi. MICYLLUS.

50. *Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.*] Expreſſiſſe videtur Catulli locum. ubi ita eſt:

Saxea ut effigies bacchantis proſpicit Evoë. CIOFAN.

53. *Et tua quae poſſum.*] *Qua poſſum* rectius Argentinus cum Jureti Excerptis. Epiſtola Laodamiae. 43. ut quidem libri meliores habent:

Qua

Aut ego diffuſis erravi ſola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo:
Aut mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi:
Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.
Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambos;
Sed non acceptos exhibiturus erat.
Et tua, qua poſſum, pro te, veſtigia tango;
Strataque, quae membris intepuere tuis.
Incumbo; lacrimisque toro manante profuſis,
Preſſimus, exclamo, te duo: redde duos.
Venimus huc ambo: cur non diſcedimus ambo?
Perfide, pars noſtri, lectule, major ubi eſt?
Quid faciam? quo ſola ferar? vacat inſula cultu.
Non hominum video non ego facta boum.
Omne latus terrae cingit mare. navita nusquam:
Nulla per ambiguas puppis itura vias.

Finge

Qua poſſum ſqualore tuos imitata labores
Dicar.
Ubi vide quae noto. Art. Am. lib. II. 633.
Corpora ſi nequeunt, qua poſſunt, nomina tangunt. HEINSIUS.

55. *Incumbo, lacrimisque.*] Codex Douzae. *Incumboque toro lacrimis manante profuſis.* & ita Junii Lincol. & Baſil.

56. *Preſſimus (exclamo) te duo, redde duos.*] Legerem *duo*, ut eſſet figura plenior. nam & *duo* legitur in caſu accuſandi. Virg. XI. Aeneid.
Si duo praeterea tales Idaea tuliſſet Terra viros.
Propert.
Et duo in adverſum miſit per moenia currus;
Ne poſſet tacto ſtringere ab axe latus.
CIOFANUS. Nullum dubium, quin veteres ita locuti fuerint. vide plena manu exempla adnumerantem Gronovium ad Livii lib. XXXV. 21. ſed contra ſcriptos libros intrudere talia nobis religio eſt. BURMANNUS.

59. *Qua ſola ferar.*] *Quo ſola* meliores. Epiſtol. Medeae:
Quo feret ira ſequar.
Stat. XII. Theb. 149.
Quo miſerae, quo fortis iter.
Et *culto* pro *cultu* Puteaneus. Faſt. I. 683.
Neve graves cultis Cerealia dona, cavete,
Agmine laeſuro depopulentur aves.
Pont. lib. II. El. IX.
Vana laborantis ſi fallat culta coloni,
Accipiat gravidae cur ſuis exta Ceres?
Ita vetus liber. Auſonius Epiſt. I.
—— *Colui loca juncta ſuperbis*
Urbibus, & laetis hominum celeberrima cultis.
Niſi *tectis cultis* ibi legendum. hinc *pinguia culta* apud Claudianum & Avienum Deſcriptione Orbis. & Fab. XXX. quod uterque a Marone mutuati ſunt. qui pari modo Aeneidos VIII. Apud eundem Avienum:
—— *Juxta ſunt culta Laconum.*
Eadem Orbis Deſcriptione. Ammianus, lib. XIV. 6. *Cultorum, ut putant, feracium multiplicantes annuos fructus.* Dictys Cretenſis libro II. *Interim Ajax Telamonius inſtructo milite quem ſecum adduxerat*, (bene codex vetuſtus meus *advexerat*) *habens* (lego *addens*) *etiam nonnullos de exercitu Achillis, ingreſſus Phrygiae regionem, culta* (male ſcripti editique libri *multa*) *hoſtiliter vaſtat, ac poſt paucos dies praeda auctus, ad exercicum victor revertit.* non *revenit.* HEINSIUS. Vide Lindenbr. ad Amm. Marcel. XIV. cap. 6. non tamen puto *cultum* recte dici in ſingulari, ſed novi ſaepe occurrere in plurali *culta*. & praeterea, ſi jam *culto* admitti poſſet, non recte tamen diceretur, *inſula vacare culto*, pro cultis agris; ſed *cultu* probe, id eſt colentium manu & opera. ita Ep. XII. 18.
Ut caderet cultu cultor ab ipſe ſuo.
Id eſt ab iis, quos ſeviſſet, & colendo agrum excitaſſet. & ita in plurali. II. Amor. Eleg. XVI. 33. *Operoſi cultibus agri.* ex MSS. BURMANNUS.

60. *Non hominum video non ego facta boum.*] Τὰ ἔργα, hoc eſt opera, intellige per *facta*, hoc eſt agriculturam, quam per τὰ ἔργα Graeci deſignabant. Iisdem γῆς ἐργασία agricultura, & ἐργάζεσθαι agrum colere, & ἐργάται agrum colentes. Hinc Heſiodus Georgica ſua ἔργα καὶ ἡμέρας inſcripſit. HEINS. Callimachus Hymno Dianae. 156.
Σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνονται.
Ex Homerico Odyſ. K. 95. Ovidius hauſit:
Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν οὐτ' ἄνδρων φαίνετο ἔργα.

Finge dari comitesque mihi, ventosque, ratemque;
Quid sequar? accessus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per aequora labar;
Temperet ut ventos Aeolus; exsul ero.
Non ego te, Crete, centum digesta per urbes,
Adspiciam, puero cognita terra Jovi.
Nam pater, & tellus justo regnata parenti,
Prodita sunt facto, nomina cara, meo.
Cum tibi, ne victor tecto morerere recurvo,
Quae regerent passus, pro duce fila dedi.
Cum mihi dicebas, Per ego ipsa pericula juro,
Te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.

Vivi-

Quod & Lucianus, in proverbii speciem usurpat in Icaromenippo. Virgilius vertit 1. Georg. 118.

Hominumque boumque labores. Burmannus.

61. *Nusquam est.*] Τὸ *est* non agnoscunt meliores. Heinsius.

63. *Finge.*] Alio modo, *Esto*, *fac*, *pone.* Ciofanus.

65. *Pacata.*] *Placata* Lovanienses, sollemni permutatione. vid. XIII. Metam. 440. & XV. 723. ubi similis diversitas. *Labi* vero eleganter pro navigare poni docuit Broukhusius quondam meus ad Propert. II. XX. 18. Burmannus.

66. *Aeolus.*] Puteaneus *Eulos*, lege *Aeolos*. lib. XIV. Met. 223.

Aeolon ille refert Tusco regnare profundo. Heins.

67. *Digesta.*] *Disjecta.* Junii liber, unde fuit, ut *dissepta* legerem; sed vulgata recte se habet. Ep. IX. 93.

Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberus.

Metam. IV. 773.

Septem digestum in cornua Nilum. Heinsius.

69. *Nam pater & tellus.*] Puteaneus ac alter Moreti, *at pater.* vetustior ejusdem *Et pater.* probe. Heinsius. *Parente* etiam Puteaneus a manu secunda & quinque alii. nil muto. Horat. II. Od. VI.

Et regnata petam Laconi
Rura Phalanto. Burmannus.

70. *Facto.*] *Pacto* Vossianus. forte recte; pacto sive nuptiis cum Theseo initis. vid. inf. v. 92. *Nomina bina* etiam Francofurtensis. Burmannus.

71. *Cum tibi ne victus.*] *Victor* Puteaneus & duo alii. superato scilicet jam Minotauro. Heins.

72. *Quae regerent passus pro duce fila dedi. Cum mihi dicebas, per ego ipsa pericula juro, Te fore, &c.*] Huc pertinet quod scribit Hyginus, cujus verba sunt haec: *Theseus, postquam Cretam venit, ab Ariadne Minois filia est adamatus, adeò ut fratrem proderet, & hospitem servaret: ea enim Theseo monstravit Labyrinthi exitum. Quo Theseus cùm introisset & Minotaurum interfecisset, Ariadnes admonitu licium revolvendo, foras est egressus, eamque, quòd fidem illi dederat, in conjugium secum habiturus, avexit.* Ciofanus.

73. *Tu mihi dicebas.*] *Cum mihi* praestantiores. Codex Douzae hic & districho superiore habet *tunc*, forte:

Tunc mihi dicebas, per ego ista pericula juro.

Ista habet Gronovianus. Scio lib. I. Metam. 353. legi, *nunc ipsa pericula jungunt.* sed hic malim *ista.* Burmannus.

75. *Si modo vivit Femina.*] *Vivis* codices magno numero; ut se ipsam alloquatur. quod ἐμφατικώτερον ad adfectus concitandos. sic Trist. lib. V. Eleg. VII.

Vivit in his cheu tenerorum oblitus amorum,
Hos videt, hos vates audit, amice, tuus!
Atque utinam vivas, & non moriaris.

Ita optime liber antiquus. vulgo *vivat & moriatur* contra legem carminis. Ipsa Ariadna Fast. III. 463.

Sorte tori gaudens, Quid flebas, rustica, dixit?
Utiliter nobis perfidus ille fuit.

Non *flebam*, ut est in vulgatis. Epistola Hypermnestrae, vers. 14. *Non es, quam piget esse piam.* ut quidem videtur scribendum. Remed. Amor. 601.

Nona terebatur miserae via, videris, inquit,
Et spectat zonam pallida facta suam.

Sic vetustus codex. Idem.

76. *Fraude sepulta viri.*] Turbant admodum manu exarati codices, quorum Palatinus, & quidam alii hic habent *soluta*, & sequenti pentametro, *Sepulta fides*, (ut & habet utrobique *sepulta* Moreti unus & Vossianus) quae transpositio nescio an convenientior Poëtae: mori enim poterat fraude Thesei Ariadne in sola insula relicta, sed sepul-

Vivimus: & non ſum, Theſeu, tua. ſi modo vivis,
Femina, perjuri fraude ſepulta viri.
Me quoque, qua fratrem, mactaſſes, improbe, clava;
Eſſet, quam dederas, morte ſoluta fides.
Nunc ego non tantum, quae ſum paſſura, recordor;
Sed quaecumque poteſt ulla relicta pari.
Occurrunt animo pereundi mille figurae:
Morsque minus poenae, quam mora mortis, habet.
Jam jam venturos aut hac, aut ſuſpicor illac,
Qui lanient avido viſcera dente, lupos.
Forſitan & fulvos tellus alat iſta leones.
Quis ſcit, an haec ſaevas tigridas inſula habet?

Et

ſepulturam a nemine ſperare poterat; *ſolvi* vero pro mori Noſter ſaepe ponit. II. Amor. x. 36.

Medium ſolvar & inter opus.

In Ibin. 146.

Sive manu facta morte ſolutus ero.

Et ita paſſim alii. Vid. ad Petron. cap. CXI. *Sepulta vero* fides elegantiſſime dicitur ita abolita & obſcurata, ut nulla ejus veſtigia poſt caedem Ariadnes exſtarent, nec quiſquam eam Theſeo exprobrare poſſet, ſi Ariadnam, antequam ex patria abduxiſſet, quod ipſum Athenienſibus fidem pacti facere poterat, mactaſſet clava; tunc enim nullum fidei Ariadnae datae argumentum adverſus Theſea produci potuiſſet; ſed ſimul cum funere condidiſſet fidem. ita *fama ſepulta*, & ſimilia, de quibus egimus ad Petronii fragmenta p. 676. *eſſet* vero pro *fuiſſet* capiendum, quae enallage obvia & vulgaris. haec conſiderent viri docti; interim nihil mutabo. nam & vulgata recte explicari poteſt. BURMANNUS.

79. *Quae ſum paſſura recordor.*] Nihil variant codices. poſſet tamen videri alicui ſcribendum, *quae ſum modo paſſa recordor*, quia praeteritorum recordamur. ſed & de futuris ita utitur Juſtinus lib. v. cap. 7. *Sibi quiſque ante oculos obſidionem, famem & ſuperbiam victoremque hoſtem proponentes; jam ruinam urbis & incendia, jam omnium captivitatem & miſerrimam ſervitutem recordantes.* & idem eo ſenſu utitur verbo *meminiſſe*. lib. XI. 5. *Nec belli periculorumque, ſed divitiarum meminerant.* BURMANNUS.

82. *Morsque minus poenae, quàm mora mortis habet.*] Caeſar apud Salluſtium in conjurat: *In luctu atque miſeriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum eſſe.* In Ibin:

Luctatuſque diu cruciatos ſpiritus artus
Deſerat, & longa torqueat ante mora.

Ubi ex Suetonio aliud exemplum adduxi. CIOFAN.

85. *Tellus alit iſta leones.*] *Alat* Puteaneus & Sarravianus. HEINSIUS. *Parit* Cod. Douzae.

86. *Quis ſcit an haec ſaevas inſula tigres habet.*] Duo ſunt quae in hoc verſu offendunt. Primo quod Latine haud dicitur, *Quis ſcit an habet*, ſed *an habeat*. Deinde quod poſteriorem in *tigres* corripit, quae Latina vox. vid. I. Art. Am. 559. nam quarto caſu Graeco *tigridas* debuiſſet dixiſſe. Turbant praeterea vehementer libri veteres; ut demendo dubium non ſit. Puteaneus:

Quis ſcit an & haec tigrides inſula habet.

Alii plerique *ſaevas tigrides inſula habet*, vel, *tigridas*. vetuſtior Moreti:

Quis ſcit an haec tigres inſula ſaeva ferat.

Meus, quem à Cl. Mentelio habui:

Quis ſcit an haec ſaevas fert quoque terra tigres.

Alter:

Quid ſcit an haec ſaevas inſula tigres habet.

Sed haec interpolatorum ſunt. Dicam quod ſentio. puto ultimam in *tigrides* aut *tigridas* ſyllabam abſorpſiſſe vocem, quae ſequebatur, *Dia* videlicet, cujus gloſſema fuerit Τὸ *inſula*. Deinde pro *habet* exaratum primo corrupte fuiſſe *bacet* vel quid ſimile, unde *habet* ſit factum. Lego igitur:

Quis ſcit an & ſaeva tigride Dia vacet.

Sic ſupra *vacat inſula cultu*. Met. I. 422.

Jupiter ut vidit ſeſſam & cuſtode vacantem.

Ita enim illic libri veteres. vulgati *carentem*. Solinus cap. XXI. de Orcadibus: *Vacant homine, non habent ſilvas.* Si quis meliora excogitarit, ei ego libens adſurgam & gratulabor. Gronovius putat Τὸ *inſula* eſſe ex gloſſa; quare legebat:

Quis ſcit an & ſaevam tigrida Naxus habet?

Forte & ex veſtigiis Puteanei omnium veterrimi codicis pro iis, *tigrides inſula*, reponendum *tigriſin illa*.

Quis ſcit an & ſaevis tigriſin illa vacet?

Vide nos ad Epiſt. XIII. v. 137. torſit & hic locus Voſſium de Art. Gramm. lib. II. cap. 31. HEINS.

Et freta dicuntur magnas expellere phocas.
Quid vetat & gladios per latus ire meum?
Tantum ne religer durâ captiva catenâ;
Neve traham ſervâ grandia penſa manu:
Cui pater eſt Minos, cui mater filia Phoebi:
Quodque magis memini, quae tibi pacta fui.
Si mare, ſi terras, porrectaque litora vidi;
Multa mihi terrae, multa minantur aquae.
Coelum reſtabat. timeo ſimulacra Deorum.
Deſtituor rapidis praeda cibusque feris.

Sive

87. *Magnos.*] Ita plurimi codices & editiones. ſed Manil. lib. v. 661. *Securas phocas* dixit & Virgil. lib. III. Georg. 547. *Inſolitas phocas.* Heinsius.

88. *Quis vetat & gladios.*] Leve eſt quod dicam, dicendum tamen, reponi nimirum debere vel contra codices vetuſtos, *Quid vetat.* Amor. I. El. VII.

Quid vetat & nervos magicas torpere per artes?

Libro III. Art. Am. 93. cum veteri codice:

Quid vetat appoſito lumen de lumine ſumi?

Et 525.

Quid vetat à magnis ad res exempla minores
Sumere?

Ubi ſimiliter peccant ſcripti plerique. lib. I. Faſtor. 295. cum optimo Vaticano:

Quid vetat & ſtellas, ut quaeque oriturque caditque,
Dicere?

Lib. II. 423.

Quid vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?

Et lib. III. 11.

—— quid enim vetat inde moveri?

Triſt. I. El. 11.

Quid vetat irato numen adeſſe Deo?

Ut libri veteres agnoſcunt. lib. v. El. I.

—— quis te mala ſumere cogit?
Aut quid deceptum ponere ſumpta vetat?

Sic Vaticanus. atque ita apud Petronium legerim, cap. 132.

Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia neſcit?
Quid vetat in tepido membra calere toro?

Neque aliter Horatius ac reliqui optimae Latinitatis auctores. Sic & *Quid prohibet* dicebant potius, quam *Quis.* Epiſt. Helenae ex fide veterum librorum:

Quid prohibet raris nomen ineſſe meum?

Sic & apud Petronium legatur, cap. 104. *Ceterum Licas ut Triphaenae ſomnia expiavit, Quid, inquit, prohibet navigium ſcrutari?* Idem, cap. 127. *Habes tu quidem fratrem. ſed quid prohibet & ſororem adoptare?* Apud Auſonium quoque Epiſt. XXV. circumfertur, perperam, ut opinor:

Quis prohibet, ſalve atque vale brevitate paratâ.

Apud Virgil. Aeneid. v. 631. ex fide optimorum codicum:

Quid prohibet muros jacere & dare civibus urbem.

Silius lib. XVII. 232.

Cur porro haec angant? nunc nunc invadere ferro
Quid prohibet.

Sic ſcribo. in Actis Apoſtolorum cap. VIII. v. 36. meliores codices agnoſcunt: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* cum in Graeco textu ſit ἰδοὺ ὕδωρ· τί κωλύει με βαπτισθῆναι. Heinsius. Apud Quinctilian. lib. IV. cap. 2. *Congerere plura expoſitione quid prohibet.* ubi male quaedam editiones *quis.* Burmannus.

90. *Grandia.*] Recte, quae duritiam dominae, cui ſervituram ſe metuit, arguunt. ita *iniqua penſa.* de quibus vid. Ep. IX. 78. Burmannus.

92. *Quodque magis memini.*] Rectius legeretur, *Quoque magis merui.* majus meritum dicit Theſeo ſe pactam fuiſſe, quam eſſe Minois & Paſiphaes filiam. in prima editione erat. *quoque magis memini. Nupta fui.* Cod. Douzae. Burmannus.

93. *Si mare.*] Lege, *Seu mare, ſeu terras, porrectave litora vidi.* Heinsius.

95. *Deorum.*] *Ferarum* in Gronoviano. quod qui ſuppoſuit, praeterquam quod aſtra ſub figuris ſerpentis, Centauri &c. fingi noverat, in animo habuit alterum Ovidii locum, qui legitur II. Met. 78.

—per inſidias iter eſt, formasque ferarum.

Ubi in ſequentibus omnia fere illa ſimulacra enarrat. ſed neſcio quid ſpurii & non Ovidiani ſonet hic verſus, qui forte a ſciolo quodam ex centonibus aliunde conſutus eſt, &, ut ſaepe alibi, confictus: cum enim vidiſſet terrae & aquae mentionem factam, ſibi perſuaſit, coelum reſtare, eodem modo ac Daedalum inducit Noſter lib. II. Art. Am 37. unde & prima verba mutuatus videtur. ſed non cogitabat ille, Ariadnem parantem ſibi iter per aëra, pennis adſumtis, non apte ſatis poſſe fingi. quare puto ejectum & loco motum genuinum verſum, qui ſequenti pentametro aptius cohaereat. continuiſſe vero hunc ſenſum puto: ſive deſerta eſt & incolis vacua, deſtituor praeda feris, ſive colunt viri, diffidimus illis. Burman.

96. *Ra-*

Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis.
Externos didici laesa timere viros.
Viveret Androgeos utinam: nec facta luisses
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis!
Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu,
Ardua parte virum dextera, parte bovem!
Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem;
Fila per adductas saepe recepta manus!
Non equidem miror, si stat victoria tecum,
Strataque Cretaeam bellua tinxit humum,

Non

96. *Rapidis praeda cibusque feris.*] *Rabidis* Argentinensis. sic idem codex sequenti epistola, *rabidarum praeda ferarum.* ubi pari modo variant codices MSS. ita è MSS. Metam. VII. 388.

Rabidarum more ferarum.

Silius VIII. 640.

Castra quoque & vallum rabidae sub nocte silenti
Irrupere ferae.

Ut ibi legendum. Stat. I. 454.

Sunt & rabidis jura insita monstris.

Et VIII. 837.

Rabidi cum colla minantia monstri
Angeret.

Ut ibi MSS. & meliores Editiones. & lib. VIII. 71.

Sit qui rabidarum more ferarum.

Quod male MSS. mutant. & lib. VII. 530.

Pectoris impulsi rabidi stravere leones.

Sic lego è MSS. & X. 42.

Rabidi sic agmine mixto
Sub noctem coïere Lupi.

Avien. Fab. I. *Rabido quod foret esca lupo. rabidae tigres.* Juvenal. Sat. XV. 163. *Rapidae* tamen ferae pro rapacibus dictae videntur. HEINSIUS.

99. *Nec facta luisses.*] Ita emendavimus, cum hactenus omnes codices nullo sensu *tulisses* haberent. EGNATIUS. *Fuisses*, est germana lectio. CIOFANUS. *Fata tulisset* Puteaneus. alii *fata luisses* vel *tulisses.* sed nil muto. sic apud Statium Theb. I.

Facta luant Thebae.

Et lib. XII.

Aut nece facta luent. HEINSIUS.

101. *Nec tua mactasset.*] Sic Vaticanus. recte. CIOFANUS.

104. *Fila per adductas saepe recepta manus.*] Non damno hanc lectionem. Vide tamen, ne scripserit Ovidius *fila relecta.* auget suspicionem de mendo, quod in nonnullis exemplaribus membraneis pro glossa adscriptum est *collecta.* Met. VIII. 173. de eadem re:

Jamna difficilis filo est inventa relecto.

Ubi *relicto* perperam scribebatur. Fast. III. 461.

Jam male perjuro mutarat conjuge Bacchum,
Quae dedit ingrato fila legenda viro.

Sic vere optimi codices. vulgati & illic *regenda,* ubi & insignem Persii locum castigamus. Propertius lib. IV. El. IV.

Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cum patuit lecto stamine torta via.

Funem anchorae legere. Val. Flac. I.

Prora funem legit Argus ab alta.

Virgil. lib. X. 814.

——*Extremaque Lauso*
Parcae fila legunt.

Hoc est, colligunt, ut Servius interpretatur. Quod Ennodius in Epigrammate est imitatus:

Fila legant Parcae, quae dederant miseris.

Stamina legere Claudianus Phoenice:

Non stamina Parcae, in te dura legunt.

Senec. Herc. Oet.

Jam dominae captiva colos susosque legam.

Sic *collecta fila* Seneca Hippolyto, de Theseo:

Et longa curva fila collegit via. HEINSIUS.

106. *Stravit humum.*] Sic boni libri. CIOFANUS. Quanquam in MSS. notet Gruterus legi, *Strataque Cretaeam bellua tinxit humum*; nobis tamen nondum displicet haec lectio. Quid sit pondere, aut mole, aut cadendo, *sternere humum*, norunt qui Poëtas viderunt. DAN. HEINSIUS. An hoc dictum, quomodo Auctori Carminis in obitum Maecenatis:

Victorem victus metuat. metus imperet illi.
Membra nec in strata sternere discat humo?

Sed cum Puteaneus & alii nonnulli ex melioribus agnoscant *stravit*, opinor castigandum *lavit*, sanguine nimirum. *Tinxit humum* multi ex scriptis. non male, ut Schottus in suis invenit lib. II. Observ. c. LIII. nisi *planxit* malis. Ep. Parid. 334.

Caesaque sanguineam victima planget humum.

Met. III. 125. de Terrigenis:

Sanguineam trepido plangebant pectore matrem.

De quo loquendi modo alibi. Fast. I. 578.

Et lato moriens pectore plangit humum.

Ubi

Non poterant figi praecordia ferrea cornu:
Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu filices, illic adamanta tulisti:
Illic, qui filices, Thesea, vincat, habes.
Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
At semel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati;
Flaminaque in lacrimas officiosa meas.
Dextera crudelis, quae me fratremque necavit:
Et data poscenti, nomen inane, fides.
In me jurârunt somnus, ventusque, fidesque.
Prodita sum caussis una puella tribus.
Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo:
Nec, mea qui digitus lumina condat, erit?

Spiri-

Ubi male *tangit* & *pulsat* veteres nonnulli. Fast. IV. 896.

Atque indignanti pectore plangit humum.

Certe in altero Menteliano pro diversa lectione *tangit* erat adscriptum. sic Epistola VII. 169. etiam perperam legi ostendimus, *freta Afrum tangentia* vel, *frangentia litus*, pro *plangentia*. idem Mentelianus *pressit* cum duobus aliis, tres *texit*. HEINS. Nos retinuimus vulgatam *stravit*, tum quia plane Ovidianum est *strata stravit*; ut *perdita ne perdam timeo* & similia, tum quia *sternere terram* satis eleganter & proprie dici puto. Virgil. VIII. Aeneid. 719.

Ante aras terram caesi stravere juvenci.

Quamquam ibi paullum alio sensu capiatur. sed accommodatius Horatius lib. IV. Od. XIV. ex emendatioribus membranis:

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque & extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor.

Virgil. IX. 666.

Sternitur omne solum jaculis.

Lucret. I. 274.

Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis sternit.

Ubi idem quod operit, tegit, ut apud Stat. IX. 263.

Summa vagis late sternuntur flumina telis.

BURMANNUS.

107. *Cornu.*] Commentatores de cornu sive cornibus Minotauri exponunt; sed quid? si generaliter de quolibet telo aut hasta intelligas, ea significatione, qua a Virgilio dictum est. Aeneid. lib. IX. VI. 698. *Volat Itala cornus.* MICYLLUS. sed & de Minotauri cornu accipitur recte. Stat. XII. Theb. 670.

Alternasque manus circum & nodosa ligantem
Brachia, & abducto vitantem cornua vultu.

Cornu pro arcu habuimus Ep. IV. 39. BURMAN.

108. *Ut te non tegeres.*] Douzae codex & tres alii, *ut tua non tegeres pectora*, quod ille probat.

109. *Illuc tu filices, illuc.*] *Illic* ex castigatoribus repone utroque loco. proximo versu *filicem* nonnulli, & placet. HEINSIUS.

111. *Quid me.*] Naugerius mallebat *qui*. quod Gronovii, Moreti, & excerpta Gallicana confirmant. unus Palatinus *cur*.

112. *Premenda.*] *Tenenda* unus Moreti. ut sit repetitio. sed efficacius *premenda*: quia *aeterna nocte*, id est morte, praecedit. Horat. I. Od. IV.

Jam te prement nox fabulaeque manes.

Vid. supr. Ep. VI. 96. BURMANNUS.

115. *Dextera.*] Mallem, *dextraque*. HEINSIUS.

120. *Digitis.*] *Digitus* Scriverii & Palatinus. HEINS. Idque recepimus etiam auctoritate trium editionum antiquarum. lib. IV. Trist. III.

Texissent digiti lumina nostra tui.

Et III. Eleg. VI. 44.

Labentes oculos condet amica manus.

Vid. supra vers. 46. & ita Noster mox vers. 122.

Nec positos artus unget amica manus.

Ubi codex Leidensis *tanget*; sed Sarravianus & alii *junget*; unde Gronovius *finget*; non male. vid. ad Epist. XX. 134. sed de unctione omnia protrita. Enn.

Tarquini corpus bona femina lavit & unxit.

Vid. Fast. IV. 853. Pont. I. IX. 47. & passim. BURMANNUS.

123. *Ossa super.*] Anastrophe. CIOFAN. Sed cur non compositum *superstare?* Stat. II. Theb. 715.

Corpora tunc atque arma simul cumulata superstans
Incipit.

Et XI. Theb. 564. ubi vid. Barth. Phaedr. I. 27. dixit *stans vulturius super*, pro *superstans*. jungi etiam hoc verbum Dativo, docuit Drakenborchius Noster ad Sil. XIII. 300. sic *superincumbere*. Ep. XI. 57. BURMANNUS.

126. *Cum*

Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec positos artus unguet amica manus?
Ossa superstabunt volucres inhumata marinae?
Haec sunt officiis digna sepulcra meis?
Ibis Cecropios portus, patriaque receptus
Cum fleteris urbis celsus in arce tuae,
Et bene narraris letum taurique virique,
Sectaque per dubias saxea tecta vias;
Me quoque narrato sola tellure relictam:
Non ego sum titulis subripienda tuis.
Nec pater est Aegeus; nec tu Pittheidos Aethrae
Filius: auctores saxa fretumque tui.
Dî facerent, ut me summa de puppe videres!
Movisset vultus moesta figura tuos.

Nunc

126. *Cum fleteris turbae celsus honore tuae.*] *Turbae celsus in aure* Puteaneus; & emendatum postea *urbis in arce.* quomodo & septem alii. vide quae noto Epistola VII. ℣. 51. Dido:

Et videas populos altus ab arce tuos.

De arce Athenienſi protrita omnia. Lovanienſis, *urbis celsus in ore.* Octo, *turbae celsus in arce.* totidem, *turbae celsus in ore.* verè. Livius lib. XXXI. cap. 24. *Porta ea velut in ore urbis posita.* Florus II. cap. XV. *Classem sub ipso ore urbis incendit.* quinque, *in orbe.* & hoc bene. unus, *turbae in urbe.* De *populi ore* in Aponum Claudiani dictum. Silius libro III. 66.

At puer obsessae generatus in ore Sagunthi.

Ita vetusti codices. vulgati *ad ora.* ibidem 135.

—— *Ire per ora*
Nomen in aeternum paucis mens ignea donat.

Ubi perperam Modius *per auras.* Trist. IV. El. II.

Hos super in curru, Caesar, victore veheris
Purpureus populi rite per ora tui. Heinsius.

Sed τῷ *fleteris celsus* melius convenit *urbis in arce tuae,* quam *ore. stare* vero dicuntur voti compotes & victores, vid. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 285. Burmannus.

129. *Me quoque narrato solam tellure relictam, &c.*] Ita quidem communiter legitur. Sed mihi videtur, pro *solam, sola* legendum ablativo casu, ut cum nomine *Tellure* jungatur: sitque *Sola tellure* dictum, pro solitaria, sive in solitudine. quemadmodum apud Terentium. *In solas terras,* alibi legitur, eadem significatione. Mycillus. Elegantius est, quod alii codd. habent, *Me quoque narrato sola tellure relictam.* Ut in *solas terras* apud Comicum: hoc est, insulam desertam. Dan. Heins. Scribe *sola tellure.* alludunt huc nonnulli veteres, in quibus *solâ.* Catullus de hac nostra:

Desertam in sola miseram se cernit arenâ.

Sic *loca sola,* & *sola rura.* I. Fast. 398. & passim nostro, & similia. & Virgilio *soli montes, solae antra, sola saxa.* Propertio *solae silvae.* sic Noster Trist. V. VII. 41.

Quid potius faciam solis desertus in oris?

Ut ibi optimi codices. & II. Fast. 388. ex MSS.

Geminos in loca sola ferant.

Et alibi. Solin. cap. XXXVIII. de oppido Ciliciae: *Quod a Tigrane subactum & diu solum Pompeiopolim Cn. Magnus appellavit.* Heinsius. Facile adsentior Heinsianae emendationi, sed in Solini loco, quem ita emendavit Salmasius exerc. Plin. p. 547. puto legendum: *Quod a Tigrane subactum, & diu Solos, post Pompeiopolim, devictis Cilicibus Cn. Magnus appellavit. Soloe* sive Σόλοι antiquum fuit nomen, deinde *Pompeiopolis* dicta. nihil huc facit *solus* adjectivum. Burmannus.

130. *Titulis surripienda tuis.*] Vatic. *suscipienda*; in cujus ora est, *excipienda.* Nihil mutandum censeo. Ciofanus. Ciofanus notat in uno Vaticano *suscipienda*, & in ora ejus *excipienda*, quod posterius mihi non displicet. Heinsius.

131. *Nec pater est Aegeus.*] Apta exprobratio, quia Theseus Neptuni filius credebatur, Neptuni vero filii semper feroces & saevi a Poëtis inducuntur. Aegea vero abjudicat ipsi patrem, quia ille pronus in amores, & veneream voluptatem. vid. Meurs. Regn. Attic. III. cap. I. & 4. ubi docet & Veneri templum ab Aegeo positum. Burm.

133. *Summa de puppe.*] *De rupe* Junianus. quae si vera lectio est, sensus esset, me videres, de rupe spectantem, vel sedentem in rupe. ut supr. v. 27. & 49. dixit, & mox v. 136. & XVIII. Epist. 29.

Rupe sedens aliqua, specto tua litora tristis.

Ita apud Claud. II. Eutr. 471. pro vulgata, *longe spectari è puppibus urbes.* Heinsius corrigebat *è rupibus.* sed nihil hic moveo. Burmannus.

Nunc quoque non oculis, ſed, qua potes, adſpice mente
Haerentem ſcopulo, quem vaga pulſat aqua.
Adſpice demiſſos lugentis in ore capillos;
Et tunicas lacrimis, ſicut ab imbre, graves.
Corpus, ut impulſae ſegetes Aquilonibus, horret:
Literaque articulo preſſa tremente labat.
Non te per meritum, quoniam male ceſſit, adoro.
Debita ſit facto gratia nulla meo:
Sed nec pœna quidem. ſi non ego cauſſa ſalutis,
Non tamen eſt, cur ſis tu mihi cauſſa necis.
Has tibi, plangendo lugubria pectora laſſas,
Infelix tendo trans freta longa manus.
Hos tibi, qui ſuperant, oſtendo moeſta capillos.
Per lacrimas oro, quas tua facta movent:
Flecte ratem, Theſeu; verſoque relabere velo.
Si prius occidero; tu tamen oſſa leges.

EPI-

136. *Vaga pulſat aqua.*] Lib. I. Metam. 42. *Pro ripis litora pulſant.* CIOFANUS.

137. *Demiſſos lugentis more capillos.*] *In ore* quatuor libri. at Leidenſis *lugentum more.* ut Virgil. III. 65.

—— *Iliades crinem de more ſolutae.*

Propert. lib. II. Eleg. III.

Nec de more comae per levia colla fluentes.

HEINSIUS. Ita confundi *more* & *in ore* vidimus ad Quinctil. XI. Inſt. Or. 3.

141. *Adoro.*] Regius *adortor*, quod eſt pro *adhortor.* ſed nihil muto, poſſet enim aliter legi *id oro.* ſed *adoro* eſt poſitum pro ſimplici *oro.* vide Paſſerat. ad Propert. I. Eleg. 4. p. 162. Barth. Adverſ. XXXII. 13. Scriverii quoque codex *male ceſſat.* quae eadem varietas apud Statium lib. XII. Theb. 713. *Ceſſit fiducia valli.* ubi codices *ceſſat.* ſed nihil movendum. vid. ad Faſt. lib. II. 380. Douza volebat, *quod jam male ceſſit.* BURMANNUS.

143. *Sed nec.*] *Sed ne* Puteaneus, & quinque alii. HEINSIUS. *Sed neque* Moreti unus.

147. *Qui ſuperant.*] Qui reſtant, nam expergefacta laniaverat capillos; ſupr. vers. 16.

147. *Oſtendo moeſta capillos.*] Quomodo abſenti tam longe Theſeo oſtendere poterat capillos? puto *obtendo*: alia autem res eſt apud Senec. Phoen. 440.

Laniata canas mater oſtendit comas.

Quamquam & ibi *obtendit* poſſet locum habere. *Obtendere* vero, ut modo *tendere*, poſitum pro porrigere, praetendere, ut ſolebant ſupplices. vid. Heinſ. ad Sil. III. 613. ubi eadem varietas: aliter *obtendere* eſt tegere, velare, de quo vid. Barth. ad Stat. V. Theb. 45. & Gronov. ad Senec. Oed. 624. BURM.

149. *Verſoque relabere vento.*] Nec in manu Ariadnes, nec Theſei erat ventum vertere, neque id poterat Ariadne ſpecie aliqua a Theſeo petere: quare legendum cum Baſileenſi codice, *verſoque relabere velo.* vel, ut Gronovianus pro varia lectione habet, *verſoque relabere curſu.* ſic ſupra dixerat, v. 36. *Flecte ratem.* & hic unus Moreti *flexoque* habebat. & Ep. XIII. 134.

Dum licet, Inachiae vertite vela rates.

Ita *ventus* & *velum* confuſa apud Tibul. III. II. 21. ubi vid. Broukh. BURMANNUS.

150. *Tu tamen oſſa feres.*] Alter Mentelianus & praeterea tres membranae *leges.* quo & unus alludit Medicêus, in quo *lege.* De oſſilegio multa viri eruditi in commentariis funeris antiqui. Noſter Amor. III. El. VI.

O utinam mea lecta forent, patrioque ſepulcro
Condita, dum poterant virginis oſſa legi.

Perperam ibi vulgo, *tecta* & *tegi.* Propert. IV. I. 27.

Oſſaque legiſti non illa aetate legenda
Matris.

Et lib. IV. El. XI. ubi ſic Cornelia uxor Paulli extincta:

Num minus infeſtas habui Cornelia Parcas,
Et ſum quod digitis quinque legatur onus.

Ita ex uno Palatino lego. vulgo *levatur*, minus bene. ita & Graeci. Moſch. Megara. & Callim. Lavacr. Pallad. 115. ubi recte viri docti pro Δεξεῖται, agnoſcunt λεξεῖται. Sappho apud Noſtrum:

—— *Cum lecta parentis*
Ante diem lacrimas oſſa bibêre meas.

Atque ita paſſim veteres. ſed oſſa non legebantur, niſi combuſtis cadaveribus, quod Ariadnae in deſerto loco haud erat ſperandum. HEINSIUS.

EPISTOLA XI.

CANACE MACAREO.

SI qua tamen caecis errabunt ſcripta lituris;
Oblitus à dominae caede libellus erit.
Dextra tenet calamum; ſtrictum tenet altera ferrum,
Et jacet in gremio charta ſoluta meo.
Haec eſt Aeolidos fratri ſcribentis imago:
Sic videor duro poſſe placere patri.
Ipſe necis cuperem noſtrae ſpectator adeſſet;
Auctorisque oculis exigeretur opus.
Ut ferus eſt, multoque ſuis truculentior Euris,
Spectaſſet ſiccis vulnera noſtra genis.

Scili-

Aeolis Aeolidae, quam non habet ipſa, ſalutem
Mittit, & armata verba notata manu.] Etiam hi duo verſus inter nothos referuntur. neque tamen ita pannoſi ſunt, ut quibusdam è commentatoribus videtur. Nam ut ſupra, qui in Epiſtola Didonis a principio eodem modo inter nothos numerabantur, tolerari poterant, etiam pro Ovidianis, niſi doctorum conſenſus eos repudiaſſet; ita hi quoque ejuſmodi ſunt, ut niſi pro adulterinis a plerisque ſegregarentur, & ipſi per ſe valere & ſententiam juvare poſſent; neque enim exordium hujus epiſtolae ſimpliciter abruptum eſt, ſed pene novo quodam modo ab adverſativa *tamen* incipit. Quae novitas facile ſanari poterat, ſi hi verſus aut ſimiles ab initio praemitterentur. ſed quia Criticis aliter viſum eſt, neque nos Cornicum oculos, (ut dici ſolet) configere voluimus. MYCILLUS. Priſcae editiones cum Excerptis Puteani & libri ex noſtris multi ita ordiuntur hanc epiſtolam vulgatis auctiores, ſed interpolatoris beneficio. nam verſu quarto hujus epiſtolae pro *charta ſoluta*, nonnulli *notata* denuo exhibent. quibus ſi auſcultamus *notanda* rectius omnino erit. ſed *ſoluta* bene ſe habet, ut apud Juvenalem Sat. XIII. 116. HEINSIUS.

1. *Si qua tamen caecis.*] Poteſt abruptum eſſe exordium. Scaliger tamen τὸ λείπει annotaverat. DAN. HEINSIUS. Variant etiam in his verſibus codices: quidam enim habent, *quam non habet illa*, alii *ipſa*, & pro *verba notata*, *ſcripta notata*, vel *verba legenda*; ſed utcumque ſint, ablegandi ad monachorum officinas. quia vero τὸ *tamen* aliquid requirere videtur quod praecedat, & Heinſio mendoſus primus verſus viſus, conjecerat olim:

Si qua latent caecis errantia ſcripta lituris.

Qua medicina mihi nihil opus eſſe videtur. ſenſus enim hic eſt; haec epiſtola, quam tibi mitto, ita debuiſſet eſſe meo ſanguine maculata & foedata, ut nullae fere liturae apparerent, ſed plane oblitae cruore; ſi qua tamen hic & illic verba errantia ſuperſint, quae legere poteris, memento ſanguine fuiſſe conſperſam. & ita ſolere *tamen* poni, nullo praecedente vocabulo, cui vulgo ſubjici ſoleat, docebit te Gronovius ad Livii lib. XXIII. 19. de voce vero *oblitus* vid. Heinſium noſtrum ad Prudentii Praef. in Hamartig. v. 62. Heumannus Parerg. Critic. p. 120. legit *exſtabunt*; ſed nihil neceſſe. BURMANNUS.

5. *Haec eſt Aeolidos fratri ſcribentis imago.*] Servius lib. 1. Aeneid. 75. ad illud Virgilii:

——*Et pulchra faciet te prole parentem.*

Scribit Macareum & Canacem non hujus Aeoli, qui ventorum rex fuiſſe perhibetur, ſed alterius Aeoli filios fuiſſe. Cujus opinionem quàm facilè in hac epiſtola Ovidius convincat, nemo non videt. Hyginus cap. CCXXXVIII. *Aeolus Canacem propter inceſtum cum fratre Macareo admiſſum interfecit.* CIOFANUS.

6. *Duro.*] Codex Douzae *diro*. ſed *durus* proprium epitheton patris, apud Terentium ſaepius, & alios.

7. *Ipſe necis.*] *Neci* alter Mentelianus. & deinde quinque libri *adeſſes*, ſed tunc lege ſequenti verſu, *auctorisve*: imitatus autem eſt Virgilium lib. X. 443.

—*Cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet.*

HEINSIUS.

10. *Spectaret.*] *Spectaſſet* libri. Puteaneus *ſpectat ſed*. HEINSIUS.

Scilicet eſt aliquid, cum ſaevis vivere ventis:
Ingenio populi convenit ille ſui.
Ille Noto Zephyroque, & Sithonio Aquiloni
Imperat, & pennis, Eure proterve, tuis.
Imperat (heu) ventis; tumidae non imperat irae:
Poſſidet & vitiis regna minora ſuis.
Quid juvat, admotam per avorum nomina coelo,
Inter cognatos poſſe referre Jovem?
Num minus infeſtum, funebria munera, ferrum
Feminea teneo, non mea tela, manu?
O utinam, Macareu, quae nos commiſit in unum,
Veniſſet leto ſerior hora meo!
Cur umquam plus me, frater, quam frater, amaſti?
Et tibi, non debet quod ſoror eſſe, fui?
Ipſa quoque incalui: qualemque audire ſolebam,
Neſcio quem ſenſi corde tepente Deum.
Fugerat ore color: macies adduxerat artus:
Sumebant minimos ora coacta cibos.

Nec

17. *Quid juvat admotam &c.*] Planus ſenſus eſt, non figuratus, ut Commentator exiſtimavit: eſt enim ordo, quid juvat, me per nomina avorum admotam coelo, hoc eſt coeleſtibus conjunctam & affinem, poſſe inter cognatos Jovem referre? hoc autem eo pertinet, quod primus Aeolus Hellenis filius fuit, Hellen Jovis. Quare per ſeriem avorum, & ipſa ad Jovem genus ſuum referebat. Micyllus.

19. *Nec minus.*] Lege *num minus?* interrogative. Micyllus. *Non minus* ſcripti plerique, praeter Puteaneum, qui recte *Num minus.* Epiſtola Helenae 236.

Pulſa eſt Aeſonia num minus illa domo?

Leandri 174.

Num minus haec nobis tam brevis obſtat aqua?

Faſt. I. 525.

Num minus hic toto eſt altior orbe cinis?

Faſt. III. 6.

Num minus ingenuis artibus illa vacat?

Triſt. I. El. II.

Ut mare conſidat, ventisque ferentibus utar;
Ut mihi parcatis, num minus exul ero?

Lib. II.

Praeda fuit canibus num minus ille ſuis?

Lib. V. El. VI.

Manſit in officiis num minus ille ſuis?

Loca plura adſcripſi, quod ea in vulgatis editionibus ut plurimum mendoſa circumferuntur. Propert. II. Eleg. 22.

Num fugere minus Theſſala tela Phryges?

Et lib. IV. Eleg. ult.

Num minus immites habui, Cornelia, Parcas?

Auctor Elegiae in obitum Maecenatis:

Num minus Urbis erat cuſtos & Caeſaris hoſpes?

Heinsius. Vir quidam non ineruditus in Supplem. Actor. Lipſien. tom. VI. ſect. II. p. 80. legit:

Cum minus infeſtum, &c.

Certe non genium ille Ovidianae venuſtatis adſequi videtur. & recte ab alio viro in iisdem Actis A. MDCCXV. April. p. 178. refutatus eſt. Burm.

21. *Quae nos commiſit.*] Sic Vaticanus. placet. Ciofanus. Editio Aldi, Berſmanni & aliorum *conjunxit*, contra MSS. vid. ad IV. Metam. 369.

27. *Adduxerat.*] Ratio ita legendum perſuadet. Ciofanus. Vera lectio. fruſtra codices *abduxerat*, & editiones quaedam *obduxerat.* Virgilius III. Georg. 483.

Ubi ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus.

Ubi etiam codices *abduxerat.* Noſter III. Met. 397.

Adduxitque cutem macies.

Nec aliter Ciofanus. Lucanus lib. IV. 288.

Oſſaque nondum
Adduxere cutem.

Sic duo codices Rumſiani, & quaedam vulgatae editiones, quod male in Grotiana mutatum. ſic *adductus ſinis* cod. lib. 454. Heinsius.

28. *Ora coacta.*] Haec probant, *adduxerat* legendum eſſe in praecedenti verſu: idem enim notat. nam male Hubertinus exponit *compulſa.* Criſpinus *invita*; eſt enim idem quod contracta, minora per maciem & aegritudinem facta, ſic *virus coactum*, Lucan. VI. 548. *coacta tempeſtas.* Lucretio

Nec ſomni faciles, & nox erat annua nobis:
Et gemitum nullo laeſa dolore dabam.
Nec cur haec facerem, poteram mihi reddere cauſſam:
Nec noram, quid amans eſſet: at illud eram.
Prima malum nutrix animo praeſenſit anili:
Prima mihi nutrix, Aeoli, dixit, amas.
Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos.
Haec ſatis in tacita ſigna fatentis erant.
Jamque tumeſcebant vitiati pondera ventris,
Aegraque furtivum membra gravabat onus.
Quas mihi non herbas, quae non medicamina nutrix
Attulit, audaci ſuppoſuitque manu?
Ut penitus noſtris (hoc te celavimus unum)
Viſceribus creſcens excuteretur onus.
Ah! nimium vivax admotis reſtitit infans
Artibus, & tecto tutus ab hoſte fuit.
Jam novies erat orta ſoror pulcherrima Phoebi,
Denaque luciferos Luna movebat equos.

Neſcia

cretio lib. I. 762. ubi recte Gifanius, *denſam* explicat, & obſervatione dignam phraſin notat. Val. Flac. IV. 687.

Fluctuque coacto
Angitur, & clauſum ſcopulos ſuper effluit aequor.

Vid. XI. Met. 512. ſic & *cogere* fullones veſtimenta, & alii artifices materiem dicuntur, quam condenſant. vid. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 189. Mart. X. 16.

Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aeno.

Ita paſſim *cogere exercitum* Caeſar & alii BURMAN.

31. *Hoc facerem.*] *Haec* Puteaneus & alii multi. HEINSIUS.

33. *Praeſenſit.*] Douza legebat *perſenſit.*

36 *Signa fatentis.*] Plura ad hunc ſenſum congeſſerunt Elmenh. & Oizelius ad Minuc. Fel. c. IV. BURMANNUS.

37. *Pondera.*] *Pondere* Moreti. ut forte ſit legendum: *Jamque tumeſcebam vitiati pondere ventris.*

39. *Quas mihi non herbas, quae non medicamina nutrix Attulit, audaci ſuppoſuitque manu.*] Decorum confidentis nutricis optimè exprimit, & ſimplicis puellae ingenium oſtendit. CIOFANUS.

40. *Suppoſuit.*] Id eſt clam admovit, non, ut commentator, per inferiores partes immiſit. MICYLLUS.

42. *Viſceribus creſcens.*] Palatinus & Leidenſis, *Viſceribus noſtris.* & Francof. *exueretur.* fruſtra: eodem enim modo I. Faſt. 623.

Ictu temeraria caeco
Viſceribus creſcens excutiebat onus. BURMAN.

43. *Ah nimium.*] Si quis ſuperiores verſus conſideret, videbit *At* legendum, non *Ah.* NAUGER. *At nimium* vere legendum docti viri conjecerunt. CIOFANUS.

44. *Tectus tutus.*] Lego, *tecto tutus ab hoſte*, cum Puteaneo, ut & vitetur ejusdem ſoni in junctis vocabulis odioſa repetitio, & ſenſui conſulatur. *Tectus* enim *hoſtis* eſt ipſa mater vel nutrix, quae non aperta vi, ſed clam herbis & medicaminibus excutere foetum tentabat. vel *hoſtis* ſit ipſum medicamen noxium, ut Micyllus, quod clam per membra ſerpebat; ut *ictum caecum* in loco Faſtorum modo adducto dixit. BURMANNUS.

44. *Ab hoſte.*] Hoc eſt a pharmacis & medicaminibus, non tantum ab anu. neque refert, quod *ab hoſte*, ſingulariter dixit: cum *hoſtem* dicat metaphorice quidquid illi adverſum & infeſtum fuit. MICYLLUS.

46. *Denaque luciferos luna premebat equos.*] Scaliger ex codice ſuo annotaverat: *Nonaque luciferos luna premebat equos.* Sed notum eſt illud Caecilii:

Inſoletne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo, atque octavo.

Et Plauti:

Tum illa, quam compreſſerat,
Decimo poſt menſe exacto, hic peperit filiam.

Adi A. Gellium lib III. cap. XVI. DAN. HEINSIUS. *Movebat* libri veteres uno conſenſu. & recte. Epiſt. IV.

Quod ſit avus radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem.

Val. Flaccus lib. III. 415.

Neſcia quae faceret ſubitos mihi cauſſa dolores,
Et rudis ad partus, & nova miles eram.
Nec tenui vocem. Quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conſcia preſſit anus.
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit;
Sed timor, & nutrix, & pudor ipſe, vetant.
Contineo gemitus, elapſaque verba reprendo:
Et cogor lacrimas combibere ipſa meas.
Mors erat ante oculos; & opem Lucina negabat:
Et grave, ſi morerer, mors quoque crimen erat.
Cum ſuperincumbens, ſciſſa tunicaque comaque,
Preſſa refoviſti pectora noſtra tuis.
Et mihi, Vive ſoror, ſoror ô cariſſima, dixti,
Vive: nec unius corpore perde duos.

Spes

—— *Movet en gelidos Latonia currus.*
Lucanus lib. IV.
Ipſe ſub Aurorae primos excedere motus
Signa jubet caſtris.
Statius Saturnalib.
Vix Aurora novos movebat ortus.
Metam. VI. 48.
Cum primum Aurora movetur.
Et XIV. 228.
Proxima poſt nonam cum ſeſe Aurora moveret.
Amor. I. II. 26.
Adjunctas arte movebis aves.
Movere quoque *currus* dixit de ſole Germanicus in fragmento a Grotio in notis edito p. 19.
Namque anno ſolem remeare videbis,
Moverit unde ſuos currus per ſigna volantes.
Sic *movere carinam.* Ep. XIII. 101. Faſt. II. 447.
Luna reſumebat decimo nova cornua motu:
Virque pater ſubito nuptaque mater erat.
Gratia Lucinae.
Sic & ibi codices antiqui. non *decimo menſe*, ut eſt in vulgatis. quem locum receptam ſcripturam tueri in his Canaces amicus meus contendebat, & evincere, pro *Dena Luna* non eſſe reponendum *Plena*, uti doctiſſimo Gronovio in Obſervationibus lib. IV. c. 15. videbatur. Nec cum Puteaneo libro & aliis nonnullis, *Nona*, quod magnus Scaliger probavit. Nota illa:
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.
Noſter in Faſtis lib. II. 175.
Luna novum decies implerat cornibus orbem:
Quae fuerat virgo credita, mater erat.
Et lib. III. 124.
Vel quia bis quinto foemina menſe parit.
Lib. V. 534.
Jamque decem menſes: & puer ortus erat.
Althaea apud eundem Met. VIII.
Et quos ſuſtinui bis menſum quinque labores.
Seneca quoque in Phoeniſſis, ſic enim Thebaïdem ejus vere inſcribit praeſtantiſſimus liber Medicaeus:
—— *Per decem menſium graves*
Uteri labores.
Atque ita paſſim auctores. Menander in Plotio γυνὴ κυεῖ δεκάμενος. Caecilius:
Inſoletne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo, atque octavo.
Sed quemadmodum, *quini & deni calculi* pro decem & quinque calculis recte dicuntur, ita *Lunam denam* pro decima poſſe dici erat oſtendendum. Heinsius. Male *premebat* defendit Laur. Ramirez. de Prado in Pentecontarcho. c. 3. ubi plura habet de decimo menſe. in lib. III. Art. Am. 180. quidam etiam codices:
Roſcida luciferos cum dea movit equos.
Sed rectius ibi *jungit. Vehebat* hic duae Venetae antiquae & Berſmanni edit. & Micylli in margine. *Plenaque*, quod Gronovio placebat, probaſſe videtur Salmaſius in lib. I. Epiſt. 97. Burmannus.

50. *Preſſit.*] *Clauſit* Gronovii: non opus. idem enim notat, & ex II. Art. 92. videtur petitum a librario, ubi:
Clauſerunt virides ora loquentis aquae. Burm.

53. *Continuo.*] *Contineo* tres libri. Heins. Recepimus hanc ſcripturam, quam & Aldus expreſſit: nam idem eſt quod *reprimo*, exire non patior. vid. Vavaſſ. de Vi & uſu quorundam verborum p. 112. ita *continere lacrimas.* I. Am. XIV. 51. & Plaut. Moſtel. III. II. 137. ita *vocem, riſum, dolorem continere*, & ſimilia paſſim apud auctores. *Reprendo* vero elegans, quaſi poeniteret, & jam dicta retrahere ex fuga vellet. ut Terent. Adel. IV. 4. *Reprehendi me.* ita *tempus reprehendere* Phaed. lib. V. Fab. 8. quare fruſtra hic codices *retento, repono,*

Spes bona det vires: fratri nam nupta futura es.
Illius, es de quo mater, & uxor eris.
Mortua (crede mihi) tamen ad tua verba revixi;
Et positum est uteri crimen onusque mei.
Quid tibi grataris? media sedet Aeolus aula:
Crimina sunt oculis subripienda patris.
Frugibus infantem, ramisque albentis olivae,
Et levibus vittis sedula celat anus:
Fictaque sacra facit, dicitque precantia verba.
Dat populus sacris, dat pater ipse, viam.
Jam prope limen erat: patrias vagitus ad aures
Venit, & indicio proditur ille suo.
Eripit infantem, mentitaque sacra revelat
Aeolus. insana regia voce sonat.

Ut

repono, recondo, rependo. mox malo, *& conor lacrimas combibere.* nam de conatu suo agit, quo celare, ex admonitu & imperio nutricis, tentabat crimina: *combibere* vero elegans. ut Joseph. Iscan. II. Bell. Troj. 153. *Et lacrimas bibit ipse suas.* Senec. cons. ad Mar. c. 1. dixit: *Clam fundere lacrimas & gemitus devorare. Exsorbere labellis fletum,* Juvenalis Sat. VI. 176. BURMANNUS.

56. *Si morerer.*] *Si moriar*, multi. Puteaneus, & unus meus, *si morior.* HEINSIUS.

59. *Carissima dixti.*] *Aisti* Puteaneus, & Argentinensis. multi ex nostris *disti.* Tertull. de fuga in persecut. *Atque ita omnes ajerunt, fiat voluntas domini.* sed prima syllaba producta est. Victorinus contra Manichaeos a Sirmondo editus: *Atque si ut aisse soles, & nunc dicis aliud regnum, numquid hoc est aliud nescio quod regnum?* HEINSIUS.

61. *Fratri nam nupta futura es.*] Vetus lectio erasa erat in Puteaneo, cujus nullum appareret vestigium, ejusque loco repositum:

— Fratri es nam nupta futura.

Quidam ex nostris:

— Germano nupta futura es.

Quomodo & in Puteaneo prius fuisse scriptum suspicor. HEINSIUS.

62. *Illius de quo mater es.*] *Mater &* Puteaneus & plerique alii cum priscis editionibus. Lego cum Leidensi:

Illius, es de quo mater, & uxor eris.

Vide ad I. Art. 287. & Remed. Am. 475. HEINS.

64. *Et positum est.*] Balliolensis, *depositumque uteri.* quod non displicet. Phaedr. I. 18.

Onus naturae melius quo deponeret.

Ubi vide quae notavimus. & ita Graecos uti verbo ἀποτίθημι docuit Stephanus ad Callim. Hym. in Jov. 15. & Dian. 25. BURMANNUS.

67. *Frondibus infantem.*] Scaliger è codice suo annotaverat: *Frugibus infantem, ramisque albentis olivae*, &c. DAN. HEINSIUS. *Frugibus* Puteaneus optime. Molam falsam intellige, quam sacra facturae in promptu esse oportebat. si *Frondibus* legas, bis idem dixerit. sic Fast. I. 677. ex MSS.

Frugibus immensis avidos satiate colonos.

Et ex Ponto I. v. 14.

Frugibus assiduis lassa senescit humus.

Amor. I. Eleg. ult. ex MSS.

Tityrus & fruges.

Senec. Hipp. 499.

Fruge nec sparsi sacra
Centena nivei colla submittunt boves.

Deinde MSS. Scriverii habent *velat.* ut Trist. III. 1. 39.

Cur tamen apposita velatur janua lauro.

Et hoc sequentia confirmant, *mentitaque sacra revelat.* sed nil tamen mutamus. Fast. II. 819. *Pudibundaque celat amictu Ora.* quod Metam. X. 421. dixit: *Pudibundaque vestibus ora Texit.* & VI. 579. *Vultus velamine celat amatos.* HEINSIUS.

70. *Dat populus.*] *Dant populi* Lovanienses. forte *dant populus.* quod postea confirmavit alter Mentelianus & Francofurtensis. HEINSIUS.

72. *Proditur ille.*] Melius cum MSS. *ipse.* II. Fast. 172.

Proditur indicio ponderis ipsa sui.

Ep. XVI. 8.

Lumine qui semper proditur ipse suo.

Sic Epist. XXI. 38. & III. Art. Am. 668. HEINS.

74. *Sonat.*] Codex Basileensis *tonat.* vid. inf. Ep. XIX. 81. & V. Metam. 204. & hoc melius irae regiae convenit. vid. Heins. ad Claud. II. Rap. 173. BURMANNUS.

76. *Te-*

Ut mare fit tremulum, tenui cum ſtringitur aura;
Ut quatitur tepido fraxina virga noto;
Sic mea vibrari pallentia membra videres.
Quaſſus ab impoſito corpore lectus erat.
Irruit; & noſtrum vulgat clamore pudorem:
Et vix à miſero continet ore manus.
Ipſa nihil, praeter lacrimas, pudibunda profudi:
Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Juſſerat; in ſolis deſtituique locis.
Vagitus dedit ille miſer; (ſenſiſſe putares)
Quaque ſuum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credas, Germane, fuiſſe;
(Nam potes ex animo colligere ipſe tuo)
Cum mea me coram ſilvas inimicus in altas
Viſcera montanis ferret edenda lupis?
Exierat thalamo: tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.

Interea

76. *Tepido.*] Sic recte. Amor. I. IV. 12. & VII. 56. lib. II. VIII. 20. & XI. 10. ex MSS. Pont. IV. *At notus adverſo tepidum qui ſpirat ab axe.* Ibide 34. alii *trepido*, de qua voce vide, quae noto lib. III. Metam. 125. at Gronovianus *rapido:* etiam non male. Faſt. III 588.

Percutitur rapido puppis adunca noto.

Codex Lovanienſis & tres alii *tremulo.* HEINSIUS.

77. *Sic mea vibrari pallentia membra videres.*] *Pallentis* ſcribendum videri dixi Epiſtola v. v. 45. At unus Regius *Sic mihi vibrari.* etiam non male. HEINSIUS.

80. *A miſero.*] Francius malebat, *a miſerae.*

82. *Gelido lingua retenta metu.*] *Gelida manu* Puteaneus & alter Moreti. nil muto. HEINSIUS.

88. *Nam potes.*] *Tu* Berſmannus, qui emphaſin eſſe notat. *Concipere* Farneſianus.

91. *Tum demum pectora planxi.*] *Plangi* iidem libri cum Erfurtano. probe. Strozzae *plango. denique* etiam nonnulli. Epiſtola Sapphûs 133.

— *Nec pectora plangi,*
Nec puduit ſciſſis exululare comis.

HEINSIUS. Tò *denique* elegans eſt. Ep. XII. 105.

Illa ego, quae tibi ſum nunc denique barbara facta. BURMANNUS.

92. *Genas.*] *Comas* excerpta Gallicana, & plurimi alii. utrumque defendi poteſt. ipſe Noſter III. Amor. VI.

Ungue notata comas, ungue notata genas.

Claud. II. in Eutrop. 19. *Continuo ſecat ungue genas.* Stat. X. Theb. 812. *Sedet eruta multo Ungue genas.* & I. Achil. 7. 7. *Orabat laniata genas.* ubi & quidam codices *comas.* eadem varietas eſt Epiſt. V. 72. & apud Claudian. III. de Rapt. 177. & Sil. III. 560. Valerius Flaccus tamen III. 313. *Laceras ſuper ora mariti Fuſa comas.* HEINSIUS. *Genas* hic praeferrem, quia rectius dicitur *ire unguibus in genas*, quam *comas.* vid. ſupr. ad Ep. V. 72.

93. *Patrius ſatelles.*] *Patruus* Puteaneus. Sequenti verſu *prodidit ore* pro *edidit* unus Medicêus. placet. HEINSIUS. Illud *prodidit* elegans, quod & in Helmaeſtadienſi exſtat. de quo verbo, vide quae congeſſit Heinſius ad Claud. I. Rapt. 3. ſic & I. Met. 761. multi codices *prode notam generis.* & alibi quoque haec verba a librariis permutata fuerunt. BURMANNUS.

95. *Aeolus hunc.*] In Leidenſi codice exſtabat:

Aeolus hunc, dixit, per me tibi tradidit enſem.

BURMANNUS.

98. *Pectoribus condam dona paterna meis.*] Sic de Polyxena lib. XIII. Met. ad Pyrrhum:

— *Aut tu jugulo vel pectore telum*
Conde meo. CIOFANUS.

99. *His mea muneribus, &c.*] Apoſtrophe, & exclamatio doloris & indignationis plena. CIOFAN. *Connubia donare muneribus* dubito valde, an Latine dicatur, aut ſit pro Ovidiana elegantia. forte legendum *dotas.* quod ſequentia confirmant. lib. XIII. Met. 525

At puto, funeribus dotabere, regia virgo.

Ubi & in nonnullis *donabere.* ſic & II. Art. Am. 261.

Interea patrius, vultu moerente, fatelles
Venit, & indignos edidit ore fonos:
Aeolus hunc enfem mittit tibi: (tradidit enfem)
Et jubet ex merito fcire, quid iſte velit.
Scimus; & utemur violento fortiter enfe:
Pectoribus condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, Hymenaee, maritas:
Et fuge turbato tecta nefanda pede.
Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae,
Ut meus ex iſto luceat igne rogus.
Nubite felices, Parca meliore, forores:
Admiſſi memores fed tamen eſte mei.
Quid puer admiſit, tam paucis editus horis:
Quo laefit facto, vix bene natus, avum?
Si potuit meruiſſe necem, meruiſſe putetur.
Ah miſer admiſſo plectitur ille meo!

Nate,

261. qui poſſet vulgatam hujus loci ſcripturam adſtruere videri:

Nec dominam jubeo pretioſo munere dones.

Sed in Menteliano erat *dites*, egregia fane, & vera lectione, de qua ibi agemus. BURMANNUS.

101. *Tolle procul decepte.*] Hoc eſt, abi hinc Hymenaee decepte, id eſt qui tanquam ad felices nuptias veneras cum tuis, hoc eſt nuptialibus & felicibus taedis, & ſuccedant Erinnyes cum atris & feralibus facibus, quoniam hîc circa mortem & funus laboramus, non circa nuptias, aut res felices. MICYLLUS. *Iolle precor* Mentelianus prior. HEINSIUS.

103. *Atrae.*] Mallem *atras*, ut *infauſtas* dixit Ep. VI. 46. & *Stygias*. Val. Flac. II. 173. & Stat. IV. Theb. 133. *Furiarum lampade nigra.* & *facem atram* Virgilius quoque dixit X. Aeneid. 77. Lucan. II. 301. Furias tamen ipſas *μελαινὰς* vocat Aeſchyl. Agamem. 470. quo alludit Cicero in Vatin. 13. BURMANNUS.

105. *Nubite.*] Simpliciter accipiendum eſt verbum, *nubite*. non ut de fratribus & ſororibus tantum inter ſe nubendis intelligatur, ut quidam ex commentatoribus exponit. MICYLLUS.

106. *Admiſſi mei.*] *Amiſſae mei* Puteaneus, & etiam in aliis quibusdam exſtat codicibus, & videtur probare ad Senecae Medeam Gronov. v. 555. pro *Parca meliore* ſuperiori verſu, alter Mentelianus diverſam lectionem inter lineas exhibebat, *vel pauco meliore*; forte *pacto meliore*. quod ex Tacito probat Gebhardus lib. VI. 45. *Pacto matrimonii vincire*. HEINSIUS. Nihil mutandum. idem enim eſt ac fato meliore, id eſt feliciore & magis fauſto. Valer. Flac. II. 152.

Hos tales forſan ſolabere caſus
Tu thalamis, fatoque leges meliore penates.

Et VI. 84.

Venturam coelo fatis melioribus Argo.

Sic *meliores Dei* eidem lib. VI. 676. & paſſim aliis; pro magis faventibus & fauſtioribus ſimilis vero eſt ſententia iſtis Propertii lib. III. Eleg. XVII. 25.

At vos, innuptae, felicius urite taedas.

BURMANNUS.

107. *Quid puer admiſit.*] Tralatitia declamatorum & Poëtarum in excitanda miſericordia ſententia. de qua vid. Lutatium & Barth ad Stat. II. Theb. 305. & hic quoque Moreti codex *proditus*, quo verbo ſaepe de partu Noſter utitur, & cujus locum *editus* ſaepe occupavit. vid. V. Metam. 517. VI. 81. & alibi. hoc quoque exemplo uti potuiſſet editor nuperus Minucii Felicis, ubi de additione vel detractione τοῦ *paucarum*, voci *horarum* ita paratragoediatur, & inſana voce defuncti Broukhuſii manes lacerat, ut hoc unico argumento, quod auſus fuerit Minucio addere unicam vocem *aliquot*, inſaniae non modo militaris ſpeciem, & turbati ex vulnere, quod tamen in honeſtiſſima ſtatione acceperat, cerebri arguat, ſed quod Chriſtiano viro horrorem incutiat, eum ad inferos abiiſſe, temerario judicio adfirmet, quaſi ex gehenna nuntius tam laetus de inimici infelici damnatione ipſi miſſus fuiſſet à Plutone. BURMAN.

Nate, dolor matris, rapidarum praeda ferarum,
(Hei mihi!) natali dilacerate tuo:
Nate, parum fausti miserabile pignus amoris;
Haec tibi prima dies, haec tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrimis perfundere justis:
In tua non tonsas ferre sepulcra comas.
Non superincubui: non oscula frigida carpsi.
Diripiunt avidae viscera nostra ferae.
Ipsa quoque infantes cum vulnere prosequar umbras:
Nec mater fuero dicta, nec orba diu.
Tu tamen, ô frustra miserae sperate sorori,
Sparsa, precor, nati collige membra tui:
Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro:
Urnaque nos habeat, quamlibet arta, duos.
Vive memor nostri, lacrimasque in vulnera funde:
Neve reformida corpus amantis amans.

[Tu

111. *Rapidarum.*] Et hic *rabidarum* quidam, alii *trepidarum* habent. vid. ad Epist. praecedentis vers. 96. mox *dilacerande* malebat Broukhusius.

114. *Summa fuit.*] Ἀναρφὰ. Ciofanus.

116. *Nec tonsas.*] Simpliciter accipe *non longas*, ut Hubertinus exponit. solebant autem funerali more comas resecare & in rogum ardentis aut sepulchrum mittere. Mycillus. Mos erat apud veteres, ut matres capillum sibi tonderent, & filiorum sepulchris injicerent. Ovidius XIII. Metam. 427. de Hecuba:

Hectoris in tumulo canum de vertice crinem
Inferias inopes, crinem, lacrimasque reliquit.

Ciofanus. *Non tonsas* scripti. Heinsius. Hubertinus videtur respexisse ad Epist. VIII. 78.

Ipsa ego non longos etiamnum scissa capillos.

Sed *non* jungendum est cum *ferre.*

117. *Oscula frigida carpsi.*] Magna codicum hic varietas. Argentinensis *fixi*, alii *sumsi*, alii *junxi.* & omnium exempla competunt. vid. ad Epiced. Drus. 95. forte & *sinxi.* vide quae noto IV. Met. 141. Heinsius.

119. *Ipsa quoque infantis cum vulnere persequar umbras.*] *Prosequar* Puteaneus & alii meliores. est autem verbum exequiale; sic *funus prosequi.* Apulej. IV. Met. *Toto prosequente populo, vivum producitur funus.* & lib. VIII. *Funus vero, toto feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulcrum.* & lib. IX. *Peractisque feralibus officiis, frequentique prosequente comitatu, tradunt sepulturae.* Silius II. *Ipsaque laudatas ad manes prosequar umbras. Infantes* praeterea *umbras* scribendum monui Epistola IX. 86. Heinsius. *Infaustas* Codex Douzae.

125. *Lacrimasque in funere funde.*] *In vulnere* Puteaneus & multi alii ex castigatioribus. *Vulnera* in excerptis Douzae. Metam. IV. 140.

Vulnera supplevit lacrymis, fletumque cruori
Miscuit.

Lib. XIII. 490.

Huic quoque dat lacrymas, lacrymas in vulnera fundit.

Pont. lib. IV. El. XI.

Foviſti lacrymis vulnera nostra tuis.

Lucanus lib. VIII. 727.

Incubuit Magno, lacrymasque effundit in omne
Vulnus.

Et lib. IX. 55.

Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, mariti
Vulneribus cunctis largos infundere fletus?

Statius Theb. VIII. 654.

Fassa pios gemitus, lacrymasque in vulnera fudit.

Lib. III. 131.

— *Hae lumina signant,*
Vulneraque alta replent lacrymis.

Lib. XI. 604.

— *Lacrymaeque per arida serpunt*
Vulnera.

Et lib. codem, vers. 642.

Illius exili stridentem in pectore plagam
Ismene, collapsa super, lacrimisque comisque
Siccabat plangens.

Et sic passim. Apulejus Metam. VIII. *Vulnera illa, quorum saniem tuae lacrymae proluerunt, non sunt tota dentium vulnera.* sic scribo. non *sanguinem.* sic paulo ante apud eundem: *Tunc inter moras hasce umbra illa misere trucidati Tlepolemi sanie cruentam & pallore deformem attollens faciem.* ubi *sane cruentam* legebatur. libr. VII. *Nullus tamen desi-*

[Tu (rogo) projectae nimium mandata fororis
Perfer. mandatis perfruar ipsa patris.]

desinebat vulnus sanie delibutum obtundere. ubi etiam *sanguine* perperam nunc legitur. HEINSIUS.

128. *Mandatis perfruar.*] Quidam ex veteribus legunt *mandatum persequar*, quam lectionem & Planudes transfert. sed & prior recte. NAUGERIUS. Liber Scaligeri habebat: *Mandatum persequar ipsa patris.* DAN. HEINSIUS. Totum hoc distichon in officina interpolatorum conflatum, vix Latinum est, aut ad Ovidianam elegantiam adsurgit. In Puteaneo certe codice id à manu secunda erat, priscae lectionis vestigiis penitus sublatis. *Mandatum perfice* Gottorpianus, quomodo & Slichtenhorstius conjiciebat. & *mandatum persequar* notat ex suis Naugerius. quomodo & Puteaneus & Gronovianus. ut apud Plaut. Amphitrion. II. I. 39. *Quod herus imperavit, neglexisti persequi.* & 75. *Non soleo ego somniculosc Heri imperia persequi.* Helmaest. habebat *prosequar.* HEINSIUS. *Perferre* potest capi pro exsequi. ut Plin. XVIII. c. III. de Cincinnato nudo arante: *Cui viator, vela corpus, inquit, ut perferam Senatus Populique Romani mandata.* sic scripti, non *proferam.* BURMANNUS.

EPISTOLA XII.

MEDEA JASONI.

AT tibi Colchorum (memini) regina vacavi,
Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret opem.
Tunc,

1. *Ut tibi.*] Sic in veteribus exemplaribus, & recte mea sententia, ut scilicet haec particula *ut*, *cum* significet. sequitur enim *tunc quae dispensant* & reliqua. neque vero nescimus *at* esse inceptivam particulam, sed nullus nunc illi locus. NAUGER. Alii *ut* legunt: sed quo sensu ipsi viderint. EGNAT. Ab his versibus principium epistolae faciendum. ceteri, qui hos in quibusdam editionibus praecedunt, neque sensu, neque oratione valent: ut ex eo cuivis appareat subditittios ac nothos esse. Lego autem: *Ut tibi Colchorum.* &c. ut sit temporis particula, prò *cum*, vel *quando* positum. sic enim cum sequentibus rectius cohaeret. Estque ordo, hinc Parcae debuerunt evoluisse fusos meos, quando tibi vacavi, id est operam dedi, cum peteres, ut ars mea tibi ferret opem, &c. atque hanc lectionem etiam Aldus secutus est, tametsi quidam doctiores pro *Ut*, *At* malint. puto, quod ea particula affectui magis serviat. MICYLLUS. *Ut tibi Colchorum (memini) regina vacavi* est in vet. libris, sicque legendum. Errant interpretes, qui *at* legunt, quae particula hoc quidem loco otiosa est. *Ut* autem adverbio *tunc* respondit. *Vacavi* operam dedi. CIOFANUS. Initio hujus Epistolae rursus audiamus ingenia correctorum. sic igitur illi:

Exul, inops, contempta novo Medea marito
Dicit: an à regnis tempora nulla vacant?

Et hactenus quidem utcunque erant ferendi, nunc nimis impudenter ineptiunt. praeterea *At tibi* Puteaneus cum aliis nonnullis. optime. Ita enim indignantes aut mirantes exordiebantur plerumque. Noster ipse Amor. III. initio Elegiae. VII.

At non formosa est, at non bene culta puella:
At puto non votis saepe petita meis.

Quae illic vera est lectio. In Priapeis:

At non longa satis, non stat bene.

Ubi frustra *Ut* rescribit vir maximus. In Metamorphoseon libris sic saepe. ut VIII. 279. Diana:

— *At non impune feremus,*
Quaeque inhonoratae non & dicemur inultae.

Lib. X. 725. Venus:

— *At non tamen omnia vestri*
Juris erunt, dixit.

Lib. XII. 367. Peleus:

— *At inferias, juvenum carissime Crantor,*
Accipe, ait.

Sic duo illa postrema loca ex optimis libris restituenda. Fast. II. 395.

At quàm sunt similes, at quàm formosus uterque!

Sic enim & ibi liber veterrimus. ut & Metam. X. 631.

At quàm virgineus puerili vultus in ore est.

Horatius initio Epod. V.

At ô Deorum quicquid in caelo regit!

Ubi vid. Torrentium. Virgil. lib. II. Aeneid. 535.

At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est caelo pietas, quae talia curet,
Persolvant meritas grates.

Ubi Donatus notat principium esse increpationi aptum. Propert. II. Eleg. XVII.

At quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum isti Pantho ne sit amica Venus.

Ubi *ah quantum* frustra circumfertur. ita & Graeci indignantes ἀπὸ τοῦ Ἀλλὰ incipiebant. HEINS.

Tunc, quae diſpenſant mortalia fila, Sorores
Debuerant fuſos evolüiſſe meos.
Tunc potui Medea mori bene. quidquid ab illo
Produxi vitae tempore, poena fuit.
Hei mihi! cur umquam juvenilibus acta lacertis
Phryxêam petiit Pelias arbor ovem?
Cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argo;
Turbaque Phaſiacam Graja bibiſtis aquam?
Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli;
Et decor, & linguae gratia ficta tuae?
Aut (ſemel in noſtras quoniam nova puppis arenas
Venerat, audaces attuleratque viros,)
Iſſet anhelatos non praemedicatus in ignes
Immemor Aeſonides, oraque adunca boum.

Semina

3. *Diſpenſant mortalia fata ſorores.*] *Facta* Puteaneus & alii nonnulli. fruſtra. At Scaligeri excerpta cum multis noſtris *fila*. quod verum eſt. Auctor Elegiae in Obitum Maecenatis:

Neſtoris annoſi vixiſſes ſaecula, ſi me
Diſpenſata tibi ſtamina nente forent.

De filis Parcarum res protrita eſt. emenda in tranſitu hac occaſione Lactant. in Elegia de Phoenice:

At fortunatae ſortis filique voluctrem.

Ita quippe ex membranarum veſtigiis corrigo, in quibus *Filiſque* vel *filiiſque*, pro *fatique*. & Marciano quoque Capellae medicina facienda. lib. I. p. 12. *Quippe Parcarum colus humana penſat*, ubi *Parcarum chorus* perperam legitur. Epiſtola Sabini ad Penelop. *Utraque ſe nobis mortalia demere fila Spondent.* Calpurn. Ecl. IV. ℣ſ. 139. & Virgil. x. 814. *Extremaque Lauſo Parcae fila legunt.* vid. Metam. lib. II. 654. Epiſt. XV. 82. Silium Ital. IV. 28. & alios. HEINSIUS.

5. *Quicquid ab illo Produxi vitae.*] *Vitam* Puteaneus & alii multi. nil muto. HEINSIUS.

7. *Hei mihi.*] Ex Euripide haec ſunt, apud quem a principio iſta ponuntur:

Εἰθ' ὠφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτᾶσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν Κυανέας Συμπληγάδας,
Μηδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε
Τμηθεῖσα πεύκη, μήδ' ἐρετμῶσαι χέρας
Ἀνδρῶν ἀρίστων &c. MICYLLUS.

8. *Pelias arbor.*] Catachreſis. Argo, quae ex arboribus, quae in Pelio monte natae eſſent, compacta erat. Ennius apud Priſcianum de verſibus comicis:

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caeſae cecidiſſent abiegnae ad terram trabes:
Neve inde navis inchoandae exordium
Cepiſſet, quae nunc nominatur nomine
Argo, qua vecti Argivi delecti viri
Petebant illam pellem inauratam Arietis,
Colchis imperio regis Peliae per dolum.
Nam numquam hera errans mea domo efferret pedem. CIOFANUS.

9. *Cur unquam Colchi.*] Quis non videat hoc totum ex principio Medeae Ennianae deductum? Ancilla enim Medeae apud Euripidem, & ex noſtris Ennium ſic ferme coepit. verſus autem notiores ſunt, quam ut a me ſint huic loco inſerendi. odioſa enim omnis oſtentatio, praeſertim ubi magnitudo rei non excuſat. EGNATIUS. Hos verſus Euripidis & Ennii tam familiares omnibus fuiſſe arbitror, ut Phaedrus inde captaverit lib. IV. Fab. 6. occaſionem perſtringendi naſutum, quem nec fabellae nec fabulae juvabant, & hoc ut exemplum omnis fere fabularis hiſtoriae, quam in cothurnis novis proditurus Aeſopus eſſet elaboraturus, proferat. multa vero in hac Epiſtola ex Euripidis Medea ſunt ſumta, praeſertim ex illa acerba increpatione vers. 465. & ſeqq. BURMANNUS.

13. *At ſemel.*] In quibuſdam *aut ſemel*, quae lectio fortaſſe rectior. NAUGERIUS. Puteaneus *aut*, ut & plures ex noſtris. HEINSIUS.

13. *Nova puppis.*] Vel revera nova, vel admiranda. CIOFANUS.

14. *Audaces.*] Perpetuum hoc nautis Epitheton, ut eleganter oſtendit Torrentius ad Horat. I. Od. I. 14. ſed praecipue Argonautis, qui primi finguntur aequora tentaſſe, aptum. ita Phaedr. dicto loco, *ad audacem mortis profeſſae viam*, fabricatam ratem dicit. Senec. Medea 301.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit.

Et vers. 340. *improbam* vocat Argo, ut Florus lib. III. cap. 16. etiam Poëtica elegantia Caeſaris claſſem, quae prima Romanorum Oceanum tentavit, appellat. BURMANNUS.

15. *Non*

Semina jeciſſet; totidem ſenſiſſet & hoſtes:
Ut caderet cultu cultor ab ipſe ſuo.
Quantum perfidiae tecum, ſcelerate, periſſet!
Demta forent capiti quam mala multa meo!
Eſt aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas:
Hac fruar: haec de te gaudia ſola feram.
Juſſus inexpertam Colchos advertere puppim,
Intraſti patriae regna beata meae.
Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hîc eſt.
Quam pater eſt illi, tam mihi dives erat.
Hic Ephyren bimarem; Scythia tenus ille nivoſa
Omne tenet, Ponti qua plaga laeva jacet.
Accipit hoſpitio juvenes Aeëta Pelaſgos,
Et premitis pictos corpora Graja toros.

Tunc

15. *Non praemedicatus.*] Ita legendum, non ut commentator, *praemeditatus.* Neque enim praemeditatus venerat Jaſon. Medea autem medicamentis munierat illum, cum eſſet boves ignem efflantes ſub jugum miſſurus, ne quid illorum igne laederetur. ut eſt apud Apollonium & ipſa infra:

Ipſa ego, quae dederam medicamina, pallida ſedi.

MYCILLUS.

17. *Semina jeciſſet, totidem ſumſiſſet & hoſtes.*] Haec denuo mendoſa ſunt. Puteaneus, ad quem frequenter recurrimus, tanquam ad ſacram anchoram:

Semina ſenſiſſet totidemque & ſemina & hoſtes.

Sed *ſenſiſſet* à manu ſecunda erat, veteri lectione extrita. opinor *ſeviſſet* fuiſſe. deinde *ſeminat hoſtes* altera manu erat correctum. Helmaeſtadienſis pro diverſa lectione:

Totidem quot ſemina & hoſtes.

Melioris notae plerique:

Semina ſenſiſſet totidem quod ſeminat hoſtes.

Vel *jeciſſet.* quidam etiam, *totidem ſenſiſſet & hoſtes.* Simpliciter reſcribo:

Semina jeciſſet, totidem jeciſſet & hoſtes.

Supra poſterius *ſeviſſet* gloſſa fuit adſcripta *quot ſemina*, quae in Puteanei codicis contextum poſtea irrepſit. Aliud quidem nunc nil occurrebat. *jacere* pro ferere. ſic in Faſtis, lib. II. 662.

Seminibus jactis eſt ubi foetus ager.

Metam. v. 485.

Semina jacta legunt.

Faſt. II. 519.

Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant.

Poſſet & legi:

Semina ſeviſſet, totidem ſeviſſet & hoſtes.

Vel:

Semina quot jaceret, totidem ſenſiſſet & hoſtes.

Apud Propert. III. Eleg. IX. *Serere praelia:*

Colchis flagrantes adamantina ſub juga tauros
Egit, & armifera praelia ſevit humo. HEINS.

Mihi placet, ut editum ab ipſo Heinſio:

Semina jeciſſet, totidem ſenſiſſet & hoſtes.

Sentire autem proprie illos dicimus, a quibus clades & damnum accipimus. vid. Ep. IX. 46. & ad Petron. c. 139. BURMANNUS.

25. *Medea fui.*] *Fuit* Puteaneus cum aliis quibuſdam. ſed male. HEINSIUS.

27. *Hic Ephyren bimarem.*] Appoſitè faciunt huc Velleji Paterculi verba ex lib. I. *Paullo antè Haletes, ſextus ab Hercule, Hippotis filius Corinthum, quae antea fuerat Ephyre, clauſtra Peloponneſi continentem, in Iſthmo condidit.* Aliter ſentit Hyginus cap. CCLXXV. *Ephyre Nympha Oceani filia Ephyren, quam poſtea Corinthum appellarunt, condidit.* CIOFANUS.

27. *Scythiâ tenus ille nivoſâ Omne tenet.*] *Scythiam tenet ille nivoſam* quidam, vel *Scythiae nivoſae.* Scriverianus, *Scythia tenus ille nivoſa Omne latus.* quid ſi ſit, *Scythiae tenet ille nivoſae Omne latus?* vel:

Hic Ephyrae bimaris, Scythiae tenet ille nivoſae
Omne latus.

Epiſt. Ariad.

Omne latus terrae cingit mare.

Stat. lib. IV. Syl. ad Marcell. vers. 63. *Iſtrum latus* pro Iſtria. & Praefat. lib. V. Sylv. *Omne latus domus divinae.* Juvenal. Sat. VIII. 117. *Illyrici latus. Latus* autem pro *litus* ex membranis vetuſtis hic illic reponendum monuit ad Solinum Salmaſius p. 57. ſic idem Salmaſius cap. XIX. *Mare Caſpium ex altero Ponti latere.* ſed hoc loco *latus* ſubintelligi praeſtat & nil temere mutandum. Claudianus:

Omne quod Oceanum fontemque interjacet Iſtri.

Florus II. 17. ut viri docti emendarunt: *Omne*

Tunc ego te vidi: tunc coepi ſcire quid eſſes.
Illa fuit mentis prima ruina meae.
Ut vidi, ut perii; nec notis ignibus arſi,
Ardet ut ad magnos pinea taeda Deos.
Et formoſus eras, & me mea fata trahebant:
Abſtulerant oculi lumina noſtra tui.
Perfide, ſenſiſti: quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma ſuo.
Dicitur interea tibi lex; ut dura ferorum
Inſolito premeres vomere colla boum.

[Mar-

intra Iberum & Tagum flumen depopulatus. HEINS. Nos antiquam lectionem reduximus *Omne tenet* uſque ad nivoſam Scythiam, quouſque patet aditus. *Tenere* eſt verbum regium, ut & *late tenere*, de quo vid. ad Petron. cap. LXXXII. BURMANNUS.

28. *Qua.*] Id eſt *ubi*. CIOFANUS. Pro *jacet* conjecerat Heinſius *patet*, ſed nihil opus. Val. Flacc. IV. 211.

Sic ingens Aſiae plaga, quique per Arctos
Dexter, & in laevum pontus jacet.

Et ita millies Poëtae & Geographi.

29. *Accipit.*] *Excipit*, quod in antiquis editionibus, ſed in nullis Heinſii codicibus exſtat, probabat Francius ex Ep. XVI. 127. *Excepti hoſpitio* etiam apud Liv. lib. I. 22. ubi *hoſpitio*, auctore Codice Palatino, exturbari placet Gebhardo, non mihi. hic vero nihil muto. Livius XXIX. 11. *Tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romae eſſet, hoſpitio acciperet.* ubi Gronov. in MSS. etiam *exciperet* eſſe teſtatur. Plaut. Amph. I. 1. 8. *Ita peregre adveniens hoſpitio publicitus accipiar.* & vers. 140. *Certe advenientem me hic hoſpitio pugnae accepturus eſt.* Rudent. II. IV. 4. *Accipiam hoſpitio, ſi mox venis.* vid. Acidal. ad Vellej. II. 77. *Suſcipit* duo Moreti hic exhibent. etiam bene. Mamertinus Paneg. Maximian. cap. I. De Hercule: *Parva licet tunc regia, ſumma tamen religione ſuſceptum, futurae majeſtatis dediſſe primordia, ut eſſe poſſet domus Caeſarum, quae Herculis fuiſſet hoſpitium.* ita enim legendum. cap. 2. *Quae caſtra dominum habitura ſuſceperint.* BURMANNUS.

29. *Excipit hoſpitio juvenes Aeëta relictos.*] Et in hoc verſu addidere quidam *Pater*, ut biſſyllabum *Aëta* facerent, cum tamen triſſyllabum ſit, ut paulo poſt in eundem hunc ſenſum: *Dixerat Aeëtes.* Adde quod malè etiam ſcripſerint, dum *Oetam* ſcribunt: ſic enim montis eſt nomen. EGNAT. *Tò pater* Puteaneus & alii nonnulli ex melioribus haud agnoſcunt. recte. ut monui ad Epiſt. VI. 103. HEINSIUS.

30. *Corpora Graja.*] Variant codices. *Pectora Graja* Gottorph. *Graïa turba* Vaticanus. *Graja juventa* unus Moreti. ſed elegantior eſt vulgata lectio; ita *primaeva corpora.* Val. Flac. II. 653. & alii paſſim. BURMANNUS.

31. *Tunc coepi ſcire quis eſſes.*] *Quid eſſes* codices magna ex parte. quod ſequor. Pont. I. El. VII.

Certe ego cum primum potui ſentire quid eſſem.

Epiſtola Hermiones:

Tu mihi quod matri pater es.

Quomodo Noſter atque alii auctores paſſim. Virgil. Ecl. VIII. 43. *Nunc ſcio quid ſit amor.* Juvenalis Sat. I.

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid.

Ut ibi legendum codices monent. & Sat. III. *Ede, quid illum eſſe putes.* & Sat. XI. *Te conſule, dic tibi quid ſis.* ſic & ibi vetuſtus codex. Horatius I. Sat. VI. 55.

Virgilius; poſt hunc Varius dixere, quid eſſem.

Boëtius lib. I. Conſ. Philoſ. *Quid ipſe ſis noſſe deſiſti.* pari modo & Graeci. ſic apud Theophraſt. Charactere περὶ κακολογίας. ὁ δεῖνα τὶ ἐϛί. HEINS. Recte Heinſius. ſic III. Triſt. VIII. 38. *Quid ſim, quid fuerimque ſubit.* & IV. I. 99.

Cum vice mutata, quid ſim fuerimque recordor.

VI. Metam. 551. *Quid fuerim, quid ſimque vide.* P. Syrus, *Etiam obliviſci quid ſis interdum expedit.* ita in Euangelio Lucae. I. 66. Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔϛαι. ubi male quidam τὶς legunt. vid. ad Phaedr. V. 10. BURMANNUS.

31. *Mentis.*] Mallem *menti.* HEINSIUS. vid. I. ex Pont. IV. 6.

33. *Ut vidi, ut perii.*] Alii, *Et vidi, & perii:* mihi ex Theocriti & Vergilii imitatione hoc probabilius eſt viſum, magisque Poëticum. EGNAT. *Et vidi & perii* ſcripti, ſed perperam. Homerus:

Ὡς ἴδεν, ὡς μὶν μάλλον ἐδν χόλος.

Theocritus, Pharmac.

——— ἃ δ' Ἀπαλάντα
Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἄλλετ' ἔρωτα.

Hinc illa Virgiliana:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Epiſtola Laodamiae ex veſtigiis veterum librorum:

Ut vidi, ut gemui, tacitoque in pectore dixi.

Art. Am. III. 730.

Ut

[Martis erant tauri plus, quam per cornua, saevi;
Quorum terribilis spiritus ignis erat.]
Aere pedes solidi, praetentaque naribus aera:
Nigra per adflatus haec quoque facta suos.
Semina praeterea, populos genitura, juberis
Spargere devota lata per arva manu,
Qui peterent secum natis tua corpora telis.
Illa est agricolae messis iniqua suo.
Lumina custodis, succumbere nescia somno,
Ultimus est aliqua decipere arte labor.

Dixe-

Ut patuit miserae jucundi nominis error:
Ut mens, ut rediit verus in ora color.
Sic enim codices nonnulli ista constituunt. HEINS. vid. Val. Flac. VII. 104. & seqq.

34. *Pinea taeda.*] Quinque scripti *punica.* forte pro *prunea.* HEINSIUS. Ita XII. Met. 272. *Prunitius torrens* ex MSS. nihil tamen temere mutandum putem. ex pinu enim faces factas quis nescit? BURMANNUS.

38. *Eminet.*] *Enitet* quaedam editiones. quod magis Poëticum puto.

39. *Dixerat interea tibi Rex.*] *Dicitur* Puteaneus à manu prima. Scribendum omnino:
Dicitur interea tibi lex.
Initio lib. VII. Met. in hac eadem narratione:
Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum.
Ita enim optime veterrimi libri. *Legem dicere*, elegans & Latinum est. quod Avieno quoque reddendum Fabul. XXXII. ubi perperam *fixerat legem* in editis scriptisque codicibus est legere:
Dixerat hanc volucri legem natura superbae,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Nostor Met. XIII. 702.
——*Legem sibi dixerat ipse.*
In Ibide:
Cui legem poenae dixerat ipsa parens.
Metam. VI. 137.
Lexque eadem poenae, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi serisque nepotibus esto.
Epistola Sapph.
Sive ita nascenti legem dixere sorores.
Virgil. lib. XI. 322. *Foederis aequas dicamus leges.* & lib. XII. 112. *Pacis dicere leges.* Propert. lib. IV. Eleg. ult.
Mi natura dedit leges à sanguine dictas.
Apud eundem lib. II. El. VII. *Dicere legem*, & *indicere.* lib. IV. Eleg. IX. Male ibi *dictas* nunc legitur. *Lex dicta officiis* apud Gratium.
Quam puero legem fertur dixisse Priapus.
In obscaeno carmine. apud Horat. lib. I. Ep. II.
Dicta tibi est lex, Insequeris tamen hunc.
Stat. Sylv. V. Propemp. Crisp.
Et pudor & docti legem sibi dicere mores.
Epiced. Vernae:
— *Quis dicere legem*
Fletibus, aut fines audet censere dolendi.
Quod imitatus est ex Epicedio Drusi:
Et quisquam leges audet tibi dicere flendi.
Sequens distichon Ovidianae non videtur esse venae. HEINSIUS.

40. *Vomere.*] *Pondere* Barberinus; quod nescio an rectius: *Vomer* enim & aratrum *premi* centies a Poëtis dicitur, non *premere.* vid. ad Val. Flac. VII. 63. sed *pondus* est hic jugum; ut alibi; *pressique jugo gemuere juvenci.* vide mox V. 94. BURM.

43. *Praetentaque naribus aera.*] *Ora* Scriverii & Palatinus. ut supra, *aduncа ora* dixit: sed vulgata, ex illis Apollonii. lib. III. 230. defenditur:
Καὶ οἱ χαλκόποδας ταύρους κάμε· χάλκεα δὲ σφέων
Ἦν στόματ', ἐκ δὲ πυρὸς δεινὸν σελὰς ἀμμνείεσκος.
HEINSIUS. *Praetextaque* mallet Francius. male; est a Geographiae & militaris rei scriptoribus sumtum verbum. vid. Vales. ad Amm. Marcel. XIV. 2. & Commentatores ad Sil. Ital. XVI. 253. BURMAN.

46. *Lata.*] Male editiones quaedam priscae & codices, *laeta.* campus enim ille *longis annis horridus* dicitur Valerio Flacco. lib. VII. 62. eadem vero varietas supr. Ep. II. III. Fast. I. 546. II. 210. & IV. 243. & alibi. Horatio etiam *latos campos* contra temeritatem Dacerii vindicavit eruditissimus Bentlejus ad lib. III. Od. II. *Larga* hic habet unus Regius & alter Heinsii. *Devota* vero in accusativo accepit bonus Volscus, quem fideliter errorem consarcinator notarum variarum exhibuit. rectius Hubertinus. BURMANNUS.

48. *Illa erat.*] *Est* scripti. forte, *imminet agricolae.* HEINSIUS. Francius volebat, *Quae peteret &c. Nata* (vel *orta*) *est agricolae.* Gronovianus etiam *messis amara*: non ineleganter. eadem varietas VI. Fast. 607. & Epist. XIV. 129. ubi *pretium iniquum* vulgo, sed in codicibus nonnullis *amarum.* & Epist. XVIII. 115. *Monitus nutricis amarae*, ubi etiam alii *iniquae.* III Pont. IX. 37. *De vitio scribam regionis amarae*, & ibi *iniquae* repperi in MSS. ut & IV. Pont. XIV. 37. *Sed mores scriptis vexavit amaris.*

Dixerat Aeëtes, moesti consurgitis omnes,
Mensaque purpureos deserit alta toros.
Quam tibi nunc longe regnum dotale Creüsae,
Et socer, & magni nata Creontis erant?
Tristis abis. oculis abeuntem prosequor udis:
Et dixit tenui murmure lingua, Vale.
Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum;
Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit.
Ante oculos taurique truces segetesque nefandae;
Ante meos oculos pervigil anguis erat.
Hinc amor, hinc timor est. ipsum timor auget amorem.
Mane erat; & thalamo cara recepta soror,
Disjectamque comas aversaque in ora jacentem
Invenit, & lacrimis omnia plena meis.
Orat opem Minyis: petit altera, & altera habebit.
Aesonio juveni, quod rogat illa, damus.

Est

amaris. ubi eadem diversitas, quam & in declamationibus Quinctiliani sub nomine proditis deprehendi. BURMANNUS.

50. *Aliqua.*] Forte *alia.* HEINSIUS.

52. *Deserit alta.*] Durior locutio, ut mensa dicatur *deserere toros*, quae removetur. an dictum, ut *deserit hasta virum?* Stat. x. Theb. 742. *Desinit* erat in Moreti codice, de quo verbo Heinsius agit ad 11. Art. Am. 726. sed neque hoc placet; neque etiam quod *mensa alta* dicatur, cum supra toros non multum eminere solerent mensae, si non inferiores saepe, & tori rectius *alti* dicantur. vid. Virgil. 11. Aeneid. 2. unde *sublimem jacere* dixit infra. latere puto ulcus. BURMANNUS.

53. *Quam tibi tunc.*] *Nunc* scripti quidam & editiones priscae. iidem *erant* sequenti versu, non *erat.* HEINSIUS. vide inf. ad vers. 103.

53. *Creüsae.*] *Glaucen* vocat Apollodorus & Diodorus. CIOFANUS.

55. *Prosequor.*] *Persequor* sex. nil muto. vid. Epist. v. 55.

58. *Acta est per lacrimas.*] *In lacrimis* Basileenses. venusse. proximo autem versu, *ante oculos taurique truces*; duo Medicei, non *ante oculos taurique meos.* HEINSIUS. Posset & legi, *acta inter lacrimas.* ut Virgil. VI. Aeneid. 513.

Namque ut suprema falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti.

Propertius III. VIII. 21.

Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat.

Sed *per lacrimas*, idem significare docebimus ad Valer. Flac. lib. I. 767. posset & *tracta est* legi cum Francio, qui ex 11. Aeneid. 92. *Vitam in tenebris trahebam*, confirmabat. sed nec tum opus *per* mutare. nam 11. Amor. ult. *Per nulla traham suspiria noctem.* quibus longam fuisse visam ostendit, ut saepe amantes queruntur; sic & apud Quinctil. Decl. XV. 16. pro *exactas mero noctes*, Francius malebat *extractas.* ubi vide. sed vid. Epist. XIX. 33. BURMANNUS.

63. *Aversaque.*] Multi codices *adversa.* ut 11. Fast. 845. *Illa jacens adversa*; ut Heinsius volebat. sed pronam, & in faciem jacuisse puto, prae pudore & moestitia; ut solent in hac animi adfectione saepe mutare corporis statum crebris jactationibus. egregie Juvenalis III. 278.

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat poenas. noctem patitur lugentis amicum
Pelidae. cubat in faciem, mox inde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire.

Ubi Heinsius malebat:

Aegre & non aliter poterit dormire.

Apud eundem Satyr. VI. 475.

Si nocte maritus.
Aversus jacuit. BURMANNUS.

65. *Petit altera & altera habebit.*] Salmasius ad Capitol. Maximin. cap. I. *Alter petit, alter habebit* ex Puteaneo. quomodo & Gottorphianus. nonnulli: *Petit altera, & alter habebit.* Si quid mutandum sit, ita rescripserim:

Orat opem Minyis soror altera, at altera flevit:
Aesonio juveni, quod rogat illa, damus.

Tò *soror* excidérat. pro quo male feriati correctores *petit* supposuerunt. *altera flevit* vel *flebat*, facilis mutatio ex *alter habebit* aut *habebat*, quod in multis scriptis est, ut jam monui. ceterum cur Chalciope Argonautis faverit, in promtu causa est, quod filii ejus quatuor ex Phrixo geniti in illorum essent numero. Vide Hyginum Fab. III. vix dubitabit de hac conjectura, qui Apollonium ea

omnia

Eſt nemus, & piceis, & frondibus ilicis atrum:
Vix illud radiis ſolis adire licet.
Sunt in eo, fuerantque diu, delubra Dianae:
Aurea barbarica ſtat Dea facta manu.
Noſtin', an exciderunt mecum loca? venimus illuc;
Orſus es infido ſic prior ore loqui.
Jus tibi & arbitrium noſtrae Fortuna ſalutis
Tradidit: inque tua vitaque morſque manu.
Perdere poſſe ſat eſt, ſi quem juvet ipſa poteſtas;
Sed tibi ſervatus gloria major ero.
Per mala noſtra precor, quorum potes eſſe levamen;
Per genus & numen cuncta videntis avi;
Per triplicis vultus, arcanaque ſacra, Dianae;
Et ſi forte alios gens habet iſta Deos.
O virgo, miſerere mei; miſerere meorum!
Effice me meritis tempus in omne tuum.

Quod

omnia copioſe atque eleganter narrantem conſulet libro tertio Argonauticorum, ubi Medeam acerbe plorantem inducit, nec minus & Chalciopen. Helmaeſtadienſis verſu proximo, pro *rogat*, loco alieno *foror* agnoſcebat. HEINSIUS.

67. *Eſt nemus.*] Illuſtravi hunc locum lib. VII. Metamorph. CIOFANUS.

68. *Illuc.*] *Illud* Moreti. & ita volebat Francius.

69. *Sunt in eo, fuerant certe.*] *Fuerantque diu* multi codices. quod admittendum videtur. Delubra enim à vetuſtate venerationem praecipue mutuabantur. Tacitus: *Nemus religione, patrum & priſca formidine ſacrum*, ubi habes verſum integrum Heroïcum, ut me monuit Kinſchotius. Noſter Faſt. IV. 649.

Silva vetus, nullaque diu violata ſecuri,
Stabat, Moenalio ſacra relicta Deo.

Plena ejus rei Poëtarum ubique ſcripta. malo tamen, *fuerunt que diu.* HEINSIUS.

71. *Neſcio an exciderint mecum loca.*] In Puteaneo *Noſtin* à manu prima fuiſſe videtur, & *exciderunt.* Unus Medicêus *Noſtis.* alii quinque *Noſcis. Noſcis, an exciderant* Helmaeſtadienſis: nam quod multi ex vulgatis habent, *Neſcis an*, repugnat metro. *Noſtin?* eleganter. ſic *viden, ſcin, vin*, & ſimilia pro *videſne, ſciſne, viſne* apud veteres. *cenſen* apud Perſium. ſic Faſt. lib. IV. initio:

Scin, Dea, reſpondi, de vulnere?

Ita illo loco puto ſcribendum. ut Faſtor. VI. 123.

Stulta, videt Ianus quae poſt ſua terga gerantur.
Nil agis ea: latebras reſpicit ille tuas.
Nil agis en. dixin'?

Vulgo *dixit. Viden* habes apud Catullum, Virgilium, Statium. Nam Comici aſſidui ſunt in his. De quibus ſuo loco plura. *exciderunt* legendum Epiſtola VII. jam monuimus. ỳſ. 166. *venimus illuc* praeterea eſt in melioribus, non *ambo.* Sequenti verſu quoque *Auſus* es, pro *Orſus* nonnulli. HEINS. Vide ad Valer. Flac. V. 595.

72. *Prior ore.*] *Ille* Francof. ſed vulgata proba eſt. I. Faſt. 100.

Edidit hos nobis ore priore ſonos. BURMANNUS.

74. *Inque tua eſt.*] Tollunt *eſt* quinque libri. HEINSIUS.

75. *Sat eſt.*] Vid. ad II. Amor. XIV. vers. ult.

75. *Iſta poteſtas.*] *Ipſa* Puteaneus & alii plerique. Idem *juvet* cum Lovanienſi. Amor. III. El. IV.

—— *Ipſa poteſtas*
Semina nequitiae languidiora facit. HEINSIUS.

78. *Per genus & numen.*] *Nomen* Puteaneus. Vide notas ad Epiſt. II. ỳſ. 50. nil temere tamen muto. HEINSIUS. *Per lumen* volebat Francius ex verſu 191.

79. *Per triplices vultus.*] *Triplicis* concinnius Puteaneus & duo Ambroſiani. Faſt. I. 387.

Quod ſemel eſt triplici pro virgine caeſa Dianae.

HEINSIUS. Concinnius opinor fore, *per triplicis cultus Dianae*, triplex etiam Diana dicitur & colitur. in veteri inſcriptione apud Gruter. p. XXVIII.

Idem augur, triplicis cultor venerande Dianae.

Triformis Valerio Flacco VII. 395. dicta. & Silio I. 120. vid. Zenob. pag. 318. atque ibi Schott. & Serv. ad Virg. IV. 510. BURMANNUS.

80. *Et ſi forte aliquos.*] Malim; *Et ſi forte alios.* ſupervacaneum enim erat dubitare, ſi quos Deos haberent Colchi, cum jam Dianae mentionem feciſſet, & infra addat, *Et Dea, marmorea cujus in aede ſumus*, illud autem procedit, ſi roget, ecquos alios praeter Dianam habeat. MICYLLUS. Nobis magis placet codicum lectio, quibus uſus eſt Micyllus,

Quod si forte virum non dedignare Pelasgum,
(Sed mihi tam faciles unde, meosque Deos?)
Spiritus ante meus tenues vanescat in auras,
Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.
Conscia sit Juno, sacris praefecta maritis;
Et Dea, marmorea cujus in aede sumus.
Haec animum (& quota pars haec sunt?) movere puellae
Simplicis; & dextrae dextera juncta meae.
Vidi etiam lacrimas. an pars est fraudis in illis?
Sic cito sum verbis capta puella tuis.
Jungis & aeripides inadusto corpore tauros,
Et solidam jusso vomere findis humum.

Arva

cyllus, *Et si forte alios.* DAN. HEINSIUS. Lege *alios Deos*, vel sine assensu veterum librorum: quanquam Gryphium sit verisimile in suis codicibus id inveniisse, quod ejus editiones margini adscriptum ostendunt. sic & alibi non semel peccatum. video Micyllo quoque id ipsum placuisse. Auctor Queroli: *Estne aliud quod requiras.* ubi pari modo peccatur. HEINSIUS. Sic supr. II. Ep. 83. pro *atque aliquis*, codices quidam, *atque alius*: & saepe haec permutata. vide supr. vers. 50.

83. *Quod si forte virum non dedignare Pelasgum &c.*] Si me hominem Graecum non indignum censes, quem tuum virum habeas, prius moriar, quàm tuo matrimonio aliam mulierem praeponam. Apollonius quoque idem scribit lib. III.

Ἡμέτερον δὲ λέχος θαλάμοις ἔνι κουριδίοισι
Πορσανέεις· οὐδ' ἄμμε διακρινέει φιλότητος
Ἄλλο, πάρος θάνατον γε μεμορμένον ἀμφικαλύψαι.

Apollodorus tamen in hanc sententiam lib. I. *Cùm timeret Medea, ne Jason à tauris perderetur, inscio patre, ei se fore ad illos perdomandos atque vellus aureum auferendum, si se uxorem ducturum & in Graeciam simul navigantem perventurum juret, auxiliatricem, pollicetur. Id praestiturum se juravit Jason.* CIOFANUS. Alter Mentelianus *Pelasgon.* HEINSIUS.

84. *Sed mihi tam faciles unde, Deosque meos.*] Hubertinus monet legendum esse: *Sed mihi tam faciles unde, meosque Deos?* quasi positus verborum hoc loco sententiam aliam atque aliam faciat. quae cura supervacanea est. eodem enim redit sententia, sive *Deos*, sive *meos* praeponatur. Quare priorem lectionem retinemus versus caussa, utpote concinniorem. est autem sententia; sed unde mihi sperem tam faciles Deos, & tam meos, hoc est faventes mihi. ἐλλειπτικῶς scilicet supplendo verbum *sperem*, aut simile. MYCILLUS. *Meosque Deos* Puteaneus & alii multi. quod Salmasio ad Historiam Augustam probatum. libri multi, *unde habeo Deos?* vel, *unde deos habeam?* & similia, quae interpolatorum figmenta. Horatius lib. II. Sat. V. 102.

——*Unde mihi tam fortem tamque fidelem?*

Et Sat. VII. 116.

Unde mihi lapidem? quorsum est opus? unde sagittas?

Seneca Hercule Fur. vers. 296.

Unde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem?

Vetus interpres Euangelii Matthei cap. XV. 33. *Et dixerunt ei Discipuli, unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Latine & eleganter. nec dubito apud Juvenalem Sat. IX. 8. scribendum, *unde repente tot rugas*, non *rugae*, ut nunc exhibetur. & Sat. XIV. 56.

Unde tibi frontem, libertatemque parentis
Cum facias pejora senex.

Paullinus nono natali Felicis:

Unde mihi hos animos? quae me levat aura superbum.

Auctor Queroli: *Unde autem illi thesaurum hominis prope pauperi.* Fulgent. lib. I. Mythol: *Tum illa, unde haec* (lege *hanc*) *tibi, inquit, homuncule tantam ignorantiae scientiam? unde tam rarum ordinem ignorandi?* Plura ad Statium Gronovius de hoc loquendi modo. HEINSIUS. Vide ad Quinctil. Decl. VI. 8.

85. *Tenues vanescat in auras.*] In Epistola Penelopae:

——*Et hoc crimen tenues vanescat in auras.*

CIOFANUS.

87. *Conscia sit.*] *Scit Juno*, non male Argentinensis. HEINSIUS. Elegantissime. ita Stat. II. Theb. 108. *Scit fama.* ubi vid. Gronovii notas. Vid. & Quinctil. Decl. XVIII. 12. BURMANNUS.

89. *Haec animum & quota pars etiam movere puellae.*] Pudendo errore addiderant, & legerant omnes, *possent movere*, qui non videbant saltem obstare syllabae quantitatem, si *movere* perpetuum facerent modum. quare nos ex perpetuo perfectum feci-

Arva venenatis, pro ſemine, dentibus imples:
Naſcitur, & gladios ſcutaque miles habet.
Ipſa ego, quae dederàm medicamina, pallida ſedi,
Cum vidi ſubitos arma tenere viros.
Donec terrigenae (facinus miſerabile) fratres
Inter ſe ſtrictas conſeruere manus.
Pervigil ecce draco, ſquammis crepitantibus horrens,
Sibilat; & torto pectore verrit humum.
Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?
Quique maris gemini diſtinet Iſthmos aquas?
Illa ego, quae tibi ſum nunc denique barbara facta,
Nunc tibi ſum pauper, nunc tibi viſa nocens,

Flam-

ſecimus, ſenſu & ſyllaba quadrante. EGNATIUS. *Quota pars horum movere*, eſt in Vaticano, vere. CIOFANUS. Simplicius elegantiusque in Scaligeri codice ſcribebatur: *Haec animum (& quota pars haec ſunt?) movere puellae Simplicis*, &c. Recte inprimis. DAN. HEINSIUS. *Et quota pars haec ſunt* Puteaneus. *Quota pars poſſunt movere*, vel *moviſſe* alii plerique. tres *poſſent*. duo *poterant*. Placet Puteanea lectio. ſic lib. II. Pont. El. X.

Et quota pars haec ſunt rerum, quas vidimus una,
Te mihi jucundas efficiente vias? HEINSIUS.

Gryphius & alii ita diſtinguunt:

Haec animum (& quota pars poſſent) movere puellae.

91. *An & eſt pars fraudis in illis.*] *An pars eſt* ſcripti omnes & primae editiones. Lege, *an pars & fraudis in illis?* ita Lincolnienſis. aut quod malim Naſoniano more, *an pars ſua fraudis in illis.* Metam. XIII. 350.

Deſine Tydiden, vultuque & murmure, nobis
Oſtentare meum, pars eſt ſua laudis in illo.

HEINSIUS.

92. *Sic cito.*] *Sic ego*, Regius. & ita Francius conjecerat.

93. *Jungis & aeripedes*] Tò & abeſt à Gronoviano. Scribe *Jungis aënipedes.* dixi Epiſt. VI. vſ. 32. HEINSIUS.

93. *Tauros.*] Duos tauros feros & mirae magnitudinis, ut in Epiſtola Hypſipyles ex Apollodoro notavi. CIOFANUS. Inepte Hubertinus verba illa *inaduſto corpore*, ad tauros refert, quaſi illi ſemper efflarent ignem, & numquam eo igne urerentur; cum haec Jaſonem reſpiciant, qui illaeſus ab igne illo, quem naribus efflabant tauri, Medeae beneficio, jugo illos ſuppoſuerit. vid. Valer. Flac. VI. 63. & 98. & 578. & ſeqq. praecipue 584. *Sed non incendia Colchis Adſpirare ſinit* &c. & hinc ſupra vers. 15. *Iſſet anhelatos non praemedicatus in ignes.* vid. VII. Met. 115. *Inaduſto pectore.* Cod. Douzae. BURMANNUS.

94. *Et ſolidam.*] *Inſolitam* Gronovianus. HEINS. Ut ſupr. 40. *Inſolito premeres pondere colla boum?* erat enim ille ager, ut vidimus, longis annis incultus & horridus. Noſter VII. Met. 119. *Inſuetum ferro proſcindere campum.* pro *juſſo vomere* Leidenſis *preſſo*, ut paſſim. vid. ſupr. ad v. 40. eadem varietas lib. II. Art. Am. 189. pro *findis* eſt in regio & ſex aliis, cum una editione Veneta, *ſcindis:* parum refert. vid. Epiſt. XVII. 139. Claud. I. Eutr. 112. BURMANNUS.

96. *Habens.*] *Habet* Puteaneus & alii ſeptem. HEINSIUS.

97. *Ipſa ego.*] Lucan. IV. 555.

Ipſaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas.

98. *Arma tenere.*] *Movere* Vaticanus.

100. *In ſe conſtrictas conſeruere manus.*] *Inter conſtrictas* Puteaneus. Strozzae liber, *Inter ſe conſtrictas.* Novem alii, *Inter ſe ſtrictas.* quod verum eſt. HEINSIUS. Ita Amor. I. Eleg. VI. 14.

Non timeo ſtrictas in mea fata manus.

Ubi vide notas. BURMANNUS.

101. *Pervigil ecce draco.*] Ita & lib. VII. 149. Met. & Maximianus in Elegiis:

Pervigil obſervat non ſua poma draco.

Scripti tamen tres, *Serpens ecce vigil.* unus Vatic. *Inſomnis ſerpens.* At Puteaneus, *Inſopor ecce vigil.* Scribe, *Inſuper ecce vigil. Vigil* pro vigili dracone. Germanicus Arataeis de ariete. 540.

Qui tulit in Tauros Phryxum, qui prodidit Hellen,
Quem propter fabricata ratis, quem perfida Colchis
Sopito vigile inceſto donavit amori.

Ita ſcribendum. *Inſopor ecce draco*, pro diverſa lectione Erfurtanus, cum gloſſa; *id eſt ſine ſopore.* mira locutione, nec alias mihi obſervata. quomodo lib. VII. 36. eundem *inſopitum draconem* voce parum uſitata dixit. HEINSIUS.

102. *Verrit.*] *Vertit* Puteaneus, Oxonienſis & tres alii. *Verſat* excerpta Puteani & unus Heinſii. ut Ep. XIII. 98. *Verſare aquas.* unus Heinſii, *vaſtat humum.*

Flammea ſubduxi medicato lumina ſomno:
Et tibi, quae raperes, vellera tuta dedi.
Proditus eſt genitor: regnum patriamque reliqui:
Munus in exilio quolibet eſſe tuli.
Virginitas facta eſt peregrini praeda latronis;
Optima, cum cara matre, relicta ſoror.
At non te fugiens ſine me, germane, reliqui.
Deficit hoc uno litera noſtra loco.
Quod facere auſa mea eſt, non audet ſcribere, dextra,
Sic ego, ſed tecum, dilaceranda fui.
Nec tamen extimui (quid enim poſt illa timerem?)
Credere me pelago femina, tamque nocens.
Numen ubi eſt? ubi Di? meritas ſubeamus in alto,
Tu fraudis poenas, credulitatis ego.

Com-

humum. quod immani belluae quidem accommodatum. ſed vulgatam retineo. BURMANNUS.

103. *Dotis opes ubi erant? ubi erat tua regia conjux.*] *Tibi regia conjux* ſcripti plerique. *ubi tunc & regia* unus Palatinus. duo praeterea Medicêi, *Dotis opes ubi tunc.* Puto ſcribendum:

Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?

Vel *ubi nunc* Tibul. II. Eleg. III.

Delos ubi nunc Phoebe tua eſt? ubi Delphica Pytho?

Vide quae noto ad Epiſt. IV. ℣ſ. 150. Sequenti verſu *diſtinet* non debere mutari, quicquid turbent libri veteres, dixi Epiſt. VIII. ℣ſ. 69. HEINS. Francius volebat, *Dos & opes ubi tunc.* ut ℣ſ. 199. *Dos ubi ſit quaeris.* &c.

108. *Raperes.*] Non moveo hanc lectionem, ſed admodum tamen blanditur Heinſiani unius codicis ſcriptura, *quae referas.* quia juſſus erat Iaſon vellus domum referre. vid. Valer. Flac. VII. 100. *Vellera fulva*, quod malebat Francius, eſt in Mediceo uno. ſed *tuta* praeſtat, ut incolumis inadufto corpore & ſine noxa ea rapere poſſet. BURMAN.

110. *Munus in exilio quodlibet eſſe tuli.*] Puto reſcribendum:

Et minus exilio quidlibet eſſe tuli.

Hoc eſt omnibus rebus exilium praetuli. Certe unus Patavinus, *Munus exilio.* lib. II. Art. Amat. 548.

—— *Monitis ſum minor ipſe meis.*

Sic *merces labore minor.* Ep. Herûs:

Ne videar merces eſſe labore minor.

Hac eadem Epiſtola:

Nunc animis audi verba minora meis.

Ep. Canaces:

Poſſidet & vitiis regna minora ſuis.

Propert. IV. IX. 32.

Et jacet ante fores verba minora Deo.

Quae Noſter imitatus lib. VI. Met. 376.

—— *Nec dicere ſuſtinet ultra*
Verba minora dea. HEINSIUS.

Vix video, qualis ſenſus ex emendatione Heinſii emergat, nec quo adducta exempla faciant. ego puto legendum:

Munus in exſilio quolibet eſſe tuli.

Credidi me felicem etiam, ſi relicta patria & regnis quae prodideram, exſul modo eſſem; licet exilium eſſet miſerum & infelix, beneficium tamen erat, quia tecum fore me ſemper fingebam. *Quolicet* erat in duobus ſcriptis & editione prima, & in margine Gryphii. ſic eleganter utuntur illo *quolibet* & *quocumque.* ut Propert. I. Eleg. VIII. 4.

Ut ſine me vento quolibet ire velis.

Id eſt etiam ſaevo & adverſo. quod Caeſar apud Sueton. cap. LXVI. *Quocumque vento in quaſcumque terras avehi*, dixit. id eſt etiam tempeſtate ſaeviente, in ſolas etiam & deſertas terras. vid. ad Epiſt. IV. 98. denique hoc confirmat Senec. in Medea. 492.

Poenam putavi, munus (ut video) eſt fuga.

Et ita Noſter IX. Met. 181. *Mors mihi munus erit.* & ſimilia. Sligtenhorſtius conjecerat, *Patriamque reliqui Funus; in exilio &c.* de verbo *ferre.* vid. Epiſt. V. 12. Heinſius etiam *vilius exilio*, vel, *Minyis exul*, pro urbe unde Minyae dicti; Hubertinus & Berſmannus ex ſcriptis, *quod licet eſſe tuli.* beneficium putavi, quod licet eſſe in exilio. BURMANNUS.

113. *Sine me.*] Suſpectum hoc eſt & duriter dictum. multi, *at te non fugiens.* ut ſenſus ſit, non ego fugiens reliqui te ſine me, ſed vel mecum comitem fugae adſumſi, ut quidam tradunt, vel inſequentem te nos interemi. Cogitabam aliquando, *At cur non fugiens ſic te Germane reliqui?* cur non eodem modo, ut matrem & ſororem reliqui, te quoque reliqui domi ſalvum & incolumem, ſed te laceravi? mox quidam ſcripti & edi-

ti,

Complexos utinam Symplegades eliſiſſent,
Noſtraque adhaererent oſſibus oſſa tuis!
Aut nos Scylla rapax canibus miſiſſet edendos!
(Debuit ingratis Scylla nocere viris.)
Quaeque vomit fluctus totidem, totidemque reſorbet,
Nos quoque Trinacriae ſuppoſuiſſet aquae!
Soſpes ad Haemonias, victorque, reverteris urbes;
Ponitur ad patrios aurea lana Deos.
Quid referam Peliae natas, pietate nocentes,
Caeſaque virginea membra paterna manu?
Ut culpent alii, tibi me laudare neceſſe eſt,
Pro quo ſum toties eſſe coacta nocens.
Auſus es ô, (juſto deſunt ſua verba dolori)
Auſus es, Aeſonia, dicere, cede domo.

Juſſa

ti, *ſic ego*, *ſic tecum*, quaſi ad Abſyrtum eſſet ſermo; ſed reſpiciunt illa Jaſonem. quare recte ſic ego fui dilaceranda a fratre meo, ſed ſimul cum Jaſone perfido. III. Amor. XIV. 46.

Tunc ego, ſed tecum mortuus eſſe velim.

Vid. Epiſt. XIII. 72. BURMANNUS.

118. *Jamque nocens.*] *Tamque* eſt in Francof. quod elegantius, quia nuſquam praeſentiorem vindictam divinam credebant veteres, quam in mari & aqua, ſi ſcelerati ſe illis crederent, ut mille Poëtarum loca oſtendunt; quae hic conſlipare nihil attinet. vid. Horat. III. Od. II. 28. nota eſt quoque Hiſtoria Jonae Prophetae. BURMANNUS.

121. *Compreſſos utinam Symplegades eliſiſſent, Noſtraque adhaererent oſſibus oſſa tuis: Aut nos Scylla rapax, &c.*] Indignatus Juppiter propter Abſyrti necem ingentem Argonautis immiſit tempeſtatem: propter quam ita diu errarunt, ut Libyae, Galliae, Sardiniae, & Hetruriae littora praeterierint. Acceperant autem Jovis iram prius deſituram non eſſe, quàm in Auſoniam profecti Abſyrti necis à Circe expiati fuiſſent. Auctor Apollodorus lib. I. atque idcirco Poëta Scyllae & Charybdis hoc loco meminit. Quam rem hic miratur, vel potius quaeritat Egnatius. CIOFANUS. *Complexos* duo Medicei. vide notas Epiſt. IV. ŷſ. 139. HEINSIUS. Recte: nam tempeſtiva hic mentio complexuum & voluptatis Venereae, in tam infauſto conjugio, ut voveat ſe in mediis amplexibus fuiſſe eliſam inter Symplegadas. BURM.

123. *Aut nos Scylla rapax.*] Quid eſt quòd Scyllae meminerit, quae adeunda illis ex Ponto redeuntibus nequaquam erat? An errore mulicbri, & animi moerore quid dicat, neſcit? An Ovidius id innuit, Argonautas mari jactatos, quod Graeci etiam Poëtae quidam cecinere, ad Aphricae litus appuliſſe, ut vel inviti Scyllae Charybdiſque vortices ſubierint? EGNATIUS. Scyllae & Symplegadum hic mentionem facit, vel quia (ut Orpheus Arg. ŷſ. 1246. tradit, notante jam Volſco) Argo illa loca penetravit, vel quia Ovidius finxit, Medeam voventem, ut loca illa tranſiſſet, quo locus ipſi eſſet, devotionum & dirarum horrorem augendi; confundit vero duas Scyllas. vide Heinſ ad Epiſt. Sabini I. 33. BURMANNUS.

125. *Reſorbet.*] In uno Moreti erat *recillet*, quod quale ſit non exputo. forte latet aliud verbum. *Reſorbere* tamen rectum puto. Manil. IV. 828.

Et vomit Oceanus pontum, ſitiensque reſorbet.

Vomere & *epotare* Noſter in IV. Pont. X. 28. *Sorbere & reddere.* VII. Metam. 64. *Vorare* & *revomere.* XIII. 731. vid. Heinſium ad II. Amor. XVI. 26. BURMANNUS.

127. *Urbes.*] *Arces* Hafnienſis. ſollemni permutatione. mox pro *aurea lana*, *aurea praeda* quinque. tres cum excerptis Douzae, *Barbara praeda.* Argentinenſis, *barbara lana.* efficta haec omnia ex Epiſt. I. 129.

Ponitur ad patrios barbara praeda Deos. BURM.

129. *Peliae natas.*] Vide quae ex Hygino notavi lib. VII. Metamorph. CIOFANUS.

132. *Sum.*] Malo *ſim.* ſuperiori verſu Sarravianus *aliae*, non *alii.* HEINSIUS.

132. *Eſſe coacta nocens.*] Francius conjiciebat, *Pro quo ſum toties facta nocente nocens.* inf. 198. *Cum quo ſum paritur facta parente parens.* nos nihil mutamus. coactam enim ſe ad ſcelus decentius dicit, quam ſi ſponte nocens eſſet facta. expreſſit Ovidium Seneca Medea 280.

Toties nocens ſum facta, ſed numquam mihi.

Antea dixerat, *illi Pelias, non nobis jacet.* BURM.

134. *Cede domo.*] Formula repudii apud Romanos; talis & illa abdicationis apud Quinctilianum Declam. CCLVIII. ubi pater ad filium, *diſcede de domo mea.* HEINSIUS.

Juſſa domo ceſſi, natis comitata duobus;
Et, qui me ſequitur ſemper, amore tui.
Ut ſubito noſtras Hymen cantatus ad aures
Venit, & accenſo lampades igne micant,
Tibiaque effundit ſocialia carmina vobis,
At mihi funereà flebiliora tubà;
Pertimui; nec adhuc tantum ſcelus eſſe putabam:
Sed tamen in toto pectore frigus erat.

Turba

135. *Juſſa domo.*] Non damno. ſed vehementius puto, *pulſa domo ceſſi.* III. Faſt. 559. *Pellitur Anna domo.* vid. ad Epiſt. IX. 131. infr. XIV. 111. *Regnoque domoque Pellimur.* Quinctilian. Declam. CCCXXXVIII. *Atque eſſet ea domo, in qua virgo nupſerat, pulſa.* Auctor Octaviae 671.

Ceſſit thalamis Claudia diri
Pulſa Neronis.

Et ita *pulſus fugito.* Bentl. ad Horat. I. Sat. 6. 13. BURMANNUS.

135. *Comitata duobus.*] Mermero & Pherete. vide Scholia in lib. II. Triſtium. *Comitata* vero παϱηπιϰῶς. CIOFANUS.

137. *Ut ſubito &c.*] Sic & Catullus producta prima ſyllaba prima *Hymen*, pronuntiavit eo verſu, *Hymen ô Hymenaee*, quod imitatus Graecos fecit: nam & Theocritus in Helenes Epithalamio:

Τμὴν ὦ Τμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

Ego tamen libentius correpta legerem, ſed nuſquam aliter inveni, neque quidquam ex me addere audeo. quidam legunt:

At ſubito noſtras ut Hymen cantatus ad aures.

NAUGER. Quid alii ſenſerint in hoc verbo, quod ad ſyllabae moramentum attinet, haudquaquam nos fugit: mihi tamen probabilior eorum eſt vitâ ratio, qua ſyllabam hanc corripiendam eſſe crediderunt. unde & ex vetuſtis codicibus *ut* addidimus, & paullo poſt in altero verſu & particulam ſubſtituimus, cum impreſſi ad hanc diem codices, *turba ruunt Hymen clamant*, habuerint. nec vero illis Catullianum carmen faverit, ubi ille intercalari numero videtur quandoque producere, cum diverſam ille ſecutus fuerit rationem, & licentior aliquando in ſyllabarum ſpatiis habeatur. EGNAT. *Ut ſubito noſtras Hymen cantatus ad aures Venit, & accenſo lampades igne micant.* Cùm ita in omnibus vet. libris ſcriptum, & ſententia optima ſit, non video cur ab aliis, qui ſententiam depravant, quidquam ſit immutatum: praeſertim cùm Theocritus apud Graecos ult. verſu in Epithal. Helenae, & apud nos Catullus primam hujus nominis *Hymen* produxerint. Vidit & hoc Paganinus ante me natum annis XXIV. CIOFANUS. Forte: *At ſubito noſtras ut Hymen &c.* & ſic editio Micylli, & quosdam legere ait Naugerius, qui tamen ex Catullo & Theocrito vulgatam lectionem tuetur. ut Ciofanus, qui Naugerium hic compilavit. HEINSIUS.

138. *Lampades.*] Faces nuptiales explicant. poſſet tamen & capi de penſilibus Lychnuchis, quibus domus feſta illuminabatur. Terent. Adel. v. 7. *Miſſa haec face, Hymenaeum, turbas, lampadas.* Et ſic infr. Ep. XIV. 25.

Undique collucent praecinctae lampades auro.

Etſi probe ſciam, *lampadas* de facibus, & quidem nuptialibus dici. ut III. Pont. III. 60. Val. Flac. VIII. 278. & alibi. BURMANNUS.

139. *Effudit.*] *Effundit* Puteaneus & ſex alii. puto *offundit.* idem ſequenti verſu, *& mihi funeſta.* HEINSIUS.

141. *Putabam.*] *Putabat* Puteaneus. forte *patebat.* HEINSIUS.

143. *Turba ruunt & Hymen clamant, Hymenaee frequentant.*] Adeone quosdam eſſe, vel Grammaticae rationis expertes, ut non adverterint *Hymenaea* legi nequicquam poſſe: unde enim ille accuſandi caſus in *a* deducatur? Aut quis quarto caſu *Hymenaea* dixit, cum in *αος* rectus exeat? ſed nobiliſſimi ſaltem Poëtae teſtimonio admoneri poterant, qui in libris de Ponto ſic ſcribens ad Maximum cecinit:

Ille ego qui cecini veſtros Hymenaeon ad ignes.

Verum inibi de hoc hisque ſimilibus alia: nam nec ſcribimus juſtum nunc opus, & admonere tantum lectorem volumus. Alioquin & in Hypermneſtra, *Vulgus Hymen Hymenaee vocant.* & Catullus, *Hymen ô Hymenaee.* IGNATIUS. Duplex hujus verſus lectio eſt: vulgaris habet, *Hymenaea frequentant.* Quam qui defendunt, *Hymenaea* alii pluralem caſum faciunt, a neutro in *um*, ut ſit adjective poſitum, pro *Hymenaea ſacra*, ſive ſolemnia; perinde ut nuptialia ſacra dicuntur. Alii autem metaplaſmum faciunt, ut ſit *Hymenaea* pro *Hymenaeon* poſitum, ſingulari caſu: quae tamen figura Graecis familiarior quam Latinis eſt. Altera autem lectio eorum eſt, qui *Hymenaee* vocativo caſu legunt, ut ſit ellipticòs dictum. *Hymenaee*, pro te *Hymenaee. &c.* aut etiam citra figuram, pro frequentant hanc vocem *Hymenaee.* Neque facile dixerim utra lectio potior ſit; quando

(ut

Turba ruunt; &, Hymen, clamant: Hymenaee, frequentant.
Quo propior vox eſt, hoc mihi pejus erat.
Diverſi flebant ſervi, lacrimasque tegebant.
Quis vellet tanti nuntius eſſe mali?
Me quoque, quidquid erat, potius neſcire juvabat:
Sed tamquam ſcirem, mens mihi triſtis erat.
Cum minor è pueris, juſſus ſtudioque videndi,
Conſtitit ad geminae limina prima foris:

Hic

(ut nunc quidem in vulgatis editionibus habetur,) utriuſque exempla reperiuntur. Nam in I. de Arte 563. ubi de Baccho & Ariadna mentio fit, hic verſus ponitur: *Pars Hymenaea canunt, pars Evoë Evoë clamant.* & in Epiſtola Hypermneſtrae 27. *Vulgus Hymen Hymenaea vocant. &c.* Niſi quod poſterior lectio Grammatice defendi melius poteſt: eoque & doctis quibuſdam magis probatur. ſed tamen & illud non obſcurum, Poëtas veteres plus auribus aliquando, quam Grammaticorum praeceptis ac regulis dediſſe. MICYLLUS. Vide Heinſii notas ad Epiſt. XIV. 27. *Frequentare* vero hic eſt ingeminare, repetere.

144. *Vox eſt.*] *Vox haec* Puteaneus & Gottorphianus. duo alii *haec vox.* HEINS. Sed κακόφωνον hoc eſt. quare retineo *eſt. Pejus erat* vero, ut in illo Petronii cap. 54. *Peſſime mihi erat.* BURMANNUS.

145. *Diverſi flebant.*] *Diviſi* vel *diſperſi* malebat Francius. ſed nihil opus. *Diverſi* enim hic eſt ab oculis meis ſe removentes; ut ita paſſim *diverſus* orbis, *diverſae* terrae, & ſimilia Poëtis dicuntur. Valer. Flacc. III. 387.

Quoque, ait, hinc diverſus abis? heu reſpice cantus.

Lib. VI. 581.

Nunc quo ſe raperet, nunc quò diverſus abiret.

Et VII. 577.

Diverſos poſtquam ire videt.

Virg. XI. 855.

Cur, inquit, diverſus abis?

Livius IX. 2. *Diverſi, alius alio, abiere.* Et ſic ille ſaepe, & alii, ubi in diverſas partes abire aliquos inducunt. vid. Broukh. ad Propert. III. 11. 33. BURMANNUS.

146. *Quis vellet tanti nuntius eſſe mali?*] Quaſi dicat nemo. Juxta illud Sophoclis in Antigone:

Στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν.

Nemo enim amat eum, qui malum adfert nuntium. CIOFANUS.

148. *Mens mea.*] Baſileenſis *mens mihi*, quod Ovidianum magis & Poëticum. vid. ſupr. Ep. III. 124. & XI. 77. & alibi. BURMANNUS.

149. *Cum minor è pueris juſſu ſtudioque videndi, Conſtitit ad geminae limina prima foris.*] Lege *juſſus*, non *juſſu.* Non ſemel teſtatus ſum, quam ſaepe librarii veteres in litteris aut fruſtra geminandis, cùm ſimiles occurrerent, aut omittendis peccaverint. aliquot exempla notavi in meis in Metamorphoſ. obſervationibus. CIOFANUS. *Juſſu* multi ex libris ſcriptis & priſcae editiones. tres *viſus.* duo *viſu.* totidem *luſu.* unus *miſſus.* Gronovianus *curſu.* ut Epiſtola Hypſip.

——*Curſu ſtudioque loquendi*
Detegit ingenio vulnera facta tuo.

Hoc tamen loco ſcribendum videtur, *caſu ſtudioque videndi.* ut ſubintelligatur, dubium eſt, incertum eſt. Met. XV. 500.

——*Me Paſiphaëia quondam*
Tentato fruſtra, patrium temeraſſe cubile
(Indiciine meiu magis offenſane repulſae)
Arguit.

Subintellige dubium eſt. ſic locus ille ſcribendus, ita & utitur τῷ *an.* vide Notas Faſt. II. 394. & IV. 7. Dictys Cretenſis, *Neque multo poſt, irane coeleſti, an ob mutationem aëris corporibus pertentatis, lues eos invadit.* Plinius lib. V. Epiſt. IV. *Vicetini ſine advocato intraverunt, dixerunt ſe deceptos, lapſine verbo, an quia ita ſentiebant.* Apulejus Apologia: *Cum in hoc ſtatu res eſſet, inter precationem matris & metum filii, ſortene an fato, ego advenio, pergens Alexandriam.* Subintelligitur *dicam*, vel, *dubium eſt.* quod plenam orationem efficit. idem Apulejus Mileſ. libro I. *Unam ex duabus laciniis meis exuo; eumque veſtio, dicam, an contego?* & libro II. *Fortunam ſaevam, an ſaevam verius dixerim, incidit.* Guntherus Ligurini libro VI.

Milite cum multo (dubium pacatus an hoſtis)
Colloquii cauſa regem Ludovicus adibat.

HEINSIUS. Ego praeferrem *juſſus, ſtudione videndi*, incertum an juſſus fuerit, an verò ſtudio, quale eſſe puerorum ſolet, videndi ſponte eò iverit. ſic & Quinctil. lib. XI. I. omiſſo priori *an, loco publico privatone*, quod etiam ſollicitatur. & ſic IV. Met. 336. *Deſinis an fugio.* vide Barth. ad Claud. I. in Rufin. 2. & nos ad Quinctilian. inſtit. V. 13. BURMANNUS.

150. *Geminae ſcris.*] Sic ſub principium lib. II. Metamorph. dixit *biſores valvas*, & in lib. De Ponto *biſores feneſtras.* CIOFANUS. Hafniens. *ad dominae.*

151. *Hinc*

Hic mihi, Mater, abi; pompam pater, inquit, Iäſon
Ducet; & adjunctos aureus urguet equos.
Protinus abſciſſa planxi mea pectora veſte:
Tuta nec à digitis ora fuere meis.
Ire animus mediae ſuadebat in agmina turbae,
Sertaque compoſitis demere rapta comis.
Vix me continui, quin ſic laniata capillos
Clamarem, Meus eſt, injiceremque manus.
Laeſe pater, gaude: Colchi gaudete relicti;
Inferias, umbrae fratris, habete mei.
Deferor (amiſſis regno, patriaque, domoque)
Conjuge: qui nobis omnia ſolus erat.
Serpentes igitur potui, taurosque furentes;
Unum non potui perdomuiſſe virum?

Quae-

151. *Hinc mihi.*] *Huic* prima editio. ſcribe, *Hic mihi*, ut eſt in quatuor calamo exaratis. Unus Vaticanus, *Qui mihi*: ſequenti verſu *ducet*, pro *ducit*, bene Puteaneus. HEINSIUS.

152. *Adjunctos.*] *Adductos* Regius, & tres alii. duo etiam, *auratos*. ſed nihil mutandum. I. Am. II. 26.

Adjunctas arte movebis aves. BURMANNUS.

152. *Aureus.*] Explicat Criſpinus, aureis veſtibus ornatus. ego de curru aurato malim capere, ut I. Art. 214.

Quatuor in niveis aureus ibis equis. BURMAN.

157. *Quin ſic laniata capillos.*] Puto, *quin dilaniata*. Amor. lib. III. El. IX. de ſorore Tibulli:

Venit inornatas dilaniata comas. HEINSIUS.

162. *Conjuge.*] Male hoc cum *amiſſis* conjungunt. *deferor conjuge.* ut Epiſt. v. 75. *Deſertaque conjuge ploret.* vid. Schef. ad Phaedr. I. 21. BURM.

164. *Unum non potui perdomuiſſe virum.*] Alludere videtur Ovidius ad carmen illud optimum, quod in ſua Medea cecinerat:

Servare potui, perdere an poſſim rogas? CIOFAN.

165. *Quaeque feros repuli.*] *Pepuli* bene duo Medicei, & pro diverſa lectione Sarravianus, quomodo & Scaliger in ora codicis ſui caſtigarat, & ego in vetuſta editione Lugduni edita offendi. Excerpta Puteanei & Jureti cum aliis nonnullis *rapui*. tres *domui*. ſic Claudianus lib. III. de raptu:

Scilicet haec caris pepulit te Delia ſilvis.

Et lib. II. in Ruſin. v. 252.

Impatiens remeare leo, quem plurima cuſpis,
Et paſtorales pepulerunt igne catervae.

Utroque loco MSStos. vidi, qui *repulit* & *repulerunt* praeferunt, ſed perperam. HEINSIUS.

168. *Nil Dea.*] Hoc eſt, nihil, neque ipſa Dea Hecate, neque ejus ſacra agunt, ſive efficiunt. MYCILLUS.

170. *Nec tener in miſero pectore ſomnus adeſt.*] *Nec teneram miſero pectore ſomnus habet*, Puteaneus & ceteri caſtigatiores magno numero. quinque:

Nec tenero miſeram pectore.

Quod eodem recidit. Scribe:

Nec tener ah miſerae pectora ſomnus habet.

Tener ſomnus, ut Arte Amatoria lib. II. 546.

Cum tener ad partes tu quoque ſomne venis.

Stat. I. Theb. 389.

Invitat teneros ad dura cubilia ſomnos.

Sic citat Gronovius in notis ad Silv. I. v. 41. ſed in textu eſt *tenues*. *Somnus habet pectora*, ut lib. VIII. Met. 83.

Prima quies aderat, qua curis feſſa diurnis
Pectora ſomnus habet.

Statius:

——*Nam Tydea largus habebat*
Perfuſum magna virtutis imagine ſomnus.

Virgil. lib. III. 147. *Animalia ſomnus habebat.* & lib. VIII. 27.

Alituum pecudumque genus ſopor altus habebat.

Sic & Triſt. III. El. III.

Perpetuus pectora languor habet.

Cum membranis. lib. I. El. VII. ex ſcriptis exemplaribus:

Et rigidum ferri ſemina pectus habent.

Lib. III. El. XI.

Et dicam ſilices pectus habere tuum.

II. Faſt. 754.

Gelidum pectora frigus habet.

Faſt. III. 288.

Pectora terror habet.

Quomodo & Virgilius, lib. XI. 357.

Quod ſi tantus habet mentes & pectora terror.

Art,

Quaeque feros pepuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipsa meas?
Ipsi me cantus, herbaeque, artesque, relinquunt?
Nil Dea, nil Hecates sacra potentis agunt?
Non mihi grata dies: noctes vigilantur amarae:
Nec tener in misero pectore somnus adest.
Quae me non possum, potui sopire draconem.
Utilior cuivis, quam mihi, cura mea est.
Quos ego servavi, pellex amplectitur, artus:
Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan &, stultae dum te jactare maritae
Quaeris, & injustis auribus apta loqui,
In faciem, moresque meos, nova crimina fingas.
Rideat, & vitiis laeta sit illa meis.

Rideat,

Art. Am. II. 318.
Aëre non certo corpora languor habet.
Lib. IV. Fast. 846. cum veteri codice:
Clausum pectora vulnus habet.
Ep. Herus:
Nescio quae pavidum frigora pectus habent.
Ut meliores libri illic agnoscunt. I. Pont. II. 30.
Et similis morti pectora torpor habet.
Petronius, cap. 128.
——*Sudor quoque perluit ora*
Et mentem timor altus habet.
Ennius:
Totum sudor habet corpus.
Statius Epicedio Glauciae, *Horror habet sensus.* Theb. III. *Terror habet vates.* Theb. VIII. *Horror habet cunctos.* Theb. XII. *Terror habet populos* Ceterum hoc loco, de quo nunc agimus, vetus editio & duo scripti:
Nec tacitam misero pectore somnus habet.
Tres, *tacito miseram* Unus Ambrosianus:
Nec teneram misero pectore somnus alit.
Non male, si refingas, *tener ah miserae pectora.* Nam & loco supra adducto ex lib. VIII. Met. in veteri codice offendi:
——*Pectora somnus alit.*
Noster I. ex Ponto. 10.
——*Somnus*
Non alit officio corpus, ut ante, suo.
Atque ita scribendum censeo apud Martialem lib. III. Ep. 59. de Glire, ut acumini Epigrammatis consulatur:
Tota mihi dormitur hiems: & pinguior illo
Tempore sum; quo me nil, nisi somnus, alit.
Ausonius:
Dic, cessante cibo, somno quis opimior est? glis.
Hinc apud Nonium Marcellum in *glis*, corrigenda Laberiana illa censeo:
Et jam me opimus somnus, ut glirem opprimit.
Ubi male nunc circumfertur, *Etiam me opimus somnus premit. opprimitur glis*, nullo sensu commodo. *opimus somnus*, quem noster aliique *pinguem* appellant, apud Apulejum Met. x. *Omnium consensu bono medico sinuniur aurei opportuni somni pretium.* ubi cum in nonnullis membranis sit *optimi*, forte *opimi somni* est reponendum; quam vocem unice in deliciis habet Apulejus. *Irriguo turgescere somno* apud Persium Sat. v. hinc somnus *quietem per membra irrigare* Virgilio & Lucretio dictus. quod humectet corpora, ac proinde nutriat. Homero: Od. B. 395.
Ἔνθα μνησήρεσσιν ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν.
Servius ad lib. XII. Aeneid. 9. *Crescit & latenter, unde & glires dicti sunt, quos pingues efficit somnus.* Noster Remed. Amor. 205
——*Somnus, non cura puellae,*
Excipit, & pingui membra quiete levat.
Quae vera ibi lectio, non *dulci.* Amor. I. El. XII.
Tunc etiam somni pingues, & frigidus aër.
Lucan. lib. X 354.
Nunc incumbe toris, & pingues exige somnos.
Sulpicia in Satyra:
——*Somno moriuntur obeso* HEINSIUS.
Omnes hae lectiones elegantiam suam habent, sed reddunt lectores incertissimos, quare nos sequimur vulgatam, quae etiam est Ovidiana. saepe enim *adesse* cum *in* Noster solet ponere. vid. I. Fast. 6. BURMANNUS.
171. *Quae me non possum, potui.*] Duo libri, *Quae me non potui, potui*, sic sequenti Epistola:
Ut te non poteram, poteram tua vela videre.
HEINSIUS.
177. *Fingis.*] Bene *fingas* Puteaneus sequentia confirmant. HEINSIUS. Vid. ad Epist. IV. 53.

Rideat, & Tyrio jaceat ſublimis in oſtro;
Flebit: & ardores vincet aduſta meos.
Dum ferrum flammaeque aderunt, ſuccusque veneni,
Hoſtis Medeae nullus inultus erit.
Quod ſi fortè preces praecordia ferrea tangunt;
Nunc animis audi verba minora meis.
Tam tibi ſum ſupplex, quam tu mihi ſaepe fuiſti:
Nec moror ante tuos procubuiſſe pedes.
Si tibi ſum vilis; communes reſpice natos.
Saeviet in partus dira noverca meos.
Et nimium ſimiles tibi ſunt: & imagine tangor:
Et, quoties video, lumina noſtra madent.
Per ſuperos oro, per avitae lumina flammae,
Per meritum, & natos, pignora noſtra, duos:
Redde torum; pro quo tot res inſana reliqui.
Adde fidem dictis; auxiliumque refer.

Non

179. *Jaceat.*] Variant MSS. Leidenſis *niteat*, Scriverii membranae *ſedeat*. ſed vulgata non ſollicitanda. Senec. Agam. 877.

Oſtro lectus Iliaco nitet,
Merumque in auro veteris Aſſaraci trahunt,
Et ipſe picta veſte ſublimis jacet.

Stat. Sylv. IV. convivio Domitiani:

Tunc ego regnator terrarum, orbisque ſubacti,
Magne Parens, te ſpes hominum, te cura Deorum
Cerno jacens.

Et II. Achill.

Fallet menſura jacentis.

Metam. IX. 237.

Quam ſi conviva jaceres.

Senec. Thyeſte 898.

Nimis diu conviva ſecuro jaces
Hilarique vultu. HEINSIUS.

Recte: nam inepte hic Criſpinus explicat in ſolio ſedens. agitur enim de epulis. quis etiam jacet in ſolio? ſi *ſedeat* recepiſſet, tolerabilior fuiſſet explicatio. ut Epiſt. IX. 153. BURMANNUS.

180. *Et ardores vincet aduſta meos.*] *Medea*, inquit Apollodorus lib. ſuprà citato, *quos Iaſon Deos juraſſet obteſtata, ingratumque illius in ipſam animum poſtea deteſtata, uxori* (Creuſae, aut Glaucae) *peplum venenis infectum miſit, quem ſimulatque illa ſibi induit cum adjutore patre* (Creonte) *valido igne correpta conflagravit.* CIOFAN. Primae editiones & quinque ſcripti cum Jureti excerptis, *ſentiet uſta.* Voſſianus *ſanciet.* Eleganter. dixi Ep. VI. ỳſ. 154. HEINSIUS.

183. *Quod ſi forte.*] Francius volebat, *At ſi forte.*

184. *Verba minora meis.*] Hoc eſt verba humilia, & qualia ſupplices facere ſolent, quaeque animum generoſum & regalem dedeceant. MICYL. Huc pertinent quae Heinſius adducit ſupra ad vers. 110. & ita *magna dicta.* Valer. Flac. v. 600. & VII. 555. *maxima verba.* Propert. II. XIX. 71. *magna loqui.* Horat. I. Sat. III. 12. & paſſim alii. BURMANNUS.

185. *Nam tibi ſum ſupplex, quod tu mihi ſaepe fuiſti.*] *Quam tu mihi* Puteaneus. Scribendum nempe, ut recte Leidenſis:

Tam tibi ſum ſupplex, quam tu mihi ſaepe fuiſti. HEINSIUS.

188. *Dira noverca meos.*] *Noverca manus* Puteaneus. forte ſcriptum fuerat primo,

—— *In parvas manus.* HEINSIUS.

189. *Et nimium.*] Francius volebat:

Ut nimium ſimiles tibi ſunt, ut imagine tangor.

In imagine tangor Lovanienſ. ſed illud & eleganter repetitur. ſupr. vers. 355.

Et formoſus eras, & me mea fata trahebant.

191. *Lumina.*] Modo praeceſſit *lumina.* quare forte a Naſone ſcriptum fuerit, quod in Venetis, Aldina priore & Berſmanni editionibus, & in uno Regio eſt, *numina.* ut ſupr. vers. 78. *Per genus & numen cuncta videntis avi.* Valer. Flacc. V. 245. *Patriumque precatur numen.* BURMANNUS.

192. *Et natos pignora redde duos.*] Jam admonui in libris Triſtium ita legendum. CIOFANUS. *Pignora cara* duo ſcripti. Sed Auſonius videtur imitatus in Parentalibus:

Liquiſti natos, pignora noſtra, duos.

In aliis *tuos*, quod τῷ *noſtra pignora* videtur opponi: & profecto Seneca in Medea 478. *Tuorum* agnoſcere videtur:

Per ſpes tuorum liberûm & certum larem.

Niſi *duorum* illic legendum. HEINSIUS.

194. Fi-

Non ego te imploro contra taurosque virosque;
Utque tua ſerpens victa quieſcat ope.
Te peto, quem merui, quem nobis ipſe dediſti;
Cum quo ſum pariter facta parente parens.
Dos ubi ſit, quaeris: campo numeravimus illo,
Qui tibi, laturo vellus, arandus erat.
Aureus ille aries, villo ſpectabilis aureo,
Dos mea: Quam, dicam ſi tibi, redde; neges.
Dos mea, tu ſoſpes: dos eſt mea, Graja juventus.
I nunc, Siſyphias, improbe, confer opes.
Quod vivis; quod habes nuptam ſocerumque potentem;
Hoc ipſum, ingratus quod potes eſſe, meum eſt.
Quos equidem actutum! ſed quid praedicere poenam
Attinet? ingentes parturit ira minas.
Quo feret ira, ſequar. facti fortaſſe pigebit.
Et piget infido conſuluiſſe viro.
Viderit iſta Deus, qui nunc mea pectora verſat:
Neſcio quid certe mens mea majus agit.

EPI-

194. *Fidem dictis.*] *Pactis* malebat olim Heinſius: ſed perperam. Ter. Adel. v. 3. *Dictum inter nos fuit.* & ita Noſter ſaepe. vid. IV. Metam 95. male etiam Regius, *exiliumque refer.* Senec. Med. 482. *Redde ſupplici felix vicem.* BURMANNUS.

199. *Dos ubi ſit, quaeris.*] Forte, *Dos ubi ſi quaeras. Quaeras* enim Moreti. Epiſt. VII. 83.

Si quaeras ubi ſit formoſi mater Iuli. BURMAN.

199. *Campo numeravimus illo.*] *Numeramus in illo* ſcripti plerique. quod Gronovio lib. IV. Obſerv. 20. arridebat. quatuor, *numeremus in illo*, etiam recte. ſed tum ſequenti verſu ſcripſerim:

Qui tibi laturo vellus arandus erit. HEINSIUS.

203. *Dos mea tu ſoſpes.*] Cauſſa ab effectu non ſeparatur. CIOFANUS. Senec. Med. 489. *Hac dote nupſi; redde fugienti ſua. Dos mihi* hic Hafnienſis, & ſuperiori verſu Balliolenſis.

204. *I nunc Siſyphias, improbe, confer opes.*] Lego:

His nunc Siſyphias, improbe, confer opes.

His videlicet opibus. cum vulgatis tamen ſcripti faciunt. & poteſt utcunque ferri alterum, ut *his* ſubintelligatur. Sic apud Statium Saturnalib.

I nunc ſaecula compara, Vetuſtas,
Antiqui Jovis aureumque tempus. HEINSIUS.

Vid. ad Ep. XVII. 57. praeterea Francof. habebat, *I nunc Hypſeas*, cum gloſſa, *a matre Creuſae.*

207. *Quos equidem actutum.*] Malo, *Quos quidem ego actutum.* Met. III. 557.

Quem quidem ego actutum (modo vos abſiſtite) cogam,
Aſſumptumque patrem commentaque ſacra fateri. HEINSIUS.

208. *Parturit.*] Eleganter: ita apud Senec. Med. 25. *Parta jam, parta ultio eſt. Peperi*; ubi Gloſſa codicis Trajectenſis, *Peperi ſcilicet ultionem, quod per filios, quos peperi, me vindicavi.* BURMANNUS.

211. *Viderit iſta Deus.*] *Videris* Puteaneus. & tunc in ſequentibus reſcribe, *Qui nunc mea pectora verſas.* HEINSIUS. De uſu illo τοῦ *viderit.* vid. ad II. ex Pont. II. 11. & ad Petron. LXI. & LXXXVII.

212. *Agit.*] *Alit* reſcribebat Francius, ut reſpiciat τὸ *parturit.* ſic Terent. Andr. I. 5. *Aliquid monſtri alunt.* ſed nihil opus. Senec. Med. 46.

Tremenda coelo pariter ac terris mala
Mens intus agitat.

Paullo alio ſenſu Val. Flac. III. 392.

Hos variis mens ipſa modis agit.

Vide ad II. Art. 496. in Puteaneo a manu ſecunda, vero & octo aliis, erat, *agat.* BURMANNUS.

P. OVIDII NASONIS
EPISTOLA XIII.
LAODAMIA PROTESILAO.

MIttit, & optat amans, quo mittitur, ire, ſalutem,
Aemonis Aemonio Laodamia viro.
Aulide te fama eſt vento retinente morari.
Ah! me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant veſtris obſiſtere remis.
Illud erat ſaevis utile tempus aquis.
Oſcula plura viro, mandataque plura dediſſem:
Et ſunt quae volui dicere plura tibi.
Raptus es hinc praeceps: &, qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautae, non ego, ventus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.
Solvor ab amplexu, Proteſilaë, tuo;
Linguaque mandantis verba imperfecta relinquit;
Vix illud potuit dicere triſte Vale.
Incubuit Boreas, arreptaque vela tetendit;
Jamque meus longe Proteſilaus erat.

Dum

1. *Mittit & optat amans.*] Ordo verborum eſt, Amans Aemonis Laodamia mittit ſalutem viro Aemonio, & optat eo ire, quo mittitur ſalus, hoc eſt Epiſtola. verſus ſunt ſatis intricatae conſtructionis: & quae, niſi recepti ab omnibus forent, ſimiles ſuperioribus quibusdam cenſeri poterant, quoniam inter ſubdititios referuntur. Micyllus. *Mittitur ire ſalutem* editiones priſcae & Berſmanni, & ipſius Heinſii, mala diſtinctione. melius certe Aldus & Gryph. *Mittit, & optat amans quo mittitur ire, ſalutem.* ſed nos edidimus ex ſententia Micylli, quem non vidit, credo, Criſpinus, qui interpretatur, & *eam* (ſalutem) *cupit pervenire, quo mittitur.* ſimile illud Leandri Epiſt. XVIII.

Mittit Abydenus, quam mallet ferre, ſalutem.
Burmannus.

4. *Ah me.*] *A me* Puteaneus & octo alii. forte recte. ſupr. Epiſt. VIII. 110.

Quaque licet fugio, ſicut ab hoſte, virum.
Heinſius malebat, *at me.* Burmannus.

7. *Plura viro.*] *Meo* Aproſianus. ut ſaepe *meus, tuus*, & *ſuus* noſtro. vid. ad Remed. 492. & eandem varietatem infra notavit Heinſ. 1. Amor. V. 26. Burmannus.

8. *Dicere multa.*] *Plura* magna librorum pars, quod arridet, ut ſuperiorum ſit repetitio. Heins.

13. *Linguaque mandantis.*] Sic emenda; cum hactenus *mandatis* legeretur. Egnatius. Melius, quod in margine codicis a ſe collati aſcripſerat Gruterus, *Linguaque mandantis verba imperfecta reliquit.* Et quae fuerint mandata, poſtea exprimit:

Et facito ut dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me juſſit Laodamia ſibi.

Ceteraque, quae ibidem partim praecedunt, partim ſequuntur. Dan. Heinsius. *Mandantis* & *relinquit* multi ex ſcriptis. Sed caſtigatiores *mandatis.* Quare *mandatrix* eſt ut cenſeam eſſe corrigendum. Sequenti verſu *valui* pro *potui* Gronovianus. Heinsius.

14. *Potui.*] Lege ex quatuor ſcriptis, *potuit.* ſupr. XII. 56.

Et dixit tenui murmure lingua vale.
Vid. ſupr. X. 46. & 120. Burmannus.

15. *Incubuit Boreas.*] Pro quolibet vento propitio euntibus è Graecia in Phrygiam. Alioqui *Boreas* contrarius eſt. Ciofanus.

15. *Arreptaque.*] *Abreptaque* Puteaneus & alii praeſtantiores. Heinsius. Nihil muto. *Arrepta*, ſcilicet a vento. Val. Flac. 1. 645.

Quoties mox rapta videbo
Vela notis.

Et 621.

Vela ſuper tremulum ſubitus volitantia malum
Turbo rapit.

Ereptaque Junii, Douzae & Palat. *Adflataque* Baſil. Burmannus.

17. *Dum*

Dum potui ſpectare virum, ſpectare juvabat:
Sumque tuos oculos usque ſecuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
Vela diu vultus detinuere meos.
At poſtquam nec te, nec vela fugacia vidi;
Et quod ſpectarem, nil, niſi pontus, erat;
Lux quoque tecum abiit; tenebris exanguis obortis
Succiduo dicor procubuiſſe genu.
Vix ſocer Iphiclus, vix me grandaevus Acaſtus,
Vix mater gelida moeſta refecit aqua.
Officium fecere pium; ſed inutile nobis.
Indignor miſerae non licuiſſe mori.
Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
Pectora legitimus caſta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura eſt praebere capillos:
Nec libet auratâ corpora veſte tegi.
Ut quas pampinea tetigiſſe Bicorniger haſta
Creditur; huc illuc, quo furor egit, eo.
Conveniunt matres Phylleïdes, & mihi clamant,
Indue regales, Laodamia, ſinus.

Scili-

17. *Dum potui ſpectare &c.*] Similis prope locus eſt in Epiſtola Oenones:

Proſequor infelix oculis abeuntia vela.

CIOFANUS.

19. *Poteram tua vela videre.*] Francius volebat, *Poteram dum vela videre, Vela diu &c.*

23. *Lux quoque tecum abiit tenebriſque exanguis obortis Succiduo dicor procubuiſſe genu.*] Se propter viri in bellum Trojanum abitionem animo defeciſſe ait. Plautus in Curculione II. III. 30. *Tenebrae oboriuntur, genua media ſuccidunt.* CIOFANUS.

23. *Tenebriſque exſanguis obortis.*] *Tenebris* lege cum quibusdam ſcriptis. Cornelius Nepos vita Eumenis, *Antigonus tenebris obortis ignes conſpicatur.* HEINSIUS. I. Triſt. III. 91.

Illa dolore mei, tenebris narratur obortis
Semianimis media procubuiſſe domo.

25. *Vix me grandaevus Acaſtes, Vix mater gelida moeſta refecit aqua.*] Anadiploſis. Similis locus eſt ejuſdem Plauti ibidem: *Datin' iſti ſellam, ubi aſſidat citò, Et aqualem cum aqua.* CIOFANUS.

26. *Moeſta refecit.*] *Membra* Moreti & tres alii. ſed nihil opus. IV. Faſt. 609.

Haud ſecus indoluit, quam ſi modo rapta fuiſſet
Moeſta parens, longâ vixque refecta mora eſt.

BURMANNUS.

29. *Utque animus rediit.*] Alii aliter. ſed veram eſſe lectionem, quam Puteaneus praefert cum ſeptem aliis, *Ut rediit animus*, dictum Ep. VI. v. 31. HEINSIUS.

34. *Qua furor egit eo.*] *Quo furor egit* priſcae editiones & multi ex ſcriptis codices. ſic Epiſt. IX. 145.

— *Quo me furor egit amantem?*

Et Epiſt. XII. 211.

Quo feret ira, ſequar. HEINSIUS.

35. *Matres Phylaceides.*] *Phylaides* Puteaneus. Lege *Phylleïdes. Phyllus* enim Theſſaliae urbs non minus, quam *Phylace.* Stephanus Byzantius: Φυλλοῦς πόλις ἐν Θετταλίᾳ. Στράβων ἐννάτῃ, Ῥιανὸς δὲ Φύλλον θηλυκῶς λέγει ἐν ἐννάτῳ Θεσσαλικῶν·

Οἱ δ' ἄφαρ ὁπλισθέντες, ἵσαν κραναὴν ποτι Φύλλον·
Οἰκοῦντες, Φυλλεῖς.

Noſter libro III. Art. Am. 783.

Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleïa mater,
Solvere.

Ubi perperam Berſmannus *Phylaceia* contra veteres libros reponit. Noſtri certe omnes *Phylleïa*, praeter unum Ambroſianum, nec vetuſtum illum, in quo *Phylaccia.* Laodamiam autem illic intelligi non eſt dubium, quae comis praecipue conſpecta habebatur. Noſter III. Art. 138.

Sic erat ornatis Laodamia comis.

Pecoroſaque Phyllos Statio dicta Theb. IV. 45.

Aptior armentis Midea, pecoroſaque Phyllos.

Hinc *Phylleius juvenis* Noſtro. Met. XII. 479.

Nudaque Phyllei juvenis ferit oſſa ſariſſa.

Scilicet ipſa geram ſaturatas murice veſtes:
Bella ſub Iliacis moenibus ille gerat?
Ipſa comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipſa novas veſtes: dura vir arma ferat?
Qua poſſum, ſqualore tuos imitata labores
Dicar: & haec belli tempora triſtis agam.
Dux Pari Priamide, damno formoſe tuorum,
Tam ſis hoſtis iners, quam malus hoſpes eras.
Aut te Taenariae faciem culpaſſe maritae,
Aut illi vellem diſplicuiſſe tuam.

Tu,

Coeneus enim Theſſalus. Videtur & mons ejus nominis fuiſſe. Apollonius lib. I. 37.

Πειρεσίης ὄρες Φυλληΐου ἀγχόθι ναίων.

Ubi Scholiaſtes: Τὸ δὲ Φυλλεῖον ὄρος Μακεδονίας. *Phyllei* in Theſſaliâ montis etiam Hyginus meminit Fab. XIV. at codex Leidenſis *matres Phylotides*. ut *Phthiotides*. ſed id poſſe dici vix opinor. cur *Phylaceides* hic minus admitti debere cenſeam, facit quod primam in *Phylacides* Ovidius alibi plerumque producat, geminato *l.* à Φυλάκη, Φυλλακίδης, ut à Φυλύρη, Φυλλυρίδης. quamquam & *Phylacides* ferri poſſet. Phylacides Proteſilaus dictus à Phylaco avo ſuo Iphicli patre potius, quam oppido Phylaceo, in quo avus regnarat. *Phylacides* igitur Proteſilaus, *Phylleis* Laodamia. ſic Apollonius Rhodius libro I. Ἀλκιμέδην Φυλακηίδα dixit. erat enim Alcimede mater Jaſonis Iphicli ſoror, amita Proteſilai. Hic locus commodum me admonet alterius apud Statium inſigniter mendoſi, nunc ſimili opera corrigendi, qui Domitium & Domitio viros longe doctiores valde exercuit. Is eſt Sylvarum quinto, Epicedio Patris:

Si chelyn Odryſiam pigro transmiſit Averno
Cauſa minor: ſi Theſſalicis Admetus in oris,
Silva una retro Phylaceida rettulit umbram.

Sic priſcae editiones. Si una mutata litera pro *Silva* repones *Si lux*, habebis veram lectionem. Unus enim dies Proteſilao impetratus eſt, quo ad ſuperos rediret. Rem narrat in Dialogis mortuorum Lucianus. Hyginus Fab. CIII. & CIV. tres tantum horas conceſſas auctor eſt. Servius ad librum VI. Aeneid. ſolum mariti conſpectum a Laodamia flagitatum. unam noctem Auſonius Cupidine crucifixo:

Praereptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas vivi functique mariti.

Huc & alluſiſſe videtur Propertius lib. IV. El. VII.

At mihi non oculos quiſquam inclinavit euntes,
Unum impetraſſem te revocante diem.

Idem quoque Proteſilai ab inferis reverſi meminit lib. I. El. XIX. ſed ipſum Statium demus aſſertorem conjecturae noſtrae Genethliaco Lucani:

Adſis lucidus, & vocante Polla,
Unum quaeſo diem Deos
Exores. ſolet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.

Sed jam plus ſatis ſuper hoc loco. HEINSIUS.

37. *Murice veſtes.*] Baſileenſis *lanas*, & ita Gronovianus pro diverſa lectione. forte *laenas*. nam mox *veſtes* ſequitur iterum. BURMANNUS.

39. *Ipſa comas pectam, galea caput ille premetur? Ipſa novas veſtes, dura vir arma feret?*] Antitheta quàm pulcherrima ad ſummnm dolorem excitandum. CROFANUS. Alter membranaceus Moreti codex *pectar*. eleganti Graeciſmo. ſuperiora confirmant:

Nec mihi pectendos cura eſt praebere capillos.

Hoc enim ancillarum officium, quae *ornatrices* hinc dictae. lib. I. Art. 367. ſic *pexa comam Elegeïa* lib. III. Amor. El. I.

Venit odoratos Elegeïa pexa capillos.

Ita ſcribo. Nam vulgatum *nexa* ferri non poteſt, ut illic dicemus. Statius. II. Achilleid.

Ut Leo, materno cum raptus ab ubere mores
Accepit, pectique jubas hominemque vereri
Edidicit.

Premetur & mox *gerat* ſcripti nonnulli. HEINSIUS.

41. *Quo poſſum.*] *Qua* Puteaneus, Argentinus, & meus Mentelianus. Ep. Paridis:

Qua licet & poſſum, luctor celare furorem.

IV. Triſt. II. 57.

Haec ego ſubmotus, qua poſſum, mente videbo.

At Triſt. IV. El. X.

Triſtia, quo poſſum, carmine fata levo.

HEINSIUS.

43. *Dux Pari.*] Malè legitur hic textus, *Dux Pari*: neque enim convenit, ut irata & turbata *ducem* appellet Paridem. Et ex verbis Homeri lib. 3. Iliad. 39. apparet legendum eſſe *Dyſpari*. Dicit enim: Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, &c. id eſt, *ô male & infelix Pari, formam optimè*. Alludens igitur Poëta Ovidius ad illa verba Homeri, facit iratam Laodamiam loqui de Paride contumelioſe, ſic: *O Dyſpari*: id eſt, ô male & infelix Pari, nam δὺς apud Graecos in compoſitione *malum* aliquod ſignificat

Tu, qui pro rapta nimium, Menelaë, laboras,
Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris!
Dì, precor, à nobis omen removete siniſtrum:
Et ſua det reduci vir meus arma Jovi.
Sed timeo: quotiesque ſubit miſerabile bellum,
More nivis, lacrimae, ſole madentis, eunt.
Ilion & Tenedos, Simoïsque, & Xantus, & Ide,
Nomina ſunt ipſo pene timenda ſono.
Nec rapere auſurus, niſi ſe defendere poſſet,
Holpes erat: vires noverat ille ſuas.

Ve-

gnificat, vel difficultatem, vel impoſſibilitatem. ut exempli gratia: Τύχη ſignificat fortunam, δυσχίη verò infortunium. ἔργον ſignificat opus & officium, δύσεργον difficultatem. & εἶδος ſignificat formoſum, δυσειδὴς ſignificat deformem. Sunt plurima hujuſcemodi apud Graecos. Error autem facile natus eſt, vel ex ignoratione Graecarum literarum, vel quod ypſilon putatum fuerit eſſe *u* noſtrum, & *s* litera converſa ſit in *x*. Sed abſque dubio affirmaverim legendum *Dyſpari*. HUBERTIN. Ineptum & perridiculum eſt, quod opici quidam, & male initiati literis, *Duſpari*, ex Homerica Rhapſodia ſupponendum contendêre. EGNATIUS. Vide ſuper hoc verſu Annotationes Egnatii, qui ridet ineptias Hubertini, qui Homeri exemplo pro *Dux Pari*, Δύσπαρι legendum cenſuerit. quaſi Ovidius Graece hoc loco, quam Latine loqui maluerit. MICYLLUS. Codex Sarravii habet quoque *Diſpari*. ita in fragmento Alcmanis apud Urſin. p. 66.

Δύσπαρι καλόπαρι κακὸν Ἑλλαδι βωτιάφειρη.

HEINSIUS. Sic & in uno regio pro varia lectione, & in duabus editionibus Venetis deprehendi; & ita etiam Martinus Cruſius in Germano-Graecia lib. I. p. 17. corrigebat; & hodie eſſe ſcio, quibus non diſplicet. ſed ego tam docte & moleſte Ovidium vix ſcripſiſſe puto. & cum *Duces* paſſim a Poëtis dici Heroas & reges ſciam, retineo vulgatam. ita Valer. Flac. I. 101. *Turbam ducum* vocat Argonautas. & Stat. X. 356.

Per ducis erranies inſtar mihi numinis umbras.

Et Papinium ſaepius *Duces* Heroas, qui etiam *Reges* paſſim vocantur, nuncupaſſe notat. Barth. ad Stat. II. Theb. 202. & v. 687. & ipſe Ovidius Auguſtum & Tiberium hoc titulo inſignire non dubitat. vid. III. Art. 119. & 191. & Phaedrus II. Fab. 5. Tiberium *Ducem* vocat. vide & D. Heinſ. ad II. Faſt. 139. & nos ad Nucem. III. BURMAN.

43. *Tuorum.*] In Gronoviano erat pro varia lectione *virorum*. ut ad ſuum quoque virum, in quem Paridis noxa redundaverit, reſpiciat, & qui non ſolum Trojanis damna, ſed & Graecis intulerit. BURMANNUS.

49. *Removete.*] Palatinus unus & Regius *revocate*. ſic Pedo Albinovanus Fragmento de Navigatione Druſi:

Dii revocant, rerumque vetant cognoſcere finem
Mortales oculos.

Ita Remed. Am. 139.

Nec te lar patrius, ſed amor revocabit euntem.

Sic *irrevocabile iter*, Claudian. II. in Eutr. v. 403. vid. inf. ῾Yſ. 135. & II. Met. 596. HEINSIUS. *Revocate* etiam Douzae excerpta.

50. *Et ſua vir reduci det meus arma Jovi.*] Homerus lib. VII. Iliados ῾Yſ. 82. de Hectore, qui Ajacem interficere cupiebat:

Τεύχεα συλήσας, ὅσα ποτὶ Ἴλιον ἱρὴν,
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

Arma adimens feram ea ad Ilium ſacrum, & ſuſpendam ad templum Apollinis longe jaculantis. & infrà in hac ipſa Epiſt.

— Referas iſta face arma Jovi.

Vide & Horatium Epiſt. I. lib. I. Solebant milites, confecto bello, quae geſſerant arma ad Deos ſuſpendere. Ovid. lib. IV. Triſt. Eleg. IIX.

Miles ubi emeritus non eſt ſatis utilis annis
Ponit ad antiquos quae tulit arma lares.

CIOFANUS. *Ut ſua det*, Douzae excerpta. *Redux* autem Jupiter dicitur pro reducente, ut *fortuna redux*; nec haec per hypallagen explicari debent. ita Sabinus. Epiſt. I. 78. huc alludit. BURMAN.

51. *Sed timeo, quotieſque ſubit miſerabile bellum.*] Libri veteres praeter unum Vaticanum conſtanter, *Sed timeo quoties ſubiit*. Exiſtimo ſcribendum, *Sed timidae quoties ſubiit*, vel *timidam*. ut Faſt. II. 753.

Quoties pugnantis imago
Me ſubit. HEINSIUS.

Sed ſimpliciter *ſubire* etiam dixit infr. vers. 123. quare nihil muto. vide & ad Ep. XVIII. 62.

53. *Ida.*] *Ide* ſcripti plerique. Stat. IV. Ach. 252.

Illius ante oculos nova bella, & Xanthus & Ide.

Ut ex MSS. legendum. HEINSIUS. Vide ad II. Metam. 218.

54. *Timenda.*] *Tremenda* mallet Francius.

55. *Niſi*

Venerat (ut fama eſt) multo ſpectabilis auro,
Quique ſuo Phrygias corpore ferret opes.
Claſſe virisque potens, per quae fera bella geruntur:
Et ſequitur regni pars quotaquaeque ſui?
His ego te victam, conſors Ledaea gemellis,
Suſpicor: haec Danais poſſe nocere puto.
Hectora neſcio quem timeo. Paris Hectora dixit
Ferrea ſanguineà bella movere manu.
Hectora, quisquis is eſt, ſi ſum tibi cara, caveto.
Signatum memori pectore nomen habe.
Hunc ubi vitàris, alios vitare memento:
Et multos illic Hectoras eſſe puta.
Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me juſſit Laodamia ſibi.
Si cadere Argolico fas eſt ſub milite Trojam.
Te quoque non ullum vulnus habente, cadat.

Pugnet,

55. *Niſi ſe defendere poſſet.*] Tolle diſtinctionem. Heinsius. *Niſi eam* malebat Francius. vid. mox vers. 74. ego malim, *niſi ſi.*

59. *Per quae.*] Malim *per quos.* ut milites intelligantur. ſed vide Voſſii opus Grammaticum, libro de Conſtructione, cap. IV. Heinsius.

60. *Et ſequitur regni pars quota quemque ſui.*] Recte *quotacunque* Puteaneo pro diverſa lectione. Sarravianus *quotaquaeque*, vel *quotaquamque. quotaquaeque* etiam multi alii ex ſcriptis. lib. III. Art. 103.

Forma Dei munus. formâ quotaquaeque ſuperbit.
At Tibullus II. VII. 36.

Moverit è votis pars quotacunque deos.
Medicamine Faciei 31.

Eſt etiam placuiſſe ſibi quotacunque voluptas.
Sic ibi ſcribendum. Heinsius. *Quem ſequitur* etiam Francius conjiciebat. *quotaquaeque* vero recte. & legendum per interrogationem ita Quinctil. Decl. CCCXXXV. *Dum membra ſufficiunt, dum in officio vires ſunt. Quotamquamque partem habeo viventis?* Burmannus.

61. *Conſors Ledaea gemellis.*] *Ledaei* cenſeo caſtigandum. ut & initio Epiſtolae Paridis. Graecis enim patronymicis impenſe delectatur Noſter. Sic lib. I. Met. 504.

Nympha precor Penei mane.
Pro quo *Penea* in vulgatis libris legebatur. & ſimilia paſſim ita *Seſti puella.* Epiſt. XVIII. ut ibi ſcribo. Heinsius.

65. *Tibi cara.*] Poſſet & legi, *ſi ſum tibi cura*, ut millies Noſter. Deinde *Hectora, ſi quis is eſt*, Lovan. vid. ad I. Amor. XIII 39. Burmannus.

68. *Hectoras.*] Eodem modo Cicero dixit *Thucydidas.* Ciofanus. Suetonius Caeſar. cap. I. *Caeſari multos Marios ineſſe.*

69. *Et facito dicas.*] Gronovianus, *facito dicas*, pro *facito ut dicas.* venuſte. Heinsius Si haec praedicaret publice Proteſilaus, ut ignavus & ſegnis ab aliis jure argueretur. forte ſcripſerit, & *tacito*, vel *tacite*, *dicas.* ita *ſecum loqui*, & ſimilia obvia. ſi *tacito* pro *tacite* veteres dixiſſent, illud praeferrem. ita, *tacitoque in pectore dixi*, mox vers. 89. & I. Amor. 23. *tacita mente queri.* proferunt quidem Lexicographi ex Cicer. pro Quinct. 15. *Huic ne ferire quidem tacito obſcureque conceditur.* ſed alii ediderunt *tacite.* & II. Verr. 73. *Vos jam me tacito intelligetis.* ſed ibi eſt ablativus a *tacitus.* Burmannus.

69. *Pugnare parabis.*] *Bellare* Scriverianus. ut Epiſtola Briſeïdis 122.

Partaque bellando gloria dulcis erat.
Virgil. VIII. 400

Et nunc ſi bellare paras.
Frequens ea vox Livio & Statio, & etiam Ciceroni. ſic & *rebellare* Martial. IX. Ep. II. ubi perperam Cl. Scriverius *repugnas* jubet reponi, cum *rebellas* ex Palatino codice recte emendaſſet Gruterus. Claudianus III. de Laud. Stil. 12. *Pro te bellator ubique.* ubi male MSS. Delrii *pugnator.* Heinsius. Sic V. Met. 101.

Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat.
Ubi etiam codices quidam *pugnare.* & eadem diverſitas XIII. Met. 10.

Tutius eſt igitur fictis contendere verbis
Quam bellare manu.
Rebellare etiam Florus lib. II. 15. pro reſiſtere, repellere bellum, *Quis fuerit rebellantium furor.* & ibidem

Pugnet, & adverſos tendat Menelaus in hoſtes:
Ut rapiat Paridi, quam Paris ante ſibi.
Irruat; & cauſſa quem vincit, vincat & armis.
Hoſtibus è mediis nupta petenda viro eſt.
Cauſſa tua eſt diſpar. tu tantum vivere pugna,
Inque pios dominae poſſe redire ſinus.
Parcite, Dardanidae, de tot (precor) hoſtibus uni:
Ne meus ex illo corpore ſanguis eat.
Non eſt, quem deceat nudo concurrere ferro,
Saevaque in oppoſitos pectora ferre viros.
Fortius ille poteſt multo, quum pugnat amore.
Bella gerant alii; Proteſilaus amet.
Nunc fateor; volui revocare; animusque ferebat;
Subſtitit auſpicii lingua timore mali.
Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenſo limine ſigna dedit.

Ut

ibidem; *Seditque ſententia quoquo modo rebellandum.* & Noſter IX. Metam. 81.

Tauro mutatus membra rebello.

Ubi nihil mutandum. BURMANNUS.

72. *Cadat.*] Sic legendum: eſt autem optandi verbum. CIOFANUS. Lovanienſis etiam, *te quoque, ſed nullum vulnus habente.* non ineleganter, vid. Epiſt. XII. 116. Francius conjiciebat, *Te voveo nullum*, vel, *te modo non ullum.* BURMANNUS.

74. *Ut rapiat.*] Hic verſus cum ſequenti abſunt à Puteaneo & Lovanienſi ſunt tamen Ovidiani, ſi quid video, offendit fortaſſe delicatas aures τὸ *ſibi* pro *illi* poſitum. Atqui ſic ſolent optimae Latinitatis Auctores. Martial. lib. v. Epigr. 88.

Profecit poto Mithridates ſaepe veneno,
Toxica ne poſſent ſaeva nocere ſibi.

Vid. annotata Barth. in Rutilii Itinerarium libro I. Vſ. 290. Cicer. apud Non. in *apud. Cujus etiam focum Cato ille noſter, quum venerat ad ſe in Sabinos, viſere ſolebat.* Faſt. III. 656.

Et celebrant largo ſeque diemque mero. HEINS.

76. *Hoſtibus &c.*] Poſt hunc verſum in Oxonienſi haec legebantur:

Hoſtis & invadat thalamos Helenamque reducat,
Ictibus adverſis poſcat ſua munera fortis.

In alio Moreti:

Ictibus adverſis poſcat ſua munera fortis,
Hoſtibus è mediis nupta petenda viro eſt.

77. *Cauſa tua eſt diſpar.*] Scripſerat puto Ovidius, *Cauſa tuae diſpar.* nam Τὸ *eſt* abeſt à duobus ſcriptis. Epiſtola Acontii:

Non erit idcirco par tua cauſa meae. HEINSIUS.

Nihil muto. II. Triſt. 51.

Cauſſa mea eſt melior.

83. *Fortius ille poteſt, multo qui pugnat amore.*] *Cui pugnat* unus Vaticanus. *quam pugnat amare* Puteaneus. Scribe, *quum pugnat amore.* Pergit de Proteſilao loqui. Sequenti verſu, *Proteſilaos* Puteaneus. HEINSIUS. Recte Heinſius conſtituit. niſi forte legendum ſit:

Fortius ille facit multo, cum pugnat amore.

Fortiter facere, pugnare, ſunt locutiones tam in Martis, quam Veneris certamine uſitatae. vide ad Petron. cap. IX. *Multo* vero conjungendum cum *fortius. Multo fortius.* ita Lucan. II. 225.

Multoque coitur
Humani generis majore in praelia damno.

Ita *multo non minus.* Ep. XIX. 86. vid. ad Quinctil. X. I. BURMANNUS.

85. *Hunc fateor volui.*] *Nunc* ſcripti omnes. Met. XIII. 189.

Nunc equidem fateor (faſſoque ignoſcat Atrides)
Difficilem tenui ſub iniquo judice cauſam.

HEINSIUS.

86. *Subſtitit auſpicii lingua timore mali.*] *Sed ſtetit* quinque libri. Puto *Deſtitit*, ut dictum Epiſt. IV. initio, vers. 8. HEINSIUS. Nihil mutem. I. Faſt. 538.

Subſtitit in medios praeſcia lingua ſonos.

Epiſt. XV. 196.

Ingeniumque meis ſubſtitit omne malis.

I. Metam. 207.

Subſtitit ut clamor, preſſus gravitate regentis.

Scriverii codex habebat:

Sed ſtetit auſpiciis lingua retenta malis.

Quae lectio efficta videtur ex Epiſt. XI. 82.

Torpuerat gelido lingua retenta metu.

BURMANNUS.

Ut vidi, ut gemui; tacitoque in pectore dixi:
Signa reversuri sint, precor, ista viri.
Haec tibi nunc refero, ne sis animosus in armis:
Fac meus in ventos hic timor omnis eat.
Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
Qui primus Danaum Troada tangat humum.
Infelix, quae prima virum lugebit ademtum!
Di faciant, ne tu strenuus esse velis!
Inter mille rates tua sit millesima puppis,
Jamque fatigatas ultima verset aquas.
Hoc quoque praemoneo: de nave novissimus exi.
Non est, quo properes, terra paterna tibi.
Cum venies, remoque move veloque carinam;
Inque tuo celerem litore siste gradum.

Sive

89. *Ut vidi, ingemui.*] Sex scripti, *Ut vidi gemui.* unus Patavinus. *Et vidi & gemui*, Lege *Ut vidi, ut gemui.* vide Notas Epist. XII. Vs. 33. HEINSIUS.

90. *Reversuri.*] Palatinus unus *recursuri.* quod probavit Gebhardus ad Tibul. I. III. 20. & non immerito. de navigatione enim hoc verbum proprie & eleganter dicitur. & *reversuri* a glossatoris manu profectum est. Ep. VI. 19.

Abstrahor Hypsipyle sed (dent modo fata recursus)
Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero.

VI. Metam. 450.

Celeres spondere recursus.

Ubi male *regressus*, quidam. IX. 593.

Neque habent mea vela recursus.

XI. 454.

His ubi promissis spes est admota recursus.

BURMANNUS.

92. *Fac meus.*] In Vossii excerptis erat:

Irritus in ventos fac timor omnis eat.

93. *Sors quoque nescio quem fato designat iniquo, Qui primus Danaûm Troada tanget humum.*] Ausonius ex Graeco:

Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao:
Nam primus Danaûm bello obii Phrygio.
Audaci ingressus Sigeïa littora saltu,
Captus Pellaei Lertiadae insidiis.
Qui ne Trojanae premeret pede littora terrae,
Ipse super proprium desiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum jam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen cum pater imposuit.

Et:

Protesilaë tibi nomen sic fata dederunt,
Victima quod Trojae prima futurus eras.

Jampridem haec notaveram, & edideram in meis in Metamorphos. observationibus, quae hîc repetenda duxi. Huc etiam pertinet, quod scribit Hyginus in fabulis: cujus haec sunt cap. CIII. *Achivis fuit responsum, eum, qui primus littora Trojanorum attigisset, periturum. Cum Achivi classes applicuissent, ceteris cunctantibus, Iolaus, Iphicli & Diomedeae filius, primus è nave prosiluit, qui ab Hectore confestim est interfectus, quem cuncti appellarunt Protesilaum, quoniam primus ex omnibus perierat. Quod uxor Laodamia Acasti filia cum audisset eum periisse, petiit à Diis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato à Mercurio reductus tres horas cum eo collocuta est: quod, iterum cum obiisset Protesilaus, dolorem pati non potuit Laodomia.* CIOFANUS.

97. *Tua sit millesima.*] Ultima ex mille navibus, quae Trojam eunt, tua sit. Idque sequenti versu subdit: *Jamque fatigatas ultima verset aquas.* Quot autem fuerint, collegi lib. XII. Metamorphos. CIOFANUS.

104. *Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.*] Non concoquit haec vir, nescio quis, eruditus in supplemen. Actor. Lipsi. tom. VI. Sect. 2. p. 80. sed ut cum praecedentibus cohaererent, legit:

Tu mihi luce celer, tu mihi nocte veni.

Id est sine mora ad me veni, sive nocte veneris, sive die. sed quid tunc praecedentibus, & sequentibus faciet, quae docent ab his verbis, *sive latet Phoebus*, Laodamiam incipere narrare curas, quas absente marito agit, & cum mandata de itu & reditu absolvisset, nunc, ut maritum moveat ne ea negligat, inquietas noctes suas referre, & visa inominata; neque solum nocte se inquietari, sed etiam die, licet magis nocte, cum tamen noctes gratiores esse soleant puellis, quae maritos juxta se positos habent, sibi autem amarae sint, cum videat pallentem viri imaginem. praeterea eleganter & Latine dici vellem ostendisset, *luce & nocte celerem venire*, pro, ut alii, *continuatis itineribus*, vel *mansionibus*, & non sapere hanc correctionem vernaculum dicendi genus. Nos simpliciter capiamus,

Sive latet Phoebus, ſeu terris altior exſtat;
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, venis.
Nocte tamen, quam luce, magis. nox grata puellis:
Quarum ſuppoſitus colla lacertus habet.
Aucupor in lecto mendaces caelibe ſomnos.
Dum careo veris, gaudia falſa juvant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
Cur venit à verbis multa querela tuis?
Excutior ſomno; ſimulacraque noctis adoro,
Nulla caret fumo Theſſalis ara meo.
Tura damus, lacrimamque ſuper; qua ſparſa relucet,
Ut ſolet adfuſo ſurgere flamma mero.
Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,
Languida laetitiâ ſolvar ab ipſa meâ?

Quando

mus, ut idem fere Laodamia dicat, quod ipſe Naſo de ſe, lib. III. Triſt. III. 17.

Te loquor abſentem, te vox mea nominat unam,
Nulla venit ſine te nox mihi, nulla dies.

Deinde *celerem* modo praeceſſit, quae vox hic inconcinne repeteretur. BURMANNUS.

111. *Excutior.*] Tres *excitor* è. ut Epiſt. Ariad.

Nec languere dici patitur dolor, excitor illo.

Sed Faſt. I. 547.

Mane erat excuſſas ſomno Tirynthius heros.

Faſt. IV. 555.

Excutitur ſomno ſaltem pia mater.

Et lib. IX. Metam. 694.

Cum velut excuſſam ſomno & manifeſta videntem HEINSIUS.

113. *Tura damus lachrymaſque ſuper: quae ſparſa relucent.*] Videtur eſſe ἀσύντακτον. quamvis ferri poſſit, ut ad tus cum lachrymis referatur. Scaliger è ſuo codice annotarat: *Tura damus, lachrymamque ſuper, qui ora relucet.* E quo fortaſſe veram lectionem feceris:

Tura damus, lachrymaſque ſuper: queis ara relucet,
Ut ſolet affuſo ſurgere flamma mero.

DAN. HEINSIUS. *Lachrymamque* iidem. ſic δάκρυ pro δάκρυα ſaepe apud Poëtas Graecos. Deinde *quae ſparſa relucet* veteres omnes, praeter Puteaneum, in quo *quaeſa relucet*, & emendatum, *quis ara.* Lego, *qua ſparſa relucet*, flamma nimirum, quod ſequitur. *qua* ſubintellige lacryma. apud Lucanum lib. II. 30. & *lachrymis ſparſere Deos.* Stat. Lacrymis Etruſci:

Spargi lacrymis frigus amat.

Propert. lib IV El. III.

— *Lacrymis ſpargitur ara meis.*

Auctor Octaviae:

Tura cum ſuperis dares,
Sacraſque grato ſpargeres aras mero.

Horat. lib. II. Od. VI.

Debita ſparges lacryma favillam
Vatis amici.

Epiſtola Helenae 190.

Flamma recens parva ſparſa reſedit aqua.

Faſt. I. 359.

— *Noxae tibi deditus hoſtis*
Spargitur affuſo cornua, Bacche, mero.

Art. Am. I 233.

Vinaque cum bibulas ſparſere Cupidinis alas.

Mox 236.

Sed tamen & ſpargi pectus amore nocet.

HEINSIUS.

114. *Affuſo.*] *A fuſo* Douzae excerpta, & multi editi & ſcripti.

116. *Languida laetitia ſolvar ab ipſa mea.*] Male *triſtitia* quidam quamquam apud Maronem libro II. 26.

Ergo omnis longo ſe ſolvit Teucria luctu.

Et apud Tibull. lib. I. Eleg. VIII.

Bacchus & agricolae, magno confecta labore
Pectora triſtitiae diſſolüenda dedit.

Ubi tamen *laetitiae* legi omnino malim, neque aliter Muretus, & vetus exemplar Angeli Colotii apud Achillem Statium. ſic *mero ſolvi*, & *ſolvi gaudio.* contra *adſtricta dolore pectora* apud Noſtrum Artis Amatoriae lib. I. 361. Petronius cap CXXXVIII. *Aniculae, quamvis ſolutae mero eſſent ac libidine, eandem viam tentant. Solvi in luxuriam* Proſpero de vita contemplat. *Rebus proſpere geſtis reſolvi in nimiam felicitatem* Front Stateg. cap. IX. Minut. Felix, *Solvi luxu.* HEINSIUS Mihi vix latinum videtur, *ſolvi a laetitia*, pro *in laetitiam.* ſed *ſolvi mero & gaudio*, ut Petron. cap. XCI. *Solutum vultum gaudio*, quidem dici, ſed tunc ſubintelligi a dolore, vel ſimile quid debere puto. ſic Quinctil. Decl. CCCLII. Serm. *Solutos laetitia victoriae hoſtes*, id eſt ſolutius agentes, non ex diſciplina ſevera. alia quoque res eſt in Tibulli loco, quem egregie

Quando erit, ut lecto mecum bene junctus in uno
Militiae referas splendida facta tuae?
Quae mihi dum referes; quamvis audire juvabit;
Multa tamen capies oscula, multa dabis.
Semper in his apte narrantia verba resistunt.
Promtior est dulci lingua retenta mora.
Sed cum Troja subit, subeunt ventique fretumque;
Spes bona sollicito victa timore cadit.
Hoc quoque, quod venti prohibent exire carinas,
Me movet: invitis ire paratis aquis.
Quis velit in patriam vento prohibente reverti?
A patria pelago vela vetante datis.

Ipse

explicuit Broukhusius. quare ego *tristitia* praeferrem cum Francofurtensi, Gronovii & septem aliis. BURMANNUS.

119. *Juvabit.*] Codex Puteaneus a prima manu *juvant*. Lege *juvarit*. N & RI in eo codice saepe confunduntur. HEINSIUS. Sed *juvarit* ego minime admiserim pro *juverit*. vide quae notavi ad Petron. cap. XVI. *Quamvis* vero centies indicativo Noster & alii jungunt. ut supr. Epist. VII. 29. BURMANNUS.

120. *Multa tamen rapies oscula, multa dabis.*] Libri septem veteres, *capies*. optime, hoc est, accipies, quod respondet τῷ *dabis*, Epistola Sapphus:

Oscula cognosco, quae tu committere linguae,
Aptaque consueras accipere, apta dare.

Oscula non rapiuntur, nisi ab invitis. Art. Am. I. 667.

Tantum ne noceant teneris male rapta labellis,
Neve queri possit dura fuisse cave. HEINSIUS.

121. *Narrantis verba resistunt.*] *Narrantia* scripti potiores & priscae editiones; recte. sic Epist. XIX. 25. *Amantia lumina*. Fast. VI. 113. *Amantia verba*. Epist. XX. 34. *Precantia verba*. Epist. XIV. 13. *Morientia ora*. *Narranti* Moreti liber. HEINSIUS.

122. *Lingua referre mora.*] Margo Micylli, cum tribus nostris codicibus, *lingua retenta mora*, vid. supr. vers. 86. HEINSIUS. I. Am. VII. 20. *Pavido lingua retenta metu*. Francius malebat, *refecta mora*.

124. *Spes bona.*] Vid. Epist. IX. 42. CIOFANUS. Epist. XI. 61. *Spes bona dat vires*.

131. *Vetantes.*] *Sonantes* Sarravii. quatuor alii *tonantes*. quod elegans. ut Epist. XIX. 81. ubi vide, & modo praecessit *pelago vetante*. BURMANNUS.

133. *Turpis adultera.*] Famosa Helena: *Turpis* enim hoc loco ad mores, non ad faciem refertur, ut alibi quoque dixi. CIOFANUS. Recte Ciofanus. ad faciem retulimus, Epist. IV. 34.

134. *Vertite.*] *Flectite*, ut superius locutus est. CIOFANUS. Vid. ad Ep. X. 149.

135. *Sed quid ego revoco haec.*] Hanc lectionem mutat Hubertinus, legitque, *sed quid ago revocans*. nulla alia ratione, quam quod dicat pronomen *ego* posteriorem corripere. sed ego priorem lectionem ut puriorem retineo, & si quid in syllaba morae sit, id caesura defendi posse censeo. MYCILLUS. *Sed quid ego revoco haec? omen revocantis abesto*, vulgo editur, sed nusquam producit ultimam in *ego* Noster; ex elegia in Drusum v. 193. haec producuntur, *quid ego jam credulus inquit*. sed aliter ibi scripti: putavit id sibi licere Ausonius non uno loco, atque illum secuti. de quibus Voss. Art. Gram. lib. II. c. 27. sed & hic in alia omnia discedunt veteres libri, quorum nonnulli:

Sed quid ego revoco? laevum procul omen abesto.

Vel *revoco haec*. & *saevum omen*, vel *haec revoco*. alii:

Sed quid ago revocans? revocantis nomen abesto.

Vel, *omen*. vel, *omen revocantis*. alii aliter. Puto scribendum:

Sed quid ego hos revoco? revocaminis omen abesto.

Vel, *revocatibus*. nam unus Medicêus, *revocantibus omen abesto*. alterum tamen praefero. lib. I. Fast. 561.

Accipio revocamen ait.

Met. II. 596.

——*Tibi, ait, revocamina, corvus,*
Sint precor ista malo.

Libro Met. III. 566.

——*Irritaturque retenta*
Et crescit rabies, revocaminaque ipsa nocebant.

Ita vetustus liber. multus est in his vocibus Noster, si attendas. hinc *renovamen*, *remoramen*, *moderamen*, *solamen*, *oblectamen*, *irritamen*, *piamen*, *levamen*, *juvamen*, & infinita hujus generis. qualia & apud Lucretium passim occurrunt, ut *lateramen*, *duramen*, *clinamen*, *glomeramen*, aliaque. lib. IV. *frustramen*, quomodo ex optimo codice Vossiano scribendum:

Ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsi.

Geni-

Ipſe ſuam non praebet iter Neptunus ad urbem.
Quo ruitis? veſtras quisque redite domos.
Quo ruitis, Danaï? ventos audite vetantes.
Non ſubiti caſus, numinis iſta mora eſt.
Quid petitur tanto, niſi turpis adultera, bello?
Dum licet, Inachiae vertite vela rates.
Sed quid ego revoco haec? omen revocantis abeſto,
Blandaque compoſitas aura ſecundet aquas.
Troäſin invideo. quae ſi lacrimoſa ſuorum
Funera conſpicient, nec procul hoſtis erit;
Ipſa ſuis manibus forti nova nupta marito
Imponet galeam, barbaraque arma dabit.

Arma

Genimen viperarum, pro progenie apud veterem interpretem Matth. XXIII. ỳſ. 33. & Lucae III. ỳſ. 7. & *genimen vitis.* Matth. XXVI. 29. In Puteaneo codice eraſa erat vetus lectio, pro quâ repoſitum:

Sed quid ego revoco? revocantis & omen abeſto.

Jureti:

Sed quid ago revocans? omen revocantis abeſto.

Poſſet & legi:

Sed quid ego haec? (vel *hos?*) *laevum revocaminis omen abeſto.*

Ut abrupta ſit oratio, qualis & alibi occurrit. ut Epiſtola Medeae:

Quos quidem ego actutum.

Adi Notas Ep. XV. ỳſ. 267. & lib. IV. Faſt. v. 83. Viderint acutiores, ſi ſe felicius ex hoc loco expediant. HEINSIUS.

137. *Troadas invideo.*] Ellipticôs dictum puto, ut ſit ſenſus, invideo Troadas hac fortuna ſive forte uti, ut ſic lacrymoſa ſuorum funera praeſentes conſpiciant &c. alii ἀρχαϊσμὸν eſſe volunt: nam veteres verbum *invideo* cum accuſativo conſtruxiſſe, cujus rei & Fabium teſtem citant. Judicium ſit penes Lectorem. MICYLLUS. Cornelius Tacitus lib. I. *Ne hoſtes quidem ſepulturam invident.* CIOFANUS. Σολοικίζει haec vulgata lectio: nam nihil ad rem facit, quod ex Tacito adduxit Ciofanus lib. I. *Ne hoſtes quidem ſepulturam invident*, ubi *hoſtibus* ſubintelligendum. multo minus Plauti loca a Gebhardo annotata Bacch. Act. IV. Sc. IV. ỳſ. 33. *Bacchidem atque hanc ſuſpicabar &c.* & Moſtel. Act. I. Sc. III. 33. *Unum inſervire amantem.* ubi conſulendi interpretes. neque huc faciunt omnes illae locutiones, quas adducit Sciopp. Parad. pag. 29. *Nec ignoſcere aliquem.* ut Paſſer. ad Prop. p. 254. *Male loqui aliquem.* Salm. ad Hiſt. Aug. p. 132. & Caſaub. p. 109. *Nocere aliquem &c.* ſimilia. haec enim non in Naſonem conveniunt: Acciano aut Pacuviano aevo valuiſſet hac locutio, *Troadas invideo:* ex Accii enim Menalippe citat hunc verſum Cicero libri III. Tuſc. Quaeſt. 9. *Quiſnam florem liberûm invidit meûm.* ſed addit: *Male Latine videtur, ſed praeclare Accius: ut enim videre, ſic invidere florem rectius, quam flori; nos conſuetudine prohibemur. Poëta jus ſuum tenuit, & dixit audacius.* fruſtra ergo Grammatici recentiores tuentur hanc ſcripturam. nunc videamus codices manuſcriptos. *Troas invideo* Puteaneus. Unde Salmaſius, τῷ *in* geminato, feliciter, teſte Gronovio in Obſervationibus lib. III. c. 3. reponebat, *Troaſin invideo.* tertio caſu Graeco plurali. ſic & in Triſtibus idem lib. V. El. V.

Edidit haec mores illis heroïſin aequos.

Emendabat etiam vere. nam perperam vulgo *heroibus* legitur. ſic & Epiſtola Ariadnes. c. 37. ex veſtigiis veterrimi codicis forte reponendum:

Quis ſcit an & ſaevis trigriſin illa vacet?

Art. Amator. III. 672.

Lemniaſin gladios in mea fata dabo.

Sic corrigo ex veſtigiis veterum librorum; ubi plura. Paulinus ad Auſonium:

Cum ſteriles fundas non ad divina precatus,
Caſtaliſin ſupplex averſo numine Muſis.

Sic Paulinum opinor ſcripſiſſe. *Caſtalidis* nunc apud illum legitur, quanquam & vulgatum ferri poteſt. ſic apud Lactantium libro primo Inſlit. Divinar. *Puerum tribus virginibus Cecropidis commendavit.* niſi & *Cecropiſin* illic mavis. ſed *Tyndaridarum* Horatius. Auſonius *Mnemonidarum* dixit. de quibus adi Voſſium Analogiae libro II. cap. XV. Marcianus Capella libro III. *Dativus & Ablativus pluralis, ſi* is *fuerint terminati, producuntur, ut doctis. Si* bus, *corripiuntur, ut hominibus. At ſi Graeca ſit declinatio,* in *terminatur dativus, corripitur, ut Arcaſin.* Apud Propertium habes *Dryaſin, Hamadryaſin*, & ſimilia. *quae ſi lacrymoſa ſuorum* praeterea legendum cum Puteaneo Vulgati *ſic.* HEINSIUS. Vide Gronovii notas ad Tacit. I. Annal. c. 22. & quae nos ad Quinctil. IX. 3. notavimus. BURMANNUS.

Arma dabit: dumque arma dabit, ſimul oſcula ſumet,
(Hoc genus officii dulce duobus erit.)
Producetque virum; dabit & mandata reverti:
Et dicet: Referas iſta, face, arma Jovi.
Ille, ferens dominae mandata recentia ſecum,
Pugnabit caute, reſpicietque domum.
Exuet haec reduci clypeum, galeamque reſolvet,
Excipietque ſuo pectora laſſa ſinu.
Nos ſumus incertae: nos anxius omnia cogit,
Quae poſſunt fieri, facta putare timor.
Dum tamen arma geres diverſo miles in orbe,
Quae referat vultus eſt mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus: amplexus accipit illa meos.
Crede mihi; plus eſt, quam quod videatur, imago.
Adde ſonum cerae; Proteſilaus erit.
Hanc ſpecto, teneoque ſinu, pro conjuge vero:
Et tamquam poſſit verba referre, queror.
Per reditus, corpusque tuum, mea numina, juro;
Perque pares animi conjugiique faces.
Perque, quod ut videam canis albere capillis,
Quod tecum poſſis ipſe referre, caput;
Me tibi venturam comitem, quocumque vocaris:
Sive, (quod heu timeo!) ſive ſuperſtes eris.

Ultima

43. *Producetque.*] *Educetque* eſt in editione prima. ſed perperam. neque etiam recte Ant. Volſcus, & ut ſolet, peſſimas fere interpretationes ſequens. Criſpinus explicat, *longa mora detinebit; retardabit.* quod quin *producere* aliquando notet, nullum eſt dubium; ſed tunc fraudis fere ſignificationem habet: hic, eſt honoris cauſſa comitabitur, & proſequetur extra domum; ut recte Hubertinus. Valer. Flac. v. 382.

Ad ſua Caucaſeae producunt flumina Nymphae.

Et VI. 528.

qualis roſeis it Lucifer alis,
Quem Venus illuſtri gaudet producere coelo.

Ter. Adel. III. IV. 39. *Oh! quem egomet produxi.* vid. Barth. ad Stat. II. Th. 313. BURMANNUS.

147. *Exuet & reduci.*] *Haec reduci* Puteaneus. mox *pectora laſſa*, non *corpora*, quatuor ſcripti. HEINSIUS.

147. *Clypeum galeamque.*] Multi codices & editiones quaedam, *galeam clypeumque.* ſed rectius *galeam* cum τῷ *reſolvent* proximo loco jungunt: illa enim aperiebatur & claudebatur. Stat. VIII. 163.

Qui fletus galeis cecidere ſolutis.

Hinc Antigone Fratri ſuo armato apud eumdem. lib. XI. 372.

Saltem ora truceſque
Solve genas, liceat vultus fortaſſe ſupremum
Noſcere dilectos.

Et hinc apud Claudian. II. Ruf. 258. legendum: *Galeaſque ſolutas Humectat lacrimis.* & Bell. Gildon. 24. *Laxata caſſide prodit canitiem* BURMANNUS.

151. *Dum tamen arma geris.*] *Geres* Puteaneus & ſeptem alii. quidam *geras.* HEINSIUS.

152. *Quae referat vultus, eſt mihi cera, tuos.*] Hyginus Fab. CIV. *Laodamia Acaſti filia, amiſſo conjuge, cum tres horas conſumſiſſet, quas a diis petierat, fletum & dolorem pati non potuit. Itaque fecit ſimulacrum cereum ſimile Proteſilai conjugis, & in thalamis poſuit, ſub ſimulatione ſacrorum, & eum colere coepit.* ita ſcribe. perperam *ſimulacrum aereum* nunc illic circumfertur. Joſephus Iſcanus ſive Devonius de bello Trojano libro V. qui ſub Daretis Phrygii nomine circumfertur:

Haemonis abſentem ſuſpirat moeſta maritum,
Et non ſenſuros vultus premit, oſcula figens
Cerae, difficilesque deos in vota fatigans.

Male

Ultima mandato claudetur epiſtola parvo;
Si tibi cura mei, ſit tibi cura tui.

Male & illic legebatur, *oſcula figens cerea.* niſi mavis, *oſcula fingens cerea Fingere* pro mulcere. de quo verbo ubertim ad Acontii Epiſtolam dicemus, & Metamorph. IV. Fabula Thisbes. HEINSIUS. Ita Admetus apud Euripidem Alceſt. 348.

Σοφὴ δὲ χερὶ τεκτόνων δέμας τὸ σὸν
Ἰκάσθεν, ἐν λέκτροισιν ἐκταθήσεται.
Docta vero manu artificum tuum corpus
Aſſimulatum in lecto collocabitur. &c.

BURMANNUS.

152. *Vultus tuos.*] Tuam effigiem, imaginem. lib. I. Triſt. Eleg. VI.

Si quis habes noſtris ſimiles in imagine vultus.

CIOFANUS.

155. *Plus eſt, quam quod videatur imago.*] Puto, *quam quo videatur. quo* pro *ut.* HEINSIUS.

156. *Adde ſonum.*] Venuſte Anacreon. Od. XXVIII. & XXIX. vide Flayderi Analecta. p. 337. & ſeqq. HEINSIUS.

157. *Hanc ſpecto.*] Francius malebat, *hunc.*

158. *Et tamquam poſſit.*] Malo reſcribi:

Huic, tamquam poſſit verba referre, queror.

HEINSIUS.

161. *Perque quod ut.*] Excerpta Gallicana; *perque quod videam.* forte, *perque quod ô videam.* Epiſt. Deïanirae:

Virque (ſed ô poſſis) & puer Hylle vale.

Vid. ad Epiſt. I. 101. HEINSIUS.

162. *Quod tecum poſſit.*] Lego, *O tecum poſſis*, vel, *Huc.* Nam Voſſianus, *Ut tecum.* dixi Epiſt. I. vſ. 101. HEINSIUS. Τὸ *ipſe* non vacat hic. quia virorum, qui bello ceciderunt, cadavera in patriam ab aliis ſolebant referri; ut notiſſimum: Laodamia vero vovet, ut ipſe ſalvus referat caput. BURMANNUS.

164. *Sive (quod heu timeo).*] Ἀποσιώπησις aptiſſima, ne ex mortis mentione infauſtum omen fiat. vid. Victor. & Corrad. ad Cicer. VIII. ad Att. 23. BURMANNUS.

166. *Sit tibi cura mei, ſit tibi cura tui.*] Sic in omnibus. Ego libenter legerem:

Si tibi cura mei, ſit tibi cura tui. NAUGERIUS.

Si utroque loco pro *ſit* Puteaneus. ſcribe:

Si tibi cura mei, ſit tibi cura tui.

Atque ita Regius unus cum uno Medicêo. HEINS.

EPISTOLA XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

Mittit Hypermneſtra de tot modo fratribus uni,
Cetera nuptarum crimine turba jacet,
Clauſa domo teneor, gravibusque coërcita vinclis.
Eſt mihi ſupplicii cauſſa, fuiſſe piam.
Quod manus extimuit jugulo demittere ferrum,
Sum rea; laudarer, ſi ſcelus auſa forem.

Eſſe

1. *Mittit Hypermneſtra de tot modo fratribus uni, Cetera nuptarum crimine turba jacet.*] Apollodorus lib. II. Ἀντὴ δὲ (de Hypermneſtra loquitur) Λυγκέα δίεσωσε πάρθενον αὐτὴν φυλάξαντα. & mox, Δαναὸς δὲ ὕςερον Ὑπερμνήςραν Λυγκεῖ συνῴκικησε. Ex quibus locis manifeſtum eſt *Lynceum*, non *Linum* vocari eum, ad quem ſcribit Hypermneſtra. CIOFAN. codex Strozzae *Hypermneſtre.* ut & infra vers. 53. & ita in Epigrammate inedito, inter ſchedas Heinſii:

DE AEGYPTO ET DANAO
Perfida nox Danai, dirarum caede ſororum
Mitis Hypermneſtre, perfida nox Danai.

Sed & ſimilia nomina licet in *a* exeant, ultimam ſaepe producunt apud Noſtrum. ut *Leda, Phaedra, Hybla, &c.* quarum multa utroque modo efferuntur. *Electra* apud Propert. II. XI. 5. BURM.

3. *Domo.*] *Domi* meus Chartaceus. HEINSIUS. *Durisque coërcita* vinclis etiam Gronovianus & tres alii. ſic *durae catenae.* I. Am. VI. 47.

4. *Eſt mihi ſupplicii cauſa fuiſſe piam.*] Si elegantias capio Naſonianas, ſcripſerat ille, *fuiſſe piae.* ſic alibi:

——*Vobis immunibus hujus*
Eſſe mali dabitur.

Et alia ejuſdem notae. de quibus paulo poſt plura dicentur. & ad Eleg. de Nuce. V. 107. HEINSIUS.

5. *Demittere ferrum.*] Scripti *dimittere.* HEINS. Sed mea ſententia rectius eſt *demittere*; ferrum enim in jugulum deſcendens, & vulnus inferens rectius

Eſſe ream praeſtat, quam ſic placuiſſe parenti.
Non piget immunes caedis habere manus.
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat;
Quaeque aderant ſacris, tendat in ora faces;
Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, enſe;
Ut qua non cecidit vir nece, nupta cadam:
Non tamen, ut dicant morientia, Poenitet, ora,
Efficiet; non es, quam piget eſſe piam.
Poeniteat ſceleris Danaum, ſaevasque ſorores.
Hic ſolet eventus facta nefanda ſequi.

Cor

rectius *demitti*, quam *dimitti* dicitur. ſi ex manibus mitteretur, *dimitti* dicendum foret; eadem vero varietas in omnibus fere locis Poëtarum, ubi haec locutio occurrit, deprehenditur. vid. IV. Metam. 119. BURMANNUS.

7. *Eſſe ream praeſtat.*] Ex Aeſchyli Promet. 864. adumbratum:

Δυοῖν δὲ θάτερὸν βουλήσεται
Κλύειν ἀνάλκες μᾶλλον, ἢ μιαίφονος. BURM.

9. *Quem non violavimus.*] Non *faces* ab Ovidio pro igne intelligi ſubſequens verſus ſegniſſimum quemque admonere poterat, ſed eum *ignem*, quem cum aqua à nova nupta tangi moris erat. Plutarchus in Problematibus, & alii: nam & quinque faces adhibebantur, quemadmodum panis cum aqua in eiſdem nuptiis. Dionyſius Alicarnaſſeus. EGNATIUS. Hunc locum longius quidam referunt, videlicet ut de eo igne accipiatur, quem nova nupta cum aqua, ex more nuptiali, tangere ſolebat. de qua re Plutarchus in Problematibus meminit. ſed ego haec non ita anxie perquirenda exiſtimo, ignemque nuptialem ſimpliciter intelligo, ut ſint παραλλήλως dicta, *ignis* & *faces*. de quibus in ſequenti verſu dicitur. Quae figura Poëtis familiariſſima eſt. MICYLLUS. Ignis enim adhibebatur ad nuptias, non tantùm propter faces, quae ferebantur, ut tradit Catullus in epithal. ſed etiam quia nupta jubebatur ignem & aquam tangere, teſte Plutarcho in Problematis Romanis, ipſo initio. CIOFANUS.

12. *Cadat.*] *Cadam* meliores. HEINSIUS.

13. *Ut dicant morientia, Poenitet, ora.*] Francius volebat, *ut dicam morienti poenitet ore.* non omnibus horis ſenſus Poëticus adeſt. vid. ad Epiſtolam X. 46.

14. *Non eſt quam piget eſſe piam.*] Scripti ſex, *non ſum.* lego *non es.* vide notas ad Epiſt. X. ŷſ. 75. HEINSIUS. In Leidenſi erat, *Cui piget*, etiam eleganter. non es cui, id eſt in cujus gratiam, cujus cauſſa, piget me eſſe piam. BURMAN.

17. *Admonitu.*] Codex Junii *attonitu.* ut ſup. Epiſt. IX. 135. idem codex, *mens fugit attonitu.*

18. *Praepedit oſſa tremor.*] Sic noſtri conſtanter. Naugerius *orſa* malit ex ſuis. quod & Chriſtiano Daumio ſe probabat; perperam *concutit* quatuor libri. ut Epiſtola Briſeïdis 82.

Hic mihi vae miſerae concutit oſſa metus.

Noſter, Epiſt. V. 28.

— — *Geliduſque cucurrit,*
Ut mihi narraſti, dura per oſſa tremor.

Quae ex illis Virgilianis lib. VI. 54. eſt imitatus:

—— *Gelidus Teucris per dura cucurrit*
Oſſa tremor.

Senec. Oedipo:

Et oſſa & artus gelidus invaſit tremor.

Statius Theb. V.

Talia cernenti mihi quantus in oſſibus horror.

Claudian. lib. III. Rapt. 152.

Ignis vibrat tremor oſſa medullis.

Silius V. 391.

——— *Geliduſque ſub oſſa*
Pervaſit miſeris conſpectus Conſulis horror.

Male etiam Gebhardus conatur mutare *praepedit* in *praecipit.* lib. I. Crepund. I. ſic & Plaut. Caſin. III. ŷſ. 25. *Timor praepedit dicta linguae.* & ŷſ. 59. *Timor praepedit verba.* vid. Taubman. Noſter I. Triſt. III. 42.

Singultu medios praepediente ſonos.

Ut ibi è MSS. legendum. HEINSIUS. Si *oſſa* retinendum, intelligenda certe digitorum oſſa & articuli, quibus calamum tenebat; ſed an recte hoc dicatur dubito; & melius puto *orſa dextrae*, id eſt cogitata, nunc ſcribenda per dextram, quae modo inceperat chartae committere. ut in Plauti loco, *dicta praepedire. Orſa* vox Valerio Flacco & aliis familiaris. BURMANNUS.

19. *Quam tu caede putes fungi potuiſſe mariti.*] *Marito* Puteaneus. Lege *caede maritâ.* hic *tori mariti* pro maritales. Epiſtola Phyllidis, *faces maritae* Canaces. & Propertio III. Eleg. XIX. & IV. Eleg. III. *Marita fides.* Medeae *ſacra marita.* & *Venus marita* Paridis Epiſtola. Seneca Agamemnone. vers. 258.

Palam maritam poſſidens pellex domum.

Sic ſcribe. Vetus codex Medicêus *marita.* Vulgo *mariti.* apud Livium quoque *maritas domos* eſt invenire.

Cor pavet admonitu temeratae ſanguine noctis;
Et ſubitus dextrae praepedit orſa tremor.
Quam tu caede putes fungi potuiſſe mariti,
Scribere de facta non ſibi caede timet.
Sed tamen experiar. Modo facta crepuſcula terris;
Ultima pars lucis, primaque noctis erat:
Ducimur Inachides magni ſub tecta Tyranni;
Et ſocer armatas accipit aede nurus.
Undique collucent praecinctae lampades auro.
Dantur in invitos impia tura focos.

Vulgus,

venire. libro XXVII. de Philippo rege Macedonum, *Vagabatur enim cum uno atque altero comite per maritas domos dies noctesque.* Cenſorinus de Die Natali. cap. III. *Nonnulli binos Genios, in iis duntaxat domibus, quae eſſent maritae, colendos putaverunt.* Idem Hercule Oetaeo:

——*Quas, mater, in latebras agar,*
Ubique per te nota! ſed patriam petam,
Lareſque miſeros: Argos Euryſtheus tenet.
Marita Thebae regna & Iſmenon petam?

Ita totus locus optime in eodem Medicêo libro legitur, niſi quod ſcribendum, *Marita Thebas regna*, vel *Theben.* idem Octavia:

Odioque noſtri flagrat, & pretium ſtupri
Juſtae maritum conjugis captat caput.

Ubi nihil neceſſe *poſcit* reponi. ſic & *foedus maritum* Noſtro Pont. III. El. I. & Statio Theb. XII. quomodo & *nexus mariti foederis* Gunthero Ligurini libro X. ipſo initio. Statius Epithalamio Stellae:

— *Quam ſegnis votis Aurora maritis!*

Et ita *furta marita* Theb. X. ut utroque loco arbitror reponendum idem *maritos ignes* Theb VII. dixit. *Legem maritam* Horatius ſaeculari carmine. *Anates maritae* Auſonio Epiſt. X. *Arbores maritae* Plinio & Columellae. *ulmus marita* Catullo. *Dos marita* Plauto:

——*Fluctu premit arva marito*
Nilus.

Apud Avienum deſcriptione orbis. Plura de hac voce obſervabamus ad Claudianum Bello Gild. ỳſ. 407. HEINSIUS. Non recepimus tamen contra ſcriptos Heinſii correctionem; quia periculoſum eſt ſequi conjecturas, ubi aliter ratio & ſenſus conſtat.

21. *Facta crepuſcula terris.*] *Crepuſculum* eſt tempus illud, cùm noctescere incipit. Errant autem, & quidem turpiter, qui exiſtimant *crepuſculum* etiam eſſe dubiam illam lucem, antequam dieſcat: cùm apud priſcos & probatos auctores ſolum illud tempus ſub veſperam eſſe perpetuo reperiatur: *Diluculum* verò ſub auroram. CIOFANUS.

22. *Ultima pars noctis, primaque lucis erat.*] Prorſus malè ita in quibusdam impreſſis libris nunc legitur. Veram lectionem agnoſcunt duo interpretes, quae eſt in lib. Statii: *Ultima pars lucis, primaque noctis erat*, id eſt, crepuſculum, quod dixit ſuperiore hemiſtichio; tunc enim illam cladem, de qua hic agitur, factam eſſe fabulis proditum eſt. CIOFANUS. *Ultima pars noctis, primaque lucis erat* Puteaneus & ſex alii. recte. In multam enim noctem protractâ coenâ, ſub exortum lucis ſponſos cum novis nuptis in thalamum vult ductos. Haec poſt coenam facta hic deſcribuntur. *Crepuſculum* etiam de matutino tempore dixit Avienus in Prognoſt. p. 113. Ed. Grot.

At decedentis poſtrema crepuſcula noctis.

Vide Servium ad Aeneid. II. 268. qui fallitur, dum verſum Statii Theb. I. ỳſ. 344. pro Lucani citat. vid. ibi Scholiaſtem. HEINSIUS. Protractum convivium ad inſtantem auroram, apparet ex vers. 71. ſed haec narratio a veſpera inchoatas nuptias poteſt continere, & perducere ad auroram. vide vers. 33. & hoc, *modo facta crepuſcula* volunt, quae de veſpertino crepuſculo debent capi. nam deductionem in domum incipit narrare, quae ſub veſperam fiebat. ideo praetuli Ciofani lectionem. BURMANNUS.

23. *Pelaſgi.*] Quis ille magnus *Pelaſgus?* Danaum vel Ægyptum certe Pelaſgos fuiſſe non legi. & Danaum non recte Pelaſgum dici poſſe puto, licet ita Heinſius ad lib. II. Art. 421. ſed ex Aegypto veniſſe narratur, & cum Populi illi antea Pelaſgi vocarentur, *Danaos* poſtea a ſuo nomine dictos habuiſſe; quare non abſurda Regii & quatuor aliorum codicum lectio, qui *Tyranni* habent, ut paſſim Noſter ita Reges vocat. ſic I. Metam. 218.

Arcados hinc ſedes, & inhoſpita tecta Tyranni
Ingredior, traherent cum ſera crepuſcula noctem.

Sic & lib. I. Metam. 170. in nonnullis codicibus exſtat:

Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta Tyranni.

Vulgo *Tonantis.* alii capiunt de domo antiqui Regis, qui olim Argis imperaverat; vel ipſius Inachi, vel Pelaſgi ejus filii, vid. Illuſt. Spanh. ad Callim.

Vulgus, Hymen, Hymenaee, vocant: fugit ille vocantes.
Ipſa Jovis conjux ceſſit ab urbe ſua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas,
In thalamos laeti, thalamos, ſua buſta, feruntur:
Strataque corporibus, funere digna, premunt.
Jamque, cibo, vinoque graves, ſomnoque, jacebant;
Securumque quies alta per Argos erat:
Circum me gemitus morientum audire videbar:
Et tamen audibam; quodque verebar, erat.

Sanguis

Hym. in Pallad. 4. quod ſi admittamus, nihil erit movendum. Burmannus.

24. *Accipit ipſe nurus.*] *Ille* complures libri. Unus Ambroſianus *aede* quo & Jureti excerpta alludunt, in quibus *inde* eadem diverſitas VI. Faſt. 570. Heinsius.

26. *Invitos.*] *In antiquos* Barbarinus. non male. Heinsius. Imo perperam. advenerat enim modo Danaus. ideoque antiqui illi foci vix dici poſſunt. ita & I. Triſt. III. 44. quidam codices *antiquos focos* exhibent. hîc vero, ſequentia de Junone quae fugiebat, confirmant *invitos focos.* niſi quis iterum *antiquos focos*, Regis priſci Pelaſgi capiat, vel ipſius olim Inachi. Nam Ovidius Argis hanc caedem accidiſſe tradit, ut mox videbimus. Burm.

27. *Vulgus Hymen Hymenaee vocat.*] *Hymenaea* hic & Epiſt. XII. 143. ſcripti fere omnes, excepto Puteaneo a manu prima. ſed perperam, quem tamen errorem erravit Marcianus Capella initio libri IX.

Jam facibus laſſos ſpectans marcentibus ignes,
Inſtaurare jubet tunc Hymenaea Venus.

Niſi locus eſt mendoſus, quales infiniti apud illum, & ſcribendum forte *Te Hymenaee*, quod verum arbitror: quis enim credat hominem, ſermonis Graeci minime imperitum, tam graviter erraſſe. at Guntherum decepere depravati codices Naſonis, apud quem libro V. Ligurini:

——— *Sed adhuc Hymenaea, ſacroque,*
Carmina digna toro, ſolenni curia plauſu,
Et felix omen votivaque feſta canebat.

Eleganter autem hic fit mentio Hymenaei, quia ille cantus his nuptiis primum inventus, teſte Hygino. Fab. 273. Heinsius.

28. *Ipſa Jovis conjux ceſſit ab urbe ſua.*] Nam etiam Juno vocabatur ad nuptias: unde & pronuba Juno dicta eſt. Urbem autem Junonis vocat Argos. Crofanus.

28. *Urbe ſua.*] Sequitur illos auctores Naſo, qui hoc Argis factum eſſe narrant, vid. Hygin. Fab. 168. & Scholiaſt. Aeſchyli Prom. 852. ſed Libanius in narrationibus ab Allatio editis cap. XXII. dicit Danaum poſt hoc perpetratum facinus fugiſſe, & in Peloponneſum advectum, potitum Argivo regno. Burmannus.

29. *Clamore frequentes.*] Neſcio an ſana haec ſint, & an Latine dicatur, *frequentes clamore comitum.* Hubertinus exponit, denſati & circumdati. ſed exempla talis locutionis deſidero. nam quod legitur VI. Metam. 165. *Comitum Niobe celeberrima turba*, hoc recte poſſet explicari. Vlitium hic quoque haeſiſſe, apparet, quia illum voluiſſe refingere, *comitum clamore frequenti*, notavit Heinſius. in Gronoviano erat *clamore frementes.* in uno Heinſii *comiti.* forte *comitum clamore ſequente*, vel *fremente.* ſed & *frequenti*, ut Vlitius volebat, admitti poteſt. ut repetitionem Hymenaei indicet. ſic Epiſt. XII. 143. *Et Hymen clamant, Hymenaee frequentant.* ita Amor. I. VII. 37.

Quaeque tuos currus comitatur turba, frequenter
Clamet.

Ut correximus. Burmannus.

32. *Strataque corporibus.*] In uno Moreti, *funera.* in Baſileenſi, *funeribus corpore digna.* forte:

Strataque funeribus corpore dicta premunt.

Premunt corpore ſtrata, quae dicta & deſtinata erant eorum funeribus. Burmannus.

36. *Et tamen audieram.*] *Audibam* Puteaneus. & ſequenti verſu *relinquit*, quomodo & alii nonnulli. lego praeterea, *quodque vererer erat.* infra, *Quod metuas non eſt.* Heinsius. In Oxonienſi erat *auditu.* in Lovanienſi uno *auditus.* in altero *auditum eſt.* in Scriveriano *auditum.* quod ultimum praeferendum puto. licet *audibam* defendi aliorum verborum exemplo poſſet. vid. Voſſium de Analogia lib. III. cap. XXXIV. ſupra tamen dixit. Epiſt. IX. 119. *Haec tamen audieram.* hic vero corrigit prius dicta; *audire videbar*, immo erat *auditum* ſine dubio, quod verebar. Burmannus.

39. *Utque levi Zephyro graciles vibrantur ariſtae.*] *Ut leni Zephyro* Puteaneus cum ſeptem aliis. quomodo Amor. I. lib. I. El. VII. idem codex, & alii nonnulli:

Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo.

Art. Amat. lib. III. 693.

Lenibus

Sanguis abit; mentemque calor, corpusque, relinquit:
Inque novo jacui frigida facta toro.
Ut leni Zephyro fragiles vibrantur ariſtae;
Frigida populeas ut quatit aura comas;
Aut ſic, aut etiam tremui magis. ipſe jacebas,
Quaeque tibi dederant vina, ſoporis erant.
Excuſſere metum violenti juſſa parentis;
Erigor; & capio tela tremente manu.
Non ego falſa loquar. ter acutum ſuſtulit enſem,
Ter male ſublato recidit enſe manus.

[Admovi

Lenibus impulſae Zephyris, auraque ſalubri,
Tot generum frondes herbaque ſumma tremit.

Comparationem autem mutuatus eſt ab Homero Iliad. β. 147.

Ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
Λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπὶ τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν.

Niſi quod λάβρον hic Zephyrum, Noſter *lenem* vocat. niſi melius *tenui*, ut alibi *tenues ventos* dixit. Hoc primum. Deinde *fragiles ariſtae* Junianus & mens Mentelii. quae lectio etiam arridet, etſi locus Ovidii ex amoribus jam adductus alteram ſcripturam tueri videatur. ſed & illic *fragilis arundo*, forte ponendum. Calpurnius Ecloga VI.

Ungula quae viridi ſic exultavit in arvo,
Tangeret ut fragiles, ſed non curvaret ariſtas.

Priſcianus de Ponderibus:

Ducitur argento tenuive ex aere chylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo.

Avienus Fab. XVI.

In fragiles calamos grande reſedit onus.

Idem *culmos fragiles* dixit Fab. XXI. *fragilis myrtus*, Horat. III. Od. 23. *fragiles calami*, Virg. I. Georg. & *fragiles rami*, Eclog. VII. *fragiles myricae* Noſter III. Art. 691. *Coryli fragiles.* X. Met. 93. *gracilem* tamen *arundinem* Seneca Hippolyto. Praeterea pro *vibrantur ariſtae.* tres ſcripti *agitantur.* Quomodo Art. Am. lib. I. 553.

Horruit, ut ſteriles, agitat quas ventus, ariſtae.

Sed cur *ſteriles ariſtas* ibi dicat, haud video. quare *teretes* exiſtimo reponendum. in Euangelio Matthaei cap. XI. ϒſ. 7. & Lucae cap. VII. ϒſ. 24. habes, Κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον, *arundinem vento agitatam*, ita vetus interpres vertit. apud Lucianum in Hermotimo: Κάλαμος πρὸς πᾶν τὸ πνέν σαλευόμενος. HEINS. *Agitantur* multo mihi magis arridet. Horat. I. Od. IX. *Nec cupreſſi, nec veteres agitantur orni.* II. Od. 10. *Saepius ventis agitatur ingens Pinus.* ubi puto legendum *ſaevius.* non enim *ſaepius* Pinus agitatur alia arbore, ſed *ſaevius*, quia altior, & plerumque in montibus, qui inde paſſim piniferi Poëtis dicuntur, & ideo magis expoſita ventis. ita contra Pallad. XII. tit. 5. *Ventis clementer agitari.* corrigendus hinc quoque Lucan. III. 411.

Non ullis frondem praebentibus auris.

Ubi Barth. ad Stat. VI. 89. ex MSS. ſuo, in quo *equitantibus*, legit *quatientibus*; ſed lege, *frondes agitantibus* Horat. Epod. XV.

Intonſoque agitaret Apollinis aura capillos.

Noſter VII. Metam. 587. *Agitata Ilex.* & hinc Metaphorice Silius VIII. 293. *Ventis agitarat iniquis*, cujus gloſſa eſt *jactarat. Leni* vero recte repoſitum. ſic Virg. I. Georg. III. 198.

Tum ſegetes altae campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris.

Quinctil. X. 7. *Ad portum navis, niſi lenibus ventis vecta, accedere non poteſt.* Caeſ. IV. de B. G. 28. ex *portu leni vento ſolverunt.* V. 8. *Leni Africo profectus.* ubi etiam *levi* Gottorph. Cod. vide Gron. ad Senec. Oed. 49. BURMANNUS.

42. *Quaeque tibi dederant*] Non damnarem hanc lectionem, niſi libri meliores magno numero *dederam* agnoſcerent. HEINSIUS. In prima editione eſt:

Vinaque quae dederant, ſigna ſoporis erant.

Forte:

Vinaque quae dederant, vina ſoporis erant.

Dederant vero non mutarem, eſt enim pro *data erant* a quocumque; & mali ominis eſſet, ſi a ſe data eſſe diceret. ita ſolet Noſter indefinite loqui. I. Metam. 132.

Vela dabant ventis.

Vid. Gronov. ad Senec. II. de Ira. 12. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 4. n. 39. & nos ad Quinctil. II. 16. BURMANNUS.

45. *Falſa loquor.*] *Loquar* Puteaneus & Gronovianus. inf. Epiſt. XVI. 60. *Vera loquar.* IV. Faſt. 326. *Scenâ teſtificata loquar.* HEINS. VII. Met. 549. tamen, *mira loquor* ſed III. Amor. II. 60. *Pace loquar Veneris.* ubi ſimilis varietas. ut & alibi ſaepe. BURM.

45. *Ter acutum ſuſtulit enſem, Ter male, &c.*] Videtur hoc obſervaſſe, hoc *ter* poſitum, ubi fruſtra aliquid tentatum eſt. In Epiſt. ad Hippolytum: *Ter tecum conata loqui, ter inutilis haeſit Lingua, ter in primo deſtitit ore ſonus.* Virg. lib. II. Aeneid.

[Admovi jugulo; ſine me tibi vera fateri;
Admovi jugulo tela paterna tuo.]
Sed timor & pietas crudelibus obſtitit auſis:
Caſtaque mandatum dextra refugit opus.
Purpureos laniata ſinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba ſono:
Saevus, Hypermneſtra, pater eſt tibi. juſſa parentis
Effice. germanis ſit comes iſte ſuis.
Femina ſum, & virgo; natura mitis, & annis.
Non faciunt molles ad fera tela manus.

Quin

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra compreſſa manus effugit imago.

Et Homerus Iliad. Σ. non longè ab initio de Hectore, qui ter tentavit Patrocli cadaver arripere raptandum: Τρὶς μὲν μιν μετόπισσε ποδῶν λάβε φαίδιμος Ἕκτωρ. CIOFANUS.

46. *Decidit enſe manus.*] *Concidit* ex ſcriptis non pauci. unus Patavinus *cecidit*. Puteaneus mendoſe *tetendit*. Emenda *recidit*. Eſt enim ambigua prima ſyllaba, ut Giphanius in Indice Lucretiano jam monuit. Remed. Am. 611

Recidit, ut cupidos inter devenit amantes.

Sic veterrimus codex Regius, niſi quod in illo *Reccidit*, quomodo paſſim vetuſtiores libri conſtanter, tam apud Noſtrum quam alios ſcriptores, ut & in *rettulit*. Metam. lib VI. 212.

——*Voſque eſt poſtponere natis*
Auſa ſuis; & me (quod in ipſam recidat) orbam
Dixit.

Lib. x. de 18. Orco.

In quem recidimus quidquid mortale creamur.

Et mox 180.

Recidit in ſolidam longo poſt tempore terram
Pondus.

Sic loca illa in praeſtantiſſimis codicibus ſcribuntur. quomodo & ille Epiſtola Acontii:

Reciderint humero pallia lapſa meo.

Propert. IV. Eleg. IX.

Recidit inque ſuos menſa ſupina pedes.

Ita codices ſcripti. Juvenal. Sat. XII. 54.

——*Tunc adverſis urgentibus illuc*
Recidit.

Rutilius Itiner. ſed diverſa nonnihil ſignificatione:

Quae lepidum toties recidit enſe malum.

Niſi quod illic *reſcidit* a *reſcindo* videtur debere corrigi. Auſonius Parentalibus:

——*Regnum cum Victorinus haberet*
Victor, & in Tetricos recidit imperium.

Plura ad Claudianum de bello Gildon. 44. de hoc verbo. HEINSIUS. Vid. Inf. I. Amor. VII. 62.

47. *At rurſus monitis juſſuque coacta parentis Admovi &c.*] Aliter, & forte aliquanto elegantius, hic locus in MSS. quo uſus fuerat vel Scaliger, vel quicunque fuit, qui Scaligeri codicem cum MSS. contulerat, legebatur:

Admovi jugulo: ſine me tibi vera fateri:
Admovi jugulo tela paterna tuo.
Sed timor & pietas crudelibus, &c.

DAN. HEINSIUS. Longe aliam lectionem Puteaneus liber cum aliis quibuſdam hic exhibet:

Admovi jugulo (ſine me tibi vera fateri:)
Admovi jugulo tela paterna tuo.

Lincoln. ex uno duo hic faciebat diſticha:

Admovi jugulo, ſine me tibi vera fateri,
Mente ſequi dira juſſa paterna volens.
Tandem victa mei ſaeva formidine patris,
Audeo per jugulum tela movere tuum,

Neuter ſatisfacit. Expungendum totum diſtichon puto, utpote confictum à ſciolo, qui ſuperiora cum ſequentibus arbitrabatur non cohaerere. Cohaerebunt autem optime, ſi pro *Sed* reponas *Et*.

Et timor & pietas crudelibus obſtitit auſis.

HEINSIUS.

55. *Sum, & virgo.*] Quinque libri τὸ & non agnoſcunt. venuſte. HEINSIUS. Sed ego retinendam copulam puto, ut Epiſt. VII. 121. *Bellis peregrina & femina tentor.* Quinct. Decl. CCCXXXVIII. *Femina es, & anus.* BURMANNUS.

60. *Dominae.*] Moreti, *domini ſui.* & poſſet de Danao capi, qui tradiderat enſem. ſupr. vers. 11.

61. *Quid meruere necem.*] *Quo* Puteaneus. bene. Alii codices *Haud*, *An*, & *Non*. Valer. Flacc. I. 519.

Quo Minyae meruere queri?

Ita ſcribo: nam vetus codex *quod*. vulgati *quid*. Prudent. Cathem. Hym. XII.

Quo profuit tantum nefas.

Ita vetuſtiſſimus liber. Virgil. I. 150.

Quo molem hanc immanis equi ſtatuere?

Idem XII. 879.

Quo vitam dedit aeternam? HEINSIUS.

62. *Quae tamen externis danda forent generis.*] Praeter morem Ovidianum eſt, ut in triſyllabum exeat pentameter. cujus exempla aliquot ſunt in ultimo ejus poëmatum tomo. ſed nulla, quod ſciam, in hoc primo, niſi hoc, & Epiſt. XIX. 204.

quae

Quin age, dumque jacet, fortes imitare sorores.
Credibile est caesos omnibus esse viros.
Si manus haec aliquam posset committere caedem,
Morte foret dominae sanguinolenta suae.
Quo meruere necem, patruelia regna tenendo,
Quae tamen externis danda forent generis?
Finge viros meruisse mori: quid fecimus ipsae?
Quo mihi commisso non licet esse piae?
Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellae?
Aptior est digitis lana colusque meis.

Haec

quae Ovidio a multis abjudicatur. sed corruptum esse ostendunt variae lectiones. in Puteaneo erasus totus, qui prius legebatur, versus, & ille suppositus, qui nunc legitur. in Gronoviano est: *Quae tamen externis regna tenenda forent.* in Moreti & duobus aliis: *Quae tamen externis accipienda forent.* quod non displicet, & vocem *generis* a glossatore adscriptum esse puto. qui illud Virgilii in animo habebat lib. VII. 98.

Externi veniunt generi.

Francius volebat, *externis danda fuere viris.* vel, *Externis generis quae modo danda forent.* BURMANNUS.

64. *Quo mihi commisso non licet esse piam.*] *Esse piae* Puteaneus. optime. alterum minus elegans, & quo perquam rari optimae latinitatis scriptores usi sint. Caesar lib. VI. Bell. Gall. 35. *Quid vos hanc miseram, ac tenuem sectamini praedam, quibus licet esse fortunatissimis.* initio lib. III. Bell. Civil. quoque scribendum videtur: *Is enim erat annus, quo illi per leges consuli esse licebat*, non *consulem.* Auctor belli Hispanici: *Petiit ab oppidanis, ut ei liceret legato ad Caesarem proficisci.* Mox: *Ne cui extra vallum liceret exire, nisi discincto.* ita utroque loco codex vetus Lovanienſis, quo sum usus. Horatius Sat. II. lib. I. ut in veterrimis libris legitur, *Munifico esse licet.* & Sat. I.

—— *Atqui licet esse beatis.*

Propert. lib. II. Eleg. X. ubi *tuum* nunc perperam legitur:

Solus ero, quoniam non licet esse tuo.

Lucan. lib. III.

Numquam tibi, Magne, per umbras
Perque meos manes genero non esse licebit.

Ita vetustiores scripti. Silius lib. IX.

Amisere ictus spatium, nec morte peracta
Artatis cecidisse licet.

Claudian. lib. II. in Eutr. v. 18.

Ut liceat reliquis securo vivere membris.

Quomodo scribendum illinc monui. apud Maronem tamen lib. X. constanter libri veteres, *liceat superesse nepotes*, qui & libro X.

Hanc genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse Deas.

Sed Claud. lib. I. in Rufin. *Natura beatis Omnibus esse dedit.* Silius lib. VII.

Si lucis piget, & supremis esse cupido est.

Florus lib. III. cap. 12. *Nescio an satius fuerit Populo Romano Sicilia & Africa contento esse.* Martial. lib. VI. 43.

Et satis est, pigro si licet esse mihi.

Lib. XI. 8.

Penelopae licet esse tibi sub principe Nerva.

Lib. IX. 12.

Nobis non licet esse tam disertis.

Lib. X. 10.

Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?

Noster ipse Met. VIII. 406.

—— *Licet eminus esse*
Fortibus.

Elegia de Nuce, *tutae non licet esse mihi.* quomodo illic ex fide veterum membranarum castigavi. Amor. lib. I. El. VI. loco in vulgatis insigniter depravato:

Redde vicem meritis. grato licet esse, quid obstas?

Trist. III. El. XI.

In causa facili cuivis licet esse diserto.

Perperam *disertum* plerique ex scriptis. El. XIV.

Urbe tamen natis exulis esse licet.

Seneca Hercule Oetaeo, ex Medicêo codice:

Quodcunque tellus genuit infesta, occidit
Meaque fusum est dextera. iratis Deis
Non licuit esse.

Juvenalis Sat. X. 304.

—— *Non licet esse viris.*

Ita enim & illic libri veteres. Sulpicius Severus Sacrae Hist. lib. II. *Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis, Christiano esse non licebat.* sic & ibi censeo reponendum. & apud Apulej. Apolog. non longè ab initio: *Praeterea licere etiam Philosophis esse vultu liberali*, non *Philosophos*, quod nunc circumfertur, exempla plura passim occurrunt. sic *contigit esse Jovis nepoti.* Met. XI. 219.

—— *Si quidem Jovis esse nepoti*
Contigit haud uni, conjux Dea contigit uni.

Haec ego: dumque queror, lacrimae ſua verba ſequuntur,
Deque meis oculis in tua membra cadunt.
Dum petis amplexus, ſopitaque brachia jactas;
Pene manus telo ſaucia facta tua eſt.
Jamque patrem, famulosque patris, lucemque timebam.
Expulerunt ſomnos haec mea dicta tuos:
Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus:
Nox tibi, ni properas, iſta perennis erit.
Territus exſurgis: fugit omnis inertia ſomni.
Adſpicis in timida fortia tela manu.
Quaerenti cauſſam, Dum nox ſinit, effuge, dixi.
Dum nox atra ſinit, tu fugis: ipſa moror.

Mane

Quomodo vetuſtiſſimus codex. *ſatis eſt eſſe Jovi*, Met. III. 283.

Nec tamen eſſe Jovi ſatis eſt, det pignus amoris.

Nam ita illic etiam codex antiquus. quare & lib. XIII. 319. lubens poſuerim:

—— *Non haec ſententia tantum*
Fida, ſed & felix; cum ſit ſatis eſſe fideli.

Sed hoc dubie. quomodo apud Silium XVI.

Satis eſt huic eſſe priori.

Tutius reponas apud Senecam Oedipo:

Unica Oedipodae eſt ſalus,
Non eſſe ſalvo.

Et apud Auſonium Idyll. XXXI.

Eſſe ſimul dominis, gratior ordo piis.

Lucret. lib. V.

Quidve mali fuerit nobis non eſſe creatis?

Horatius lib. I. Sat. IV. 38.

Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe poëtis,
Excipiam numero.

Sic ſcribe. neque aliter citatur ab antiquo Scholiaſte ad lib. I. Sat. VI. 24. ejusdem libri ad illa:

—— *Quo tibi, Tulli,*
Sumere depoſitum clavum, fierique tribuno?

Lib. I. Ep. XVI. 61.

Da mihi fallere, da juſto ſanctoque videri.

Arte Poëtica 372. idem Horatius:

—— *Mediocribus eſſe Poëtis*
Non di, non homines, non conceſſere columnae.

Vide quae ad Nucem noto. V. 107. HEINSIUS.

65. *Quid bellica tela puellae.*] *Quo* Puteaneus & Argentinus. recte. dixi Epiſtola II. ℣. 53. HEINSIUS.

69. *Dum petis amplexum.*] Puto *amplexu.* ut Met. VI. 604.

Oraque develat miſerae pudibunda ſororis;
Amplexuque petit.

Ita enim illic vetuſti codices. Epiſtola Leandri; *Excipis amplexu.* HEINSIUS. Lucanus VIII. 723.

Tenet ille ducem complexibus arctis.

Vide quae nos ad Petronii cap. LXXXVI. notavimus. ita in fragmento Coelii apud Quinctil. lib. IV. 2. *Proximae cujusque collum amplexu petebat.* BURMANNUS.

72. *Expulerant ſomnos.*] *Expulerunt* Puteaneus. probe. Vide Notas ad Epiſt. VII. ℣. 165. HEINS.

73. *Surge age, Belide, &c.*] Simile argumentum perſecutus eſt Horatius Ode XI. lib III. Carminum. CIOFANUS.

73. *De tot modò fratribus unus.*] Hoc fere hemiſtichium infrà poſiturus eſt CIOFANUS.

74. *Nox tibi, ni properes, iſta perennis erit.*] Simile illi Catullino:

Nox eſt perpetua una dormienda.

Et Horatius:

Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Urget? CIOFANUS.

74. *Ni properes.*] *Ni properas* meliores. HEINS.

76. *In timida.*] *In tremula* Gronovianus

79. *Mane erat: & Danaus.*] Malim, *at Danaus.* pro *in caede* ſcripti fere omnes, *ex caede.* HEINS.

82. *Et queritur factum ſanguinis eſſe parum.*] *Facti* praeſtantiores omnes & ita Gronov. ad Liv. XXXII. 37. *Facere ſanguinem*, ut *facere caedem*, apud Livium. Cicero lib. I. Ep. XIV. ad Atticum: *Nihil a domeſticis vulneris factum ſit.* Seneca ex optimis membranis, Medea v. 993. *Nil adhuc facti reor*, non *factum.* Metam. IX.

Ecquid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
Credar.

Sic apud Lucan. lib. III. 450.

Utque ſatis caeſi nemoris, quaeſita per agros
Plauſtra ferunt.

Senec.

Mane erat: & Danaus generos ex caede jacentes
Dinumerat. Summae criminis unus abes.
Fert male cognatae jacturam mortis in uno;
Et queritur facti sanguinis esse parum.
Abstrahor a patriis pedibus; raptamque capillis
(Haec meruit pietas praemia) carcer habet.
Scilicet ex illo Junonia permanet ira;
Quo bos ex homine est, ex bove facta Dea.
At satis est poenae teneram mugisse puellam:
Nec, modo formosam, posse placere Jovi.
Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis non sua vidit aquis:

Cona-

Senec. Hercule Oetaeo. v. 860.

Quidquid in mortem trahit
Teli abunde est.

Ita scribo, non *telum*. Phaedrus lib. III. 46.

— *Unde feciſti tantum corporis?*

Hoc est unde tam obesus factus es? HEINSIUS. Livius libr. II. cap. 30. *Plusque ibi sanguinis, promiscua omnium caede, quam in ipsa dimicatione factum.* & lib. IX. c. 13. *Romanos ira eadem, quae per mediam aciem hostium tulerat; & in castra pertulit. Ibique plus, quam in acie, sanguinis ac caedis factum.* libr. XXXV. 51. *Bello ita commisso, ut strictos gladios, aut sanguinem usquam factum audiissent.* ita Graeci πράσσειν αἷμα. Euripid. Orest. II. 39.

Κακῆς γυναικὸς, ὕνεχ' αἷμ' ἐπράξαμεν.

Haec satis, spero, evincent, non opus esse cum viro Erudito in Supplem. Actor. Lipsi. tom. VI. sect. II. p. 80. legere, *fusum sanguinis esse parum.* offendetne statim, si quid rarius dictum sit, & a vulgo remotum? ita imperitissimo cuique elegantiae Latinae amplior erat odiosam Criticam exercendi facultas, quam vere eruditis. sed haec nunc suffician. BURMANNUS.

83. *Abstrahor a patriis manibus.*] Ad hunc locum primo notam adscripserat Scaliger τοῦ ΛΕΙΠΕΙ. Deinde haec verba, XXVI. *versiculi alieni sunt huic loco.* Quorum primus est, *Scilicet ex illo Junonia permanet ira*, postremus, *Autor? dant anni quod querar ecce mei.* Quem sequitur iste, *Bella pater patruusque gerunt.* Ad quem iterum idem magnus vir notaverat, *Hi* VIII. *versus alieni huic loco sunt.* ab eo nempe, quem postremo dixi, ad eum, *En ego quod vivis.* Ceterum, ut nobis plane stat, narrationem de Ione, alicunde huc translatam, ita non video, cur non octo isti versus, cum iis, qui narrationem praecedunt, commode conjungi possint. Hoc modo nimirum:

Abstrahor a patriis manibus, raptamque capillis,
(Haec meruit pietas praemia) carcer habet.
Bella pater patruusque gerunt: regnoque domoque
Pellimur, ejectas ultimus orbis habet.

DAN. HEINSIUS. Scaliger versus triginta quatuor huic loco alienos & alio referendos censebat. sed frustra. Nihil enim iis convenientius aut aptius. Quod ut magis liqueat, adeantur Aeschyli Ἱκέτιδες similis omnino argumenti, ubi & tota haec Iüs fabula recensetur. Danaus nempe Argorum Rex Hypermnestrae pater ab Ione & Epapho originem trahebat. HEINSIUS.

83. *A patriis manibus.*] *Pedibus* iidem. Fast. II. 832.

Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.

Sed Scriverianus & Hafnienſis cum Erfurtano *laribus.* sic Remediis Amoris 237.

Nec te lar patrius, sed amor revocabit amicae.

Symmachus Ausonio: *Uno tantum lapsu (fas sit dicere) amica vindicatio claudicavit, quod remunerandum me de audacia polliceris, ubi ad patrium larem veneris. Laris exul aviti*, apud Prudent. lib. II. in Symmach. sic & *Patrii penates* passim. Lucan. lib. I. *Pellimur è patriis laribus.* & mox:

Haud patrii, dubiae dum vota saluti
Conciperent, tenuere lares.

Vid. Epist. XVIII. 56. atque ita passim auctores. Ita & Horat. Epod. XVI. 19.

Agros atque lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit.

86. *Ex bove facta Dea.*] Regius *de bove.* ita Just. VII. 2. *Captivum de rege facturi videbantur.* Flor. II. 6. *Libertate donati fecerant de servitute Romanos.* & mox, *mediam jam de Italia Africam facerent.* Juven. VII. 197.

Si Fortuna volet, fies de Rhetore Consul.

Vid. infr. I. Amor. X. 8. BURMANNUS.

87. *Ah satis est.*] Praestantiores, *At*, inf. Epist. XVIII. 141. HEINSIUS.

87. *Mugisse.*] *Mugire* Gronovianus, quod non displicet, quia sequitur *posse.* BURMANNUS.

89. *Adstitit.*] *Constitit* Gronovianus.

91. *Et*

Conatoque queri mugitus edidit ore:
Territaque eſt forma, territa voce ſua.
Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?
Quid numeras factos ad nova membra pedes?
Illa Jovis magni pellex, metuenda ſorori,
Fronde levas nimiam ceſpitibusque famem.
Fonte bibis, ſpectasque tuam ſtupefacta figuram:
Et te ne feriant, quae geris, arma, times.
Quaeque modo, ut poſſis etiam Jove digna videri,
Dives eras; nudâ nuda recumbis humo.
Per mare, per terras, cognataque flumina curris;
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quae tibi cauſſa fugae? quid Iö freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipſa tuos.

Inachi,

91. *Et conata queri.*] Puteaneus. *Conata eloqui.* unus Regius, *Conatoque queri*, quod verum eſt. ſic & Met. I. 637. in hac eadem fabula eſt peccatum, ubi ſimiliter ex antiquis libris ſcribendum:

Conatoque queri mugitus edidit ore.

Oſcitantia librariorum loco corrumpendo utrique cauſam haud dubie dedit, qui Τὸ *que* geminare neglexerant, ut ſaepe alibi. Sic Epiſtola Helenae, ℣ſ. 194.

In non exhibitis utraque juncta thoris,

Vulgo nunc legitur; & differunt inter ſe membranae. Liber optimus, *utraque juſta.* Scribe, *utraque queſta.* Sic & Faſtorum lib. I. 287.

Jane face aeternos pacem paciſque ſequeſtrum.

Quomodo Naſonem ſcripſiſſe vix dubito. at nunc *paciſque miniſtrum* circumferunt codices vulgati. Vide notas ſequenti Epiſtola ℣ſ. 49. & ad Epiſt. XVI. 75. HEINSIUS.

93. *Quid fugis infelix? quid te miraris in unda?*] *Quid furis?* libri plerique: quo verbo deſignat οἰςρηλασίαν Iûs à Poëtis tantopere decantatam. de fuga mox agitur. *in umbra* etiam Puteaneus. cum altero Moreti. recte. Nam de unda jam dixerat. HEINS.

95. *Ipſa Jovis magni pellex.*] *Illa* Puteaneus & quinque alii; venuſte. ſic & ſequenti Epiſtola ſcribendum videtur:

Cui colar infelix, aut cui placuiſſe laborem?
Ille mei cultûs unicus auctor abes.

Ubi *abeſt* nunc legitur. Statius lib. I. Sylv.

—— *At nunc aeterna ſilentia lethes*
Ille canorus habes.

Ubi forte *obis* reponendum. Met. XIII. 608.

—— *Ille igitur tantorum victor, Achille,*
Victus es à timido Grajae raptore maritae?

Senec. Hippolyto:

Silvarum incola
Ille efferatus, caſtus, intactus, rudis
Mihi te reſervas.

Amor. lib. III. El. VI.

Ille fluens dives ſeptena per oſtia Nilus.

Eleg. IX.

Ille tui vates operis, tua fama Tibullus.

Et Eleg. X.

Ille locus nemorum canebat frugibus Ide.

Art. Amat. lib. II.

Ille fatigatae vincendo monſtra novercae,
Qui meruit coelum, quod prior ipſe tulit.

Amor. lib. III. El. IX.

Carminibus confide bonis: jacet ille Tibullus.

Ita veterrimus codex. ſic & *Ille ego*, paſſim. Martianus Capella lib. V. *Pleonaſmus eſt plus neceſſarium* (leg. *neceſſario*) *cum verba quaedam dicimus, non enuntiandae rei neceſſaria, ſed magnitudinis aemulandae, ut ſi dicas: Antonius ille, cum ſuffecerit nomen dixiſſe, ad amplitudinem adjicimus Ille.* Vide Notas Triſt. V. Eleg. VII. ad Claudianum quoque nonnihil jam dixi. HEINS. Vide Manut. ad Cicer. V. ad Fam. 12. & nos ad Valer. Flac. VIII. 16. & ad Petron. CXXVI.

96. *Fronde levas.*] Huc pertinet verſus Calvi antiqui Poëtae in Iö, quem citat Servius ad Virgil. VI. Eclog. 47.

Ah virgo infelix herbis paſceris amaris.

Ex quo eodem Poëmate Servius. ad Eclog. VIII. 4. citat:

Sol quoque perpetuos meminit requieſcere curſus.

De fronde pro pabulo data bubus, vid. ad Phaedr. II. 8. BURMANNUS.

97. *Spectaſque tuam.*] Codex Douzae, *Spectaſque novam*, quod illi non diſplicebat, propter illa libri I. Metaph.

Novaque ut conſpexit in unda
Cornua, pertimuit?

Sed praeceſſit modo, *nova membra.*

98. *Et ne te feriant.*] *Te ne* meliores, ut in illo Virgilii. X. Eclog. 48.

— *Ah*

Inachi, quo properas? eadem ſequerisque fugisque.
Tu tibi dux comiti: tu comes ipſa duci.
Per ſeptem Nilus portus emiſſus in aequor
Exuit inſanae pellicis ora bovi.
Ultima quid referam, quorum mihi cana ſenectus
Auctor? dant anni quod querar, ecce, mei.
Bella pater patruusque gerunt: regnoque domoque
Pellimur. ejectos ultimus orbis habet.
Ille ferox ſolus ſolio ſceptroque potitur:
Cum ſene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars exiguiſſima reſtas;
Quique dati leto, quaeque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem periere ſorores;
Accipiat lacrimas utraque turba meas.

En

——— *Ah te ne frigora laedant!*

Et ſequenti verſu pro *poſſes* iidem *poſſis*. HEINSIUS.

100. *Nudâ nuda recumbis humo.*] *Dura humo*, aut *uda*, aut *gelida*, aut *ſolida* quidam ſcripti, nil muta. lib. IV. Met. 261.

Sedit humo nudâ nudis incomta capillis.

Art. Am. II. 238.

Frigidus in nudâ ſaepe jacebis humo.

Et mox 524.

Perferet in nuda ponere corpus humo.

Quomodo illic nonnulli veteres. vid. ad Triſt. I. Ÿſ. 12. HEINSIUS.

103. *Quid Iö freta longa pererras?*] An hîc, ut in Ibi, primam hujus dictionis corripuit? an verò vox eſt exclamantis? EGNATIUS. Lovan. *vel quid freta longa.* Moreti, *quae, dic, freta l. p.*

107. *Portus.*] *Portas* Lovanienſis. ſed nihil muta. II. Amor. XIII. 10.

Per ſeptem portus in maris exit aquas.

ita citat etiam Scholiaſtes Statii ad lib. III. Theb. 383. loco mutilo. BURMANNUS.

107. *Demiſſus in aequor.*] *Emiſſus* praeſtantiores. ſed verſum nimius ſpondaeorum concurſus languidiorem facit, idque praeter Naſonis morem. opinor a Naſonis manu eſſe:

Oſtia per ſeptem Nilus dimiſſus in aequor.

Portibus non video quis hic ſit locus. Met. VI.

Septem diſcretus in oſtia Nilus.

Amor. III. 6.

Ille fluens dives ſeptena per oſtia Nilus.

Claudian. Phoenice:

Oſtia ſtagnantis Nili ſeptena vaporat.

Apud Avien. Deſcript. Orbis:

Septenaque gurgite vaſto
Ora procul Nili.

Priſcianus Periegeſi:

Sed magis auſtralis ſunt terminus oſtia Nili.

ſequenti verſu *bovi* pro *bovis* ſcribendum. atque ita Lovanienſis. HEINS. Nihil mutari debere, & de voce *portus* videbimus ad lib. II. Amor. XIII. 10. *Diffuſus in aequor* Gronov. pro varia lectione.

109. *Ultima quid referam.*] Imo *refero* cenſeo reponendum, vel contra librorum auctoritatem. Quid, inquit, calamitatem domûs noſtrae ultimâ ab origine recenſeo, è ſenibus intellectam, cum ne nunc quidem deſit, quod lugeamus. Sic Auctor Elegiae in obitum Druſi:

Priſca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit.

Quanquam, ne quid diſſimulem, diſtichon hoc mihi ſuſpectum eſt non uno nomine, nec Naſonem omni ex parte refert. HEINSIUS. neſcio an malae notae ſit diſtichon; certe *anni* recte pro temporibus poſſunt ſumi, ut II. Faſt. 537.

Talibus ut noſtros dictis deſcendit in annos.

Quid opus recurrere ad antiqua fata domus meae; mei anni, tempus, quo vivo, dant mihi materiem querelae. BURMANNUS.

112. *Ejectas ultimus orbis habet.*] *Ejectos* ſcripti ferme omnes. ut etiam de patre intelligatur. Sequenti verſu iidem, *ſceptroque*, non *ſceptriſque*. HEINS. Ultimum orbem Aegyptum hic intelligit ex veterum ſententia Broukhuſius ad Propert. II. XIII. 40. & ita *Extremum Nilum* Claudianus I. in Eutr. 36. dicit. ſed ex Aegypto profugus Danaus, & ejus filiae Argos venere, quos ultimum orbem, id eſt remotiſſimum a patria vocat Hypermneſtra; ut ita aliae partes orbis *ultimae* & *extremae* dici ſolent, ex affectu ſcribentis, qui patria pulſus in peregrinas & longe diverſas defertur terras. BURMANNUS.

115. *Pars exiguiſſima.*] In hanc formam dixit Cicero in Bruto, *Aſſiduiſſimè*. ejus verba ſunt: *Aſſiduiſſimè mecum fuit Dionyſius Magnes.* CIOFAN. Sic *exiguius* leg. XLVI. de Legat. 3.

En ego, quod vivis, poenae crucianda reſervor;
Quid fiet ſonti, cum rea laudis agar?
Et, conſanguineae quondam centeſima turbae,
Infelix, uno fratre manente, cadam.
At tu, ſi qua piae, Lynceu, tibi cura ſororis,
Quaeque tibi tribui munera, dignus habes;
Vel fer opem: vel dede neci: defunctaque vita
Corpora furtivis inſuper adde rogis.
Et ſepeli lacrimis perfuſa fidelibus oſſa,
Scriptaque ſint titulo noſtra ſepulcra brevi.
Exſul Hypermneſtra, pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipſa tulit.

Scri-

115. *Reſtat.*] Bene *reſtas* Gronovianus & quatuor alii. Heinsius.

117. *Mihi.*] *Tibi* iidem. Heinsius.

Nam tibi quot fratres, mihi tot periere ſorores,
volebat Francius. *Nam tibi quot fratres, totidem,* Gronovianus.

118. *Accipiat.*] Forte:

Accipiant lacrimas utraque turba ſuas.
Ut ſupra 67. *ſua verba.* & alibi. Heinsius.

120. *Quid fiet ſonti.*] *Fieret* ſeptem libri: duo *fiat.* utrumque bene. Heinsius.

121. *Et Conſanguineae.*] Lubens reſcripſerim *En.* Heinsius.

123. *At tu ſi qua piae remanet tibi cura ſororis.*] Pro *remanet*, primae editiones & ſcriptorum plurimi, *Line eſt.* In Puteaneo *remanet* à manu ſecunda, nullo priſcae lectionis apparente veſtigio. Scribe *Lynceu.* & ita Herculan. Codex; Lynceus enim Hypermneſtrae maritus dictus, non Linus. Ita eum Pindarus appellat, & Pauſanius, & Apollodorus & Libanius in Diegematis ab Allatio editis, & Tzetzes in Chiliadibus, & Zenobius, (apud quem tamen Ανγγεὺς perperam pro Ανγκεὺς ſcribitur) & Hyginus, Servius & Scholiaſtes Statii non uno loco. Apud Scholiaſtem Germanici tamen & Horatii, Statii quoque uno in loco *Linus* mendoſe appellatur. Sidon. Apollin. Carm. xv.

Solus Hypermneſtrae ſervatus munere Lynceus.
Ex hoc conjugio natus eſt Abas, qui Metapenthem Proeti filium, ut mortem ulciſceretur paternam, occidit. Heinsius.

123. *Cura piae.*] Vid. ad Epiſt. viii. 15.

126. *Corpora furtivis inſuper adde rogis.*] Scribe, quicquid diſſuadent libri veteres, *i, ſuperadde.* ſic lib. vi. 594. Faſtorum hactenus legebatur, *Si vir es, indictas exige dotis opes,* cum, *i, dictas* ſit reponendum, & libro iv. 778. ubi vide notas:

Dic ter, & i, vivo perlue rore manus.
Cum *in vivo rore* nunc legatur. apud Maronem lib. vii. 426. quoque pro *Tyrrhenas i ſterne acies,* multi codices, etiam veterrimi, *inſterne.* apud Claudian. vi. Conſ. Honor. 227.

I potius genti reliquus, tantisque ſuperſtes
Danubii populis, i noſtrum vive tropaeum.
Ubi ante noſtram editionem legebatur, *in noſtrum vive tropaeum.* Peſſime verbum id monoſyllabum plurimis apud ſcriptores optimos in locis eſt habitum, de quo multis egi ad Epiſtolam iv. Ÿſ. 127. Heinsius. Ego nihil auſim mutare. ſic Τὸ *inſuper* lib. ii. Triſt. 129.

Inſuper accedunt, te non adimente, paternae
(Tamquam vita parum muneris eſſet) opes.
Vid. Gifan. Ind. Lucretii. *Furtivi* vero illi rogi non admodum placent. *Finitimis* erat in Leidenſi. forte, *Fraternis.* ut velit ſe addi rogis fratrum ejus. Francius pro *adde*, vellet *abde* vel *ure.* Burmannus.

128. *Scriptaque ſint titulo.*] *Sculptaque* ſcripti noſtri omnes cum primis editionibus. pari modo Avienus Fab. xiv. de ſepulchro:

Sculperet ut docili pollice ſaxa leo.
Et apud Horat lib. iii. Od. xi.

I, pedes quo te rapiunt & aurae,
Dum favet nox & Venus; i ſecundo
Omine, & noſtro memorem ſepulchro
Sculpe querelam.
Ubi minus recte in multis editionibus legitur *ſcalpe.* idem lib. ii. Sat. iii.

Summam patrimoni inſculpere ſaxo
Haeredes voluit.
Apud Lactantium carmine de Phoenice veteres etiam membranae:

Protinus exſculpunt ſacrato in marmore formam.
Vulgati *inſcalpunt.* at Tibullus i. Eleg. iii.

Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.
Auſonius Parentalibus:

Gaudent compoſiti cineres ſua nomina dici,
Frontibus hoc ſcriptis & monumenta jubent.
Sic *ſcriptum aurum* Juvenali vi. 205.

Dacius, & ſcripto radiat Germanicus auro.

Stat.

Scribere plura libet: ſed pondere laſſa catenae
Eſt manus; & vires ſubtrahit ipſe timor.

Stat. Theb. VIII. 270.
Inſcriptaque Deus qui navigat alno.
Lib. I. Sylv. III. 9.
Viſa manu tenera tectum ſcripſiſſe voluptas.
Vid. Bernart. & Gronov. ad Stat. Diatr. cap. 42. & Elench. Antidiatribes pag. 68. lib. III. Sylv. I. 95.
Aeraque tot ſcripto viventes lumine ceras
Fixiſti.
Hic quidam codices *ciſſa*, unde & *caeſa* poſſet legi. Triſt. III. El. III. 72. Catal. Pith. p. 101.
Quem tenet hic humili marmore caeſa domus.
Et pag. 114.
Inciſum & duro nomen erit lapidi.
Auſon. Epitaph. Heroum. XX. *Incidere titulum ſepulchro.* Horat. IV. Od. 8.
Non inciſa notis marmora publicis.
HEINSIUS. *Scripta* probum eſt, ita Sueton. Caeſ. 86. *Solidam columnam prope* XX. *pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit, ſcripſitque PARENTI PATRIAE.* ſic *imagunculam aeream hoc nomine inſcriptam* dixit idem Aug. 7. ita Iſidorus XVI. 17. *Saturnus ſignari nummos & ſcribi conſtituit*, quod ex antiquiore auctore repetitum credit Barthius ad Stat. II. Theb. 277. ſic Nepos Alcibiade. cum cap. VII. dixiſſet, devotionem *inciſam* eſſe in pila. cap. 6. dicit *ſcriptam* fuiſſe. Curtius lib. X. cap. 1. *In medio fere nemore columnam eminere, Erythri regis monumentum, literis ejus gentis inſcriptam.* ita & lib. III. Triſt. III. 72. quidam codices:
Grandibus in tumuli marmore ſcribe notis.
Vid. Heinſ. ad Claud. II. in Rufin. 342. Utebantur autem veteres etiam hoc vocabulo de pictura, & ſculptura. ut viri docti jam abunde docuerunt. BURMANNUS.

129. *Iniquum.*] Vid. VI. Faſt. 607.

EPISTOLA XV.

SAPPHO PHAONI.

ECquid, ut inſpecta eſt ſtudioſae litera dextrae,
Protinus eſt oculis cognita noſtra tuis?

An,

Contulimus olim in hanc Epiſtolam aliquantò plus induſtriae, ac curae: tum quòd ceteris corruptior haec erat, tum quòd tametſi cum reliquis ab Ovidio ſcripta videtur, illam tamen doctiſſimus quiſque ita ſemper admiratus eſt, ut ſecernendam ab aliis cenſuerit, ac ſi inter illos minores Patritios allecta, communem ſortem non ferat, eminereque ſtatim inter ceteras debeat. Quare & Calderinus, & ante illum Merula, veluti in Olympico ſtadio celebres athletae, non citra pulveris (quod ajunt) tactum deſudarunt, &, ut coronam reportarent, contenderunt, acſi Pythia illa ac Nemea, vel ſi qua alia in terra Graecia celebrabantur olim, non veram, cumulatamque victoribus gloriam afferrent. Et ſanè ut illa quidem ſacra omnia erant, & Olympicus agon, vel Jovis majeſtate, vel Herculis, qui primus inſtituit, auctoritate, vel etiam loci magnitudine, ac claritate cetera terrae Graeciae praeſtabat: ita haec Epiſtola, tametſi cum reliquis ſcripta ſit, & autoris ipſius majore quodam ſtudio, & perſonae, quam ſuſtinet, gravitate & eventu maximè memorabili digna ſemper eſt viſa, quae & principem ſibi locum vendicaret, & majorem diligentiam expoſceret. In qua ſi à viro in primis erudito, ac de ſtudiis noſtris optimè merito, diſſentire in paucis videbor, ignoſcet ille cum ceteris, cum in non paucioribus illum & ſequar, & laudem. Utinam quàm ejus literas, ac ſtudium aemulatione multorum digna judicio, tam poſſem & cetera his aemulanda proponere. B. EGNATIUS. Sapphûs ad Phaonem Epiſtola in nullis Heroidum Ovidianarum exemplaribus, niſi recentiſſimis, apparet, neque hoc loco, ſed ut plurimum rejecta in calcem operis. In qua tamen emendanda uſi ſumus libro Bodlejano, tribus Lincolnienſibus, Scriveriano, Palatino, Regio, Sarraviano, Mazariniano, quinque Medicêis, totidem meis, Patavino, Vaticano, Farneſiano, Arondeliano, quorum omnium pars major non in membranis, ſed charta, fuit exarata. Hujus Epiſtolae optimo exemplari uſus eſt Naugerius, cujus ope inſtructus multa feliciter caſtigavit. HEINSIUS.

SAPPHO PHAONI.] Non ingratam tibi, lector, futuram fabellam exiſtimo, non animadverſam ab utroque commentatore, quam primo adoleſcentiae noſtrae tyrocinio ex Graecis ſcriptoribus in Racemationum noſtrarum capite I. vulgavimus. Tu, ſi vacat, inde eam petas. EGNATIUS.

1. *Nunquid.*] Alii *Ecquid ut*, emendarunt. ſed ipſi viderint; mihi vetus lectio non immutanda eſt viſa. ubi praeſertim auribus illa obſequatur

An, nisi legisses auctoris nomina Sapphûs,
Hoc breve nescires unde veniret opus?
Forsitan &, quare mea sint alterna, requiras,
Carmina; cum lyricis sim magis apta modis.
Flendus amor meus est: elegeïa flebile carmen.
Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.
Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager.

Arva

magis, & consensu etiam probetur eruditorum. Egnatius. Liber Maff. *inspecta*. Alii legunt, *Ecquid ubi aspecta est*. quod idem est. Ciofanus. *Ecquid ut* Naugerius. nostri perperam, *Nunquid ubi*. Naso v. Trist. 11. 1.

Ecquid, ut è Ponto nova venit epistola, palles?

Inspecta etiam probe unus Ciofani Art. Am. III. 47.

Inspice: quodque leges ex ipsis collige verbis.

Et lib. II. 395.

Et quoties scribes, totas prius ipse tabellas
Inspice, plus multae, quam sibi missa, legunt.

Fast. IV. 257.

Carminis Euboïci fatalia verba sacerdos
Inspicit. inspectum tale fuisse refert.

Heinsius. *Ecquid* rectum. II. ex Pont. x. 1.

Ecquid ab impressae cognoscis imagine cerae,
Haec tibi Nasonem scribere verba, Macer.

1. *Studiosae.*] Explicant doctae, literis eruditae, quae tam docte & accurate scribit. sed vellem simili exemplo hoc probari. ego simpliciter capio te amantis, tibi studentis & faventis, ut millies. ita III. Art. Am. 421. *Studiosa placendi.* & 663. *Quae praebet lectum studiosa locumque.* sic in alia re III. Am. 2. *Non ego nobilium fedeo studiosus equorum.* & passim. sic & capi debent illa in Tristibus I. Eleg. 2.

Nec peto, quas quondam petii studiosus Athenas.

Id est cupidus eas videndi, non ut quidam, studiorum gratia. Burmannus.

4. *Unde moveret.*] Ego Latiniorem puto lectionem Sarraviani & Francofurtensis codicis, *unde veniret*. quod & Francius conjecerat, qui tamen *moveret* praeferebat. Juvenal. x. Sat. 71.

Verbosa & grandis epistola venit
A Capreis.

Noster II. Amor. XVIII. 33.

Trisiis ad Hypsipylen ab Iasone litera venit.

Burmannus.

5. *Forsitan & quare.*] Occurrit objectioni, quam statim diluit. Ciofanus.

5. *Alterna carmina.*] Elegos significat. Sic lib. II. Fast.

Dum canimus sacras alterno carmine nonas:
Maximus his Fastis accumulatur honos.

Eodem modo lib. II. Tristium *pedes impares* dixit:

Scilicet imperii princeps statione relicta
Imparibus legeres carmina facta modis?

Et III. Eleg. 1. *alternum versum:*

Clauda quòd alterno subsidant carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

Et mox ibidem, *alternos pedes:*

Adspicis alternos intremuisse pedes.

Et Elegia VII.

Aptaque in alternos cogere verba pedes. Ciofan.

Requiris. rectius *requiras* unus Medicêus. Heins. ita & Francofurtensis. vid. ad Epist. IV. 53.

7. *Elegeïa.*] Et haec lectio mihi semper visa probabilior, quam *elegi* verbum, aut *elegi quoque*, quod substituere quidam, id quod inconcinnum absurdumque videtur, nec ingenio Poëtae congruens. qua autem ratione fiat, ut syllaba ea longa sit, & auctorum usu probatur, & a ratione non abhorret. Egnatius. Non ideo hoc carmen immutavimus, quod *Elegia* legi non posset, ultima illa syllaba non solum ob subsequentes consonantes longa esse potest, sed & ob praecedentem *ei* dipthongum Graecorum more. ut etiam alibi Ovidius: *Venit odoratos Elegia nexa capillos.* &, *Flebilis indignos Elegia solve capillos.* &, *Blanda pharetratos Elegia cantet amores.* in his omnibus ultima hac ratione producitur. ut mihi recte illi feciisse videantur, qui in his locis *Elegeia* cum *ei* scripserunt. non tamen ut dividatur, ac dicatur *Elegeïa*, sed quamvis *Elegia* legi posset, vetus tamen haec lectio *Elegi quoque* longe mihi visa est elegantior. Naugerius. Legendum, *Elegeïa flebile carmen*, tum quia ita est in lib. Maffeiano, tum etiam quia adverbium *quoque* otiosum est. Huc autem facit locus ex Elegia, qua Tibulli mortem deflevit: III. Amor. 9.

Flebilis indignos Elegeia solve capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Hinc igitur probabiliter colligitur Elegiam primum res tristes, lugubres, & luctuosas, deinde, ut in libello de Arte Poëtica docet Horatius, laetas & jucundas continere coepisse, ejusque inventorem nesciri idem ait his verbis:

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est. Ciof.

8. *Non*

Arva Phaon celebrat diversa Typhoïdos Aetnae;
Me calor Aetnaeo non minor igne coquit.
Nec mihi, dispositis quae jungam carmina nervis,
Proveniunt, vacuae carmina mentis opus.
Nec me Pyrrhiades, Methymniadesve puellae,
Nec me Lesbiadum cetera turba juvant.
Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno:
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis.

Atque

8. *Non facit.*] Apta non est. CIOFANUS.

8. *Barbitos.*] Imitatio Euripidis, qui eodem modo inducit Admetum loquentem. Alcest. 345.

Οὐ γὰρ πότ' οὔτ' ἂν βαρβίτου ἔιγοιμ' ἔτι
Οὔτ' ἂν φρέν' ἐξάροιμι πρὸς Λιβύν λακεῖν
Αὐλόν. σὺ γάρ μου τέρψιν ἐξείλου βίου.

BURMANNUS.

8. *Illa meos.*] Sic in veteribus, sed & *ulla* recte. NAUGERIUS.

11. *Arva Phaon celebrat diversa Typhoidos Aetnae.*] Phaonem significat diu in externa regione, quae remota esset à Lesbo, versari: eam autem Siciliam esse ait; ubi est Aetna mons perpetuo incendio notus; qua occasione ad sui amoris ardorem alludit. Subdit enim: *Me calor Aetnaeo non minor igne tenet.* CIOFANUS.

11. *Celebrat.*] Frequentat, incolit, & diu immoratur. Ab Aetna autem monte *Aetnaeus* deducitur: ab Enna verò, quae urbs est, & umbilicus Siciliae, *Ennensis*, & *Ennaeus*, in prima syllaba per *e*, & duplex *nn*, ut alibi docui. Atque hoc dicendum fuit, ne quem Domitius hic fallat, qui id nominis uno eodemque modo scribit. CIOFAN. *Celebret* Scriverii codex.

12. *Igne tenet.*] Ita liber Maff. in aliis male est, *coquit*. CIOFANUS. *Coquit* alii ex suis notant. quod damnare Ciofanus non debuit. ego certe amplector. Noster de Hercule Oetaeo lib. IX. Metam.

—— *Coquiturque ardente veneno.*

Apposite Seneca, & ad imitationem Nostri satis manifeste, Hercule Furente 105.

—— *Acrior mentem excoquit,*
Quam qui caminis ignis Aetnaeis furit.

Et Hercule Oetaeo:

Non virus artus, nate, foemineum coquit.

Virgilius VII. 345.

Foemineae ardentem curaeque iraeque coquebant.

Ennius:

O Tite, si quid ego adjuro curamve levasso,
Quae nunc te coquit.

Sic Phoebus *cancrum coquere* dicitur Manil. lib. III. apud Persium Satyr. III.

Insana canicula messes
Jamdudum coquit.

Quomodo & Avienus Descript. Orb.

Aestu radiorum Phoebus anhelo
Arva coquit.

Idem:

Terram coquit hanc radiis sol.

Et Phaenom. p. 99. Edit. Grot. *Et immodici terras coquit ignibus astri.* & p. 101. de Phaetonte: *Flammae sola cuncta coquebant.* vid. Colum. ad Enn. p. 230. Est autem familiaris Poëtis ab Aetnae ardore comparatio. Horat. Ep. XVII.

O mare & terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Virens in Aetna flamma.

Senec. Hippol. 101.

Alitur & crescit malum
Et ardet intus, qualis Aetnaeo vapor
Exundat antro. HEINSIUS.

Lucianus in Tragopodagra, Podagrae dolores etiam Aetneo crateri comparat. vid. p. 949.

14. *Proveniunt.*] Lib. & Elegia I. Trist. *Carmina proveniunt animo deducta sereno.* CIOFANUS.

14. —*Vacuae carmina mentis opus.*] Ostendit se ad pangenda carmina aptam non esse, cùm ea tranquillitatem vel inprimis requirant: ipsa autem amore correpta huc atque illuc, mentis inops, agitabatur. CIOFANUS.

15. *Nec mihi Pyrino subeunt, Mnaisve puellae,*
Nec me Lesbiadum caetera turba juvat.] Neque accusare quempiam est animus: nec tantum mihi assumo, ut si quid alii diversum à me senserint, id ego statim ad invidiam meam traham. Sua cuique placent. Ego mea ut non multum admiror, sic, ubi melius nihil habeo, non facile contemnere, aut damnare soleo. Illud tamen in bonam partem dictum à me accipiant velim, quod immutarint lectionem, totamque inverterint: non mutaturos fuisse, si rem considerantius expendissent. Qui enim, quaeso *Pyrrhiades* à *Pyrrha*, aut à *Methymna Methymniades* deduci possunt? Aut unde haec tam insolens, tamque absurda deductio? Dicimus quidem Lesbiadem, Pelasgiadem, Acheïadem, Heliconiadem, & caetera id genus: sed ut ratione non careant, non tamen *Pyrrhiadem*, *Methymniadem*, non magis quam *Mityleniadem*, *Romaidem*, aut *Cyrrhiadem*: quod nec usus, nec ratio patiatur. Unde enim pa-

Atque aliae centum, quas non ſine crimine amavi
Improbe, multarum quod fuit, unus habes.
Eſt in te facies, ſunt apti luſibus anni.
O facies oculis inſidioſa meis!
Sume fidem & pharetram; fies manifeſtus Apollo.
Accedant capiti cornua; Bacchus eris.
Et Phoebus Daphnen, & Gnoſida Bacchus amavit.
Nec norat Lyricos illa, vel illa, modos.

At

tronymicum hoc mulicbre formatur? aut quomodo? Si enim *Pyrrhaeus*, ut *Methymnaeus*, eſt nomen poſſeſſivum, ut ſunt, nullo pacto poteris inde hoc patronymicum deducere: aut enim *Pyrrhaeas* faciet, aut per diſſolutionem *Pyrrhaïas*. Utrum autem dixeris, & duriter & inſolenter id deduxeris. Quod ſi *Pyrrhaeades* legeris, ſyllaba claudicet neceſſe eſt. Nos igitur à veteri ſtabimus lectione. Examinent illi rem totam, ut ingenio excellunt, & eruditione praeſtant: facile (ut opinor) recantabunt. B. Egnatius. Rectius, opinor, quod in veteribus quibuſdam: *Nec mihi Pyrino ſubeunt Mnaiſve Puellae*, quam lectionem etiam Ignatio noſtro jampridem placuiſſe video. Nauger. Locus corruptus eſt. varie autem legitur. Domitius legit:

Nec mihi Pierides ſubeunt Dryadesque Puellae,
Nec me Theſpiadum cetera turba juvat.

Sed haec a doctis omnino rejicitur. in Aldinis ita legitur:

Nec me Pyrrhiades, Methymniadesque puellae,
Nec me Lesbiadum cetera turba juvat.

Quae lectio rationem aliquam habet. nam Pyrrha & Methymna civitates Lesbi ſunt. & ad partes ſive ſpecies apte genus ipſum ἐπιλογικῶς infertur. Quemadmodum rurſus ſequenti diſticho ſpecies ac propria nomina poſt generalia ac patria inferuntur. quae res etiam ipſa ad probabilitatem hujus lectionis facere poteſt. ſed hic quibuſdam ſcrupulum objicit, quod a Pyrrha & Methymna non eodem modo *Pyrrhias* & *Methymnias*, ut a Lesbius, *Lesbias* deduci poteſt. Nam ab illis poſſeſſiva in *aeus*, ut a ceteris feminnis in *a*, non in *ius* formantur. unde *Pyrrhaeades* & *Methymnaeades* dicendum magis foret. Proinde iidem illi antiquiorem quandam, ut ipſi aſſerunt, lectionem proferunt, leguntque, *Nec mihi Pyrino ſubeunt Mnaiſve puellae. &c.* hanc lectionem ipſi tuentur. Quae tamen & ipſa incommodum quoddam ſuum habet. Nempe quod generale nomen, ſive ἐπιλογικὸν, ſtatim poſt has duas perſonas infertur. cum tamen in ſequentibus verſibus etiam aliae duae ejuſdem ſocietatis perſonae ſingillatim recenſeantur. Solitum autem & vel genus praecedere vel ſpecies, in hujuſmodi enumeratione, neque alterum altero miſceri. Quae ratio quia hic confunditur, fit ut neque huic lectioni per omnia aſſentiri poſſim. itaque ad ſuperiorem magis inclinat animus. neque me derivationis ἀναμαλίαν adeo movet, quod videam & alia multa veterum contra Analogiam & Grammaticorum regulas varie uſurpata. ſed tamen, ut monui, locum ipſum pro corrupto ac dubio relinquimus. Micyllus. *Nec me Pyrrhiades* ex ſuo libro optime Naugerius. noſtri codices hic vehementer turbant. Heinsius. Egnatius Racemat. cap. 2. probat, *Nec mihi Pyrino ſubeunt Mnaiſve puellae.* ut & Berſmannus & alii. Parrhaſ. *Nec mihi Pierides ſubeunt Dryadesque puellae.* ut & Codex Witſtanus habebat, & alii. vide & Nicol. Loenſ. Miſc. VIII. 3. inepte Domitius explicat *Pierides*, furorem Poëticum, *Dryades*, relaxationem animi in ſylvis, *Theſpiades*, amicas.

16. *Turba juvat.*] *Juvant* optimi codices, & editiones.

17. *Vilis Amynthone.*] Rectior ſit fortaſſe vetus lectio, *vilis Anactorie.* Naugerius. Cur *Anactorie* non male in quibuſdam codicibus legatur, docuit Berſmannus. quod, nimirum, inter ceteras a Maximo Tyrio, a Sapphone amatas, ponatur. Dan. Heinsius. *Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno* Naugerius. at primae editiones cum ſcriptis quibuſdam, *Vilis Amatorie.* alii *Amintorie*, vel *Ametorie.* Lege *Anactorie* ex Maximo Tyrio. Γύρινναι, καὶ Ατθὶς, καὶ Ἀνακτορία. quod Berſmannus jam monuit. pro *Cydno*, ſcripti, *Cydro*, *Credo*, *Clio*, & ſimilia. in loco tamen Maximi Tyrii pro Γύρινναι opinor ſcribendum Ἤριννα. Erinna enim & coaeva Sapphus, & ab illa amata quoque. ſic Suïdas in Ἤριννα. ſed & Euſtathius in Iliad. B. de Erinna, Ἤνδε ἑταίρα Σαπφεῦς, καὶ ἐτελεύτησε πάρθενος. Suïdas ex puellis a Sappho adamatis tres recenſet, Atthidem, Teleſippam, Megaram, nulla Gyrinnae mentione facta. Erinnae tamen mirum a Naſone mentionem non fieri. ſed multa ad Eretriam Sappho pertinentia, ad hanc Mitylenaeam referuntur. Nam quod Diphilus in Comoedia a ſe facta Archilochum & Hipponactem, tamquam amatores Sapphûs induxit, pro luſu ingenii laſcivientis eſt habendum, ut Athenaeus jam obſervavit. Multo minus veriſimile, amatam Sappho ab Anacreonte, qui undeviginti

totis

At mihi Pegaſides blandiſſima carmina dictant:
Jam canitur toto nomen in orbe meum.
Nec plus Alcaeus, conſors patriaeque lyraeque,
Laudis habet: quamvis grandius ille ſonet.
Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingenio formae damna rependo meae.
Sum brevis; at nomen, quod terras impleat omnes,
Eſt mihi: menſuram nominis ipſa fero.

Can-

totis poſt Sappho Olympiadis claruit: cum tamen Hermeſianax id traditum reliquerit. At de Alcaeo Sapphus aemulo, inter ſcriptores convenit. ſed cum Erinnam Olympiade CVI. claruiſſe Euſebius in Chronicis contendat, non potuit eam noviſſe Sappho. nili duas fuiſſe Erinnas concedimus. De ejus certe patria varias opiniones Suïdas recenſet, cum tamen Teniam plerique faciant, ut & Stephanus Byzantius in Τήνος. Tatianus Lesbiam Oratione adverſus Graecos. HEINSIUS.

18. *Non oculis grata eſt Atthis, ut antè, meis.*] In verſibus, quos Hephaeſtio ex Sapphone citat, hujus Atthis mentio eſt his verbis:

Ἄτθις σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο. CIOFANUS.

Atthidis meminit & Terentianus Maurus de Metris pag. 91.

Aeolicum ex illa genuit doctiſſima Sappho,
Cordi quando fuiſſe ſibi canit Atthida parvam,
Florea virginitas ſua cum foret. BURMANNUS.

19. *Quas hic ſine crimine.*] Non diſpliceret ea lectio, quam adſtruxere, *quas non ſine crimine amavi*, ſed iterum ampliari judicium poſtulo. EGNATIUS. *Quas non ſine crimine amavi*, ſic vetus lectio, ac mea ſententia recte. & inferius etiam, *Lesbides infamem quae me feciſtis amatae.* Et nemo neſcit quid de Sapphûs in puellas amoribus dicatur. NAUGERIUS. *Quas hic ſine crimine* fere omnes ſcripti. ſed recte *nec* repoſitum, ſic Metam. II. 433. *Nec ſe ſine crimine prodit.* Stat. IX. Theb. 757. *Male dilectum miſerae Cydona ſorori* dixit; ubi vid. Scholiaſten. BURMANNUS.

23. *Et Phaetram.*] *Et Pharetras, ut eris* Scriverii codex. recte vero Berſmannus eſſe imitationem Propert. ex lib. IV. Eleg. 2. 31. notavit.

26. *Nec norat.*] *Norant* malo. HEINSIUS.

29. *Alcaeus.*] Hic cum Sappho certavit. vid. Schol. Theocrit. Idyl. VII. 63. ut & Myrtis cum Pindaro, ut obſervat Salmaſius lib. I. Epiſt. XIV. *Grandius* illam *ſonare*, dicit, ut Horatius dicit: *Minaces Alcaei Camoenas.* HEINSIUS. Horat. II. 13.

Sappho puellis de popularibus,
Et te ſonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro.

30. *Ille ſonet.*] *Ille ſonat* Regius & unus Heinſii. vid. ſupr. ad Epiſt. VII. 29.

32. *Damna rependo meae.*] Malim *malae*; toties enim *mea* & *mala* confuſa.

33. *Sum brevis &c.*] Longe diverſa ab ea, quae circumferebatur, lectione, vetus haec lectio, ſed & longe mihi viſa eſt elegantior, ac fieri quidem poteſt, ut utroque modo Ovidius ſcripſerit. ſed id ſi verum eſt, hoc pacto caſtigavit. aut prima illa lectio ſubditicia. Unum hoc mihi credant boni viri, credant eruditis pluribus, quos a me nunc nominari non eſt neceſſe, qui vetuſtiſſimum id exemplar inter cetera caſtigatiſſimum, ex quo & alia plura & haec correxi, viderunt, & mihi probatiſſimi hujus rei teſtes ſunt; nihil a me fictum eſt, nihil additum. quaecunque immutavimus praeter pauca quaedam, quae & lectorem monuimus, ita videri nobis caſtiganda; ex antiquis exemplaribus immutavimus. ita ut nihil induſtriae aut ingenio meo, labori certe meo aliquantulum debeatur. NAUGERIUS. Diverſa longe eſt lectio, quae nunc circumfertur ſcilicet, *ſum brevis at nomen. &c.* EGNATIUS. *Nec me deſpicias, ſi ſum tibi corpore parva: Menſuramque brevis nominis ipſa fero.* Etiam hic diverſe legitur. Una quidem lectio ea eſt, quam modo citavimus. cujus ſenſus eſt: Non debere ſe deſpicere, quia brevis ſeu parva ſit, & breve nomen habeat, nulla ſubjecta ratione. Altera, quae & communior eſt, in Aldinis ita habetur: *Sum brevis, at nomen quod terras impleat omnes, Eſt mihi: menſuram nominis ipſa fero.* Quae lectio ἀντιθέσει ornatur. Opponit enim inter ſe ſtaturam corporis & famam: dicitque, ſe brevitatem corporis menſura nominis tueri. MICYL. *Nec me deſpicias, ſi ſum tibi corpore parva, Menſuramque brevis nominis ipſa fero.* Hanc habent lectionem Vaticanus & Maffeianus libri. Alii viri docti legunt, ex aliis antiquis, *Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes, Eſt mihi: menſuram nominis ipſa fero.* Qui verſus ſunt planè elegantiores. Atque ita ſe Sappho pulchram non eſſe fatetur, cùm ſit parvo corpore. Mulieres, quae ejuſmodi ſunt, non pulchrae, ſed venuſtae dicuntur. Pulchritudo enim, ut ſentit Ariſtoteles, conſiſtit in magno corpore: quae, ut ait M. Tullius lib. IV. Tuſcul. Diſput., eſt apta membrorum figura cum corporis ſuavitate. CIOFAN. Hoc etiam diſtichon Naugeriano libro debetur. Ante inſulſe legebatur:

Candida ſi non ſum, placuit Cepheïa Perſeo
Andromede, patriae fuſca colore ſuae.
Et variis albae junguntur ſaepe columbae:
Et niger à viridi turtur amatur ave.
Si, niſi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua eſt; nulla futura tua eſt.
At, me cum legeres, etiam formoſa videbar:
Unam jurabas usque decere loqui.
Cantabam; memini; (meminerunt omnia amantes)
Oſcula cantanti tu mihi rapta dabas.

Haec

Nec me deſpicias, ſi ſum tibi corpore parva,
Menſuramque brevis nominis ipſa fero. HEINS. In Palatino erat, *ſi ſum tam corpore parvo.* in Lincol. *quia ſum tam c. p.*

34. *Fero.*] *Gero*, Scriverian. *Menſuram parvi nominis ipſa fero.* Tragur.

36. *Andromede.*] Apud Fulv. Urſin. pag. 4. Illuſtr. Femin. Poëmat. Philodemi Epigramma eſt:
Εἰ δ' ὀπικὴ, καὶ φλωρὰ, καὶ οὐκ ἄδυσα τὰ Σαπφοῦς,
Καὶ Περσεὺς Ἰνδῆς ἥρπασατ' Ἀνδρομέδης.
Sic & Athenaeus lib. 1. cap. 18. Andromeden a Sappho verſibus notatam ſcribit. inter autem puellas a Sappho amatas etiam Maximus Tyrius *Andromeden* quandam recenſet. ut & ipſa Sappho in fragmento apud Fulv. Urſ. p. 10. ubi videtur aemulatione accendi, quod Atthis in Andromeden proclivior eſſet. HEINSIUS.

36. *Fuſca colore.*] *Calore* malebat Francius, ut & erat in Lincoln. ſollemni permutatione harum vocum.

37. *Et variis albae.*] Voſſius ad Catul. Epigr. LXIX. ad Mallium notat columbas diverſi coloris improbiora decerpere oſcula, quam faciunt ejusdem coloris.

38. *A viridi.*] Pſittacum intelligebat poſt Berſmannum Francius, ex Amor. II. 6.
Tu poteras virides pennis hebetare ſmaragdos.
Et Claverius ad Perſ. Prolog. vid. Turneb. XVIII. Adverſ. 16. BURMANNUS.

38. *Turtur.*] Miram prope hujus avis caſtitatem eſſe ſcribit Aelianus lib. X. cap. XXXIV. De Hiſt. Animal. CIOFANUS.

39. *Quae facie.*] *Quae facies.* Mazar. & Palatin.

41. *At mea cum legeres.*] *Me cum legeres* noſtri, & recte. ſic Amor. lib. II. El. II.
Me legat in ſponſi facie non frigida virgo.
Et I. Art. Am. I.
Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
Me legat. HEINSIUS.
Sic II. Triſt. 369.
Fabula jucundi nulla eſt ſine amore Menandri,
Et ſolet hic pueris virginibusque legi.
Ubi male quidam codices *haec.* BURMANNUS.

45. *Omnique à parte.*] *Omnique in parte* Mazar. *Omni tibi parte* Francof.

47. *Juvabat.*] *Juvabant* Vaticanus, Regius & duo ex meis. bene. HEINSIUS.

48. *Verba joco.*] Quidam, *membra joco.* alii codices, *verba loco.* quod damnat Gronov. III. Obſ. 21. contra Salmaſium. *verba jocis* Sarrav. & Lincol. *verba ſono* Francof. ſed nihil movendum. *jocus* eſt opus amoris. II. Art. Am. 724.
Et dulces gemitus, aptaque verba joco.
IV. Faſt. 868.
Poſcite blanditias, dignaque verba joco. BURMAN.

49. *Atque ubi jam amborum.*] Ita in Vatic. In impreſſis quibuſdam, *Et quòd, ubi amborum.* Melius & rectius in Maffeiano, *At ſimul amborum.* CIOFANUS. Scripti nonnulli, *At ſimul*, vel, *Ac*, majori tamen ex parte, *Atque ubi jam.* lego *Quique, ubi jam* &c. Librarius *que* expreſſerat ſolummodo pro *quique* ſolenni errore. hinc *Atque* poſtea natum. vide Notas ad Epiſt. XIV. ŷſ. 91. HEINSIUS. In Palatino erat, *conſumpta voluptas.* quod ut aptius & elegantius amplexus ſum. languor enim ille demum poſt conſumtam voluptatem; & *conſumere* proprium in amoris opere verbum, cum ex praecepto Noſtri lib. II. Art. in fine, tarda mora prolicitur Veneris voluptas, & duo ſimul ad metam properant, cum pariter victi femina & vir jacent, & ex aequo res illa duos juvat. ita contra infelix ille Polyaenos, qui ſine voluptate a Circes toro ſurrexerat, excuſare languorem ſuum nititur apud Petronium cap. 131. quod velis majoribus uſus, *tempore voluptatem conſumpſerat*, id eſt maturius, quam fas erat, & dominam ſuam vera voluptate fraudaſſet. & haec eſt *plena* illa *voluptas*, quam II. Art. Am. 727. memorat. ſic, licet paullo alio ſenſu, II. Am. X. 27.
Saepe ego laſcivae conſumto tempore noctis
Utilis &c.
Voluptas vero proprie in amore. vide ad Petron. cap. CXXXIV. BURMANNUS.

51. *Sicelides.*] Regius codex *Sicilides*, & mox *Sicilis.* quod non temere repudiandum. cum ita & in

Haec quoque laudabas: omnique à parte placebam.
Sed tum praecipue, cum fit Amoris opus.
Tunc te plus ſolito laſcivia noſtra juvabat,
Crebraque mobilitas, aptaque verba joco;
Quique, ubi jam amborum fuerat conſumpta voluptas,
Plurimus in laſſo corpore languor erat.
Nunc tibi Sicelides veniunt, nova praeda, puellae.
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis eſſe volo.
At vos erronem tellure remittite noſtrum,
Niſiades matres, Niſiadesque nurus.

Neu

in novem codicibus apud Virgil. IV. Ecl. *Sicilides Muſae*, quos Heinſius, vidit, exſtet, & Pierius teſtetur in plerisque antiquis reperiri, licet repudiet. Non autem voluiſſe modo eſſe Sicilidem Sappho, ſed etiam ſibi exſilium indixiſſe, & relicta patria abiiſſe in Siciliam, ut Phaone ſuo frui poſſet, Archonte Ariſtocle, docet nos Marmor Arundelianum in Epocha. 37. a Seldeno editum. vid. Marmor Oxon. p. 164. quod neſcio an quisquam praeterea memoriae prodiderit. BURMAN.

52. *Sicelis eſſe volo.*] Fingit Phaonem ita loquentem. CIOFANUS.

53. *O vos erronem tellure remittite noſtrum.*] Alii, *O vos erronem.* Vetus lectio:

Nec vos erronem tellure admittite noſtrum.

EGNATIUS. Quidam, *Nec vos erronem tellure admittite noſtrum:* pro, non recipite ad vos. Quae lectio rationem aliquam habet. Domitius autem pro *Erronem*, *Errorem* legendum contendit, multaque ſuper ea lectione inepte nugatur. Ego vulgatam & Aldinam lectionem ſequor. Illud magis dubitare ſoleo, utrum *Veſtra*, pro *Noſtrum* potius legendum ſit. ut ſit ordo: O vos Siculae, remittite, ſive excludite veſtra tellure erronem. Hoc enim magis cogitatione dignum. MICYLLUS. *O vos erronem tellure remittite noſtrum, Niſiades matres, Niſiadeſque nurus.* Rectè ita legendum judicarunt viri docti, malè aliter Domitius. *Tellure*, Subaudi Sicula, ubi Phaon commoratur. CIOFAN. Scripti nonnulli:

At vos errorem tellure remittite veſtrum.

Puto:

At voſtra erronem tellure remittite noſtrum.

Vel, ſi vulgatum malis, *Nec veſtra erronem.* per *Niſiadas* autem *matres* Megarenſes littorales intelligi non eſt dubium. Megara enim Siciliae portus à Megaris Atticis, quae & Niſea dicta antiquitus, à Niſo rege. Sequenti verſu, *Neu vos decipiant* tres libri. Severus in Aetnâ:

Nec te decipiant ſtolidi mendacia vulgi.

Erronis vox etiamnum corrupta in Diris Catonis, ubi caſtigandum:

Nec noſtros ſervire ſinant erronibus agros.

Et apud Claudian. VI. Conſ. Hon. 624.

Armatos hic ſaepe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſosque recurſus,
Et pulchras erronum acies, jucundaque Martis
Cernimus.

Ubi pari modo in vulgatis peccatur. P. Nigidium Planetas ſtellas *Errones* appellaſſe, teſtis eſt A. Gellius lib. III. cap. X. & Horatius II. Sat. VII. 113. ſervum fugitivum, *Erronem* vocat. vid. Stewech. ad Arnob. p. 54. HEINSIUS

54. *Niſiades matres, Sicelidesque nurus.*] Alii: *Niſiades matres, Niſiadesque nurus.*

Ut ſit geminatione jucundius carmen. EGNATIUS. Et hic alii poſteriore loco pro *Niſiades*, *Sicelides* legunt. Sed magis placet σχῆμα. Illud magis quaerendum, unde Poëta *Niſiadas* hic vocet Siculas: cum alias hoc nomine vocentur, quae Baccho deditae ſunt, aut operantur. Ac Domitius quidem (qui tamen ipſe non *Niſiades*, ſed *Neſiades* legit) duplicem etymologiam affert: alteram à Neſide inſula Campaniae, cujus praeter ceteros etiam Plin. meminit lib. 19. c. 8. Nam hinc & Scyllam, *Neſeidem* Poëtae vocant, inquit. Alteram à *Neſia*, quam ipſe regionem, circa Aetnam, montanam eſſe dicit, autore Strabone. Et haec illi magis placet, propterea, quod tum Phaon circa Aetnam verſatus fuerit. Sed pace tanti viri, neutra harum procedit. Nam à Neſide inſula, ſecundum exemplum, quod ipſe producit; non *Neſiades*, ſed *Neſeides* dicendum erat. Et Strabonis auctoritas, quam ſuper Neſia Aetnae regione allegat, nulla eſt. Ita enim apud Strabonem legitur: Οἱ δὲ Αἰτναῖοι παραχωρήσαντες, τὴν Ἰννησαν καλουμένην τῆς Αἴτνης ὀρεινὴν ὤκησαν, καὶ προσηγόρευσαν τὸ χωρίον Αἴτνην, &c. *Inneſan* vocat Strabo, quam Domitius, & qui eum ſequuntur, *Neſiam*. Niſi quis hoc contendat, ſcripturam corruptam eſſe, & pro Ἰννησαν, Νησίαν legendum. quod equidem aliorum judicio relinquo. Ego vero in eam opinionem venire ſoleo, ut dubitem, utrum de Megarenſibus intelligere Poëta voluerit. Nam & hi ſub Aetna ſiti fuere: iidemque eorum, qui in Attica habitarunt,

Neu vos decipiant blandae mendacia linguae.
Quae dicit vobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque quae montes celebras, Erycina, Sicanos,
(Nam tua ſum) vati conſule, Diva, tuae.
An gravis inceptum peragit Fortuna tenorem,
Et manet in curſu ſemper acerba ſuo?
Sex mihi natales ierant; cum lecta parentis
Ante diem lacrimas oſſa bibêre meas.
Arſit inops frater, captus meretricis amore;
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops agili peragit freta caerula remo;
Quasque male amiſit, nunc male quaerit opes.

Me

ἀπόγονοι atque coloni fuere. quod & Strabo, & item Thucydides teſtatur libro 6. Cum enim illorum rex Niſus fuerit, poterant & ipſi, & eorum coloni, ac poſteri, *Niſiades* non incommode appellari. Sed hanc, ut conjecturam affero, quo aliis cogitandi amplius occaſionem praebeam. Micyllus.

55. *Nec vos decipiant blandae mendacia linguae.*] Cauſſa, cur Phaon à Siculis mulieribus recipiendus non ſit. Ciofanus.

57. *Tu quoque quae montes.*] Sic vetus lectio, cum prius *immites* legeretur; & profecto, cum Venerem blande roget Sappho, quaſi objiceret eam immanes Sicanos colere, ineptum quoddam eſſet. quam ob cauſſam vetus lectio magis placet, & eo magis quia ab Eryce Siciliae monte eſt *Erycina* dicta. Naugerius. Alii ſic emendarunt, *Tu quoque quae montes.* ſed viderint illi, ne montanum, ac ſubagreſte quid oboleat haec emendatio. Egnatius. *Tu quoque, quae immites celebras, &c.* ut Sicanos intelligamus immitiores fuiſſe ceteris Siciliae incolis, &c. Sed ego nihil incommodi video, quod prior lectio habeat. Quando & Virgil. templum Veneris Erycinae in monte ſitum innuit, cum ait lib. 5.

Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliae, &c. Mycillus.

Tu quoque quae immites legitur in utroque, quo utor, libro, Vatic. & Maff. alii ajunt repperiſſe ſe in aliis lib. ſcriptis, *quae montes celebras &c.* quam lectionem anteponunt ſuperiori, quòd ineptum dicat Venerem, quam Sappho nunc tantopere placare ſtudeat, eſſe inter immites Sicanos. Ego eos falli exiſtimo, atque hanc eſſe hujus loci ſententiam, ut idcirco immites Siculos dicat Sappho, quòd ſibi viderentur amantem illum ſuum retinere contra ſui ipſius voluntatem: qua in re immites ſe eſſe oſtendant. Atque ita nullam in Venere (quod illi rebantur) ſaevitiam ineſſe fatebuntur. Servit ergo Sappho (quod & acutè vidit Domitius) praeſenti affectui. Dicta eſt *Erycina* Venus ab Eryce monte, ubi colebatur: qui, ut ſcribit Polybius lib. 1. omnium Siciliae montium, excepto Aetna, altiſſimus eſt: ea parte, qua Italiam ſpectat, inter Drepanum & Panormum: in ejus vertice ſatis ampla eſt planicies, ubi Veneris templum omnium Siciliae templorum longè pulcherrimum, longeque opulentiſſimum fuit. Ciofan. Haec quoque à Naugerio. Nam noſtri omnes *immites Sicanos*, ut ad Palicos reſpiciat, qui humanis hoſtiis placabantur. vide Schol. Stat. Theb. XII. 156.

—— *Siculosque licebit*
Exorare Deos.

Sed praeſtat Naugeriana lectio, ut Eryx ſubintelligatur, à quo Erycina haec dea dicta eſt Poëtis. Heinsius. Recte emendatum *montes*: ut & habet Francof. codex: templum enim Veneris Erycinae in monte poſitum; ut exhibent numini veteres, quos vide apud Illuſtr. Spanhem. Differt. VI. pag. 577. de praeſtantia & uſu Numiſm. Ed primae; & Vaillant. in Gente Conſidia: Noſter II. Art. 419.

Sed Dea non patitur ſic ad ſua gaudia cogi,
Colle ſub umbroſo quam tenet altus Eryx. Burm.

58. *Vati.*] Mihi Sapphoni, quae vates ſum. Ciofanus.

59. *Tenorem.*] Lincolnienſis *laborem*; ſed male. Epiſt. III. 43.

An miſeros fortuna tenaciter urguet.

Et Epiſt. VII. 112. *Fati tenor.* & Epiſt. XVII. 14. *Tenor vitae.* vid. Heinſ. ad Vell. Paterc. II. 45. Burmannus.

63. *Victus meretricis amore.*] *Vinctus* codex Wittianus, non male; ſed Lincoln. Francof. & quatuor alii, *captus.* quod verius puto. & meretriciis fallaciis & illecebris convenientius. Ep. XIX. 102.

Otia, neſcio qua pellice captus, agas.

1. Amor. VIII 70. *Captos legibus ure tuis.* Terent. Andr. 1. 1. *Habet, captus eſt.* ſimilis diverſitas lib. XIV. Met. 229. & II. Faſt. 585. vid. ad Remed.

Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit.
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tamquam desint, quae me sine fine fatigent,
Adcumulat curas filia parva meas.
Ultima tu nostris accedis caussa querelis.
Non agitur vento nostra carina suo.
Ecce, jacent collo sparsi sine lege capilli:
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum:
Non Arabo noster rore capillus olet.
Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abest.

Molle

Remed. 34. Meretrix vero illa *Rhodopis* dicebatur, teste Herodoto lib. II. cap. 135. conserva Aesopi, & a Charaxo magna pecunia redemta. unde possumus intelligere, cur Fratrem ad inopiam delapsum Sappho hic dicit. Athenaeus vero lib. XIII. cap. 7. *Doricam* vocatam ait, & Herodotum confudisse cum alia Rhodopide censet. sed Dorica a patria potuit dici. & ab hac Rhodopide proverbium manavit, πανῦ ὁμοῖα καὶ Ῥοδῶπις ἡ καλή, de quo vide Schottum in Proverb. ex Vatican. Append. Centur. III. n. 67. Francius malebat, *arsit amans frater.* sed male, ut ex dictis apparet. melius Broukhusius *arsit egens*, quia mox *inops* sequitur. BURMANNUS.

65. *Peragit freta.*] Vid. ad Petron. 119. innuit vero Piratam factum. Piratae enim ἀπὸ τοῦ πειρᾶν, a *peragendo* & pervagando maria dicti. & hinc addit *male quaerit opes*, turpi quaestu, non, ut Domitius, multis incommodis & labore; nisi statuere velimus illum remigem factum. BURMANNUS.

70. *Filia parva.*] Cleis filia. Suidas. BERSMAN.

72. *Non agitur vento nostra carina suo.*] Errat Domitius, qui haec per interrogationem legendum putat. CIOFANUS.

72. *Non vento suo.*] Adverso vento. Metaphora. CIOFANUS.

73. *Ecce jacent collo positi sine lege capilli.*] Lib. veteres, *sparsi*, non *positi* habent. quomodo legisse videtur Domitius. CIOFAN. *Passi* Regius. HEINS.

75. *In crinibus.*] Vid. ad Ep. XXI. 89.

76. *Non Arabum noster dona capillus olet.*] Sic vetus lectio. neque tamen minus elegans, neque minus ipsius Ovidii existimandum id, quod prius legebatur, carmen:

Non Arabo noster rore capillus olet. NAUGERIUS.

Alii, *non Arabum noster dona capillus olet.* EGNAT. In Aldinis legitur, *Arabum dona.* alii autem, *Non Arabum noster rore capillus olet. Arabo rore* pro myrrha posito, ut quidem communiter exponunt. nec differunt sensu hae duae lectiones; sed altera, quam altera, simplicior: nam in *Rore* metaphora paulo remotior est. MICYLLUS. *Non Arabo noster rore capillus olet* Maffeianus. Vaticanus verò, *Non Arabo noster ore, &c.* quod idem est, omisso *r* in verbo *rore* propter eam, quae antecedebat, litteram. Calderinus etiam eo modo, quo in Maffeiano est, legit: idque verè. CIOFANUS. Scaliger manu sua adscripserat: *Non Arabo noster rore capillus olet.* DAN. HEINSIUS. *Non Arabum noster dona capillus olet* Naugerius. nostri omnes *Arabo rore.* quod temere mutare nolim. Nam & lib. V. Metam. 405. *olere* cum sexto casu conjunxit. ubi habes *olentia sulphure stagna Palicorum.* quo nomine à Diomede grammatico notatur, tanquam improprie locutus. at Valerius Flaccus lib. VIII. *olentes sulphure crines* quoque dixit. Martial. *Atque oluere lares comessatore Lyaeo.* Propert. lib. IV. Eleg. VII.

Cur nardo flammae non oluere meae.

Ubi *nardon* Lipsius perperam, lib. II. Var. lect. 12. Juvenal. Sat. VI. 438. *olere Falerno*, ut MSS. & edd. nonnullae. & ita *fragrare vino* & *vinum*, quod posterius est apud Solin. CXXXVII. *Rorem Sabaeum*, ut Noster *Arabum rorem*, dixit Valer. Flaccus lib. VI. 709.

Et gravidae maduere comae, quas rore Sabaeo
Nutrierat, liquidoque parens signaverat auro.

Ita scribo. *flore Sabaeo* vulgati. sic *roriferas* Panchaïae silvas dixit Claudian. II. Rapt. 81.

Quidquid roriferis spirat Panchaïa silvis.

Sic alter Vossianus, cum vulgati *thuriferis*; ubi & sequentes versus ita disponendi:

Quidquid ab extremis ales longaeva Sabaeis
Colligit, optato repetens exordia busto.

Ut ibi diximus. Apulejus lib. II. Metam. dixit, *Capillum guttis Arabicis obunctum.* si quis vero vulgatam tueri velit *Arabum dona*, is haec Senecae habeat. Oedip. 305.

Arasque dono thuris Eoi extrue.

Agamemnone 806.

Arabumque donis, supplice & fibra colam.

Molle meum, levibusque cor eſt violabile telis:
Et ſemper cauſſa eſt, cur ego ſemper amem.
Sive ita naſcenti legem dixere ſorores;
Nec data ſunt vitae fila ſevera meae;

Sive

Sed praeſtat *rore*. Tibullus libro III. Eleg. IV.

Stillabat Syrio myrrhea rore coma.

Ubi perperam *ſpirabat* Georgius Fabricius notis in Terentium ex antiquis codicibus caſtigabat. alluſit enim ad vocem *ſtactes*, ἀπὸ τοῦ ϛαζεῖν, a *ſtillando* deductam, quomodo lacrymam ſeu guttam myrrhae a Graecis ſcriptoribus appellari ſat notum eſt. ſic *Arabica myrrha* apud ſcriptores, & *myrrha Arabs* in Ciri Virgiliana. quo & Noſter alluſit Met. X. cum *ſtillatam cortice myrrham* dixit. Lucan. VII. 837. *Sanguineis ſtillavit roribus arbor.* recte igitur *ſtillabat coma*, non *ſpirabat*. Idem Tibullus libro II. Eleg. II. dixerat:

Illius Aſſyria deſtillent tempora nardo.

Ita enim emendandus ille verſus, cum vulgo perperam legatur, *illius puro diſtillent tempora nardo.* ſatis frigide. ni mavis, *Syria nardo.* quod tantundem eſt. nam Virgilius in Buccolicis Eclog. IV. *Aſſyrium vulgo naſcetur amomum* dixit. quod idem in Ciri vocat *Syrium:*

Non thalamus Syrio fragrans accepit amomo.

Ubi etiam *Tyrio* perperam edunt. quomodo & in Tibulli loco ſupra adducto ante Scaligerum legebatur, *Tyrio rore*. Martialis libro VIII.

Si ſapis, Aſſyrio crinis tibi ſemper amomo
Splendeat.

Statius Epicedio Pſittaci:

—— Aſſyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum reſpirant germine plumae.

Venantius Fortunatus libro IV.

Lilia, narciſſus, violae, roſa, nardus, amomum,
Quicquid odorifero germine mittit Arabs.

Ubi in vetuſtis codicibus *amomus*. quomodo *nardus, coſtus*, & *balſamus*, quod paulo ante vidimus. Silius libro XI.

Nec crinem Aſſyrio perfundere pugnet amomo.

Sed ut redeamus ad *Aſſyriam nardum*; apud Horatium quoque id habes libro II. Od. XI.

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo
Potamus uncti.

Apud eundem Tibullum libro III. Elegia ultima mendoſe quoque ſcribitur, ut puto:

Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram ſertis implicuiſſe comas.

Pro *Syria nardo. nardus* enim magis Poëtis in uſu, quam *nardum*. ſic *Achaemenia nardus* apud Horatium. poteſt tamen & *Syrio* & *Aſſyrio nardo* ferri in Tibulli locis, cum Martialis quoque dixerit, *Pretioſa ſuo miſcentur cinnama nardo. Aſſyrium balſamum* occurrit apud Dracontium Hexamero:

Balſamaque Aſſyrios plorant virgulta per agros.

Ita enim locum illum eſſe caſtigandum monuimus libro VI. Metam. v. 312. cum in editionibus circumferatur:

Balſama Caeſareos plorant virgulta per agros.

Quanquam de Caeſarea Palaeſtinae poſſet intelligi, Andromachus Γαλήνη,

—— Καὶ κλεῖνον ὀπὸν μίσγοιο θυώδη
Βαλσάμου Ἀσσυρίης ἔνδοθεν ἀινύμενος.

Ubi in tranſcurſu notetur Βάλσαμος Ἀσσυρίη foeminino genere. quomodo *nardus, coſtus* & ſimilia efferuntur. eſt enim ad arborem, non ad ſuccum referendum. Statius Epicedio Pileti Urſi:

Balſama & Aſſyrio manantes germine ſucci.

Non *gramine*, quod nunc legitur. myrrham enim innuit, quae arbor. *Aſſyrii odores* Tibullo libro I. Eleg. III.

Non ſoror Aſſyrios cineri quae dedat odores.

Et apud Catullum:

Fragrantem Aſſyrio venit odore domum.

Senec. Hippol.

Odore crinis ſparſus Aſſyrio vacet.

Aſſyrios nidos Phoenicis, pari modo Martialis libro V. propter odores illuc congeſtos. *Syrium malobatrum* Horatio. *Syrio munere plenus onyx*, pro unguento, apud Propertium libro II. Eleg. XIII. Συρίου μύρου Theocrito Adoniazuſis. Athenaeus libro XV. ubi agit de unguentis: ἡ δὲ Συρία τὸ παλαιὸν χρηϛὰ πάντα παρείχετο, μάλιϛα δὲ τὸ τήλινον· νῦν δ' οὔ. Sed ut ex hoc diverticulo redeamus ad Naſonem, *Arabo rore* quod dixit, eleganter factum. *Arabos* pro *Arabes* quoque Plautum uſurpaſſe in Bacchidibus & Poenulo, Virgilium Aeneidos ſeptimo, Lucilium, Cinnam, Caſſium in Epiſtolis, Chariſius Soſipater obſervat. *Arabium bombycem* Propertius dixit libro II. Eleg. III. & *Arabium limen* libro I. Eleg. XIV. quomodo & in Poenulo Plauti Act. V. Sc. IV. hodie legitur: *Arabius murrhinusque omnis odor complebat nares.* Nam in Bacchidibus nunc id vocis non exſtat. *Rore* igitur *Arabo* bene ſe habet, quas Sidonius Apollinaris Panegyrico Majoriani *guttas Arabicas* vocat:

— Fert Indus ebur, Chaldaeus amomum,
Aſſyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabaeus,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham.

Et ante eum Apulejus Metamorphoſeos libro ſecundo dixit, *Capillum guttis Arabicis obunctum.* Qui locus opportune alterius me monet apud eundem Apulejum inſigniter corrupti, ut mihi viſus eſt, quem totum adſcribam: *Tunc injuriae meae*

litatum

Sive abeunt ſtudia in mores, artesque magiſtrae;
Ingenium nobis molle Thalia facit.
Quid mirum, primae ſi me lanuginis aetas
Abſtulit, atque anni, quos vir amare poteſt?

Hunc

litatum crediderim, cum ejus comas, quas iſtis manibus meis ſubinde aureo nitore perſtrinxi, deraſerim: pinnas, quas meo gremio nectarei fontis infeci, praetotonderim. Verba ſunt Veneris de Cupidine quiritantis. ſed quid ſibi volunt iſta, *aureo nitore comas perſtringere?* quid, *pinnas inficere gremio nectarei fontis?* Opinor *Aravo* pro *Arabo* ſcriptum primò fuiſſe, ſolemni errore, atque inde *aureo* factum. Totus igitur locus ſic concinnandus videtur, *Cum ejus comas, quas iſtis manibus meis ſubinde Arabo nidore perunxi, deraſerim: pinnas, quas mei gremii nectareo fotu refeci, praetotonderim.* Poſſet & legi *aurae Eoae nidore.* de quo dictum Met. xv. ỹſ. 394. ſed alterum omnino praeſtat. de Iſide libro xi. *Spirans Arabiae felicis germina.* Florid. lib. i. *Odorum divites Arabes.* habes apud Feſtum adagium, *Arabice olere.* apud Graecos Paroemiographos, τὴν ὅλην Ἀραβίαν ἀποπνέειν. *Liquores Arabos* dixit Statius Epicedio Glauciae, & lacrymis Etruſci, quomodo *Arabum rorem* Noſter:

Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quodque Arabes, Phariique, Palaeſtinique liquores
Arſuram lavere comam.

De *ungendi* verbo alibi multis egimus. Emenda in tranſcurſu locum in Ciri Virgiliana:

Non ſtyrace Idaeo fragrantes uncta capillos.

Ubi perperam nunc legitur, *flagrantes picta capillos.* fuit & cum *Eoo ſtyrace* legendum putarem, quod Cretenſem Plinius videtur parvi facere. *Fotu pinnas reficere*, laſſas videlicet volando. *Gremio fovere* phraſis uſitatiſſima. de qua videantur, quae notamus ad Epicedium Druſi v. 96. Claudianus Epithalamio Honorii:

——— *Gremio natum Cytherea refovit.*

Sic *refota laſſitudine* apud hunc ipſum Apulejum libro ix. Ennodius Epithalamio Maximi de Venere:

Haec ait, & ſobolem fotu complexa benigno.

Reficero pinnas, quomodo ipſe mox Apulejus de hoc ipſo Cupidine: *Refectis pinnis aliquanta quiete longe velocius provolat. nitor* pro *nidor* alibi non uno loco perperam apud Apulejum olim legebatur. ut libro viii. *Mellitum corporis nidorem perſentiſcunt.* Heinsius. In Francof. erat, *non Arabum dona capillus habet*; ſed mihi quoque perplacet, *Arabo rore*: nam *Arabum* & *Arabem* veteres dixiſſe egregie docent Servius & Pierius ad Virgilii vii. Aeneid. 605 de *rore* vero *Arabo*, ſive Myrrha, ſive Nardo, ſive alio odore, vide Illuſtr. Spanhem. ad Callimachi Hym. in Apoll. 38. Burman.

78. *Auctor abeſt.*] *Abes* malim. vid. notas ſuperiori Epiſtol. v. 95. Heinsius.

79. *Molle meum levibus cor eſt violabile telis.*] Idem dicit de ſe lib. iv. Triſt. Elegia ultima:

Molle cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis cauſa moveret, erat.

Ciofanus. Τὸ *cor* producitur, contra quam ſolet. Certe Noſter Triſt. libro v. Eleg. viii.

Molle cor ad timidas ſic habet ille preces.

Nam in illo ejusdem libri Elegia prima anceps eſt ſcriptura:

Strangulat incluſus dolor, atque cor aeſtuat intus.

Cum in potioribus membranis ſit, *atque exaeſtuat intus.* ſed corripitur quoque Pont. libro i. El. iv. ad Rufinum, & libro v. Met. Fab. vi. Ciceroni etiam in verſione loci Homerici, *Ipſe ſuum cor edens.* Martiali etiam libro x. Ep. xv. & Auſonio in epigrammatis. Quare a Naſonis manu opinor eſſe:

Molle mihi, levibusque cor eſt violabile telis.

Niſi quis mavult accedere Mycillo caſtiganti:

Molle meum levibusque cor eſt violabile telis.

Sed noſtram conjecturam veriorem puto. etſi codices vetuſti pro vulgata lectione ſtant mirâ pertinacia. Putabam aliquando:

Molle meum levibus jecur eſt violabile telis.

Ut *jecor* primo fuerit exaratum. nunc alio imus. Triſt. libro iv. El. ult.

Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis cauſſa moveret, erat.

Heinsius. Ubi Micyllus ita caſtiget, neſcio. ſed in Francof. codice erat:

Molle meum levibusque cor eſt violabile telis.

Ut nos jam olim edi curavimus.

82. *Et data ſunt vitae.*] Imo, *Nec data*, quicquid obnituntur libri veteres. olim reponi placebat, *Nec data ſunt.* Nunc contendo caſtigari oportere, *Nec rata ſunt. ratum opus Parcarum* in Ibide dicet. Haec alibi pluribus illuſtramus. Heinsius. *Nec data* Francofurtenſis, quod probum eſt, & ſaepe nimium Heinſius in vocem illam *ratus* ſupponendam pronus fuit. vid. Epiſt. xvi. 279.

83. *Sive abeunt ſtudia in mores artesque magiſtras.*] *Magiſtrae* omnino ſcribendum. Arte Am. lib. iii. ỹſ. 545. id ipſum dixit:

Scilicet ingenium placida molimur ab arte,
Et ſtudio mores convenienter eunt.

Virgilius viii. 442.

——— *Omni nunc arte magiſtrâ*
Praecipitate moras.

Et xii. 427.

Non haec humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt.

Occurrit id bis terve apud Sidonium quoque Apollinarem.

Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam.
Et faceres: sed te prima rapina tenet.
Hunc si conspicias, quae conspicis omnia, Phoebe;
Jussus erit somnos continuare Phaon.
Hunc Venus in coelum curru vexisset eburno;
Sed vidit & Marti posse placere suo.
O nec adhuc juvenis, nec jam puer; utilis aetas!
O decus, atque aevi gloria magna tui!
Huc ades: inque sinus, formose, relabere nostros.
Non ut ames, oro, verum ut amare sinas.

Scribi-

linarem. sic *digiti magistri* Symposio Aenig. II. & *bonitate magistra* in Catalectis Pithoei. & *jussa magistra* apud Silium lib. III. & *Roma luxuriae magistra* apud Propertium. Noster lib. I. Art. Am.

Effugiant voces verba magistra tuae.

Sic ibi vetus codex. Oenones Epistola:

Consule, queis aetas longa magistra fuit.

Juvenalis Satyra XIII.

Nec jactare jugum vitâ didicere magistra.

Sic & *culpa potare magistra* Horatio in Satyris. *Magistra* pietate apud Statium libro I. Achill. apud Macrobium Saturnal. III. cap. XI. *Quod mihi magistra lectione compertum est.* & *argumentum magistrum* Solino cap. XXXII. ut recte viri eruditi castigarunt. Posset tamen & legi, *artisque magistra*, ut ad Thaliam referatur. HEINS. Durius illud *artesque magistrae*, scilicet, *sunt*, vel *fiunt*; nec mollius, quod Crispinus retinet, *artesque magistras*; an *studia abeunt* in *artes magistras*, id est artes abeunt in artes? vel quo sensu haec capienda sint vellem docuissent viri docti. Ego mallem,

Artisque magistra
Ingenium nobis molle Thalia facit.

Ut Thaliam magistram vocet, elegantissime, quae non modo Poëticam ipsam docuit, sed & formavit mores. ut III. Art. Am. 540.

Et facit ad mores ars quoque nostra suos.

Et seqq. ita Poëtae saepe Musas & alios Deos magistros suos vocant. & hinc Horat. I. Od. XXIV.

Praecipe lugubres
Cantus Melpomene.

Quem locum impuris manibus nuper attrectavit Gorallus, dedecus & opprobrium nostri seculi. & praeficam faciens Deam, *praecine* conjecit. cum *praecipere* proprie magistrorum verbum esse, vel pueri norint. ita Bacchum docentem carmina vidit idem Poëta II. Od. XIX. & Noster *dictantem carmina* Cupidinem saepe inducit. & paullo ante Sappho dixit:

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.

Et ita millies. sed imperitiam hujus Galluli egregie nuper vir non indoctus exposuit ludibrio, tom. XII. Historiae Criticae. pag. 133. porro pro *facit* hic antiquae editiones, & omnes fere scripti *dedit*; nisi quod in codice Wittiano erat a manu secunda. Aldus vero edidit *facit*; ut est in Francofurtensi libro: eadem varietas supra Ep. XI. 27. *Vires animus dabat.* ubi codices alii *facit.* sed *facit* rectum etiam. alibi:

Ingenium nobis ipsa puella facit.

BURMANNUS.

87. *Aurora.*] Ἀποστροφή, vel potius, Προσωποποιία. CIOFANUS.

89. *Conspiciat.*] Elegantius *conspicias*, & *conspicis*, Scriverianus *eris.*

90. *Jussus erit.*] *Eris* quidam. HEINSIUS.

93. *Nec adhuc juvenis.*] Senec. Epist. XII. *Est alter, qui annos adolescentiae excludit, est qui totam pueritiam ambitu suo adstringit.*

96. *Non ut ames oro, verum ut amare sinas.*] Sic corriges, quemadmodum id quod sequitur, *admonuit quamvis*, alii *admoneat.* IGNATIUS. In lib. Maffeiano, *sed ut amare sinas.* in quo τὸ *te* à librario omissum esse putaverim, hoc videlicet modo: *sed te ut amare sinas.* Vaticanus perspicuè habet, *Non quod ames oro, sed quod amare sinas*, fortasse non malè. Non desunt tamen, qui legant è bonis libris, *verùm ut amare sinas.* CIOFANUS. *Sed quod amare sinas*, Linacer lib. IV. de Constructi. verbi activi. ut in Trist. IV. 2.

Praemoneo numquam scripta quod ille legat.

BERSMAN. *Verum ut amare sinas*, durius, quam ut Ovidio exciderit. Scripti plerique, *sed quod amare sinas. sed te ut amare* ex veteri libro notarat Politianus. alii, *sed ut amare.* Forte:

Non ut ames, oro: me sed amare sinas.

HEINSIUS. Furorem illum, quo prosequebatur Sappho Phaonem auctor hujus Epistolae egregiè exprimit, sed cautam amabilitatis Plinius lib. XXII. 8. refert ad radicem herbae candidae, quae *centumcapita* vocatur; de qua portentosum tradunt, *radicem ejus alterutrius sexus similitudinem referre, raram inventu,*

Scribimus, & lacrimis oculi rorantur obortis.
Adſpice, quam ſit in hoc multa litura loco.
Si tam certus eras hinc ire, modeſtius iſſes;
Et modo dixiſſes: Lesbi puella, vale.
Non tecum lacrimas, non oſcula ſumma tuliſti.
Denique non timui, quod dolitura fui.
Nil de te mecum eſt, niſi tantum injuria: nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.
Non mandata dedi: neque enim mandata dediſſem
Ulla, niſi, ut nolles immemor eſſe mei.

Per

inventu, ſed ſi viris contigerit mas, amabiles fieri. ob hoc & Phaonem Lesbium dilectum a Sappho. Quod neſcio an alius quis prodiderit. BURMANNUS.

100. *Si mihi.*] Scripti nonnulli, *ſi modo.* alii, *& modo*, bene. HEINSIUS.

101. *Oſcula noſtra tuliſti.*] *Oſcula ſumma* plerique veteres. ſic *extrema oſcula*, *ſuprema oſcula*, *ultima oſcula*, & *oſcula prima*, paſſim apud Poëtas. Triſt. lib. 1. El. 111.

Saepe vale dicto rurſus ſum multa locutus,
Et quaſi diſcedens oſcula ſumma dedi.

Senec. Med.

Dum extrema natis mater infigo oſcula.

Stat. Theb. XII.

Ignem miſerae poſt ultima quaerunt
Oſcula.

Sic *prima oſcula.* 11. ex Pont. 111. 72.

Quodque tibi in cunis oſcula prima dedi.

Utraque jungit Senec. Theb. 486.

Ferat ut reverſo poſt fugam nato oſcula
Vel prima, vel ſuprema.

Mox malo, *quae dolitura fui.* HEINSIUS.

103. *Nec te admoneat.*] Sic in veteribus: & recte mea ſententia: quidam tamen *admonuit* malunt, neque id non recte. ad hoc *pignus* in quibusdam, non *munus.* NAUGERIUS. *Nec te Admonuit, quod tu munus amantis habes*, quidem vulgaris lectio habet, bono ac tolerabili ſenſu. Domitius autem pro *Admonuit*, *Admoneat* reponit potentiali modo, ut accipiatur pro Admonere poteſt. ut ſit ſenſus: Nec te poteſt admonere mei munus, quod à me habes: quia ſcilicet nullum habes. Sed hoc ille ſuo more. Egnatius cum vulgari lectione conſentit, niſi quòd pro duabus vocibus, quae verbum ipſum ſequuntur, conjunctionem *Quamvis* ſubſtituit, legens: *Admonuit, quamvis munus amantis habes.* MYCILLUS. *Nec te Admonui, quòd tu munus amantis habes*, Vatican. & Maff. Alii malunt:

——— *Nec te Admoneat, &c.* CIOFANUS.

Pignus amantis quinque libri. *Admonuit* praeterea in multis. utrumque recte. quod Naugerius etiam vidit & ad Statii Sylvas Diatribes cap. XLIX. Noſter Gronovius. HEINSIUS. Douza volebat *injuria, quae me admoneat.* Berſmannus edidit, *Admonuit, quamvis pignus amantis habes.* Contrario, ac Poëta voluit, ſenſu. nobis *Admoneat* placet, & diſtinctione eſſe juvandum locum credimus:

Nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.

Nullum tecum pignus habes, quod te admoneat mei amantis. in alia lectione ſenſum nullum video. ſi oſcula, ſi lacrimas diſcedens a me tuliſſes, ea tibi pignus eſſent, quod te admonere, & in memoriam Sappho revocare poſſet. nunc tu nullum pignus habes, quod te admoneat. & recte Gronovius vim verbi *admonere* illuſtravit, quod τῷ *oblivisci* opponitur. Statius lib. IX. 439.

Nec te admonet altrix
Unda, tuasque manus jam pridem oblite parentum
Liber?

Sic Ep. 111. 135.

Praeſentisque oculos admonuiſſe ſui.

Et Remed. Amor. 662.

Admonitu liber aberrat amor.

Et ita quae oculis incurrunt admonent. VI. Metam. 620.

Quid poſſit ab illo
Admonita eſt.

Pignus vero rectius, quam *munus.* quocumque enim fides fit, *pignus* dicitur. ut Ep. IV. 100.

Illa ferae ſpolium, pignus amoris, habet.

11. Art. 288.

Hoc Dominae certi pignus amoris erit.

11. Met. 283.

Det pignus amoris.

VIII. 92.

——— *Cape pignus amoris*
Purpureum crinem.

Sic Silius VIII.

Enſem Dardanci quaeſitum in pignus amoris.

BURMANNUS.

107. *Diſce-*

Per tibi, qui numquam longe discedat, Amorem,
Perque novem juro, numina nostra, Deas;
Cum mihi nescio quis, Fugiunt tua gaudia, dixit;
Nec me flere diu, nec potuisse loqui.
Et lacrimae deerant oculis, & lingua palato:
Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor invenit; nec pectora plangi,
Nec puduit sciissis exululare comis.
Non aliter, quam si gnati pia mater ademti
Portet ad exstructos corpus inane rogos.
Gaudet, & è nostro crescit moerore Charaxus
Frater; & ante oculos itque reditque meos.
Utque pudenda mei videatur caussa doloris;
Quid dolet haec? certe filia vivit, ait.

Non

107. *Discedat.*] Alii omnes *discedit*. Nos ex affectu optantis foeminae illum modum substituimus. ac si dicat, qui ut numquam discedat & abeat a me opto. Egnatius. *Discedat* veterum non pauci. probe, est enim optantis. Met. x.

Vel certe non hoc, qui plurimus urit (& urat)
Pectora nostra, Deo, sed victa libidine credar.

Ita locus ille scribendus. vulgatum *ussit & urit* non est nauci. Amor. III. Eleg. XI. loco itidem mendoso:

Parce per ô lecti socialia jura, per omnes
(Qui dent fallendos se tibi saepe) Deos.

Trist. II.

Per superos igitur, qui dent tibi longa dabuntque
Tempora.

Ubi similiter peccatur. Heinsius.

108. *Novem Deas.*] Musas, quae novem sunt, Jovis filiae ex Mnemosyna, quarum princeps est Calliope. Hesiodus in Theogonia, & Apollodorus lib. I. Bibliothecae. Ciofanus.

108. *Numina nostra.*] Liber Maff. *sancta:* est autem appositio. Ciofanus.

111. *Verba palato.*] Sic ii, quibus utor libri veteres. Ciofan. *Lingua* veteres. alii *verba*. Heins.

113. *Postquam se dolor imminuit, mea pectora planxi.*] Alii, *nec pectora plangi.* ubique tamen Ovidius priore verborum forma hanc sententiam contexuit, ut Canace:

Exieram thalamo, tum demum pectora planxi.

Et Medea:

Protinus abscissa planxi mea pectora veste.

Adde quod vix dicatur, nec *puduit plangi pectora*, sed *plangere*, ut *exululare*. Egnatius. Alii: *Postquam se dolor imminuit, neque pectora plangi, Nec puduit, &c.* Priorem lectionem approbat Egnatius. Posterior elegantior est: nisi quod infinitivus *Plangi* offendit, quem activè poni magis referebat. Micyllus. Iidem *invenit.* optime. ut Observationum libro secundo, cap. XXI. jam monuit idem ille praestantissimus Gronovius. Petronius, *Diu vocem neuter invenit.* & de bello Civili:

—— *Quaerit se Natura, nec invenit.*

Statius Theb. V.

—— *Postquam laxata dolori*
Vox invenit iter.

Sic scribo. non *dolore.* Quod Virgilius lib. X. paullo aliter effert:

Et via vix tandem voci laxata dolore est.

Ubi etiam scriberem libenter *dolori.* in loco tamen Curtiano libro IX. quem vir idem doctissimus adduxit, illud, *liberius dolor ejeri coepit amantibus lacrymis*, non ausim damnare, si veterum librorum nitatur auctoritate, cum Noster in Tristibus quoque dicat:

Aufertur lacrymis egeriturque dolor.

Nec necesse pro *raptis* capillis *ruptos* reponi lib. III. Art.

Nos male detegimur, raptique aetate capilli,
Ceu Borea frondes excutiente, cadunt.

Ep. Ariadnes:

Utque erat è somno turbida, rapta coma est.

Art. Am. III.

Nec raptus flendi causa capillus erit.

Ubi Passeratius ad Propertium male *carptus* lectum velit. Heinsius. Vid. supr. ad Ep. X. 16.

114. *Raptis.*] Iidem libri *sciissis.* placet. Ciofan.

115. *Ademti.*] Mortui. libri IV. De Ponto Eleg. X.

Jure igitur lacrimas, Celso libamus adempto,
Cùm fugerem, vivo quas dedit ipse mihi.

Ciofanus.

116. *Portet.*] Quidam codices *ferret.* sed rectum est prius. Catull. Epithal. 83.

Funera Cecropide, nec funera, portarentur,

Juven. Sat. III. 32.

Portandum ad busta cadaver,

Et

Non veniunt in idem pudor atque amor. omne videbat
Vulgus; eram lacero pectus aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon: te somnia nostra reducunt;
Somnia formoso candidiora die.
Illic te invenio; quamquam regionibus absis;
Sed non longa satis gaudia somnus habet.
Saepe tuos nostra cervice onerare lacertos,
Saepe tuae videor suppositisse meos.
Blandior interdum, verisque simillima verba
Eloquor: & vigilant sensibus ora meis.
Oscula cognosco, quae tu committere linguae,
Aptaque consueras accipere, apta dare.
Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt:
Et juvat, & sine te non libet esse mihi.

At

Et Sat. x. 260.

Hectore funus
Portante. HEINSIUS.

Portet in exstructos codex Merani. Duo alii, *ad extremos.* Lincol. *ad exstinctos.*

117. *E nostro crescit moerore.*] Eleganter. Paulinus Oratione ad Deum, carmin. 111.

Non obitu adfligar cujusquam, aut funere crescam.

Seneca Medea:

Quid misera feci? misera, poeniteat licet,
Feci. voluptas magna me invitam subit.
Ut, ecce, crescit!

Sic emendo. nisi malis, *Et caede crescit*, vel *ex scelere.* Vulgati, *Et ecce crescit.* Glossarium MS. Vossianae Bibliothecae, *Ovare, crescere, gaudere.* Est autem gaudio exultare, & invidorum proprium est; eandem Phrasin nos Belgae adhuc habemus, Hy groeyt daer in. similis locus apud Stat. VIII. Theb. 754. de Tydeo:

—— *Laevaque receptum*
Spectat atrox hostile caput, glisitque tepentis
Lumina torva videns.

Quem locum acceptum referimus admirandae eruditionis viro J. F. Gronovio. *Glisere* autem idem est, quod *crescere* hic. Liv. II. 27. *Saevire inde utique consulum alter Patresque. sed plebi creverant animi.* nim. ex odio. eadem ratio est vocis *Pasci*; qua utitur Met. VI. 280. de Niobe:

Pascere crudelis nostro Latona dolore,
Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu.

Et Amor.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.

HEINSIUS. Cicero saepius hac eleganti locutione usus, & aliquando paullo alia significatione, pro gloria, fama, opibus, honoribus augeri. pro Cluentio cap. 28. *Oblatam sibi occasionem putavit, ut ex invidia Senatoria posset crescere.* v. Verrin. 67. *Denique si videor hic, id quod ego non quaesivi, de uno illo voluisse crescere, isto absoluto; quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit.* pro S. Rosc. 30. *Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere.* Livius XXXV. 19. *Itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere liceat, aliam materiem crescendi, quam ex me quaerant.* & XXXIX 36. *In invidia Censores cum essent, crescendi ex his nactus occasionem Cn. Baebius.* Quinct. Decl. v. Princip. *Adversa quae de solatiis remediisque creverunt.* ubi est alimenta ceperunt ex solatiis & remediis, quae quotidie renovarunt & auxerunt. *Incrementa de aliquo quaerere*, dixit Justinus lib. XXV. 3. *Perpetuis crescere rapinis.* Claud. II. Rufin. 318. BURM.

119. *Pudenda mei.*] *Pudenda magis.* Regius.

120. *Filia.*] Quam habuit ex Cercola. Suidas. v. notas Ursini ad Fragmenta Sapphûs p. 287. meminit ejus & Max. Tyrius. HEINSIUS.

124. *Formose.*] *Formosa* Merani codex.

131. *Committere linguae.*] *Lingua* Francof. non male. conjuncta oscula per linguam indicat. vid. II. Amor. v. 257. ubi *nexa linguâ oscula* & v. 60. *juncta oscula.* ut & alibi, quae hic *commissa* dicit. BURMANNUS.

133. *Ulterius pudet hic.*] Sic nostri libri scripti. CIOFANUS. *Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt* etiam recte ex suis Naugerius. lib. v. Fast. 532.

—— *Pudor est ulteriora loqui.*

Lib. III. Art. 769.

Ulteriora pudet docuisse. sed alma Dione,
Praecipue nostrum est, quod pudet, inquit, opus.

HEINSIUS.

134. *Et juvat, & sine te non libet esse mihi.*] *Non libet* bene quatuor libri. Opinor scribendum:

—— *Sed omnia fieri*
Et juvat, & sine te non libet esse mihi.

Saepe *libet* in *licet* degeneravit. sic lib. II. Art. Am. II. 327.

At cum se Titan ostendit, & omnia secum;
Tam cito me somnos destituisse queror.
Antra nemusque peto; tamquam nemus antraque prosint.
Conscia deliciis illa fuere tuis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine jacente, feror.
Antra vident oculi scabro pendentia topho,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant.

Invenio

——*Quotiesque libebit,*
Quae referas illi, somnia laeta vide.
Fast. VI.

Nec libet, & longum est epulas narrare Deorum.
Ita locis istis scribendum. HEINSIUS. Nulla hic mendi suspicio interpretibus suborta fuit. quod miror: nam si verba efficacissima & electa ad arcanas veneris notas, quas optime mysta noster callebat, indicandas, quibus Sappho plenam voluptatem, quam in somniis videre & sentire solebat, exprimit, expendissent, facile vidissent jejune admodum illud subjici, *& sine te non libet esse mihi.* quod etiam de amore modico, & primum nato dici posset. vix enim durare sine amatore suo puellas, quam primum tactae sunt, posse, notum est. & illa locutio *sine te*, nihil nisi praesentiam amatoris, quam desiderare videtur, indicare potest. ita III. Am. XI. cum dixisset:

Nequitiam fugio, fugientem forma reducit.
Mox addit:
Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum.

Quae cum ita sint, quanti non faciendus codex ille Francofurtensis, qui solus servavit veterem, & reliquis librariis non intellectam scripturam:

Et juvat, & sicca non licet esse mihi.

Legendum nimirum minima mutatione *siccae.* tam vivam sibi per quietem imaginem libidinis & voluptatis verae obvenire fatetur, ut non licuerit in toro siccae jacere. sic apud Nostrum IX. Met. 484. Byblis, incestum pari fere modo somnium narrans:

Gaudia quanta tuli! quam me manifesta libido
Contigit, ut jacui totis resoluta medullis!
Ut meminisse juvat, quamvis brevis illa voluptas.

Simili modo *siccam* vocat Noster, cui hebes locus ille torpet, puellam. II. Art. Am. ubi cum v. 683. dixisset:

Odi concubitus, qui non utrumque resolvunt,
Addit:
Odi quae praebet, quia sit praebere necesse,
Siccaque de lanâ cogitat ipsa suâ.

Et ita cape illa Martialis XI. 17.

Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges. sis Patavina licet.

Vide etiam quae olim ad Petron. c. XXXVII. notavimus. & hoc jam exigit verbum praecedens *juvat.* cum enim juvat puellam coitus & sentit, a libidinis sensu resolvi necesse est. & eo sensu saepe Noster & alii utuntur. Noster I. Am. IV. 67.

Si mea vota valent, illum quoque nil juvet opto;
Sin minus; at certe te juvet inde nihil.

II. Art. 681.

Illis sentitur non irritata voluptas,
Quod juvet, ex aequo femina virque ferant.

III. Art. 793.

Sentiat ex imis venerem resoluta medullis
Femina, & ex aequo res juvet illa duos.

Et mox 803.

Quod juvet, & voces & anhelitus arguat oris.

Hero de simili somnio Ep. XIX. 63.

Multaque praeterea linguae reticenda modestae
Quae fecisse juvat, facta referre pudet.

Unde videmus, quam recte *juvat* Crispinus exposuerit *prodest.* nulla autem parte verae & robustae voluptatis se in somniis fraudari indicant verba, *omnia fiunt.* sed de quibus vide ad Petronium cap. XI. satis enim jam Pudori vim fecimus. & Goralium, Aristophanicum Theologum, metuo, qui tales sibi ab aliis delicias praeberi dolebit, cum ipse ex Catullo nequiores Gallulis suis apponere soleat nequitias. BURMANNUS.

138. *Fuere tuis.*] *Meis.* Editiones plurimae, & codices Francof. & sex alii.

139. *Furialis Erichto.*] Erichto Thessalica venefica, sive maga, fuit, cujus opera Pompejus quoque usus fuit. de qua prolixe Lucan. lib. VI. sed hic Ovidius pro generali nomine veneficarum posuisse videtur, speciem pro genere usurpando. MICYLLUS.

140. *Impulit.*] Scripti multi cum primis editionibus *Attulit.* Unde *Attonat* olim fingebam. de quo verbo lib. III. Metam. v. 532. Nunc *Abstulit* repono, propius insistens vestigiis scriptae lectionis. similis diversitas scripturae in Statio Theb. IV. 256.

Quas non ille duces nemorum fluviisque dicata
Numina, quas magno non abstulit igne Napaeas.

Ita

Invenio ſilvam, quae ſaepe cubilia nobis
Praebuit, & multâ texit opaca comâ:
At non invenio dominum ſilvaeque meumque.
Vile ſolum locus eſt: dos erat ille loci.
Agnovi preſſas noti mihi ceſpitis herbas:
De noſtro curvum pondere gramen erat.
Incubui; tetigique locum, qua parte fuiſti;
Grata prius lacrimas combibit herba meas.

Quin

Ita enim veteres membranae. Noſter ſupra:

Quid mirum, ſi me primae lanuginis aetas
Abſtulit?

Epiſtola Paridis 199.

Phryx erat Aurorae conjux: tamen abſtulit illum
Extremum noctis quae Dea finit iter.

Lib. I. Artis Amat. 561.

Implicitamque ſinu (neque enim pugnare volebat)
Abſtulit.

Lib. II. 91.

Decidit, atque cadens, Pater, ô pater, auferor, inquit.

Et mox 140.

——*Subitus cum Pergama fluctus*
Abſtulit.

Hinc patet, cur *ablatum cervum* lib. I. Metam. in deſcriptione diluvii Deucalionei dixerit, ubi *alato* inſulſe reponebant. Remed. Amor. *Auferimur cultu.* Epiſtola Hypſip. 131. *ô demens, Colchiſque ablate venenis.* Senec. Agamem.

Sed nulla Atriden Venere furtiva abſtulit.

Cornelius Severus apud Senecam:

——*Sed enim abſtulit omnes,*
Tanquam ſola foret, rapti Ciceronis imago.

Hoc eſt, in ſe convertit omnes. Statius Theb. VI.

Plenius omnes
Abſtulit in ſe oculos. HEINSIUS.

Ego conjecturae huic Heinſii minime aſſentiri poſſum, ut qui *impulit* multo gravioris ſignificationis verbum putem, quam *abſtulit*. & hic de furore, vel ei certe ſimili affectione agitur. ſic Valer. Flac. III. 265.

Ceu pavet ad crines, & triſtia Pentheos ora
Thyas, ubi impulſae jam ſe Deus agmine matris
Abſtulit.

Lib. IV. 32.

Hortator poſtquam furiis & voce nefanda
Impulit Oenides.

Et ita paſſim Poëtas loqui ipſe Heinſius notavit ad ejusdem Poëtae lib. III. 325. *Totamque Deus ſimul impulit urbem.* & de alia graviſſima affectione, qua praecipites homines aguntur, ad Vellej. Paterc. II. 33. Sequentia, *In collo crine jacente*; ut vaticinanti & furioſae reſpondent, & praecipue ita verbum *feror* egregie congruit: *Ferri* enim impulſi furiis, & graviſſima perturbatione mentis, proprie dicuntur. Horat. I. Sat. IV. 30.

Quin per mala praeceps
Fertur.

Virgil. II.

Fertur in arma furens.

Cicero pro Quinct. XI. *Id Sex. Naevius non faceret, qui uſque eo fervet, ferturque avaritia.* ſi quid mutandum vero hic eſſet, arrideret impenſe Francofurtenſis codicis lectio, in quo eſt *Attigit* nam *tangi, contingi* proprie in furorem actae dicuntur Ep. IV. 50. *Numine contactas attonuere ſuo.* Vide Heinſ. ad III. Amor. I. 64. idem codex habebat, *Furialis Enyo.* Palat. & Franc. *Erinnis.* BURMANNUS.

141. *Scabro pendentia topho.*] *Tophus* lapis ſcaber & pumicoſus, familiaris ſpecubus & antris montium eſt. *Pendentia* autem, quod Domitius exponit ſublimia, pro arcuata & ſuſpenſa magis accipiendum. MYCILLUS. Vid. III. Amor. I. 3. *Scaber* autem tophus etiam eſt in Catalectis Pithoei. p. 32.

Decidens ſcabrum cavat unda tophum.

Sequenti verſu Scriverianus, *qui mihi erat.* ut de topho capiatur, qui inſtar marmoris erat Sappho, propter delicias, quibus in Antris illis perfrui ſolebat. BURMANNUS.

144. *Preſſit opaca.*] Multo rectius iidem libri & quidam alii, *texit opaca.* CIOFANUS. *Multis preſſit opaca comis.* MS. Berſm.

145. *Sed non.*] *At non* ſcripti. mox *agnovi* pro *cognovi* quidam. HEINSIUS.

147. *Agnovi.*] Unus Heinſii, *agnovi preſſas, veſtigia corporis, herbas.* non invenuſte. *Modo vivi* in uno Regio, *modo noti* Merani.

150. *Grata prius lacrimas cum bibit herba meas.*] Omnes hactenus *combibit*, legêre: mihi *cum bibit* non diſplicet: ut hic planè ſit ſenſus, incubuiſſe ſe in locum frequentius, ubi ante jacuerant, cum interim herba locuſque, ante illi gratus, exciperet ſuas lacrimas, quae fluerent ad memoriam Phaonis. ſi quis tamen & *combibit* probat, non admodum repugnem. EGNATIUS.

Quin etiam rami positis lugere videntur
Frondibus; & nullae dulce queruntur aves.
Sola virum non ulta piè moestissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores.
Hactenus; ut media cetera nocte silent.
Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amni,
Fons sacer: hunc multi numen habere putant:

Quem

152. *Nullae.*] Ubi olim *mille* nullo sensu, emendabis *nullae*; aliter & syllaba nutet, & sensus non quadret. EGNATIUS.

153. *Non ulta prius.*] Emendabis *Piè. Prius* enim cassa vox semper vita est, ac nihili. EGNAT. *Sola virum non ulta prius moestissima mater* Domitius legit. ut sit sensus: Sola mater, quae ob id moestissima est, quòd non prius occiderit virum, quàm filium, &c. Sed alii pro *Prius*, *Piè* legunt, hac sententia: Sola mater, quae impiè ulta est virum. Impiè scilicet, quòd in eo ulciscendo filium interfectum epulandum apposuit. MICYLLUS. *Non prius moestissima mater* lib. veteres habent. aliis placet, *non piè.* quos ego nihil moror. CIOFANUS.

155. *Sappho miseros decantat amores.*] Vatic. *desertos cantat amores.* Maff. *desertos quaeret amores.* CIOFANUS. *Desertos* habent omnes codices meliores. ita *deserta amica* Remed. Amor. 125. HEINS. Francius conjiciebat, *discerptos*, vel *divulsos*, vel *diruptos*, aut *disruptos.*

156. *Hactenus: ut media cetera nocte silent.*] Scripti quidam *& media.* perperam. nam & pari modo est locutus in Fastis lib. v. 611.

Hactenus: ut vivo subiit rorantia saxo
Antra. HEINSIUS.

157. *Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amne.*] Alii aliter:

Est nitidus, vitroque magis perlucidus amnis.

EGNATIUS. *Est nitidus, vitroque magis perlucidus amnis.* haec Naugeriana lectio. sed ridicule fontem & amnem eundem facit. primae editiones & scripti plerique, *vitreoque amne.* Mazarinianus, *vitreoque amni.* Scribe, *vitroque magis perlucidus omni.* Sic *Fons Blandusiae splendidior vitro* apud Horatium. lib. III. Od. XIII. ita Poëtae passim. Horat. I. Od. XVIII.

Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

Apulej. I. Metam. *Flavius ignavus ibat, argento vel vitro aemulus in colorem.* & magis apposite libro V. *Videt fontem vitreo latice perlucidum luci meditullio.* ubi non sunt audiendi codices, in quibus *placidum*, quod temere arripuerunt pro *perlucidum*, cum *placidiore animo* praecessit. HEINSIUS. Nos retinuimus, *vitreoque magis perlucidus amne.* ut est in Francof. & plerisque aliis; nam amnes passim vitrei. vid. Bernard. ad Stat. I. Silv. III. 73. BURMANNUS.

159. *Quem supra.*] Ἀναστροφή. CIOFANUS.

159. *Extendit.*] In nonnullis *expendit.* in aliis *expandit.* recte omnia. NAUGERIUS. Libri veteres *expandit.* placet. CIOFANUS. *Expandit* primae editiones & scripti plerique. Virgil. VI 282.

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens.

Ubi vid. Serv. Ausonius:

Et passura comas radicitus erigitur sirps.

Paullinus nono Felicis natali:

Nam patulos platanus ramos expandit in umbras.

Corippus Africanus de arbore I. 233.

Expandit satiata comas, & nubila supra est.

Idem de arbore prostrata:

Languida per latas expandit brachia terras.

Hinc *Patula* arbor Virgil. Culic. v. 16.

Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte.

Et ita saepe simplex *pandere.* Art. Am. III. 500.

Plenaque curvato pandere vela sinu.

Ubi male turbant MSS. Horat.

Picta pandit spectacula cauda.

Pandere retia Met. IV. ex MSS. Virgilius tamen II. Georg. 287.

Neque in vacuum poterunt se extendere ramis.

Et v. 296. *tendere*:

Tum fortis late ramos & brachia tendens
Huc illuc.

Et Senec. Oedip. 534.

Curvosque pondit quercus & putres situ
Annosa ramos.

Et Silius lib. v. 481.

Annosa excelsos tendebat ad aethera ramos
Aesculus. HEINSIUS.

Vide Heinsium ad Valer. Flac. I. 400.

159. *Aquatica lotos.*] Ita & lib. IX. Met. 347. ut ab alia Loto distinguatur. Lotam vero Nympham in fabam Syriacam mutatam narrat Servius ad I. Georg. 84. sic & Isidorus de Mella lib. XVII. c. 6. nam & *mella* & *faba Syriaca* dicebatur Lotos, sed faba Graeca frequentius. BURMANNUS.

160. *Una nemus.*] Quid enim sibi velit vetus lectio non video, *unda nemus*, quando & Domitius jam antè id agnovit, & sensus *una* exposcit. EGNATIUS. Sic & Met. lib. VIII. 744.

Stabat

Quem ſupra ramos expandit aquatica lotos,
Una nemus: tenero ceſpite terra viret.
Hic ego cum laſſos poſuiſſem fletibus artus,
Conſtitit ante oculos Naïas una meos.
Conſtitit, & dixit, Quoniam non ignibus aequis
Ureris, Ambracias terra petenda tibi.
Phoebus ab excelſo, quantum patet, adſpicit aequor:
Actiacum populi Leucadiumque vocant.

Hinc

Stabat in his ingens annoſo robore quercus,
Una nemus. HEINSIUS.

Plinius lib. XVI. 44. *Vicina luco eſt ilex, & ipſa nobilis* XXXIV. *pedum ambitu caulicis, decem arbores amiciens, ſingulas magnitudinis vicinae, ſilvamque ſola facit.* ita Heinſius notavit è membranis legendum. vulgo, *decem arbores mittens.* imitatus eſt & Ovidium Paullinus de vita Martini II. 259. *Arboris unius denſum nemus.* ubi Barthius alia exempla dabit. nec hinc abludunt illa Senecae Oedip. 542.

Medio ſtat ingens arbor, atque umbra gravi
Silvas minores urget, & magno ambitu
Diffuſa ramos, una defendit nemus. BURMAN.

161. *Laſſos.*] *Feſſos* iidem libri. CIOFANUS.

161. *Poſuiſſem flebilis artus.*] *Fletibus* quatuor ſcripti. placet. HEINSIUS.

162. *Ante oculos viſa eſt Nais adeſſe meos.*] Non poſſum non admirari tantam lectionis varietatem in codicibus deprehendi: vetus enim lectio ſic ferme habet:

Formoſus puer eſt viſus adeſſe mihi.

Nunc alii diverſe legunt:

Conſtitit ante oculos Naïas una meos.

Ubi miror, quid ſibi velit hoc nomen, quod quidam legunt per *ypſilon.* Manu ſcriptus codex noſter ſic habuit, ut emendavimus. Quam igitur malint, eam ſequantur. Illud teſtari poſſum, veteri ſi lectioni ſteteris, diſſentire à ſeſe Ovidium, qui ſtatim non ad Cupidinem, ſed ad Nympham, id eſt, hanc Naiada, converſam Sappho faciat, cùm inquit: *Ibimus ô Nymphe:* quo in verſu gravis inſederat error, ut Nymphas alloqui videretur, cùm Naiadem Nympham, quae oculis objecta illi fuerat, alloquitur, & ſic *Nymphe* vocandi caſus erit, Graecorum more unitatis numero. EGNATIUS. *Conſtitit ante oculos Naïas una meos,* eſt in veteribus. & profecto recte: inferius enim, *Ibimus ô Nymphe.* quidam aliter legunt; mihi, cum ſequatur *conſtitit* & *dixit*, repetitum id *conſtitit*, & Ovidianum maxime & perelegans videtur. NAUGERIUS. Hic verſus variè legitur. Alii, ut hic citavimus, *Naïas* diviſa media legunt, tribus ſyllabis: & ita etiam in Aldinis ſcribitur. Alii mutato parumper verſu legunt:

Ante oculos viſa eſt Nais adeſſe meos.

Quae lectio concinnior paulo eſt, & pluribus etiam placet. Sed hoc incommodi tamen habet; quòd dictio *Nais* omnino generaliter & indefinitè ponitur: cum non habeat cui adſtringatur, ut ſuprà *Naïas una*, qua certa & definita quaedam ſignificatur. Tertia lectio, quam vetuſtiorem ceteris aſſerunt, à reliquis planè diverſa eſt: ita enim habet:

Formoſus puer eſt viſus adeſſe mihi.

Qui puer de Cupidine intelligendus. MICYLLUS. Noſtri ferme habent:

Formoſus puer eſt viſus adeſſe mihi.

CIOFANUS. *Conſtitit ante oculos Naïas una meos,* haec etiam Naugerio debentur. Noſtri cum vulgatis, inepte:

Formoſus puer eſt viſus adeſſe mihi.

Repone in Naugeriana lectione *Naïas uda*, & refer ad Naïada hujus fontis. ſic *uda Thetis.* lib. XI. Met. & *Tyberinides udae.* lib. II. Faſt. v. 597. ex antiquis codicibus. ubi Naïadas Tyberinas innuit. HEINS. recte habet ſe *una.* ut redundet, de quo loquendi genere cum alii jam egere, tum Pricaeus ad Matthaei cap. VIII. ℣. 17. Noſter ipſe Metam. VIII. 786.

Montani numinis unam
Talibus agreſtem compellat Oreada dictis.

v. Faſt. 663.

Edidit Arcadiis Pleias una Jovi.

Ubi etiam Bentlej. ad Horat. I. Od. X. reponi vult *uda.* ex his Heinſii notis conjecturam, ut videtur, arripiens. ſed una *Pleias* eſt una ex Pleiadibus. Vorſtius de Latinitate falſo ſuſpecta cap. IV. & V. & alibi Latine ſatis dici oſtendit. Terent. And. I. I. *Forte unam adſpicio adoleſcentulam.* Valer. Max. III. II. 10. *Virgam in unius Barbari oculum direxit.* Et ita paſſim veteres. Petron. XXVI. *Unus ſervus Agamemnonis.* ubi vid. Comm. BURMANNUS.

163. *Quoniam non ignibus.*] *Quid nunc non.* Berſm. Edit. ſed editiones vetuſtiores & omnes Heinſii codices, *quae nunc non.*

164. *Ambracia eſt terra petenda tibi.*] Libri veteres *Ambrachiis*, *Ambrachiae*, *Ambrachis.* Optime Vatinianus unus, *Ambracias*, Graeco more. Horatius I. Od. 22.

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit eſculetis.

Hinc se Deucalion, Pyrrhae succensus amore,
Misit, & illaeso corpore pressit aquas.
Nec mora: versus Amor tetigit lentissima Pyrrhae
Pectora; Deucalion igne levatus erat.
Hanc legem locus ille tenet. pete protinus altam
Leucada; nec saxo desiluisse time.
Ut monuit; cum voce abiit. ego frigida surgo:
Nec gravidae lacrimas continuere genae.

Ibimus,

Ita in duobus veterrimis libris inveni scriptum. egregie. Vulgati *Daunia in latis.* Seneca Hercule Oetaeo:

—— Te Rhodope tulit,
Te praeruptus Athos, te fera Caspias,
Quae virgata tibi praebuit ubera.

Sic & ibi optimus Medicêus. ita *Appias via* pro *Appia* non uno loco apud Nostrum, & apud Ciceronem. *Cepheſias ora* lib. VII. Metam. Festus Avienus Descriptione Orbis:

—— Eois
Hadrias unda vadis largam procul expuit algam.

Remedio Amoris Noster:

Quid te Phasiados juverunt gramina terrae.

Quomodo ex vestigiis antiquae lectionis videri scribendum illic monebitur. *Amazonias securis* Nostro lib. III. El. I. Pont. ut videtur & illic corrigendum. sic *Pelias hasta* apud Nostrum non uno loco. *Amathusias renidens* pro Venere Symmachus in versibus à me emendatis ad lib. X. Met. v. 558. sic *Actias Cleopatra* Statio in Silvis. in Propem. Celeris, 120.

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Et *Actias Orithyia* Virgilio. *Isthmias lucta* apud Apulej. de dogmate Platonis: *Doctores habuit in prima literatura Dionysium, at in palaestra Aristonem Argis oriundum, tantosque progressus exercitatio ei contulit, ut Pythia & Isthmiade lucta decertaverit.* quomodo castigandum: nam editio Romana princeps, *Isthmia de lucta*, alii codices, *Isthmia delucta.* unde variae conjecturae natae. Steph. Byzant. Ἐγὶ καὶ Κορίνθου Ἰσθμος, ἐν ᾗ Ισθμιος Ποσειδων, καὶ νικὴ Ἰσθμια καὶ Ἰσθμιάδες σπόνδαι. Apud Apollodorum τρίτης Ἰσθμίαδος τελουμένης. sic & νικὴ πύθια, similiaque apud scriptores Graecos. vid. Salmas. ad Histor. Aug. p. 267. *Nasamonias Arpe* Silio lib. II. 116.

Oppositо procul insidiis Nasamonias Arpe
Corpore praeripuit lethum.

Sic & *Sidonias* apud eundem lib. XIV. 270. utrumque ex optimo codice. Heins. *Ambracian* reddidit etiam Ovidio lib. XIII. Met. 714. Heinsius. sed *Daunias militaris* non tolerat Clarissimus Bentlejus in Horatio. sic *Jonias*, de quo ad Epist. IX. 73. *Phasias.* Ep. VI. 103. *Phtias.* VII. 165. Burm.

165. *Phoebus.*] Ille ab Ambraciotis magna veneratione colebatur. vid. Antonin. Liber. Fabul. IV.

166. *Actaeum populi Leucadiumque vocant.*] *Actaeum* vocant populi, inquit, *Leucadiumque.* Hoc à vulgato nomine insulae scilicet, illud ab antiquo. Nam & Strabo tradit lib. 10. Leucadem antiquitus Chersonesum, sive peninsulam fuisse, Acarnaniae connexam, quam Homerus vocarit Ἀκτὴν ἠπείροιο. Eam terram, quae è regione Ithacae ac Cephaleniae est, id est, ipsam Acarnaniam, Epirum appellando. Versus Homeri sunt Odyss. ultimo, ν. 375.

Αἳ γὰρ Ζεῦτε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον
Οἷος Νήριτον εἶλον ἐυκτίμενον πτολίεθρον,
Ἀκτὴν ἠπείροιο, κεφαλλήνεσσιν ἀνάσσων, &c.

Quare *Actaeum* hoc loco gentiliter ac proprie accipiendum: non appellativè, ut Domitius exponit, pro littorali. Micyllus. *Actiacum* Scaliger. ut & Sarravianus. Infrà:

Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras.

Ab *Actio* oppido tamen Ambracici sinus, quod *Actie* aliis dictum, etiam *Actaeum* deducitur. hinc Ἀκταῖος Ἀπολλῶν καὶ Ἀκτίακος, teste Stephano Byzantio. contra ἀπὸ τῆς Ἀκτῆς, quae Ἀκτικὴ etiam dicitur, & nomen mutuata est ἀπὸ Ἀκταίου τοῦ αὐτόχθονος, Ἄκτιος deducitur nonnumquam, ac proinde etiam Ἀκτίακος, quomodo apud Euphorionem in Dionysio Ἄκτιος Αἰγεὺς & apud Maronem *Actias Orithyia.* vide plura ad Fastor. lib. I. 711. sic contra apud Sammon. Comp. XVI. *Actaeo melli* legendum, pro *Actiaco.* Heins.

169. *Nec mora, jussus amans tenuit lectissima Pyrrhae Pectora, Deucalion igne levatus erat.*] Admonuimus jam aliàs varietatem lectionis incredibilem deprehendi in hac Epistola. Nam quidam adeò diversi abeunt, ut nec verba, nec sensus cum veteri lectione conveniant. Mihi non tantum animi fuit, ut tantam immutationem admitterem, integrum relicturus aliis, quid magis illi probaturi sint: alii igitur fortasse non male:

Nec mora, versus amor fugit lentissima mersi
Pectora, Deucalion igne levatus erat.

Egnat. *Nec mora, jussus amans tetigit lactissima Pyrrhae*

Ibimus, ô Nymphe, monſtrataque ſaxa petemus.
Sit procul inſano victus amore timor.
Quidquid erit, melius quam nunc erit. aura, ſubito:
Haec mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas ſuppone cadenti:
Ne ſim Leucadiae mortua crimen aquae.
Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam:
Et ſub ea verſus unus & alter erunt.

Grata

Pyrrhae Pectora, &c. Ita vulgaris lectio habet. In Aldinis autem legitur hic verſus hoc modo: *Nec mora, verſus amor fugit lentiſſima merſi Pectora.* Cujus ſententia aliquanto propius accedit ad propoſitum, quod eſt, ut amor ab eo diſcedat, qui ſe ex Leucadio monte praecipitaſſet. Quanquam enim ſuperior lectio idem concludat, ea tamen, quae in priore verſu dicuntur, etiam aliud quiddam innuunt: quaſi ſcilicet neceſſe fuerit, antè etiam amplexari eum, à cujus amore diſſolvi velles. Merito autem aliquis miretur tantam lectionis diverſitatem in hac Epiſtola, ſive ea librariorum negligentia, ſive emendatorum aemulatione accidit. Planeque hinc verum eſſe apparet, quod Timonem Nicaeum Arato quondam dixiſſe ferunt, eos libros eſſe emendatiſſimos, qui quàm minimum fuiſſent emendati. Sed haec, utut ſunt, relinquamus. MYCILLUS. Iidem libri, *juſſus amor.* locus mendo non caret, quod alii ſubſtituunt, divinare eſt. CIOFANUS. *Nec mora verſus amor fugit lentiſſima merſi Pectora* Naugerius. Scripti noſtri, *juſſus amor tetigit laetiſſima Pyrrhae*, vel *juſtus amor*, vel *juſſus amans. Pyrrhae* tamen omnes. Scribo:

Nec mora: verſus amor tetigit lentiſſima Pyrrhae Pectora.

Verſus amor, ut Epiſtola Briſeïdis:

Aut ſi verſus amor tuus eſt in taedia noſtri.

Lentus proprie, qui tarde ſe promovet, ſed & pro flexibili ſumitur, & pro ſecuro atque otioſo, etiam pro frigido & remiſſo, quemadmodum hic loci. Gloſſae Stephani, *Lentus*, Εὔτονος, Λεπτὸς, Ἀργός. *Lentus*, qui tarde iraſcitur, ubi de ira agitur. ſic Ep. Helenes 249.

Tu fore tam lentum juſta Menelaon in ira?

Marcianus Capella. lib. VII.

Optati lentus amoris
Gaudia longa trahis.

Aul. Gell. lib. I. cap. ult. de Plutarcho: *Tum lente & leniter, Quid autem, inquit, nunc tibi verbero iraſci videor? ex vultune meo, an ex voce, an ex colore correptum eſſe me ira intelligis?* Amor. lib. II. Eleg. ult.

Lentus es, & pateris nulli patienda marito.

Lib. III. Eleg. VI.

Ille habet & ſilices & durum in pectore ferrum;
Qui tenero lacrymas lentus in ore videt.

Hoc eſt qui lacrymis non movetur. ſic ibi vetus codex. eſt autem convicium amatorium. ita Penelope initio Epiſtolae *lentum* vocat Ulyſſem. Phyllis Demophoonti, *At tu lentus abes.* & noſtra Sappho Phaoni, *Lente redi.* tum:

Hoc te, ſi ſaperes, lente, decebat opus.

Ep. Herus 81.

Certe ego tum ventos audirem lenta ſonantes.

Hoc eſt ſecura. & Triſt. II.

Scenica ſpectaſti lentus adulteria.

Quomodo illis locis eſt legendum. Vide Notas ad Ep. XIX. v. 81. & Remed. Amor. v. 774. Hinc *relenteſcere*, Remed. Amor.

Neve relenteſcat ſaepe repulſus amor.

HEINSIUS.

171. *Hanc legem locus ille tenet.*] De hoc ſcopulo, qui ſaltus amantum dicebatur. vid. Serv. ad Virgil. Eclog. IX. 57. & Voſſ. ad Catull. carm. 67. Ptolem. Hephaeſt. lib. VII. apud Photium Canone CXC. qui plures, qui ſe inde praecipitarunt, enumerat; Sapphûs tamen, quod mirere, nulla ibi fit mentio. & Athenaeus lib. XIV. c. 3. narrat Calycam amore Euathli captam ſe praecipitio ex hoc ſcopulo interemiſſe. vide & Scaliger. ad Auſon. Cupid. cruci affixum. v. 24. Menander apud Strabon. lib. X. primam deſiluiſſe ex Leucade Sappho tradit. BURMANNUS.

173. *Ego territa.*] Maffeian. *frigida.* CIOFANUS. *Frigida* ſcripti noſtri. unus *Pallida.* HEINS. Francofurtenſis pentametrum ita exhibet, *Nec lacrimas oculi continuere mei.*

175. *O Nymphe.*] Vocandi caſus eſt unitatis numero, & Graeco more enuntiatus. EGNATIUS. Vocativo caſu *Nymphe* legendum: non per diphthongum, ut in quibuſdam malè ſcribitur. Eſt enim apoſtrophe ad Naïdem, cujus conſilio ſe parituram dicit. MICYLLUS.

178. *Et mea.*] Scriverianus *haec mea*, δεικτικῶς, eleganter.

182. *Erit.*] *Erunt* bene Sarravianus. HEINSIUS. Conſentit Francofurtenſis.

183. *Po-*

Grata lyram posui tibi, Phoebe, poëtria Sappho:
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.
Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
Cum profugum possis ipse referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda:
Et forma & meritis tu mihi Phoebus eris.
An potes, ô scopulis, undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meae?
At quanto melius jungi mea pectora tecum,
Quam poterant saxis praecipitanda dari!
Haec sunt illa, Phaon, quae tu laudare solebas;
Visaque sunt toties ingeniosa tibi.
Nunc vellem facunda forent. dolor artibus obstat;
Ingeniumque meis substitit omne malis.

Non

183. *Posuit.*] *Posui* maluerim. patet ex sequenti versu; & sic Farnesianus cum uno meo. Propert. II. Eleg. XIV.

Hace pono ante tuas tibi, diva, Propertius aedes.
HEINSIUS.

183. *Poëtria Sappho.*] Domitius & alii *Poëtica Sappho* (ignoscant illi) tam perperam legunt, quam interpretantur: nemo enim nescire potest, qui vel Graecis elementis imbutus sit, non dici substantive umquam sic *Poëticam*: dicimus enim Poëticam artem, ut Horatii *ars Poëtica*, sed *Poëtriam* muliebri genere, ut Poëtam, quod Graecis in primis peculiare est: nomina namque hac forma apud illos multa. ut ψάλτρια, μαΐήτρια, ποιήτρια. EGNATIUS. *Poëtica Sappho* communiter legitur, pro ea quae circa rem Poëticam versatur. Egnatius autem contendit, *Poëtriam* legendum: quod id regulare femininum à masculino Poëta sit. Meo igitur judicio utraque lectio rectè habet. Nam si *Poëtica* legas, eam (ut dixi) intelliges, quae Poëticis rebus ac studiis occupata est. Sin autem *Poëtria*, ad professionem magis respicies. Estque alterum actionis, alterum qualitatis. Sed causam contentionis dedisse Domitius videtur, qui scribit: *Poëtica*, Graecis ποιήτρια dicitur. Quod, ut cetera ejus multa, ineptum ac vanum est: ut ex superioribus patet. MICYLLUS. Naugerius notat in omnibus suis legi *Poëtica*, atque ita etiam edidit. *Poëtria* recte. Sappho enim per excellentiam *Poëtria* dicta, ut Homerus *Poëta*. Galenus libro, animi affectus corporeos esse temperaturae: Πάντως γὰρ ἀκούομεν Ὁμηρον μὲν λέγεσθαι ποιήτην. Σαπφὼ δὲ ποιήτριαν. sic & Aeliano dicta lib. XV. Var. Athenaeo lib. XV. & Pausaniae in Arcadicis. & ita Terentianus Maurus de metris:

Continuasse pedes istos in carmine solos
Dicitur haec eadem praeclara Poëtria Sappho.

HEINSIUS. Apud Persium in Prooemio habes, *Corvos Poëtas & Poëtrias picas*, ubi etiam male turbant nonnulli codices. neque etiam *Poëtris*, multo minus *Poëtis*, quod Claverio arridebat, ignota veteribus vocabula, in civitatem Romanam adscisenda. BURMANNUS.

185. *Cur tamen Actiacas.*] Ita & Scaliger manu sua emendarat, cum in codice Gryphiano *Actaeas* legeretur. DAN. HEINSIUS. *Cur nunc*, Ciofanus, & aliae editiones. MSS. variant, *cur modo ad* Lincol. *cur precor*, Sarravianus. unus Heinsii *cur ferus*, venuste. pro *miseram* quatuor *moestam*. BURM.

186. *Cum profugum possis ipse referre pedem.*] Sic legendum ex antiquis libris. Est autem apostrophe ad Phaonem: *inde* nullo modo mihi probatur, nec, ut puto, cuiquam alii probabitur. CIOFAN. *Ipse* scripti. & recte. Non enim in Leucadiam Phaon: sed in Siciliam, profugerat. HEINSIUS.

188. *Et formae meritis*] *Forma* Regius. Lege, *Et forma & meritis*. Vide notas Epist. VII. ℣. 5. Ep. VI. 83.

Nec facie meritisque placet, sed carmine movit.
HEINSIUS.

189. *Ferocior ulla.*] *Ferocior omni* Francofurt. *ulla* Mazar. & Wittianus. Francius malebat, *undisque ferocior illis.*

191. *At quanto.*] Micylli editio & aliae veteres *ah quanto*, & quatuor scripti: alii *ô quanto*. nihil muta. Ep. XVIII. 21.

At quanto mallem, quam scriberet, illa nataret.
Ubi vid. Heinsium. Quinct Decl. II. 22. *At quanto facilius est somnos decipere miserorum.* Decl. V. 21. *At quanto, Dii Deaeque, alius fuit ille infelicissimus juvenis adjectus?* & ita alibi in illis declamationibus. Francofurtensis ita exhibet versum hunc:

At quanto melius mecum tua pectora jungi.
BURMANNUS.

191. *Mea pectora.*] *Corpora* Wittii cod. vid. Ep. III. 107.

195. *Fa-*

Non mihi reſpondent veteres in carmina vires.
Plectra dolore tacent: muta dolore lyra eſt.
Lesbides aequoreae, nupturaque, nuptaque proles;
Lesbides, Aeolià nomina dicta lyrâ;
Lesbides, infamem quae me feciſtis amatae;
Deſinite ad citharas turba venire meas.
Abſtulit omne Phaon, quod vobis ante placebat.
(Me miſeram! dixi quam modo pene, meus!)
Efficite ut redeat: vates quoque veſtra redibit.
Ingenio vires ille dat, ille rapit.
Ecquid ago precibus? pectusne agreſte movetur?
An riget? & Zephyri verba caduca ferunt?
Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent,
Hoc te, ſi ſaperes, lente, decebat opus.

Sive

195. *Facunda forem.*] Fortaſſe rectius ſit, *forent.* NAUGERIUS. *Forent*, rectius libri. HEINSIUS.

195. *Dolor artibus obſtat.*] Praeclarum exemplum apud hunc Noſtrum lib. XIII. Metamorphoſeos, ubi ita eſt de Hecuba, cùm Polydorum, quem Polymneſtori cum ingenti auri copia crediderat, interfectum vidiſſet:

Troades exclamant, obmutuit illa dolore;
Et pariter vocem, lacrimaſque introrſus obortas
Devorat ipſe dolor, duroque ſimillima ſaxo
Torpet. CIOFANUS.

196. *Ingeniumque meis ſubſtitit omne malis.*] Lib. & Elegia I. Triſt. de ſe:

Ingenium tantis excidit omne malis. CIOFANUS.

Succidit Francofurtenſis.

197. *In carmina.*] *In carmine* duo Lincoln. vide ad XIV. Metam. 20.

198. *Tacent.*] *Silent* unus Medicêus. bene. HEINSIUS. *Jacent* margo Berſmanni.

199. *Lesbides aequoreae, nupturaque, nuptaque proles.*] Sic omnino melius, ut etiam illud quod ſequitur. *amatae*, potius, quam *amare*. EGNATIUS. Anaphora uſus eſt hoc loco Poëta, ſive repetitione principii. Quod quidam factum volunt, non tantùm affectus cauſa, cui ea res ſervit: ſed etiam, ut morem Sapphûs exprimeret, ſive imitaretur, cui dicitur haec figura valde familiaris fuiſſe: citanturque exempla haec ad Partheniam: Παρθενία, παρθενία, τί με λυποῦσα οἴχῃ. Et, Οὐκέτι ἥξω πρὸς σ', οὐκέτι ἥξω. Haec nos ex Merula, ille ex Demetrio Phaleraeo. MICYLLUS.

201. *Lesbides infamem quae me feciſtis.*] Huc reſpicit Horat. II. Od. XIII. 4.

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

203. *Quod vobis.*] *Quod nobis* Wittian. Oxon. Lincol. & Mazarin.

204. *Quem modo.*] Male vetus lectio *quae*, nos vero *quem*, alii *quam*. EGNATIUS.

207. *Ecquid ego haec.*] Alia lectio, *Ecquid ago precibus*. EGNAT. *Ecquid ago precibus*. Communiter. Alii, *Ecquid ego precibus*. Quidam etiam, *Ecquid ego haec precibus*. Sed communis lectio melior, cujus ſententia reſpondet ſequentibus. Eſt enim ſententia: Ecquid, ſive, Etiamne aliquid ago: id eſt, efficio precibus meis, quas modò feci? & mihi agreſte iſtud pectus ac durum movetur, annon? &c. MICYLLUS. Aſſentior eruditis viris, qui *Ecquid ago* legendum putant. CIOFANUS. Scripti noſtri magna ex parte *Haec quid ego*, vel, *Ecquid ego. Haec quid ego an* tres. *Haec ego quid* unus. Lego:

Sed quid ego haec? precibus pectuſne agreſte movetur?

Noſter Epiſt. XIII. 135. quomodo illic legendum monui:

Sed quid ego haec? laevum revocaminis omen abeſto.

Statius Theb. VIII.

Sed quid ego haec? I, Tartareas ulciſcere ſedes,
Tiſiphone.

Lib. XI.

——— *Quod innumero Lethaea examine gaudet*
Ripa, meae vires, mea laeta inſignia; ſed quid
Haec ego?

Theb. IV.

Sed quid ego haec? feſſoſque optatis demoror undis?

Theb. I.

Sed quid ego? aut hodie ſpoliis gaviſus abibis,
Quiſquis es, his, aut me magni de ſtirpe creatum
Oeneos accipies.

Auſonius Praefatione ſeptem ſapientum:

Sed ego quid iſthaec? non hac cauſa huc prodii.

Ennius apud Donatum:

Sed quid ego haec animo lamentor?

Et idem alibi:

Sed quid ego haec memoro?

Sive redis, puppique tuae votiva parantur
Munera; quid laceras pectora noſtra morâ?
Solve ratem. Venus orta mari, mare praeſtat amanti.
Aura dabit curſum; tu modo ſolve ratem.
Ipſe gubernabit reſidens in puppe Cupido:
Ipſe dabit tenerâ vela, legetque, manu.
Sive juvat longe fugiſſe Pelasgida Sappho;
(Non tamen invenies, cur ego digna fugâ.)
Hoc ſaltem miſerae crudelis epiſtola dicat:
Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.

EPI-

Virgil.
Sed quid ego haec autem nequicquam ingrata revolvo?
Quomodo fere Apollonius lib. III.
Ἀλλὰ τίη τάδε τοι μεταμώνια παντ' ἀγορεύω;
Auctor Queroli: *Sed quid ego nunc? ſolum hoc reſtat mihi, ut pro fure jam nunc tenear.* Prudent. lib. II. contra Symmach.
Sed quid ego haec meditor?
Idem Apotheoſi:
Sed quid ego haec autem titubanti voce retexo.
Poſſet etiam in Naſone corrigi:
En quid ago? precibus pectuſne agreſte movetur.
De quo ad Maronem dixi Aeneid. x. ỹſ. 675. Similiter abruptum *Haec ego.* Vid. Epiſt. x. ỹſ. 37. Sarravianus:
Haec quid ego? an precibus tibi pectus agreſte movetur?
Forte:
Ecquid, iô, precibus tibi pectus agreſte movetur?
Ut III. Met. 442.
Ecquis iô ſilvis crudelius, inquit, amavit?
HEINSIUS.

211. *Parantur.*] In nonnullis *paramus.* NAUGER. Quis non videt etiam reclamante codicum fide legendum *paramus*, non *parantur* ex amantis affectu? ſignificare enim voluit nuncupata a ſe ipſa vota pro Phaonis reditu. EGNATIUS. Locus videtur mendoſus; niſi poſt hoc diſtichon ſequatur illud, *ſive juvat longe.* & tunc conſtabit ſenſus. HEINSIUS. Et in Lincoln. quatuor medii verſus deſiderabantur. niſi ergo in parentheſi ponantur, & hic, *ſive redis, puppi ecce tuae votiva paramus* legatur, ſenſum vix video. BURMANNUS.

212. *Quid laceras.*] *Quid crucias pectora noſtra tuis.* Francof.

213. *Praeſtat amanti.*] Slichtenhorſtius legebat, *ſternet eunti*, & certe *amans* Phaon non dici poteſt. & *eunti* eſt in multis editionibus antiquis. HEINSIUS. Ego nihil muto. omen enim & votum latet, ut ad ſe rediret amans, quod ſi faciat, certum eſt Venerem mare praeſtituram; quia, ut ſequenti Epiſtola, *in mare jus habet orta mari.* *Praeſtare* etiam non movendum, licet etiam *ſternet* Berſmanni margo habeat. eſt enim ut & praebere benevolentiae verbum. II. Triſt. 170.
Sic adſueta tuis ſemper victoria caſtris
Nunc quoque ſe praeſtet.
Et ita ſeq. Epiſt. 24. quidam codices *praeſtet.*
Somnus, qui ſe male praebet amanti.
Flor. III. 5. *Luna ſe praebuit Romanis.* vid. ad Quinctil. Decl. 338. & infr. I. Amor. 6. BURMAN.

217. *Legetque.*] *Regetque* nonnulli ſcripti. ſed perperam: opponuntur enim *dare vela* & *legere.* *Dare* ad curſum inſtituendum, *legere*, cum portum attigerit navis, & ceſſarit a navigatione. Valer. Flac. II. 13.
Flumineo cujus redeuntia vento
Vela legunt.
Ita *legere funem* idem I. 314. *dare vela* obvium eſt. BURMANNUS.

218. *Non tamen invenies.*] Hic verſus per parentheſim omnino legendus eſt. EGNATIUS. Benè, qui hunc verſum parentheſi includunt. Hoc, nimirum, modo:
Sive juvat longe fugiſſe Pelaſgida Sappho
(*Non tamen invenies cur ego digna fuga*)
Hoc ſaltem miſerae crudelis epiſtola dicat, &c.
DAN. HEINSIUS.

219. *Hoc ſaltem miſerae.*] *O ſaltem* cum ſcriptis, ut dictum ad Epiſtolam primam. Ceterum diſtichon hoc poſtremum pro legitimo Naſonis vix eſt ut agnoſcam: nec ſatis aſſequor quid ſibi velit. HEINSIUS. Nihil indignum Ovidio video: ſenſus eſt. hoc, ſcilicet juvare te fugam, ſaltem dicat Epiſtola; ut certa propoſiti tui perire poſſim praecipitio. *ſaxa petantur.* Regius etiam, quod non abſurdum. BURMANNUS.

EPISTOLA XVI.

PARIS HELENAE.

HAnc tibi Priamides mitto, Ledaea, ſalutem;
Quae tribui ſolâ te mihi dante poteſt.
Eloquar? an flammae non eſt opus indice notae;
Et plus, quam vellem, jam meus exſtat amor?
Ille quidem malim lateat; dum tempora dentur
Laetitiae mixtos non habitura metus.
Sed male diſſimulo. quis enim celaverit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?
Si tamen exſpectas, vocem quoque rebus ut addam;
Uror. habes animi nuntia verba mei.
Parce, precor, faſſo: nec vultu cetera duro
Perlege, ſed formae conveniente tuae.
Jamdudum gratum eſt, quod epiſtola noſtra recepta
Spem facit, hoc recipi me quoque poſſe modo.
Quae rata ſint, nec te fruſtra promiſerit, opto,
Hoc mihi quae ſuaſit, mater Amoris, iter.
Namque ego divino monitu, ne neſcia pecces,
Advehor: & coepto non leve numen adeſt.

Praemia

1. *Hanc.*] Forte rectius, *hac tibi.* ſcilicet Epiſtola (ut Epiſt. XIX. *verbis mittere ſalutem*) mitto tibi ſalutem. vid. ad Epiſt. I. 1. ſed vulgata defendi poteſt ex v. Triſt. 13. 1.

Hanc tuus è Getico mittit tibi Naſo ſalutem.

Pro *Ledaea* malebat Heinſius *Ledaei.* vide Epiſt. XII. 61. BURMANNUS.

6. *Mixtos.*] Gronovianus pro diverſa lectione *Nexos.*

8. *Proditur.*] Duo libri, *panditur.* perperam. Epiſt. XX. 72.

Indicio proditur ille ſuo.

Senec. Hipp. 362.

Torrentur aeſtu tacito, & incluſus quoque;
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.

II. Metam. 447.

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu!

BURMANNUS.

9. *Si tamen exſpectas.*] *Exſpectes* Junianus & quatuor alii. *Sed tamen exſpectas* Leidenſ. & duo praeterea alii. vid. ad Epiſt. III. 4.

12. *Perlege.*] *Reſpice* Lovanienſis unus. non male.

13. *Gratum eſt.*] Formulae hujus elegantiam illuſtravit politiſſimus Broukhuſius ad Tibul. IV. 10.

13. *Recepta eſt.*] Τὸ *eſt* una cum diſtinctione tollendum, ex fide Puteanei & quatuor aliorum. HEINSIUS. Douza notat apud idoneos Oratores non eſſe in uſu, *recepi Epiſtolam tuam*, ſed *accepi.* at Naſonem feciſſe neceſſitate metri. ſed ita excuſare Poëtas, eſt accuſare. non enim metri neceſſitas efficere debet, ut minus eleganter & Latine Poëta loquatur. quare potius auctorem hujus Epiſtolae, dubitatur enim an Ovidius ſit, luſiſſe puto, in ambigua ſignificatione verbi *recipere.* quo Noſter utitur etiam Naſo de amantibus & puellis in toro receptis. vid. ad Epiſt. II. 55. VI. 20. & alibi. BURMANNUS.

15. *Quae rata ſit.*] *Sint* bene Puteaneus. Triſt. I. El. VIII.

Quae quoniam rata ſunt, tota mihi mente tibique
Gratulor.

Et lib. III. El. VI.

Quae ſi non rata ſunt, alium, quo longius abſim
Quaere (ſuburbana haec ſit mihi terra) locum.

Ita illis locis eſt ſcribendum. Plura Faſt. II. ℣ſ. 638. HEINSIUS. Vid. ad lib. I. Triſt. VIII. 53.

Praemia magna quidem, ſed non indebita poſco;
Pollicita eſt thalamo te Cytherea meo.
Hac duce Sigaeo dubias à litore feci
Longa Phereclеà per freta puppe vias.
Illa dedit faciles auras ventosque ſecundos.
In mare nimirum jus habet orta mari.
Perſtet: &, ut pelagi, ſic pectoris adjuvet aeſtum:
Deferat in portus & mea vota ſuos.
Attulimus flammas, non hic invenimus, illas;
Hae mihi tam longae cauſſa fuere viae.
Nam neque triſtis hiems, neque nos huc adpulit error.
Taenaris eſt claſſi terra petita meae.
Nec me crede fretum merces portante carina
Findere. quas habeo, Dî tueantur, opes.

Nec

21. *Dubias.*] Vid. ad Epiſt. XII. 116.

22. *Phereclеà puppe.*] De Phereclo hujus claſſis ſtructore omnia apud ſcriptores obvia. At Puteaneus aliique quidam, *Feraclea.* nonnulli, *Phareclea.* alii aliter. alter Palatinus, *Phelacrea.* Forte *Phalacraea puppe.* ſic Lycophroni haec claſſis Φαλακραῖοι πόδες. Phalacrae enim una ex quatuor partibus Idae montis. Stephanus: Φαλάκραι, ἄκρα τῆς Ἴδης, ἥτις οὐκ ἔχει ζωόφυτον, διὰ τὴν χίονα καὶ τὸν κρύσταλλον, ἀλλ' ἐψίλωται. καὶ πάντα δὲ τὰ ἐψιλωμένα ὄρη ἐλέγετο Φαλάκραι. ὁ ἐκ τόπου, Φαλακραῖος. Λυκόφρων,

Στερρέην Κύβηλιν ἢ Φαλακραῖον κλάδον.

Καὶ ἠλυκῶς Φαλακραῖαι κόραι. καὶ οὐδέτερον. In Arondeliano codice legebatur, *Faraſea.* cum gloſſa, *à loco ſic dicta.* Heinsius. *Pharetrata* & *Pharetraea* quosdam legiſſe ex Hubertini notis apparet.

24. *Nimirum.*] Sic in veteribus; ſed & rectè *nil mirum.* Naugerius. Aldus, Veneti, Micyllus & Berſmannus ediderunt *nil mirum.* & ita Puteaneus & ſeptem alii. nec diſplicet Naugerio. *Nec mirum* Junianus. ita apud Quinct. Decl. CCCXXXVII. *Sed ne mirum quidem eſt, quod tu ferre potius potes.* ubi alii; *nimirum*, alii, *nil mirum.*

25. *Aeſtus.*] *Aeſtum* ſcripti, quod melius, ut vitetur concurſus ultimae ſyllabae in *aeſtus* & *portus.* de *aeſtu* ad Epiſt. IV. 33. Heinsius.

27. *Attulimus.*] Proprio uſus verbo, de iis, qui cum re quadam adveniunt, ut ad illa Propertii. lib. II. 6.

Attulimus longas in freta vaſta manus.

Notavit diligentiſſimus Paſſeratius. & ita contra *invenimus* illa, in quae caſu incidimus. Burman.

33. *Nec veni.*] *Venio* ſcripti. Τὸ *veluti* ſuſpectum eſt de mendo. Heinsius. Et merito. omittere enim ſolent illas particulas, *veluti*, *tanquam* Poëtae. vide Servium ad Virgil. I. Aeneid. 384. forte ſcripſerit:

Nec venio, ut multi, Grajas ſpectator ad urbes. Burmannus.

39. *Nec tamen eſt mirum.*] Ab hoc verſu centum & quatuor carmina non inveniuntur in antiquis exemplaribus. Quin & Planudes hanc Epiſtolam transferens haec eadem non agnoſcit. neque tamen dubium eſſe ulli poteſt, quin Ovidii ipſius ſint: ſed fortaſſe credendum eſt, cum Epiſtolam hanc compoſuiſſet, aut demſiſſe illum haec, ut nimiam luxuriam & loquacitatem quaſi quandam reſecaret, quae in his verſibus cernitur: aut addidiſſe potius venuſtatis gratia (venuſta enim & elegantia ſunt eorum multa). Luxuriam autem & abundantiam non ſolum hic Poëta ut vitium numquam fugit; ſed & ut virtutem ſemper amavit. Animadvertendum tamen eſt, ſi haec relinquamus carmina, ſummovenda duo illa paullo inferius:

Cum Venus & Juno, Pallaſque in vallibus Idae
Corpora judicio ſuppoſuere meo.

Permoleſte enim ſaepius idem diceretur. Nauger. Ab hoc loco, verſus qui proximè ſequuntur centum & quatuor, in antiquiſſimis exemplaribus non haberi dicuntur: ideoque à pleriſque pro Ovidianis non cenſentur, & ſeorſim notantur. Ipſi etiam interpretes, tanquam nothos, inexplicatos reliquere. Et ſanè primi ſtatim duo non ita commodè cum ſuperioribus cohaerent. Deinde etiam ipſi per ſe non adeò elegantes atque expediti ſunt: id quod mediocriter doctus videre poteſt. Sed tamen utut haec ſunt, ne quid à quoquam in hoc opere deſiderari poſſit, & ipſos verſus, ut habentur, appoſuimus: & quod alii in ceteris fecerunt, eosdem brevibus ſcholiis illuſtravimus.

Micyl-

Nec venio Grajas, veluti ſpectator, ad urbes.
Oppida ſunt regni divitiora mei.
Te peto; quam lecto pepigit Venus aurea noſtro.
Te prius optavi, quam mihi nota fores.
Ante tuos animo vidi, quam lumine, vultus:
Prima fuit vultûs nuntia fama tui.
Nec tamen eſt mirum, ſi, ſicut oporteat, arcu
Miſſilibus telis eminus ictus, amo.
Sic placuit fatis: quae ne convellere tentes,
Accipe cum verâ dicta relata fide.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar:
Jam gravidus juſto pondere venter erat.
Illa ſibi ingentem viſa eſt ſub imagine ſomni
Flammiferam pleno reddere ventre facem.

Ter-

Micyllus. Scaliger, omiſſis hic duobus diſtichis, ſic cetera continuat:

Ante tuos animo vidi, quam lumine, vultus:
Prima fuit vultus nuntia fama tui.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar:
Jam gravidus juſto pondere venter erat.

Dan. Heinsius. Verſus centum & quatuor ſequentes abſunt ab omnibus ſcriptis codicibus, uno Palatino, eoque recentiori, excepto. Heinsius.

Nec tamen eſt mirum.] Digreſſio quaedam eſt, qua cauſam & originem ſui amoris expoſiturus eſt. Repetit enim ab initio natales ſuos, deinde & ſententiam latam de deabus: & poſtremò, quibus impulſus, expeditionem hanc ſuſceperit. Micyllus.

39. *Si ſicut oporteat.*] Si perinde, ac neceſſe ſit ita fieri. Quod ſi legas *Oportuit*, ſenſus erit: Quemadmodum neceſſe fuit fieri; propter fata ſcilicet: de quibus ſequenti verſu. Micyllus. Haec non ſunt ſana. Puto, *Sicut oportuit actum.* ut agi oportuit. Apulejus Met. v. *Si proles parentum, ut oportet, pulchritudini reſponderint, Cupido naſcetur.* Poſſes &, *ſicut oportuit ictum*, vel, *ſi ſicut oportet ab arcu.* Heinsius. Douza explicabat vulgatam, ſicut in fatis fuit. ſed locum corruptum putabat, & deſiderari nomen amatoris fabuloſi, qui eo ipſo modo, quo Paris, nunquam viſae flagrarit amore puellae.

40. *Telis arcu miſſilibus.*] Hoc eſt, arcu emiſſis: & per conſequens, à longè. Eſt autem ſententia: Nec mirum eſt, ſi quemadmodum qui arcu feriuntur à longè, ita ego quoque à longè ictus amo. ſic enim oportuit, & ſic placuit fatis. Micyllus.

41. *Sic placuit fatis.*] Rejicit amorem ſuum in voluntatem deorum, & neceſſitatem fati: quo videlicet Helenam magis impellat. Eſtque tranſlatio; color rhetoricus. Micyllus.

43. *Matris adhuc utero.*] Narratio de partu & natalibus ſuis. Micyllus.

45. *Illa ſibi ingentem viſa eſt ſub imagine ſomni, Flammiferam pleno reddere ventre facem.*] Meminit hujus quoque rei Tryphiodorus his verbis:

—— —— Αἳ δέ που ἤδη
Τίκτουσιν μογερῆς Ἑκάβης ὠδῖνες ὀνείρων.

Et Apollodorus lib. III. Δευτέρου γεννᾶσθαι μέλλοντος βρέφους ἔδοξεν Ἑκάβη καθ' ὕπαρ δαλὸν τεκεῖν, διάπυρον τοῦτον δὲ πᾶσαν ἐπινέμεσθαι τὴν πόλιν, καὶ καίειν. Id eſt: *Deinde cùm ſecundum propediem eſſet paritura filium*, (Paridem) *facem reapſe ardentem Hecuba parere, eamque totam urbem* (Ilion) *depaſcere & comburere, in ſomnis ſibi videbatur.* Hujus quoque rei è veteri Poëta mentio eſt apud Ciceronem lib. I. De Divinatione 21. his verſibus:

Quia mater gravida parere ſe ardentem facem
Viſa eſt in ſomnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipſe Priamus, ſomnio mentis metu
Perculſus, curis ſumptis ſuſpirantibus,
Exſacrificabat hoſtiis balantibus.
Tunc conjectorem poſtulat pacem petens,
Ut ſe edoceret obſecrans Apollinem,
Quò ſeſe vertant tantae ſortes ſomniûm
Ibi ex oraclo voce divina edidit
Apollo, puerum, primus Priamo qui foret,
Poſt illa natus tempora, hunc ſi tolleret
Eum eſſe exitium Trojae, peſtem Pergamo.

Ciofanus.

46. *Flammiferam pleno reddere ventre facem.*] Nam viſa eſt in ſomnis Hecuba parere ſibi facem, qua tota Aſia illuſtraretur. Nota eſt Hiſtoria. Micyllus.

Territa conſurgit; metuendaque noctis opacae
Viſa ſeni Priamo, vatibus ille, refert.
Arſuram Paridis vates canit Ilion igni.
Pectoris, ut nunc eſt, fax fuit illa mei.
Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tectae nobilitatis erant.
Eſt locus in mediae nemoroſis vallibus Idae
Devius, & piceis ilicibusque frequens:
Qui nec ovis placidae, nec amantis ſaxa capellae,
Nec patulo tardae carpitur ore bovis.
Hinc ego Dardaniae muros, excelſaque tecta,
Et freta proſpiciens, arbore nixus eram.

Ecce

47. *Territa conſurgit.*] Hoc Ovidianum videtur. ſic ille 1. Faſt. 435.

Territa conſurgens Nymphe.

47. *Metuendaque noctis opacae Viſa.*] Hoc eſt, viſionem ſive ſomnium, quod per noctem opacam, hoc eſt obſcuram, viderat. Micyllus.

48. *Vatibus ille refert.*] Aeſaco filio ſuo, qui conjectandi rationem à Merope edoctus fuerat. Apollodorus ibidem. Ciofanus. *Vatibus*, id eſt interpretibus & conjectoribus ſomniorum, quos etiam *vates* dici docet Lindenbrog. ad Amm. Marcell. xxiii. 3. *Augurem nocturnae imaginis* dixit lib. iii. Amor. 5. Burmannus.

49. *Arſuram Paridis vates canit.*] Id eſt, vates canunt, ſive praedicant, Paridis igni Trojam conflagraturam: hoc eſt, facem, de qua ſomniarat Hecuba, ſignificare incendium atque exitium patriae. Eſt autem Prolepſis. nondum enim de Paridis nomine, aut amore, quem hic per ignem intelligo, quicquam conſtabat: ut qui nondum natus eſſet. Micyllus. *Arſurum* eſt in editione Aldi. vid. ad Epiſt. 1. 48. & xvii. 240. *Vates* conjector eſt Ciceroni lib. 1. de Divinat. 21. Aeſacum forte intelligit. vid. Tzetz. ad Lycoph. 224. cujus Metamorphoſin narrat Ovidius lib. xi. in fine. Burm.

50. *Pectoris fax fuit.*] Hoc eſt, amorem meum ſignificabat illa fax, de qua mater ſomniarat. Eſtque Inverſio haec. nam quae vates de ſignificatione facis interpretati fuerant, ea omnia ipſe invertit, & de ſuo amore interpretatur. Micyllus.

51. *Forma vigorque animi.*] Diſtichon hoc loco alienum videtur, quod in ſequentem paginam rejicietur aptius, poſt illa:

Regius agnoſcor per rata ſigna puer.

Qui verſus eſt nonageſimus hujus Epiſtolae. Heins. *Forma.* Scaliger hic deſiderari aliquot putat verſus, quibus declararetur, quomodo paſtoribus ad alendum traditus fatum vitaverit. Bersm. *Vigor animi.* ut Lampr. Alex. Sev. 12. *Ob ingentem vigorem animi, & mirandam ſingularemque conſtantiam, contra militum inſolentiam, Severi nomen à militibus eidem inditum eſt.* niſi ibi *rigorem* praeſtat legere, ut ſupr. Ep. iv. 77. & 118. vid. ad Vell. Paterc. ii. 98. Burmannus.

51. *Quamvis de plebe videbar.*] Nam inter paſtores educabatur. Priamus enim, poſtquam interpretationem vatum audierat, infantem natum exponi imperaverat. Sed ii, quibus negotium commiſſum erat, forma infantis commoti, clam educavere: atque ita inter paſtores enutritus fuit, & pro paſtoris filio habitus. Micyllus.

53. *Eſt locus in mediae.*] Tranſit hoc loco ad judicium & ſententiam de forma dearum latam. Poëtico autem more à deſcriptione loci narrationem orditur. Micyllus.

53. *Nemoroſis.*] Francius malebat, *mediis nemoroſae vallibus Idae.* ut 1. Art. 289.

Forte ſub umbroſis nemoroſae vallibus Idae.

Et ita Ep. xvii. 115. *In altae vallibus Idae.*

57. *Hinc ego Dardaniae muros.*] Dardaniae muros impropriè dixit, pro Troja. alia enim Dardania, alia Troja fuit. Ceterum multa hujuſmodi ſunt in his verſibus notata, ex quibus facilè apparet, non eſſe γνησίους Poëtae. Micyllus. Forte, *Dardanios muros.*

59. *Ecce pedem pulſu.*] Ex ſigno adventum deorum colligit. Micyllus.

60. *Vera loquar, vero vix habitura.*] Mallem, *Verùm vix habitura fidem:* ut ſit conjunctio adverſativa. nam in eadem ſignificatione, *verò*, contra regulam & uſum praeponitur. Micyllus. Scribendum *veram fidem*, aut *veri fidem*, ut ſupra:

Accipe cum vera dicta relata fide.

Amor. lib. ii. El. ii. 38.

Et veram falſo crimine deme fidem.

Faſt. iii. 662.

Fama nec à verâ diſſidet illa fide.

Sic locus uterque in antiquis codicibus leguntur. Apud Maronem quoque Aeneid. iii. ℣. 316. in codicibus nonnullis vetuſtis:

Ne

Ecce pedum pulſu viſa eſt mihi terra moveri:
Vera loquar, veri vix habitura fidem.
Conſtitit ante oculos, actus velocibus alis,
Atlantis magni Pleïonesque nepos.
Fas vidiſſe fuit; fas ſit mihi viſa referre:
Inque Dei digitis aurea virga fuit.
Tresque ſimul Divae, Venus, & cum Pallade Juno,
Graminibus teneros impoſuere pedes.
Obſtupui, gelidusque comas erexerat horror;
Cum mihi, Pone metum, nuntius ales ait.
Arbiter es formae: certamina ſiſte Dearum;
Vincere quae formâ digna ſit una duas.

Neve

Ne dubita, nam vera fides.
Noſter Pont. lib. III. El. VII.
Proximus huic gradus eſt, bene deſperare ſalutem;
Seque ſemel verâ ſcire periſſe fide.
Triſt. IV. El. I.
Utque nec inſidias, capitiſque pericula narrem,
Vera quidem, vera ſed graviora fide.
Sic & ibi eleganter veteres libri, & appoſite ad illa Paridis, de quibus nunc agimus. vulgo, *Vera quidem vidi.* Lucanus libro VII.
Nunc tibi vera fides quaeſiti, Magne, favoris
Contigit.
Libro IX.
Olim vera fides Sylla Marioque receptis
Libertatis obit.
Et Feſtus Avienus Deſcriptione Orbis:
Vera fides illic ſemori ſub imagine partus
Diſrupiſſe Jovem penetralia.
Propert. lib. IV. Eleg. I.
Vera ſed invito contigit iſta fides.
Petronius: *Jurat Eumolpus ſe mente ſimpliciſſima & vera fide in navigium comites induxiſſe.* Noſter Met. III. 660.
—— *Adjuro, tam me tibi vera referre,*
Quam veri majora fide.
Claudiano, *Veri vera fides.* ſic contra *falſa fides.* Met. XV.
— *Falſamque in imagine credens*
Eſſe fidem.
Veri in hoc Naſonis loco eſſe reponendum vidit & doctiſſimus Freinshemius ad Curtium IX. 5. ex illo Senecae Ep. XCIV. *Duae res plurimum roboris dant animo, fides veri & fiducia.* HEINSIUS. *Veri* etiam Douzae placebat. Similiter vero Propert. III. El. XI. 61. quem imitatus videtur Noſter:
Certa loquor, ſed nulla fides.

62. *Atlantis magni, Pleïonesque nepos.*] Haec lectio melior, quàm, ut quidam habent, *Atlantisque nepos, Pleionesque nepos.* Tametſi enim figuram captarunt, qui ſic legunt: eſt tamen inepta affectatio. Intelligit autem Mercurium, cujus mater Maia fuit, filia Atlantis & Pleïones. MICYLL.

63. *Fas vidiſſe.*] Hunc verſum Slichtenhorſtius & Francius parentheſi includendum cenſebant. ſollemnem vero hanc in occurſu Deorum precationem illuſtravit Lipſius, ad illa Senec. Epiſt. CXV. *Ut fas ſit vidiſſe tacitus precatur.* BURMANNUS.

64. *Inque Dei digitis aurea virga fuit.*] Alludit ad deſcriptionem Virgilii lib. IV. 242. qui virgam Mercurio tribuit, his verbis:
Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit.
Dat ſomnos, adimitque: & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila &c. MICYLLUS.

67. *Gelidusque comas erexerat horror.*] Notatio obſtupefacti. MICYLLUS.

68. *Nuntius ales.*] Mercurius, cui alata talaria tribuuntur. ut apud eundem Virgil. lib. IV. 239.
Pedibus talaria nectit
Aurea, quae ſublimem alis, ſive aequora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
MICYLLUS.

69. *Arbiter es formae.*] Hoc eſt delectus es judex, qui de forma harum pronuncies, quaenam ſit pulcherrima. MICYLLUS.

69. *Certamina ſiſte Dearum.*] *Siſte* dixit, pro, compone, & fini. *Certamina* autem pluraliter, pro certamen, κατ' ἐναλλαγήν. MYCILLUS.

70. *Vincere quae formâ digna ſit una duas.*] Pronunciando. Ita autem habet fabula. Diis convivium inter ſe agitantibus, relicta fuerat Eris, ne quam illa contentionem aut litem fereret. Ceterum quod à praeſente metuebatur, id abſens illa dedit. Nam pomum aureum inſcriptum, ἡ καλὴ λαβέτω, inter convivantes abjecit. Quod Juno, Pallas, & Venus conſpicatae, quaelibet ſibi vendicabant: quaelibet enim harum, forma ceteris praeſtare ſeſe cenſebat. Itaque cum ex eo certamen

Neve recuſarem, verbis Jovis imperat: & ſe
Protinus aethereâ tollit in aſtra viâ.
Mens mea convaluit, ſubitoque audacia venit:
Nec timui vultu quamque notare meo.
Vincere erant omnes dignae: judexque verebar,
Non omnes cauſſam vincere poſſe ſuam.
Sed tamen ex illis jam tunc magis una placebat:
Hanc eſſe ut ſcires, unde movetur amor.
Tantaque vincendi cura eſt; ingentibus ardent
Judicium donis ſollicitare meum.
Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat.
Ipſe potens dubito, fortis an, eſſe velim.
Dulce Venus riſit, Nec te, Pari, munera tangant
Utraque, ſuſpenſi plena timoris, ait.

Nos

men ortum eſſet, Jupiter, qui aliàs tamquam ſummus Deorum, componere illud debebat, invidiam ſententiae à ſe removere volens, judicium certaminis hujus ad Paridem relegavit. Atque ita ſecuta cetera, quae hoc loco narrantur. Micyllus.

72. *Aetherea.*] Francius *aëria* malebat: mihi perinde videtur.

73. *Mens mea convaluit, ſubitoque audacia venit.*] Παραλληλίζ. idem enim utrunque comma ſignificat: poſteriusque prioris expoſitio eſt. Micyllus.

74. *Quamque notare.*] Nudas enim quamque ſeorſim aſpexiſſe apud Lucianum fingitur. Idem.

75. *Judexque verebar.*] Lege, *querebar. queri* pro *dolere* ſaepe apud Noſtrum. Epiſt. xiv. 82.

Et queritur factii ſanguinis eſſe parum.

Epiſt. xviii. 135.

Quod mihi non eſſet, niſi ſic iter ante querebar;
At nunc per ventos hoc quoque deeſſe queror.

Remed. Amor. 644.

Deque tua domina multa querenda refers.

Ubi MSS. plurimi *dolenda.* corrumpendo huic loco anſam dedit ultima ſyllaba *que.* quae geminari debebat. vid. ad Faſt. i. 287. & Epiſt. xiv. 91. Heinsius.

75. *Judexque verebar, Non omnes cauſam vincere poſſe ſuam.*] Verſus otioſus. nam ſi omnes dignae erant, quae vincerent, cur metuebat, aliquas cauſam ſuam obtinere non poſſe? Mycillus. Scribe *cauſâ ſuâ. Vincere* enim *cauſa* Latinum eſt, & *tenere cauſam.* non *vincere cauſam.* Noſter in Amoribus lib. iii. El. xiv.

Et ſi non cauſâ, judice vince tuo.

Sic & *Vinci cauſâ.* Art. Amat. lib. i. 201.

Vincuntur Parthi cauſâ, vincantur & armis.

Hoc autem vult, trium Dearum cauſam longe optimam fuiſſe in hoc certamine de formae principatu, ac proinde doluiſſe ſibi, quod harum uni tantum palma eſſet deferenda pulchritudinis. Heinsius. Sic & Epiſt. xiii. 75.

Irruat, & cauſſa quem vincit, vincat & armis.

Claudian. Bell. Gildon. 431.

Sitque palam, Gallos cauſſa non robore vinci.

Non tamen audeo adhuc damnare locutionem illam, *cauſſam vincere*, cum & *bellum vincere*, aeque ac *bello* & *armis* dicatur. vide ad Vellej. Paterc. ii. 55. Francius volebat, *cauſſam poſſe tenere ſuam.* ſed hoc eſt pro arbitrio emendare. Ceterum cavillatio eſt Micylli. ſi enim non omnes dignae fuiſſent vincere, minime dubius & ſollicitus fuiſſet Paris. ſed inter pares forma unam praeferre, hoc timidum & incertum faciebat. Burmannus.

78. *Hanc eſſe ut ſcires, unde movetur amor.*] Senſus eſt: Una me praeter ceteras movebat: ex quo facilè poſſes ſcire, eam eſſe, quae amori praeeſſet, hoc eſt Venerem: neque enim tam facilè aliàs moviſſet. Micyllus.

79. *Ingentibus ardent Judicium donis ſollicitare.*] *Ardent:* hoc eſt, vehementer cupiunt & ſtudent. *Sollicitare*, id eſt labefactare, & corrumpere. Idem.

80. *Judicium meum donis.*] More hominum, apud quos hujuſmodi corruptelae frequentes ac notae ſunt. Idem.

81. *Virtutem jactat.*] Hoc eſt, fortitudinem, & virtutem bellicam. Eſt enim belli Dea habita: unde & armata fingitur cum haſta & clypeo. Idem.

81. *Filia jactat.*] Filia, id eſt Pallas, quae Jovis filia fuit. Idem.

83. *Dulce Venus riſit.*] Pro, ſuaviter. nomen pro adverbio poſitum. ut apud Virgil. *Indomitum ſurit.* Idem.

83. *Nec te, Pari, munera tangant Utraque.*] Utraque munera, hoc eſt, regna, quae Juno promittit;

Nos dabimus quod ames: & pulchrae filia Ledae
Ibit in amplexus, pulchrior ipſa, tuos.
Dixit: & ex aequo donis formaque probatâ,
Victorem coelo rettulit illa pedem.
Interea (credo, verſis ad proſpera fatis)
Regius agnoſcor per rata ſigna puer.
Laeta domus, nato per tempora longa recepto,
Addit & ad feſtos hunc quoque Troja diem.
Utque ego te cupio, ſic me cupiere puellae;
Multarum votum ſola tenere potes.
Nec tantum regum natae petiere ducumque,
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum ſubeunt faſtidia, poſtquam
Conjugii ſpes eſt, Tyndari, facta tui.

Te

mittit: & virtus bellica, quae à Pallade proponitur. MICYLLUS.

84. *Utraque.*] Forte, *Munera.* ut ſit repetitio. HEINSIUS.

84. *Suſpenſi plena timoris.*] Eo quòd metuebat, ne à reliquis praeverteretur. MICYLLUS.

85. *Pulchrae filia Ledae.*] Id eſt Helena, Jovis & Ledae filia. IDEM.

86. *Pulchrior illa.*] Id eſt, matre ſua. IDEM. Male Micyllus & Berſm. ediderunt *pulchrior illa*, ut & Aldus in priore editione. & perperam Douza probat ex illis Propertii lib. II. VI. 12.

Tibia funeſta triſtior illa tuba.

III. Amor. II. 32.

Cum ſequitur fortes fortior ipſa feras.

Cato in Diris:

Formoſaeque cadent umbrae, formoſior illis
Ipſa cadas. BURMANNUS.

87. *Et ex aequo donis formaque probata.*] Donis, quod ad Paridem attinebat, cui Helena pro dono promittebatur, ſi Veneri victoriam dediſſet. Forma autem, quantum ad Venerem attinebat, cujus formam praeſtare ceterarum pulchritudinem, Paris ſententia judicarat. MICYLLUS. *Donis formaque probata*, Concinnior erit lectio, ſi *probatis*, reponas: ſic infra 203.

Collatis formâ Menelaus & armis.

Faſt. III. 1.

Bellice, depoſitis clypeo pauliſper & haſtâ,
Mars ades. HEINSIUS.

88. *Victorem coelo rettulit illa pedem.*] Hoc eſt, rediit in coelum victrix, parta victoria. MICYLL. *Rettulit inde pedem* volebat Francius: vid. ad Ep. XIV. 24.

89. *Interea credo, &c.*] Tertia pars digreſſionis, in qua de expeditione à ſe ſuſcepta narrat. MICYL.

89. *Verſis ad proſpera fatis.*] Diis jam meliora de me ſtatuentibus. IDEM.

90. *Regius agnoſcor puer.*] Agnoſcor eſſe filius Priami. MICYLLUS.

90. *Per rata ſigna.*] Certis ſignis & indiciis. IDEM. Hic Douza volebat inſerere diſtichon illud, quod ſupr. v. 51. legitur, *Forma vigorque &c.*

91. *Laeta domus nato recepto.*] *Fuit* ſcilicet. Domum autem intellige, regiam Priami. IDEM. *Nato eſt* margo Berſmanni.

91. *Per tempora longa.*] Pro, poſt tempora longa. *Per*, pro poſt, poſita abuſivè. MYCILLUS. Lege, *poſt tempora longa recepto.* HEINSIUS. Ita & Douza & Francius: ſed *per tempora* recte. vid. ad Append. Fabul. Phaedr. 17. quae notavimus. BURMANNUS.

92. *Addit & ad feſtos.*] Hoc eſt, eumque diem quo agnitus fui, pro feſto celebrant. MICYLLUS. *Addidit ad* margo Micyll. & Berſm. *feſtas* Palatin. & tunc *hanc* legendum eſſet. Elegans vero locutio *addere ad*, qua & uſus Sueton. Caeſ. 24. *Ad legiones, quas a Repub. acceperat, alias addidit.* Calig. 40. *Additumque ad caput legis.* ubi fruſtra Heinſius volebat, *additumque id capiti.* Plaut. Ciſtel. II. III. 45. *Suas ad meas miſerias addet.* & ita frequenter etiam Julius Caeſar. vid. lib. III. de Bell. Civil. 49. & 54. & 72. & alibi. BURMANNUS.

93. *Utque ego te cupio, &c.*] Etiam hic verſus ita cohaeret praecedentibus, ut appareat haec Ovidiana non eſſe. MICYLLUS.

94. *Multarum votum ſola tenere potes.*] Hoc eſt, me, quem tam multae aliae cupierunt & optarunt, tu ſola frui potes. IDEM.

96. *Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.*] Quid eſt, quod Nymphis curam ſe fuiſſe dicit? An quòd alias praeter Oenonen amarit. EGNATIUS. Nam ab Oenone amatus eſt, dum in ſylvis & inter paſtores adhuc degeret. Facit autem procorum more, qui dum ambiunt puellas, omnia ſua praedicant & extollunt. Ita hic quoque pluraliter

Te vigilans oculis, animo te nocte videbam;
Lumina cum placido victa sopore jacent.
Quid facies praesens, quae nondum visa placebas?
Ardebam, quamvis hinc procul ignis erat.
Nec potui debere mihi spem longius istam,
Caeruleà peterem quin mea vota viâ.
Troïa caeduntur Phrygià pineta securi,
Quaeque erat aequoreis utilis arbor aquis:
Ardua proceris spoliantur Gargara silvis:
Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.

Funda-

natas ducum & regum, & *nymphas* nominat, à quibus expetitus fuerit: cum aliàs de sola Oenone ex nymphis, & de Arisba Meropis filia Lesbia, de qua Stephanus meminit, legatur. Micyllus.

Curaque amorque fui.] Post hunc versum Palatinus & veteres editiones addunt:

Quas super Oenonem facies mutarer in orbem.
Nec Priamo est ad te dignior ulla nurus.

Quos Ovidianos esse versus non dubito. sed prior est mendosissimus, ac proinde uterque à nuperis editionibus jussus exulare, ni fallor. idque pessimo exemplo. Posteriori legendum *a te*. Noster alibi:

A Veneris facie non est prior ulla tuaque.

Propert. II. Eleg. III.

Post Helenam haec terris forma secunda redit.

Heinsius. Forte:

Quas super Oenone facie memorata per orbem.

Vel:

Quas tamen Oenone facie supereminet omnes.

Ut II. Met. 183.

Colloque tenus supereminet omnes.

Sed hoc est hariolari. Burmannus.

97. *At mihi cunctarum subeunt fastidia.*] Id est, ceteras omnes fastidire & contemnere coepi. Micyllus.

98. *Tyndari.*] Helena, Tyndari filia. Micyll.

100. *Victa.*] Francius malebat, *vincta*. vid. ad XI. Metam. 238.

101. *Facies.*] Scribe, *quid faceres?* jam enim viderat Helenam, vel *facias*, ut saepe Noster. vid. II. Metam. 187. 356. Heinsius.

102. *Ardebam, quamvis hinc procul.*] Quamvis ignis, hoc est tu Helena, quae me tanquam ignis incendis atque uris, procul hinc à Phrygia abesset, tamen ardebam, id est, amore tui flagrabram. Micyllus. Puto *hinc procul*, hoc est, procul à me. & *eras*; ut per ignem Helenam, amores suos, intelligat. Amor. II. Eleg. XVI.

At meus ignis abest. verbo peccavimus uno.
Quae movet ardores est procul, ardor adest.

Epistola Leandri:

Ut procul aspexi lumen, Meus ignis in illo est;
Illa meum dixi littora lumen habent.

Virgilius III. Eclog. 66.

At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.

Nemesian. Calp. Eclog. IV. 4.

Nam Mopso Meroë, Lycidae formosus Iölas
Ignis erant. Heinsius.

103. *Nec potui debere mihi spem longius istam.*] Nec potui spem istam, amoris potiundi, longius differre. Micyllus.

104. *Caeruleâ &c.*] Quo minus per mare & navibus peterem. Idem.

104. *Vota mea.*] Id est Te, quam cupiebam & amabam. Idem.

105. *Troia pineta.*] Trojanae silvae. Synecdochicôs. Idem. In hoc scelus erat, quia illa sacra Deum matri Cybelae. Statius V. Achil. 60.

Ille Phrygas lucos, Matris penetralia caedit
Turrigerae, vetitasque solo procumbere pinus
Praecipitat, terrasque freto delatus Achaeas
Hospitis Atridae spoliat thalamos.

Burmannus.

106. *Quaeque erat aequoreis &c.*] Pro, & quaecumque arbor erat utilis, id est idonea fabricandis navibus. Micyllus.

107. *Ardua Gargara.*] Gargara generaliter τὰ ἄκρα, hoc est, summitates montium, sive vertices dicuntur. Sed hoc loco de parte, sive colle Idae montis accipiendum, quae proprie hoc nomine appellatur: in cujus radicibus & oppidum ejusdem nominis fuit, cujus ager frugibus fertilis fuit. de quo idem Poëta lib. I. Art. Am. 57.

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Dicta autem Gargara, à Gargaro Jovis & Lariſſae filio: ut Suidas. Idem.

107. *Proceris sylvis.*] Hoc est Arboribus. ut sit totum pro parte positum. Idem.

107. *Spoliantur.*] Eleganter; unde *nudi montes* saepe dicuntur. Statius II. Achill. 115.

Montes spoliavimus altos.

Ubi forte corrigendum, *montes spoliavimus alnis.*

Alnus

Fundatura citas flectuntur robora naves:
Texitur & coſtis panda carina ſuis.
Addimus antennas, & vela ſequentia malos:
Accipit & pictos puppis adunca Deos.
Qua tamen ipſe vehor, comitata Cupidine parvo,
Sponſor conjugii ſtat Dea picta ſui.
Impoſita eſt factae poſtquam manus ultima claſſi;
Protinus Aegaeis ire jubebar aquis.
Et pater & genetrix inhibent mea vota rogando,
Propoſitumque piâ voce morantur iter.

Et

Alnus enim navibus aptiſſima veteribus habebatur. Virg. 1. Georg. 136.

Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas.

Et paſſim quamquam & vulgata ex illo Noſtri 1. Metam. 133. defendi poſſet:

Quaeque diu ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis inſultavere carinae.

E Phalacris vero caeſas arbores dicit Tzetzes ad Lycoph Alexand ỳſ. 24. vid. ſupr. ad vers. 22. Heinſium BURMANNUS.

108. *Longa dat Ida trabes.*] Id eſt arbores, ex quibus trabes navium fiunt. Idam autem *longam* vocat a poſitu: longa enim per totam Phrygiam extenditur. aliis atque aliis nominibus paſſim appellatur. Vel ſi mavis, accipe improprie *longam*, pro alta. tanta autem altitudo hujus montis, ut eodem tempore veſtigia orientis ſolis, & ejus, qui modo occiderit, in vertice ejus videre liceat, ut quidem Mela auctor eſt. MICYLLUS. Non hoc Mela ait, ſed, *a media jam nocte ſpargi ignes paſſimque micare, & ut lux appropinquat, ita coire ac ſe conjungere videri, donec magis, magisque collecti pauciores ſubinde, & una ad poſtremum flamma ardeant. &c.* nihil ille de occidente ſole. vid. lib. 1. c. 18. BURMANNUS.

109. *Fundatura.*] Hoc eſt fundamenta datura navibus, ſive ſolum malis appellare. MICYLLUS.

111. *Vela ſequentia malos.*] Hoc eſt pendentia de malis. IDEM.

112. *Accipit & pictos puppis, &c.*] Puppis adunca, à forma dicitur. Pictos autem Deos, intelligit imagines Deorum, quibus naves inſigniri ſolebant. IDEM.

113. *Qua tamen ipſe vehor.*] Ita quidem vulgo legitur. ego vero malim, *Qua tunc ipſe vehor.* quid enim faciat hoc loco adverſativa *tamen.* IDEM. Nihil muta: reliquae naves ſuos quaeque Deos accipiunt, ſed mea Venerem & Cupidinem. eſt ergo pro *ſed* poſitum, & excipit ſuam navem a reliquis. BURMANNUS.

114. *Sponſor conjugii ſui.*] Credo *tui* legendum. NAUGERIUS Sententia eſt: Dea, quae mihi conjugium tuum ſpopondit, ſtat picta cum Cupidine parvo. ac nota *ſponſorem* feminino genere poni de Venere: quemadmodum v. Faſt. 192. de eadem Dea. idem Poëta dixit:

Optima tu proprii nominis auctor eris.

MICYLLUS. *Tui* Naugerius. Sed nihil temere muto. *ſuum conjugium*, quod illa promiſerat. HEINSIUS. Elegantiſſime Dii *ſponſores* dicuntur rei, quam promittunt. Epiſt. 11. 34. de Hymenaeo:

Qui mihi conjugii ſponſor & obſes erat.

Senec. Epiſt. LXXXII. *Deſiſte jam de te eſſe ſollicitus. Quem, inquis, Deorum ſponſorem accepiſti?* Unde egregie Triſtanus tom. 1. Comment. Hiſt. p. 715. illuſtrat nummum Commodi, in quo I. O. M. SPONS. SEC. AUG. plenius vero eſt *ſpondere*, quam *promittere.* Statius 11. Achil. 284.

Solatur juratque fidem; jurataque fletu
Spondet, & ingentes famulas, captumque reverſus
Ilion, & Phrygiae promittit munera Gazae.

Valer. Flac. 111. 504.

Sponde, adfore reges
Dis genitos.

Lib. VI. 117.

Illius & dites monitis ſpondentibus Indi.

Sic apud Noſtrum XIII. Metam. 428. ex MSS. legendum:

Jamque viam ſpondet Boreas.

Ubi perperam *ſuadet* nunc legitur. Joſeph. Iſcan. Bell. Troj. 11. 68.

Anthenor, Zephyris blandum ſpondentibus aequor,
Haurit iter.

Sponſorem vero, ut plurima talia, *auctor*, *ſucceſſor*, *ſignator*, feminino genere dici, docuit jam Scalig. ad Manil. lib. v. ỳſ. 632. de Venere autem & Cupidine, tutelaribus navis Paridis numinibus, vide Meurſ. ad Lycophr. 110. *Comitata* vero *Cupidine parvo* etiam occurrit lib. 11. Faſtor. 463. BURMAN.

115. *Impoſita eſt &c.*] Manum ultimam dixit, pro fine. poſtquam claſſis fabricata fuit. MICYLL. *Summam manum imponere* Quinct. lib. 1. Prooem. ubi vide.

116. *Aegaeis ire jubebar aquis.*] Per Aegeum mare in Graeciam ire jubebar, a meis fatis ſcilicet, aut conſiliariis. nam parentes & propinqui

Et ſoror effuſis, ut erat, Caſſandra capillis,
Cum vellent noſtrae jam dare vela rates;
Quo ruis? exclamat; referes incendia tecum;
Quanta per has, neſcis, flamma petatur aquas.
Vera fuit vates, dictos invenimus ignes:
Et ferus in molli pectore flagrat amor.
Portubus egredior; ventisque ferentibus uſus
Adplicor in terras, Oebali Nympha, tuas.
Excipit hoſpitio vir me tuus. hoc quoque factum
Non ſine conſilio numinibusque Deûm.
Ille quidem oſtendit, quidquid Lacedaemone totâ
Oſtendi dignum, conſpicuumque fuit.

Sed

vetabant, ut ſequitur. Micyllus. A quibus autem jubebatur? A parentibus certe inhibitum ſequenti verſu ait. Priſcae editiones *jubebat*. Scribe *lubebat* vel *juvabat*. nam haec duo verba ſaepe confunduntur in libris vetuſtis. Heinsius. Ego nihil muto. *Jubebar* ſcilicet a Venere ſponſore, qua duce & auſpice ingreſſum ſe mare ait. *Jubebat* erat in Veneta una editione. Burmannus.

118. *Propoſitum viae iter.*] Pleonaſmus: nam ſatis fuerat dicere, *praepoſitum iter*. Micyllus. Repone meo periculo, *pia voce*. Heinsius.

119. *Caſſandra.*] Haec vates fuit, quod munus ab Apolline acceperat, cum ille ejus delibationem ambiret; ſed addidit idem Apollo, ut illi nunquam crederetur; propterea quod poſt divinandi artem acceptam, morem ei gerere recuſaſſet. ſed hic Paris vaticinium Caſſandrae, ut cetera praecedentia, invertit; incendium & flammam de amore ſuo exponens. Micyllus. De Caſſandra ſic Hyginus cap. xciii. *Caſſandra*, inquit, *Priami & Hecubae filia in Apollinis fano ludendo laſſa obdormiſſe dicitur, quam Apollo cùm vellet comprimere, corporis copiam non fecit, ob quam rem Apollo fecit, ut cùm vera vaticinaretur, fidem non haberet*. Ciofanus.

120. *Cum vellent noſtrae jam dare vela rates.*] Illud *noſtrae* friget hoc loco. Rectius legatur *properae*. Vel:

Cum vellem noſtrae jam dare vela rati.

Heinsius.

123. *Dictos ignes.*] Hoc eſt te, quae me ardere facis. Micyllus. *Dictos*, id eſt praedictos a vate. vid. ad Epiſt. v. 33.

124. *Et ferus.*] Puto, *en ferus*, vel, *efferus*. Heinsius.

124. *Flagrat.*] Francius malebat, *regnat*.

125. *Ventis ferentibus.*] Hoc eſt ſecundis, & a tergo ſequentibus. Micyllus.

126. *Applicor in terras.*] Francius malebat, *ad terras*.

126. *Oebali Nympha.*] De Helena & Laconica dictum accipio, ac Nympham pro puella generaliter poni puto. *Oebalidem* autem vocat ab avo Oebalo Tyndari patre. Micyll. Vid. ad Ep. i. 27.

127. *Excipit hoſpitio.*] Forte *accipit*. vid. ſupr. ad Epiſt. xii. 29.

127. *Hoc quoque factum &c.*] Color Rhetoricus. transfert enim ad voluntatem Deorum, quod hominis conſilio factum erat, movendi cauſſa ſcilicet. Micyllus. Conjecerat Heinſius, *concilio*. ſed nihil mutandum: *conſilium* enim hic voluntatem & mentem Deorum notat. Valer. Flac. v. 254.

Caucaſeis cum lapſus montibus anguis
Non ſine mente Dei.

Virgil. v. Aeneid. 56.

Haud equidem ſine mente, reor, ſine numine divûm
Adſumus, & portus delati intramus amicos.

Et ita paſſim res opponuntur, quae *conſilio* & quae *caſu* accidunt. Burmannus.

131. *Laudatam.*] Poteſt explicari, a Venere mihi laudatam & commendatam, ſed magis eſt, ut in genere notet pulcherrimam. Quinctil. Decl. xix. 4. *Verberibus, ignibus laudatos vultus, velut illis iraſceretur, oppoſuit*. vid. ad lib. v. Metam. 59. Burmannus.

132. *Lumina, &c.*] Hoc eſt, ille mihi oſtendebat theſauros, & regni ſui opes. ſed lumina, ſive oculi, nulla alia re adficiebantur, quam te videndo. propterea quod veneram, non ut opes illius, ſed ut formam laudatam, hoc eſt te, cernerem. Micyllus.

133. *Ut vidi, obſtupui.*] Francius volebat, *ut vidi, ut ſtupui*. vid. ad Ep xii. 133. & xiii. 89.

133. *Intima ſenſi.*] Scilicet moveri: ellipticôs enim dictum accipio. Micyllus.

134. *Attonitus &c.*] Id eſt attonitus exiſtens, & obſtupeſcens, me novis curis, id eſt, aliis ſuper eas, quas ante habebam, intonuiſſe, hoc eſt commotum eſſe, videlicet, poſtquam te coram aſpexi. Micyllus. Illud *intonuiſſe* huic loco alienum

Sed mihi laudatam cupienti cernere formam,
Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat.
Ut vidi, obſtupui; praecordiaque intima ſenſi
Attonitus curis intumuiſſe novis.
His ſimiles vultus, quantum reminiſcor, habebat,
Venit in arbitrium cum Cytherêa meum.
Si tu veniſſes pariter certamen in illud;
In dubium Veneris palma futura fuit.
Magna quidem de te rumor praeconia fecit,
Nullaque de facie neſcia terra tua eſt,
Nec tibi par usquam Phrygiâ, nec Solis ab ortu
Inter formoſas altera nomen habet.

Credis

num eſt. Forte *indoluiſſe*, vel *intepuiſſe*. Nam Mycilli illud *intumuiſſe* parum placet. HEINSIUS. Neque in Mycilli notis, neque textu illud *intumuiſſe* repperi. quod tamen impenſe placet, prae reliquis: in affectionibus enim vehementioribus *tumere* pectus, praecordia &c. paſſim Poëtae fingunt. vide ipſum Heinſium ad Valer. Flac. II. 108. & Claud. de Bell. Getic. 330. ſic Noſter II. Metam. 508.

Intumuit Juno.

Et IV. Pont. XIV. 34.

Intumuit vati nec tamen Aſera ſuo.

Valer. Flac. VI. 2.

At vigil ìsdem ardet Furiis Gradivus, & acrì
Corde tumet.

Et ita ille aliquoties. vid. ad Ep. VII. 121. Francius malebat, *intremuiſſe*. BURMANNUS.

136. *Venit in arbitrium &c.*] Hoc eſt, ipſa Venus, cum ſtetit ante me judicem nuda. ita enim fabula traditur. *Cytherea* autem Venus dicitur a Cytheris, apud quam inſulam primum è mari emerſit, ut Heſiodus auctor eſt. MICYLLUS.

137. *Si tu veniſſes.*] Hinc colorem duxit Seneca in Hippol. 661.

Si cum parente Creticum intraſſes fretum,
Tibi fila potius noſtra neviſſet ſoror. BURMANNUS.

138. *In dubium.*] Ita quidem omnes codices habent, quos vidi. ſed ego *in dubio* malim, neque enim credo Poëtam, aut quiſquis alius is fuit, ἀρχαϊσμὸν hunc affectaſſe; ut accuſativo pro ablativo uteretur. Quamquam non ignorem, Terentium dixiſſe, *cum videt me in tantum honorem eſſe.* ſenſus autem eſt, ſi tu in judicium cum Venere veniſſes, dubitaſſem, tibi an illi victoriam adjudicarem. MICYLLUS. *In dubio* malit Mycillus. Ego ἀρχαϊσμὸν hunc non temere loco moveam, minime ignarus elegantiae ſtudioſos auctores *in* cum caſu quarto frequenter conjunxiſſe loco ſexti. exempla paſſim ſunt obvia. HEINSIUS. Defendit quoque & illuſtrat hanc locutionem diligentiſſimus Paſſeratius ad Propertii lib. III. Eleg. IX. in fine. & recte. *Futura* enim pro *ventura* debet capi. ut in illa locutione apud Sueton. cap. XVI. *In conſpectum fuiſſe*, ut recte Caſaubonus reſtituit pro *veniſſe*. & Modius apud Curt. VI. 5. *Ut primum res in conſpectum fuit.* ſic idem Curt. III. 5. *Darium intra quintum diem in Ciliciam fore.* Cicer. XV. ad Att. 4. *Quo die in Tuſculanum eram futurus.* in *dubium* vero *venire*, de judiciis proprie dicitur. ita Quinctil. Decl. CCCXVIII. *Ne jus quidem dubium erat, etiam antequam venirem in dubium.* ubi vide. BURMAN.

139. *Magna praeconia de te fecit.*] Hoc eſt, rumor, ſive fama magnis te laudibus & praeconiis celebravit. MICYLLUS.

140. *Nullaque de facie neſcia terra.*] Et omnes terrae de forma ac pulchritudine tua norunt. IDEM.

141. *Nec tibi par uſquam Phrygiae.*] Lego, *Phrygia*, hoc eſt in Phrygiâ. Ante *Phrygiam* legebatur. Quod imperitiſſime defendit ad Silium Dauſquejus. p. 231. *Uſquam Phrygiae* Naugerii conjectura eſt. Sed vix perſuadet, *uſquam Phrygiae*, ut *uſquam locorum*, Latine poſſe dici. forte etiam melius, *primo nec ſolis ab ortu.* HEINSIUS. Francius conjecerat: *Par omni in Phrygia*; ego, *uſquam Phrygia*, recte legi hic puto; debet enim praepoſitio *a* repeti a ſequentibus. ut Epiſt. VI. 107.

Illa ſibi Tanai, Scythiaeque paludibus udae
Quaerat, & a patria Phaſidos uſque virum.

I. Art. Am. 723.

Aequoris unda
Debet, & a radiis ſideris eſſe niger.

XII. Metam. 125.

Inde, velut muro ſolidave a cautе repulſa eſt.

BURMANNUS.

141. *Nec Solis ab ortu, &c.*] Hoc eſt, & in toto Oriente nulla alia aeque nomen habet, hoc eſt, celebratur, & in ore omnibus eſt, quoties de forma mentio fit, &c. atque hactenus verſus illi, quos non agnoſcunt veteres, quique a noſtris pro nothis recenſentur. Qui ſequuntur, pro genuinis Poëtae habentur. MICYLLUS.

Credis & hoc nobis? minor eſt tua gloria vero:
Famaque de formâ pene maligna tua eſt.
Plus hic invenio, quam quod promiſerit illa:
Et tua materiâ gloria victa ſuâ eſt.
Ergo arſit merito, qui noverat omnia, Theſeus:
Et viſa es tanto digna rapina viro:
More tuae gentis nitidâ dum nuda palaeſtrâ
Ludis; & es nudis femina mixta viris.
Quod rapuit, laudo: miror, quod reddidit umquam.
Tam bona conſtanter praeda tenenda fuit.
Ante receſſiſſet caput hoc cervice cruentâ,
Quam tu de thalamis abſtraherere meis.
Tene manus umquam noſtrae dimittere vellent?
Tene meo paterer vivus abire ſinu?
Si reddenda fores, aliquid tamen ante tuliſſem:
Nec Venus ex toto noſtra fuiſſet iners.

Vel

142. *Inter formoſas.*] Francius malebat, *In tot formoſis*.

143. *Credis & hoc nobis?*] Magis arridet, quod ex veteribus codicibus adfertur, *Crede ſed hoc nobis*. Dan. Heinsius. Nunc denuo veterum librorum opem advocemus: qui ab hoc verſu denuo nobis adſunt. *Credis & haec* tres ſcripti. Barberin. *Credis ad haec*. Lego, *Crede ſed hoc*. Heinsius.

145. *Plus hic invenio.*] *Inveniat* Codex Leidenſis. forte, *invenias:* amat enim Noſter ſecunda perſona loqui. vide infr. 174. *Promiſerit* etiam tres libri. Heinsius.

148. *Viſa eſt.*] *Viſa es* legendum ex ſcriptis nonnullis. Heinsius.

149. *More tuae gentis nitida dum nuda palaeſtra Ludis, & es nudis femina miſta viris.*] Virginibus Lacaenis ſtudio fuit palaeſtra. Cicer. lib. II. diſp. Tuſcul. & alii. Ciofanus. *Madida* Scriverii, quae eſt gloſſa. ſed *nitidam* proprie dixit, quia luctatores oleo nitebant. lib. v. Faſt. 667.

Laete lyrae pulſu, nitida quoque laete palaeſtra.

Et Horat. II. Od. 12. *Nitidas puellas*, vocat oleo perfuſas; & Auſon. Epiſt. XIII.

Nitidae cutis uncta juventus.

Et Stat. x. Theb. 496.

Nitidi moriens convexa magiſtri
Reſpicis.

Et *unguento nitere*, Cicero II. Catilin. 3. ut *nitidi capilli*, apud Horat. Ep. XIV. 32. & *nitentes*. II. Od. VII. 6. Et ita Graeci λιπαρὸν uſurpant. vid. Spanh. ad Call. Hym. Apoll. 39. Burmannus.

150. *Es nudis.*] *Is* legit Barth. ad Stat. x. Theb. 499.

153. *Receſſiſſet.*] Imitationem eſſe illius Propertiani, II. VI. 7.

Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo,

notavit Douza.

155. *Tene manus unquam noſtrae dimittere vellent.*] *Dimittere ferrent* ſcribam libenter, ſi per codices antiquos detur. Metam. XIII. ῾Vſ. 460. ex optimis codicibus:

Scilicet aut ulli ſervire Polyxena ferrem.

Pro quo ſimiliter *vellem* vulgo legebatur. Heins. Vide ad Epiſt. v. 12. & XI. Metam. 447. *Dimittere poſſent*, volebat Francius.

157. *Ante tuliſſem*] *Inde* Oxonienſis. venuſte. ut Epiſt. ſeq. 25.

Non tamen è facto fructum tulit ille petitum.

Vid. ad II Pont. III. 33. ubi plura. Burmannus.

159. *Vel tua.*] *Vel mihi* Puteaneus & alii multi. Heinsius.

160 *Rapi.*] *Dari* Hafnienſis. quae vox venerea Noſtro paſſim. In Douzae codice erat, *Quo potui ſalva virginitate frui.* non male, ſi *poteram* legatur. Burmannus.

161. *Da modo te, quae ſit Paridis conſtantia.*] Lege & diſtingue:

Da modo te, Paridi quae ſit conſtantia noſces.

Sic infra. *Da modo te facilem*, neque aliter Slichtenhorſtius legebat ex Terentii Adel. v. III. 52. *Da te hodie mihi.* & Heaut. IV. III. 10. *Age da te mihi viciſſim.* vid. Gron. Diatr. Stat. c. XX. Silius III. 150.

Dent modo ſe ſuperi, Tiberis tibi ſerviat omnis.

Cicero II. Ep. 8. *Quare da te homini. Paridi* eſt in Barberiniano. Heinsius. *Paridi* etiam Berſmannus.

163. *Prae-*

Vel mihi virginitas eſſet libata; vel illud,
Quod poterat ſalvâ virginitate rapi.
Da modo te; quae ſit Paridi conſtantia, noſces.
Flamma rogi flammas finiet una meas.
Praepoſui regnis ego te; quae maxima quondam
Pollicita eſt nobis nupta ſororque Jovis.
Dumque tuo poſſem circumdare brachia collo,
Contemta eſt virtus, Pallade dante, mihi.
Nec piget; aut umquam ſtulte legiſſe videbor:
Permanet in voto mens mea firma ſuo.
Spem modo ne noſtram fieri patiare caducam;
Te precor, ô tanto digna labore peti.
Non ego conjugium generoſae degener opto:
Nec mea (crede mihi) turpiter uxor eris.
Pliada, ſi quaeres, in noſtra gente, Jovemque
Invenies: medios ut taceamus avos.

Sceptra

163. *Praepoſui regnis ego te.*] Ex hoc quoque & ſequentibus verſibus colligunt, illos ſupra notatos aſcititios aliunde eſſe. Nam quorſum attinebat, inquiunt, hic denuo eorum munerum, quae à Junone & Pallade propoſita fuerant, meminiſſe, cum ſuprà eadem res tot verſibus fuerit tractata? Proinde ſi hic locus Poëtae γνήσιος eſt, ut quidem nemo dubitat, neceſſe eſt, ſuperiorem illum ſupervacaneum & aliunde inſertum eſſe. MICYLLUS.

164. *Pollicita eſt nobis*] *Pollicitae nobis.* Puteaneus. HEINSIUS. Francius illud, *nobis nupta*, κακόφωνον cenſebat, & ideo conjiciebat, *magni nupta ſororque Jovis.*

165. *Dumque tuo.*] *Utque tuo* Douza.

166. *Dante mihi.*] In codice Douzae ſequebatur diſtichon hoc:

Primaque cum regnum, belli daret altera laudem,
Tertia, conjugii laude frueris, ait.

167. *Stulte elegiſſe videbor.*] *Legiſſe* Puteaneus & quinque alii. quod verſum utique molliorem praeſtat. *Legere*, pro eligere. *fatebor* etiam tres codices:

Cum Venus, & Juno, Pallaſque in vallibus Idae
Corpora judicio ſuppoſuere meo.

Hoc diſtichon à Puteaneo aliiſque melioribus abeſt. In quorundam margine manu recentiori adſcriptum legitur. Sed tollendum eſt. Cum enim judicium ſuum luculentis verſibus paulo ante copioſe recenſuerit, quid opus ejuſdem rei denuo meminiſſe? Ex Moreti & duobus aliis mallem, *fatebor.* quod cum ſequentibus melius cohaeret. eadem varietas obſervatur in codicibus lib. VII. Met. 33.

Tum ferrum & ſcopulos geſtare in corde fatebor.

Et II. Pont. III. 29.

Cumque alii nolint etiam me noſſe videri.

Ubi codices nonnulli, *fateri. Haud unquam* editiones priſcae & Berſmanni cum Puteaneo codice. BURMANNUS.

168. *Mens mea firma.*] *Et manet in voto mens mea certa* Lovanienſis. ut Epiſt. XVIII. 38.

Quid mecum certa praelia mente geris?

Poſſet &, *mens mihi.* vide Epiſt. XIII. 148. BURM.

170. *Deprecor.*] *Te precor* unus Vaticanus: recte. niſi quod legendum cenſeo, *Ne precor.* Claudianus bello Gildon. 187.

Ne conſanguineis certetur cominus armis:
Ne, precor.

Ita ibi ex vetuſtis exemplaribus eſſe reponendum monui. Reſpexit enim ad illa Virgilii VI. Aeneid. 833.

Ne pueri, ne tanta animis adſueſcite bella.

Statius Achilleide I. 392.

—— *Ne ſolum Danaas admitte carinas,*
Ne, precor.

Quomodo & illic reſcribo, nam ſcripti, *Deprecor.* Vulgati, *Te precor.* Idem Theb. IV. 512.

Ne tenues annos nubemque hanc frontis opacae
Spernite; ne; moneo.

HEINSIUS.

173 *Si quaeras.*] *Pliada ſi quaeres*, Puteaneus. HEINSIUS. Vide Epiſt. III. 115. & VI. 123. III. Metam. 141.

174. *Invenies.*] *Invenias*, forte. vid. ad Eleg. de Nuce, 58.

Invenias, qui det nil mihi, praeter humum.

178. *De-*

Sceptra parens Aſiae, quà nulla beatior ora,
Finibus immenſis vix obeunda, tenet.
Innumeras urbes, atque aurea tecta videbis:
Quaeque ſuos dicas templa decere Deos.
Ilion adſpicies, firmataque turribus altis
Moenia, Phoebêae ſtructa canore lyrae.
Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
Vix populum tellus ſuſtinet illa ſuum.
Occurrent denſo tibi Troades agmine matres:
Nec capient Phrygias atria noſtra nurus.
O quoties dices, Quam pauper Achaïa noſtra eſt!
Una domus quasvis urbis habebit opes.
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere veſtram.
In qua tu nata es, terra beata mihi eſt.
Parca ſed eſt Sparte: tu cultu divite digna es.
Ad talem formam non facit iſte locus.
Hanc faciem largis ſine fine paratibus uti,
Deliciisque decet luxuriare novis.
Cum videas cultum noſtra de gente virorum;
Qualem Dardanidas credis habere nurus?
Da modo te facilem: nec dedignare maritum,
Rure Therapnaeo nata puella, Phrygem.
Phryx erat, & noſtro genitus de ſanguine, qui nunc
Cum Dis potandas nectare miſcet aquas.

Phryx

178. *Decere.*] *Dicare* erat in Puteaneo, vitio correctoris a manu ſecunda. I. Faſt. 223.

Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea, majeſtas convenit iſta Deo.

Vid. ad Epiſt. v. 86. Burmannus.

180. *Structa.*] *Facta* Oxonienſ. & Reg. vid. ad Epiſt. VII. 119.

181. *De turba.*] *De turbis.* Francof.

183. *Denſo tibi Troades agmine.*] Leidenſis & Scriverii, *ordine*, quae perpetua fere librariorum eſt aberratio. ita enim variant codices & III. Met. 34. VII. 624. Claud. Conſ. VI. Hon. 633. & alibi. Virg. v. 833.

Princeps ante alios denſum Palinurus agebat
Agmen.

II. Aeneid. 450.

Obſedere fores, has ſervant ordine denſo.

Ubi etiam codices quidam, *ordine longo.* ita *plenius agmen.* I. Art. Am. 66. Burmannus.

185. *O quoties.*] *Ah quoties.* Oxonienſis. vid. Epiſt. IX. 79. & infr. ŷſ. 239. 241. & Epiſt. XVII. 61. Metam. III. 375. & X. 661. ubi fere ſimiliter peccatur. Heinsius. Puteaneus & Francof. *Ha quoties.*

186. *Una domus quaevis.*] *Quasvis*, Gottorph. bene; niſi *quamvis* malis. forte etiam *orbis*, pro *urbis.* Heinsius. *Quamvis* eſt in Francof. quod malebat etiam Francius. eſt vero imitatio Euripidis ex Oreſte 1114.

Ὦσὺ' Ἑλλὰς αὐτῇ σμικρὸν οἰκητήριον.

Burmannus.

189. *Digna.*] *Digna es*, multi ex ſcriptis. Heins.

194. *Quales Dardanias credis habere nurus.*] *Qualem* meliores cum primis editionibus. quare & ſuperiori verſu *cultum* lege, cum tribus ſcriptis. Deinde *Dardanidas* multae membranae. vide Ep. VIII. ŷſ. 66. & IX. 73. XVII. 212. *Dardanidum matres* Maroni v. Aeneid. & *Dardanides rates.* Remed. Amor. 58. ex optimis membranis. Heins.

196. *Phrygem.*] Hanc invidiam deprecari debebat, ne obſtaret amori ſuo gentis vilitas. maxime enim Graeci Phrygas deſpiciebant, ut ex Proverbiis pluribus conſtat. qualia ex Suida collegit Schottus Centur. XIV. n. 45. & 46. & Apoſtolius Centur. XX. 36. & 37. & alii. codices vero qui-

Phryx erat Aurorae conjux. tamen abſtulit illum
Extremum noctis quae Dea finit iter.
Phryx etiam Anchiſes, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idaeis concubuiſſe jugis.
Nec, puto, collatis formâ Menelaus & annis,
Judice te, nobis anteferendus erit.
Non dabimus certe ſocerum tibi, clara fugantem
Lumina; qui trepidos à dape vertat equos.
Nec pater eſt Priamo ſoceri de caede cruentus;
Et qui Myrtoas crimine ſignet aquas.
Nec proavo Stygià noſtro captantur in undà
Poma, nec in mediis quaeritur humor aquis.
Quid tamen hoc refert, ſi te tenet ortus ab illis?
Cogitur huic domui Jupiter eſſe ſocer.
Heu facinus! totis indignus noctibus ille
Te tenet; amplexu perfruiturque tuo.
At mihi conſpiceris poſitâ vix denique menſâ.
Multaque, quae laedant, hoc quoque tempus habet.
Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris,
Experior poſito qualia ſaepe mero.
Poenitet hoſpitii, cum, me ſpectante, lacertos
Impoſuit collo ruſticus iſte tuo.
Rumpor, & invideo (quid enim tamen omnia narrem:)
Membra ſuperjectâ cum tua veſte fovet.

Oſcu-

quidam, *Therâmnaeo*, habent, ut & apud Statium III. Theb. 422. & VII. 793. variat ſcriptura. ſic & *Therapnaeum Pollucem* Apollon. dicit lib. II. 163. BURMANNUS.

198. *Cum Dis potando.*] Lege ex decem codicibus:

Cum Dis potandas nectare miſcet aquas. HEINS. Francius conjiciebat, *Potandas divis* (vel *ſuperis*) *nectare m. a.*

201. *Phryx erat Anchiſes.*] Statius I. Silv. II. 187.

Unde novum Trojae decus, ardentumque deorum
Raptor erat, Phrygio ſi non ego juncta Marito?

Phryx etiam Anchiſes editiones priores, & Francof. & omnes fere codices. duo vero, Berſm. & Douzae codex, *erat.*

203. *Collatis forma Menelaus & armis.*] *Et annis* Puteaneus & alii quidam. de armis poſtea agetur:

Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris; aut armis anteferendus erit.

HEINSIUS. Francofurtenſis, Lovanienſes duo, Douzae & aliquot alii, *collatus*, ut & editiones quaedam veteres, quod neſcio an temere repudiandum. certe II. Amor. XVII. 13. dixit:

Collatam idcirco tibi me contemnere debes.

Stat. VII. 734. quamvis paullum alia ſignificatione:

Fas & mihi ſpernere Phoebum,
Si tibi collatus Divûm ſator.

ubi notat, tibi comparatus certavit. *in annis* vero multi codices. BURMANNUS.

205. *Tibi clara fugantem.*] Francius tentabat, *tua Phoebe*, vel, *Phoebeâ. Clara fugantem ſidera* Lovan. & Palat.

206. *Qui trepidos à dape vertat equos.*] Lego, *cui trepidos Sol dape vertat equos.* Non enim exprimit vulgata ſcriptura, cujus equi à dape vertantur. Nota eſt fabula. Propert. III. 21.

Non fugis Auſonias, Phoebe fugate, dapes. HEINS. *Nec tremis Auſonias* eſt in Propertio. an voluerit ita legi, an memoria ſefellerit, neſcio.

209. *Stygia captantur in unda.*] *Stygias in undas* Moreti. *capientur* Francof.

211. *Quid tamen hoc refert.*] Fruſtra codices multi, *haec refero*, vel *referam.* vide ad Epiſt. VI. 137.

220. *Imponit collo.*] *Impoſuit* ſcripti quidam & primae editiones. praeterea *ruſticus, iſte* Puteaneus.

Oſcula cum verò coram non dura daretis;
Ante oculos poſui pocula ſumta meos.
Lumina demitto, cum te tenet artius ille:
Creſcit & invito lentus in ore cibus.
Saepe dedi gemitus: & te, laſciva, notavi
In gemitu riſum non tenuiſſe meo.
Saepe mero volui flammam compeſcere: at illa
Crevit; & ebrietas ignis in igne fuit.
Multaque ne videam, verſâ cervice recumbo;
Sed revocas oculos protinus ipſa meos.
Quid faciam dubito. dolor eſt meus illa videre;
Sed dolor à facie major abeſſe tuâ.
Quâ licet & poſſum, luctor celare furorem:
Sed tamen adparet diſſimulatus amor.
Nec tibi verba damus: ſentis mea vulnera, ſentis.
Atque utinam ſoli ſint ea nota tibi!
Ah quoties, lacrimis venientibus, ora reflexi,
Ne cauſſam fletûs quaereret ille mei!
Ah quoties juvenum narravi potus amores,
Ad vultus referens ſingula verba tuos!
Indiciumque mei ficto ſub nomine feci.
Ille ego, ſi neſcis, verus amator eram.

Quin

probe. nam Τὸ *iſte* contemtum prae ſe fert. ſic Ajax lib. XIII. Met. quoties loquitur de Ulyſſe, fere ſemper ſubjungit Τὸ *Iſte*. ubi plura. HEINSIUS.

221. *Quid nunc tamen omnia narrem.*] Prima editio, cum Puteaneo & aliis tribus, *quid nam tamen*. In Puteaneo tamen vetus lectio penitus abraſa. reliqui maxima ex parte, *quid non tamen*. quatuor, *quid tamen omnia narrem*, omiſſio τῷ *nunc*. Mentelianus & unus Voſſii, *quid enim non*. Argentinenſis, *quid n. tamen*. hoc eſt, *quid enim tamen*. ſequor. Stat. IV. Achil. 60.

Metuam quid enim tibi cuncta fateri?

Niſi malis, *quid ni tamen*. Nam Jureti excerpta *quid ne*. HEINSIUS. vide ad Ep. V. 69.

223. *Oſcula cum verò.*] Janum Vlitium voluiſſe, *Oſcula cumque viro coram non dura darentur*, notavit Francius.

226. *Creſcit & invito lentus in ore cibus.*] Juvenalis, Sat. XIII. 212.

——— *Interque molares*
Difficili creſcente cibo. HEINSIUS.

Senec. Ep. LXXXII. *non in ore crevit cibus, non haeſit in faucibus.* non abſimile iſtud Statianum Theb. V. 208.

Altaque in mole tapetum,
Efflantem ſomno creſcentia vina.

Imitatus hoc Joſephus Iſcanius bel. Troj. lib. II. 153.

Et lacrimas bibit ipſe ſuas, ſegnique morantes
Creſcenteſque cibos guſtu jejuna fatigat.

BURMANNUS.

230. *Ignis in igne.*] Πὺρ ἐπὶ πυρί. CIOFANUS.

231. *Verſa.*] Liber Leidenſis, *flexa*: ut ſtatim ỷs. 239. Stat. Achil. II. 185. *Cervice reflexa.* & Claud. lib. I. de rapt. ỷſ. 155. ex MSS. Silius lib. IV. 343. *poplite flexo.* HEINSIUS. vid. V. Met. 232.

235. *Qua licet & poſſum.*] Helmaeſtadienſis, *ut poſſum*, non male, id eſt quantum poſſum. HEINS. pro *luctor*, quidam editi & ſcripti, *nitor*.

239. *Lacrimis venientibus.*] Francius volebat, *orientibus*, vel *manantibus* perperam: lib. I. Art. 661.

Si lacrimae, nec enim veniunt in tempore ſemper,
Deficiunt.

BURMANNUS.

241. *O quoties aliquem narravi potus amorem.*] *O quoties juvenum* Puteaneus pro diverſa lectione. quomodo & alii nonnulli. decem ſcripti, *juvenum amores*. & recte. Τὰ παιδεράστικα innuit. ſic apud Maron. Aeneid. X. 324.

In

Quin etiam, ut poſſem verbis petulantius uti,
Non ſemel ebrietas eſt ſimulata mihi.
Prodita ſunt (memini) tunicâ tua pectora laxâ,
Atque oculis aditum nuda dedêre meis;
Pectora vel puris nivibus, vel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora Jove.
Dum ſtupeo viſis, (nam pocula forte tenebam)
Tortilis è digitis excidit anſa meis.
Oſcula ſi natae dederas; ego protinus illa
Hermiones tenero laetus ab ore tuli.
Et modo cantabam veteres reſupinus amores:
Et modo per nutum ſigna tegenda dabam.
Et comitum primas, Clymenen Aethramque, tuarum
Auſus ſum blandis nuper adire ſonis.
Quae mihi non aliud, quam formidare, locutae,
Orantis medias deſeruere preces.
Dì facerent, magni pretium certaminis eſſes;
Teque ſuo victor poſſet habere toro.
Ut tulit Hippomenes Schoeneïda, praemia curſus,
Venit ut in Phrygios Hippodamia ſinus;
Ut ferus Alcides Acheloïa cornua fregit,
Dum petit amplexus, Deïanira, tuos;

Noſtra

Tu quoque flaventem prima lanugine malas
Dum ſequeris Chytium, infelix nova gaudia, Cydon,
Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,
Qui juvenum tibi ſemper erant, miſerande, jaceres.

Hoc vult, ſub paederaſticis ſe amoris ſui narrationem occuluiſſe. HEINSIUS. ſic Cicer. IV Tuſc. 33. dicit Alcaeum, *de juvenum amoribus ſcripſiſſe.*

243. *Indiciumque mei.*] *Indicium ipſe mei*, conjiciebat Francius.

245. *Verbis petulantibus uti.*] *Petulantius* Puteaneus & reliqui plerique. HEINS. vide ad Ep. x. 29.

249. *Tuamque.*] Francius omnino, *tuamve* legendum eſſe cenſet.

250. *Jove.*] Voſſianus *Cygno*. ſic & Horatius primam in *Cygno* corripit. vide quae noto lib. VII. Met. fabula Prognes. HEINSIUS Lucian. in Judicio Dearum, de Helena: λευκὴ μὲν, ὅιαν εἰκὸς ἐκ κύκνου γεγεννημένην. BURMANNUS.

252. *Excidit.*] MSS. duo *decidit*. forte *recidit*. vid. ad Ep. XIV. 46. ſed vulgata hic retineri poteſt. Petron. 34. *Ceterum inter tumultus, cum forte parapſis excidiſſet, & puer jacentem ſuſtuliſſet.* ubi vide notata. BURMANNUS.

256. *Signa tegenda.*] *Legenda* excerpta Gallicana. quod & Slichtenhorſtio in mentem venerat. ſed male. Epiſt. ſeq. 82. *tecta ſigna.*

257. *Clymenen Aethramque.*] Menelai affines fuiſſe teſtatur Dictys Cretenſis, unaque a Paride cum Helena avectas, & poſt captum Ilium forte ducta Demophoonti atque Acamanti Theſidis obtigiſſe praemium militiae diuturnae, ſed Mneſtheo Athenas remeanti ceſſiſſe tamen, Theſidis inde excluſis atque exulare juſſis. Idem Dictys initio libri VI. Clymenem Aethrae filiam fuiſſe innuit. HEINSIUS.

258. *Auſus ſum blandis.*] *Cum blandis* Puteaneus & reliqui. & ſuperiori verſu, *Clymenen Aethramque.* HEINSIUS. forte, *auſus eram blandis.* BURMANNUS.

259. *Nil aliud.*] *Non aliud*, ſcripti & primae editiones. HEINSIUS.

262. *Deſeruere preces.*] *Deſtituere* Barberinus & Voſſianus. vide Notas ſequenti epiſtola. ℣s. 196. HEINSIUS.

264. *Venit ut.*] *Venerat in* Schott. II. Obſerv. cap. 53. Alii libri hunc verſum ſic habent, *Quae propero curſu vicerat ante procos.* ſed fuſtra. HEINS. in quibusdam interjectus erat etiam alius:

Sic & tu Phrygias venies regina per urbes,
Venit ut in Phrygios Hippodamia ſinus.

quem utrumque Berlmannus expreſſit, ſed ſubdititios videri notavit.

Noſtra per has leges audacia fortior iſſet:
Teque mei ſcires eſſe laboris opus.
Nunc mihi nil ſupereſt, niſi te, formoſa, precari;
Amplectique tuos, ſi patiare, pedes.
O decus, ô praeſens geminorum gloria fratrum;
O Jove digna viro, ni Jove nata fores!
Aut ego Sigëos repetam te conjuge portus:
Aut ego Taenariâ contegar exſul humo.
Non mea ſunt ſummâ leviter deſtricta ſagittâ
Pectora: deſcendit vulnus ad oſſa meum.
Hoc mihi, (nam repeto) fore ut à coeleſte ſagittâ
Figar, erat verax vaticinata ſoror,
Parce datum fatis, Helene, contemnere amorem:
Sic habeas faciles in tua vota Deos.
Multa quidem ſubeunt: ſed coram ut plura loquamur,
Excipe me lecto, nocte ſilente, tuo.
An pudet, & metuis Venerem temerare maritam,
Caſtaque legitimi fallere jura tori?
Ah nimium ſimplex, Helene, ne ruſtica dicam,
Hanc faciem culpâ poſſe carere putas!
Aut faciem mutes, aut ſis non dura, neceſſe eſt.
Lis eſt cum formâ magna pudicitiae.

Jupi-

267. *Audacia fortiter iſſet.*] Alii *victoria*. Voſſianus, *audacia fortior*. placet. Heinsius. ita Epiſt. xviii. 84. quidam:

Fortior in ſummas erigor altus aquas.

Ubi etiam *fortiter* vulgo. *Victoria* etiam, quod multi libri pro *audacia* habent, non temere repudiandum. ita *ire triumphus* dicitur Ep. vii. 154. & alibi.

274. *Aut hic.*] *Aut ego Taenariâ*, octo libri. Heinsius.

275. *Diſtricta.*] *Deſtricta* legendum. vide Ampliſſimi Cuperi Obſerv. lib. iv. obſ. 5. Stat. i. Silv. ii. 79.

Aſt illum ſummâ leviter (ſic namque jubebas)
Lampade, parcentes & inermi ſtrinximus arcu.

Et viii. Theb. 532.

Qualis ſetigeram Lucanâ cuſpide frontem
Strictus aper.

Adſcripſit Douza locum Senec. Contro. vii. *Ut deſtricta levi vulnere eſt cutis, non credas factum manu privigni, credas amatoris.* Burmannus.

277. *Nam repeto.*] *Recolo* multi ex ſcriptis. vid. ad Ep. v. Vſ. 123. mox forte legendum:

Fore ut a coeleſte ſagitta
Figerer, eſt verax vaticinata ſoror. Heinsius.

Verum vaticinata Douzae codex.

279. *Parce datum fatis.*] Lego, *ratum fatis*. ſic Cicero lib. vii. Ep. Famil. Gallo: *Quae emiſſe te reſcribis, non ſolum mihi rata erunt, ſed etiam grata*. plura ad Senecae Tragoed. Heinsius. Multum dubito, an ubique fas ſit illud *ratum*, quod Heinſio in deliciis fuit, invitis etiam membranis, intrudere. cum altera locutio ſit optima & frequens. Lucan. vii. 544.

It timor, & fatis datus eſt pro Caeſare curſus.

Virgil. iv. Aeneid. 225.

Fatiſque datas non reſpicit urbes.

Livius xxx. 30. *Si hoc ita fato datum erat, ut qui, &c.* Valer. Flac. viii. 397.

Namque datum hoc fatis trepidus ſupplexque canebat
Mopſus.

Qui & ita *ſorte datum* dixit. lib. iv. 704.

Heu quis datus iſte Deorum
Sorte labor nobis?

Et ita alii ſaepe. vid. Ep. xv. 82. Burmannus.

283. *An pudet, an metuis.*] *Et metuis* ſcripti. ut infr. 323.

Si pudet, & metuis, ne me videare ſecuta.

Heins. *Aut* etiam utrobique multi editi & ſcripti.

284. *Fallere jura.*] Elegantior mihi lectio Moreti codicis videtur, *ſolvere*. cujus gloſſam *fallere* credo. *Fallere* enim *fidem* recte dicitur, vid. ad Epiſt.

Jupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.
Haec tibi nempe patrem furta dedêre Jovem.
Vix fieri, ſi ſunt vires in ſemine avorum,
Et Jovis & Ledae filia, caſta potes.
Caſta tamen tum ſis, cum te mea Troja tenebit:
Et tua ſim, quaeſo, crimina ſolus ego.
Nunc ea peccemus, quae corrigat hora jugalis:
Si modo promiſit non mihi vana Venus.
Sed tibi & hoc ſuadet rebus, non voce, maritus:
Neve tui furtis hoſpitis obſtet, abeſt.
Non habuit tempus, quo Creſſia regna videret,
Aptius. ô mirâ calliditate virum!
Ivit, &, Idaei, mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis hoſpitis, uxor, agas.
Negligis abſentis (teſtor) mandata mariti:
Cura tibi non eſt hoſpitis ulla tui.
Hunccine tu ſperes hominem ſine pectore dotes
Poſſe ſatis formae, Tyndari, noſſe tuae?
Falleris: ignorat. nec, ſi bona ſumma putaret
Quae tenet, externo crederet illa viro.
Ut te nec mea vox, nec te meus incitet ardor;
Cogimur ipſius commoditate frui.

Aut

Epiſt. VII. 18. ſed *jura* melius *ſolvere* dicimur. ita *ſolvere legem* Valer. Max. VI. v. ex. ult. & *diſciplinam* Livius VIII. 7. & *morem* cap. 4. Virgil. II. Aeneid. 157.

Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura.

Pro *tori* multi etiam *viri*. vid. ſup. Ep. v. ℣ſ. 78. & XIX. 100. BURMANNUS.

286. *Putas.*] *Putes* tres libri. HEINSIUS.

291. *Vix fieri, ſi ſint vires in ſemine Amorum.*] *Si ſunt* Puteaneus, aliique tres. pro *Amorum*, decem libri, *avorum*, quod placet. ita etiam apud Perſium, Sat. I. 103.

— *Si teſticuli vena ulla paterni*
Viveret in nobis. HEINSIUS.

Vid. ad Petron. cap. XLIV. *In ſemine amoris* Bernenſis codex.

295. *Corriget.*] *Corrigit* multi ex ſcriptis. Scriverianus & Moreti, *corrigat*. bene. HEINSIUS.

297. *Sed tibi &.*] Francius, *Ipſe tibi hoc ſuadet.*

298. *Sui.*] *Tui* Regius. ut mox v. 304. rectius. quaſi ipſe Menelaus Parida magis uxoris ſuae, quam ſuum hoſpitem exiſtimaſſet. BURMANNUS.

299. *Creſſia.*] *Cretica* Douzae codex.

301. *Exit & Idaei.*] *Eſſet* Puteaneus mendoſe. an pro *Haeſit*? Multi codices, *Ivit & Idaei*. Sarravianus, *Ibat*. Leidenſis, *Ibit*. *Ipſe abit* plerique ſcripti. duo, *Ille abit*. quae ab interpolatoribus ſunt. HEINSIUS. *Ivit* jam Douza conjecerat.

302. *Curam agas.*] Quinque libri *habe*. ſed male. Triſt. lib. V. El. VII. 38.

——— *Curamque futuri*
Nominis, utilius quod latuiſſet, ago. HEINSIUS.

Virgil. Culic. 98.

Talibus in ſtudiis, baculo dum nixus, apricas
Paſtor agit curas.

Et hinc nihil moverem XIII. Metam. 371.

Proque tot annorum curis, quas anxius egi.

Nec IX. Metam. 107. *Curas pro conjuge agentem.* Livius II. 48. *Neque bella, neque delectus, neque ullam aliam priorem curam agere.* & VIII. 3. *Tamquam de Samnitibus, non de ſe curam agerent.* XXIV. 27. *Qui curam cum Praetoribus de renovando foedere agerent.* Senec. I. contr. 3. *An dii immortales humanarum rerum curam agant.* leg. I. C. de Offic Magiſtr. Officior. *Principatum adipiſcatur matricula. decurrente, ita ut ad curas agendas & curſum illi exeant, quos ordo militiae vocat.* Plura vide ad Quinctil. V. Inſt. Orat. 6. BURMANNUS.

303. *Mariti*] *Tyranni*, id eſt regis, margo Bersmanni. & ita plurimi ſcripti.

305. *Tu ſperas.*] *Speres*, bene Lovanienſis HEINS.

307. *Nam ſi*] *Nec ſi* veteres. HEINSIUS. *Num ſi*

Aut erimus ſtulti, ſic ut ſuperemus & ipſum,
Si tam ſecurum tempus abibit iners.
Pene ſuis ad te manibus deducit amantem.
Utere non vafri ſimplicitate viri.
Sola jaces viduo tam longâ nocte cubili;
In viduo jaceo ſolus & ipſe toro.
Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant.
Candidior medio nox erit illa die,
Tunc ego jurabo quaevis tibi numina; meque
Adſtringam verbis in ſacra jura tuis.

Tunc

ſi &c. viro? Francius. *Bona ſumma*, excerpta Gallicana & Editio Colinaei. quod convenientius Paridi, ſe inſinuanti in amorem Helenes, & qui non *magna*, ſed *ſumma* bona putaret, tenere Helenam. ſic Juven. Sat. v. 2.

Ut bona ſumma putes aliena vivere quadra.

Sic Epiſt. ſeq. XVII. 132.

Me viſam praemia ſumma tibi.

Ubi etiam codices nonnulli *magna*. unice huc facit locus Terentii Andr. IV. III. *Dii veſtram fidem; ſummum bonum eſſe herae putavi hunc Pamphilum.* ita & III. Am. IX. 27. pro *ſumma dies*, alii codices *magna*. Pentametrum ita exhibent Bernenſis & Lovanienſis, *Crederet externo, quae tenet ille, viro. quod tenet* alter Berſm. *ille* vero plurimi habent. BURMANNUS.

309. *Nec te meus incitet ardor.*] Argutius putabat Douza, ſi legamus, *Nec me tuus*, id eſt amor tui. ut Propert. dixit, *deſiderium meum*, pro *mei. excitet* plures libri.

310. *Cogimur ipſius commoditate frui.*] Malim, *commoditate viri. abſentis commoditate viri* Gronovianus. probe etiam. HEINS. Sed mox vers. 314. repetitur. ut & infr. Epiſt. XVII. 176. & II. Art. 372. quae loca in animo habuit librarius. nobis *frui* minime movendum videtur.

313. *Paene ſuis manibus ad te deduxit amantem.*] Propriè. Cicero III. Act. in Verr. 34. *Hic eſt Docimus, ad quem iſte deduxerat Tertiam, Iſidori Mimi filiam.* & ipſe IV. Faſt. 153.

Cùm primùm cupido Venus eſt deducta marito.

Tibullus III. IV. 31.

Ut juveni primùm virgo eſt deducta marito.

Papinianus jurisconſultus leg. dotis promiſſio LX. D. de jure dot. *Etſi minor annis duodecim, ut major deducta ſit, tunc primùm petatur, cùm major annis apud eumdem eſſe coeperit.* CIOFANUS. Scribe cum antiquis & melioribus:

Pene ſuis ad te manibus deducit amantem.

HEINSIUS. Locutio videtur vulgi uſu tritiſſima, etiam in aliis rebus, Valer. Max. I. VIII. ext. 18. *Non magis quam quod ita ſilveſtres caprae, Cretae genitae, tantopere dilexerit*, (Natura) *quas ſagittis confixas ad ſalutare auxilium herbae dictamni, tantum non ſuis manibus deducit. Deducere* vero nuptiale verbum. vid. ad Ep. IX. 121. III. Faſt. 689. IV. 153. & Paſſerat. ad Propert. IV. 3. & aptum etiam conciliatrae. ut Cicer. III. Verr. 34. Suet. Caeſ. 50. & alii. ſicut hic recte Douza notavit, lenonum eſſe & lenarum, ex Tibulli I. 7.

Haec mihi te adduxit tenebris, multoque timore
Conjungit noſtras clam taciturna manus.

Ubi rectius legit, *haec me deducit*, Broukhuſius. BURMANNUS.

314. *Mandantis ſimplicitate viri.*] *Non vafri* Mentelianus. & ſic pro diverſa lectione Puteaneus. Confirmant iſta Helenae:

Simplicis utamur commoditate viri.

Sic Art. Am. lib. III. 611.

Qua vafer eludi poſſit ratione maritus.

Apulej. Met. IX. *Nec quidquam moratus ac ſuſpicatus vafer & egregius ille maritus, accenſa lucerna, Diſcede, inquit, frater, & otioſus, donec probe perpurgatum iſtud tibi repraeſentem.* Ita ſcribendum, εἰρωνικῶς. vulgo inſulſe, *acer & egregius maritus, & probe procuratum.* apud Statium quoque v. Silv. IV. II. ad Somnum ſcribi debet:

——— *Non ſi mihi lumina mille,*
Quae vafer alterna caute in ſtatione tenebat
Argus, & haud unquam vigilabat corpore toto.

Perperam nunc legitur:

Quae ſacer alterna tantum ſtatione tenebat.

Achilleid. II. 173.

Heu ſimplex nimiumque rudis, qui callida dona,
Grajorumque dolos, vafrumque ignoret Ulyſſem.

Quomodo & illic ſcribendum. nunc circumfertur, *Variumque ignorat Ulyſſem.* Silius lib. XVII. 86.

Ergo aſper monitis fruſtra obnitentibus enſes
Advocat, & caſtas polluti foederis ara
Teſtatur, vafra martem movet impiger arte.

Ubi *varia arte* perperam nunc circumfertur: nam de una arte caſtrorum incenſorum ibi tantum mentio. notum illud Martialis VI. 64.

Stigmata nec vafra delebit Cynnamus arte.

Vafri

Tunc ego, si non est fallax fiducia nostri,
Efficiam praesens, ut mea regna petas.
Si pudet, & metuis, ne me videare secuta;
Ipse reus sine te criminis hujus agar.
Nam sequar Aegidae factum, fratrumque tuorum.
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theseus; geminas Leucippidas illi:
Quartus in exemplis adnumerabor ego.
Troïa classis adest armis instructa virisque.
Jam facient celeres remus & aura vias.

Ibis

Vafri vox Horatio & Persio familiaris. Illi *Vafer Flaccus*, & *scit risisse vafer*, Satyra prima. Noster Epist. xx. 30.

Consultoque fui juris amore vafer.

Barberinianus, *non cauti viri.* Ut Remed. Am. 34.

Verbaque dent cauto qualibet arte viro.

Metam. IX. 750.

Non patris asperitas, non cauti cura mariti.

Contra *incautus maritus.* adi notas II. Amor. Eleg. XIX. 46. HEINSIUS.

320. *Adstringam verbis in sacra jura meis.*] Scripti plerique, *tua jura*, *tua jussa*, vel *tua verba.* In Puteaneo vetus lectio erat erasa. *Verbis in rata jura tuis* videtur scribendum. certe in quinque scriptis legebatur, *verbis tuis. tuis verbis*, quia tu mihi praescribes jurisjurandi formulam, qua tibi addicar. hinc *jurare in alicujus verba*, sacramentum alicui dicere. Par huic jurisjurandi formula Amor. lib. III. Eleg. II.

Per Superos juro testes, pompamque deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti.

Sic Cydippe se adstrinxit verbis Acontii in pomo lectis. Ipse Acontius infra:

Te mihi compositis (si quid tamen egimus) à me
Adstrinxit verbis ingeniosus Amor.
Dictatis ab eo feci sponsalia verbis,
Consultoque fui juris Amore vafer.

De *jure* dixi Epistola III. sub finem. possint tamen & *sacra jura* ferri pro sacratis. ut apud Virgilium II. Aeneid. 157.

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.

HEINSIUS.

323. *Si pudet aut metuis.*] Et hic Junianus, excerpta Gallicana & edit. Colinaei, *& metuis.* vid. vers. 285.

323. *Secuta.*] Quod infame, unde *mulieres secutulejae.* vide quae notavimus ad Petron. cap. LXXXI. BURMANNUS.

324. *Reus sine te criminis hujus ero.*] *Agar* Vossianus cum uno Medicêo. sic Epistola Acontii:

Nunc reus infelix absens agor.

Amor. I. El. VII. 22.

Egit me lacrymis voce silente reum.

Trist. I. I. 24.

Et peragar populi publicus ore reus.

Nuce 56.

Meque ream nimiae proximitatis agi.

Atque ita passim. Vulgatam tamen haud damno: nam & in Nuce 41.

Sic reus ille fere est.

Et Epist. XIV. 7.

Esse ream praestat, quam sic placuisse parenti.

HEINSIUS.

326. *Non propiore.*] Puto legendum *num*; ut saepe alibi. inf. vs. 363.

327. *Geminas Leucippidas illi.*] Ambas Leucippi filias rapuerunt Castor & Pollux: quarum nomina fuerunt Ilaira, & Phoebe. Apollodor. lib. III. CIOFANUS.

328. *In exemplis annumerabor ego.*] *Annumerari exemplis* Latinum est. alterum Latinitas vix admittit. Subscribo igitur sex exemplaribus, quae *enumerabor* praeferunt. nisi malis:

Quartus ut exemplis annumerarer ego.

Sic Elegia de Nuce 177. *Annumerare fructus colono. vel jam numerabor*, aut, *en numerabor.* HEINSIUS. Ego nihil muto; cum Latinitatis ratio salva sit, ipso Ovidio sponsore, qui lib. V. Trist. IV. 20.

——— —— *Cujus*
Se quoque in exemplis annumerare solet.

Cicero accedit pro Rosc. Amer. cap. 32. *Verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer;* immo *enumerare in exemplis*, minime Latine dici, auctor est locupletissimus Cl. Graevius ad Cicer. Paradox. I. ubi forte etiam legendum: *Eias, qui annumeratur in septem.* vulgo *enumeratur*, Graevus *numeratur* praefert ex Pithoeano codice: vim vero hujus verbi eleganter illustravit Schultingius ad Senecae Suasoriam II. BURMAN.

329. *Troïca classis adest.*] Puteaneus, Gronovianus & unus Vaticanus, *Troïa.* vide Epist. I. vs. 28. HEINSIUS.

330. *Jam facient.*] *Faciant* Regius & Gronov. *faciunt* unus Bernensis.

332. *Te-*

Ibis Dardanias ingens regina per urbes:
Teque novam credet vulgus adeſſe Deam.
Quâque feres greſſus: adolebunt cinnama flammae,
Caeſaque ſanguineam victima planget humum,
Dona pater fratresque, & cum genetrice ſorores,
Iliadesque omnes, totaque Troja, dabunt.
Hei mihi! pars à me vix dicitur ulla futuri.
Plura feres, quam quae litera noſtra refert.
Nec tu rapta time. ne nos fera bella ſequantur;
Concitet & vires Graecia magna ſuas.
Tot prius abductis, dic quae repetita per arma eſt?
Crede mihi, vanos res habet iſta metus.
Nomine ceperunt Aquilonis Erechtida Thraces:
Et tuta à bello Biſtonis ora fuit.
Phaſida puppe novâ vexit Pagaſaeus Iaſon:
Laeſa nec eſt Colchà Theſſàla terra manu.
Te quoque qui rapuit, rapuit Minoïda Theſeus:
Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat.

Terror

332. *Teque novam credet vulgus adeſſe Deam.*] Hunc titulum ſumſere quaedam eximia vanitate mulieres. ita Cleopatra Θεὰ νεωτέρα & καινὴ in nummis, & apud Plutarchum in vita Antonii, Ἴσις νεὰ. vid. Vaill. de nummis Aegypti regum pag. 589. exemplo nimirum Dearum. ita enim Proſerpina νέη Δήω. de qua vid. Spanhem. ad Call. Hym. in Cerer. v. 133. ubi alia exempla habes de Imperatorum uxoribus: & ita paſſim *novi Dei* & *Deae* occurrunt. ſic III. Met. 520. *Novus Liber*, ut & Antonium vocat Vellej. lib. II. 82. Noſter I. Faſt. 510.

Teque novos coelo terra datura Deos.

Et 536.

Sic Auguſta novum Julia numen erit.

III. 693.

Ridet amatorem carae nova Diva Minervae.

IV. Pont. IX. 131.

Perveniant iſtuc & carmina forſitan illa,
Quae de te miſi coelite facta novo.

BURMANNUS.

334. *Planget humum.*] *Tinget*, Moreti & duo alii. vid. Epiſt. X. 106.

336. *Dabit.*] *Dabunt*, Hafnienſis, & unus Vaticanus. bene. HEINSIUS. Vid. II. Art. 81.

340. *Graecia magna.*] *Tota* Gronovii, Bernenſis, & quinque alii, *moeſta* idem Gronovii pro varia lectione. certe illud *magna* ſuſpectum eſt. quae vox & cum *moeſta* eſt confuſa lib. I. Am. X. 33. *Tota* placeret magis, niſi praeceſſiſſet modo, *totaque Troja*. an *Graecia mota?* BURMANNUS.

341. *Ecquae eſt repetita per arma.*] *Ecquae repetita per arma eſt* unus Regius. quod utique minus durum. HEINSIUS. *Ecqua eſt* volebat Francius. *Et quae eſt* Bernenſis. *Quaenam eſt* Berſmanni editio. omnes, ut puto, fruſtra: nam unice arridet elegantiſſima lectio codicis alterius Bernenſis: *Dic quae repetita per arma eſt?* varie enim illo vocabulo *Dic* utuntur Poëtae; aut in exprobrationibus, de quo vid. Broukh. ad Prop. IV. III, 23. & IV. VIII, 17. aut in ſuperba adlocutione, vid. Serv. ad Virg. VII. Aeneid. 546 praecipuus vero ejus uſus in provocatione quaſi, ut probaret & exemplis adfirmaret aliquid ille, cum quo agimus. fere ſimili modo Propert. II. XXIII. III.

Dic mihi, quis potuit lectum ſervare pudicum?

Ubi Paſſeratius Idiotiſmum interrogantis cum ſtomacho notat. & ita ſaepe Noſter & alii. ut III. ex Pont. III.

Dic, precor, ecquando didiciſti fallere nuptas?

Et Eleg. V.

Dic tamen, ô Juvenis ſtudiorum plene meorum,
Ecquid ab his ipſis admoneare mei?

III. Triſt. 7.

Dic ſtudiis communibus ecquid inhaeres?

Sic & *dicite*. lib. II. Amor. XIV. 33. III. Amor. III. 15. & Stat. V. Silv. V. 5. & ita paſſim. BURMANNUS.

344. *Et tuta.*] Francio mollius videbatur, *tuta ſed a bello*.

145. *Pegaſaeus.*] *Pagaſaeus* bene Puteaneus & Sarravii. Epiſt. XVIII. 175. & ſic Noſter alibi ſaepe. Stat. I. Ach. 65. male etiam, *puppis Pegaſaea*

Terror in his ipſo major ſolet eſſe periclo:
Quaeque timere libet, pertimuiſſe pudet.
Finge tamen, ſi vis, ingens conſurgere bellum.
Et mihi ſunt vires: & mea tela nocent.
Nec minor eſt Aſiae, quam veſtrae copia terrae:
Illa viris dives, dives abundat equis.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris; aut armis anteferendus erit.
Pene puer caeſis abducta armenta recepi
Hoſtibus: & cauſſam nominis inde tuli.
Pene puer vario juvenes certamine vici;
In quibus Ilioneus, Deïphobusque fuit.
Neve putes, non me, niſi cominus, eſſe timendum:
Figitur in juſſo noſtra ſagitta loco.
Num potes haec illi primae dare facta juventae?
Inſtruere Atriden num potes arte meâ?
Omnia ſi dederis; numquid dabis Hectora fratrem?
Unus is innumeri militis inſtar habet.

Quid

ſaea pro *Pagaſaea*. vid. & Lucan. II. 715. Silius XI. 471. HEINSIUS.

346. *Theſſala terra.*] *Theſſalis ora* Baſileenſis, quod placeret, niſi praeceſſiſſet, *Biſtonis ora*. ubi editio Micylli & Colinaei, *tuta tamen bello*, ſic Seren. Sam. LXII. *Ut tutus fias inſeſtae fraude Novercae.* BURMANNUS.

350. *Pertimuiſſe.*] Mallem, *praemetuiſſe*, vel:

Quamque timere libet, tam timuiſſe pudet.

HEINSIUS. Francius, *poſt timuiſſe*. *Quamque* eſt in uno Moreti. *quaque* in Puteaneo & uno Heinſii.

351. *Conſurgere.*] *Concurrere* Baſileenſis.

352. *Tela nocent.*] *Tela valent* duo libri.

355. *Nec plus Alcides.*] Magniloquentia, cui non reſpondit res ipſa. Horat. I. Od. XV. *Sublimi fugies mollis anhelitu, non hoc pollicitus tuae.* BURMANNUS.

357. *Pene puer caeſis abducta armenta recepi Hoſtibus: & cauſſam nominis inde tuli.*] Idem Apollodorus ibidem. CIOFANUS. *Hoſtes* fuere Cilices. vid. Dauſquejus ad Calabr. p. 129.

359. *Vario.*] *Valido* Leidenſis. ſed intelligit πένταθλον. Juſtin. VII. 2. *Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta exſtitere, ut etiam Olympio certamine, vario ludicrorum genere, contenderit.* ubi nihili eſt illud *natura*; legerim, *omnium virtutum tam matura*, ut idem dicat, quod Noſter, *pene puer*. ita lib. VI. cap. 5. *Numquam ante eum Athenienſes inter tot tantoſque duces, aut ſpei majoris, aut indolis maturioris Imperatorem habuerunt. Vario* legendum quoque oſtendit imitatio Pindari neſcio cujus, in Epitome Iliados 260.

Ubi nunc vires, ubi cognita nobis
Ludorum quondam vario certamine vis eſt?

Hinc etiam probatur optima ſcriptura codicis Puteanei & aliorum. apud Liv. XXV. 5. *Hic ſenes honoratosque juvenes eo certamine vicit.* vulgo, *in eo certamine.* BURMANNUS.

363. *In juſſo.*] Claudianus IV. Conſ. Hon. 529.

Certique petitor
Vulneris, & juſſum mentiri neſcius ictum.

Qui locus male a Delrio tentatur. Francius legebat, *in juſſum locum.* BURMANNUS.

364. *Non potes arte mea.*] *Num potes* Puteaneus pro diverſâ lectione. quomodo & praecedenti verſu puto reponendum. Sappho ſupra:

Num potes, ô ſcopulis undâque ferocior illâ,
Si moriar, titulum mortis habere meae?

Triſt. lib. I. Eleg. III. *Num potes avelli?* ut ſcribo. HEINSIUS.

365. *Numquam dabis Hectora fratrem!*] *Numquid* Puteaneus & tres alii. Epiſt. XVI. I. *Numquid ut inſpecta eſt &c.* Elegia de Nuce 33.

Non equidem invideo. nunquid tamen ulla feritur?

Faſt. IV. initio:

Saucius an ſanus, nunquid tua ſigna reliqui?

Ita enim utroque loco ex optimis libris reponendum. HEINSIUS. Ita & Bernenſis codex.

366. *Unus is innumeri militis inſtar erit.*] Longe elegantius in ſex codicibus, *inſtar habet*. Epiſt. Phyllidis:

Sed ſcelus hoc meriti pondus & inſtar habet.

Pont. II. Eleg. 3.

Inſtar & hanc vitam mortis habere puta.

Quid valeam, nescis: & te mea robora fallunt.
Ignoras, cui sis nupta futura viro.
Aut igitur nullo belli repetêre tumultu:
Aut cedent Marti Dorica castra meo.
Nec tamen indigner pro tantâ sumere ferrum
Conjuge; certamen praemia magna movent.
Tu quoque, si de te totus contenderit orbis,
Nomen ab aeternâ posteritate feres.
Spe modo non timidâ, Dîs hinc egressa secundis,
Exige cum plenâ munera pacta fide.

Art. Am. I. 286.
—— *Improbitas muneris instar habet.*
Lib. II. 285.
His ergo aut, illis, vigilatum carmen in ipsas,
Forsitan exigui muneris instar habet.
Sic & ibi codices nonnulli. lib. III. 490.
Sed tamen Aetnaei fulminis instar habet.
Atque ita alii auctores ex optimis frequenter. HEINSIUS. Cicer. III. de Of. 3. *Omnia ex altera parte collata, vix minimi momenti instar habent.*

371. *Nec tamen indigner pro tanta sumere bellum Conjuge.*] *Sumere ferrum* Puteaneus & multi alii. nec vulgatum *sumere bellum* temere tamen damnandum. Silius lib. I. 272.
Bellaque sumta viro, belli majoris amore.
Trebel. Poll. Claudio: *Dum haec aguntur, Palmyreni contra Aegyptios bellum sumunt.* Claud. lib. III. Laud. Stil. 184.
Quoties hic proelia sumsit
Pro sociis.
Et bel. Gild. 332. *Bellumque resumit.* Petron. de bello civili:
Sumite bellum,
Et tentate manus.
A. Gell. XVII. 21. *Bellum deinde cum Pyrrho rege sumptum est.* mox ibid. *Bellum cum Poenis sumptum est.* Macrob. Satur. I. 16. *Saturnalibus nefas est praelium sumere.* vid. Gron. ad Stat. Diatr. cap. 57. Scribe praeterea, *Nec tamen indigner.* ne indigner pro te pugnare facit nomen, quod tamquam praemium a posteritate relaturus sum. HEINSIUS. *Nec tamen indignum est pro tanta sumere bellum* Bernensis codex. vid. ad Petron. cap. CXXII. *Sumere ferrum* in aliquem dictum esset, ut illud Propertii III. ÿf. 16.
In me caeruleo fuscina sumta Deo est.
Ubi vid. Passer. BURMANNUS.

EPISTOLA XVII.

HELENA PARIDI.

NUnc oculos tua cum violârit epistola nostros;
Non rescribendi gloria visa levis.
Ausus es, hospitii temeratis, advena, sacris,
Legitimam nuptae sollicitare fidem?

Scili-

Puteaneus margini adscriptos habet hos versus initio Epistolae:
Si mihi quae legi, Pari, non legisse liceret,
Servarem numeros, sicut & ante, probae.
HEINSIUS. In Codice Palatino erat, *Sabini Poëtae Epistola, qua Alexandro Helena respondet.*

1. *Nunc oculos tua cum.*] *Cum tua nunc oculos* Medicêus unus & prima editio.

2. *Non rescribendi gloria visa levis.*] Vilis & parva; vel certe sic verius. Gloria rescribendi est mihi visa non levis, hoc est non parva, id est, putavi mihi magnam gloriam fore rescribere tibi, quia affecisti me magna injuria. ita commentator Hubertinus, & Douza. sed prior sensus verior. quidam codices, *Non mihi scribendi.* alii, *non rescribenti. Nunc rescribendi* Bernensis.

4. *Legitimam nuptae sollicitare fidem?*] Sic propè libro VII. Metamorph. 725.
Quaererer quod doleam, statuo, donisque pudicam
Sollicitare fidem.

Et

Scilicet idcirco ventoſa per aequora vectum
Excepit portu Taenaris ora tuo?
Nec tibi, diverſâ quamvis è gente venires,
Oppoſitas habuit regia noſtra fores;
Eſſet ut officii merces injuria tanti?
Qui ſic intrabas, hoſpes, an hoſtis eras?
Nec dubito, quin haec, cum ſit tam juſta, vocetur
Ruſtica, judicio, noſtra querela, tuo.
Ruſtica ſim ſane; dum non oblita pudoris?
Dumque tenor vitae ſit ſine labe meae.
Si non eſt ficto vultus mihi triſtis in ore;
Nec ſedeo duris torva ſuperciliis;
Fama tamen clara eſt: & adhuc ſine crimine vixi:
Et laudem de me nullus adulter habet.

Quo

Eſt autem *ſollicitare*, ut ex Feſto Paullus refert, *ex ſuo loco movere*. Unde appoſitè transfertur ad chordas, dum impelluntur. CIOFANUS. Neſcio quò pertineat haec obſervatio de chordis. ſaltem *ſollicitare fidem*, vix videtur Ciofanus de chordis potuiſſe capere. forte in animo habuit locum ex lib. XI. Metam. 169. *Tum ſtamina docto Pollice ſollicitat.* Sed ut hoc loco, millies occurrit, pro tentare puellam, ad nequitiam deducere conari. vid. VI. Metam. 462. Faſt. III. 483. & Petron. c. 83. BURMANNUS.

6. *Taenaris.*] *Tyndaris* Gottorphian. *Trinacris* Bernenſis.

7. *A gente.*] *E gente* meliores. HEINSIUS.

8. *Oppoſitas.*] Male Vlitius *oppanſas* volebat. Horat. III. Od. 26. *Oppoſitis foribus minaces.* vide & Senec. IV. Nat. Quaeſt. Praef. recte autem ex Thucydide notavit Douza, reſpici legem Spartanam, qua vetabantur peregrini in urbe recipi. BURMANNUS.

10. *Hoſpes an hoſtis.*] Agnominationem eamdem habet Epiſt. XIV. 44.

Tam ſis hoſtis iners, quam malus hoſpes eras.

Et II. Faſt. 787.

Hoſpes, ut hoſtis, init penetralia Collatini.

Et videtur adluſiſſe ad ambiguam vocis *hoſtis* ſignificationem, quae olim peregrinum & hoſpitem indicabat. ſic & uſurpaſſe Virgilium quosdam cenſuiſſe, notat Servius ad Virgilii IV. Aeneid. 424.

I ſoror, atque hoſtem ſupplex adfare ſuperbum.

Plaut Bacchid. Act. II. III. 19. *Tun' hoſpitem illum nominas hoſtem tuum?* temeraſſe vero ſacra hoſpitii etiam Aeſchyl. Agamemn. 408. docet. BURMANNUS.

16. *Nec ſedeo.*] *Videor* Puteaneus pro diverſa lectione & ſex alii. quod magis placet: nam *ſedere* quem hic locum habeat non video. niſi fortaſſe ſcripſerit Naſo, *nec rigeo duris torva ſuperciliis.* idque opinor verum eſſe. *Rideo* pro *rigeo* ſcripſerat librarii manus aberrans. hinc *ſedeo* ab aliis criticis, ab aliis *videor* factum. Senec. Herc. Oet. 166.

Quis vaſtus Briareus, quis tumidus Gyges
Hoc vultu riguit?

Id eſt vultu tam rigido fuit. idem Puteaneus, *vixi* pro *luſi*, diverſa itidem lectione ſequenti verſu. ut & alii multi. ſed *luſi* praeſtat. quod verbum eſt amatorium, ut dicemus alibi. ita Graeci ſuis παίζειν & ἀφροδισιάζειν utuntur. Ipſa Helene mox:

Lude ſed occulte.

In Amoribus:

Ludunt formoſae: caſta eſt quam nemo rogavit.

Art. Am. I. 91.

Illic invenies quod ames, quod ludere poſſis.

Et II. 391.

Ludite, ſed furto celetur culpa modeſto.

Propertius de Thaïde:

In qua populus luſit Erichtonius.

Ceterum pro *fama tamen clara eſt*, videtur reponendum, *cara eſt.* caram habui exiſtimationem meam. famae celebritas hoc loco minus commode oſtentatur. contra Dido illa apud Virgil. IV. Aeneid. 170

Neque enim ſpecie famave movetur. HEINSIUS.

Nulli harum emendationum calculum adjicere poſſum. Nam conſtans librorum plurimorum & optimorum lectio, & ſimul ratio τὸ *ſedeo* tuetur: aptiſſimum enim caſtitatem jactanti, & matronis pudicis ſe accenſenti, Helenae eſt verbum. Propert. II. Eleg. XI. 13.

Nec mihi jam faſtus opponere quaerit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta ſedere poteſt.

Eleg. XIV. 35.

Nec nimis ornata fronte ſedere velis.

Ubi videndus Broukhuſius. lib. III. Eleg. X. 37.

Quo magis admiror, quae ſit fiducia coepti;
Spemque tori dederit quae tibi cauſſa mei.
An, quia vim nobis Neptunius attulit heros:
Rapta ſemel, videor bis quoque digna rapi?
Crimen erat noſtrum, ſi delenita fuiſſem.
Cum ſim rapta, meum quid, niſi nolle, fuit?
Non tamen è facto fructum tulit ille petitum:
Excepto, redii paſſa, timore, nihil.
Oſcula luctanti tantummodo pauca protervus
Abſtulit: ulterius nil habet ille mei.
Quae tua nequitia eſt, non his contenta fuiſſet.
Dî melius: ſimilis non fuit ille tui.
Reddidit intactam; minuitque modeſtia crimen:
Et juvenem facti poenituiſſe patet.
Theſea poenituit, Paris ut ſuccederet illi;
Ne quando nomen non ſit in ore meum?

Nec

Nec fruſtra: quia caſta domi perſederat uxor,
Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.
Ubi Paſſeratius inſpiciendus; & nihil notius, quam *Domiſedas* laudatiſſimae famae fuiſſe. praeterea non cum multis legendum eſt, *torvis dura ſuperciliis.* ſed cum melioribus & pluribus, *duris torva ſuperciliis.* ita Epiſt. XVI. 11.

Nec vultu cetera duro

Perlege.
Lucanus II. 313. *Duroque admiſit gaudia vultu.* & ſic alibi Noſter ſaepe. Alio paullum ſenſu, *durum* Herculi *vultum*, qui lacrymare neſcit, tribuit Seneca Herc. Oet. 1272. praeterea *vixi* convenire melius illis *ſine crimine* videtur, quam *luſi*; quod & Aldus & alii recepere, quia *ludere* vix ſine crimine poſſit femina, & ſi ſine crimine ludere ſibi videretur, fama tamen facile inde laederetur, quam tamen *claram* ſibi adhuc eſſe jactat. nam *cara* etiam impudicis eſſe ſolet, quae furtivis amoribus gaudere & populo imponere conantur. ſi quid mutandum, mallem cum duobus codicibus *rara.* ut *rara puella* apud Propertium. I. Eleg. VIII. 42. ubi vid. Broukhuſ. & mox v. 42. *cara* vero in nullo codice exſtat. BURMANNUS.

19. *Fiducia coepto.*] *Coepti* maxima pars codicum. ſed *coepto* firmare poſſet, quod videatur hic auctor Epiſtolae imitatus Maronem, qui lib. II. Aeneid. 75. *Quae ſit fiducia coepto*, ut quidam illo loco legunt. ſed melius eſt *coepti.* & *fiduciam* cum genitivo conſtruit Noſter paſſim, & idem Virgil. lib. I. 132.

Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri.
Propert. III. XXIII. 1.

Falſa eſt iſta tuae, mulier, fiducia formae.
Ubi vide Paſſerat. Juſt. VI. 5. *Occiſo Lyſandro nullius alterius fiduciam ducis habebant.* Valer. Flac. IV. 124.

Cui det fiducia noſtri
Nate animos. BURMANNUS.

21. *Intulit.*] In nonnullis, *attulit Heros.* NAUGER. *Attulit* Puteaneus cum prima editione & Scriptis plurimis. Art. Am. lib. I. 679. ex codicibus ſcriptis:

Vim paſſa eſt Phoebe, vis eſt adlata ſorori.
Cicer. Philipp. II. *Ut illa* (*credo*) *nefaria ſenatus conſulta fierent, vim adferebam Senatui.* Act. II. in Verr. *Quàm multis iſtum Matribus familias vim attuliſſe exiſtimatis?* Quintilianus Declam. III. *Appellabis de ſtupro, vim afferes.* Sueton. Veſpaſian. *Victus enim vim vitae ſuae attulit.* In Priapeis Epigram. XIV.

Commiſſo mihi non ſatis modeſtas
Quicumque attulerit manus agello.
Cato de re Floriana apud Non. in *ſuſpicioſum. Vim in corpus liberum non aequum cenſuere adferri*, quae totidem verbis & apud A. Gellium habes. lib. IX. cap. 12. Aemilius Probus vita Dionis, *Nam celeri rumore delato Dioni vim allatam multi concurrerant.* ſic & *adferre ſibi manum*, quod *inferre* alii. Petronius cap. LXXX. *Sicut eram ſine gladio in lectulum decidi, & attuliſſem mihi damnatas manus.* quomodo & Probus in vita Timoleontis. & Apulejus Metam. IV. quare fruſtra eſt magnus Caſaubonus pag. 172. notarum ad Apulej. Apologiam, qui illo loco pro, *Se mihi manu ſua mortem allaturum*, reponit *illaturum.* cum alterum parum Latine dictum opinetur, quod dictum eſt Latiniſſime. HEINSIUS. Cicer. I. Verrin. 26. *Quod ubi ille intellexit, id agi atque id parari, ut filiae ſuae vis adferretur.* & apud Quinctil. III. Inſt. II. *Ratio, quod is vim adferebat,* ubi male Aldus, *inferebat.*

in

Nec tamen iraſcor: (quis enim iraſcatur amanti?)
Si modo, quem praefers, non ſimulatur amor.
Hoc quoque enim dubito. non quo fiducia deſit,
Aut mea ſit facies non bene nota mihi:
Sed quia credulitas damno ſolet eſſe puellis;
Verbaque dicuntur veſtra carere fide.
At peccant aliae; matronaque rara pudica eſt.
Quid prohibet raris nomen ineſſe meum?
Nam mea quod viſa eſt tibi mater idonea, cujus
Exemplo flecti me quoque poſſe putes:
Matris in admiſſo, falſa ſub imagine luſae,
Error ineſt: plumâ tectus adulter erat.
Nil ego, ſi peccem, poſſim neſciiſſe, nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.
Felix in culpa quo Jove dicar ego?

Quod

in Declamationibus ſaepius *afferre vim* occurrit. ſic & apud Statium I. Theb. 408.

Hic vero ambobus rabiem fortuna cruentam
Attulit.

Ubi quidam codices Barthii, *intulit.* & ita millies. BURMANNUS.

23. *Delinita.*] Scribe *delenita*; & vide ad Quinct. lib. V. Inſtit. 8.

27. *Oſcula luctando tantummodo pauca protervus*
Abſtulit.] Locus ex Epiſt. Oenones neſcio quid ſimilitudinis & affinitatis cum hoc habere videtur:

Ille meae ſpolium virginitatis habet.
Id quoque luctando, rupi tamen ungue capillos,
Oraque ſunt digitis aſpera facta meis.

CIOFANUS. *Luctanti* meliores ſcripti, & ita Aldus & alii.

29. *Nequitia eſt.*] In multis codicibus τὸ *eſt* non apparet. forte ſcripſerat *nequities*, ut alibi *durities*, & ſimilia. vide ad Ep. II. 137. I. Amor. I. 19. & III VIII. 4. & de hac locutione *quae tua eſt*, ad Epiſt. I. 75. BURMANNUS.

31. *Reddidit intactam.*] Non defuerunt tamen, qui Iphigeniam ex Helenae Theſeique concubitu fuiſſe prognatam aſſeverarint. Vide Antoninum Liberalem Metamorphoſ. XXVII. & Pauſaniam in Corinthiacis. lib. II. cap. 22. HEINSIUS. Vide Tzetz. ad Lycophr. 103. & 143.

32. *Patet.*] *Liquet* Bernenſis.

34. *Non ſit in ore.*] Scilicet populi. HEINSIUS.

35. *Quis enim ſuccenſet amanti.*] *Iraſcetur* Scriverianus. Lego *iraſcatur*, venuſta repetitione, de qua Ep. VI. v. 29. Statius Sylv. lib. IV. ad Julium Menecratem:

Iraſcorque etiam, quantum iraſcuntur amantes.
HEINSIUS.

36. *Quem praefers.*] *Profers*, quidam codices, inter quos unus Bernenſis, qui & *ſimuletur.*

37. *Hoc quoque enim.*] Quidam, *hoc etenim.* alii, *hoc etiam.* nonnulli, *hoc quoque nam.* omnes fruſtra. Epiſt. ſeq. 98. *Hoc quoque enim vidi.* BURM.

37. *Non quod.*] In Mediceo & Argentinenſi erat *quo*, quod Latinius & elegantius cenſeo. ita enim Cicero & alii uti ſolent pro *quia*, ſequente etiam in altero Orationis membro, *quia*, vel *quod*, eadem ſignificatione. lib. II. de Orat. 75. *In quo ego, non quo libenter male audiam, ſed quia ego cauſſam non libenter relinquo, nimium patiens & lentus exiſtimor.* VI. ad Fam. 4. *Non quo ego certe ſciam, ſed quod haud difficilis erat conjectura.* apud Terentium quoque Adelph. VI. Sc. III. 39. codices emendatiores exhibent:

Non quo diſſimilis res ſit, ſed quod is, qui fecit.
BURMANNUS.

42. *Quis prohibet.*] *Qui* Puteaneus. ſcribe, *quid* prohibet. vide notas Ep. X. vſ. 88. HEINSIUS.

44. *Flecti.*] *Tangi* Patricii, Junii, & Leidenſis codex, ut Epiſt. praecedenti v. 326.

Exemplo tangi num propiore potes?

Infra vers. 127. quidam codices etiam, *tangor quoque laudibus iſtis.* HEINSIUS.

45. *Falſa ſub imagine.*] Vide Gronov. II. Obſerv. XV.

46. *Pluma.*] *Plumis* Lovanienſis. Senec. Octav. 764.

Quem modo Ledae preſſiſſe ſinum
Tectum plumis pinnisque ferunt.

47. *Poſſum neſciiſſe.*] *Poſſim* duo codices. *Poſſem* Argentinus. HEINSIUS.

49. *Vitiumque auctore redemit.*] *Levavit*, margo Micylli & Colinaei. ut II. Metam. 281. *Clademque auctore*

Quod genus, & proavos, & regia nomina jactas:
Clara satis domus haec nobilitate suâ est.
Jupiter ut soceri proavus taceatur, & omne
Tantalidae Pelopis Tyndareïque decus;
Dat mihi Leda Jovem, cycno decepta, parentem;
Quae falsam gremio credula fovit avem.
I nunc, & Phrygiae latè primordia gentis,
Cumque suo Priamum Laomedonte refer.
Quos ego suspicio; sed, qui tibi gloria magna est
Quintus, is à nostro nomine primus erit.
Sceptra tuae quamvis rear esse potentia Trojae,
Non tamen haec illis esse minora puto.

Si

auctore levare. & III. 338. *Poenamque levavit honore:* nisi forte *rependit.* HEINS. Ego nihil muto. *Redimere* enim eleganter poni pro pensare, rependere, docuit Schottus lib. v. Observ. c. 35. sic Statius VII. Theb. 139.

Praecipitant redimuntque moras.

Ubi quidam codices, *rapiuntque*, quam lectionem, licet elegans videri possit, Lutatii interpretatio refellit, qui exponit, *tarditatis moras celeritate compensant.* Vellej. II. 87. de Antonio, *Se ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiae crimina morte redimeret. Auctor* vero hic dictus, stupri illator. ut Epist. VII. 105. *Decepit idoneus auctor.* BURMANNUS.

50. *Felix in culpa quo Jove dicar ego?*] Sententia est: Mater vitium suum excusare potest magno nomine Jovis: ego verò, si peccem, quem Jovem habeam, quem praetendere possim culpae meae? ac si dicat, nullum. *Felicem in culpa vocat*, quae culpam suam defendere possit. MICYLLUS. Ita, *felix in numero.* Epist. VI. 121.

51. *Et genus & proavos.*] *Quod genus* scribe ex codicibus sex aut septem, quo alii plures alludunt, in quibus, *Quid genus.* Noster Metam. IX. 23.

Nam quod te jactas, Alcmena matre creatum,
Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.

Et infra hac eadem Epistola:

Quod bene te jactas & fortia facta recenses,
A verbis facies dissidet illa suis

Quomodo illic ex fide optimorum codicum scribendum. lib. IV. Pont. Eleg. II. ex scriptis exemplaribus:

Scylla feris trunco quod latrat ab inguine monstris,
Heniochae nautis plus nocuere rates.

Infr. Epist. XVIII. 47. ex MSS. *Tam gelidus quod sis &c.* Silius. lib. XI. ŷf. 326. ex vetustis codicibus:

Summum quod credis, & aequas
Hannibalem superis, ô quantum nomine major
Jam Poeno tibi natus erit.

Elegans est ille usus τοῦ *quod*, pro *quamvis.* Noster Artis lib. I. 261.

Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit,
Multa dedit populo vulnera, multa dabit.

Propert. lib. II. Eleg. XVII.

Tu quoque quod pleno fastus assumis amore,
Credule, nulla diu foemina pondus habet.

Sic & alibi non semel idem. & in Priapeis. Epigr. V.

Quod sum ligneus, ut vides, Priapus,
Prendam te tamen.

Ita quatuor codices scripti, non *quod sim.* HEINS. Vide Broukhus. ad Propert. III. I. 49. Sciopp. Priapej. v. Gujet. ad Terent. Eun. v. Sc. ult. sed & transitioni ad novum argumentum inservire haec particula *quod* potest. vide Manut. ad Cicer. III. ad Fam. 10. BURMANNUS.

54. *Tyndareique genus.*] *Decus* Puteaneus, pro diversâ lectione. quod probum est: nam *genus* paulo ante praecesserat. HEINSIUS. *Tyraridisque decus.* Bernensis.

57. *Latè primordia.*] Aldus, Veneti, Micyllus, & Colinaeus, *claraе primordia gentis.* forte:

I nunc & Phrygibus clarae primordia gentis &c.
refer.

Jacta te Phrygibus tuis, non mihi, qui genere nobiliore me efferre possum. multi etiam scripti *praecordia*, forte, pro *Praeconia.* BURMANNUS.

58. *Priamo Laomedonta.*] *Priamum Laomedonte* Puteaneus & Leidensis. Sequenti versu τὸ *est* Gronovianus non agnoscit, ut omnia referantur ad τὸ *erit.* HEINSIUS.

60. *A nostro sanguine primus erit.*] *Nomine* Puteaneus & multi alii. quod verum est. *nomen* pro gente; qua de re nonnihil jam dictum est ad Epist. II. ŷf. 50. sic apud Virgilium lib. III. Georg. 35.

—— *Demissaeque ab Jove gentis*
Nomina, Trosque parens & Trojae Cynthius auctor.

Idem eodem libro 122.

Neptunique ipsa dedicat origine nomen.

Quo-

Si jam divitiis locus hic numeroque virorum
Vincitur: at certè barbara terra tua eſt.
Munera tanta quidem promittit epiſtola dives;
Ut poſſint ipſas illa movere Deas.
Sed ſi jam fines vellem tranſire pudoris;
Tu melior culpae cauſſa futurus eras.
Aut ego perpetuo famam ſine labe tenebo;
Aut ego te potius, quam tua dona, ſequar.
Utque ea non ſpernò; ſic acceptiſſima ſemper
Munera ſunt, auctor quae pretioſa facit.
Plus multo eſt, quod amas; quod ſum tibi cauſſa laboris,
Quod per tam longas ſpes tua venit aquas.

Illa

Quomodo in veterrimo Piërii Valeriani codice legebatur. Vulgati *gentem*. Pari modo lib. x. Aeneid.

Ille tamen noſtra deducit origine nomen.

Et lib. xii. 513.

Ille Talon Tanaimque neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congreſſu, & moeſtum mittit Onyten
Nomen Echionium.

Ubi vetuſtiſſimus Noſter Medicêus, *Nomine*. quanquam & *nomen* rectè ſe habet: ut ſit Graeciſmus, quomodo apud Noſtrum in Faſtis, *Grajus uterque genus*, pro genere. & Aeneid. iii. 614. *Nomen Achaemenidas*. ut & illic praeſtantiores ſcripti. ſic *Conſtantinum nomen* pro familia, Amm. Marcellinus initio operis. Heinsius. *A noſtro nomine*, hic explicarem *a me ipſa*, nam ſi tu numerando quintum Jovem invenias, ego a me primum habeo. ſic Ep. ii. 112. *Nomine femineo non ſatis apta regi*. id eſt *a femina*. ſic Juſtinus, *nomina Philippi & Alexandri*, pro Philippo & Alexandro poſuit; ſic *nomen agelli* pro agro, & centum alia. vid. ad Petron. 123. & Vellej. i. 12. *Primus erat* etiam Douza legebat. Burmannus.

61. *Potentia Trojae.*] *Terrae*, vel *Trojae* Puteaneus. Heinsius. *Quamvis reor* Francof. & Junianus.

67. *Fines vellem tranſire.*] Plurimi, *finem*. *Partes* Lovanienſis. ſed vulgata proba eſt. Cicer. v. ad Famil. 12. *Qui ſemel verecundiae fines tranſierit, eum bene & naviter oportet eſſe impudentem*, quem locum tetigit Berſmannus. ſic de alia re Claudian. iv. Conſ. Honor. 304.

Neu pete praeſcriptos homini tranſcendere fines.

Burmannus.

68. *Tu major.*] *Tu melior* Puteaneus & alii quidam. ſic ii. Triſt. 51.

Cauſſa mea eſt melior. Heinsius.

69. *Perpetuo.*] *Perpetuam* Bernenſis & plurimi alii. Heinſius olim volebat, *perpetua*. ut cum *labe* conſtrueretur.

71. *Sic acceptiſſima ſemper Munera ſunt.*] *Acceptiſſima quondam* Gottorphianus. eleganter mehercules. pro quandoque, aliquando, nonnunquam, ut in illis Maronis, ii. Aeneid. 367.

Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.

Idem Virgilius, ix. Aeneid. 710.

Qualis in Euboïco Bajarum litore quondam
Saxea pila cadit.

Et in Georgicis lib. iii. 99.

Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis
Incaſſum furit.

Lib. iv. 261.

Frigidus ut quondam ſilvis immurmurat Auſter.

Noſter lib. i. Art. Amat. 705.

Scilicet ut pudor eſt quondam cepiſſe priorem,
Sic alio gratum eſt incipiente pati.

Ita veteres libri. lib. ii. Triſt. 86. ut legendum puto ex veſtigiis membranarum:

Ipſa ſuo quondam pondere tecta ruunt.

Faſt. ii. 799.

Sed tremit, ut quondam ſtabulis deprenſa relictis
Parva ſub infeſto cum jacet agna lupo.

Elegia in Mortem Druſi, 101.

Liquitur, ut quondam Zephyris & ſolibus ictae
Solvuntur tenerae vere tepente nives.

Metam. lib. viii. 191.

——*Sic ruſtica quondam*
Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.

Lib. ix. 170.

Ipſe cruor, gelido ceu quondam lamina candens
Tincta lacu ſtridet.

Stat. Theb. v.

Movet & coeleſtia quondam
Corda dolor.

Ita & *olim*. Faſt. iii. 555.

——*Ut olim*
Amiſſo dubiae Rege vagantur apes.

Plura loca ex Silio, Flacco, Lucano & aliis auctoribus poterant adduci, niſi haec ſufficerent. Heins. Potuit & *ſemper* eſſe gloſſatoris interpretatio. nam

quoniam

Illa quoque, adpositâ quae nunc facis, improbe, mensâ,
(Quamvis experiar dissimulare) noto.
Cum modo me spectas oculis, lascive, protervis;
Quos vix instantes lumina nostra ferunt:
Et modo suspiras: modo pocula proxima nobis
Sumis; quâque bibi, tu quoque parte bibis.
Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio pene loquente dari!
Et saepe extimui, ne vir meus illa videret:
Non satis occultis erubuique notis.
Saepe vel exiguo, vel nullo murmure, dixi,
Nil pudet hunc. nec vox haec mea falsa fuit.
Orbe quoque in mensae legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero litera fecit, Amo.
Credere me tamen hoc oculo renuente negavi.
Hei mihi! jam didici, sic quoque posse loqui.
His ego blanditiis, si peccatura fuissem,
Flecterer: his poterant pectora nostra capi.

Est

quondam etiam pro *semper* sumi, docuit Servius ad Virgil. II. Aeneid. 678.

72. *Auctor quae pretiosa facit.*] Hoc vult, munera ista non tam per se pretiosa esse, quam donatoris nomine, quod eum magni aestimet. unice haec illustrat Epigr. XCIX. lib. IX. apud Martialem:

Vilis eras, fateor, si nunc te mitteret emtor,
Grande tui pretium muneris auctor erit.

Heinsius. Male Leidensis & Scriverii codices *actor*, quod cupide arripuit Barthius lib. XXXVI. Adv. 16. idem vero dicit, quod & Terentius, Eun. II. III. 2. Th. *ain' tu, laeta est?* Gn. *non tam dono, quam abs te datum esse; id vero serio triumphat.* & Noster lib. II. Amor. 15. 2.

In quo censendum nil, nisi dantis amor. Burm.

74. *Quod tam per longas.*] *Per tam longas*, Helmaestadiensis & tres alii. Heinsius.

74. *Spes tua*] *Tibi* Francof.

75. *Appositа.*] *Adpositа* Puteaneus. forte, *ad positam quae tu facis improbe mensam.* Heinsius.

76. *Experiar.*] Forte, *expediat.* Heinsius.

77 *Tu modo me spectas.*] Scripti plerique, *Cum modo me spectes.* Sed lege, *Cum spectas.* alioquin paullo post, *suspires*, & *sumas*, & *bibas* quoque sit emendandum. Heinsius. Francius malebat, *Nam modo me spectas.*

81. *Tecta notavi signa.*] Imitatio Propertiana. lib. III. 7.

Tecta supercilиis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Ubi vid. Passerat.

83. *Et saepe.*] Malo, *Ut saepe extimui.* Heins. Tibul. II. VII. 34. hoc verbo usus. *Aut aliquas extimuisse minas.*

85. *Vel longo murmure dixi.*] *Vel nullo* Puteaneus. sed nihil accedo. Fast. IV. 267.

Mira canam: longo tremuit cum murmure tellus. IV. Pont. 13.

Et longum Getico murmur in ore fuit.

Ita Firmicus contra Gentes. p. 29. *Lentum murmur.* Heinsius. Ego *nullo murmure* retineo, si enim *longum* fuisset, periculum foret, ne vir sentiret: elegans praeterea oppositio τοῦ *exigui*, & *nullius.* est vero idem, quod Epist. XIII. 89. *Tacitoque in pectore dicere*, & quod alibi dicit Noster, & multi alii, *secum loqui.* in Bernensi erat, *vel parvo murmure*, sed male. Burmannus.

86. *Haec mea falsa.*] *Haec mihi* Moreti. *vana* etiam Medicêus.

89. *Credere me.*] Douzae codex:

Crede mihi, tamen hoc oculo renuente notavi.

Et, *crede mihi tamen hoc*, multi codices.

90. *Sic quoque posse loqui.*] *Sic ego* Puteaneus & Regius. Heinsius. Atqui ipsa Helena artem amandi invenisse dicitur a Ptolem. Hephaest. lib. IV. An, magistro Paride quae didicit, alios docuit? Burmannus.

95. *Altera sed potius.*] *Vel potius* iidem. pro *vel altera:* quamvis *altera* & τὸ *vel* miram habet hic ἔμφασιν. quasi occulte innuat, se invitâ alteram fore felicem. Heinsius.

96. *Externo.*] *Extremo* edidit Bersm.

98. *Est virtus.*] Cicer. pro domo. 58.

99. *Quam multos credis juvenes optasse, quod optas.*]

Eſt quoque (confiteor) facies tibi rara: poteſtque
Velle ſub amplexus ire puella tuos.
Altera vel potius felix ſine crimine fiat,
Quam cadat externo noſter amore pudor.
Diſce meo exemplo, formoſis poſſe carere.
Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.
Quam multos credas juvenes optare, quod optas,
Qui ſapiant? oculos an Paris unus habes?
Non tu plus cernis. ſed plus temerarius audes:
Nec tibi plus cordis, ſed magis oris, ineſt.
Tunc ego te vellem celeri veniſſe carinâ,
Cum mea virginitas mille petita procis.
Si te vidiſſem, primus de mille fuiſſes.
Judicio veniam vir dabit ipſe meo.
Ad poſſeſſa venis praeceptaque gaudia ſerus.
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.
Ut tamen optarem fieri tibi Troïa conjux,
Invitam ſic me nec Menelaus habet.

Deſine

optas.] *Credas* duo libri. bene. deinde *optare* eſt in ſcriptis pleriſque melioribus. HEINSIUS. *Quam multis credis* Bern. unus.

100. *Oculos an Paris unus habes?*] *An Pari ſolus habes* unus Vaticanus. HEINSIUS. Francius volebat, *an Paris unus habet.* & ita nonnulli codices. ſed vulgata non movenda, & nominativus centies pro vocativo ſumitur, vel vocativo conjungitur. vid. I. Faſt. 319. 559. IV. 731. XI. Metam. 114. *Qui ſapiunt* etiam quidam ſcripti.

102. *Sed minus oris adeſt.*] *Magis oris* non pauci ex ſcriptis. ſic Triſt. lib. I. 1. 113.

—— *Vel, ſi ſatis oris habebis,*
Oedipodas facito Telegonoſque voces.

Et Amor. lib. II. El. 1.

Auſus eram (memini) coeleſtia dicere bella,
Centimanumque Gygen; & ſatis oris erat.

Sed *os* pro pudore hic ſumitur, diverſo nonnihil ſenſu. ita *duritia oris* pro impudentia Senec. de Conſt. Sapien. cap. XXII. Vulgata tamen lectio ſervari poteſt. vide elegans Catonis dictum apud Senecam lib. III. de Ira cap. 38. *Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Ineſt* etiam duo codices: quatuor alii *habes.* HEINSIUS. Vid. Epiſt. XXI. 44.

104. *Cum mea virginitas mille petita procis.*] Procorum, qui Helenam ſibi uxorem petierunt, nomina & numerus exſtat apud Apollodorum lib. III. CIOFANUS.

105. *Primus de mille fuiſſes.*] Johanni Georgio Graevio noſtro rectius videbatur, ſi reponeretur, *primas de mille tuliſſes.* HEINSIUS.

107. *Ad poſſeſſa venis praereptaque.*] Forte elegantius, quod Gruterus codici ſuo aſſcripſerat, *Ad poſſeſſa venis praeceptaque gaudia ſerus.* DAN. HEINSIUS. *Praeceptaque* Puteaneus aliique non pauci ex praeſtantioribus. Elegia in Mortem Druſi, 29.

Fingebas reducem, praeceptaque mente fovebas
Gaudia.

Noſter Metam. XI. 310. ut ſcripti quidam:

Phoebus anum ſimulat, praeceptaque gaudia ſumit.

Sic & Faſtor. IV. 940. ex optimis codicibus:

Toſta ſitit tellus praecipiturque ſeges.

Ubi ſimillimum Columellae locum caſtigavimus. Virgilius lib. X. 276. ex longe veterrimo codice Medicéo:

Haud tamen audaci Turno fiducia ceſſit
Littora praecipere, & venientes pellere terrâ.

Sic lac praeceperit aeſtas apud eundem in Bucolicis. *Antecapere* pro *praecipere* dixere Saluſtius & Tacitus non uno loco. Apulej. Metam. IV. *Divinato & antecapto meo cogitatu, ſtatim ementita laſſitudine effunditur.* de utroque verbo nos copioſe ad Valer. Flacc. IV. Ŷſ. 341. & 751. & ad Claud. Conſ. Manl. 262. HEINSIUS. Neſcio an non, *praereptaque* praeſtet. ita enim ſibi invitae gaudia a Menelao, quem numquam valide amaſſe non obſcure indicat, erepta, ſignificaret, quae maluiſſet Paridi dare, ſi primus adveniſſet. BURMANNUS.

108. *Lenta fuit.*] *Venit* Junianus & Medicéus. vid. Epiſt. II. Ŷſ. 9.

108. *Quod petit.*] *Quam petis* Moreti & Bernenſis unus.

Desine molle, precor, verbis convellere pectus:
Neve mihi, quam te dicis amare, noce.
Sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, tueri:
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.
At Venus hoc pacta est: & in altae vallibus Idae
Tres tibi se nudas exhibuere Deae:
Unaque cum regnum, belli daret altera laudem;
Tyndaridos conjux, tertia dixit, eris.
Credere vix equidem coelestia corpora possum
Arbitrio formam suppositisse tuo.
Utque sit hoc verum; certe pars altera ficta est,
Judicii pretium quâ data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia corporis, ut me
Maxima, teste Deâ, dona fuisse putem.
Contenta est oculis hominum mea forma probari:
Laudatrix Venus est invidiosa mihi.

Sed

109. *Fieri tua Troica conjux.*] *Troëa* Puteaneus. quatuor alii *Troïa.* bene. dictum Epistola I. vetustissima editio & tres scripti, *fieri tibi.* etiam probe. HEINSIUS.

110. *Non Menelaus.*] *Nec Menelaus* Puteaneus & sex alii. HEINSIUS.

111. *Cònvellere.*] Varie hic turbant codices. hi *divellere*, alii *compescere*; quidam *corrumpere*, nonnulli *contundere*; *compellere* etiam tres. sed nihil muto: magna enim in hoc verbo vis, & major, quam in *labefactare*. vide Manut. ad Cicer. v. ad Famil. 13. BURMANNUS.

113. *Fortuna tueri.*] Vel *natura* Puteaneus. quomodo & alii complures. HEINSIUS. Nihil muta. Horat. I. Sat. I. 1.

Qui fit Maecenas, ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illâ
Contentus vivat.

Alias confundi *naturam* & *fortunam* vidimus ad Quinctil. Decl. IX. 16. & alibi. BURMANNUS.

115. *Et in altae.*] Forte, *ut.* HEINSIUS. *Altis* Lovan. & Bernens. unus.

116. *Exhibuere Deae.*] *Exposuere* non minus eleganter Moreti alter. ut Art. Am. lib. III. 209.

Nec tamen expositas mensa deprendat amator
Pyxidas.

Mox, *Tyndaridos* prior Moreti. sic *Aeolidos* & similia. Graeco more. HEINSIUS. In verbo *exponere* subesset aliquid obscoeni sensus, quasi ad coitum se exposuissent. Quinctil. Decl. XIV. 3. *Mulier omnibus exposita mortalibus.* & cap. 7. *Exposita ebrietatibus, addicta petulantiis.* & passim: quare retineo *exhibuisse*, nam idem notat quod ostendere, publice monstrare, Epist. XIX. 34. *Exhibuit pulso sidera clara die.* II. Art. 548.

Exhibeant vultus noxque diesque tuos.

XI. Met. 264.

Exhibita estque Thetis. & alibi. BURMANNUS.

119. *Coelestia numina.*] Duo Vaticani, *corpora.* CIOFANUS. *Corpora* scripti plerique, & primae editiones. Noster Met. XV. 662.

——— *Tantusque videbor,*
In quantum verti coelestia corpora debent.

Pont. II. El. VIII.

Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos;
Quique Deûm coram corpora vera vident.

Virgilius, lib. XI. 275.

Haec adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro coelestia corpora demens
Appetii.

Ovid. III. Met. 611.

Quod numen in isto
Corpore sit dubito, sed corpore numen in isto est.

Et IV. 448. de Junone:

Sacroque a corpore pressum
Ingemuit limen.

Excerpta Vossiana, *pectora*, etiam bene. sic lib. II. Trist. de Aug.

Fas ergo est aliquâ coelestia pectora falli.

Ubi etiam perperam in quibusdam MSStis est, *numina.* Epist. XVIII. 67.

Neu referam mores coelesti pectore dignos.

HEINSIUS.

121. *Utque sit hoc verum.*] Sic I. Pont. VII. 19. *Utque sit id verum.* ubi male mutat Heinsius. Senec. Epist. LXX. *Ut sit hoc verum, non omni pretio vita emenda est.* BURMANNUS.

122. *Dicar ego.*] *Dicor* meliores. & *Non est tanta mihi fiducia*, pro *mei*, proximo versu iidem. Val. Flaccus, lib. III. 668.

— *Nec*

Sed nihil infirmo: faveo quoque laudibus iſtis:
Nam mea vox quare, quod cupit, eſſe neget?
Nec tu ſuccenſe, nimium mihi creditus aegre.
Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.
Prima mea eſt igitur Veneri placuiſſe voluptas:
Proxima, me viſam praemia ſumma tibi:
Nec te Palladios, nec te Junonis honores
Auditis Helenae praepoſuiſſe bonis.
Ergo ego ſum virtus? ego ſum tibi nobile regnum?
Ferrea ſim, ſi non hoc ego pectus amem.
Ferrea, crede mihi, non ſum: ſed amare repugno
Illum, quem fieri vix puto poſſe meum.
Quid bibulum curvo proſcindere litus aratro,
Spemque ſequi coner, quam locus ipſe neget?
Sum rudis ad Veneris furtum: nullâque fidelem
(Dî mihi ſint teſtes) luſimus arte virum.

Nunc

—— *Nec parva mihi fiducia gentis.*
Heinsius. Francius malebat, *Non mihi tanta mei fiducia corporis.*

126. *Invidioſa.*] *Inſidioſa* in uno Vaticano, & in ora alterius. placet. Ciofanus. Multi codices, *inſidioſa.* & ita citat Paſſeratius ad Propertii lib. II. pag. 362. *Inſidiata* Bernenſ. unus. Burmannus.

127. *Sed nihil infirmo.*] In altero eorundem librorum, *infirmor*; in margine vero, & in altero eſt, *inficior.* perplacet. Ciofanus. Gloſſa Puteanei libri, *id eſt, vitupero.* libri multi, *infirmor.* quomodo & Jureti Excerpta. *Inſinuo* Palatinus. an, *inſimulo* ſcribendum? ut Epiſt. VI.

Criminibus falſis inſimulare virum.
Et Amor. lib. II. El. VII.

Nunc temere inſimulas.
Duo alii, *offendo.* forte pro *offendor.* Unus Lovanienſis & Vaticanus cum Hafnienſi, *inficior.* etiam concinne. Heins. *Sed non iraſcor* Douzae codex. Sed nihil immutari praeſtiterit. Cicer. Divin. cap. IX. *Nec ea dico, quae ſi dicam, tamen infirmare non poſſis.* Vell. Paterc. lib. II. cap. II. *Tiberius Gracchus graviter ferens aliquid a ſe factum infirmari*; hoc eſt convelli, infringi. Burmannus.

134. *Helenes.*] *Helenae*, ſcripti & veteres editiones. Heinsius.

136. *Ferrea ſim.*] *Sum*, multi ſcripti & editi. ſed male. ex Cicerone expreſſum videtur, qui lib. XV. ad Famil. Epiſt. ult. *Ferreus eſſem, ſi te non amarem.* Tibull. I. I. 67.

Ferreus ille fuit, qui te cum poſſit habere,
Maluerit praedas ſtultus & arma ſequi.

Amo habet Bernenſis. Burmannus.

137. *Sed amare recuſo.*] Puteaneus & reliqui majori ex parte, *repugno.* Spartianus in Caracalla: *Severus dicitur animo volutaſſe ut & hanc occideret, niſi repugnaſſent praefecti ejus & viri graves.* Epiſt. XX. 121.

Hoſtibus è ſi quis, ne fias noſtra, repugnat.
Similis diverſitas codicum eſt. Met. III. 376.

Natura repugnat, Nec ſinit incipiat.
Sic contra, *Vivere pugna*, Epiſtola Laodamiae. Faſt. II. 648.

Et ſolida ramos figere pugnat humo.
In Ibide, 18.

Naufragii tabulas pugnat habere mei.
Rem. Am. 122.

Pugnat in adverſas ire natator aquas.
Met. V. 349.

Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſaepe.
Quicquid turbant veteres libri iis locis. Adi Notas Faſt. III. Ÿſ. 307. Heinsius.

139. *Proſcindere.*] MSS. Oxonienſis & plures alii, *profindere*, recte: ſic Stat. Theb. X. 507. ex MSS. Behotii, qui *profundunt* habent:

Profindunt inarata diu Pangaea juvenci.
Ubi MSS. Tiliobr. *perfindunt.* vulgo, *perfringunt.* & ita forte apud Priſc. Perieg. p. 368. Edit. Pith. legendum:

Scilicet ignaros terras profindere raſtris.
Ubi MSS. *perfindere*, vulgo, *proſcindere.* ſic *findere rura vomere*, Claudian. in Eutr. I. 112. neque tamen vulgata damnanda temere: ita enim Metam. VII. 119.

—— *Inſuetum ferro proſcindere campum.*
Et Silius XVI 551.

Impreſſis dociles terram proſcindere aratris.
Quod ex Lucretio hauſit lib. V. 210.

Et terram preſſis proſcindere aratris.
Et 1294.

Nunc quoque, quod tacito mando mea verba libello,
Fungitur officio litera noſtra novo.
Felices, quibus uſus adeſt! ego, neſcia rerum,
Difficilem culpae ſuſpicor eſſe viam.
Ipſe malo metus eſt. jam nunc confundor, & omnes
In noſtris oculos vultibus eſſe reor.
Nec reor hoc falsò. ſenſi mala murmura vulgi:
Et quasdam voces retulit Aethra mihi.
At tu diſſimula: niſi ſi deſiſtere mavis.
Sed cur deſiſtas? diſſimulare potes.
Lude, ſed occulte. major, non maxima, nobis
Eſt data libertas, quod Menelaus abeſt.
Ille quidem procul eſt, ita re cogente, profectus.
Magna fuit ſubitae juſtaque cauſſa viae;
Aut mihi ſic viſum eſt. ego, cum dubitaret, an iret,
Quamprimum, dixi, fac rediturus eas.

Omine

Et ferro coepere ſolum proſcindere terrae.
Virgil. Georg. II.

Validis terram proſcinde juvencis.
Vid. Serv. ad Georg. I. 97. & Varr. de Re Ruſtic. lib. I. cap. 29. HEINSIUS. *Cerno percindere* Bernenſis vitioſe.

140. *Locus ipſe negat.*] *Neget* duo ſcripti. & mox, *ſint teſtes* plurimi, non *ſunt*. Similis diverſitas Metam. IX. 541.

—— *Omnia feci*
(*Sunt mihi Di teſtes*) *ut tandem ſanior eſſem.*
HEINSIUS. Sed apud Propert. III. I. 81.

Di mihi ſunt teſtes, non degeneraſſe propinquos.
BURMANNUS.

145. *Felices, quibus uſus adeſt.*] Sollemnis formula. Valer. Flac. VII. 17.

Felices, mediis qui ſe dare fluctibus audent.
X. Metam. 32.

Felices, quibus iſta licent.
Epiſt. XIX. III. & centies Noſter & alii. BURMAN.

147. *Ipſe malo metus eſt.*] *Ipſa virum metuo* Bernenſis.

149. *Mala murmura.*] Francius conjiciebat, *ſenſi modo murmura.*

151. *Niſi ſi deſiſtere mavis.*] Libri veteres magna ex parte, *niſi tu*. alii, *niſi te*, *ſi non*, *niſi me*, *niſi jam*. & ſimilia. At Puteaneus vulgatis accedit. recte. Vide Notas ad Epiſt. IV. *Vſ.* III. HEINSIUS. Douza, *niſi te*, ex ſuo etiam codice antiquo dictum capiebat, ut *volo me amari a meis; Qui ſtudent ſe praeſtare. &c.*

152. *Diſſimulare potes.*] *Licet* unus Moreti & editiones Berſm. & Colinaei.

154. *Eſt data libertas, quòd Menelaus abeſt.*] Erat enim in Creta, cùm Helena à Paride abrepta eſt. Coluthus ſub finem de Raptu Helenae:

Ἠερίαι ὄρνιθες ἐΰπτερα τέκνα γενέθλης
Ἔσπετε νοσφίσαντες ἐπὶ Κρήτην Μενελάῳ.

Et ipſe lib. II. De remedio:

Quid Menelaë doles? ibas ſine conjuge Creten;
Et poteras nupta laetus abeſſe tua?
CIOFANUS.

155. *Ita re cogente.*] *Ita me cogente* Bernenſis, alii, *in Creſſia regna profectus. Eſt Cretëia regna prof.* Lovan. *longa regione prof.* Bernenſ. Gottorph. & Vatican.

156. *Cauſſa viae.*] Joannes Antioch. inter excerpt. Valeſii pag. 785. dicit eum ad ſacra facienda profectum. HEINSIUS. Sed alii, ad Cretheï haereditatem cernendam. vid. ad Vellej. Paterc. I, 2.

157. *At mihi ſic juſſum eſt.*] *Viſum* in omnibus, non *juſſum* legitur. ſed nos, cum his ex Paridis Epiſtola verſibus reſpondeat Helena,

Exit, & Idaci mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis, hoſpitis, uxor, agas. &c.

Juſſum legendum credidimus. NAUGER. *At mihi ſic viſum eſt* plerique ſcripti. Puteaneus & Leidenſis, *Aut mihi ſic viſum eſt.* vere, quod & Douzae arridebat. eadem varietas ſuperiori Epiſtola vers. 164.

Figitur in juſſo noſtra ſagitta loco.
Ubi *viſo* quidam codices. ſimile mendum inſedit codi-

Omine laetatus dedit oscula: Resque, domusque,
Et tibi sit curae Troïus hospes, ait.
Vix tenui risum. quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere, praeter, Erit..
Vela quidem Creten ventis dedit ille secundis.
Sed tu non ideo cuncta licere puta.
Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens.
An nescis longas Regibus esse manus?
Fama quoque est oneri. nam quo constantius ore
Laudamur vestro, justius ille timet.
Quae juvat, ut nunc est, eadem mihi gloria damno est:
Et melius famae verba dedisse foret.
Nec, quod abest, hîc me tecum mirare relictam:
Moribus & vitae credidit ille meae.
De facie metuit, vitae confidit: & illum
Securum probitas, forma timere facit.

Tempora

codices Valerii Flacci libro I. 103. quod miror viris eruditis non animadversum:

At quibus arvorum studium atque insontis aratri,
Hos stimulant, magnaque ratem per lustra viasque
Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni.

Sic scribe. Perperam *jussi* nunc circumfertur. Virgiliana illa respexit ex lib. IV.

—— *Ipse Deum manifesto in lumine vidi.*

HEINSIUS. Douza hic decorum observasse notabat. quia hoc dicit se corrigens Helena, sibi visam fuisse magnam caussam, ne videatur regiorum consiliorum conscia, & maritum futilem, qui consilia cum uxore communicat, quod principe viro indignum.

159. *Resque, domusque.*] Formula sollemnis. Tibul. I. Eleg X.

Devoveat pro quo remque domumque tuam.

Ubi dubito, an recte hoc sollicitent viri docti. BURMANNUS.

160. *Sit curae.*] *Sint* unus Farnesianus. puto etiam *Troïus*. vid. notas ad Ep. I. 228. HEINS.

164. *Sed tu non ideo.*] *Adeo*, Puteaneus. HEINS.

166. *An nescis longas regibus esse manus?*] Expressum videtur ex Herodoto, apud quem lib. III. pene extr. Alexander: Καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἄνθρωπον ἡ βασιλῆος ἐστὶ, καὶ χεὶρ ὑπερμήκης. CIOFANUS. Paroemium Graecum, Μακραὶ τυράννων χεῖρες. vide Apostolium. HEINSIUS. Hoc de ministris regiis quosdam interpretari ait Brunner. ad Palaephat. cap. 32. & ita *dextera Caesaris* capienda in Elegia in obitum Maecenatis 13. ubi miser & lexicis suis destitutus Gorallus, vellet quidem ita interpretari, si exemplum ex antiquitate proferri posset. succurramus pauperi & simul superbo Philosopho. Claud. II. in Rufin. 261.

Sperninsne tuas dux optime dextras?

Ubi Barthius videndus, & lib. XI. adv. 28. & ita *manus* etiam dicuntur, qui alios adjuvant, apud Comicos. sed haec alias. hîc de vi & potestate, quam Reges etiam longius, quam imperii fines pertinent, extendere dicuntur. vid. ad Quinctil. Decl. XIII. 6. & simili ratione Lucianus in Mercede conductis dicit, *Regibus esse plures oculos*, quia & per ministros, qui apud Persas oculi & aures regis dicebantur, (vid. Brisson. de Reg. Pers. lib. I. p. 125.) omnia illis explorata sunt. BURMANNUS.

167. *Fama quoque est oneri.*] Imitatus Claudianus Bello Getico. 225.

Jamque oneri creduntur opes.

Et Plin. VIII. Epist. 25. *Onerat te quaesturae tuae fama, quam ex Bithynia optimam revexisti.* BURM.

168. *Justius.*] Quidam codices, *fortius*.

169. *Quae juvat.*] *Quod juvat* Bernensis.

170. *Dedisse fuit.*] *Foret* nonnulli. HEINSIUS. Sensus est, impedimento est, & nocet mihi gloria; quae obstat, ne victas tibi manus dem. & melius fuisset me jam olim furtivis amoribus operatam fuisse, & decepisse rumores, quos de mea pudicitia homines differebant, fidelemque virum lusisse. quare *foret* retineo. ita *seculo verba dare*. Senec. Ep. 88. BURMANNUS.

171. *Mirare relictam.*] *Mirere* Scriverianus. *relicta* duo Bersmanni libri.

174. *Forma timere facit.*] Locutio à Poëtis frequentissimè usurpata: *Qui nati me coram cernere letum Fecisti.* Virg. lib. II. In prosa diceretur, facit, ut timeat. CIOFANUS.

Tempora ne pereant ultro data praecipis; utque
Simplicis utamur commoditate viri.
Et libet, & timeo; nec adhuc exacta voluntas
Eſt ſatis; in dubio pectora noſtra labant.
Et vir abeſt nobis; & tu ſine conjuge dormis;
Inque vicem tua me, te mea forma, capit:
Et longae noctes: & jam ſermone coïmus:
Et tu (me miſeram!) blandus: & una domus.
Et peream, ſi non invitant omnia culpam.
Neſcio quo tardor, ſed tamen ipſa, metu.

Quam

177. *Exacta voluntas.*] Puteaneus & omnes fere ſcripti *voluptas*. ſed *voluntas* legendum jam Hubertinus vidit. mens enim & voluntas Helenae dubia erat, nec ſatis adhuc deliberata. Gratius. 259. *Tamen haec exacta voluntas.* nam *exacta* propria in hac re vox; quando quid perpenditur, ut exſequamur: III. Am. VII.

Nec ſatis exactum eſt, corpus an umbra ſorem.

III. Faſt. 637.

Nec ſatis exactum eſt, quid agat.

Sic *exacta ratio* Horatio II. Sat. IV. 36. & hinc *examen*, quaſi *exagimen*, quo trutina regitur, Serv. ad Virg. XII. 725. & vetus interpres Perſii ad I. Sat. 6. ſic *ad numeros exigere* Noſter Remed. 371. & *ad vires.* II. Art. 501 *Fabrae exactus artis.* III. Faſt. 383. & ſexcenta talia. BURMANNUS.

178. *In dubio pectora noſtra labant.*] *In bivio* ſcripſerat, ni fallor, Naſo. Τὸ *bivium* frequenter corruptum eſt, apud ſcriptores antiquos, culpa librariorum, qui pro *bivio*, *vivium*, & *vivum* plerumque exararunt. Remed. Amoris:

Ut tuus in bivio diſtineatur Amor.

Sic *labi in bivio* Orientius commonitorio dicit:

Sed quia nonnumquam ſuccumbunt lumina formae,
Ancipiti rectus labitur in bivio.

Val. Flaccus libro V. Vſ. 394.

Quem petis Aeeten: genitor meus: ipſaque juxta
Moenia. & ut bivios poſſis diſcernere calles,
Hac adeo duce ſerte gradus.

Ita totus locus caſtigandus. Nam Carrionis liber, *vivos calles.* Vulgati, *veros.* Feſtus Avienus Orbis Deſcriptione:

Haec Aſiae dixere fores: hiat ore quod illo
Porta, quaſi & longas bivium diſcedat in oras.

Ita & illic ex veteri codice ſcribendum. Sic *portarum in bivio* apud Statium Thebaidos I. Videtur autem adagium hoc Ovidianum alludere ad bivium Herculis Prodici & ad bivium Pythagoricae literae vitam humanam complexum. quo & reſpexit Perſius iſtis, Sat. V.

Cumque iter ambiguum eſt, & vitae neſcius error,
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes.

Virgil. Aeneid. XI. 515.

Furta paro belli convexo in tramite ſilvae,
Ut bivias armato obſidam milite fauces.

Niſus apud eundem Maronem lib. IX. 234.

Locum inſidiis conſpeximus ipſi,
Qui patet in bivio portae.

Quo loco vetuſtiſſimus Medicêus, *in vivio portae*, eodem errore, ut *vivos* calles apud Valerium, pro *bivios.* Prudent. lib. II. contra Symmach.

Sola errore caret ſimplex via, neſcia flecti
In diverticulum, biviis nec pluribus anceps.

Prudentius Hamartig. v. 791. & Auſon. Idyl. VII. ubi vide Vinetum. apud Marcian. Capellam initio lib. II. ubi agit de hac Pythagorae litera, ſcribendum cum vetuſto codice Bibliothecae Leidenſis: *Literam quoque, quam bivium mortalitatis aſſerere prudens Samius exiſtimavit.* cum *vim* vulgo legatur, in nonnullis membranis *vivium.* & ita in *trivio conſtitutus* dicitur, qui incertus eſt. vid. Suidam Ἐν τριόδῳ ἑιμί. apud Apulej. Metam. 5. *Prorſus ſe periiſſe iterans, quae beati carceris cuſtodia ſepta, & humanae converſationis colloquio viduata, ne ſororibus quidem ſuis opem ſalutarem ferre, ac ne videre eas omnino poſſet. Beatus* ille *carcer* hoc loco importunus eſt. Schoppius, qui notat ex vetuſto codice *bini carceris*; inde *divini* facit. ſed legendum, *quae avii carceris cuſtodia ſepta*, vel *invii.* ſic & libro VI. *Cupido ſolus inferioris domus invii cubiculi cuſtodia clauſus.* ubi *unici* male legitur. HEINSIUS. Mihi contra libros nihil hic mutandum videtur. Epiſt. XIX. 174.

Quid ſequor in dubio eſt.

Et illud *bivium* quomodo cum τῷ *labant* conſiſtere poſſit, non video. Terent. Andr. I. v. 3. *Dum animus in dubio eſt, paullo momento huc vel illuc impellitur.* ubi *impelli* idem, quod hic *labare.* BURMANNUS.

183. *Et peream, ſi non invitent.*] *Invitant* ſcripti. praeterea Gronovianus, *Ut peream.* quomodo Catullus:

Jupiter ut Chalybon omne genus pereat.

Et Claudianus:

Ut pereat, quicunque tuis conflixerit armis?

HEINSIUS. Francius malebat, *diſpeream.* & mox, *ſed*

Quam male perſuades, utinam bene cogere poſſis!
Vi mea ruſticitas excutienda fuit.
Utilis interdum eſt ipſis injuria paſſis.
Sic certe felix eſſe coacta velim.
Dum novus eſt, potius coepto pugnemus amori:
Flamma recens parvâ ſparſa reſedit aquâ.
Certus in hoſpitibus non eſt amor. errat, ut ipſi:
Cumque nihil ſperes firmius eſſe, fuit.
Hypſipyle teſtis, teſtis Minoïa virgo eſt;
In non exhibitis utraque luſa toris.

Tu

ſed tamen uſque metu. de τῷ *invitare*, vid. ad Vellej. Paterc. II. 67. & II. Amor. IV. 9.

185. *Quod male perſuades.*] *Bene* Argentinus, non male. ut jam ſe quodammodo perſuaſam eſſe agnoſcat. HEINSIUS. Douzae codex, Regius unus, & Balliolenſis a manu prima, *quam male perſuades*, quod ab Ovidio ipſo profectum exiſtimo. vide quae jam notavimus ad Petronii cap. XLVI. *male* autem non moverem, id eſt vix, aegre. ita enim decebat, ſenſim & pedetentim in crimen abeuntem mulierem, & quae cogi velle prae ſe ferebat, loqui. BURMANNUS.

186. *Sic mea ruſticitas excutienda foret.*] Puteaneus *U mea.* & *fuit.* Barberinianus & Argentinus, *Ut fuit.* Scripti plerique, *Ut foret.* Adde unam literam Puteaneae lectioni, & habebis veram ſcripturam hoc modo:

Vi mea ruſticitas excutienda fuit.

Simile mendum ablatum eſt mea opera ex lib. VI. Metam. 690. ubi Boreas:

Apta mihi vis eſt, vi triſtia nubila pello,
Vi freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induroque nives, & terras grandine pulſo.

Ita enim iſte locus conſtituendus, qui vulgo mendoſiſſimus circumfertur: vide quae illic notamus. HEINSIUS. *Ut mea* etiam Bernenſis habet. ſimiliter emendarunt viri docti locum Phaedri lib. I. Fab. 2.

Qui diſſolutos mores vi compeſceret.

Vid. & Gud. ad lib. I. Fab. XI. apud Statium quoque II. Achilleid. 360. reſcripſere viri docti:

Aſpernatusque tonantem eſt,
Vi generum.

Ubi *ut generum* vulgo circumfertur. BURMANNUS.

188. *Felix ipſa coacta forem.*] *Felix eſſe coacta velim.* primae editiones & ſcripti plerique. HEINS.

190. *Sparſa reſedit aqua.*] *Reſidit* puto. ſic apud Lucanum libro IX. ỳſ 75. in veteri codice Rottendorphiano, *jam flamma reſidit.* apud Columellam quoque ſcribendum libro VI. cap. XV. *Cum jam ignis in favillam reſidit.* non ut circumfertur, *recidit. Conſidere ignis* etiam Naſoni dicitur Met. XIII. 408. HEINSIUS. Vid. ad Quinct. V. Inſt. 13.

191. *Certus in Hoſpitibus.*] Hoc ſentiebat etiam Medea apud Val. Flac. VII. 13.

Quid in hoſpite ſolo mens mihi?

Et apud Noſtrum VII. Metam. 21.

Quid in hoſpite Regia virgo
Ureris? BURMANNUS.

192. *Cumque nihil ſperes firmius eſſe, fugit.*] *Fuit* Puteaneus argute. ut *fuit* τῷ *eſſe* opponatur, praeteritum praeſenti. Plautus ſimili prorſus modo captivis. III. III, 1. *Nunc illud eſt, cum me fuiſſe, quam eſſe nimio mavelim.* Tibullus III. El. V.

Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe volent.

Eſſe pro *vivere*, *fuiſſe* pro *vixiſſe*. Auctor Elegiae in obitum Maecenatis:

Mollibus ex oculis aliquis tibi decidet humor,
Cum dicar ſubita voce fuiſſe tibi.

Apud Apulej. Met. VIII. initio: *Equiſones, opilionesque, & bubſequae, ſubulcique, fuit Charite nobis, inquam, miſella.* ita ſcribo, nunc legitur, *quam miſella*; addidique *ſubulcique*, quae vox ob cognationem praecedentis fuerat a librariis omiſſa: nam cur ſolos *ſubulcos* hic omitteret. Plaut. Trucul. I. II. 94. *Pene tibi fuit Phroneſium.* Amm. Marc. 25. 3. *Quem cum beatum fuiſſe Salluſtius reſpondiſſet praefectus, intellexit occiſum.* HEINSIUS. Vide ad Vell. Paterc. I. 12.

194. *In non exhibitis utraque junCta thoris.*] Excerpta Scaligeri & quatuor ex noſtris, *utraque pacta.* nonnulli, *victa.* vel, *juxta, luſa, jucta, pucta.* Puteaneus, Argentinus & quatuor alii, *utraque juſta.* proxime ad verum. Scribendum nempe, *utraque queſta.* vide Notas Epiſtola XIV. ỳſ. 91. *queſta*, quomodo Arte Amat. II. 398.

Quodque prius queſta eſt, ipſe querare facit.

Similitudo inter ultimam praecedentis vocis ſyllabam, & primam proxime ſequentis, frequentiſſimam errori librariis occaſionem dedit. ſic apud Tibullum emendavimus locum inſignem lib. III. Eleg. III.

Aut ſi fata negant reditum triſteſque ſorores
Stamina quae ducunt, quaeque futura canunt.

Scriptum nempe fuerat, *futurae nunc* abſorpta priore ſyllaba poſterioris verbi, pro *futura canunt.*

hinc

Tu quoque, dilectam multos, infide, per annos,
Diceris Oenonen destituisse tuam.
Nec tamen ipse negas; & nobis omnia de te
Quaerere, si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere;
Non potes. expediunt jam tua vela Phryges.
Dum loqueris mecum, dum nox sperata paratur,
Qui ferat in patriam, jam tibi ventus erit.
Cursibus in mediis novitatis plena relinques
Gaudia: cum ventis noster abibit amor.
An sequar, ut suades; laudataque Pergama visam;
Pronurus & magni Laomedontis ero?
Non ita contemno volucris praeconia Famae,
Ut probris terras impleat illa meis.
Quid de me Sparte poterit, quid Achaïa tota,
Quid gentes Asiae, quid tua Troja loqui?
Quid Priamus de me, Priami quid sentiet uxor;
Totque tui fratres, Dardanidesque nurus?

Tu

hinc *neunt* barbarum istud enatum, quo ne Accius quidem Pacuviusque, credo, forent usi. Viros tamen maximos approbatores invenit, Scaligerum praecipue. At Parcae non lanificae tantum, sed & fatidicae, quales Catullus Thetidis Epithalamio eas induxit, apud quem:

Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.

Et paulo post:

Talia praefantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcae.

Quae unice Tibulliani loci restitutionem confirmant. plura illic ad rem, sed & apud alios scriptores. ipse Tibull. lib. I. Eleg. VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda Deo.

Et lib. IV. Eleg. V.

Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna superba tibi.

Horat. Carmine Saeculari:

Vosque veraces cecinisse Parcae
Quod semel dictum est.

Et Noster bis Trist. V. Eleg. III. Heinsius. Sed an Latine satis dicatur, *questa in toris* vehementer dubito. ego *lusa* praetuli, ex optimis libris, quod obvium apud Nostrum est alibi, pro *decepta*. dicendum quoque esset, *de non exhibitis toris questa*, ut Francius legere malebat. sic Ep. III. 5. & v. 4. Idem Francius, *explicitis toris* conjiciebat. Burm.

196. *Oenonen deseruisse tuam.*] *Destituisse* meliores libri. Oenone:

Nunc tibi conveniunt, quae te per aperta sequantur
Aequora, legitimos destituantque viros.

Epist. Hypsipyles:

Utque ego destituor conjux materque duorum.

Ariadnes:

Destituor rapidis praeda cibusque feris.

Pont. I. El. V. quomodo & illic veteres libri:

At nostram cuncti destituere fugam.

Ep. Paridis, 260.

Orantis medias destituere preces.

Ita & illic quidam codices. Fast. I. 364. ex MSS.

Viderat inceptos destituisse favos.

Et III. 348.

Adorantem destituitque Numam.

Heinsius.

198. *Quaerere.*] Pro inquirere, ut solent amantes. Petron. 127. *Neque enim me piguit quaerere.* Terent. Eun. I. 2. *Nihil: nam quaesivi.* infr. II. Am. XI. 22. ut Puteaneus codex: *Quaerenti nulla procella nocet.* & Epist. XX. 219. ubi male mutat Heinsius. Burmannus.

198. *Maxima cura.*] *Plurima* malebat Francius.

199. *Adde quod ut cupias constans in amore manere; Non potes.*] Docet Aristoteles lib. II. De Arte dicendi, juvenes natura esse omnes inconstantes. Ciofanus.

200. *Expedient jam tua vela Phryges.*] *Expediunt* primae editiones & scripti plerique. Lege:

Expe-

Tu quoque, quî poteris tibi me ſperare fidelem,
Et non exemplis anxius eſſe tuis?
Quicumque Iliacos intraverit advena portus,
Is tibi ſolliciti cauſſa timoris erit.
Ipſe mihi quoties iratus, Adultera, dices!
Oblitus noſtro crimen ineſſe tuum.
Delicti fies idem reprehenſor & auctor.
Terra, precor, vultus obruat ante meos.
At fruar Iliacis opibus cultuque beato:
Donaque promiſſis uberiora feram.
Purpura nempe mihi pretioſaque texta dabuntur:
Congeſtoque auri pondere dives ero.
Da veniam faſſae; non ſunt tua munera tanti.
Neſcio quo tellus me tenet iſta modo.
Quis mihi, ſi laedar, Phrygiis ſuccurrat in oris?
Unde petam fratris, unde parentis opem?
Omnia Medeae fallax promiſit Iäſon;
Pulſa eſt Aeſonià num minus illa domo?

Non

Expediunt jam ſua vela Phryges.
Quod poſtea confirmatum deprehendi in codice Helmaeſtadienſi. HEINSIUS.

204. *Cum ventis.*] *Cum velis* Francius conjiciebat.

207. *Volucris famae.*] Vid. ad Petron. cap. CXXXIII.

208. *Illa meis.*] *Illa meas* Bernenſis.

209. *Quid de me poterit loqui.*] Elegans hoc loquendi genus, pro *quid loquetur*, illuſtravit Guil. Canter. II. Nov. Lect. cap. 2. ut recte notavit Berſmannus. vide & Giſan. Indic. Lucret. in *poſſum vertere*. & nos ad Phaedr. I. 15. Non male etiam, *quid de me poterunt Sparta* Bernenſ. BURMANNUS.

210. *Quid gentes Aſiae.*] *Quid gentes aliae* plerique ſcripti. *Totaque Troja* etiam nonnulli.

211. *Priami quid ſentiet uxor.*] *Sentiat* rectius ſex libri. At Mentelianus cum excerptis Douzae, *cenſeat*. vide Epiſt. V. ℣. 95. HEINSIUS

212. *Dardaniaeque nurus.*] *Dardanideſque* meliores. dictum Epiſt. VIII. ℣. 66. & Epiſt. XVI. 194. Faſt. I.

Et jam Dardanides tangent haec littora puppes.
Sic veteres libri. Remed. Amor.

Argolides cuperent fugiſſe Capharea puppes.
Etiam ex membranis. & Art. Amatoriae lib. I.

Perſidas induxit Cecropidaſque rates.
HEINSIUS.

213. *Tibi me ſperare.*] *Fore me*, aliae editiones. *quid poteris* Bernenſis & tres alii. *quo poteris* ſeptem.

214. *Et non exemplis.*] *Et nox*, & emendatum, *mox* Puteaneus. & *nunc exemplis anxius eſſe velis* Bernenſ. *eſſe meis* etiam Leidenſis.

215. *Portus.*] *Muros* Regius codex a manu prima.

219. *Delicti fies idem.*] *Fies tu idem* Intimelianus codex. Eriges ſenſum, ſi ſcripſeris:

Delicti ut fias idem reprehenſor & auctor?
Tanquam ſit cum indignatione quaerentis. HEINS. *Fias idem reprehenſor ut auctor*, legebat Francius.

224. *Congeſtoque auri pondere.*] Quatuor codices, *congeſti*. male. eſt Virgiliana imitatio. I. 359. *Ignotum argenti pondus & auri.* ubi *ingens* alii codices. BURMANNUS.

226. *Me tenet iſta modo.*] *Ipſa* Puteaneus, aliique haud pauci. HEINSIUS. *Haec terra* dicendum fuiſſet, judice Francio, qui ideo legebat:

Neſcio quo terrae tangor amore meae.
Sed hoc eſt carmina ſua pro Ovidianis obtrudere. *Iſta* eſt, quam tu contemnis, & barbaram dicis. BURMANNUS.

227. *Succurret in oris.*] *Succurrat* tres ſcripti. HEINSIUS.

228. *Unde petam fratris.*] *Fratres* meliora exemplaria. alterum tamen Latinius, & jam a Lyncaeo interfectus erat Caſtor. ſed offendit vocalis ultimam excipiens ſyllabam in *fratris*, quod alibi hac pentametri ſede a Naſone factum non recordor. HEINSIUS. Vid. infr. 256.

230. *Non minus illa domo.*] *Num minus* Puteaneus. vide notas in Epiſt. XI. ℣. 19. HEINSIUS.

Non erat Aeëtes, ad quem deſpecta rediret:
Non Ipsêa parens, Chalciopeque ſoror.
Tale nihil timeo; ſed nec Medea timebat.
Fallitur augurio ſpes bona ſaepe ſuo.
Omnibus invenies, quae nunc jactantur in alto,
Navibus à portu lene fuiſſe fretum.
Fax quoque me terret: quam ſe peperiſſe cruentam
Ante diem partûs eſt tua viſa parens.
Et vatum timeo monitus: quos igne Pelasgo
Ilion arſuram praemonuiſſe ferunt.
Utque favet Cytherêa tibi, quia vicit, habetque
Parta per arbitrium bina tropaea tuum;
Sic illas vereor; quae, ſi tua gloria vera eſt,
Judice te cauſſam non tenuere duae.

Nec

231. *Deſpecta.*] *Depulſa* Lovanienſis. *Dejecta* Moreti. quod verum puto. ita ſupra tentabamus. Epiſt. v. 75.

Sic Helene doleat, dejectaque conjuge ploret.

Ita Cicero & Livius ſaepe utuntur de iis, qui dejiciuntur honoribus. vid. ad Ep. Sab. III. 20. BURM.

232. *Non Ipsêa parens.*] Scaliger, *Non Hypſaea parens*, legebat. DAN. HEINSIUS. Nemo, quod ſciam, veterum dat Ipſeam Medeae matrem. Puteaneus à manu prima, *Ipſia*. Alii, *Yſſea*, *Yſea*, *Yexea*, *Impea*, *Illaea*, *Gipſea*, *Ipſaque*, *erat ipſa* vel *ipſe*. & ſimilia. Omnino ſcribendum eſt *Idya*. Heſiodus Theogonia:

Αἰήτης δ' υἱὸς φαεσιμβρότου Ἠελίοιο
Κούρην Ὠκεανοῖο τελήεντος ποταμοῖο
Τῆμε, Θεῶν βουλῇσιν, Ἰδυίαν καλλιπάρηον.

Ita Apollonius quoque Rhodius. Argonaut. III. 241. ubi Abſyrto Aſterodiam dat matrem:

Τὸν μὲν Καυκασίη νύμφη τέκεν Ἀσερόδεια
Πρίνπερ κουριδίην θέσθαι Ἰδυιὴν ἀκοίτιν
Τηθυός Ὠκεανοῦτε πανοπλοτάτην γεγαῦιαν.

Quamvis Sophocles apud Scholiaſten Apollonii *Neaeram* appellet, ex Nereïdum choro unam. ſed *Idyam* quoque vocant Apollodorus & Cicero libro III. de natura Deorum. etiam Hyginus Fab. XXV. apud eundem tamen initio operis Medea *Aeetae & Clytiae* filia dicitur. ubi *Idyae* reponendum opinor. Idyam Abſyrto matrem dat Tzetzes in Lycophronem, cum eum Apollonius ex Aſterodeâ, concubina, prognatum aſſeveret, ut jam vidimus. Auctor Naupacticorum apud Schol. Apollonii matrem Abſyrto dat Eurylyten. Diophanes in Ponticis cum Apollonio pro Aſterodeâ ſtat, quam Oceani & Thetyos facit filiam. Diodorus Siculus lib. III. ex Hecate fratris ſilia Medeam & Chalciopen progenitas Aeetae adfirmet. ut & Dionyſius Mileſius, teſte Apollonii Scholiaſte. ut fortaſſis in Naſone reponendum ſit, *non Perſea parens*. quomodo lib. VII. Metam. *Hecate Perſeis*, & *Perſeia* Valerio Flacco, imitatione Apollonii, apud quem Ἑκάτη Περσηὶς non uno loco occurrit. Apud Horatium lib. I. Sat. II. Proverbium eſt, *Hypſea caecior*, quod vetus interpres & Crucquius, ut & Eraſmus in adagiis non recte exponunt, forte de Medaeae matre, ſi eo nomine fuerit, intelligendum. pro *Hypſea* autem melius ſcribitur *Ypſaea*. vide nummum apud Sigonium ad lib. VIII. cap. I. Livii, & ipſum Livium lib. XXXVII. cap. 47. *L. Plautius Ypſaeus*. HEINS. *Idyam* etiam conjecit jam Delrius ad Senec. Med. v. 209. vid. Voſſ. ad Catul. pag. 261. BURMANNUS.

235. *Invenies.*] Forte, *invenias*. vid. Epiſt. XVI. 174.

236. *In portu.*] *A portu*. HEINS. *E portu* Bernenſis. *Ad portum* Voſſian. ſed vide mox Epiſt. XVIII. 10.

237. *Fax quoque me terret, quam ſe, &c.*] Hi verſus & tres ſequentes intelligentur ex iis, quae in ſuperiori Epiſt. annotavi. CIOFANUS.

238. *Eſt tua viſa.*] *Tibi* Patavinus. Forte, *ſibi*. HEINSIUS.

240. *Arſurum.*] *Arſuram* Intimelianus. vid. notas ad Epiſt. I. v. 48. & ad Epiſt. XVI. 49. HEINSIUS.

243. *Sic illas timeo.*] *Vereor* libri veteres. mox *proſequar* pro *perſequar* Puteaneus & alii. vid. Ep. XI. 119. & XII. 55. HEINSIUS.

243. *Si tua gloria vera eſt.*] In uno codice Heinſiano erat, *victa*; forte ſcriptum fuit, *Ni tua gloria victa eſt*. BURMANNUS.

244. *Non tenuere duae.*] *Deae* multi ſcripti.

248. *Atracis Aemonios Hippodamia viros.*] *Atrax* & *Atracia*, urbs Theſſaliae, ejus partis, quae Pelaſgiotes dicta fuit, ab *Atrace*, filio Penei & Burae, condita ac nominata, autore Stephano. Hinc *Atracis* Hippodamia, pro Theſſalica, ſive quod

ex

Nec dubito, quin, te ſi proſequar, arma parentur.
Ibit per gladios (hei mihi!) noſter amor.
An fera Centauris indicere bella coëgit
Atracis Haemonios Hippodamia viros?
Tu fore tam juſtâ lentum Menelaon in irâ,
Et geminos fratres, Tyndareumque putas?
Quod bene te jactes, & fortia facta loquaris,
A verbis facies diſſidet iſta ſuis.
Apta magis Veneri, quam ſint tua corpora Marti.
Bella gerant fortes: tu, Pari, ſemper ama.
Hectora, quem laudas, pro te pugnare jubeto;
Militia eſt operis altera digna tui.
His ego, ſi ſaperem, paulloque audacior eſſem,
Uterer. utetur, ſi qua puella ſapit.

Aut

ex ea urbe nata fuerit, ſive generaliter accepto nomine. Alii autem *Atracem*, fluvium Theſſaliae faciunt, ejusque filiam Hippodamiam: ſed hactenus diſſimulato autore. MICYLLUS.

249. *Tu fore tam lentum juſtâ Menelaon in irâ.*] Puteaneus:

An fore tam juſta lentum Menelaon in ulta.

Ubi *ulta* pro vindicta ſumitur. quod alibi mihi non recordor eſſe lectum. HEINSIUS.

251. *Quod bene te jactes, & fortia facta loquaris.*] *Jactas* ſcripti fere omnes. deinde quidam etiam *recenſes* pro *loquaris*. recte. monui ſupra ŷſ. 51. HEINSIUS. Ego non puto veterem & vulgatam lectionem repudiandam, quam Puteaneus, & optimus quiſque codex confirmat. & *loqui* proprium eſſe magniloquentiae verbum ad Petron. 11. cap. 117. olim probavi; & ad Quinctil. Decl. XV. 3. BURMANNUS.

152. *A verbis facies diſſidet illa tuis.*] *Suis*, non *tuis* Puteaneus, cum prima editione & aliis nonnullis ſcriptis. Epiſtola Hypermneſtrae:

Haec ego: dumque queror lacrymae ſua verba ſequuntur.

Lib. VIII. Metam. ſub finem:

—— *Nunc pars caret altera telo*
Frontis, ut ipſe vides. gemitus ſua verba ſecuti.

Ita ſcribo ex veteri codice. lib. IX. itidem ſub finem:

—— *Miſerere tuarum,*
Auxilioque juva. lacrymae ſua verba ſecutae.

Sic & ibi ſcribendum. Elegia in mortem Druſi:

Haec & plura referi: lacrymae ſua verba ſequuntur.

Ep. XX. ex optimis libris:

Et liceat lacrymis addere verba ſuis.

Vulgati, *meis*. Epiſtola VI. ut reſtituendum puto:

Impleſti lacrymis talia verba ſuis.

Triſt. I. El. III.

Miſcuit haec lacrymis triſtia dicta ſuis.

Sic & ibi veteres libri. Faſt. II.

Adde preces poſitis & ſua verba focis.

Lib. IV.

—— *Supra nova vellera corpus*
Ponit adorato per ſua verba Deo.

Ep. Medeae:

Auſus es ô, juſto deſunt ſua verba dolori,
Auſus es Aeſonia dicere cede domo.

Metam. X.

Tendit onus matrem: nec habent ſua verba dolores.

Sic *ſua pagina* Faſt. III.

Itur ad Argeos. qui ſint ſua pagina dicet.

Sua vina, Metam. VII. *Per ſeque vident ſua creſcere vina.* quomodo illic codices nonnulli. Epiſtola Acontii:

Cur ſuus à tanto crimine fructus abeſt?

Sic ſupra ŷſ. 200. *Sua vela* ex antiquis libris. Met. XI. *Vultum ſua ſilva ſecuta eſt.* Frequentiſſimus eſt in hac locutione Noſter, ſi attendis. alibi complura notamus. HEINSIUS.

253. *Quam ſunt.*] *Sint* prima editio, & multi ex ſcriptis. HEINSIUS. *Pectora* Lovanienſis.

254. *Bella gerant.*] *Arma* Scriverii. ut Claudian. I. in Eutr. 281. *Arma gerant fortes.* ſed & Regius & Mureti, *bella gerant alii*, quod ex Epiſt. XIII. 84. expreſſum. BURMANNUS.

256. *Operis digna tuis.*] *Tui* libentius legerim. EGNATIUS. Primae editiones & Aldina, *tui*. quod & in triginta codicibus eſt. neque facile repudiarem, etſi ſyllabae *is* productio videatur id vetare. nam & ita ſupra ŷſ. 228. *Unde petam fratris unde parentis opem.* ut optimi codices. *Opus* enim, hic magis accommodatum, quam *opera*. ſic ſupr. Ep. VIII. 52. *Non lecta eſt operi, ſed data cauſſa tuo.* III. Metam. 728. *Opus hoc victoria noſtrum.* vid. Gronov. ad Senec. Phoen. 108. & ita Cicer. poſt reditum ad Quirit. 2. *Rempl. unius opere ſervatam omnes judicaverunt*, pro *opera*. ut

Aut ego, depoſito, faciam fortaſſe, pudore;
Et dabo conjunctas tempore victa manus.
Quod petis, ut furtim praeſentes plura loquamur;
Scimus quid captes, colloquiumque voces.
Sed nimium properas; & adhuc tua meſſis in herbâ eſt.
Haec mora ſit voto forſan amica tuo.
Hactenus. arcanum furtivae conſcia mentis
Litera, jam laſſo pollice, ſiſtat opus.
Cetera per ſocias Clymenen Aethramque loquamur,
Quae mihi ſunt comites conſiliumque duae.

EPI-

recte Graevius. & ita paſſim. ſaepe Vellejus Paterc. *opus*, de rebus bello geſtis; & alii. *Dignus* vero cum genitivo noſtro frequenter conſtruitur. vid. ad Triſt. IV. III. 57. in uno Moreti, erat *ſtudiis*, quod non facile rejiciendum, niſi credamus eſſe gloſſam *operis*. nam ita ſaepe Noſter. ut Epiſt. v. 87. *Studia Dianae*, & paſſim alibi. & hoc requirere ſequens *his* videtur. niſi hoc ad omnia praecedentia referre malis. ſed & *operis* ab *operae* poſſet admitti, ſi recipere quis mallet Bernenſis codicis lectionem, *militia eſt operis altera danda tuis*. BURMANNUS.

259. *Pudore.*] In quibusdam, *timore*, non *pudore*. NAUGERIUS. *Pudore* veteres. Faſt. VI. 620.

Haec poſiti prima pudoris erit.

In Priapeis:

Sed cum tu poſito Deus pudore.

Martialis lib. III.

Sed jam depoſito poſt vina roſasque pudore.

Pro *faciam*, venuſte *ſapiam* Regius cum uno Farneſiano. HEINSIUS. Similis diverſitas II. Art. 379. *Poſitoque decore*, ubi quidam ſcripti *timore*, alii *pudore*. mox Epiſt. ſequent. 57. eadem varietas: & ſaepe alibi.

260. *Dabo conjunctas.*] Venetae quaedam editiones, Aldi, Gryphii & Micylli, *convictas*, quod & in uno Regio & ſeptem aliis. ſex alii, *convinctas* ut Berſmannus edidit. in Puteaneo, *cunctas* & correctum, *conjunctas*. in uno Lovanienſi, *aut dabo & victas*. puto legendum, *aut dabo mox victas tempore victa manus*. in Triſt. I. III. 88. *Vixque dedit victas utilitate manus*. BURMANNUS.

261. *Praeſentes iſta loquamur.*] *Plura* prima editio cum tribus ſcriptis. Refer ad illa Paridis:

——— *Sed coram ut plura loquamur,*
Excipe me lecto nocte ſilente tuo.

HEINSIUS.

263. *Et adhuc tua meſſis in herba eſt.*] Caeſar libro primo belli Civilis, cap. 48. *Tempus erat anni difficillimum, quo neque frumenta in herbis erant, neque multum a maturitate aberant*. ubi vid. notas Aldi Manutii. *herba* in ſegete eſt, priuſquam in ariſtas ſurgit. Idque Proverbii vicem obtinet, de iis, qui vita & ſpe praecipitant Perſius Satyra ſexta: *Quid metuas? occa, & ſeges altera in herba eſt*. In Oratione M. Catonis Cenſorii de Aedilibus vitio creatis, Noctibus Atticis A. Gellii libro XIII. cap. XVII. *Nunc ita ajunt, in ſegetibus, in herbis bona frumenta eſſe. nolite ibi nimiam ſpem habere. ſaepe audivi inter os & offam multa intervenire poſſe. verum vero inter offam atque herbam ibi vero longum intervallum eſt*. IV. Faſt. 645.

Saepe Ceres primis dominum fallebat in herbis.

HEINSIUS. Vide J. Fr. Gronov. ad Plinium XXXIII. 5. & Jacobum Filium ad Liv. XXV. 15. hereditarias inde opes promentem.

265. *Furtivae conſcia mentis Littera.*] Malim *nuntia*. vide Notas Art. Amat. lib. I. Vſ. 438. HEINSIUS.

267. *Clymenen Aethramque.*] Priorem aliter vocat Hyginus cap. 92. de judicio Paridis. Alexander Veneris impulſu Helenam à Lacedaemone ab hoſpite Menelao Trojam abduxit, eamque in conjugio habuit cum ancillis duabus Aethra & Phiſaide, quas Caſtor & Pollux captivas ei aſſignaverant, aliquando reginas. CIOFANUS.

267. *Loquamur.*] *Loquemur* margo Berſmanni.

268. *Conſiliumque.*] *Conſcilium* Gronov. Oxonienſis & unus Heinſii; pro *concilium*. quod probavit Heinſ. ad I. Art. 353. ſed nihil mutem. vid. IV. Triſt. III. 32. BURMANNUS.

EPISTOLA XVIII.

LEANDER HERONI.

MIttit Abydenus, quam mallet ferre, ſalutem,
Si cadat ira maris, Seſta puella, tibi.
Si mihi Di faciles, & ſunt in amore ſecundi;
Invitis oculis haec mea verba leges.
Sed non ſunt faciles: nam cur mea vota morentur,
Currere me notâ nec patiantur aquâ?

Ipſa

Hanc Epiſtolam Barthius ad Statii Theb. VI. 545. Ovidio adſcribere vix audet, inductus vers. 247. & 248. quos ex Muſaeo verſos eſſe putat; niſi Muſaeus ſit antiquior, quam perſuaſi nunc ſint docti homines. ſed Lutatius ad eumdem Statii locum ſcribit, *Leandri fabula eſt, Ovidio referente, notiſſima*, quem ad hanc Epiſtolam reſpicere manifeſtum eſt, cum in Metamorphoſi haec fabula non legatur. BURMANNUS.

2. *Si cadat ira maris.*] Sic legendum, id eſt, ſi mare non agitetur, non commoveatur, ut uſque huc commotum eſt. CIOFANUS. Omnes omnino ſcripti habent, *unda*, ut & Aldina prior editio; ſed poſterior, quam Gryphius & reliqui ſecuti ſunt, *ira*. eadem varietas eſt. I. Metam. 330.

Nec maris ira manet.

Et apud Lucan. V. 600.

In ſcopulos totas erexerat undas.

Ubi Thuaneus & Rottorphianus codices, *iras*. & certe nihil frequentius, quam *iratum* mare dicere, & *iram* mari adſcribere. vid. Heinſ. ad XI. Metam. 729. & *iram* praeſtare prae *unda*. hinc quoque efficitur, quod proprie etiam *ira cadere* eleganter dicatur. Noſter II. Am. XIII. 4.

Irâ digna meâ; ſed cadit ira metu.

Propert. II. Eleg. 13.

Nec ſic de nihilo fulminis ira cadit.

Lucan. IV. 284.

Paulatim cadit ira ferox.

Et ita paſſim alii. in uno etiam Heinſii erat in primo verſu, *quod mallet*, unde forte legendum, *quo mallet*. BURMANNUS.

2. *Seſta puella tibi.*] Inuſitatè dictum *Seſta*, pro *Seſtia*, ſive figuram malueris dicere, ſive Poëtae autoritati tribuere: cui, verſus gratia, poſſeſſivum hoc ita incidere licuerit. MICYLLUS. Malim *Seſti*, ſi per libros antiquos liceat. ſic in Epiſtola Sapphûs, *Lesbi puella. Seſtias* certe Hero Statio vocatur. Theb. VI. 545.

——— *Sedet anxia turre ſuprema*
Seſtias in ſpeculis.

Sidonius Apollinaris carm. XI.

Evadne in flammas; & Seſtias iſſet in undas.

Muſaeo quoque Σηστὶὰς Ἡρώ. Superiori etiam verſu *malit* rectius legas, ut τῷ *cadat* reſpondeat. Ceterum hi duo verſus manu recentiori in Puteaneo legebantur, pro quibus excerpta Douzae:

Quam cuperem ſolitas, Hero, tibi ferre per undas,
Accipe Leandri, dum venit ipſe manum.

Alter Mentelianus & hos & illos agnoſcit, hos tamen poſteriori loco. HEINSIUS. In Douzae excerptis alterum diſtichon priori ſubjicitur:

Aptior illa quidem placido dat verbera ponto:
Eſt tamen & ſenſus apta miniſtra mei.

3. *Si mihi Di faciles & ſunt.*] Libri quinque, *Sint mihi*. tum alii multi, *& ſint in amore*, quidam, *vel ſint*, aut, *vel ſunt*. vel, *ut ſunt*, vel, *qui ſunt*. Barberinianus, *Sic mihi Di faciles*. probe. dummodo ſequenti verſu, *ut mea verba*, reſcribas, pro *haec mea*:

Sic mihi Di faciles, ſic ſint in amore ſecundi,
Invitis oculis ut mea verba leges.

HEINSIUS.

4. *Haec mea verba.*] *Haec mea ſcripta* Gronov. & duo alii. ita II. Amor. II. 5. *Miſi, ſcriptoque rogavi*. ſic II. Am. II. 19. *Scripta leget ſecum*. Epiſt. VI. 4. *Debueram ſcripto certior eſſe tuo*. & alibi. & efficacius puto *ſcripta*, quam *verba*, quia poſtea addit vers. 21. *Quanto mallem quam ſcriberet illa nataret*. BURMANNUS.

5. *Cur mea vota morantur.*] *Morentur* quatuor codices non contemnendae notae. & tum ſequenti verſu *patiantur* quoque ſit ſcribendum. quomodo unus Regius. ex Scriverii quoque membranis legi poſſet, *nam cur mea vela morentur*. Petavianus, *nec patiantur. mota aqua* pro *nota* Moreti codex. *dubia* prima editio. infra:

——— *Quod dubia ſaepe pependit aqua.*

HEINSIUS. *Mota aqua* non facile quidem repudiandum; frequens enim illa vox Poëtis, & confuſa cum *nota*: ut lib. VI. Metam. ult. III. Faſt. 347. & Valer. Flac. V. 44. ſed cum mox 27. *Adſuetas aquas* vocet, quas hic *notas*, vulgatam lectionem ſervo. BURMANNUS.

Ipſa vides coelum pice nigrius; & freta ventis
Turbida, perque cavas vix obeunda rates.
Unus, & hic audax, à quo tibi litera noſtra
Redditur, è portu navita movit iter.
Adſcenſurus eram: niſi quod, cum vincula prorae
Solveret, in ſpeculis omnis Abydos erat.
Non poteram celare meos, velut ante, parentes:
Quemque tegi volumus, non latuiſſet, amor.
Protinus haec ſcribens, Felix, i, litera, dixi:
Jam tibi formoſam porriget illa manum.
Forſitan admotis dominae tangêre labellis;
Rumpere dum niveo vincula dente volet.
Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis,
Cetera cum chartâ dextra locuta mea eſt.
At quanto mallem, quam ſcriberet, illa nataret,
Meque per adſuetas ſedula ferret aquas!
Aptior illa quidem placido dare verbera ponto.
Eſt tamen & ſenſûs apta miniſtra mei.
Septima nox agitur, ſpatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis ut mare fervet aquis.

His

7. *Ipſa vides.*] *Nonne vides* Bernenſis codex; non invenuſte. ſed vers. 70. *Ipſa vides.* Horat. 1. Od. IX.
Vides, ut alta ſtet nive candidum Soracte. BURM.

8. *Perque cavas vix adeunda rates.*] *Abeunda* quinque ſcripti. tres *obeunda.* quod verum eſt. ſic Epiſtola XVI. 175.
Sceptra parens Aſiae, qua nulla beatior ora eſt,
Finibus immenſis vix obeunda tenet. HEINSIUS.

10. *A portu navita fecit iter.*] *E portu* potiores. ut & *movit iter.* quos ſecutus ſum. quanquam Propertii iſta ſuccurrunt, 1. Eleg. 17.
Primus & invito gurgite fecit iter.
Et 1. Triſt. IX. 16.
Et longum tenui limite fecit iter.
Alter Mentelianus, *ſolvit iter.* Statius IV. Silv. Pietate Abaſcantii:
Sic ubi magna novum Pharia de littore puppis
Solvit iter.
Proximo verſu, *cum vincula*, non *dum* iidem. HEINSIUS. *A portu* antiquae editiones. & ita Epiſt. praeced. 236. in Ibide 618.
Aulidis a portu qui leve vertit iter.

11. Art. Am. 337.
Sed non, cui dederis a litore carbaſa, vento
Utendum, medio cum potiere freto.
Illud *ſolvit iter* poſſet firmari ex illis Flor. III. 10. *Cum tertia vigilia Morino ſolviſſet a portu.* & praeterea his Ciceronis pro Murena. 11. *Quod ſi portu ſolventibus, ſi qui jam in portu ex alto invehuntur, praecipere ſolent.* ubi quidam legunt *è portu* ex Quinct. v. Inſtit. 11. ſed hîc *ſolvere vincula prorae* mox ſequitur. *fecit iter*, non placet. quia cum Epiſtolam traderet, nauta *movebat*, id eſt incipiebat iter. ut *movere caſtra*, & ſimpliciter *movere* dici notum eſt. *facere* vero iter, plus notat. ſic ſaepe apud Noſtrum *viam facere.* vide infr. vers. 158. XVI 22. XIX. 192. & millies. BURMANNUS.

11. *Dum vincula.*] *Cum* omnes fere ſcripti.

17. *Admotis etiam.*] Lege cum Moreti & Mentelii libris, *admotis dominae*, ut τὸ *volet* habeat, quo referatur. Douza etiam malebat, *Forſan & admotis dominae*, non male. BURMANNUS.

21. *Ah quanto.*] *At quanto* prima editio & ſeptem ſcripti. Statius Lacrymis Etruſci, 192.
Ergo & Theſſalici conjux penſare mariti
Funus & immitem potuit Styga vincere ſupplex
Thracius? at quanto melius pro patre liceret!
Non *ah quanto.* ita totus locus ex veteri libro conſtituendus. niſi quod pro *Phryga*, optime *Styga* jam alii ſcribendum eſſe viderunt. HEINSIUS. Vide ad Epiſt. XV. 191.

25. *Septima nox agitur.*] De hoc verbo *agitur*, vide quae dixi in obſervationibus in Metamorph. CIOFANUS.

26. *Ut mare fervet aquis.*] Sic meliores libri. Fruſtra Arondelianus, *quo mare.* alii, *quod mare.* Noſter: v. ex Ponto. XI.
Ut ſumus in Ponto ter frigore conſtitit Iſter.

Auſo-

His ego ſi vidi mulcentem pectora ſomnum
Noctibus, inſani ſit mora longa freti.
Rupe ſedens aliqua ſpecto tua litora triſtis:
Et quo non poſſum corpore, mente feror.
Lumina quin etiam ſummâ vigilantia turre,
Aut videt, aut acies noſtra videre putat.
Ter mihi depoſita eſt in ſiccâ veſtis arenâ.
Ter grave tentavi carpere nudus iter.
Obſtitit inceptis tumidum juvenilibus aequor:
Merſit & adverſis ora natantis aquis.
At tu de rapidis, immanſuetiſſime, ventis,
Quid mecum certâ proelia mente geris?
In me, ſi neſcis, Borea, non aequora, ſaevis.
Quid faceres, eſſet ni tibi notus amor?
Tam gelidus cum ſis, non te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actaeis incaluiſſe negas.
Gaudia rapturo ſi quis tibi claudere vellet
Aërios aditus, quo paterere modo?
Parce, precor; facilemque move moderatius auram.
Imperet Hippotades ſic tibi triſte nihil.

Vana

Auſonius Epiſtola VI. ad Theonem:
Tertia fiſſipedes renovavit Luna juvencos,
Ut fugitas noſtram, dulcis amice, domum.
Sic veterrimus codex Voſſianus. vulgo, *Dum fugitas.* HEINSIUS.

27. *Mulcentem pectora.*] Francius malebat, *tempora.*

33. *Sicca arena.*] Barberin. *nuda.* ut Metam. IV. 741. ex MSS.
Anguiferumque caput nuda ne laedat arena.
Sed quia *nudus* ſequitur, vulgatam retinendam puto. Virgilius I. Georg. 389.
Et ſecum in ſicca ſolus ſpatiatur arena. HEINS.

39. *Non aequora ſaevis.*] Vetus lectio deleta penitus in Puteaneo. Opinor, *nec in aequora* fuiſſe; quomodo quinque ſcripti. HEINSIUS.

41. *Tam gelidus cum ſis.*] *Quod ſis* Puteaneus. ut Epiſt. XVII. 251. *Quod bene te jactes.* & *num* pro *non*, ut per interrogationem haec dicantur. Idem.

42. *Negas.*] Francius *neges.* ut Epiſt. III. 112. qui & priori verſu, *num te tamen* probabat.

43. *Gaudia rapturo.*] *Laturo* Gronovianus. qualiter Metam. IX. 481.
Pro Venus, & tenera volucer cum matre Cupido,
Gaudia quanta tuli!
Amor. lib. II. El. III. ex veteri libro:
Mutua nec Veneris gaudia ferre potes.
Eleg. IX.
Sperando certe gaudia magna feram.
Rem. Am. 522.
Protinus ex facili gaudia ferre licet.
Et mox, 778.
Illam Pliſthenio gaudia ferre thoro.
Quibus locis *gaudia* pro re Venerea ſumuntur. quomodo paſſim apud Noſtrum aliosque. Epiſtola Paridis, 317.
Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant.
Et lib. I. Art. Amat. 481.
——— *Cum quo ſua gaudia jungat,*
Invenit in media foemina piſcis aquâ.
Rutilius tamen Itinerario, vulgatam tuetur, de Jove, v. 261.
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta virgineum ſollicitavit onus.
Deinde pro *claudere aërios aditus*, veteres editiones, *rumpere.* ſic Art. Am. lib. I. 329. *Non medium rupiſſet iter.* & lib. II. 54.
Qua licet, inventis aëra rumpe meis.
III. Amor. VI. 88.
Quid coeptum ruſtice rumpis iter.
Sed vulgata etiam proba eſt. Epiſt. XIX. 140.
Aſſuetum nobis turbine claudis iter.
Metam. VIII. 549.
Clauſit iter fecitque moras Achelous eunti
Imbre tumens.
Virgil. lib. I. Æſ. 233.
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.
HEINSIUS.

44. *Aë-*

Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipſe:
Quasque quatit, nullà parte coërcet aquas.
Nunc daret audaces utinam mihi Daedalus alas!
Icarium quamvis hic prope litus adeſt.
Quidquid erit, patiar: liceat modo corpus in auras
Tollere; quod dubiâ ſaepe pependit aquâ.
Interea, dum cuncta negant ventique fretumque,
Mente agito furti tempora prima mei.
Nox erat incipiens (namque eſt meminiſſe voluptas)
Cum foribus patriis egrediebar amans.
Nec mora, depoſito pariter cum veſte timore,
Jactabam liquido brachia lenta mari.
Luna ferè tremulum praebebat lumen eunti,
Ut comes in noſtras officioſa vias.

Hanc

44. *Aërios aditus.*] Farneſianus, *Aërios portus.*

45. *Move moderantius auram.*] *Moderantius* Latinum vix eſt. quare emenda cum Puteaneo & ſex aliis, *moderatius.* lib. 1. Metam. 510.

—— *Moderatius oro*
Curre, fugamque inhibe: moderatius inſequar ipſe.

Ubi pari modo peccabatur. & etiam alibi. Heins.

46. *Hippotades.*] Quando interpretes variant de Aeolo, & ejus genere, libuit adjicere, quae in Scholiis Graecorum in x. Odyſſ. leguntur: Δύο, inquiunt, Αἰολοι, οὗτος μὲν Ἱππότου τοῦ Μίμαντος, ἕτερος δὲ Ἑλληνος, ὃς ἦν Διὸς, οὗ καὶ Ἡσίοδος μέμνηται. Priorem ergo intellige eum, ad quem Ulyſſes venit inter navigandum, qui ventis imperabat. de quo eodem & hic dicitur. Alterum autem patrem Salmonei, Crethei, Siſyphi, Athamantis & ceterorum, de quibus paſſim in fabulis mentio fit. Micyllus.

47. *Vana peto*] Regius & duo alii, *precor*; ut ſit repetitio Ovidiana, *precor, precibusque meis obmurmurat.* Burmannus.

50. *Hic prope.*] *Hinc* quatuor libri. forte, *huic.* Heinsius. Francius, *haud procul aequor abeſt. hoc prope litus adeſt* Berſmanni codex. eadem varietas lib. 11. Art. 10. *Et longe, quem peto, portus abeſt.* & apud Cicer. pro L. Manilia cap. vi. *Cum hoſtium copiae non longe abſunt.* ubi MSS. *prope adſunt*, vel *abſint.* & ſaepius *prope abeſt*, & *adeſt* a librariis eſſe confuſa docet Fr. Douza ad Lucilii Fragmenta lib. 1. n. 13. Burmannus.

51. *In auras.*] *In auram* Regius & Bernenſis.

53. *Cuncta negant.*] *Vota negant* Voſſianus. Heinsius.

56. *Foribus.*] Forte, *Laribus patriis.* vid. ad Epiſt. xiv. 83. Idem.

57. *Timore.*] *Pudore* Baſileenſis. Scriverii, *poſito cum mente pudore.* vid. ad Epiſt. praeced. 259. Librarii corruperunt hunc locum, quia vulgo jactabatur illud Pythagoricum (vid. Laert. viii. 43.) cum veſtibus eſſe verecundiam ponendam, cumque illis reſumendam; ad quae & Noſter reſpexit lib. iii. Amor. xiii. 18. & ſeqq. vid. & Schott. ad Aurel. Victor. Caeſar. cap. xxi. Burmannus.

59. *Luna mihi tremulum lumen praebebat eunti.*] *Luna fere* Puteaneus & alii multi; quomodo ſaepe Ovidius. Infra Epiſtola Herûs, *Annuit illa ferè.* Amor. libro 1. El. v.

Quale ferè ſylvae lumen habere ſolent.

Rem. Am. 131.

Temporis ars medicina fere eſt. data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Ita vetuſtiſſimus liber. Vulgati, *Temporibus medicina valet.* Elegia de Nuce:

Si reus ille ferè eſt, de quo victoria lucro
Eſſe poteſt.

Utitur & Faſtorum lib. iii. bis. ỳſ. 203. & 294. & in Triſtibus ſaepe. iv. Pont. iv. 4.

Miſta ferè duris utilis herba rubis.

Metam. 11. 497.

Arcas adeſt ter quinque ferè natalibus actis.

Ita & illic ex antiquis membranis ſcribendum, ubi plura. *praebebat lumen* etiam ſcripti. Heinsius. *Luna freto* Schot. 11. obſ. 55.

60. *In noſtras.*] Balliolenſis, *in vaſtas*, non abſurde. vid. ad iii. Amor. 1. 40. ita Epiſt. ſeq. 164. *vaſtae aquae.* xiv. Metam. 438.

Ancipitesque vias & iter Titania vaſtum Dixerat.

Burmannus.

61. *Faveas O candida.*] *Dea candida* meliores libri, cum primis editionibus. Heinsius.

62. *Ani-*

Hanc ego ſuſpiciens, Faveas, Dea candida, dixi;
Et ſubeant animo Latmia ſaxa tuo.
Non ſinat Endymion te pectoris eſſe ſeveri.
Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos.
Tu, Dea, mortalem coelo delapſa petebas.
Vera loqui liceat; quam ſequor, ipſa Dea eſt.
Neu referam mores coeleſti pectore dignos;
Forma niſi in veras non cadit illa Deas.
A Veneris facie non eſt prior ulla, tuâque.
Neve meis credas vocibus, ipſa vides.
Quanto, cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis ſidera cuncta tuis;
Tanto formoſis formoſior omnibus illa eſt;
Si dubitas, caecum, Cynthia, lumen habes.

Haec

62. *Animo.*] Lovanienſis & tres alii, *animos tuos.* quamvis enim utrumque recte dicatur; (vid. ad Ep. IV. 23.) uſitatius tamen cum accuſativo dicit Serv. ad Virg. VIII. Aeneid. 125. ſic Virg. X. 824.

Mentem ſubiit pietatis imago.

Noſter VII. 170.

Diſſimilemque animum ſubiit Aeëta relictus.

Liv. XL. 8. *Sed interdum ſpes animum ſubibat.* ſic & in alia ſignificatione, pro ſuccedere, intrare, paſſim veteres. ita emendatiores codices apud Virgilium V. 864.

Jamque adeo ſcopulos Sirenum advecta ſubibat.

Et Noſter IX. Metam. 352. *Subit inguina cortex*, ex MSS. & v. 282

——— *Subiere minores*
Saepe caſas ſuperi.

Et VIII. 637.

Ergo ubi Coelicolae parvos ſubiere penates.

Vide Broukh. ad Tibull I. IV. 41. BURMANNUS.

63. *Non ſinit Endymion.*] *Sinat* prima editio, & duo ſcripti. bene. & mox, *non cadat* unus Patav. HEINSIUS.

64. *Ad mea furta.*] *Ad mea vota* Bernenſis.

70. *Ipſa vide.*] *Vides* rectius octo codices. HEINSIUS. ſupr. vers. 7.

71. *Quantum cum radiis fulges argentea puris.*] Praeſtantiores *fulges radiis.* Praeterea *Quanto* ſcribendum, quod Τὸ *Tanto* ſequens requirit. atque ita Junianus liber cum Scriveriano altero. Eſt autem ea vox ſaepius corrupta apud Noſtrum. Art. Am. II. 113.

Forma bonum fragile eſt, quantoque accedit ad annos,
Fit minor.

Ita unus Vaticanus. Remedio Amoris, 217.

Sed quanto minus ire voles, magis ire memento.

Ubi *quando* perperam legebatur. Metam. VII. 749.

——— *Nec non & cetera tanto*
Sylva ſub hac omnis, quanto fuit herba ſub omni.

Lib. XIII. 367.

——— *Quanto dux milite major,*
Tanto ego te ſupero.

Sic & illis locis optimae membranae. *argenteam* autem *lunam* & Sappho vocavit. Julianus Epiſtola XIX. Σαπφὼ ἡ καλὴ τὴν σελήνην ἀργυρέαν φησί. HEINSIUS. Recte, *quanto. Quanto tu fulges radiis* Bernenſis. I. Metamorph. 52.

Qui, quanto eſt pondere terrae
Pondus aquae levius, tanto eſt oneroſior igni.

V. 464.

Quantoque animalia cedunt
Cuncta tibi, tanto minor eſt tua gloria noſtra.

I. Amor. VI. 46.

Heu melior quanto ſors tua ſorte mea.

II. Faſt. 302.

Cum tanto Phrygiâ Gallica dictet humus.

Et alibi paſſim. vid. ad VIII. Met. 749. ſed licet ita fere ſemper loquantur veteres, aliter tamen Livius, qui lib. V. cap. 10. *Quantum* praemittit ſequenti *tanto. Quantum autem augebatur militum numerus, tanto majore pecunia in ſtipendium opus erat.* ſic & apud Lucan. II. 517

Heu quantum melius vel caede peracta
Imperat.

Multi codices, pro *quanto.* quod tamen rectius puto, vid. ad Epiſt. XV. 191. ſic & *multo* & *multum* in MSS. variant. vid. notata ad Quinct. IX. 2. quibus adde noſtri locum V. Triſt. XI. 7. ubi in codicibus quibusdam, *multum graviora tuliſti.* BURMANNUS.

Haec ego, vel certe non his diverſa, locutus
Per mihi cedentes nocte ferebar aquas.
Unda repercuſſae radiabat imagine Lunae,
Et nitor in tacitâ nocte diurnus erat:
Nullaque vox noſtras, nullum veniebat, ad aures,
Praeter dimotae corpore, murmur, aquae.
Alcyones ſolae, memores Ceycis amati,
Neſcio quid viſae ſunt mihi dulce queri.
Jamque fatigatis humero ſub utroque lacertis,
Fortiter in ſummas erigor altus aquas.
Ut procul adſpexi lumen, Meus ignis in illo eſt;
Illa meum, dixi, litora numen habent.
Et ſubito laſſis vires rediere lacertis:
Viſaque, quam fuerat, mollior unda mihi.
Frigora ne poſſim gelidi ſentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, praeſtat amor.
Quo magis accedo, propioraque litora fiunt,
Quoque minus reſtat; plus libet ire mihi.
Cum vero poſſum cerni quoque; protinus addis
Spectatrix animos, ut valeamque facis.

Nunc

76. *Cedentes nocte.*] Quia ſequenti diſticho iterum *nocte* ſequitur, Francius legebat *cedentes ſponte*, ut opponantur *adverſis aquis* vers. 36. & *invitis* 144.

79. *Nullaque vox uſquam noſtras veniebat ad aures.*] *Nullaque vox uſquam*; *nullum veniebat ad aures* Puteaneus & multi alii. & *uſquam* citat Parrhaſius Epiſtol. 1. At Regius unus etiam non male:

Nullaque vox noſtras, nullum veniebat ad aures.
HEINSIUS.

82. *Dulce queri.*] Conjiciebat Francius, *triſte queri*: nil opus. vid. Epiſt. XV. 152. *Dulce loqui* nonnulli codices.

84. *Fortiter.*] Duo libri *fortior*. vid. Epiſt. XVI. 267. ſed quia *altus* ſequitur, nihil mutandum eſt.

86. *Lumen habent.*] Meliores & plurimi, *numen*; ne bis idem dicat: *ignis* enim praeceſſit. & a numine rectius vires rediiſſe dicuntur. & ita duae editiones quoque Venetae. BURMANNUS.

87. *Et ſubito.*] *Ut ſubito* duo libri. *Tum ſubito* Moreti. *At* olim Heinſius conjecerat.

90. *Qui calet.*] *Qua* Puteaneus, & à manu ſecunda, *Quo*. Barberinianus, *Quod*. HEINSIUS. *In tepido* etiam malebat Francius.

95. *Tunc etiam.*] *Nunc etiam* Puteaneus. HEINS. Ita & duo alii codices. vid. Epiſt. XII. 53. & ita ſaepe peccatum, quia librarii, non aeque ut Poëtae, tempus praeteritum, ſibi praeſens fingere potuerunt. ſic Remed. Amor. 605.

Sithoni, nunc certè vellem non ſola fuiſſes.

Vſ. 775.

Ut Paris hanc rapuit, nunc demum uxore carere,
Non potes.

I. Metam. 321.

Themin, quae nunc oracla tenebat.

III. 345.

Nymphis jam nunc qui poſſit amari.

V. 147. *Nunc ave deceptus falſa.*

Et 210. *Poenitet injuſti nunc denique Phinea belli.*

Ita male Heinſius apud Valer. Flac. IV. 606.

Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppim
Ventus agat.

Ubi plura notabimus. ſic *etiam nunc* recte apud Juſtinum lib. VIII. cap. 4. tuetur celeberrimus Graevius, qui non erat ſilentio praetereundus a nupero Minucii Felicis editore, qui unico eo loco utitur, ad eamdem elegantiam iſti ſcriptori adſerendam, capite primo. vide & ad Quinctil. Praef. lib. VI. BURMANNUS.

96. *Noſtra.*] *Brachia lenta* Lovanienſis, ut Ep. ſeq. 48. quod jactationi melius convenire exiſtimo, ut non videatur tam natare, ut cito contingat litora, quam artem ſpectatrici Dominae oſtentare. dicuntur vero *lenta* brachia, eadem ratione, qua

Nunc etiam nando dominae placuiſſe laboro,
Atque oculis jacto brachia noſtra tuis.
Te tua vix prohibet nutrix deſcendere in altum:
Hoc quoque enim vidi: nec mihi verba dabas.
Nec tamen effecit, quamvis retinebat euntem,
Ne fieret primâ pes tuus udus aquâ.
Excipis amplexu, feliciaque oſcula jungis:
Oſcula (Dî magni!) trans mare digna peti.
Deque tuis demtos humeris mihi tradis amictus:
Et madidam ſiccas aequoris imbre comam.
Cetera nox, & nos, & turris conſcia novit,
Quodque mihi lumen per vada monſtrat iter.
Nec magis illius numerari gaudia noctis,
Helleſpontiaci quam maris alga poteſt.
Quo brevius ſpatium nobis ad furta dabatur,
Hoc magis eſt cautum, ne foret illud iners.
Jamque, fugaturâ Tithoni conjuge noctem,
Praevius Aurorae Lucifer ortus erat.
Oſcula congerimus properata, ſine ordine, raptim,
Et querimur parvas noctibus eſſe moras.

Atque

qua *lenti remi* dicuntur. Brachia vero *remi corporis.* inf. vers. 215. BURMANNUS.

98. *Hoc quoque enim vidi.*] Turbant codices. ſed nihil mutandum. vid. Ep. XVII. 37. *Hoc quoque enim dubito.* Francius malebat, *hoc quoque nam vidi*, vel, *hoc etenim.* ut Berſmanni liber & editio Micylli. BURMANNUS.

102. *Oſcula Dis magnis trans mare digna peti.*] Scribe cum Puteaneo & Sarraviano, *Dî magni.* Amor. lib. II. Eleg. ult.

Oſcula (Dî magni!) qualia quotque dabat!

Faſt. VI. 187.

Quam bene, Dî magni, pugna cecidiſſet in illa!

Catullus, Ep. XIV.

Dî magni horribilem & ſacrum libellum!

Et LIII.

Dî magni ſallicippium diſertum.

Quam veram eſſe iſtius loci lectionem ex Senecae Suaſoriis patet, quicquid alii diſſentiant. Plautus Truc. IV. I. 3. *Dî magni! ut ego laetus ſum.* Similiter *Dî boni*, & *Dî immortales* apud Comicos & oratores. A. Gellius lib. II. cap. II. *Cum pater aſſediſſet, appoſitumque eſſet aliud quoque filio ejus ſedile, verba ſuper ea re Taurus facit cum ſumma (Dî boni!) honorum atque officiorum perpenſatione.* libro III. cap. VII. *Pulchrum (Dî boni!) facinus M. Cato de Q. Caedicio ſcriptum reliquit.* apud Macrobium Saturnal. II. cap. XIII. *Nec gulae modus factus, verum minora pretia rebus impoſita. & quibus rebus, Dî boni!* etiam *Dî* ſimpliciter. Petronius, cap. LXXIX.

Qualis nox fuit illa, Dî deaeque!

Noſter Met. XII. 545.

Ille quidem majora fide (Dî!) geſſit, & orbem Implevit meritis.

Quomodo ibi ſcribendum. tum Faſt. V. 471. ex conjecturâ:

Noluit id frater. pietas, Dî, qualis in illo eſt!

HEINSIUS.

103. *Deque tuis demtos.*] *Eque tuis* ſcripti. HEINS. Mihi *de* placet: geminare enim praepoſitiones magis amabant veteres. I. Am. IV. 50.

Conſcia de gremio pallia deme meo.

BURMANNUS.

105. *Turris conſcia.*] *Nutrix* Junianus, Bernenſis & Douzae excerpta. ſed fruſtra. ita *ignis conſcius* Statio VI. Theb. 547. alter Mentelianus quoque, *norunt.* BURMANNUS.

106. *Per vada.*] *Lumen per freta monſtrat* Bernenſis.

108. *Alga.*] Francius malebat *unda*, ut Micylli & Berſmanni margo habet.

110. *Eſt cautum.*] *Captum* Sarravii, Lincoln. & Scriverii: forte non male. ut *captum tempus* ſaepe apud Livium, Maronem & alios. de quo vide Gronov. ad Liv. XXVI. 12. BURMANNUS.

Atque ita cunctatus, monitu nutricis amaro
Frigida deserta litora turre peto.
Digredimur flentes: repetoque ego Virginis aequor,
Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides vero est; veniens huc esse natator;
Cum redeo, videor naufragus esse mihi.
Hoc quoque si credas; ad te via prona videtur:
A te cum redeo, clivus inertis aquae.
Invitus repeto patriam: quis credere possit?
Invitus certe nunc moror urbe meâ.
Hei mihi! cur animo juncti secernimur undis?
Unaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos:
Tam tua terra mihi, quam tibi nostra placet.

Cur

115. *Atque ita cunctatus.*] Eleganter MSS. Palatinus:

Atque ita, contactus monitu nutricis amaro,
Frigida deserta littora turre peto.

Dan. Heinsius. *Cunctatus* scripti plerique. *Cunctatus monitum* Puteaneus; quidam *amarae*. Scribo, *cunctatus monitus nutricis amaros*. ut Valer. Flac. III. 385.

Haud secus Aesonides monitis accensus amaris.

Vel, *monitum nutricis amarae*. Videantur quae de hoc loquendi modo ad Claudianum notavi lib. II. de Consulatu Stilichonis vs. 284. Vulgatam tamen scripturam hoc loco defendi posse non negarim. Heinsius. Nos ex codicibus veteribus, *cunctatus*, *monitu nutricis amaro &c.* retinuimus, sed distinctione sensum adjuvimus. ut sit sensus; *amaro monitu* nutricis, post longam cunctationem, litora peto. solent enim amantes cunctari diu, antequam ab amata discedere possint. lib. II. Amor. Eleg. ult.

Ah quoties sani capitis mentita dolores
Cunctantem tardo jussit abire pede.

Amaro autem *admonitu* etiam dixit XIV. Met. 465. Sil. III. 171. *Monitis incessit amaris.* Burmannus.

118. *Dominam.*] *Animam* Lovanienses. venuste, ut saepe Poëtae.

119. *Si qua fides vero est.*] Quis dubitet, quin vero sit habenda fides, neque etiam ita solent uti hac formula Noster & alii Poëtae. sed vel simpliciter, *si qua fides*; vel, *si qua fides misero*, & similiter. vid. ad Petron. cap. LXIII. quare hic posset quis suspicari latere mendum, & legere mallet; *si qua fides verbo est*, vel *verbis*. ut Petron. LXV. *Si qua est dicenti fides.* qua formula etiam Quinctil. Declam. XVI. 4. utitur. nisi quod ibi *dicentis* vitiose legitur. *verum* autem & *verbum* passim a librariis fuit permutatum. ita infr. XX. 107. *Timeo tibi dicere verum.* ubi codices aliquot *verbum*. vide eruditissimas notas Broukh. ad Propert. I. Eleg. XIII. 21. & III. Eleg. XXIII. 12. & Barth. ad Calp. Eclog. VI. 25. Amplissimo Cupero placebat, ut suis ad me literis monuit:

Si qua fides; verum est, veniens &c.

Ut primo dubitet, deinde affirmet id verum esse, quod est narraturus. sed & vulgata ferri potest, ut sensus sit, si qua fides mihi verum, sed cui fidem multi non habent, dicenti. ita apud Martial. lib. V. 19. *Si qua fides veris.* ita enim codex, quem contulit Heinsius, non *veri*. posset & *vero* hic sumi pro vera dicenti, ut sit a *verus*. ita Donatus ad illa Terentii Andr. II. 5. *Sum verus*, explicat, id est *veridicus*. Burmannus.

120. *Naufragus esse mihi.*] Robertus Titius lib. V. Locor. Controvers. cap. 4. haec explicat, quasi Leander rediens natasset supinus, more naufragorum, cum Hero petens, pronus nataret, unde & in praecedentibus dixit, *respiciens dominam, dum licet usque meam*. quod alia ratione consequi non poterat, quam si supinus nataret. sed nos nihil hic tam arguti latere credimus, & simplicem esse sensum, se videri natatorem, id est voluptatis caussa se exercere, ostentare artem dominae, & aquam esse pronam & facilem; sed dum redit, se laborare & difficulter natare, tamquam contra clivum aquae, quae nihil adjuvat natantem, sed ut in tempestatibus solet, cum naufragium factum est, se luctari cum aqua, ut naufragis evenire consuevit. qui quocumque modo *natare* dicuntur. vid. Epist. XIX. 185. & hoc *respicere* docet, quod est versa cervice videre: quod non opus erat, si supinus nataret, tunc enim recte *adspicere* dominam potuisset. in animo haec Ovidii habuisse videtur Claudianus VI. Cons. Honor. 143.

Et

Cur ego confundor, quoties confunditur aequor?
Cur mihi cauſſa levis, ventus, obeſſe poteſt?
Jam noſtros curvi norunt delphines amores:
Ignotum nec me piſcibus eſſe reor.
Jam patet attritus ſolitarum limes aquarum;
Non aliter, multâ quam via preſſa rotâ,
Quod mihi non eſſet, niſi ſic iterare, querebar:
At nunc per ventos hoc quoque deeſſe queror.
Fluctibus immodicis Athamantidos aequora canent,
Vixque manet portu tuta carina ſuo.
Hoc mare, cum primum de Virgine nomina mersâ,
Quae tenet, eſt nactum, tale fuiſſe puto.
Et ſatis amiſsâ locus hic infamis ab Helle eſt:
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.

Invi-

Et quae venientibus ante
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reverſis.
BURMANNUS.

121. *Hoc quoque ſi credis.*] *Si credas* duo. forte:

Hinc quoque (vix credas) ad te via prona videtur.
Vid. ad Epiſt. IV. 37. HEINSIUS. *Hoc quoque mi credas*, legebat Francius.

123. *Invitus patriam repeto.*] *Repeto patriam*, & *poſſit* ex ſcriptis. HEINSIUS.

124. *Nunc moror.*] *Commoror* Excerpta Douzae. *Cum moror* Bernenſis.

125. *Animo.*] *Animis* multi.

126. *Unaque mens.*] Elegans locutio, ubi compendioſo ſermone defunguntur, pro una mens habet duos; ſed non una tellus habet. vide egregie J. Fr. Gronov. IV. Obſ. 2. BURMANNUS.

130. *Cur mihi cauſſa levis.*] *Tam mihi cauſſa levis* codex Leidenſis.

131. *Noſtros curvi.*] Perpetuum hoc Delphinum Epitheton. Stat. I. Theb. 121.

Ipſe ſuum genetrix curvo Delphine vagantem
Arripuit frenis, gremioque Palaemona preſſit.

Et hinc *pando dorſo* eſſe dicit Senec. Agam. 449.

Tunc qui jacente reciprocus ludit ſalo,
Tumidumque pando tranſilit dorſo mare,
Tyrrhenus omni piſcis exultat freto.

Unde & Heinſius in ora codicis ſui apud Statium lib. II. Silv. II. 120. notavit legendum eſſe:

Emergunt pelago doctamque trahuntur
Ad chelyn, & pandi ſcopulis Delphines aderrant.

Vulgo *blandi* circumfertur. quod an recte conjecerit dubito. BURMANNUS.

134. *Via preſſa rotâ.*] *Trita* Junianus; ut:

Nec magis eſt curvis Appia trita rotis.

HEINSIUS. *Fiſſa* malebat Francius. minus bene.

135. *Quod mihi non eſſet, niſi ſic, iterare querebar.*] *Itera* vetus liber Puteaneus, reliquis ejus verbi literis deletis, & recentiori manu ſuperſcriptum, *re. iter ante* prius fuiſſe ſuſpicor. quomodo codex Moreti. idque verum eſſe exiſtimo. quatuor *intrare*. alter Moreti, *iterata. iter à te* Patavinus. Regius, *ita rare. Quid* (vel *Qui*) *niſi ſic ita rare mihi non eſſe querebar.* Poſſet & legi, *iter ire.* ut Art. Amat. III. 37.

Quaere novem cur una vices iter irit, & audi.

Si ſana illa ſcriptura. vide Notas ad Ep. VII. ỹſ. 40. HEINSIUS. Illud tamen *iterare*, quod in optimis codicibus exſtat, vix auſim rejicere, propter illud Horatii I. Od. 7. *Cras ingens iterabimus aequor.* & I. Od. 34. *Iterare curſus cogor relictos.* ita Noſter VIII. Metam. 172. *Iterata janua.* & alibi hoc verbo utitur. *eſſet iterare*, pro liceret. ut multis Heinſ. ad II. Art. Amat. 28. *Iter ire* eſt in Francofurtenſi, ſed certe hoc corruptum eſt, pro *iterare.* BURMANNUS.

141. *Eſt ſatis amiſſa.*] Scripti, *Et ſatis amiſſa locus hic infamis ab Helle eſt.* vel poſſet legi:

Et ſatis ah! merſa locus hic infamis ab Helle eſt.

HEINSIUS. *At ſatis* in uno Medicêo. ut Ep. XIV. 87. videtur autem reſpicere ad τάφος Ἕλληνος, ut dictus fuit Helleſpontus. vid. Herodot. VII. 58. BURMANNUS.

142. *Utque mihi parcat.*] Lovanienſis unus, *Utque mihi pateat.*

142. *Nomine crimen habet.*] *Crimine nomen* quinque ſcripti cum prima editione, quod magis arridet. ut Epiſt. XVI. 208.

Et qui Myrtoas crimine ſignet aquas.

Sic Amor. I. 3.

Carmine nomen habent, &c.

HEINSIUS.

Invideo Phryxo; quem per freta triſtia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.
Nec tamen officium pecoris navisve requiro:
Dummodo, quas findam corpore, dentur aquae.
Arte egeo nullà: fiat modo copia nandi,
Idem, navigium, navita, vector, ero.
Nec ſequar aut Helicen, aut, quà Tyros utitur, Arcton:
Publica non curat ſidera noſter amor.
Andromedan alius ſpectet, claramve Coronam,
Quaeque micat gelido Parrhaſis Urſa polo.
At mihi, quod Perſeus & cum Jove Liber amarunt,
Indicium dubiae non placet eſſe viae.

Eſt

144. *Vellere.*] Francius malebat, *tergore.* ita Propert. lib. II. Eleg. 20.

Aurea quam molli tergore vexit ovis.

146. *Dummodo quas findam.*] *Dummodo quaſſandae* unus Ambroſianus.

147. *Arte egeo nulla.*] *Pax ſit nulla maris* quatuor libri. totidem, *Parte querar nulla.* nonnulli, *queror.* duo, *Parte moror nulla.* prima editio, *Arce queror nulla.* ſeptem, *Parte egeo nulla.* Noſter II. Pont. 9.

Si pacem nullam pontus mihi praeſtet eunti,
Irrita Neptuno cur ego dona feram?

Infra:

Pace brevi nobis opus eſt, dum transferor illuc.
Epiſtola Herus, 207.

Spes tamen eſt fractis vicinae pacis in undis.
Heinsius. Illud *pace* huc quadrare non videtur, & obſtant ſequentia; cum Leander maxime pacem maris, ut copia nandi fiat, precetur. mihi non diſplicet, *parte querar nulla.* Burmannus.

147. *Fiat modo.*] *Detur modo* Regius, & multi alii cum prima editione. *Detur mihi* alter Regius & Bernenſis.

148. *Idem navigium.*] Similia habes apud Muſaeum v. 255.

Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, ἑαυτόσολος, ἀυτομήτος νηῦς.

148. *Vector.*] *Rector* Prima editio & Bernenſis. *victor* Regius. *idem navigii* unus Regius & Lovanienſis.

149. *Nec ſequar.*] *Sequor* Puteaneus cum multis aliis. idem *Tyros* pro *Tyrus.* Stat. III. Silv. Prot. Metii:

Qua pretioſa Tyros jubeat.

Vid ad Ep. VIII. 31. mox *Andromedan.* ut & tres alii. quomodo variis apud Notarum locis optimi codices. nam *Andromeden* vix dicebant. ſic Art. Am lib. I. 53.

Andromedan Perſeus nigris portarit ab Indis.
Metam. IV. 757.

Protinus Andromedan & tanti praemia facti
Indotata capit.

Sic & apud Horatium lib. III. Od. XXIX. priſca exemplaria, & Ciceronem in Arateis. plura alibi hanc in rem. Heinsius. Ita apud Sueton. Neron. 12. *Paſiphaan* codex Salmaſii. ubi vide Cl. Graevii notas. & in Galb. 2. *Paſiphaam*, ubi itidem lege, *Paſiphaan.* vid. ad VI. Metam. 706. VII. 474. I. Faſt. 307. IV. 174. 477. & alibi. ex quibus videbimus ſyllabam illam in *an*, modo corripi, modo produci. Burmannus.

152. *Quaeque micat gelido Parrhaſis urſa polo.*] Patronymica non tantùm ab hominibus, ſed ab aliis quoque rebus deducuntur, ut *Cypris*, *Calydonis*, *Pegaſis*, *Aſis*, de quibus alibi. Ciofanus.

152. *Parrhaſis*] Sic lib. I. Triſt. Eleg. III.

Verſaque ab axe ſuo Parrhaſis arctos erat.

Ciofanus.

153. *At mihi quod.*] *Quam* quatuor ſcripti. Lege, *quas.* quod confirmavit poſtea alter Mentelii. Heinsius. Nihil muta. millies ita Noſter loquitur. mox, 179.

Pene manu quod amo, (tanta eſt vicinia) tango.
Epiſt. XIX. 179.

Tu quam ſaepe petis quod amas, tam ſaepe relinquis.
Epiſt. XX. 168.

Idque ego jam, quod tu forſan amabis, amo.
Vid. Epiſt. XVII. 108. II. Amor. II. 14. & XVI. 12. XIV. Met. 682. & alibi. Burmannus.

155. *Eſt aliud lumen.*] *Alium* Aldus. *Numen* etiam quidam codices, ut ſupra 86. ſed hic alia ratio eſt. nam *τὸ certius* exigit, ut legatur *lumen*, ut ita *ſidera*, ad quae navigatio inſtituitur, *certa* nautis dicuntur fulgere Horatio & aliis. vid. ad Valer. Flac. I. 18. ubi plura dicemus. Burmannus.

156. *Non erit in tenebris.*] *Non erat in tenebris* Puteaneus. Forte, *Non eat in tenebris. Non errat tenebris* alter Moreti. Heinsius.

157. *Colchos atque ultima Ponti.*] *Et in ultima Ponti* Puteaneus. *& ad ultima* quinque alii. Heins.

158. *Theſ-*

Eſt aliud lumen, multo mihi certius iſtis;
Non erit in tenebris quo duce noſter amor.
Hoc ego dum ſpectem, Colchos, & in ultima Ponti,
Quàque viam fecit Theſſala pinus, eam:
Et juvenem poſſim ſuperare Palaemona nando,
Miraque quem ſubito reddidit herba Deum.
Saepe per adſiduos languent mihi brachia motus,
Vixque per immenſas feſſa trahuntur aquas.
His ego cum dixi, Pretium non vile laborum,
Jam dominae vobis colla tenenda dabo:
Protinus illa valent, atque ad ſua praemia tendunt;
Ut celer Elêo carcere miſſus equus.

Ipſe

158. *Theſſala puppis.*] Puteaneus & alii meliores magno numero, *Theſſala pinus.* bene, Statius Theb. III.

——*Primâ cum pube virentem*
Semideos inter pinus me Theſſala reges
Duceret.

Et lib. V.

Pelias intacti ſubit oſtia ponti
Pinus.

Et mox:

Dat operta fragorem
Pinus.

Idem Achilleide I. 157.

Olim equidem Argolicos pinus cum Theſſala reges
Huc veheret, juvenem Alciden & Theſea vidi.

Seneca Medea, 335.

Bene diſſepti foedera mundi
Traxit in unum Theſſala pinus.

Noſter Epiſtola VI.

Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?
Vertice Peliaco prognata pinus Catullo. Phaedrus IV. 6.

Utinam nec unquam Pelii in nemoris jugo
Pinus bipenni concidiſſet Theſſala.

Quanquam illic τὸ *Theſſala* etiam ad *bipennem* poſſit referri, non ad *pinum* ſolummodo. Lucanus libro VI. 400.

Prima fretum ſcindens Pagaſaeo litore pinus.

Alii tamen Argo fagineam faciunt. Praeſertim Graeci Poëtae. HEINSIUS. Horat. Epod. XVI. 57.

Non huc Argoo contendit remige pinus.

Sed non tam ad materiem, unde Argo fuerit fabricata, reſpicere Poëtas putem, cum *pinum* vocent, quam quod omnes naves *pinus* vocare ſoleant. quamquam & Valer. Flac. I. Arg. 123. *Pineam* fuiſſe indicet. ſolemnis vero vocum *puppis* & *pinus* confuſio. vid. infr. II. Am. XI. 43. & II. Faſt. 101. & alibi BURMANNUS.

160. *Miraque quem ſubito reddidit herba Deum.*] Lego, *ſubitum Deum.* ſic *ſubitum frigus.* lib. I. Faſt. 98. *ſubita fuga.* & V. 104. ex MS. *ſubita lyra.* lib. II. *ſubiti foci.* lib. VI. 532.

Traditur haec ſubitis cocta dediſſe focis.

Epiſt. Briſeïdis:

——*Oſſa ſubito male tecta ſepulcro.*

Subitus libellus in Ibide. *ſubito ſunt ſcripta libello.* Faſt. IV. 242.

Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viro.

Sic ſcribo. vulgo, *viri.* Metam. III. 125. *Subiti fratres.* & lib. XIV. 508.

Si volucrum quae ſit ſubitarum forma requiris.

Ita illic etiam veteres membranae. Triſt. II. 389.

Fecit amor ſubitas volueres cum conjuge Regem.

In mortem Druſi:

Oenidem ſubitae concinuiſtis aves.

In Ibide:

Quam cui ſunt ſubitae frater & uxor aves.

Faſt. III. 723.

Ecce libet ſubitos piſces Tyrrhenaque monſtra
Dicere.

Lib. III. Art. Am.

Quaſque fuiſſe tibi canas à virgine jures,
Spargentur ſubitae per caput omne comae.

Sic & ibi ſcribendum. Virgil. III. 225. *Subitae Harpyiae* ex MS. & lib. XII. 862.

Alitis in parvae ſubitam converſa figuram.

Ita lege, cum *ſubito* ibi vulgo ſit. & lib. II. 680.

Cum ſubitum, dictuque oritur mirabile monſtrum.

Vide Piërium ad lib. V. 17. & VII. 446. & lib. IV. Georg. 488. ubi male mutat Piërius. pluribus in re levi haud eſt opus. HEINSIUS.

161. *Languent mea brachia.*] *Languent mihi* bene liber Leidenſis. HEINSIUS.

165. *Ad ſua praemia.*] *Ad ſua gaudia* Excerpta Douzae & Balliolenſis. *munera* Sarravii.

166. *Ut celer Elaeo carcere miſſus equus.*] Sic lib. III. Eleg.

Hoc mihi contingat, ſacro de carcere miſſis
Inſiſtam forti mente vehendus equis.

Ibidem:

Qua-

Ipſe meos igitur ſervo, quibus uror, amores:
Teque, magis coelo digna puella, ſequor.
Digna quidem coelo, ſed adhuc tellure morare:
Aut dic, ad Superos & mihi quâ ſit iter.
Hic es, & exiguum miſero contingis amanti:
Cumque mea fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non ſeparor aequore, prodeſt?
Num minus hoc nobis tam brevis obſtat aqua?
An malim, dubito, toto procul orbe remotus
Cum domina longe ſpem quoque habere meâ.
Quo propius nunc es, flammâ propiore caleſco:
Et res non ſemper, ſpes mihi ſemper adeſt.
Pene manu, quod amo, (tanta eſt vicinia) tango:
Saepe ſed (heu!) lacrimas hoc mihi pene movet.
Velle quid eſt aliud fugientia prendere poma,
Spemque ſuo refugi fluminis ore ſequi?

Ergo

Quadrijuges aequo carcere miſit equos.

Lib. v. Triſt. Eleg. x.

Utque foret nondum reſerati carceris acer,
Nunc pede, nunc ipſa fronte laceſſit equus.

Lib. x. Metamorphoſ.

—— *Cum carcere pronus uterque*
Emicat.

Virgil. v. Aeneid.

—— *Ruuntque effuſi carcere currus.*

Tibullus lib. i. Eleg. iii.

Quàm jacet, infirmae venere ubi fata ſenectae,
Qui prior Elaeo carcere miſſus equus.

Contrà haec ita ſcriptum reliquit Caper: *Carcer maſculini generis, non niſi ſingulariter dicitur, in quo homines coërcentur: pluraliter verò Carceres, unde currus effunduntur.* Eruditus lector, perpetuone vera haec differentia ſit, judicabit. Ciofanus. *Ut celeri Elaeo* Berſmanni editio, vitioſe.

168. *Teque magis.*] Forte:

Teque mari, coelo digna puella, ſequor.

Heinsius. Perperam: te magis dignam inter ſtellas recipi & Deam fieri, quam Andromeda, Ariadna & aliae.

169. *Tellure morare.*] Ita in Aldinis habetur, itaque legendum potius exiſtimo; ut ſit imperativi modi, quam *morari* infinitivo, aut *moraris* indicativo modo. Nam & ſequens verbum ejusdem modi eſt; cum ait:

Aut dic, ad ſuperos hinc mihi qua ſit iter.

Micyllus. *Moraris* Puteaneus & alii multi. tres, *moreris*: unus *morari*. Heinsius.

170. *Hinc mihi qua ſit iter.*] *Et mihi* Puteaneus cum tribus aliis. bene. lego autem:

Aut duc, ad ſuperos & mihi qua ſit iter.

Ita enim Excerpta Gallicana. vide quae noto ad Faſtos de hac voce *duc*. Heinsius. *Aut hinc ad ſuperos dic mihi qua ſit iter* Excerpta Douzae.

170. *Qua.*] Per quem locum, qua via. Ciofanus.

171. *Hic es.*] Recte ita legit, & interpretatus Vollſcus. Ciofanus.

171. *Hinc eſt quod rarò miſero contingis amanti.*] Sic in quibusdam legitur. Eſtque illatio absque antecedente. cui enim inferas, *Hinc eſt quòd rarò?* an ei quod proximè antecedit, *Aut dic, ad ſuperos, &c.* At interrogationi huic non poteſt, & ulterioribus inconveniens eſt. Lego ergo cum Aldinis: *Hic es, & exiguum miſero contingis amanti.* quod eſt: Non es in coelis, aut tam longè remota, & tamen exiguum contingis: hoc eſt, rarò ac modicè. poſito adjectivo neutri generis pro adverbio. Micyllus. *Et exiguum miſero contingis amanti*, omnino legendum è bonis exemplaribus, & ratione. Id eſt, & perraro eam capimus voluptatem, quam frequentiſſime capere deberemus. Ciofanus. *Hic eſt exigue* Puteaneus, pro *Hic es, & exigue*: ſed *exiguum* rectius. *Hic es, & exiguo* ſex libri. *Exigue* alter Mentelianus. Heinsius. Alii codices aliter. ſed nihil in iis, quod ad bonitatem lectionis vulgatae accedat. niſi legas, *Hic es, at exiguum.* vel, *ſcilicet exiguum.*

174. *Non minus hoc.*] *Num* Puteaneus. Vide Notas Epiſt. xi. ℣. 16. unus Medicêus & fragmentum Farneſianum, *Non minus hoc.* Lego, *Num minus hoc*; & pro *Num* ſequenti verſu, *An* malim

cum

Ergo ego te numquam, nisi cum volet unda, tenebo?
Et me felicem nulla videbit hiems?
Cumque minus firmum nil sit quam ventus & unda,
In ventis & aquà spes mea semper erit?
Aestus adhuc tamen est. quid cum mihi laeserit aequor
Plias, & Arctophylax, Oleniumque pecus!
Aut ego non novi, quam sit temerarius; aut me
In freta non cautum tunc quoque mittet Amor.
Neve putes id me, quod abest, promittere tempus:
Pignora polliciti non tibi tarda dabo.
Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus aequor;
Ire per invitas experiemur aquas.
Aut mihi continget felix audacia salvo:
Aut mors solliciti finis amoris erit.
Optabo tamen, ut partes expellar in illas;
Et teneant portus naufraga membra tuos.

Flebis

cum magna scriptorum parte. HEINSIUS. Francius malebat, *Num minus haec.* ex Epist. seq. vs. 142.

Seducit terras haec brevis unda duas.

Num minus etiam Douza legebat. & codex ejus mox, *An malim.*

176. *Spem quoque habere meam.*] *Domina mea.* Octo codices. HEINSIUS. *A domina* Moreti liber.

177. *Quo propius.*] *Quo propior* Excerpta Douzae, Sarravii, & multi alii.

178. *Et res non semper.*] *Ut res* Lovanienses: Familiaris vero illa agnominatio scriptoribus. Auson. Parent. XI.

Pastor chare nepos, spes cujus certa fuit res.

Et Profes. carm. VI.

O Flos Juvenum
Spes laeta Patris,
Nec certa tuae
Data res Patriae.

Et Idyl. 32. *Prime nepos vel re, vel spe.* vid. ad Quinctil. IX. Inst. Orat. 3. BURMANNUS.

180. *Saepe sed (heu!) lachrymas hoc mihi Penè facit.*] Hoc *Penè*, inquit, facit mihi saepe lachrymas: id est, quòd penè manu nos tangimus, & tamen contingere non possumus. Allusio autem est ad priorem versum, in quo idem adverbium, *penè*, ponitur. MICYLLUS.

182. *Refugi.*] *Profugi* Lovanienses & duo alii. *Reflui* Francof. quae sollemnis est permutatio librariorum. vid. Heins. ad Claud. I. in Rufin. 92. sic & variant codices apud eumdem Bell. Gild. 283. Laud. Ser. 80. Stat. v. Silv. I. 91. Lucan. I. 411. sed *refugi* retinendum: adludit enim ad fabulam Tantali. Claud. II. in Ruf. 509.

Te refugi fallant latices; atque ore natanti
Arescat decepta sitis. BURMANNUS.

186. *In ventis & aqua.*] Francius malebat, *in vento atque unda*, ut esset repetitio sollemnis.

187. *Cum mihi laeserit.*] *Cum modo laeserit* volebat Francius: illud, *mihi laeserit aequor*, mihi suspectum est. forte *cluserit*, pro *clauserit. Clausum aequor* quid sit notum. Florus. III. 6. *Piratae mare bello, quasi tempestate praecluserant.* appositе Manil. I. 365.

Tunc subeunt haedi, claudentes sidere pontum
Nubibus.

Ubi mallem legere, *claudentia sidera pontum.* vide mox 209. & Epist. seq. 140. BURMANNUS.

189. *Aut ego non novi, quam sim temerarius.*] *Quam sit* cum Scriverianо & uno Farnesii legendum. de Amore sermo est. Amor. lib. I. El. II. ad Cupidinem:

Tum quoque non paucos, si te bene novimus, ures.

Sequenti etiam versu, *non cautum* tres libri. bene. HEINSIUS. Legerem etiam, *non cautum tunc*, vel quia in Juniano est, *captus jam*, *non cautum jam.* infr. 210.

Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.

In Moreti erat, *In freta non cautum turbida mittet amor.* eleganter. BURMANNUS.

195. *Continget.*] *Contigerit* alter Moreti. HEINS.

197. *Optabo tamen, ut partes.*] *Et tamen optabo ut partes*, unus Patavinus. rectе, si τὸ *ut* tollatur. Tres alii, *Optabo tantum partes expellar in illas.* Vel lege, *Sed tamen optabo, partes expellar in illas.* HEINSIUS. Douza faciebat, *in istas*, ubi tu es, ad quas natare constitui.

Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus:
Et, Mortis, dices, huic ego cauſſa fui.
Scilicet interitûs offenderis omine noſtri:
Literaque inviſa eſt hac mea parte tibi.
Deſino; parce queri. ſed & ut mare finiat iram,
Accedant, quaeſo, fac tua vota meis.
Pace brevi nobis opus eſt; dum transferor iſtò:
Cum tua contigero litora, perſtet hiems.
Illic eſt aptum noſtrae navale carinae:
Et melius nullà ſtat mea puppis aquâ.
Illic me claudat Boreas; ubi dulce morari;
Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.
Nec faciam ſurdis convicia fluctibus ulla:
Triſte nataturo nec querar eſſe fretum.

Me

199. *Tactuque.*] Francius conjiciebat *jactuque*, ſcil. arenae, qua cadavera ejecta tegere ſolebant ſed ita *jactu* abſolute ponere durum eſt & inſolens.

200. *Mortis.*] *Morti* Moreti, quod mollius ob ſequens *dices*. vid. II. Amor. VI. 31. & I. Pont. II. 17.

203. *Deſine parte queri.*] Prima editio & tres ſcripti. *Deſine, parce queri.* Puteaneus, *deſino parce.* Scribe, *Deſino, parce queri.* quod & nobiliſſimo Douzae in mentem venerat. Tibul. lib. II. El. ult.

Deſino, ne Dominae luctus renoventur acerbi.

Val. Flac. lib. VII. 225.

Cetera parce queri.

Deinde, *ſed & ut mare finiat* cum eodem Puteaneo & decem aliis repone: alter Mentelianus, *Sed & ut mare deſinat iram.* de quo Artis Amat. lib. II. ℣ſ. 725. Heinsius. *Sed quod* Moreti & unus Heinſii. forte, *Sed quo mare finiat iram.* ita & Epiſt. XX. 23. vulgo:

Fraus mea quid petiit, niſi uti tibi jungerer uni.

Sed editiones primae & ſcripti, *quod*, & Berſmanni, *niſi quo*, quod rectum, & probat Heinſius. vide ibi, & alibi. *ſed ut hoc* Edit. prima & nonnulli codices. *ſed ut hanc* Bernenſis unus. Burmannus.

205. *Dum transferor iſtuc.*] In quibusdam, dum *transfretor iſtuc.* mihi *transferor* magis placet. Naugerius. *Iſthac* tres. totidem, *illuc.* Sed *iſto* Puteaneus. bene. ſic Triſt. lib. V. El. I.

Cur ſcribam docui. cur mittam, quaeritis, iſto.

Ita ſcribendum. vulgati, *iſtos*, nempe verſus. lib. VII. Metam. 779.

Collis apex medii ſubjectis imminet arvis,
Tollor eo; capioque novi ſpectacula curſus.

Ita vetuſtiſſimi libri. vulgati, *Tollor in hunc.* Heins. *Transfretor* ne recipiam facit auctoritas Aul. Gellii. lib. X. 26. qui *transfretaſſe* dixiſſe veteres docuit. deberet ergo hic *transfreto* dixiſſe. Plin. Paneg. LXXXI. *Nunc cum violentiſſimo quoque ſodalium certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque transfretare obſtantia freta.* Tertullianus de Poenit. I. metaphorice utitur: *Itaque converſam vitae converſationem ſine gubernaculo rationis transfretantes, imminentem ſeculo procellam vitare non norunt.* ſed ſeculo Ovidii non admodum uſitatum verbum hoc exiſtimo. *Iſto* vero probamus, nam & Francofurtenſis habet. ita & *illo* Ulpianus lib. 23. §. 3. ff. ad leg. Jul. de Adult. *Si pater alibi habitet, habeat autem & aliam domum, in qua non habitet, deprehenſam illo filiam, ubi non habitat, occidere non poterit.* & ita *hoc* pro *huc* veteres dixiſſe notavimus, ad Petron. cap. XXXIX. Burmannus.

206. *Perſtet.*] In uno Heinſiano erat, *perflet.* ſed nihil temere mutem. Epiſt. XVI. 25.

Perſtet, & ut pelagi ſic pectoris adjuvet aeſtum.

Perflare aliam habet ſignificationem, ut in illo Virgilii I. Aeneid. 813.

——*Et terras turbine perflant.*

Et apud Noſtrum Remed. 369.

— *Perflant altiſſima venti.*

Burmannus.

207. *Illic eſt.*] *Iſtic* Puteaneus, ut & alii multi. quomodo iidem mox denuo. Heinsius.

208. *Stat mea puppis aqua.*] Et his verbis obſcaenum ſenſum ſubeſſe putabat Douza, injurius certe Poëtae noſtro. vid. ad Ep. II. 87. & V. 16. Burmannus.

211. *Fluctibus.*] Novi multos eſſe Poëtas in illa locutione, *ſurdior mari*, vel *freto*, ſed hic bis idem diceret, ſi vera eſt lectio, *fluctibus. triſte* enim *fretum* eſt idem, ac fluctibus agitatum & tumidum. quare mallem hic, *flatibus* legere, quibus jam ſequentia optime reſpondent: *Me pariter venti teneant.* vid. ad VII. Met. 532. Burmannus.

213. *Me*

Me pariter venti teneant, pariterque lacerti;
Per cauſſas iſtic impediarque duas.
Cum patietur hiems, remis ego corporis utar.
Lumen in adſpectu tu modo ſemper habe.
Interea pro me pernoctet epiſtola tecum;
Quam, precor, ut minimâ proſequar ipſe morâ.

213. *Me pariter venti teneant, tenerique lacerti.*] Quatuor libri, *pariterque lacerti.* Forte, *teneantque lacerti.* vide Notas Epiſtola VI. ỳſ. 29. HEINS.

214. *Impediarque.*] *Detinearque* unus Lovanienſis.

216. *In adſpectu.*] *In adſpectum* Scriverianus; quod verum puto. vid. ad Epiſt. II. 144. BURMAN.

218. *Perſequar ipſe mora.*] *Proſequar* Puteaneus & alii ex melioribus. vid. ad Epiſt. XVII. 245. HEINSIUS. Francius malebat, *ſubſequar.*

EPISTOLA XIX.

HERO LEANDRO.

QUam mihi miſiſti verbis, Leandre, ſalutem,
Ut poſſim miſſam rebus habere; veni.
Longa mora eſt nobis omnis, quae gaudia differt.
Da veniam faſſae; non patienter amo.
Urimur igne pari: ſed ſum tibi viribus impar.
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.
Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.
Deficiam; parvi temporis adde moram.
Vos, modo venando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in variâ tempora longa morâ.
Aut fora vos retinent, aut unctae dona palaeſtrae:
Flectitis aut freno colla ſequacis equi.

Nunc

1. *Leandre.*] Tu vide, ne, ubi producitur prima ſyllaba, Graecorum more, *Leiandre* ſit ſcribendum. EGNATIUS.

7. *Ut corpus teneris.*] *Ut corpus tenerum, ſic mens infirma puellis*, duo libri.

7. *Sic mens.*] *Ita mens* Puteaneus, & ex melioribus alii nonnulli. ſequenti verſu, *deficiar* puto legendum, pro *deficiam.* vide notas ad Epiſt. V. ỳſ. 150. HEINSIUS. Ego *deficiam* non muto, nam quibus animus & vires cadunt, *deficere* eleganter dici oſtendi ad Quinctilian. Declam. CCCXXXIX. BURMANNUS.

10. *In varia.*] *In varias moras* unus Heinſii.

11. *Aut fora vos retinent, aut unctae dona palaeſtrae.*] E Romanorum conſuetudine dictum eſt, qui cauſſis agendis in foro ſe exercebant, & palaeſtra ludebant. Martialis lib. IV. Epigram. 8. quo aliquot illorum mores proſecutus eſt:

Prima ſalutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palaeſtris,
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum;
Temperat ambroſias cum tua cura dapes.

CIOFANUS.

11. *Aut unctae dona palaeſtrae.*] Τὸ *dona* non ſatisfacit. quod ex officina interpolatorum cenſeo prodiiſſe: cum in exemplaribus eſſet, *unctae palaeſtrae*, omiſſa videlicet unica voce, quam cognatio literarum τοῦ *unctae* abſorpſerat, cujuſmodi mendas propemodum infinitas, cum in Naſone, tum in aliis ſcriptoribus deprehendimus. videtur ergo a Naſonis manu fuiſſe:

— *Aut unctae lucta palaeſtrae.* HEINSIUS.

Nunc volucrem laqueo, nunc piſcem ducitis hamo.
Diluitur poſito ſerior hora mero.
His mihi ſubmotae, vel ſi minus acriter urar,
Quod faciam, ſupereſt, praeter amare, nihil.
Quod ſupereſt, facio: teque, ô mea ſola voluptas,
Plus quoque, quam reddi quod mihi poſſit, amo.
Aut ego cum cara de te nutrice ſuſurro;
Quaeque tuum, miror, cauſſa moretur iter:
Aut mare proſpiciens, odioſo concita vento
Corripio verbis aequora pene tuis:
Aut ubi ſaevitiae paullum gravis unda remiſit:
Poſſe quidem, ſed te nolle venire, queror:
Dumque queror, lacrimae per amantia lumina manant,
Pollice quas tremulo conſcia ſiccat anus.

Saepe

12. *Fugacis equi.*] In laudem ponitur, id eſt, celeris, velocis. Sic Horat. Ode 1. lib. II. carm.

Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

Vide quae etiam notavi in Obſervat. in Metamorph. CIOFANUS. *Sequacis equi* Puteaneus & alii non pauci. dictum ad Epiſt. IV. ỳſ. 46. HEINSIUS.

14. *Diluitur poſito ſerior hora mero.*] Hoc carmen eam, quam modò expoſui, opinionem confirmat: cùm hoc quoque è Romanorum more perſpicuè dicatur, qui octava noctis hora (idque Martialis, quae ſupra poſui, carmina apertè declarant) coenabant. Hinc igitur à Poëta noſtro *hora ſerior* appellatur. CIOFANUS.

15. *His mihi ſubmotis*] *Submotae* Putean. & Arg. rectè, niſi malis, *ſemotae*. HEINSIUS.

17. *Mea ſola voluptas.*] Prima editio & tres ſcripti, *mi ſola*. ἀρχαικῶς. pro *mea*. aut pro *mihi*, ut ſit Graeciſmus. Sic apud Tragicos, ὦ τέκνον μοι, ὦ γύναι μοι. & ſimilia. Tibullus lib. I. El. VI.

Vive diu, mi dulcis anus. proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos conteruiſſe velim.

Sic ſcribe. inepte vulgo, *contribuiſſe*. Idem lib. I. Eleg. IV.

Aut operi inſuetas atteruiſſe manus.

Apulejus Metam. VIII. *Manum cujuſdam faetore ſordentem, qui gingivas identidem meas putidis ſcalpebat digitis, mordicus arreptam paeniſſime conterui.* ita enim lego, cum in duobis pervetuſtis codicibus *congerui* legatur; vulgo *contrivi*, ſed haec in tranſitu. apud Apulejum puella, a latronibus capta, ad anum verba faciens, *Parce, mi parens, & duriſſimo caſui meo paullulum ſubſiſte.* & poſt anus ad Puellam, *Bono animo eſto, mi herilis, nec vanis ſomniorum figmentis terrere.* & lib. V. *Mi ſoror*, & lib. VII. umbra Leopolemi, *Mi conjux*, & lib. IX. anus ad paſtoris uxorem, *De iſto quidem, mi herilis, tecum ipſa videris.* HEINSIUS. Illud *mi ſola* non placet, & Apulejo convenire magis rancidam antiquitatem credo, quam Ovidio, neque Tibullo decoram credidit Broukhuſius ad laudata ejus Poëtae verba. vide & Pincier. Parerg. lib. II. cap. 2. BURMANNUS.

18. *Plus quoque quam credi.*] *Quam reddi* Puteaneus & Baſileenſis. venuſte. ſic lib. I. Artis Amatoriae. 370.

Ut puto non poteris ipſa referre vicem.

Hoc eſt, non poteris paria facere amando. Amor. lib. I. Eleg. VI.

Redde vicem meritis.

Et Epiſt. XII. 194. *Auxiliumque refer.* HEINSIUS. Rectum illud *reddi*. vide quae nos ad Petron. cap. LVIII. adnotavimus. BURMANNUS.

19. *Cum cara.*] Francius mallet, *cana*. ut mox 26. *Anus* dicitur. & ỳſ. 46. *Movens anile caput.*

21. *Aut mare.*] *Aut freta* Douzae excerpta, & novem codices.

22. *Aequora pene tuis.*] Male alii, *ſaepe meis*. Reſpicit enim ad expoſtulationem Leandri, quam ſupra vidimus. niſi *aequora ſaeva* placet reponi. HEINS. *Nempe meis* Bernenſis. *ſaeva* etiam Francius conjecerat. & hoc probum puto, ob repetitionem *ſaevitiae*, ſeq. vers. ſic apud Horatium II. Od. X. 9. *ſaevius*, pro *ſaepius* reponendum docuimus ad Ep. XIV. 39. BURMANNUS.

23. *Saevitiae paullum.*] Poteſt capi ut apud Terent. And. V. 3. *Paullulum ſupplicii.* In editionibus antiquis Venetis & Berſmanni, & quatuordecim ſcriptis reperi *ſaevitiam*. *Saevitiem* etiam in Moreti & quinque aliis. ut dictum eſſet, quomodo *parum fidem habere*, apud Plautum & Terentium, de quo vide Gruter. ad Menaech. Prolog.

16.

Saepe tui, ſpecto, ſi ſint in litore paſſus:
Impoſitas tamquam ſervet arena notas.
Utque rogem de te, & ſcribam tibi, ſi quis Abydo
Venerit, aut, quaero, ſi quis Abydon eat.
Quid referam, quoties dem veſtibus oſcula, quas tu
Helleſpontiacâ ponis iturus aquâ?
Sic ubi lux acta eſt, & noctis amicior hora
Exhibuit pulſo ſidera clara die;
Protinus in ſummâ vigilantia lumina turre
Ponimus, adſuetae ſigna notamque viae.
Tortaque verſato ducentes ſtamina fuſo,
Femineâ tardas fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quaeris?
Nil, niſi Leandri nomen, in ore meo eſt.

Jamne

16. & ita, *ſatis fortunam*, de quo ad lib. III. Met. 149. BURMANNUS.

26. *Conſcia ſiccat anus.*] Hafnienſis & Lovanienſis, *Cretica*; cum Gloſſa, *id eſt de Creta.* Sed legendum puto, *Trecia.* ſic lib. II. Art. Amat. pro *Mars Trecen occupat*, male *Creten* ſcribebatur ante. apud Horatium lib. III. Od. IX. quae in vulgatis codicibus, *Chloë Creſſa* eſt, hanc vetuſta exemplaria *Threſſam* faciunt. apud Maronem, pro *Creſſa genus Phoebe*, Scholiaſtes Horatii antiquus agnoſcit *Threſſam.* Amor. lib. I. Eleg. XIV. *Trecia Bacche.* quomodo optimus codex. vulgati *Tracia.* & lib. IV. Triſt. Eleg. I. 21. *Treicia tela* ex fide codicum ſcriptorum. ubi adi notata. Metam. VI. 455. ex veſtigiis veterum librorum:

Non ſecus exarſit conſpecta virgine Threcus.

Sic infra hac Epiſtola v. 100.

——— *Et impar*
Dicar Abydeno Threſſa puella thoro.

Ut & illic eſſe ſcribendum mox videbimus. *Threcis Boreae* in Diris Catonis verterrimus codex Petavianus. à Thracia aut Thrace, *Thrax* & *Thracus*, & *Threcus*, & *Thracius*, & *Threcius*, & addito *i*, *Threicius.* vide Stephanum, qui valde truncatus eſt, in Θράκη. *Conſcia nutrix.* Remed. Am. 637. HEINSIUS.

27. *Si ſint.*] *Quaſi ſint* unus Moreti.

29. *Utque rogem de te & ſcribam tibi.*] Verſus paulo durior. Libri ſex τὸ & non agnoſcunt. unus Ambroſianus, *ut ſcribam.* Puto legendum hoc modo totum diſtichon:

Utque rogem de te quaeramque, huc ſi quis Abydo
Venerit: aut ſcribam, ſi quis Abydon eat.

Deinde ſequens diſtichon huic eſt praeponendum. Epiſtola Penelopes ſimilia ecce:

Quiſquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.
Quamque tibi reddat, ſi te modo viderit uſquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.

HEINSIUS. Nihil puto movendum. ſed ſenſus & ordo ita conſtituendus; ut rogem de te, & ſcribam tibi, quaero, *ſi* (id eſt *an*) quis Abydo venerit, aut ſi quis Abydon eat. illud *aut* male cum *quaero* conjunctum confudit ſenſum. BURMANNUS.

31. *Quoties do veſtibus oſcula.*] *De veſtibus* Puteaneus. Lege *dem.* atque ita ſex ſcripti. ſic apud Valer. Flaccum ſimili errore legitur, *Deſinite amplexus*, cum reponendum ſit, *Dem ſinite.* lib. IV. ỳſ. 634. Faſt. IV. 239.

Voxque fuit, Merui: meritas do ſanguine poenas.

Veteres libri nonnulli, *de ſanguine.* Quod eſt *dem.* HEINSIUS.

32. *Helleſpontiaca.*] Farneſianus & Oxonienſis a manu prima, *Helleſpontiacas aquas.* vide notas Epiſt. VII. ỳſ. 140. & I. Faſt. 122. BURMANNUS.

33. *Sic ubi lux acta eſt.*] *Facta eſt* Puteaneus & novem alii. nil muto. Iidem mox, *pulſo die.* HEINSIUS. Epiſt. XII. 58.

Acta eſt per lacrymas nox mihi, quanta fuit.

Et mox, ỳſ. 56. ſed & hic poſſet *tracta* legi. BURMANNUS.

35. *In ſumma turre.*] *In ſummo tecto* Puteaneus & Moreti codex. HEINSIUS. Non probo. *Turris* enim etiam in praecedenti Epiſtola meminit.

36. *Signa notamque.*] *Signa notanda* Leidenſis. ſimilis diverſitas III. Faſt. 650.

Apparent ſigna notaeque pedum.

Ubi *ſigna notata* Heinſius mavult cum undecim ſcriptis. editio prima habet, *ſignaque nota.* Lincol. *notaque ſigna.* duae editiones Venetae & margo Micylli & Berſman, *ſignaque notaſque.* BURMANNUS.

Jamne putes exiſſe domo mea gaudia, nutrix?
An vigilant omnes? & timet ille ſuos?
Jamne ſuas humeris illum deponere veſtes;
Pallade jam pingui tinguere membra putes?
Adnuit illa ferè: non noſtra quod oſcula curet;
Sed movet obrepens ſomnus anile caput.
Poſtque morae minimum, Jam certe navigat, inquam;
Lentaque dimotis brachia jactat aquis.
Paucaque cum tactâ perfeci ſtamina telâ,
An medio poſſis, quaerimus, eſſe freto.
Et modo proſpicimus: timidâ modo voce precamur,
Ut tibi det faciles utilis aura vias.
Auribus interdum voces captamus, & omnem
Adventûs ſtrepitum credimus eſſe tui.
Sic ubi deceptae pars eſt mihi maxima noctis
Acta; ſubit furtim lumina feſſa ſopor.
Forſitan invitus, mecum tamen, improbe, dormis:
Et, quamquam non vis ipſe venire, venis.

Nam

41. *Jamne putas.*] *Putes* complures ſcripti. ut & tribus ab hinc verſibus:

Pallade jam pingui tingere membra putes.

Ubi, vel contra codicum fidem, *fingere* reponendum contendo. Sic in Catalectis Pithoei Avienus Epigrammate, quod Martiali ab aliis tribuitur, & in ejus eſt vetuſtis exemplaribus. lib. IV. Ep. 90.

Tunc oleo corpus fingo mollique palaeſtra.

Quomodo meliores ſcripti, non *corpuſque frico.* atque ita apud Martialem quoque libro I. Epigr. LXXIX. ſcribendum videtur:

Fingit cutem Charinus, & tamen pallet.

Tertullianus de Pallio cap. IV. *Adhuc ſuſtinet, ſtolam fundere, comam ſtruere, cutem fingere, ſpeculum conſulere, collum demulcere.* Plura de hoc verbo Epiſt. XX. ℣. 134. dicentur. HEINSIUS. Non puto hic locum poſſe habere *fingere*, ut alibi. & tamen offendit ille ſoni ejusdem iteratio, *pingui tinguere.* quare ego mallem, *Ungere jam pingui pallade membra putes.* nam in antiquis omnibus editis eſt, *Tingere jam pingui pallade membra putes*, voces autem *tinguere* & *unguere*, ubique fere commutatae a librariis. vid. I. Amor. XIV. 2. & I. Art. 288. *Tangere* erat in uno Moreti, & excerptis Douzae: etiam elegantèr: nam *oleo tangere* Catonem & Varronem dixiſſe docuit Scriver. ad Martial. lib. VI. Epigr. 74. vide & ipſum Heinſium ad lib. IV. Faſt. 740. & Art. I. 662. & Caſaubon. & Claver. ad Perſ. Sat. III. 44. ubi eadem varietas erat. & Turneb. XV. adv. 17. BURMANNUS.

42. *Timet ille ſuos.*] In quibusdam, *patrem*, non *ſuos* legitur: utrumque recte. NAUGERIUS.

45. *Annuit illa fore.*] In quibusdam, *Annuit illa ferè.* & fortaſſe recte. NAUGERIUS. *Ferè*, pro plerumque, &, ferè ſemper, poſuit. Sic & Cicero: *Pater meus hic ferè agit aetatem in literis.* Videtur autem haec particula ellipticôs poni in hac ſignificatione, pro, *ferè ſemper*, *ferè omnes*, *&c.* MICYLLUS. Vid. Epiſt. praeced. v. 59.

46. *Obrepens.*] *Obrepans* Ambroſ. forte, *obreptans.* HEINSIUS. *Obſerpens* volebat Douza.

47. *Morae minimum.*] *Nimium* Puteaneus & alii plurimi codices. & Berſmanni editio, quod accommodatius non patienter amanti. notandum vero *navigat* hic dici, pro natat. vid. infr. vers. 155. BURMANNUS.

49. *Paucaque cum tacta perfeci ſtamina terra.*] Quid *tacta terra* hic ſibi velit, non ſatis aſſequor. Jureti Excerpta, unus Ambroſianus & Gottorphianus, *tela.* egregie. Sed & *tracta*, pro *tacta* videtur reponendum. hinc & *tractum* neutro, & *tracta* foeminino genere, voces ſubſtantivae, de quibus Scaliger ad lib. I. Eleg. VII. Tibulli. *vos lanam trahitis*, apud Juvenalem Sat. II. 54. *Trahere telam*, ut *trahere lanam*, & *trahere penſa.* poſſet & *facta tela.* ut *facere ſtamen* Juvenal. Sat. II. ℣. 57. & *facere penſa* Propert. IV. 9. ſic *facere telam* pro *lanam facere*, unde *lanificium* Met. VI. 31.

——*Tibi fama petatur*
Inter mortales faciendae maxima telae:

Ita ſcribunt meliores libri. non *lanae*, quod eſt in vulgatis. HEINSIUS. Ego *tacta* retinui, id eſt, leviter, negligenter tacta, quia mens, alibi occupata, non attendebat lanificio. inepte exponunt, *tacta terra*,

Nam modo te videor prope me ſpectare natantem:
Brachia nunc humeris humida ferre meis.
Nunc dare, quae ſoleo, madidis velamina membris:
Pectora nunc juncto veſtra fovere ſinu.
Multaque praeterea, linguae reticenda modeſtae;
Quae feciſſe juvat, facta referre pudet.
Me miſeram! brevis eſt haec, & non vera voluptas:
Nam tu cum ſomno ſemper abire ſoles.
Firmius ô cupidi tandem coëamus amantes:
Nec careant verâ gaudia noſtra fide.
Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
Cur toties à me, lente natator, abes?
Eſt mare (confiteor) nondum tractabile nanti:
Nocte ſed heſternâ lenior aura fuit.
Cur ea praeterita eſt? cur non ventura timebas?
Tam bona cur periit, nec tibi rapta, via eſt?
Protinus ut ſimilis detur tibi copia curſûs;
Hoc melior certè, quo prior, illa fuit.

At

terra, fila producendo, ut terram tangant, quod ſequitur Criſpinus, ſcrinia compilans aliorum. BURM.

53. *Interdum.*] *Incertas voces* Puteaneus; ut Deïanira Ep. IX. ỳſ. 41.

Aucupor infelix incertae murmura famae.
HEINSIUS.

55. *Sic ubi.*] *Ergo ubi* Douzae excerpta.

58. *Et quamvis.*] *Quanquam* idem cum aliis octo. HEINSIUS.

59. *Prope jam.*] Tres libri, *prope me.* alii duo, *te.* ſed *prope me* praeſtat: ſic ex MSS. IV. Triſt. III. 41.

Spiritus hic prope te patrias exiſſet in auras.
HEINSIUS.

60. *Humida.*] *Uvida* mallet Francius.

62. *Pectora nunc juncto noſtra fovere ſinu.*] *Veſtra* malim cum Scriveriano & Juniano. HEINSIUS. *Noto veſtra* Excerpta Douzae. *nunc madido* Moreti, *veſtra* recepi. nam frigida & humentia Leandri pectora fovere videbatur Hero.

63. *Lingua reticenda modeſta.*] *Modeſte* Puteaneus & Mentelianus. *linguae modeſtae* duo alii. quod verum eſt. HEINSIUS Poſſet etiam, *multaque praetereo linguae reticenda modeſtae.*

65. *Me miſeram.*] Diſtichon hoc ſuſpectum eſt: legerem etiam:

Me miſerum brevis haec, & non ſincera voluptas!
Ut lib. VIII. Metam. 455.

Uſque adeo nulla eſt ſincera voluptas.
HEINSIUS. Probae notae diſtichon. & *vera voluptas*, opponitur iſti vanae & imaginariae, quae in ſomnis capi videtur, ita I. Pont. II. 53.

Sic ubi percepta eſt brevis & non vera voluptas.
Petronius cap. CXXVIII. *Interrogare animum meum coepi, an vera voluptate fraudatus eſſem.* Et hoc eſt quod mox addit, *Firmius ô cupidi tandem coëamus*, non ut in ſomnis videmur coire, ſed ut Petronius vocat, *robuſtam voluptatem* quaeramus. & ita cape, *nec careant vera fide*, (ut Petronius cap. XI. *Oſculis bona fide exactis*) pro fruamur votis ad invidiam felicibus. ubi vide quae notavimus. BURMANNUS.

68. *Ne careant.*] In quibusdam, *nec careant*, utrumque recte. NAUGERIUS.

69. *Viduas noctes.*] Non expertas concubitum. ſic quoque dicitur mulier *vidua*, quae cum viro diu rem non habuit. Seneca de Clytemneſtra in Agamemnone:

Decem per annos vidua reſpiciam virum?
Hinc etiam facilè intelligetur, cur lectus *viduus* dicatur. CIOFANUS.

70. *Lente natator.*] *Morator*, vel *natator* Puteaneus. Moreti codex, *viator. toties abes*, ut apud Propertium, IV. III. 2.

Cum toties abſis, ſi potes eſſe meus. HEINSIUS.

71. *Tractabile.*] *Tranabile* Lovanienſis. ſed *non tractabile coelum* Virgil. IV. Aeneid. 53. *Penetrabile* Baſileenſis: etiam non invenuſte ita *penetrabile tempus* Claud. Bell. Get. 278. BURMANNUS.

72. *Lenior aura.*] *Mollior* duo libri. vid. ad Epiſt. III. ỳſ. 42. & Faſt. II. ỳſ. 148. mox *praeteriit* quatuor ſcripti. HEINSIUS.

74. *Nec tibi capta via eſt.*] *Rapta* Puteaneus & undecim alii cum prima editione. Optime, Seneca Agamemnone 154.

Rapien-

At cito mutata eſt jactati forma profundi:
Tempore, cum properas, ſaepe minore venis.
Hic, puto, deprenſus nil, quod quereris, haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.
Certe ego tum ventos audirem lenta tonantes,
Et numquam placidas eſſe precarer aquas.
Quid tamen evenit, cur ſis metuentior undae?
Contemtumque prius, nunc vereare, fretum?
Nam memini, cum te ſaevum veniente minaxque
Non minus, aut multo non minus, aequor erat.

Cum

Rapienda rebus in malis praeceps via eſt.
Statius Theb. I. 101.
Arripit extemplo Malea de valle reſurgens
Notum iter ad Thebas.
Et lib. V. 3.
Campum ſonipes rapit.
Claud. II. Eutr. 406.
Iter irremeabile arripit.
Valer. Flaccus lib. II. 569.
—— *Ad Scythici Tirynthius oſtia ponti*
Raptat iter.
Rapere tempus Lucano & Silio, de quibus vide Rittershuſium notis in Gunther. pag. 29. *Rapere fortunam* Statio Theb. V. 131. apud Perſ. Sat. V.
Nihil obſtat, quin trabe vaſta
Aegaeum rapias.
Rapere fugam Valer. Flacc. lib. V. 272. ſic *dona praeſentis rape laetus horae* Horatio lib. III. Od. VIII. ex veteri codice. & *rapere occaſionem* eidem Epod. XIII. & Juven. Sat. V. & *limis oculis aliquid rapere* pro raptim legere, idem Horatius Sat. V. lib. II. & *rapere Venerem* lib. I. Sat. III. ſic *rapere conſilia* pro feſtinanter capere, Capitolino in Maximo & Balbino. Virgil. Aeneid. X. 372.
Ferro rapienda per hoſtes
Eſt via.
Ita illic inveni in vetuſto codice, non *rumpenda*. Silius libro IX. 33.
Dux ſibi quiſque viam rapito, cum ſpargere primis
Incipiet radiis Gargana cacumina Titan.
Ita recte optimus codex. idem lib. VIII.
Huc rapies, Germana, viam tutosque receptus.
Et lib. III. 182.
Donec iter liquidum volucri rapiente carina
Conſumpſit viſus pontus, telluſque receſſit.
Ubi perperam nunc legitur, *telluſ pontusque receſſit.* lib. IV. *Raptum per Celtas iter.* lib. XII. 471.
Per corpora fuſa jacentum
Raptum iter eſt.
Lucan. lib. IV. 151.
Paretur, rapuitque ruens in proelia miles
Quod fugiens timuiſſet iter.
Lib. VI. 121.
Et raptum furto ſoceri ceſſantibus armis
Dedignatur iter.
Sic *rapere arva* apud Stat. Theb. XII. 210. & ita Graeci ſuo ἁρπάζειν utuntur. *Corripere viam* & *iter* eſt magis obvium, & *arripere*. ſic quoque *rapere veſtes* pro feſtinanter parare eidem Val. Flacco lib. III. 340.
Dat pictas auro atque ardentes murice veſtes,
Quas rapuit telae feſtina, vocantibus Auſtris,
Hypſipyle: galeam dilectaque cingula Regi
Injicit.
Ita repono. nam Carionis liber, *telis feſtina.* vulgati *telis formoſa.* priſcae editiones *furtiva*, vel *fortuna.* Virgiliana illa aemulatus eſt ex libro VIII. 487. apud quem Euryali mater:
—— *Non vulnera lavi*
Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina diesque
Urgebam.
Feſtina telae, ut *feſtinus voti pater* apud Statium Theb. VI. 75. & contra *tardus fugae*, de cervo apud ipſum Valerium III. 597. & in Halieut. *ſaepia tarda fugae.* Plura de iſto loquendi modo ad lib. VII. Metam. v. 436. perperam etiam, *dilectaque regni cingula* in Valerio legebatur. Heinsius.

75. *Copia cursûs.*] Navigandi facultas. Ciofan. *Nandi* liber Leidenſis & Excerpta Douzae. ex Epiſt. praeced. ℣. 147. Heinsius.

76. *Hoc melior certè, quo prior illa fuit.*] *Fuit*, pro *fuerit* dixit. Eſtque ſenſus: Si detur tibi copia ſimilis curſus, hoc eſt, ſimilis facultas natandi, eo quo prior ſive citior fuerit, eo melior eadem fuerit. Micyllus.

77. *Mutata eſt.*] Non negligendum quod in Leidenſi codice erat, *mutarit.* Solebant enim hac forma uti veteres hoc verbo, ut Liv. III. 10. *Ut nihil oder mutaret.* vid. Giſan. Indice Lucretiano. ſic apud Phaedrum lib. IV. Fab. 16. quidam legunt, *ſubito mutat ut dies.* ideoque & hic mallem legere, *mutavit.* Burmannus.

81. *Ventos audirem laeta ſonantes.*] Puteaneus & Leidenſis, *lenta.* recte. vide Notas Epiſt. XV. ℣. 169.

Cum tibi clamabam, Sic tu temerarius eſto,
Ne miſerae virtus ſit tua flenda mihi.
Unde novus timor hic? quoque illa audacia fugit?
Magnus ubi eſt ſpretis ille natator aquis?
Sis tamen hoc potius, quam quod prius eſſe ſolebas:
Et facias placidum per mare tutus iter.
Dum modo ſis idem: dum ſic, ut ſcribis, amemur:
Flammaque non fiat frigidus illa cinis.
Non ego tam ventos timeo, mea vota morantes,
Quam, ſimilis vento ne tuus erret amor:

Ne

169. Amor. lib. III. Eleg. XI. ut & illic ex veteri libro ſcribendum:

Jam mea votivâ puppis redimita coronâ,
Lenta tumeſcentes aequoris audit aquas.

Lenta appoſite; quia deſierat amare. Silius VII. de Paride 437.

Phrygia cum ſedit in Ida
Audivitque ſacrae lentus certamina formae.

Elegia in Mortem Druſi, (ut quidem & illic legendum)

Conſiſtam, lentiſque oculis, laetuſque videbo
Strata per obſcaenas corpora nuda vias.

Nam *laetuſque oculis* plane ineptum eſt; & ita *lenta* pro *laeta* ex MS. Bodlejano reſtitui apud Prudent. Pſychom. 234. Triſt. lib. II. 514. loco itidem emendando:

Luminibuſque tuis, totus quibus utitur orbis,
Scenica ſpectaſti lentus adulteria.

Lib. III. Art. Amat. 451.

Has, Venus, è templis multo radiantibus auro
Lenta vides lites, Appiadeſque tuae.

Sic optimus liber Regius. Propertius lib. II. Eleg. XXXIII.

Lenta bibis. mediae nequeunt te frangere noctes.

Et Elegia XIV.

Nec mihi ploranti lenta ſedere poteſt.

Seneca Troad. 696.

Cum dimicantes lenta proſpiceres viros
Incerta voti.

Martial. lib. II. 46.

Tu ſpectas hyemem ſuccincti lentus amici.

Notum illud:

——— *Tu, Tityre, lentus in umbra*
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas.

Noſter Art. lib. I. 67.

Tu modo Pompeiâ lentus ſpatiare ſub umbrâ.

Et appoſite de dormiente I. Amor. VI. 15.

Te nimium lentum timeo.

Virg. Culice v. 158.

Lentus in herbis
Securo preſſos ſomno mandaverat artus.

HEINSIUS. Vide Cl. Drakenh. ad Sil. XII. 567.

81. *Sonantes.*] Scriverii codex, *tonantes:* quod verum puto. vide Epiſt. XIII. 131. & de harum vocum confuſione Heinſ. ad Claud. nupt. Honor. 132. & II. de Rapt. Proſ. 173. mox mallem, *placidas ire precarer aquas. Ire* enim proprie aquas dici docuit egregie Broukhuſius noſter ad Tibul. I. Eleg. X. 38. ubi ſimile mendum ſuſtulit. adde & quae Barthius ad Statii lib. IV. Theb. 778. adnotavit. BURMANNUS.

83. *Cur ſis metuentior.*] Ita Tacitus XIII. Ann. 25. *Nero metuentior in poſterum*; quod cur in *metu intentior* mutandum cenſeant viri eruditi, ipſi viderint. ipſe Ovidius I. Metam. 323.

Aut illâ metuentior ulla Deorum.

HEINSIUS.

88. *Tua virtus.*] Noſtro idiomate, *la tua ſufficienza, il tuo valore.* CIOFANUS. Propertius III. Eleg. X. 9.

Illa quidem interea fama tabeſcet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi.

Ubi Heinſius mallet *ſibi*, ut in ora codicis notavit. eodem fere ſenſu Terent. Phorm. II. 1. *Vereor ne iſthaec fortitudo in nervum erumpat.* ubi *fortitudo* etiam in malam partem, pro confidentia, audacia, ut hic *virtus.* BURMANNUS.

89. *Unde novus timor hic.*] In Scriverii codice erat, *Unde timor nothus hic:* quae lectio, ſi vera, pro degeneri ſumenda eſt. eo verbo & utitur in Epiſtola IV. 122.

Scilicet ut caperes regna paterna nothus.

HEINSIUS. Ex Virgilio poſſet illuſtrari, qui libro IV. 13.

Degeneres animos timor arguit.

Sed non puto Ovidium *timorem nothum*, dixiſſe, quamvis *nothum lumen*, *Lunae* Catullus & Lucretius tribuant. BURMANNUS.

90. *Spretis aquis.*] Quae vi ventorum commotae erant. CIOFANUS.

91. *Hoc potius, quam quod.*] *Hic potius, quam qui*, Leidenſis. ſed fruſtra. vid. Epiſt. IX. 106. mox *cautus iter*, volebat Francius.

Ne non ſim tanti, ſuperentque pericula cauſſam:
Et videar merces eſſe labore minor.
Interdum metuo, patriâ ne laedar, & impar
Ducar Abydeno Threſſa puella toro.
Ferre tamen poſſum patientius omnia; quam ſi
Otia, neſcio quâ pellice captus, agas:
In tua ſi veniant alieni colla lacerti:
Sitque novus noſtri finis amoris amor.
Ah potius peream, quam crimine vulnerer iſto:
Fataque ſint culpâ noſtra priora tuâ!
Nec quia venturi dederis mihi ſigna doloris,
Haec loquor; aut famâ ſollicitata novâ.
Omnia ſed vereor: (quis enim ſecurus amavit?)
Cogit & abſentes plura timere locus.

Felices

97. *Ne non ſim.*] Douza faciebat, *Neu non ſim. Et non ſint* alii.

100. *Dicar Abydeno Seſta puella viro.*] *Abydeno toro* Puteaneus & alii ex melioribus plures. ſolenni errore. ſic Remed. Amor. 778.

Illam Phliſthenio gaudia ferre viro.

Et lib. 1. Artis Amor. 682.

Scyrias Haemonio juncta puella viro.

Cum *toro* ſit ſcribendum. Amor. lib. 1. Eleg. IX. ex ſcriptis codicibus:

Quos petiere duces annos in milite forti,
Hos petit in ſocio bella puella toro.

Epiſtola VIII. 26.

—— *Nec turpe marito eſt,*
Aſpera pro caro bella tuliſſe toro.

Quibus locis pari modo peccatur. atque ita alibi quoque. *Torus* pro conjuge Prop. II. Eleg. VI.

Felix Admeti conjux & lectus Ulixis.

Ceterum pro *Seſta* unus Medicêus, *Creſa.* Argentinus & Baſileenſis, *Creſſa.* unus Moreti, *Feſta.* Puteaneus, *Threſſa.* optime. Diximus ſupra. Certe Threſſae deſpectae, ut ex Graecorum patet commentariis. Atque ita Themiſtocli objectum quod è Threſſa prognatus eſſet. ut liquet ex Aemilio Probo. Anthiſteni etiam Philoſopho, ut videre eſt apud Diogenem Laërtium in ejus vita, & in vita Socratis. Timothei quoque ducis celeberrimi matrem Threſſam fuiſſe, & quidem meretricem, notat Athenaeus lib. III. ac propterea illum fuiſſe irriſum. Citantur ab Athenaeo in Deipnoſophiſticis, & ab aliis Grammaticis Θράτται Comoedia Cratini, in qua Threſſas foeminas fuiſſe exagitatas nullum mihi dubium fit. Hinc & apud Valerium Flaccum libro III. 706. Zethes & Calaïs, *Thracia proles*, per contemptum ab Jaſone vocantur, quod ex Borea nati eſſent:

Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles:
Aſpera nunc pavidos contra ruit agna leones.

Thraces enim pro barbaris habiti, quomodo & Scythae. ſic Demoſtheni etiam narrant exprobratum fuiſſe, quod matre Scytha prognatus eſſet. De iis, qui Threſſa matre prognati eſſent, locus eſt inſignis apud Theophraſtum charactere περὶ κακολογίας. ubi pro inſigni contumelia notat hanc exprobrationem, ἡ μὲν τοὶ μήτηρ εὐγενὴς Θράττα ἐςί. τὰς δὲ τοιαύτας ἐν τῇ πατρίδι εὐγενεῖς εἶναι φασίν. Anciliae namque ac meretrices apud Athenienſes magnam partem domo Threſſae erant. ſed videtur illic ſcribendum eſſe, ἐν Ἀθήναις, pro, ἐν τῇ πατρίδι. nam Thraces ut Graecis omnibus deſpecti, ita Athenienſibus maxime. Herodes Atticus apud A. Gellium Noct. Attic. libro XIX. cap. XII. *Ne id accidat, quod cuipiam Thraco inſipienti & rudi veniſſe uſu fabula eſt. Homo Thracus, inquit, ex ultima barbaria, ruris colendi inſolens, cum in terras cultiores humanioris vitae cupidine commigraſſet, fundum mercatus eſt oleo atque vino conſtitutum.* pro *Dicar* excerpta Voſſii, *Ducar.* quod etiam arridet. de eo plura in notis in Metamorphoſes. HEINSIUS. Threſſas deſpectas fuiſſe, docet, Petit Miſcell. lib. II. cap. 4. imo ipſos Abydenos contemptui habitos, docent proverbia in illos jactata. vid. proverbia Graeca Schotti. p. 1. p. 294. & 331. & Pantini notas in Apoſtolium pag. 248. BURMANNUS.

103. *Si veniant.*] *Quam veniant* Moreti.

105. *Crimine.*] Francius conjiciebat, *nomine.*

109. *Securus amavit.*] Forte, *amarit*; ut Epiſt. XVII. 35. *Quis enim iraſcatur amanti?* HEINSIUS.

110. *Cogit & abſentes plura timere locus.*] Sic libentius lego. CIOFANUS. *Multa* alii.

111. *Felices illas.*] *Alias* alter Lovanienſis.

HEIN-

Felices illas, ſua quas praeſentia noſſe
Crimina vera jubet, falſa timere vetat!
Nos tam vana movet, quam facta injuria fallit:
Incitat & morſus error uterque pares.
O utinam venias! aut ut ventusve paterve,
Cauſſaque ſit certae femina nulla morae!
Quod ſi quam ſciero; moriar (mihi crede) dolendo.
Jamdudum peccas, ſi mea fata petis.
Sed neque peccabis, fruſtraque ego terreor iſtis:
Quoque minus venias, invida pugnat hiems.
Me miſeram! quanto planguntur litora fluctu!
Et latet obſcurà condita nube dies!
Forſitan ad pontum mater pia venerit Helles,
Merſaque roratis nata fleatur aquis:

An

HEINSIUS. Non opus. Quinct. Decl. VII. 7. *Felices illos, qui recuſare voluerunt.* ubi vide. BURMANNUS.

111. *Sua quas praeſentia noſſe Crimina vera juvat.*] Recte emendarat Scaliger *jubet:*

Felices illas, ſua quas praeſentia noſſe
Crimina vera jubet: falſa timere vetat.

DAN. HEINSIUS. *Crimina vera jubet* ſcribendum. idque ex auctoritate decem librorum. neque aliter in codice ſuo magnus Scaliger caſtigarat. HEINS.

113. *Vana movet.*] Admodum variant ſcripti. multi, *vera movet.* alii, *falſa movet*, *quam ficta.* ſed vulgata proba eſt. *vana* enim injuria eſt, quae incertis & levibus auctoribus, & rumore ad nos perfertur. vide Donat. ad Terent. Eunuch. I. 2. & ita recte opponitur *factae* injuriae, vana enim temere jactatur, nec umquam admiſſa eſt. ſic mox, 132.

Criminis eſt Tyro fabula vana tui.

BURMANNUS.

115. *Aut hic ventuſve paterve.*] *Aut ut* Puteaneus cum aliis multis. HEINSIUS.

116. *Cauſſaque ſit certae.*] Lege, *Cauſſaque ſit tantae.* CIOFANUS. *Certae morae* plerique veteres cum Puteaneo. bene. Remed. Am. v. 112. dictum. ſic contra *certa fuga* Remed. Amor. 266.

Ille dedit certae lintea plena fugae.

Ita I. Art. Am. 234. *Certo ſtat gravis ille loco.* ut ibi lego. & III. 530. *Certo ponite quemque loco.* Nuce. 162. *Certus turbo* ex MS. & ibid. 73. *Certus ictus.* & I. Faſt. 323. ex MSS. ſic *certus Boreas.* Epiſt. XXI. 41. & Epiſt. XVIII. 38. *Quid mecum certa praelia mente geris?* HEINSIUS. Douza legebat, *cauſſa ſit at tantae*, alii, *cauſſa ſit aut tantae. Cauſſaque ſit certae* veteres editiones, quod Francio placebat.

117. *Quod ſi quam ſciero.*] *Si reſciero* Puteaneus. HEINSIUS.

118. *Jamdudum peccas.*] Verſus ſuſpectus. IDEM.

120. *Invida pugnat hiems.*] Metaphora ab iis, qui alienae felicitati, aut voluptati invident. CIOFANUS.

121. *Quanto planguntur litora fluctu.*] Propriè. De mari enim *litus* dicitur. Celſus lib. XCVI. de verborum ſignificatione: *Litus eſt, inquit, quouſque maximus fluctus à mari pervenit, idque M. Tullium, cùm arbiter eſſet, primùm conſtituiſſe.* Cicero in Topicis: cap 7. *Solebat Aquilius collega, & familiaris meus, cùm de litoribus ageretur, quae omnia publica eſſe vultis, quaerentibus iis, ad quos id pertinebat, quid eſſet litus, ita definire, qua fluctus eluderet.* Javolenus ex Caſſio lib. VI. leg. CXII. De verb. ſign. *Litus publicum eſt eatenus, qua maximè fluctus exaeſtuat.* CIOFANUS. *Franguntur* Farneſianus. vid. ad Epiſt. VII. 169. *Feriuntur* Ambroſianus. neque hoc male. vid. I. Art. Amat. 528. BURMANNUS.

122. *Et latet.*] *Ut latet* forte legendum. HEINS. Ita Berſmanni codex.

123. *Pontum.*] Sex ſcripti codices *portum* habent. forte non male; niſi malis *Porthmum* legere. nam hoc fretum Πορθμὸς dictum fuit. vid. notas Mauſſaci in Plutarch. de Fluminibus. pag. 286. Luctat. in Stat. pag. 14. eadem varietas in manuſcriptis eſt Metam. XI. 195.

Ultus abit Tmolo, liquidumque per aëra vectus
Anguſtum circa pontum Nepheleidos Helles.

Ubi quidam *portum* exhibent. HEINSIUS.

124. *Merſaque roratis.*] Haec eſt genuina lectio. CIOFANUS. Sic ſaepe Ovidius. ſed ferri etiam poteſt *turbatis*, quod plures codices habent. Metam. III. 475.

Et lacrymis turbavit aquas.

Sed *roratis* eſt. Epiſt. XV. 97.

Scribimus & lacrymis oculi rorantur oborti.

An mare, ab inviſo privignae nomine dictum,
Vexat in aequoream verſa noverca Deam?
Non favet, ut nunc eſt, teneris locus iſte puellis.
Hac Helle periit; hac ego laedor aquâ.
At tibi flammarum memori, Neptune, tuarum
Nullus erat ventis impediendus amor:
Si neque Amymone, nec laudatiſſima formâ
Criminis eſt Tyro fabula vana tui;
Lucidaque Alcyone, Circeque & Alymone nata,
Et nondum nexis angue Meduſa comis;
Flavaque Laodice, coeloque recepta Celaeno,
Et quarum memini nomina lecta mihi.
Has certe pluresque canunt, Neptune, poëtae
Molle latus lateri compoſuiſſe tuo.
Cur igitur, toties vires expertus amoris,
Adſuetum nobis turbine claudis iter?

Parce

Manil. lib. v. 564.

Et caſus miſerata tuos roravit & undas.

HEINSIUS.

126. *Vexat.*] *Vexet* ſcribendum poſtulant ſuperiora. niſi pro *Aut* praecedenti verſu, *An* legas cum Puteaneo. idque praeſtat. IDEM.

133. *Circeque & Alymone nata.*] Non expediunt ſe ex hoc loco interpretes, qui haud dubie mendoſiſſimus eſt. Monſtra lectionum in vetuſtis codicibus apparent. pro *Circe* plerique, *Ceyce*, *Ceiceque*, *Ceyceque*. pro *Alymone*, ſcripti *Avenone*, *Aveone*, *Arreone*, *Aneone*, *Anenone*, *Ameone*, *Amenone*, *Amione*, *Augone*, *Amimone*, *Alcione*, *Auctione*, *Arnione*, *Amintone*, *Alienone*, *Avione*, *Anthone*, *Aucone*, *Ancone*, *Amioone*, *Antheone*, *Actеone*, *Anthonoe*, & quid non? ſed ita ut plerique, *Aveone*, aut *Aneone* agnoſcant. Helmaeſtadienſis, *Ceyceque & Neone nata.* Puteaneus, *Ceuceque & Aveone nata.* Scribo, *Calyceque Ecatheone nata.* Hyginus Fab. CLVII. ubi Neptuni filios recenſet, *Cygnus ex Calyce Hecatonis filia*, ubi *Hecataeonis* videtur reſcribendum. Scholiaſtes Theocriti Idyll. XVI. Κύκνον λέγει τὸν Ποσειδῶνος καὶ Κήϋκος. Vel ut aliae editiones habent, Καΰκος. Lego Καλύκης. addit autem, *Hecataeone nata*, ut ab altera Calyce Endymionis matre, filia Aeoli, diſtinguat. ſic lib. VIII. Metam. 307.

——— *Et cretus Amyntore Phoenix.*

Ne Agenoris filius intelligatur. Certe Cycni matrem, quocunque tandem appellatam nomine, hic intelligi ab Ovidio non eſt dubium. Si quis meliora protulerit, is Muſas ſingulari beneficio demerebitur. HEINSIUS. *Amitone* Bernenſis.

137. *Has certe.*] *Has etenim* corrigebat Francius.

138. *Latus lateri conſeruiſſe tuo.*] *Compoſuiſſe* Puteaneus, & alii majori ex parte cum prima editione. & recte. quidam *ſuppoſuiſſe*, & *continuaſſe.* Propertius, II. II. 64.

Virgineum Brimo compoſuiſſe latus.

Lucilius:

Tum latus componit lateri, tum pectore pectus.

Faſt. v. 24. ex MS.

Corpora legitimis compoſuere toris.

Virgilius VIII. 486.

Componens manibuſque manus atque oribus ora.

HEINSIUS.

140. *Turbine claudis iter.*] *Turbide* duo ſcripti. lib. I. Faſt. 272.

Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.

HEINSIUS. Sed rectum eſt *turbine:* ſi enim *tempeſtate praecludere maria* potuerit dixiſſe Florus III. 6. cur non iter poſſit turbine claudi. *Turbo* autem Poëtis vox familiaris pro procella. Virgil. IX. Aeneid. 91.

Ne curſu quaſſatae ullo; neu turbine venti
Vincantur.

Valer. Flac. I. 621.

Vela ſuper tremulum ſubitus volitantia malum
Turbo rapit.

Et ita paſſim illi, & alii. Noſter Nuce 161.

Aut caeco turbine venti. BURMANNUS.

141. *Tua proelia.*] Francius volebat, *fera proelia.*

142. *Seducit terras haec brevis unda duas.*] Septem ſtadia, quae interfluit Helleſpontus, Abydus à Seſto diſtat. Plinius lib. IV. cap. XI. *Helleſpontus ſeptem ſtadiis Europam ab Aſia dividens: quatuor illic inter ſe contrarias urbes habet. In Europa Callipolin & Seſton; in Aſia Lampſacum & Abydon.* Idem lib. VI. cap. XXXI. *Abydum oppidum, ubi an-*

guſtias

Parce ferox; latoque mari tua proelia miſce.
Seducit terras haec brevis unda duas.
Te decet aut magnas magnum jactare carinas;
Aut etiam totis claſſibus eſſe trucem.
Turpe Deo pelagi, juvenem terrere natantem:
Gloriaque eſt ſtagno quolibet iſta minor.
Nobilis ille quidem eſt, & clarus origine: ſed non
A tibi ſuſpecto ducit Ulixe genus.
Da veniam, ſervaque duos. natat ille: ſed îsdem
Corpus Leandri, ſpes mea, pendet aquis.
Sternuit & lumen: (poſito nam ſcribimus illo.)
Sternuit; & nobis proſpera ſigna dedit.
Ecce merum nutrix fauſtos inſtillat in ignes:
Crasque erimus plures, inquit, & ipſa bibit.
Effice nos plures, evicta per aequora lapſus,
O penitus toto corde recepte mihi.

In

guſtiae ſeptem ſtadiorum. Haec brevis unda δειχτιχῶς. Seducit. dividit. *Duas terras* Seſtum & Abydum. *Terram* autem Oppidum ſaepe vocant Poëtae. Ad hoc indicandum uno exemplo contentus ero, lib. I. & Elegia Triſtium:

—— *Nobis habitabitur orbis*
Ultimus, à terra terra remota mea. CIOFANUS.

145. *Terrere.*] Moreti unus, *turbare.*

146. *Iſta minor.*] *Iſta timor* Bernenſis.

148 *A tibi ſuſpecto.*] Quidam legunt, *deſpecto*, quaſi nimis leve ſit *ſuſpecto*: mihi *ſuſpecto* placet, quod apud Ovidium *inviſum* ſignificat. ut in Epiſt. XX. 172.

Hic facit ut jaceas, & ſis ſuſpecta Dianae.

NAUGER Ad Polyphemum referenda ſunt haec, cujus gratia Neptunus Ulyſſi infenſus erat. Excaecaverat enim illum Ulyſſes, cum exprobratione ea, ut diceret, neque patrem Neptunum auxiliaturum illi eſſe, aut oculum reſtituturum: ut eſt in Odyſſ. Homeri I. 525. MICYLLUS. *Sed non A tibi ſuſpecto duxit Ulixe genus*, cùm haec lectio ſit in omnibus libris, & locutio Ovidiana, non video cur quidquam ſit immutandum. In Epiſt. quae ſtatim ſequitur: *Hic facit ut jaceas, & ſis ſuſpecta Dianae.* CIOFANUS.

148. *Duxit.*] *Ducit* meliores. HEINSIUS.

151. *Interea lumen, &c. Stertuit.*] Imo *ſternuit.* Ut in illo, *Candidus argutum ſternuit omen amor.* In codice, cum quo liber Scaligeri collatus fuerat, legebatur, *Stertuit & lumen.* quod eſſet:

Sternuit & lumen (poſito nam ſcribimus illo)
Sternuit, & nobis proſpera ſigna dedit.

DAN. HEINS. *Sternuit & lumen* Puteaneus. ut & proximo verſu Sed ita ut utroque loco *Stertuit* eſſet repoſitum. quomodo primae editiones, & plurimi ex ſcriptis. perperam. ſic apud Propertium, II. II. 34.

—— *Argutum ſternuit omen Amor.*

Forte, *Sternuit en lumen.* apud Columellam lib. VII. cap. V. *Surculi lana involuti naribus inſeruntur verſanturque, donec ſternuat ovis.* ita veterrimus codex, vulgati *ſternutet.* apud eundem Columellam paullo ante foediſſimum mendum ex iisdem membranis eſt eluendum, *patiamurque ſuper obrutam totum meare gregem.* cum *meiere* circumferatur ridicule. Apud Plinium in Naturali Hiſtoria frequenter *ſternuere*, & *ſternumentum* in veterrimis exemplaribus, ubi vulgo *ſternutare* & *ſternutamentum* circumfertur, monente ad Solinum Salmaſio pag. 29. *Sternuit* alter Moreti rectè poſteriori verſu. HEINSIUS. Vide & Salmaſ. lib. I. Epiſt. 40. Muret. ad Catul. Epigr. XLVI. Paſſer. ad Propert. II. 3. pag. 259. Meurſ. ad Theocr. pag. 45. Scalig. I. lect. Auſon. 16. & Epiſt. XL.

152. *Et nobis.*] Francius malebat, *Et nutu.*

153. *Inſtillat.*] Ita meliores codices. Micyllus & Berſmannus ediderunt, *diſtillat*; aliae editiones, *deſtillat*; & quidam codices utramque lectionem agnoſcunt. ſed nihil muta. nam Cicero de Senect. XI. dixit, *Oleum lumini inſtillare.* & Horatius II. Sat. II. 62.

Cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.

Et translata ſignificatione. I. Epiſt. VIII. 16.

Praeceptum auriculis hoc inſtillare memento.

Quod dum imitatur Juvenalis Sat. III. 123. ſimplici *ſtillare* uſus eſt:

Cum facilem ſtillavit in aurem
Exiguum de naturae patriaeque veneno.

Et ibi codex Scriverii *ſtillavit* habebat. BURMAN.

In tua caſtra redi, ſocii deſertor Amoris.
Ponuntur medio cur mea membra toro?
Quod timeas, non eſt. auſo Venus ipſa favebit:
Sternet & aequoreas, aequore nata, vias.
Ire libet tumidas ipſi mihi ſaepe per undas:
Sed ſolet hoc maribus tutius eſſe fretum.
Nam cur, hoc vectis Phryxo Phryxique ſorore,
Sola dedit vaſtis femina nomen aquis?
Forſitan ad reditum metuas ne tempora deſint,
Aut gemini nequeas ferre laboris onus.
At nos diverſi medium coëamus in aequor:
Obviaque in ſummis oſcula demus aquis:
Atque ita quisque ſuas iterum redeamus ad urbes.
Exiguum, ſed plus, quam nihil, illud erit.

Vel

154. *Cras erimus.*] *Crasque* meliores. Heinsius. Neſcio quid acuminis hic captet Barthius lib. x. Adv. 20. in τῷ *erimus.* quod de nondum nato infante intelligit. ego vero non capio, niſi gravidam ſtatuamus Hero, quae poſtero die editura eſſet infantem. cum ſequentia manifeſte indicent, hoc omen notare Leandrum adfuturum duabus, Hero & nutrici; & ita plures futuras, cum modo duae ſint. ſi quis tam argutos Poëtas credit, etiam *plures* dixiſſe obſervet, qui tres futuri eſſet, duo enim multitudinis verbo cenſere non poſſint. neque etiam per leges, duo faciunt turbam. leg. 4. §. 3. ff. de vi bonor. raptor. unde I. Met. 355. inquit, *nos duo turba ſumus.* vid. Epiſt. I. 97. & ibi Ciofani notas. Burmannus.

155. *Evicta per aequora.*] *Erupta* Lincolnienſis, *evecta* alius. *Errata* Ambroſianus. *Pacata* Farneſianus. *Extrema* Lovanienſis. *Invita* Bernenſis. alii aliter. Francius malebat, *devicta.* ſed omnes fruſtra. nam *evicta* eſt, natando ſuperata. XV. Metam. 706.

Evincitque fretum.

Horat. III. Od. 40.

Horrida callidi
Vincunt aequora navitae.

Plura ad Valer. Flac. III. 481. & v. 512. dabimus. ita mox 181. *Victor aquarum. Lapſus* autem hic pro *natans* ponitur, cum aliter navigare notet. ut ſupr. v. 47. *navigare* dixit; ſed cum idem navigium, navita, vector erat Leander, eleganter hoc vocabulum elegit. vid. Ep. x. 65. unde Farneſiani codicis lectio eſt effecta. & ad Epiſt. XXI. 84. Burmannus.

156. *Recepte mihi.*] *Recepte meo* Lincoln. Leid. & Bernenſis.

158. *Ponuntur medio cur mea membra toro?*] Execrabile erat hoc amantibus: itaque Ovidius ipſe lib. II. Amor. Eleg. x. cùm malum hoſtibus imprecatur, optat eum dormire in vacuo lecto; & in medio toro membra ponere. ejus verſus ſunt:

Hoſtibus eveniat vacuo dormire cubili,
Et medio latè ponere membra toro.

Ciofanus. Male *viduo* editiones quaedam, & Leidenſis cum duobus Berſmanni. recte Ciofanus de puella, quae ſola cubat. eadem varietas III. Am. x. 2.

Secubat in vacuo ſola puella toro.

Ubi quidam codices *viduo*, nonnulli etiam *medio.* & hinc toties *in parte recepte tori*, & ſimiles locutiones. vide I. Amor. v. 2. Burmannus.

161. *Ire libet medias.*] Praeceſſit modo, *medio toro*; & mox ſequitur, *medium aequor.* quare cum uno Regio hic, *tumidas* praeferrem. ut mox vers. 181. & millies alibi. Burmannus.

162. *Tutius eſſe.*] Francius volebat, *mitius.*

163. *Nam cur hoc vectis.*] Haec vera lectio. Ciofanus. *Hoc* plerique ſcripti. *Hac* Puteaneus. Heinsius. *Huc* Aldus & alii.

164. *Sola dedit vaſtis femina nomen aquis.*] Ab Helle, quòd in hoc mari cecidit, *Helleſpontus* appellatus eſt. Ciofanus.

165. *Forſitan ad reditum metuis ne robora deſint.*] *Metuas* bene Puteaneus & Regius. Deinde *tempora deſint* idem Puteaneus cum multis aliis. Heinsius. *Metuas ut tempora deſint* Regius codex. quod ſi mox *queas* poſſet legi, vel pro eo, *poſſis*, placeret: majorem enim in complexibus amicae moram trahere coactus, metuere poterat non ardens amator, ſibi tempus defuturum ad redeundum; & farcaſmus elegantior ineſſet. *Metuas* tamen recte. vid. Epiſt. I. 77. & IV. 53. Burmannus.

166. *Et nequeas gemini.*] *Aut gemini nequeas* plerique codices, etiam meliores. Heinsius. Alii, *ac nequeas.*

167. *At*

Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
Vel timidus famae cedere vellet amor!
Nunc male res junctae, calor & reverentia, pugnant.
Quid sequar in dubio est. haec decet; ille juvat.
Ut semel intravit Colchos Pagasaeus Iäson;
Impositam celeri Phasida puppe tulit.
Ut semel Idaeus Lacedaemona venit adulter;
Cum praedà rediit protinus ille suâ.
Tu, quam saepe petis quod amas, tam saepe relinquis:
Et quoties grave fit puppibus ire, natas.
Sic tamen, ô juvenis, tumidarum victor aquarum,
Sic facito spernas, ut vereare, fretum.
Arte laboratae vincuntur ab aequore puppes:
Tu tua plus remis brachia posse putes?

Quod

167. *At nos diversi.*] *Aut* Berſmanni Edit. & ita Gronovii codex.

169. *Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.*] Notandum hic verbum *quisque*, de duobus dici. Ciofanus. Ita & Sueton. Aug. 26. *Ut Cajum & Lucium filios, suo quemque Tyrocinio deduceret in forum.* Quinctil. III. Inſtit. Orat. 6. *Sed in hoc propria quisque eorum quaestione nitetur. In urbes* etiam alii. *ad arces* duo. *ad oras* Barberinianus. Burmannus.

171. *Clam cogit.*] Sic legendum. Ciofanus. Aliae editiones, *tam cogit.*

172. *Vel timidus famae cedere vellet amor.*] *Vellet*, pro *velit* poſitum exiſtimo: ut ſit optantis locutio. Micyllus.

172. *Timidus famae.*] En corculum interpretum, qui cum notis variorum nobis concinnavit Naſonem, qui *timidum famae* ex corculo Latinitatis eſſe jactat, ut *timidus Dei*, *temperans famae* &c. cum *famae*, dativum caſum eſſe, & cum τῷ *cedere* conjungi debere vel puer videat. Volſcus certe & Hubertinus potuiſſent Paedagogum illum meliora docere. *Cedere famae*, ut *invidiae* Phaedr. III. 9. *Fortunae.* Quinctil. VI. 17. ubi vide quae notamus. Burmannus.

173. *Calor &.*] Excerpta Douzae, *Venus & rev.* Gronovii codex, *pudor & reverentia.*

174. *In dubio est.*] *Quod ſequitur dubium eſt* Puteaneus. an, *quod ſequar in dubium eſt.* vid. ad Epiſt. XVII. 138. *In pugna eſt.* Regius.

175. *Pegaſeus Iäſon.*] Peccarunt patrum memoria, qui in litteris nomen habebant, opinantes *Pagaſeus* per a ſcribi debere; cùm per *e* ſcribendum & enunciandum ſit; quemadmodum eſt in veteribus libris. Ciofanus. *Pagareos* Puteaneus. quod eſt *Pagaſeos* Graeca enuntiatione. ut ſaepe alibi. Heinsius. Vid. ad Epiſt. XVI. 345.

177. *Venit adulter.*] *Vidit* Gottorphianus. *Petiit Lacedaemona adulter* Bernenſis.

180. *Grave fit.*] *Grave fit* ex ſcriptis multi. ut lib. I. Amor. 2.

Leve fit, quod bene fertur, onus.

Heinsius. Francius volebat, *Et quamvis grave fit.*

183. *Arte laboratae vincuntur ab aequore puppes.*] Melior lectio in aliis, *Arte laboratae merguntur ab aequore puppes.* eſt autem diſſuaſio à majori. Ciofanus. *Merguntur* Puteaneus, cum aliis plurimis. Heinsius. Sed ego illud, *merguntur* gloſſam eſſe librarii adfirmare auſim. ut & *franguntur*, quod in Menteliano erat: elegantius enim, & a vulgi uſu remotius *vincuntur.* Virgil. IX. 91.

Ne curſu quaſſatae ullo, neu turbine venti
Vincantur.

Lib. I. 121.

Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatae
Vicit hiems.

Noſter I. Triſt. III. 114.

Jam ſequitur victam, non regit arte ratem.

Vide Heinſ. ad I. Triſt. IX. 8. & ita paſſim *proelia* & *pugnas* ventorum & maris Poëtae fingunt, in quibus vel navis vel mare vincit. vid. ſupr. Vſ. 155. hic vero tale certamen fingi, apparet ex voce ſequentis verſus *poſſe*: quaſi Leander ſua brachia contra maris iram poſſe, ſive valere, ſibi fingeret, & validiores lacertos, quam navium remos crederet. Ceterum in Scriverii codice erat, pro *puppes*, *piſces.* unde Heinſius olim conjecerat *priſtes*, ex Virgilii v. 116. firmans:

Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtim.

Ut ita certum navigiorum genus dictum innuat. ſed quia inter curas ſecundas non retulit, dubito an ipſe probaverit poſtea. Servius vero hoc navigium explicans, vulgo mendoſus eſt, & ex veteri codice legendum ibi, *Priſtim vel a tutela depicta*,

Quod cupis, hoc nautae metuunt, Leandre, natare.
Exitus hic fractis puppibus esse solet.
Me miseram! cupio non persuadere; quod hortor:
Sisque, precor, monitis fortior ipse meis.
Dummodo pervenias, excussaque saepe per undas
Injicias humeris brachia lassa meis.
Sed mihi, caeruleas quoties obvertor ad undas,
Nescio quae pavidum frigora pectus habent.
Nec minus hesternae confundor imagine noctis,
Quamvis est sacris illa piata meis.
Namque sub Aurora, jam dormitante lucerna,
(Somnia quo cerni tempore vera solent)

Stami-

depicta, vel ἀπὸ τοῦ πτίζειν τὰ κύματα, id est a secandis fluctibus. reliqua a glossatoris inepti manu sunt. errat vero, quod *prisim* a tutela dictum putet, cum animal certe tutela navis esse nequeat, sed insigne tantum, sive παράσημον, unde nomen habeat. Tutela navium erat numen aliquod, ut latius ad Valer. Flaccum docebimus. hic vero cum *arte laboratas puppes* dicat, certum est eum adludere ad tutelam navis, sive affabre laboratam numinis imaginem in puppi, quod si navem a mari non servaret, quid speraret Leander sua brachia plus posse. Douzae codex habebat, *merguntur in aequore.* praeterea in Junii codice erat, *non tua*, unde forte legendum, *num tua?* ut saepe alibi. Burmannus.

184. *Posse putas.*] *Putes* duo scripti. Heinsius.

186. *Puppibus.*] *Navibus* Regius. quod placet, quia *puppes* praecedit. Douza hic *natare* pro navigare positum accipit. & legit, *exitus hic*, id est, hoc loco solet venire exitus, id est submersio & perditio navigii. Verum quidem est *natare* poni pro navigare, ut docuit Cerda ad Virg. IV. Aeneid. 398. & ita Noster VIII. Met. 104. sed *natare* hic de naufragis capiendum, qui fracta nave natant. vid. superiori Epist. 120. Petron. CXV. *En homo quomodo natat.* & saepe alibi. Burmannus

187. *Quod hortor.*] *Opto* alii. Heinsius. Nihil muta, nam aeque Latine dici, *hortor aliquid*, atque *ad aliquid*, docuit, hoc etiam loco producto, summus Gronovius ad Senec. Epist. 121. & Tacit. XI. Annal. 3. & Graevius ad Cicer. VII. ad Att. 14. Burmannus.

191. *Sed mihi coeruleas quoties obvertor ad undas.*] Ita legendum est: non ut Commentator, qui legit, *obversor*. Est autem sensus: Quoties obvertor ad undas: hoc est, quoties cogito, vel respicio ad undas, *Nescio quod pavidum pectora frigus habent.* Nam & hunc versum magis probo, quàm ut vulgò legitur, *Nescio quid pavidum frigore pectus habet.* Micyllus. *Obvertor* legendum, non *obversor.* Venit autem à verbo *vertor*, quod in dissuetudinem abiit. composita, *obvertor, revertor.* hoc autem loco est respicere. Ciofanus. Recte viri docti rejiciunt, *obversor.* II. Metam. 470.

Quo simul obvertit saevam cum lumine mentem.

Burmannus.

192. *Nescio quid.*] Multo rectius legunt quidam, *Nescio quod pavidum pectora frigus habet.* Nauger. Putabam aliquando *hebet.* Nunc accedo duodecim scriptis codicibus, qui legunt:

Nescio quae pavidum frigora pectus habent.

Ut jam monui ad Epist. XII. Vs. 170. alii codices *habet.* Fast. I. 753.

Mens abit & morior, quoties pugnantis imago
Me subit, & gelidum pectora frigus habet.

Ubi *habent* in scriptis nonnullis. Sed tum *frigora pectus* sit legendum. alii codices hoc loco:

Nescio quod pavidum pectora frigus habent.

Mentelianus alter:

Nescio quae timidum frigora pectus habent.

Argentinus:

—— *Pavidum pectore frigus habet.*

Forte. pro *pavidam pectore*, vel *pavidae pectora.* Heinsius. Douza etiam legebat, *quae pavidum frigora pectus habent*, & recte. Nam *pavidum* rectius pectus dicitur, quam frigus. IX. Met. 581.

Et pavet obsessum glaciali frigore pectus.

Burmannus.

195. *Sub Aurora.*] Paullo ante quam *lucescat.* Ciofanus. Ita editi priores, & scripti omnes. malebat tamen Heinsius, *sub Auroram.* ut *sub noctem.* IV. Met. 79. *Sub prima crepuscula.* V. Fast. 455. & alibi. sed cum utrumque recte dicatur, (vide ad Vellej. Paterc. II. 24.) hic *Aurora*, ob sequentem voculam similis soni *jam*, est praeferendum. eadem varietas lib. II. Art. 315. ubi *sub autumnum* & *autumno*, varie in MSS. exhibetur. Burmannus.

195. *Jam dormitante lucerna.*] Durior certe metaphora, & cujus exemplum an alibi exstet, ignoro. Si *moriente* dixisset, usus fuisset vulgari translatione, ut ita *vivas lucernas.* Horatius III. Od.

Stamina de digitis cecidere, ſopore remiſſis:
Collaque pulvino noſtra ferenda dedi.
Hîc ego ventoſas nantem delphina per undas
Cernere non dubiâ ſum mihi viſa fide.
Quem, poſtquam bibulis illiſit fluctus arenis;
Unda ſimul miſerum vitaque deſeruit.
Quidquid id eſt, timeo. nec tu mea ſomnia ride:
Nec niſi tranquillo brachia crede mari.
Si tibi non parcis, dilectae parce puellae:
Quae numquam, niſi te ſoſpite, ſoſpes erit.
Spes tamen eſt fractis vicinae pacis in undis.
Tum placidas tuto pectore finde vias.
Interea, nanti quoniam freta pervia non ſunt,
Leniat inviſas litera miſſa moras.

EPI-

Od. 21. dixit. In uno codice Heinſiano & Excerptis Douzae erat, *jam deficiente lucerna.* ita Virgilius IX. Aeneid. 351. *Ubi deficit ignis.* & Petronius cap. XXII. *Lucernae humore defectae.* vide & ad Petr. cap. XXIX. qui & cap. CXI. *Defecerat lumen in monumento poſitum.* ſed quia non inelegans, licet audacior, metaphora videtur, & Ampliſſimo Cupero ſe probet, eam loco movere non auſi ſumus. BURMANNUS.

198. *Quo cerni ſomnia vera ſolent.*] Poſt mediam noctem ſomnia vera eſſe dicuntur. Seneca, apud quem Andromacha loquitur, cùm ei Hector, qui moneret Aſtyanacta à Graecis, ut eum praecipitarent, quaeſitum iri, in ſomnis ſibi apparuiſſet, jubens illum abſcondere, ita ait in Troadibus:

Partes fere nox alma tranſierat duas,
Clarumque ſeptem verterant ſtellae jugum.

Et Horatius lib. I. Serm. Satyra X.

——*Vetuit tali me voce Quirinus,*
Poſt mediam noctem viſus, cùm ſomnia vera.

Quo loco, me puero, viginti ante annos haec notaverat clariſſimus vir M. Antonius Muretus, publicus Romae praeceptor meus. Vera eſſe ſomnia, quae poſt mediam noctem fiunt, adfirmat & Theocritus: qui cùm dixiſſet:

Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἕρπει, ἐγγὺς δ' ἠώς.

Addit paulò pòſt:

Εὖ τε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

CIOFANUS.

201. *Illiſit fluctus arenis.*] Sic eſt in optimis exemplaribus, vere. CIOFANUS. Editiones priſcae & Aldina prior, Colinaei & Berſmanni, *injecit.* Scriverii unus, *illuſit.* ſed nihil movendum. Valer. Flacc. IV. 410.

Toto gurgite torrens
Tiſiphonen agit, atque imis illiſit arenis.

VIII. 52.

Et quos, credamus ut ipſis,
Rex ſuus illiſit pelago.

Claud. II. Rapt. 256.

Credas illidi cautibus algam.

Ubi quidam codices non male, *alnos*, ut naves naufragas intelligat. BURMANNUS.

204. *Brachia crede mari.*] *Tende mari* Douzae codex & Barberinianus, qui pro varia lectione habebat, *redde*, etiam non male.

206. *Soſpes erit.*] *Ero* Puteaneus, & tres alii ex melioribus. HEINSIUS. *Sine te ſoſpite* Excerpta Douzae, Junianus, Leidenſis, & ſeptem alii.

208. *Tu placidas toto pectore finde vias.*] *Tunc* quatuor ſcripti. totidem *Tum.* utrumque bene. ſex *tuto pectore.* vid. ſupr. v. 92. & hoc probe. Scriverianus, *placitas vias.* quod etiam arridet. ſic *placita bona.* Epiſt. Helenae. *placita puella* lib. I. Art. Am. ex antiquis libris ỹſ. 37. ubi plura. *placita forma* Art. Am. III. & Faſt. II. *placitus vultus* Medic. Faciei. *placita quies* Faſt. I. ỹſ. 205. ex ſcriptis. & *placitus Numicius* ex conjectura Faſt. III. ỹſ. 653. *placita Thybris aqua* Art. Am. III. 386. ubi pari modo peccatur. ſic & *placitas terras* Valer. Flaccus. lib. V. ỹſ. 72. dixit:

——*Et jam*
Puppe ſedens placitas dimiſerat anchora terras.

Ubi ſimili modo peccatur. ut & lib. I. ỹſ. 265. *placito ſi currere fluctu Pelea vultis, ait.* hoc eſt, vobis placito: Deos enim alloquitur. quomodo lib. II. de Jaſone, *placitoſque Deis ne deſerat actus.* HEINSIUS. Francius tentabat, *tuto gurgite finde vias.* ut ſupr. 92. *facias placidum per mare tutus iter.*

208. *Finde.*] *Scinde* codex Berſmanni.

210. *Leniat inviſas litera miſſa moras.*] Haec eſt veterum librorum lectio. *Miſſa* à te mihi *Inviſas moras*, quòd odi longum tempus. CIOFAN. *Litera noſtra* alii. *Litera viſa* Regius. *Leniat immenſas* etiam Sarravianus à manu prima.

EPISTOLA XX.

ACONTIUS CYDIPPAE.

POne metum: nihil hic iterum jurabis amanti.
Promiſſam ſatis eſt te ſemel eſſe mihi.
Perlege: diſcedat ſic corpore languor ab iſto,
Qui meus eſt, ullâ parte dolente, dolor.
Quid pudor ora ſubit? nam, ſicut in aede Dianae,
Suſpicor ingenuas erubuiſſe genas.
Conjugium pactamque fidem, non crimina, poſco:
Debitus ut conjux, non ut adulter, amo.
Verba licet repetas, quae demtus ab arbore foetus
Pertulit ad caſtas, me jaciente, manus;
Invenies illic id te ſpondere, quod opto,
Te potius, virgo, quam meminiſſe Deam.

Nunc

Acontius.] Amores Cydippes & Acontii lepide & eleganter narrat Ariſtaenetus lib. 1. Epiſt. 10. & peculiari Poëmate deſcripſerat Callimachus, cujus meminerunt Grammatici, & quo reſpicit Noſter Remed. 381. vide Celeber. Bentleji Fragmentum Callimachi 61. ſimilem vero huic fabulam de Cteſylla & Hermochari refert Antoninus Liberalis. Metam. cap. 1. BURMANNUS.

1. *Pone metum, nihil hic iterum jurabis amanti.*] Ab hoc verſu Epiſtola propriè orditur. nam duo illi, qui praecedunt, ejusdem generis ſunt, cujus & ſuperiores illi, qui à principio Epiſtolarum Oenones, Didonis, Deïanirae, Ariadnes, Canaces, & Medeae, in quibusdam praeponuntur: de quibus omnibus ſuo loco, quid nobis videretur, diximus. MICYLLUS. Priſcae editiones & codices nonnulli manu exarati hoc diſtichon in fronte hujus Epiſtolae exhibent:

Accipe, Cydippe, deſpecti nomen Aconti,
Illius in pomo qui tibi verba dedit.

Eſt autem haec Epiſtola foede depravata plurimis in locis. HEINSIUS. Et ipſum illud diſtichon varie exhibetur in MSS. *Excipe* Leidenſ. *Suſpecti* pro *deſpecti* Voſſianus. ut Epiſt. praeced. 148. *A tibi ſuſpecto ducit Ulixe genus. Carmen Aconti* Gottorphianus. *Iſtius* etiam Moreti. Ceterum hae duae Epiſtolae mihi ab Ovidiana vena non fluxiſſe videntur. BURMANNUS.

3. *Languor ab iſto.*] Francius volebat, *languidus iſto*, ut cum *dolore* conjungeretur.

4. *Qui meus eſt, ulla parte dolore dolor.*] Elegantius & rectius Gryphiana, *Qui meus eſt, ulla parte dolente tui.* DAN. HEINSIUS. *Dolore* Puteaneus & alii nonnulli. tres libri, *dolente*. quomodo & alter Mentelianus pro diverſa lectione. Forte:

Qui meus eſt, ulla parte dolente, dolor.

Sed editio Gryphiana anni MDXLVI. qua uſus magnus Scaliger:

Qui meus eſt ullâ parte dolente tui.

Optime. HEINSIUS. Et ita Excerpta Douzae. *Illâ parte* Bernenſ. *una parte* Lovan. *magna parte* Ambroſianus & Francofurtenſis.

5. *Ora ſubit.*] Occupat faciem; atque haec eſt vera lectio. CIOFANUS. *Ante ſubit* Puteaneus aliique codices magno numero. Scribe. *Quid? pudor anne ſubit?* ut apud Claudianum, Praefat. lib. II. in Eutrop. 41.

Quid ſoror? audebit tecum conſcendere claſſem?

Vulgatam tamen lectionem non ſollicitem temere, nam ita IV. Triſt. III. 10.

Avertis vultus, & ſubit ora rubor.

HEINSIUS.

6. *Ingenuas.*] *Ambiguas* Bernenſis.

11. *Invenies illic id te ſpondiſſe.*] Libentius lego ut eſt in aliis lib. *juraſſe*. Infrà: *Haec adjuravit amanti: &, ſed haec metuit perjura vocari.* & initio, *iterum jurabis amanti.* CIOFANUS.

Ni tibi cum verbis excidit illa fides
Id metui, divae diffuſa eſt ira decebat.]

Etiam hi duo verſus non in omnibus habentur. Volſcus eos ex ſuo exemplari, quod ipſe vetuſtiſſimum dicit, adjecit. Neque libet eos rejicere, neque magnopere approbare: quando ſententia etiam absque his conſtet, utcunque illi idem non videatur. MICYLLUS. In gloſſa autem Scriverii haec ſunt verba:

Juro tibi ſane per myſtica ſacra Dianae,
Me tibi venturam comitem nuptamque futuram.

11. *Quod opto.*] *Optem* malo. HEINSIUS.

14. *Mora eſt.*] *Metu* Moreti.

15. *Vel*

Nunc quoque idem timeo: ſed idem tamen acrius illud
Adſumſit vires; auctaque flamma morâ eſt.
Quique fuit numquam parvus; nunc tempore longo,
Et ſpe, quam dederas tu mihi, crevit amor.
Spem mihi tu dederas: meus hic tibi credidit ardor.
Non potes hoc factum teſte negare Deâ.
Adfuit, & praeſens, ut erant, tua verba notavit:
Et viſa eſt motâ dicta probaſſe comâ.
Deceptam dicas noſtrâ te fraude licebit:
Dum fraudis noſtrae cauſſa feratur amor.
Fraus mea quid petiit, niſi quo tibi jungerer uni?
Id me, quod quereris, conciliare poteſt.
Non ego naturâ, nec ſum tam callidus uſu:
Sollertem tu me, (crede) puella, facis.
Te mihi compoſitis (ſi quid tamen egimus) à me
Adſtrinxit verbis ingenioſus Amor.

Dicta-

15. *Vel tempore longo.*] *Nec tempore* Puteaneus aliique plurimi. quinque, *tam tempore.* lege, *jam tempore longo.* niſi malis, *nunc tempore*, quomodo Moreti codex cum uno Ambroſiano. IV. Met. 60. *Tempore crevit amor.* unus, *nec tempore parvo.* unus itidem, *ne tempore longo.* alius, *non tempore longo.* HEINSIUS.

16. *Ex ſpe.*] Puteaneus & decem alii, *Et ſpe.* quidam cum prima editione, *Et ſpem.* plures, *Et ſpes.* Leidenſis, *Is ſpe. crevit* etiam pro *creſcit* Puteaneus, & decem alii. HEINSIUS.

18. *Non potes hoc factum teſte negare Deâ.*] Hoc quoque loco ſequuntur duo verſus, qui haud dubiè à curioſo aliquo interpoſiti ſunt. Neque enim cum toto loco quicquam conſentiunt: & per ſe tales ſunt, ut ab Ovidiana phraſi planè abhorreant. Sunt autem hi:

Me tibi nupturam, foelix erat omen, Aconti,
Juro, quam colimus, numina magna Deae.

MICYLLUS. Forte *pactum.* ut & paulo poſt:

Sit fraus huic nomen pacto.

Supra *pactam fidem* appellat. infra:

——*Recitetur formula pacti.*

Et v. 202.

Nil tua, Cydippe, pacta ruboris habent.

HEINSIUS.

19. *Praeſens ut erat.*] *Erant* Puteaneus & Patavinus. Atque ita forſan Epiſtola ſequenti v. 25. ſit ſcribendum:

Sicut erant, properans verba imperfecta relinquo.

De hoc loquendi modo vide Notas in Metam. x. 7. IDEM.

20. *Mota dicta tuliſſe coma.*] *Notaſſe* multi ex ſcriptis. Gronovianus, Oxonienſis & Leidenſis, *probaſſe.* quod verum eſt. Faſt. II. de Lucretia. 826.

Illa jacens ad verba oculos ſine lumine movit,
Viſaque concuſſa dicta probare comâ.

Slichtenhorſtius conjiciebat, *ſigna tuliſſe*, vel *dediſſe* ex illo. III. Amor. II. 58.

Adnuit & motu ſigna ſecunda dedit. IDEM.

23. *Niſi uti tibi jungerer uni.*] Scripti plerique cum primis editionibus, *niſi quod.* Forte, *niſi quo*, vel, *niſi ſi tibi jungar ut uni.* HEINSIUS. *Quo tibi jungerer* etiam Douza legebat. ſed forte totum diſtichon ita conſtituendum:

Fraus mea quid petiit, niſi quo tibi jungerer? unum
Id me, quod quereris, conciliare poteſt.

Hoc unicum, *quod quereris* (ita enim veteres locuti, pro de *quo quereris*, ut mox verſu 34. vid. ad Petron. cap. XCI.) meriti locum habet, & me tibi conciliare poteſt. de illo *quo* pro ut, vid. ad Epiſt. XVIII. 203. & Remed. 517. BURMANNUS.

24. *Id me quod quereris conciliare poteſt.*] *Potes* Multi ex ſcriptis. Aut diſtichon hoc valde ſit mendoſum oportet; aut Ovidianae non ſit venae. Forte:

Me tibi, quod quereris, conciliare poteſt.

HEINSIUS.

25. *Callidus uſu.*] *Arte* quidam. Argentinus *aſtu.* IDEM.

27. *Si quid tamen egimus arte.*] *Egimus ante* duo libri. *egimus à me* Puteaneus. hoc eſt à me compoſitis. pro *compoſitis*, *conſpicis* Voſſianus. forte *conceptis.* IDEM.

Dictatis ab eo feci sponsalia verbis:
Consultoque fui juris Amore vafer.
Sit fraus huic nomen facto, dicarque dolosus:
(Si tamen est, quod ames velle tenere, dolus.)
En iterum scribo, mittoque rogantia verba.
Altera fraus haec est: quodque queraris, habes.
Si noceo quod amo; fateor, sine fine nocebo;
Teque petam: caveas tu licet ipsa peti.
Per gladios alii placitas rapuere puellas:
Scripta mihi caute litera crimen erit?
Dî faciant, possim plures imponere nodos!
Ut tua sit nullâ libera parte fides.
Mille doli restant: clivo sudamus in imo.
Ardor inexpertum nil sinet esse meus.
Sit dubium, possisne capi; captabere certe.
Exitus in Dîs est: sed capiere tamen.

Ut

29. *Feci.*] *Misi* Bernensis.

30. *Consultoque.*] Douza tmesim vult esse, *consulto juris*, pro *Jurisconsulto*, amore. sed ego puto sensum esse, *consulto amore fui vafer juris.* nam & *vafer* proprie de Jurisconsulto, & in bonam partem sumitur. vid. Acron. ad Horat. I. Sat. III. 130. vid. ad Epist. XVI. 314. BURMANNUS.

34. *Fraus haec est.*] *Fraus hoc est* Leidensis & Lovanienſis. vid. ad Epist. II. 156.

36. *Teque petam caveas tu licet, ipse petam.*] Inconcinna hoc loco repetitio. *usque petam* duo libri. quatuor alii, *ipsa peti.* recte. posset & legi, *Teque, peti caveas tu licet, usque petam.* Nam Argentinus, *Teque peto.* HEINSIUS. Non video satis quid significet hic, τὸ *caveas* nisi ex jure velis explicare cum Bersmanno & aliis. in Lovanienſi erat, *nolis tu licet ipsa peti.* quod planius esse puto. BURMANNUS.

37. *Per gladios.*] Curtius IV. I. *Quod alii per ignes ferrumque peterent.* Epist. XVII. 246. diverso paullum sensu ducit:

Ibit per gladios (hei mihi!) noster amor.

Rigidas rapuere, Bersmannus in margine ex codice suo. BURMANNUS.

39. *Di faciant, possim plures imponere nodos.*] *Plures possim tibi ponere nodos* Moreti codex, venuste. Epist. IV. 135. tamen:

Impsuit nodos cui Venus ipsa suos. HEINSIUS.

41. *Mille modi restant: clivo sudamus in imo.*] *Doli* meliores cum Puteaneo. HEINSIUS.

41. *Clivo sudamus in imo.*] In quibusdam, *clivo sudamus in isto.* NAUGERIUS. Idem *clivo imo* cum tribus aliis. optime. Remedio Amoris, 394.

Principio clivi noster anhelat equus.

De clivo Proverbii vicem obtinuit Plaut. Asin. III. 3. *Adversus clivum te quadrupedem agitabo.* *Imus* autem, ut *imos montium pedes* & *radices* passim Historici dicunt. *Imum clivi jugum* Liv. II. cap. 65. *Imum saxum* Liv. VIII. 6. *Infima clivi* Liv. XXVIII. 31. sic contra Virg. lib. XI. *Cur indecores in limine primo deficimus.* contra *in summo clivo deficere* apud Senec. Epist. XCII. sic pariter peccatum apud Virgil. IV. Georg. 273.

Namque uno ingentem tollit de cespite silvam.

Ubi ex MSS. legendum, *imo.* & apud Claud. VI. Cons. Hon. 238.

Omnibus exclusus coeptis consedit in imo
Colle tremens.

Male MSS. ibi, *uno.* HEINSIUS. Proverbii speciem haec verba praeferre apparet ex Petronio c. XLVII. *Nec adhuc sciebamus, nos in medio lautitiarum, quod ajunt, clivo laborare.* ubi vide quae notavimus. alludunt ad hanc sententiam illa Propertii lib. I. Eleg. XIII. 9.

Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, & primo lapsus abire gradu.

Ubi cum Heinsio malim, *lassus. Imo clivo* vero recte vindicat Heinsius. ita Flor. lib. II. cap. 3. *Ligures imis Alpium jugis adhaerentes.* & III. 20. *Ad imas Vesuvii descendere radices.* Livius IX. 35. *Imi montes.* XL. 22. *Imi colles Aemi.* Noster XV. Met. 548. *Montisque jacens radicibus imis.* Valer. Flacc. I. 25. *Imus Olympus.* ubi male alii *unum*, quae voces & facile & frequenter permutatae. vid. Cl. Drakenb. ad Sil. IV. 312. V. 112. BURMANNUS.

44. *Exitus in dis.*] *In dubio est* Gottorphianus. nil muta. Pindarus:

Νῦν δ' ἔλπομαι μὲν, ἐν θεῷ γε μὰν τέλος.

HEINSIUS.

46. *Quam*

Ut partem effugias, non omnia retia falles:
Quae tibi, quam credis, plura tetendit Amor.
Si non proficiant artes, veniemus ad arma;
Inque tui cupido rapta ferere sinu.
Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum:
Nec quemquam, qui, vir possit ut esse, fuit.
Nos quoque: sed taceo. mors hujus poena rapinae
Ut sit, erit quam te non habuisse, minor.
Aut esses formosa minus, peterere modeste.
Audaces facie cogimur esse tuâ.
Tu facis hoc, oculique tui; quibus ignea cedunt
Sidera; qui flammae caussa fuere meae.
Hoc flavi faciunt crines, & eburnea cervix;
Quaeque, precor, veniant in mea colla manus:
Et decor, & vultus sine rusticitate pudentes;
Et, Thetidi quales vix rear esse, pedes.

Cetera

46. *Quam credis, plura.*] *Credas* scribe. sic Epist. XIX. 18.

Plus quoque, quam credi quod mihi possit, amo.

Mox *proficiant* multi ex scriptis. HEINSIUS.

47. *Ad arma.*] *Ad enses* Regius & unus Heinsii.

48. *Cupido sinu.*] Respexisse puto ad juvenum ingenium, qui, ut ait Aristoteles lib. II. Rhetor. *cupidi sunt*, aut ad ipsorum summam in re venerea cupiditatem ac vim. Qualia sunt illa:

A juvene & cupido credatur reddita virgo?

Et:

Cùm primùm cupido Venus est deducta marito.

CIOFANUS. *Inque tui cupidus*, vel, *Inque meo cupido* Puteaneus. Lege, *Inque meo cupidi sinu*, & vide quae noto ad Epist. v. XV. 45. *meo cupido* etiam prima editio, & ex melioribus scriptis decem. Alii complures, *mei cupido.* alter Mentelianus, *mei cupidi. ferre in sinu* diximus ad III. Fast. 218. HEINSIUS. *Inque tui cupidos rapta ferere sinus*, malebat Francius.

49. *Non sum qui soleam.*] Plena locutio esset, *non is sum, qui soleam.* lib. I. Amor. XII. 29. *Non est, qui debeat uri.* plenam locutionem habes, apud Ciceronem IV. ad Fam. 2. *Si ii essemus, qui debemus.* & Lucan. I. 171. *Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret.* & ita alii. hanc elegantiam Latini sermonis egregie illustravit Vorstius de Latinitate falsò suspecta. cap. V. BURMAN.

53. *Aut esses.*] *Si esses tu*, olim fuisse lectum testatur Lipsius lib. I. Ant. Lect. 20. qui fecit, *aut esses.* Francius, *Quod si esses.* in Oxon. & Lincoln. erat, *Aut si esses.* in Moreti, *O esses.* non male. *petere* vero *modeste* illustravimus ad Phaedr. II. I. BURM.

55. *Quibus ignea cedunt.*] Malo, *cedant.* ut:

Cedant carminibus reges regumque triumphi.

HEINSIUS.

57. *Hoc faciunt flavi crines.*] Flavus capillus; ut niger, commendatur in puellis. sic de Lucretia ext. lib. II. Fast.

Forma placet, niveusque color, flavique capilli,
Quodque aderat nulla factus ab arte color.

Virg. lib. IV. Aeneid. 698.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Fallitur ibi doctiss. interpres, Servius, qui haec scribit: *Absconde galero. Huic ergo dat, quasi turpi.* Virg. enim lib. I. dixerat Didonem esse pulcherrimam, ubi ita est:

Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit.

CIOFANUS. Verum tamen est, quod Servius observat, *flavos* crines tribui semper Feminis, si non omnino turpibus, cultis tamen & a Venere non abhorrentibus: & hoc docet Menandri praeceptum apud Clement. lib. III. Paedag.

Τὴν γυναῖκα γὰρ
Τὴν σώφρον' οὐ δεῖ τὰς τρίχας ξανθὰς ποιεῖν.

Ubi aeternum Graecae Poëtices opprobrium, Clericus, rutilasse crines mulieres notat, ne rufae videantur. quod egregie falsum ostendit, qui exempla dabit plena manu, Broukh. ad Tibul. I. Eleg. VI. 8. quod vero etiam Lucretiae tribuat Nostor II. Fast. 763. aliter locum illum esse legendum ibi notabimus. & ita delicati pueri finguntur, ut *Flavus Ganymedes* Horat. IV. Od. 4. deseruit vero sua eruditio Cruquium, qui *Flavam Cnidon* apud Horat. III. Od. 9. a bile flava dici contendit. ita enim & *Phyllis flava* II. Od. 4. *Flavam* tamen etiam a colore cutis dicit Nostor II. Amor. IV. 39. & ab oculorum colore *Flavam* Minervam dicit

Cetera ſi poſſem laudare, beatior eſſem:
Nec dubito, totum quin ſibi par ſit opus.
Hac ego compulſus, non eſt mirabile, formâ,
Si pignus volui vocis habere tuae.
Denique, dum captam tu te cogare fateri,
Inſidiis eſto capta puella meis.
Invidiam patiar: paſſo ſua praemia dentur.
Cur ſuus à tanto crimine fructus abeſt?
Heſionen Telamon, Briſeïda cepit Achilles:
Utraque victorem victa ſecuta ſuum.
Quamlibet accuſes, & ſis irata licebit;
Iratâ liceat dum mihi poſſe frui.
Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram:
Copia placandae ſit modo parva tui.

Ante

Noſter I. Amor. I. 7. & II. Art. 659. ubi tamen *rava* mavult Heinſius. ſed & II. Met. 749. *Flava* dicitur. BURMANNUS.

58. *Quaeque precor.*] *Quaſque* prima editio cum plurimis ſcriptis. HEINSIUS.

60. *Et Thetidi quales.*] Ἀργυρόπεζαν Thetin ex Homeri Rhapſodia innuit. EGNATIUS. Pertinet hoc ad Homericum epitheton, quo Thetis ἀργυρόπεζα ab Homero dicitur, hoc eſt, pedes argenteos habens. quod ad candorem Deae pertinet, quem cum argento Poëta comparat. MICYLLUS.

60. *Reor.*] *Rear* prima editio, Puteaneus, & alii complures bene. Lege etiam, *Thetidi.* nam in Gottorphiano, *Thetidem vel Veneri.* hinc ἀργυρόπεζα Thetis Homero dicta. HEINSIUS.

62. *Nec dubito totum quin tua pars ſit opus.*] *Tibi pars* prima editio. quatuor ſcripti, *tibi par.* Gottorphianus & prior Moreti pro diverſa lectione, *ſibi par.* quomodo jampridem eſſe reſtituendum divinaram. Amor. II. Eleg. VI. 60.

——*Tumulus pro corpore parvus,*
Quo lapis exiguus par ſibi carmen habet.

Met. lib. XII. 618. ex veſtigiis veterum librorum:

Haec illi menſura viro reſpondet, & hac eſt
Par ſibi Pelides.

Triſt. IV. Eleg. VI.

Triſtior eſt etiam praeſens aerumna priori,
Ut ſit enim ſibi par, crevit & aucta mora eſt.

Triſt. V. Eleg. ult. 23.

Nam tua, dum ſtetimus, turpi ſine crimine manſit,
Et Famae probitas irreprehenſa fuit.
Par eadem noſtra nunc eſt ſibi facta ruina.

Ita verſus iſti mendoſiſſimi ſunt corrigendi. Martialis, lib. IX. Epigr. ultimo:

Quae nova tam ſimiles genuit ſibi Leda Laconas.

Ubi, *ſimiles tibi*, perperam legitur, & *Laconas.* Horat. I. Sat. III. *Nil fuit umquam ſic impar ſibi.* Silius XII. 577.

Per plurima veſtra
O ſocii decora, & ſaturatas ſanguine dextras
Vobis ite pares.

Ita emendavimus ex veteribus libris. vulgati *votis ite pares.* Manil. III. 244.

Cum ſpatium non ſit ſibi par pugnantibus horis.

Quomodo & illos verſus caſtigandos videri, monui ad VII. Faſt. 793. ubi plura. HEINSIUS. Vellejo eamdem elegantiam reddidit Heinſius lib. II. 97.

67. *Sua praemia.*] *Mea praemia* Excerpta Douzae.

69. *Heſionem Telamon.*] Hercules cùm Laomedonta interfeciſſet, Telamoni, quòd primus Ilium intraſſet, Heſionam praemii loco dedit. Apollodorus lib. II. Τελαμῶνι Ἀριστεῖον Ἡσιόνην τὴν Λαομέδοντος θυγατέρα δίδωσι ἐξ ἧς ὕστερον Τελαμὼν τὸν Τεῦκρον γεννᾷ. CIOFANUS.

69. *Briſeïda cepit Achilles.*] Cùm Lyrneſſum expugnaſſet. CIOFANUS.

70. *Utraque victorem nempe ſecuta ſuum.*] Sic legendum, non *virum:* quamvis Telamon Heſionen poſtea uxorem duxerit; at non Achilles Briſeïda. CIOFANUS. *Victa ſecuta* Gottorphianus & unus Ambroſianus. argute. Propert. lib. III. IX. 16.

Vicit victorem candida forma virum.

Metam. III. 95.

Dum ſpatium victor victi conſiderat hoſtis.

Faſt. III. 101.

Nondum tradiderat victas victoribus artes
Graecia.

Quo Juvenalis reſpiciunt illa:

Graecia

Ante tuos flentem liceat conſiſtere vultus:
Et liceat lacrimis addere verba ſuis.
Utque ſolent famuli, cum verbera ſaeva verentur,
Tendere ſubmiſſas ad tua crura manus.
Ignoras tua jura; voca; cur arguor abſens?
Jamdudum dominae more venire jube.
Ipſa meos ſcindas licet imperioſa capillos,
Oraque ſint digitis livida facta tuis:
Omnia perpetiar: tantum fortaſſe timebo,
Corpore laedatur ne manus iſta meo.
Sed neque compedibus, nec me compeſce catenis:
Servabor firmo vinctus amore tui.
Cum bene ſe, quantumque volet, ſatiaverit ira;
Ipſa tibi dices, Quam patienter amat!

Ipſa

Graecia capta ferum victorem cepit.
Epiſt. IX. 70.
Huic victor victo nempe pudendus eras.
Amor. I. Eleg. I.
Qua vicit victos protegit ille manu.
Rutil. Itinerar.
Victoresque premit natio victa ſuos.
Praeterea *victorem ſuum*, prima editio, cum primo Medicêo. male. ut ex Propertii loco jam vidimus. HEINSIUS. Epiſt. IX. 2. *Victorem victae ſuccubuiſſe queror.*

74. *Placandae tui.*] Meliores cum Puteaneo *placandi*. recte. Alterum Latine vix dicitur. HEINS. Sanctius lib. III. Miner. cap. 8. *Placandi tui* defendit. ſed Cl. Periz. n. 18. utrumque dici poſſe docet. & ad lib. I. cap. 2. n. 7. praefert *placandae*.

75. *Ante tuos flentem.*] Lovanienſis, *Ante tuos vultus liceat conſiſtere flenti.*

75. *Flentem liceat.*] *Vultus liceat conſiſtere flenti* Lovanienſis. *Ante tuos oculos liceat conſiſtere flentem* Bernenſis.

76. *Et liceat lacrymis addere verba meis.*] *Suis* Puteaneus cum Lovanienſi & altero Moreti. probe. vide Notas Epiſtola XVII. ỳſ. 252. Triſt. III. Eleg. III. ut ſcribendum puto:

Deque ſuis lacrymis humida ſerta dato.

Sed liceat quoque Lovanienſis. HEINSIUS.

78. *Tendere ſubmiſſas in tua crura manus.*] *Ad tua* meliores. quidam etiam, *ſub tua jura*. Amor. lib. I. Eleg. II.

Porrigimus victas ad tua crura manus.

Ut quidem vetus illic membrana exhibet. Petron. cap. XVII. *Protendo ad genua veſtra ſupinas manus*, apud Maronem:

Dixerat & genua amplexus, genibusque volutans.

Plaut. Milit. IV. VI. 24. *Si pol me volet uxorem ducere, genua amplectar.* Apulej. III. Mileſ. *Cuidam manus deoſculatus, & ipſa genua contingens.* ſic & Homerus & alii. HEINS. Senec. Herc. Fur. 1002.

En, blandas manus
Ad genua tendens, voce miſeranda rogat.

Quinctil. Decl. XV. *Tendit ad genua veſtra ſupplices manus.* vid. Delr. ad Senec. Med. 247.

80. *Dominae more.*] Francius malebat, *jure*. ex Epiſt. III. 154.

82. *Oraque ſint digitis livida noſtra tuis.*] *Livida facta* probe libri duodecim. *aſpera facta* duo alii. Epiſtola Oenones:

Oraque ſint digitis aſpera facta meis.

Sic *frigida facta*, & *ſaucia facta* Ep. Hypermneſtrae. Am. I. Eleg. VI.

Uda ſit ut lacrymis janua facta meis.

Quare & lib. III. Faſt. forte ſcribendum:

Factaque cum fuerit rore bis uda ſeges.

Cum *Tactaque* illic legatur. *pallida facta* Remedio Amoris. *arida facta* Hypſipyles Epiſtolâ, & Triſt. III. El. XIV. & Elegia de Nuce; *obvia facta* Faſt. II. *languida facta* Faſt. III. & V. *tabida facta* Pont. I. Eleg. I. & *ſaxea facta* de Niobe Eleg. II. *barbara facta* Epiſt. Medeae & Triſt. V. Eleg. VII. *dura facta* Triſt. V. El. X. *humida facta* Triſt. IV. Eleg. I. Pont. I. Eleg. X. *facta beata* bis apud Propertium. *candida facta gelu* Triſt. III. Eleg. X. *via per jactas candida facta nives* Art. Am. II. & ſic ſaepe. HEINSIUS.

83 *Tantum fortaſſe timebo.*] Francius conjecerat, *tantum, formoſa, timebo.*

86. *Amore tui.*] *Amore tibi* codex Douzae. *Amore tuo* Junianus.

87. *Cum bene ſe quantumque volet.*] Malo *volet*. HEINSIUS.

90. *Iſta*

Ipsa tibi dices, ubi videris omnia ferre;
Tam bene qui servit, serviat iste mihi.
Nunc reus infelix absens agor: & mea, cum sit
Optima, non ullo caussa tuente perit.
Hoc quoque, quod jus est, sit scriptum injuria nostrum:
Quod de me solo nempe queraris, habes.
Non meruit falli mecum quoque Delia. si non
Vis mihi promissum reddere, redde Deae.
Adfuit, & vidit, cum tu decepta rubebas:
Et vocem memori condidit aure tuam.
Omina re careant. nihil est violentius illà,
Cum sua, quod nolim, numina laesa videt.
[Testis erit Calydonis aper. nam scimus, ut illo
Sit magis in natum saeva reperta parens.]
Testis & Actaeon, quondam fera creditus illis,
Ipse dedit leto cum quibus ante feras.
Quaeque superba parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdonià flebilis exstat humo.
Hei mihi, Cydippe! timeo tibi dicere verum;
Ne videar caussà falsa monere meà:

Dicen-

90. *Iste mihi.*] *Ille* placebat Francio.

92. *Non ullo.*] Francius conjiciebat, *me nullo.*

93. *Hoc quod amor jussit, scriptum est injuria nostra.*] *Hoc quoque quod ... jussit, scriptum injuria nostrum* Puteaneus. *Hoc quoque quod jussit scriptum est injuria nostri*, vel *nostra* vel *nostrum* plerique. *Hoc quoque quod vis sit* prima editio & quatuor scripti. Lovanienses, *Hoc quod opus jussit.* alter Mentelianus:

Hoc quoque jussit amor, scriptum est injuria nostri.

Puto:

Hoc quoque, cum jus sit, sit scriptum injuria nostrum.

Vel quid simile. Sed totum distichon opinor esse adulterinum. Heinsius.

94. *De me solum.*] *Solo* Puteaneus. & alii multi ex melioribus. Heinsius.

95. *Non meruit.*] Malo, *num.* Heinsius. *Nec meruit* Francof. Lovan. & Excerpta Douzae.

100. *Cum sua quae non vult.*] *Quod nolim* Puteaneus & quinque alii. quidam, *quod non vult, quod nollem, quod nolit*, & similia. sic XIII. Metam. 863.

Ille tamen placeatque sibi, placeatque licebit
(Quod nolim) Galatea tibi.

Ibide 145.

Sive ego, quod nolim, longis consumptus ab annis.

Heins. Formula usitatissima in avertendo omine, Prop. I. 7.

Quod nolim nostros evoluisse Deos.

Ubi videndus Passeratius. Cicer. VIII. ad Fam. 2. & 6. *Si, quod nolim, adversi quid evenerit. Quod nollem* Moreti. & hac formula usi Martial. I. 72.

Hesterna factum narratur, Postume, caena
Quod nollem.

& alii. contraria formula, *quod mallem* utitur Noster Epist. seq. vers. 35. Burmannus.

101. *Testis erit Calydonis aper. nam scimus ut illo.*] In Puteaneo codice nihil veteris lectionis apparebat, praeter haec, *Testis erit..... lydon .. ap.* vulgata lectione manu recentiori substituta. pro, *nam scimus ut illo* Sarravianus & alii nonnulli, *sic saevus ut illo. nos scimus* Moreti. *sic scimus* alii nonnulli. vel, *si scimus*, ut Argentinus. *scit saevus ut illa.* Mihi & hoc distichon adulterinum videtur. Scholiastes aliquis exemplum apri Calydonii reliquis duobus de Actaeone & Niobe addiderat. ex eo Scholio distichon postea est conflatum, barbarum sane & insulsum. Heinsius.

103. *Quoniam fera.*] Lego, *quondam*; ut est in aliis libris. Ciofanus.

106. *Adstat.*] Oxon. Lovanienses & Excerpta Douzae, *exstat.* quod verum puto: nam Pausanias lib. I. Attic. cap. 21. dicit, marmor in monte Sipylo prominere, quod procul intuentibus praebet speciem mulieris lugentis. Burmannus.

108. *Monere.*] *Movere mea* Bernenses, Oxonienses & quindecim alii.

110. *Saepe*

Dicendum tamen eſt: hoc eſt, (mihi crede) quod aegra
Ipſo nubendi tempore ſaepe jaces.
Conſulit ipſa tibi; neu ſis perjura laborat:
Et ſalvam ſalvâ te cupit eſſe fide.
Inde fit, ut, quoties exiſtere perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce movere feros animoſae Virginis arcus;
Mitis adhuc fieri, ſi patiare, poteſt.
Parce, precor, teneros corrumpere febribus artus;
Servetur facies iſta fruenda mihi.
Serventur vultus ad noſtra incendia nati:
Quique ſubeſt niveo laetus in ore rubor.
Hoſtibus è ſi quis, ne fias noſtra, repugnat;
Sic ſit, ut, invalidâ te, ſolet eſſe mihi.
Torqueor ex aequo, vel te nubente, vel aegrâ:
Dicere nec poſſum, quid minus ipſe velim.
Maceror interdum, quod ſim tibi cauſſa dolendi:
Teque meâ laedi calliditate puto.
In caput haec noſtrum dominae perjuria, quaeſo,
Eveniant: poenâ tuta ſit illa meâ.

Ne

110. *Saepe jaces.*] Mallem, *nempe*, qua vocula Noſter delectatur. ſic 1. Am. 674.

Quod juvat, invitae nempe dediſſe volunt.

Patavinus quoque codex *nempe*. eadem varietas 1. Am. IX. 25. & III. Art. Am. 532.

Facundus cauſſam ſaepe clientis agat.

Ubi Heinſ. *nempe* reſcribit. & alibi. BURMANNUS.

113. *Inde fit.*] *Unde fit* Francof. & Lovan.

113. *Exiſtere.*] In nonnullis, *obſiſtere*, in aliis, *inſiſtere*. NAUGERIUS. *Obſiſtere* legendum puto. CIOFANUS. Puteaneus, *exi....re.* quatuor ſcripti, *obſiſtere. conſiſtere* Voſſianus. unus Farneſianus, *reſiſtere*. Jureti excerpta, *hanc fallere*. HEINSIUS. forte, *perſiſtere*.

120. *Lenis in ore rubor.*] In quibusdam, *levis*. NAUGERIUS. *Laetus* quatuor ſcripti. ſic apud Silium lib. XV.

Stans vultus & ore
Inceſſuque viro propior, laetique pudoris.

Forte etiam legi poſſet:

Quique rubet niveo laetus in ore color.

Ut III. Art. Am. 74. ex MSS.

Et perit in niveo qui fuit ore color.

Et Medic. 89.

Haerebit toto multus in ore color.

Color hic eſt in quatuor ſcriptis. HEINSIUS. *Laevis* Excerpta Douzae & decem Heinſii. *lentus* Leidenſis.

121. *Hoſtibus & ſi quis.*] *Hoſtibus* è Baſileenſis. *Hoſtibus ex* duo alii. Forte, *Hoſtibus*, ô. HEINS.

124. *Dicere nec poſſum quod minus eſſe velim.*] *Quid minus ipſe velim* Puteaneus & alii ex melioribus. *poſſim* praeterea legendum. HEINSIUS.

125. *Maceror interdum.*] Grammatici quidam, dum *macerari* verbum prima correpta pronuntiari poſſe contendunt, verſiculum hunc ingenioſiſſimi vatis contaminaverunt, non advertentes inverſum eſſe verborum ordinem, & ſic reſtituendum, ut nos emendavimus. EGNATIUS. Hunc, ut Horatii verſum, citant membranae apud Barth. XXXVII. adv. 13. niſi duplex ibi exemplum adtulerit gloſſator: primum ex Horatio 1. Od. 13. unde collegit ille produci primam. deinde alterum ex Ovidio produxerit, unde corripi probavit:

Interdum maceror quod ſim tibi cauſſa doloris.

BURMANNUS.

125. *Cauſſa doloris.*] *Dolendi* meliores. HEINS.

127. *Inque caput noſtrum.*] *In caput noſtrum* Puteaneus. Alii multi, *In caput & noſtrum.* alter Mentelianus, *Et caput eſt noſtrum.* Lego, *In caput ô noſtrum.* nam in uno Farneſiano, *hoc noſtrum.* Gottorphianus, *haec noſtrum.* in quas voces Τὸ ô ſaepe degeneravit, ut ad Epiſtolam primam ver. 101. monuimus. Graeca imprecatio, apud quos frequenter occurrit, Ariſtophanem praeſertim, *εἰς κεφαλὴν σοι.* ſic, *Transferre pericula in caput ſuum.* apud Valer. Maximum lib. II. cap. IV. poſſet & reſtitui, *Di capiti noſtro.* quod malo. vid. Epiſt. V. 119. Ibide 448.

Ne tamen ignorem, quid agas; ad limina crebro
Anxius, huc illuc, diſſimulanter eo.
Subſequor ancillam furtim famulumve, requirens
Profuerint ſomni quid tibi, quidve cibi.
Me miſerum! quod non medicorum juſſa miniſtro,
Effingoque manus, inſideoque toro.
Et rurſus miſerum! quod, me procul inde remoto,
Quem minime vellem, forſitan alter adeſt.

Ille

Eveniant capiti vota ſiniſtra tuo.
Auctor Queroli: *Pellibus oſſibusque veſtris eveniat, quicquid optaſtis mihi.* Tibullus lib. I. Eleg. II.
Et mala ſi qua tibi dixit dementia noſtra,
Ignoſcas. capiti ſint precor illa meo.
Virgilius libro VIII. 483.
Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
Effera! Di capiti ipſius generique reſervent.
Abeant in caput ejus apud Senecam ſimili imprecatione. Caelius Ciceroni lib. VIII. Epiſt. I. *Te ſubroſtrani, quod capiti illorum ſit, diſſiparant periiſſe.* apud Aeſopum Fab. CCLXXV. Ἀλλ' ᾧ οὗτος ὃ θέλεις συ τούτοις, ἐπὶ τῇ σῇ κεφαλῇ γένοιτο. HEINSIUS.

128. *Eveniant*] Vide ad Epiſt. VII. 21.

130. *Diſſimulanter.*] Ita & I. Art. Am. 488.
Lecticam dominae diſſimulanter adi.
Non ineleganter pro ſeculo ſuo Amm. Marc. lib. XIV. I. de rumigerulis: *Hi peragranter & diſſimulanter honoratorum circulis adſiſtendo, pervadendoque divitum domus egentium habitu, quidquid noſcere poterant vel audire, latenter intromiſſi per poſticas in regiam, nuntiabant. Huc illuc* vero notat deambulationem, quae non ad certum locum inſtituitur, ſed cum ſaepe eadem ſpatia facimus, & animi cauſſa tantum ambulamus, ut ambulemus. ut apud Terent. Heaut. III. III. *Abi deambulatum ſane iſtac, iſtorſum, quovis.* Noſter III. Amor. VIII. 8. *Turpiter huc illuc ingenioſus eo.* Hirt. Bell. Afric. 73. *Ut legiones non in uno loco continerent, ſed per cauſſam frumentandi huc atque illuc raperet.* BURM.

131. *Requirens.*] Alii, *requiro.* HEINSIUS.

132. *Quidve cibi.*] *Sive cibi* Bernenſis.

134. *Aſtringoque manus.*] Legendum ex antiquis exemplaribus, *effingoque manus*, & paullo inferius, pro *illé manus iſtas aſtringit & aſſidet aegrae; Effingit & aſſidet aegrae.* eo verbi ſignificatu, quo idem Ovidius v. Faſt. 409. utitur eo verſu:
Ille manus aegras manibus fingebat amicis.
Et Virgilius Aeneidos octavo, 634.
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
NAUGERIUS. *Effingoque* Puteaneus & alii magno numero, cum prima editione. eleganter. & ſic paullo poſt, *Ille manus iſtas effingit.* cum iisdem codicibus. eſt autem *effingere*, demulcere, leviter tergere. ut apud Catonem de R. R. CLXVII. *Fiſcinas ſpongia effingat*, quod aemulatus Cicero Oratione pro Sextio cap. 35. quomodo & *plaudere* pro *palpare* dicebant, de quo III. Metam. 867. dictum. Afranius:
Accedo ad te, ut tibi cervicem fingam linteo.
Atque ita legendum ex codicibus ſcriptis. Elegia in mortem Druſi, 137.
Nunc ego te infelix ſummum teneoque tuorque,
Effingoque manus, oraque ad ora fero.
Faſt. V. 409.
Ille manus aegras manibus fingebat amicis.
Lib. II. 418.
Et fingit lingua corpora bina ſua.
Quae expreſſit ex iſtis Virgilianis de eadem re, lib. VIII. 634.
—— *Illam tereti cervice reflexam*
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Ubi Servius, *Fingere, id eſt tergere. Cicero in Seſtiana; Spongiis ſanguis effingebatur. id eſt tergebatur. Fingere tamen & formare aliquid & ad integram faciem arte perducere ſignificat. inde ſictores dicuntur, qui imagines vel ſigna ex aere vel cerá faciunt.* Senec. Hippol. 1262.
Durate trepidae lugubri officio manus,
Dum membra nato genitor annumerat ſuo,
Corpusque fingit; hoc quid eſt forma carens?
Quae pars tui ſit dubito, ſed pars eſt tui.
Atque ita capienda illa Plinii lib. I. Epiſt. III. *Effinge aliquid & exclude, quod ſit perpetuo tuum*, ita enim vetuſtiſſimus codex Medicêus, quo ſum uſus; non *excude*, ut ad urſas & aves alludat, quae informes foetus fingere, & ova excludere dicuntur. Noſter de urſa Metam. XV. 380.
Lambendo mater in artus
Fingit.
Quomodo de eadem re A. Gellius XVII. cap. 10. Claudian. in Rufin. I. 96.
——— *Linguisque triſulcis*
Mollia lambentes finxerunt membra ceraſtae.
Ubi plura. *fingi proles* pro generari eleganter dixit Columella lib. V. cap. 3. apud Plaut. Amphitryone I. I. 161. Soſia facete:
Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.
Et Lucilius apud Nonium in *fingere: Quum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis Fingens compono.*

Ille manus iſtas effingit, & adſidet aegrae,
Inviſus Superis, cum Superisque mihi.
Dumque ſuo tentat ſalientem pollice venam;
Candida per cauſſam brachia ſaepe tenet:
Contrectatque ſinus, & forſitan oſcula jungit.
Officio merces plenior iſta ſuo eſt.
Quis tibi permiſit noſtras praecerpere meſſes?
Ad ſepem alterius quis tibi fecit iter?

Iſte

pono. quod idem Nonius perperam pro *jungere* interpretatur. apud Valer. Flacc. lib. v.

Fingit placidis ſera pectora dictis.

Pro *mulcet.* vid. Schiopp. Suſpect. Lect. III. 8. ſic Metam. IV. 141. fabula Thisbes in nonnullis melioris notae codicibus ſcriptum offendi:

——— *Gelidis in vultibus oſcula fingens.*

Sic Epiſtola XIX. VI. 44. *Fingere oleo corpus.* ut illic ſcribendum monuimus. *aſſideoque thoro* etiam in uno Regio. quod ſequentia confirmant. & Horat. lib. I. Sat. I. 82.

Aut alius caſus te lecto adfixit. habes, qui
Aſſideat, fomenta paret.

Cydippe infra de amante:

Aſſidet ille quidem, quantum permittitur ipſi.

HEINSIUS. Nullum dubium, quin *adſidere* verbum ſit proprium eorum, qui vel medicinae, vel conſolationis cauſſa aegris & miſeris adſunt. vid. Paſſerat. ad Propert. IV. III. pag. 591. & nos ad Quinct. II. Decl. 10. ſed hic *inſideo* nollem ejicere: licet mox, & in ſequenti Epiſtola, *adſidet ille* de rivali legatur, & recte. Rivali enim illi, a quo alienior erat Cydippe, adſidere toro permittebatur, Acontii vero votum ulterius tendebat, cui ſi poteſtas facta fuiſſet ad aegram veniendi, non ille adſediſſe toro contentus, etiam inſediſſet, & in ſpondam ſe, non repugnante puella, poſuiſſet. id ſaltem votum latet in *inſideo.* ideoque minime mutandum. quod vero Noſter dicit, *effingere* manus, Auſon. Epigram. LXXIII. dixit *tractare.* BURMANNUS.

135. *Quod me procul inde removi.*] *Remoto* Puteaneus cum tribus aliis. recte. malim etiam, *Ter rurſus miſerum!* HEINSIUS.

140. *Candida per cauſſam brachia ſaepe tenet.*] Triſt. I. VII.

Per cauſſam meminit ſe tetigiſſe manum.

HEINSIUS. Illuſtrarunt bellam hanc & optimis ſcriptoribus perfamiliarem locutionem Broukhuſ. ad d. l. Tibulli, & Tennul. ad Fronton. lib. III. Strateg. cap. III. §. 6. BURMANNUS.

142. *Plenior illa ſuo eſt.*] *Iſta* ſcripti. HEINSIUS. *Plenior* hic eſt major, amplior; proprium de divitiis vocabulum. ita Martial. VII. 45.

Divitibus poteras muſas elegosque ſonantes
Mittere, pauperibus munera plena dato.

Ut legendum recte Voſſius ad Catulli carm. XIII. eſſe cenſet, & explicat. ita apud Horat. II. Od. 12. *Plenas Arabum domos*, Scholiaſtes *divites* reddit. Cicer. VII. ad Fam. 9. *Serius potius ad nos, dum plenior.* Vid. Graev. ad Cicer. pro Roſ. Amer. 2. & ſic V. Verr. 56. *Pleniores* pro ditioribus. BURMAN.

143. *Noſtras decerpere meſſes.*] In nonnullis, *noſtras praecerpere meſſes.* NAUGERIUS. *Noſtras praecerpere meſſes*, ſic Puteaneus cum aliis nonnullis. ut & primae editiones. Vulgati, *decerpere.* tres ſcripti, *praecipere.* multi, *percipere.* Strozzae codex, *percidere.* Lege, *praecidere* cum altero Moreti. quod verbum Columellae, praeſertim autem de ramis arborum, frequenti in uſu. vide ejus lib. VI. 3. Feſtus: *Praecidaneam porcam dicebant, quam immolare erant ſoliti, antequam novam frugem praeciderent. caedere* dixit Elegia de Nuce:

Si licet hoc, oleas diſtringite; caedite meſſes.

Silius lib. XV. 536.

Immatura ſeges rapido ſuccliditur enſe.

Sic & Caeſar Bell. Gal. lib. IV. 19. *Caeſar paucos dies in eorum finibus moratus, omnibus vicis aedificiisque incenſis, frumentisque ſuccisis, ſe in fines Ubiorum recepit.* ita optime vetuſtus codex Lovanienſis a me pervolutus. ſub finem ejusdem libri: *At Q. Titurius & L. Cotta legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vaſtatis, frumentis ſuccisis, aedificiisque incenſis, ad Caeſarem ſe receperunt.* A. Gell. lib. XIX. Lemmate capitis 12. *Exemplo indocti ruſtici, qui cum rubis fructiferas arbores praecidit.* nam *fructus praecerpere* aliud eſt. de quo Remed. Amor. V. 103. *Decerpere ſegetem* Avienus tamen dixit Fab. XXI. &, quod huic loco maxime appoſitum eſt, Cicero lib. IV. in Verr. 37. *Non praecerpo fructum officii tui, non alienam mihi laudem appeto.* elegans autem metaphora a Re Ruſtica ad Veneream. ſic Epiſt. XVII. *Et adhuc tua meſſis in herba eſt.* Prop. I. Eleg. XV. *Quare ſi ſapis oblatas ne deſere meſſes.* HEINSIUS. *Praecidere* uſus & Lucan. lib. VI. 340. *Et maturato praecidit veſpere lucem.*

144. *Ad ſpes alterius quis tibi fecit iter?*] *Ad ſepem alterius* codex unus Medicêus cum prima editione. optime: perſiſtit enim in metaphora. & *ſepem* dixit pro agro ſepibus munito. ſic lib. III. Art. 562.

Iſte ſinus meus eſt: mea turpiter oſcula ſumis.
A mihi promiſſo corpore tolle manus.
Improbe, tolle manus. quam tangis, noſtra futura eſt.
Poſtmodo ſi facias iſtud, adulter eris.
Elige de vacuis, quam non ſibi vindicet alter.
Si neſcis, dominum res habet iſta ſuum.
Nec mihi credideris: recitetur formula pacti.
Neu falſam dicas eſſe; face ipſa legat.
Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.
Quid facis hic? exi; non vacat iſte torus.
Nam quod habes & tu humani verba altera pacti;
Non erit idcirco par tua cauſſa meae.
Haec mihi ſe pepigit: pater hanc tibi, primus ab illâ:
Sed propior certe, quam pater, ipſa ſibi eſt.
Promiſit pater hanc: haec adjuravit amanti.
Ille homines, haec eſt teſtificata Deam.
Hic metuit mendax, timet haec perjura vocari.
Num dubites, hic ſit major, an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula poſſis,
Reſpice ad eventus: haec cubat, ille valet.
Nos quoque diſſimili certamina mente ſubimus;
Nec ſpes par nobis, nec timor aequus adeſt.

Tu

Te ſemper norit, tibi ſemper inhaereat uni:
Cingenda eſt altis ſepibus iſta ſeges.
Hinc & apud Virgil. in Georgicis, lib. 1. 270. *Segeti praetendere ſepem. Et ſepire ſegetem* Columell. lib. II. cap. XXII. *Ad ſpem alterius* Patavinus & Arondelianus, proxime ad verum. HEINSIUS. Ita Valer. Flac. VI. 537.

Non paſcua, non ſeps
Hic tibi.

Ubi vid. Heinſium. BURMANNUS.

145. *Turpiter.*] Cum dedecore & infamia. CIOFANUS.

151. *Nec mihi credideris.*] Malo, *Ne mihi.* nam in uno Regio erat, *Ni.* HEINSIUS. *Litera pacti* Oxon. & quatuor alii.

153. *Tibi nos, tibi dicimus.*] Elegans & ſolemnis increpationis graviſſimae formula. IX. Met. 122.

Tibi, Neſſe biformis,
Dicimus, exaudi, nec res intercipe noſtras.

Vide ad Phaedri lib. IV. Fab. 19. male hic Junianus; *vel nos tibi dicimus exi.* ſequenti verſu multi editi & ſcripti, *quid facis? hinc exi.* BURMANNUS.

154. *Iſte torus.*] *Iſte locus* Bernenſis & Junianus.

155. *Et tu humani.*] *Et tu thalami verba altera pacti*, volebat Francius.

156. *Non erit idcirco.*] Eleganter Francofurtenſis, *Non venit.* ut ſaepe Ovidius. vide ad Epiſt. IV. 113.

158. *Sed propior.*] *Et propior*, malebat Francius. *Sed prior eſt certe*, Moreti liber.

159. *Haec & juravit amanti.*] Regius, *ſed & haec.* praeſtat tamen, quod editiones nonnullas occupat, *adjuravit.* Noſter Metam. lib. III. 659.

Per tibi nunc ipſum (neque enim praeſentior illo
Eſt Deus) adjuro: tam me tibi vera referre,
Quam veri majora fide.

Terentius Andria IV. 2. *Per omnes tibi adjuro Deos.* Capitolinus in Gordiano: *De quibus adjurare ſolet is, ne quis ante rem completam quicquam vel audiat vel intelligat.* ita & Apulejus frequenter. Servius ad illa Virgilii lib. XII. 816.

Adjuro Stygii caput implacabile fontis.

Pro, juro. nam protheſis eſt. Quidam tamen volunt juro dici tunc debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus. ut, juro me facturum. Adjuro vero cum negamus. Adjuro me non poſſe, Adjuro me non feciſſe. Terentius, Adjurat ſe non poſſe apud vos Pamphilo abſente perdurare. Poteſt tamen & ad valde ſignificare, ut ſit, Adjuro, valde juro. ſic & apud Statium Theb. VII. *Hoſtesque propinquos Adjurat.* pro jurat eſſe propinquos. HEINSIUS.

161. *Haec & perjura vocari.*] Duo libri, *timet haec*

Tu petis ex tuto: gravior mihi morte repulsa est:
Idque ego jam, quod tu forsan amabis, amo.
Si tibi justitiae, si recti cura fuisset;
Cedere debueras ignibus ipse meis.
Nunc quoniam ferus hic pro caussâ pugnat iniquâ;
Ad quid, Cydippe, litera nostra redit?
Hic facit ut jaceas, & sis suspecta Dianae.
Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.
Hoc faciente, subis tam saeva pericula vitae.
Atque utinam pro te, qui movet illa, cadat!
Quem si repuleris, nec, quem Dea damnat, amaris;
Et tu continuo, certe ego salvus ero.
Siste metum, virgo, stabili potiere salute.
Fac modo polliciti conscia templa colas.
Nec bove mactato coelestia numina gaudent;
Sed, quae praestanda est & sine teste, fide.
Ut valeant aliae, ferrum patiantur & ignes:
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis; tantum perjuria vita:
Teque simul serva, meque, datamque fidem.
Praeteritae veniam dabit ignorantia culpae:
Exciderint animo foedera lecta tuo.

Admo-

haec perjura. mox, *Num dubites* bene Oxonienſis. HEINSIUS. *Sed & haec perjura* editiones priſcae & Berſmanni. *Haec perjurata* Oxonienſis. *Ille timet mendax, timet hac perjura vocari* Bernenſis.

164. *Haec cubat.*] Nempe in morbo: pro decumbere enim hac voce veteres uſos eleganter Douza in Succid. Append. ad Horat. cap. IV. oſtendit. BURMANNUS.

165. *Mente ſubimus.*] *Marte* praeſtiterit. HEINS.

166. *Nec ſpes par nobis, nec timor.*] De ſpe & timore vide quae dixi in Epiſt. Deianirae ad Herculem vers. 42. CIOFANUS. *Nec timor unus adeſt* Junianus & Bernenſis, & nonnulli alii.

171. *Nunc quoniam ferus hic.*] *Nunc ferus hic quoniam* concinnius legatur. HEINSIUS.

172. *Ad quid.*] In quem uſum. BERSM. Ex notis Hubertini patet legiſſe eum, *ad quod*; ſed non ſatis capio haec verba, *ad te Cydippe* editio princeps.

174. *Hunc tu, ſi ſapias.*] Hic deficiebat codex Puteaneus, ceteris ablatis uſque ad Elegiam ſecundam lib. I. Amorum. HEINSIUS.

176. *Qui movet ille cadat.*] Sic videtur legendum; cum ſequatur, *Quem ſi repuleris.* CIOFANUS. *Iſta* Douzae codex. ſed *illa* jam Aldus & alii receperunt. *Qui movet arma* Leidenſis. *Qui movet illa, ferat*, legebat Francius.

177. *Repuleris.*] *Reſpueris* Moreti codex.

177. *Amaris.*] Syncope. CIOFANUS.

178. *Et tu continuo.*] Malim, *At tu.* HEINSIUS. *Tu, puto, continuo*, conjiciebat Francius.

179. *Siſte metum.*] Sex codices, *pone metum.* ut initio Epiſtolae, & millies alibi.

180. *Polliciti.*] *Solliciti* Moreti.

181. *Non bove.*] *Nec* ſcripti plerique. HEINS.

182. *Et ſine teſte.*] Francius putabat, *vel ſine teſte.*

183. *Ferrum patiuntur & ignes.*] Tres libri, *patientur.* Junianus & Strozza, *patiantur.* recte. HEINSIUS.

184. *Fert aliis triſtem ſuccus amarus opem.*] *Medicam opem* Ambroſianus unus & Gottorpianus. ut Amor. II. El. IX.

Conſoſſum medica poſtmodo juvit ope.

Rem. Am. 76.

Carminis & medicae, Phaebe, repertor opis,

Triſt. V. El. VII.

Promiſſam medicae non tulit artis opem.

Pont. III. El. IV.

Ad medicam dubius confugit aeger opem.

Lib. IV. El. I.

Lenito medicam vulnere ſenſit opem. HEINSIUS.

185. *Perjuria vita.*] Cave ne perjura ſis. CIOFAN.

Admonita es modo voce meâ, modo caſſibus iſtis;
Quos, quoties tentas fallere, ferre ſoles.
His quoque vitatis, in partu nempe rogabis,
Ut tibi luciferas adferat illa manus.
Audiet; &, repetens quae ſint audita, requiret
Ipſa, tibi de quo conjuge partus eat.
Promittes votum; ſcit te promittere falſo.
Jurabis; ſcit te fallere poſſe Deos.
Non agitur de me: curâ majore laboro.
Anxia ſunt vitae pectora noſtra tuae.
Cur modo te dubiam pavidi flevere parentes,
Ignaros culpae quos facis eſſe tuae?

Et

188. *Exciderant animo foedera noſtra tuo.*] Male alii legunt, *foedera lecta*. CIOFANUS. *Foedera lecta* ſcripti fere omnes. & recte. ita *litera lecta* Epiſt. XXI. 238. & mox v. 214. *Verba lecta*. deinde, *Exciderint*, quod in tribus inveni, etiam amplector. niſi *Exciderunt* quis malit. de quo Epiſt. VII. vſ. 166. Propert. III. Eleg. 23.

Mens bona, ſi qua Dea es, tua me in ſacraria condo,
Exciderint ſurdo tot mea vota Jovi.

Sic ſcribo. eſt enim voventis; vulgo, *exciderunt*, & *dono*. HEINSIUS.

189. *Modo caſibus iſtis.*] Morbo quo nunc laboras. CIOFANUS. *Caſſibus* ſcribendum. quod Regius & Moretanus meliores confirmant. *Tendere retia* hoc vocabit Cydippe paullo poſt:

Tu noſtra juſtiu. ira,
Qui mihi tendebas, retia digna eras.

1. Amor. Eleg. VIII.

Parcius exigito pretium, dum retia tendis.

Sic apud Tibullum I. VII. 5.

Jam mihi tenduntur caſſes.

Noſter Art. Amat. III. 545.

——*Novus viſo caſſe reſiſtet amans.*

Lib. I. 392. *Non bene de laxis caſſibus exit aper.* HEINSIUS.

191. *In partu nempe vocabis.*] *Rogabis* cum ſcriptis. HEINSIUS. Quod praeſtat: proprium enim, de iis, qui implorant auxilium Deorum. eadem diverſitas. lib. X. Metam. 300.

Orpheá nequicquam voce rogatur.

Ita legendum ex MSS. cum vulgo ingratiſſima ſoni repetitione *voce vocatur*, circumferatur. & eodem libro 507.

Nec Lucina poteſt parcentis voce rogari.

Ubi eodem modo peccarunt librarii. lib. I. Amor. VIII. 107.

Saepe rogabis
Ut mea defunctae molliter oſſa cubent.

Senec. Herc. Fur. 1002.

Blandas manus
Ad genua tendens, voce miſeranda rogat.

Horat. I. Epiſt. VIII. I.

Celſo gaudere, & bene rem gerere Albinovano
Muſa rogata, refer.

Infr. Epiſt. Sequent. 61.

Aut Dea ſi fruſtra pro me tibi ſaeva rogatur.

BURMANNUS.

192. *Luciferas afferat illa manus.*] *Offerat* libri meliores. quidam *efferat* proxime ad verum. ſic lib. I. Artis 489. *offerre aures:*

Neve aliquis verbis odioſas offerat aures.

Ita enim veterrimi codices illic agnoſcunt. at & Pont. IV. El. XLII.

Materiam noſtris offerat ingeniis.

Luciferas autem *manus* hic dixit, ut *equos luciferos* Epiſtola Canaces:

Puraque luciferos luna movebat equos.

Numus apud me argenteus Juliae Piae, DIANAE LUCIFERAE inſcriptum habet, cum Emblemate Dianae taedam gerentis. Item alius ejusdem Juliae, LUNA LUCIFERA. Luna biga boum vecta. Sic & Diana φώσφορος apud Graecos dicta. HEINSIUS.

193. *Audiet haec repetens quae ſunt audita.*] *Quae ſint* ſcripti. *& repetens* etiam bene prima editio. HEINS. *Recolens* Barberinus. vid. Ep. v. 113.

195. *Promittere falſo.*] *Falſum* Junianus. *Falſa* novem alii. vid. III. Amor. III. 11. mox *poſſe Deos* Moreti & Lovanienſis.

197. *Non agitur.*] *Nil agitur*, tres libri.

198. *Anxia ſunt vitae.*] Francius corrigebat, *Anxia pro vita pectora noſtra tua. Sunt vita pectora noſtra tua* Leidenſis & Bernenſis. ſed *anxia vitae* eleganter dicitur. ita Plinius lib. XV. 18. *Cato perniciali odio Carthaginis flagrans nepotumque ſecuritatis anxius.* Paullinus natali ſexto:

Nummos
Miſerat in ſacram, nil anxia corporis, arcam.

Ipſe

Et cur ignorent? matri licet omnia narres;
Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent.
Ordine fac referas, ut ſis mihi cognita primum,
Sacra pharetratae dum facis ipſa Deae.
Ut, te conſpectâ, ſubito (ſi forte notaſti)
Reſtiterim fixis in tua membra genis:
Ut, te dum nimium miror, (nota certa furoris)
Deciderint humero pallia lapſa meo.
Poſtmodò neſcio quâ veniſſe volubile malum,
Verba ferens doctis inſidioſa notis.
Quod quia ſit lectum ſanctâ praeſente Dianâ,
Eſſe tuam vinctam, numine teſte, fidem.

Ne

Ipſe Ovidius lib. I. Metam. 623.

Timuitque Jovem, & fuit anxia furti.

BURMANNUS.

199. *Te dubiam.*] *Te dubii* editiones priſcae. & Regius cum novem codicibus. male tamen. *dubius* aeger dicitur, quia ejus ſalus in dubio eſt. ut Epiſt. ſeq. 31. *incerta ſalutis.* III. Pont. IV. 8.

Ad medicam dubius confugit aeger opem.

Stat. Achilleide I. 117.

Noſſe ſalutiferas dubiis animantibus herbas.

Ubi *aegris* in MSS. quibusdam eſt, quod a gloſſatore natum. conjungit *aegros dubios* Juvenalis Sat. XIII. 125.

Curentur dubii medicis majoribus aegri.

Et ita *dubiae rates* Noſtro. II. Art. 514. *Et dubiis malea vitata carinis.* Stat. IV. Theb. 224 ubi Schol. Barth. *De ſalute ſua: locus enim eſt valde periculoſus.* Lutatius quoque ad lib. VIII. 365. legiſſe videtur, *dubiis Malea dotata carinis.* non male. nam & *aureum ſinum* Maleum latrones vocaviſſe, auctor eſt Florus lib. III. cap. 6. BURMAN.

200. *Ignaros culpae quos facis eſſe tuae.*] *Cur licet* Jureti Excerpta, cum Menteliano & uno Medicéo. duo alii, *quos licet.* Scribe, *quos liquet.* Sequenti verſu, *ignorent* pro *ignorant* meliores. HEINS. *Quos ſinis*, malebat Francius.

202. *Facta ruboris habent.*] In aliis *pudoris.* probo. CIOFANUS. *Ruboris* ex iisdem ſcriptis reponendum. Sabini Demophoon:

O tibi quantus erit facti rubor!

Amor. III. El. XIV.

Illic nec tunicam tibi ſit poſuiſſe rubori.

Ita optimus liber. ut & Artis lib. III 83.

Latmius Endymion non eſt tibi, Luna, rubori.

Et eodem libro ex praeſtantiſſimis membranis 167.

Nec rubor eſt emiſſe palam. HEINSIUS.

204. *Sacra pharetratae dum facis ipſa Deae.*] Tò *ipſa* otioſum cum ſit hoc loco, vix dubitem Ovidium ſcripſiſſe, *aede Deae.* cognatio nimirum literarum in utraque voce effecit, ut alterutram oſcitantes librarii omiſerint, quod & alibi factum. Epiſt. XIV. ex veteri libro 24.

Et ſocer armatas accipit aede nurus.

Nam & illic *ipſe* eſt in vulgatis. Faſt. VI. 570.

Sed ſuperinjectis quis latet aede togis.

Ubi ſimiliter *iſte* legebatur. HEINSIUS. Conjectura haec dubia mihi videtur. mallem, *dum facit ipſa:* dum mater ſacra facit, conſpexit Cydippen Acontius, &c. confer Epiſt. ſeq. vers. 93. unde apparet Cydippen, dum mater ſacrificat, cum nutrice obambulaſſe loca ſacra, & tunc viſam ab Acontio; poſtmodo demum cum reverſa fuiſſet in aedem Dianae, veniſſe pomum. BURMANNUS.

207. *Et te dum nimium miror.*] *Ut te* recte Mentelianus, Arondelianus, & Baſileenſis. pro *nota certa furoris* malim quoque, *ſtuporis.* Epiſtola Paridis:

Dum ſtupeo viſis (nam pocula forte tenebam)
Tortilis è digitis excidit anſa meis.

HEINSIUS.

208. *Deciderint humero pallia lapſa meo.*] *Reciderint* Excerpta Jureti. probe. ut monitum jam à nobis Epiſt. XIV. ỳſ. 40. & ſic videtur legendum lib. III. Faſt. 30.

Ignibus Iliacis aderam; cum lapſa capillis
Recidit ante ſacros lanea vitta focos.

Nam *Deficit* inveni in quibusdam libris. HEINSIUS. *Deciderint* mihi praeferendum videtur, ad pedes enim decidiſſe docet vox addita *lapſa*, pro quo male quidam codices *laxa.* ſic Sueton. Aug. XCIV. *Tunica laticlavia reſuta ex utraque parte ad pedes decidit. Recidere* puto veſtem, cum in tergum retro cadit, *decidere* cum ad pedes labitur. eadem differentia inter *dejicere veſtes* & *rejicere*, quae verba confuderunt ſaepe librarii, obſervanda eſt, de qua ad II. Met. 582. pluribus agemus. BURMAN.

210. *Verba ferens doctis inſidioſa notis.*] Sic & membranae, quotquot à me inſpectae ſunt. Scribe nihilominus, *ductis notis.* quam emendationem pluribus adſtruximus, Notis ad lib. VI. Faſt. ỳſ. 649.

Art.

Ne tamen ignoret quae ſit ſententia ſcripto;
Lecta tibi quondam nunc quoque verba refer.
Nube, precor, dicet, cui te bona numina jungunt:
Quem fore juraſti, ſit gener ille mihi.
Quisquis is eſt, placeat; quoniam placet ante Dianae.
Talis erit mater, ſi modo mater erit.
Sic tamen & quaerat, qui ſim quantusque, jubeto:
Inveniet vobis conſuluiſſe Deam.
Inſula, Coryciis quondam celeberrima Nymphis,
Cingitur Aegeo, nomine Cea, mari.
Illa mihi patria eſt. nec, ſi generoſa probâris
Nomina, deſpectis arguor ortus avis.
Sunt & opes nobis: ſunt & ſine crimine mores:
Amplius utque nihil, me tibi jungit amor.

Adpe-

Art. Amat. lib. III. 493. ubi de exarandis Epiſtolis agitur:

Ducere conſueſcat multas manus una figuras.

Nempe literarum figuras. Heinsius. Mihi *doctae notae* movendae non videntur: nullis enim notis Epiſtola ſcribi poteſt, niſi ductis. vide ad Quinct. I. Inſtit. I. qui *ductus* literarum dicit. ſed *doctas notas* amor dictaverat Acontio, id eſt callidas, quibus peritus & vafer amator deciperet puellam. ſic *docta* illa *vox* Caeſaris apud Flor. IV. 2. *Feri faciem*, eſt petita ex interiori arte militari, & callidiſſima. & ita *doctus dolus*. Plaut. Mil. Glor. II. II. 93. & Pſeud. I. ỳſ. 70. & paſſim ille *doctus* & *docte*, pro aſtuto callido utitur. eadem diverſitas apud Valer. Flac. I. 122.

Et ducta reſonare bipenni
Litora.

Ut Gronovius & Heinſius legunt. ſed in MSS. *docta*, quod ibi aliquando vindicabimus. apud Claud. Bel. Get. 492. quoque:

Per tot certamina docto
Crede ſeni.

Ubi Heinſius itidem, *ducto*. appoſite admodum apud Plautum quoque Captiv. Act. IV. Sc. II. *Hic ejſ ille doctus ſenex, quoi verba data ſunt.* ubi perperam alii *ductus* eo ſignificatu, quem Heinſius infr. Epiſt. ſeq. 182. illuſtrat. vid. Broukh. ad Tibul. I. VII. I. apud Statium quoque lib. III. Silv. III. 201.

Te ſimilem doctae referet mihi linea cerae.

Heinſius *ductae* corrigebat in ora ſui libri. ſed nec ibi opus aliquid innovare. ſic & *inducta opificum turba*, male in MSS. Plinii XXXIII. 5. pro *indocta* legitur. Burmannus.

212. *Eſſe tuam.*] *Eſſe reor* Jureti Excerpta. Heinsius.

213. *Scripti ſententia quae ſit.*] *Quae ſit ſententia ſcripto* eadem Jureti Excerpta, rectius. Idem.

214. *Verba refer.*] Editio princeps & unus Medicêus:

Lecta tibi quondam nunc quoque verba lege.

Non invenuſta repetitione. vid. Epiſt. VI. 29. & ita etiam Francius conjecerat. Burmannus.

219. *Si tamen & quaerat quis ſim qualisque, videto.*] Scripti nonnulli, *ſed tamen inquirat*. Argentinenſis, *Si tamen & quaerit qui ſim. jubeto* etiam eſt in nonnullis. Scribe:

Sed tamen inquirat qui ſim qualisque jubeto:
Inveniet &c.

Nam *inveniet* pro *invenies* quoque exſtat in nonnullis. Poſſet etiam, *Sic tamen inquirat*, quod tres codices praeferunt. &, *qui ſim quantusque* cum Jureti Excerptis. Ep. v. 9.

Nondum tantus eras, cum te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha fui.

Heinsius. *Quaerat* ne muta. vide ad Epiſt. XVII. 198. deinde *ſic tamen* praetulimus, XIII. Metam. 243.

Sic tamen & ſpreto noctisque hoſtisque periclo.

Eadem elegantia, qua *ſic quoque* ſaepe occurrit, de qua ad III. Art. Am. 265. & Valer. Flac. IV. 598. Burmannus.

222. *Nomine Caea.*] *Caea* non eſt adjectivum hoc loco, ut E. Hubertinus putat: ſed proprium. Nam & Plinius lib. 4. cap. 12. *Ceos*, inquit, *quam noſtri quidem Ceam, Graeci Hydruſam vocant.* Et Virgil. I. Georg. 15.

Et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

Nymphas autem, quas hic *Corycias* dicit, idem Poëta Metam. 10. ſimpliciter *Nymphas Carthaeas* vocat, à *Carthaea*, una ex quatuor urbibus Ceae. Sed utrum à Corycio, quod in Parnaſſo fuit: an

à

Adpeteres talem vel non jurata maritum:
Juratae vel non talis habendus erat.
Haec tibi me in ſomnis jaculatrix ſcribere Phoebe,
Haec tibi me vigilem ſcribere juſſit Amor.
E quibus alterius mihi jam nocuere ſagittae:
Alterius noceant ne tibi tela, cave.
Juncta ſalus noſtra eſt: miſerere meique tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod ſi contigerit, cum jam data ſigna ſonabunt,
Tinctaque votivo ſanguine Delos erit;
Aurea ponetur mali felicis imago,
Cauſſaque verſiculis ſcripta duobus erit:
Effigie pomi teſtatur Acontius hujus,
Quae fuerint in eo ſcripta, fuiſſe rata.
Longior infirmum ne laſſet Epiſtola corpus,
Clauſaque conſueto ſit ſibi fine; vale.

EPI-

à Corycio Ciliciae appellentur, hactenus incertum. MICYLLUS. Lege, *Cea*; tam hic, quam Met. x. Κεῖος enim eſt Graecis, vel Κέος. Inſula *Cea* etiam Columellae dicta lib. IX. cap. II. *Ceam* ſimpliciter Virgilius I. Georg. 14. ubi, teſte Servio, regnavit Ariſtaeus Cyrenes filius. pro *Coryciis Nymphis* male, & invito metro *Caryſtiis* reponit Ortelius Theſauro Geographico in *Ceos*. ſunt enim, quas Noſter *Corycidas* lib. I. Metam. vocat, & Parnaſſi incolas facit Apollonius libro II. ubi de Parnaſſo agit & Apolline:

Πολλὰ δὲ Κωρύκιαι Νύμφαι πλείσιοι θυγάτρες
Θαρσύνεσκον ἕπεσσιν ἰὴϊε κελαηγυῖαι.

Ubi videndus Scholiaſtes. HEINS. Scholiaſtes Horatii ad lib. II. Od. I. citat hunc verſum mendoſe:

Cingitur Aegaeo inſula Caea mari.

223. *Si generoſa probaris.*] Sunt qui *probatis* malint. ac ſi dicat, Tu, tuique omnes probatis ſtemmata in conjuge. EGNATIUS.

224. *Arguor.*] Francius malebat, *Arguar*.

227. *Adpeteres.*] *Aſpectes talem* Bernenſis.

228 *Juratae vel non talis habendus erat.*] Forte:

Vel non juratae talis emendus erat.

In Amoribus I. Eleg. 8.

Si te non emptam vellet, emendus erat.

Propertius lib. III. Eleg. XVI.

Tali mors pretio vel ſit emenda mihi.

Poſſit & *amandus* legi. HEINSIUS. Eadem varietas I. Triſt. VIII. 44. ubi vid. Heinſium. ſed hic *habendus* mihi praeferendum videtur. Epiſt. VII. 17.

Alter habendus amor tibi reſtat, & altera Dido.

Vid. & III. Amor. XII. 6. ubi etiam *amandus* & *habendus* confunduntur in MSS. BURMANNUS.

230. *Me vigilans.*] *Me vigilem* Chartaceus Scriverii & alter Mentelianus à manu prima, quod praecedentia confirmant. Diana ſomniantem, Cupido vigilem & forma tua captum, cum te vidiſſem, juſſit ſcribere. Horat. III. Od. 27.

Vigilans ne ploro
Turpe commiſſum, an vitiis carentem
Ludit imago? BURMAN.

235. *Cum jam data ſigna ſonabunt.*] Variant ſcripti; tres, *tibi cum data*, Lovanienſis, *tibi cognita ſigna*. Barberinus, *tibi cum data thura fumabunt*. Forte ex veſtigiis codicum, *Quod ſi contigerit, tuba cum data ſigna ſonabit*. HEINSIUS.

236. *Votivo.*] *Nocivo* Bernenſis.

240. *Quae fuerint.*] *Fuerant* ſeptem codices. Lege, *fuerunt*. Art. Am. III. 405. ex veteri libro:

Cura ducum fuerunt olim regumque Poëtae.

De quo Epiſt. VII. ỽſ. 166. HEINSIUS.

242. *Clauſaque conſueto ſit tibi fine, vale.*] Scribe, *conſueto ſit ſibi fine*. II. Pont. VII. 17.

Jam mihi fata liquet, coeptos ſervantia curſus,
Per ſibi conſuetas ſemper itura vias.

Error paſſim obvius. ut jam ſupra monuimus hac Epiſtola, ubi *ſibi par*, pro *tibi* reponendum. Pont. lib. III. Eleg. I.

Sint utinam mites ſolito ſibi more!

Quae etiam in vulgatis libris ſunt corrupta. Plures hujus notae mendas alibi caſtigamus non parvo numero. HEINSIUS. Barberinus & Lincoln. *clauſula conſueto*. forte non male, ſi legas:

Clauſula conſueto ſit ſibi fine; vale.

Cicer. lib. II. Epiſt. IV. *Utar ea clauſula, qua ſoleo.* Senec. Epiſt. XI. *Jam clauſulam Epiſtola poſcit.* ubi Lipſii liber *clauſam*. Epiſt. XXVII. *Finire jam volebam, & manus ſpectabat ad clauſulam.* ita *clauſula Hiſtrionum*, de qua vide Caſaubon. ad Suet. Aug. 100. BURMANNUS.

EPISTOLA XXI.

CYDIPPE ACONTIO.

PErtimui, ſcriptumque tuum ſine murmure legi,
Juraret ne quos inſcia lingua Deos.
Et, puto, captaſſes iterum: niſi, ut ipſe fateris,
Promiſſam ſcires me ſatis eſſe ſemel.
Nec lectura fui: ſed, ſi tibi dura fuiſſem,
Aucta foret ſaevae forſitan ira Deae.
Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianae;
Illa tamen juſtà plus tibi parte favet.
Utque cupis credi, memori te vindicat irâ.
Talis in Hippolyto vix fuit illa ſuo.

At

De hac Epiſtola non habeo quid affirmem. Itali interpretes negant eſſe Ovidii omnes Epiſtolae verſus, praeter paucos quosdam à principio, nempe in quos ipſi ſcripſere: ceteros pro nothis ac alienis habent. Neque tamen aliud pro argumento afferunt, quam quod ſolent, in antiquis ſuis exemplaribus eos non extare. Quidam etiam ridiculam rationem adjiciunt, Cydippen aegrotam fuiſſe: eoque veriſimile eſſe, brevioribus illam reſpondiſſe. Quaſi neſciamus, reſponſionem hanc à Poëta fictam: non à Cydippe, quae tamen nulla fuit, datam. Ego, ut concedam, multos eſſe hic verſus Ovidianae facilitati ac phraſi diſſimiles, etiam compoſitionem interdum vacillare: quia tamen video Aldo & Egnatio, viris & judicio & doctrina magna praeditis, eosdem hos verſus non improbatos, adeo ut alter horum etiam annotationes in quosdam dederit: placuit, tantorum virorum judicium ſequi. Et ut ab his, pro Ovidianis, aut dignis ſaltem qui Ovidianis connumerarentur, recepti ſunt, ita nos quoque eosdem loco movere nolumus. Quin & ſcholiis quibusdam brevioribus, idque ſupra quoque fecimus in iis, in quibus deſiderabantur, adjectis, ea quae aliquanto obſcuriora erant, illuſtravimus. Eſt igitur tota Epiſtola, velut à foemina ſcripta, ita varie querelis, precationibus & expoſtulationibus mixta. Conqueritur enim de ira Deae, de ſua aegritudine, de praeſenti periculo, in quo ſit, dum ſcribit; & de eo, quibus votis interim ambo proci fruentur, dum ipſa decumbit. Petitque ab Acontio, ut ſi quos amat ita laedere ſolet, ſe odiſſe potius velit. Hinc ſeriem ſuae cauſae, & navigationem in Delum, exponit. Expoſtulatque cum Acontio, quae per dolum potius, quam recta juſtaque via ſeſe ambierit: refutans etiam jusjurandum, quod fecerit, ab abſurdo. Mox redit ad religionem, & metum Deae. Excuſatque ſe de altero proco, quod ab eo adhuc intemerata ſit. Et quia Acontius petierat illam coram inviſere, recenſet ei totum valetudinis ſuae ſtatum, cauſam morbi illi imputans, Deaeque & illi ſeſe ſubmittens. Micyllus. Quaedam exemplaria hic denuo munifica ſunt de alieno, dum initium nobis hujus Epiſtolae hoc modo obtrudunt:

Littera pervenit tua, quo conſuevit, Aconti,
Et poene eſt oculis inſidiata meis.

Heinsius. Vide Schott. II. Obſerv. cap. LIII. In prima editione adſcriptum erat, *Cydippe Acontio; Heroïdum Ovidii ultima, recens reperta*; mirum autem in poſterioribus editionibus, ut Parmenſi, Venetisque duabus haec non apparere.

6. *Saevae Deae.*] Magnae Dianae, vel aſpectu terribilis, cùm inferat,

Omnia cùm faciam, cùm dem pia turà Dianae.

Sic & infra:

Confiteor, timeo ſaevae Latoidos iram.

Et:

—— —— *Quid aufert*
Saeva mihi vitam, ſpem mihi diva mei?

Ciofanus. *Quanta foret ſaevae* Lovanienſis.

7. *Pia tura*] *Pia vota* Lovan. & Bernenſis.

9. *Te vindicat.*] *Se vindicat* Oxonienſis a manu prima. vide ad Phaedr. v. 2. Schefferi notas.

10. *In Hippolyto.*] Riſum debet hic lectoribus concinnator notarum variarum, qui Hubertini explicationem, *in Hippolyto* per Archaiſmum pro *in Hippolytum* dici, refutat, nec *in* pro erga ſumi, ſed ablativum requirere confidenter notat.

Tu

At melius Virgo faviſſet virginis annis;
Quos vereor paucos ne velit eſſe mihi.
Languor enim, cauſſis non adparentibus, haeret.
Adjuvor & nullâ feſſa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem vix haec reſcribere, quamque
Pallida vix cubito membra levare putas?
Huc timor accedit, ne quis, niſi conſcia nutrix,
Colloquii nobis ſentiat eſſe vices.
Ante fores ſedet haec: quid agamque rogantibus intus,
Ut poſſim tuto ſcribere, Dormit, ait.
Mox ubi, ſecreti longi cauſſa optima, ſomnus
Credibilis tardâ deſinit eſſe morâ,
Jamque venire videt, quos non admittere durum eſt;
Exſcreat; & fictâ dat mihi ſigna notâ.
Sicut eram, properans verba imperfecta relinquo:
Et tegitur trepido litera cauta ſinu.

Inde

Tu vide, quae nos ad Quinctil. xv. Decl. 6. notavimus. BURMANNUS.

11. *Virginis.*] Male de Hippolyto capit Douza. quia Nonius etiam *virgines* dici pueros inveſtes notat. ad ipſam Cydippen referenda.

12. *Quos vereor.*] Omnia carmina quae ab eo ſunt verſu, *Quos vereor &c.* non leguntur in antiquis ullis, quae viderim, exemplaribus. Neque ea Planudes transfert. Atque ideo non ſunt fortaſſe ipſius Ovidii. NAUGERIUS. Codices omnes poſt hunc verſum deficiunt, praeter Sarravianum, Mediceum, & unum ex meis recentiorem, quem à Luca Langermanno donum habui. Arondelianus quoque reliquos hujus Epiſtolae verſus majori ex parte in calcem voluminis poſt Sapphûs Epiſtolam rejecerat. HEINSIUS.

17. *Nunc timor.*] Malim *Huc*; ut lib. III. Amor. Eleg. VIII. *Huc pudor acceſſit.* HEINSIUS.

19. *Quid agamque rogantibus inter.*] Hic verſus praecipue ex iis unus eſt, unde colligitur, hos non eſſe Poëtae proprios ac γνησίους. Neque enim hanc figuram apud Ovidium facile alibi reperias. Eſt enim *Rogantibus inter*, dictum, pro interrogantibus; quod haud ſcio, an apud ullum alium Poëtam reperias: nedum apud Ovidium, qui ubique orationi aequabili ac planae ſtuduit. Sed tamen fieri poteſt, ut vel inſititius verſus hic idem ſit, vel alias corruptus. Poteratque nullo incommodo legi:

Quid agamque rogantibus, ipſa,
Ut poſſim tuto ſcribere, dormit, ait.

Niſi quod nobis nihil immutare, quod ab aliis intactum hactenus manſerit, conſtitutum eſt. MICYL. Scribo, *intus*. Columella Praefatione Rei Ruſticae, *Neque enim roganti quid agatur intus, ſervi reſpondere dignantur.* JUV. Sat. III.

Atque obiter leget, aut ſcribet, vel dormiet intus.
Noſter in Amoribus lib. III. Eleg. IV.

Omnibus excluſis intus adulter erit.
Et I. Triſt. Eleg. III.

Formaque non tacitis funeris intus erat.
HEINSIUS. De feminis ante fores excubantibus egerunt Merill. notis ad Paſſion. J. Chriſti. §. 2. Gebh. ad Propert. II. VI. 31. & Almelov. in Conjectaneis. male Douza & alii capiebat *rogantibus inter*, pro interrogantibus. certa Heinſii eſt emendatio. vid. & Eurip. Med. 133. BURMANNUS.

21. *Mox ubi ſecreti longe.*] *Longi* Medicêus cum priſca editione; bene. HEINSIUS.

23. *Jamque venire.*] *Cumque* conjecit Gronovius. HEINSIUS.

23. *Quos non admittere durum eſt.*] Cave *tutum eſt* reponas. Tibullus I. Eleg. 6.

Illa quidem tam multa negat: ſed credere durum eſt.
Sic etiam de me pernegat uſque viro.

HEINSIUS. Juvenal. Sat. VI. 98.

Si jubeat conjux, durum eſt conſcendere navem.
Ter. Phorm. II. I. 8. *Illud durum.* P. *ego expediam ſine.* ita *dura cauſſa* Horat. I. Sat. 10. 26. & Livio XXVI. 33. & *durior cauſſa* Quinct. IV. I. & *durae partes* Ter. Eun. 2. 3. BURMANNUS.

24. *Ficta dat mihi ſigna nota.*] Malim *tecta*, ut Epiſtola XVII. 81.

——— *Quoties ego tecta notavi*
Signa ſupercilio paene loquente dari!

Furtivas notas dixit Amor. lib. I. El. IV. Propert. III. Eleg. 7.

Tecta ſuperciliis ſi quando verba remittis.
HEINSIUS. Forte, *dicta nota*, quae inter nos convenit. vid. ad IV. Metam. 95. & ſupra ad Epiſt. XII. 194. BURMANNUS.

Inde meos digitos iterum repetita fatigat.
Quantus ſit nobis, adſpicis ipſe, labor.
Quâ, peream, ſi dignus eras, ut vera loquamur:
Sed melior juſto, quamque mereris, ego.
Ergo te propter toties incerta ſalutis
Commentis poenas doque dedique tuis?
Haec nobis formae te laudatore ſuperbae
Contingit merces? & placuiſſe nocet?
Si tibi deformis, quod mallem, viſa fuiſſem;
Culpatum nullà corpus egeret ope.
Nunc laudata gemo: nunc me certamine veſtro
Proditis; & proprio vulneror ipſa bono.
Dum neque tu cedis, nec ſe putat ille ſecundum;
Tu votis obſtas illius, ille tuis.
Ipſa, velut navis, jactor; quam certus in altum
Propellit Boreas, aeſtus & unda refert.
Cumque dies caris optata parentibus inſtat,
Immodicus pariter corporis ardor ineſt:

Et

25. *Sicut eram.*] Vid. ad Epiſt. xx. 19. unde, credo, Slichtenhorſtius malebat, *ſicut erant*. Francius etiam, *propere*.

26. *Trepido.*] Forte, *tepido*, ut III. Art. 622.

Quos tegit in tepido faſcia lata ſinu.

Heinsius. Vid. & IV. Faſt. 522.

28. *Quantus ſis nobis.*] *Sit* rectè meus codex & Arondelianus. Heinsius.

29. *Qua peream.*] *Quae* ſcripti. *Qua dignus* ſcil. litera. poſſet & *quo* legi. labore videlicet. Heins.

30. *Quamque mereris ero.*] Legendum arbitror, *quamque mereris ego*. Naugerius. Imo, *ego*. atque ita Naugerius. ſic Amor. lib. I. El. VII.

Ille Deam primus perculit, alter ego.

Heinsius. Mox vers. 54. *plector ego. Melior* vero hic eſt mitior, benignior. vid. Paſſer. ad Cicer. pro Quinctio cap. I. & Barth. ad Stat. II. Theb. 80. ego ſum mitior *juſto*, id eſt quam aequum eſt, & tu mereris. ita infr. v. 170. *gravius juſto*. vid. ad Vell. Paterc. II. 25. Douza exponebat, Quae, (ſcil. praecedentia, quae a me indicata ſunt) ut vere tibi praedicem, peream ſi dignus eram. Ego tamen, non quia tu dignus, ſed quia ego verax tibi mendacia obtrudere nolui: quae longe abſunt a mente Poëtae. Burmannus.

39. *Tu cedis.*] *Credis* unus Medicêus. forte, *te tredis*. Heinsius.

42. *Aeſtus & unda.*] Id eſt, recurſus undae. is enim *aeſtus* dicitur. Videturque uſus figura Poëta, quam Graeci vocant ἓν διὰ δύο. Qua de Virgilii illud quoque eſt, *Chalybem frenosque momordit*; pro frenum ferreum, ſive ex Chalybe factum. Micyllus. Vid. ad Epiſt. II. 35.

41. *Immodicus pariter corporis.*] Forte, *partibus ardor ineſt*. vel:

Artubus immodicus corporis ardor ineſt.

Heinsius. *Adeſt* malebat Francius, ut erat in Sarraviano. vid. Epiſt. XVII. 102.

45. *Et mihi.*] Scripti cum priſcis editionibus, *Nec mihi*. vel, *Nunc*. forte, *En mihi*. Heinsius.

45. *Et mihi conjugii tempus, crudelis, &c.*] Ordo eſt: Et crudelis Perſephone ad ipſum tempus conjugii pulſat mihi noſtras fores acerba: pro, ipſa mors in foribus, ſive in limine tunc maxime eſt, quando nuptias celebrare debeo. Micyllus. Imitatio eſt Horatiana I. Od. 4. *Pallida mors aequo pulſat pede pauperum tabernas*.

47. *Jam pudet.*] Francius legebat, *Et pudet*. ita Ep. XVII. 177. *Et libet, & timeo*.

48. *Offenſos videar ne meruiſſe Deos.*] Non ſat commodè dictum. Sententia tamen eſt: Ne videar Deos offendiſſe, aut meruiſſe, ut eſſent mihi offenſi, pro, infenſi. Micyllus. Vid. infr. vers. 202. & de hac voce *offenſus* Manut. ad Cicer. V. ad Fam. 14. & Lambin. & Torrent. ad Horat. Epod. XV. 15.

49. *Contendit.*] *Contendat*, & mox *neget* volebat Francius, ego nihil muto. narrat enim quid quiſque de hac re ſentiat & dicat. *Haec aliquis*. Sarrav. Medic. & prima Editio.

51. *Neve mihi credas.*] Omnino ſcribendum:

Neve nihil credas in te quoque dicere famam.

Heinsius.

52. *Iſta*

Et mihi conjugii tempus crudelis ad ipſum
Perſephone noſtras pulſat acerba fores.
Jam pudet: & timeo, quamvis mihi conſcia non ſim,
Offenſos videar ne meruiſſe Deos.
Accidere hoc aliquis caſu contendit: & alter
Acceptum Superis hunc negat eſſe virum.
Neve nihil credas in te quoque dicere famam,
Facta veneficiis pars putat iſta tuis.
Cauſſa latet: mala noſtra patent. vos pace movetis
Aſpera ſubmotâ proelia: plector ego.
Dicam nunc, ſolitoque tibi me decipe more:
Quid facies odio, ſic ubi amore noces?
Si laedis, quod amas, hoſtem ſapienter amabis.
Me, precor, ut ſerves, perdere velle velis.
Aut tibi jam nulla eſt ſperatae cura puellae,
Quam ferus indignâ tabe perire ſinis;
Aut Dea ſi fruſtra pro me tibi ſaeva rogatur,
Quid mihi te jactas? gratia nulla tua eſt.

Elige

51. *Iſta meis*] *Iſta tuis* bene ſcripti cum editionibus vetuſtis. HEINSIUS.

55. *Dicam nunc, ſolitoque tibi ne deſpice more.*] Ironicôs accipio dictum, pro, Ego tibi dicam, tu licet deſpicias & contemnas me, id quod ſolitum tibi eſt, quando videlicet me aegrotantem ita deſeris, neque apud Deam tibi faventem pro me deprecaris. MICYLLUS. *Me decipe* veteres libri. Forte:

I jam nunc, ſolitoque tibi me decipe more.

Vel, *I nunc, i, ſolitoque.* dictum Ep. IV. ℣ſ. 127. HEINSIUS. *Dic jam nunc* Criſpinus corrigebat, quod ſi admittimus, ita diſtinguendum eſſet:

Dic jam, nunc ſolitoque tibi me decipe more)
Quid facias odio, ſic ubi amore noces?

Sed Douza notavit Petronium ſic quoque initium ſententiae & periodi auſpicatum eſſe. cap. 129. *Dicam*; vel, *narrabo tibi Adoleſcens paralyſim cave.* & in Declamationibus, quas non male hae ultimae Epiſtolae referunt, ſaepe illa formula occurrit. ſic Quinctil. Declam. 329. *Dicam nunc ego*; *Qui pulſaverit aliquem injuriarum teneatur.* Decl. 338. *Dicam nunc ego illa, quae leviora ſunt.* & paſſim. BURMANNUS.

56. *Facies.*] Mallem *facias*; ut ſaepe alibi ex MSS. reponendum eſt. I. Am. VI. 31.

Quid facias hoſti, qui ſic excludis amantem.
II. Fast 228.
Quid faciant pauci, contra tot millia, fortes.
Et 801.
Quid faciat? pugnet?
Et VI. 149.
Quid faciat?
III. Art. 437.
Femina quid faciat, cum ſit vir levior ipſâ?
Et V. 643.
Quid faciat cuſtos, cum ſint tot in urbe theatra?
Sedulius in Hymno I. ℣ſ. 85. ex melioribus codicibus:

Mortuus ille tonat, coelum terramque ſubegit,
Quid faciant hoſtes? mortuus ille tonat.

Vid. ad Petron. cap. XIV. BURMANNUS.

57. *Amabis.*] Forte, *Amaris.* HEINSIUS.

58. *Me precor ut ſerves: perdere velle, velis.*] Hoc eſt, quando noces iis, quos amas, diverſosque affectus & effectus habes, quaeſo ut me oderis, & perdere cupias: & per conſequens ſervabis. MICYLLUS. Locus manifeſte corruptus. Tò *velle* perperam ex *velis* proxime ſequenti inculcatum, cum ultimas duas ſyllabas in *perdere* librarius geminare neglexiſſet:

Me, precor; ut ſerves, perdere, dure, velis.

Chriſtianus Daumius opinabatur dictum vulgatum, ut *negat negare* apud Catullum. HEINSIUS. Poſſet vulgata defendi ex illis, in Amoribus lib. III. XI. 50.

Me quoque velle velis, anne coactus amem.

Sed ibi ſenſus eſt manifeſtior. ſic & apud Claudianum lib. II. de Laud. Stil. 331. *poſſe queas* MSS. & quaedam editiones. vide Claver. ad Perſ. Sat. VI. pag. 274. BURMANNUS.

60 *Quam ferus indignâ labe.*] Scribendum, *tabe*. & ita conjecerat Scipio Gentilis Origin. pag. 295. & tale illud Virgilii VI. 442.

Elige quid fingas. non vis placare Dianam;
Immemor es noſtri: non potes; illa tui eſt.
Vel numquam mallem, vel non mihi tempore in illo
Eſſet in Aegaeis cognita Delos aquis.
Tunc mea difficili deducta eſt aequore navis,
Et fuit ad coeptas hora ſiniſtra vias.
Quo pede proceſſi! quo me pede limine movi!
Picta citae tetigi quo pede texta ratis!
Bis tamen adverſo redierunt carbaſa vento.
Mentior ah demens! ille ſecundus erat.
Ille ſecundus erat, qui me referebat euntem;
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam conſtans contra mea vela fuiſſet!
Sed ſtultum eſt venti de levitate queri.

Mota

Hic quos ſaevus amor crudeli tabe peredit.
Dictum Epiſtola Deianirae. vſ. 145. HEINSIUS.

62. *Gratia.*] Forte, *Gloria nulla tui eſt.* HEINS. Male: *Gratia*, qua valere, & potens eſſe apud Dianam vis videri. Ovid. IV. Metam. 653. *At quoniam parvi tibi gratia noſtra eſt.* ubi etiam *Gloria* quidam codices. & ſimiliter peccatum lib. V. Metam. 378. XIII. 446. & paſſim. & hoc exigit praecedens *te jactas*, ut ſolent gratia potentes, & etiam ſequens verbum *potes*. *Poſſe* enim, & *valere potentes* dicuntur, qui gratia valent. ut I. Am. VI. 21.

Ergo quae valuit pro te quoque gratia quondam
(Heu facinus) pro me nunc valet illa parum.

Et ita centies Noſter & alii. inepte cepit Criſpinus, quaſi non deberet Acontio gratias Cydippe. BURMANNUS.

67. *Tunc mea difficili.*] Sic legendum, non, *difficilis*. quando melius dicatur, *navem deductam difficili aequore*. EGNATIUS. *Difficili aequore* conjungendum (neque enim *difficilis* legendum) pro infelici & auſpicato. MICYLLUS. Et haec locutio durior. deducuntur litore naves in aequor. ſed ſubducuntur ex aequore in litus. ſi mei res arbitrii eſſet, legerem, *difficili deducta eſt litore puppis. Litus difficile*, quod mala omina daret, & aegre quaſi dimitteret navem ſubductam. poteſt tamen & *difficili aequore* abſolute poſitum intelligi, pro cum aequor eſſet difficile, id eſt turbatum. BURMANNUS.

68. *Hora.*] *Ora* unus codex. forte, *aura*, ut in metaphora perſiſtat. vid. ſup. Epiſt. III. HEINSIUS. Nihil muta. Triſt. I. III. 54.

Horam propoſitae quae foret apta viae.

Et ita *commodi dies* itineri eligebantur. vid. ad Petron. cap. XXX. mox de ventis adhuc aget. BURMANNUS.

70. *Picta meae tetigi.*] *Picta citae* libri veteres. probe. Tibul. lib. IV. I. 69.

Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.

Virgil. lib. V. 33.

Fertur cita gurgite claſſis.

HEINSIUS.

71. *His tamen.*] Vide, ne legendum ſit, *bis*, ut ſignificet Cydippe, non ſemel ventum adverſum fuiſſe. EGNATIUS. *Bis* legendum doctiores contendunt: ut intelligamus bis retroactam navem Cydippes adverſo vento, dum Delum navigare contendit. MICYLLUS.

76. *Sed ſtultum eſt.*] Verſus ſuſpectus. HEINS.

79. *Quam ſaepe ut tardis.*] *Heu tardis*, malo. HEINSIUS. *Ut* eſt hic tanquam, licet celerrime navis progrederetur.

80. *Dare.*] Imo *dari*. HEINSIUS.

81. *Et jam tranſieram Myconen.*] Scribe *Myconon* cum prima editione. codex Medicêus *Micon*. ſimilis error etiam admiſſus lib. VII. Metam. 463. ubi:

Hinc humilem Myconen cretoſaque rura Cimoli,

Pro *Myconon* nunc legitur. Petronius in fragmentis de Delo:

Hac alta Gyaro ligavit, illac
Conſtanti Mycono dedit tenendam.

Sic ſcribendum. *Myconos* enim, non *Mycone* dicta haec inſula. Statius Achilleide manifeſte I. 205.

—— Placet ire per altas
Cycladas. hinc ſpretae Myconos humiliſque Seriphos.

Puto *Myconosque*. idem Theb. III. 148.

—— Ipſa tua Mycono Gyaroque revelli
Dele times.

Ut legunt veterrima exemplaria. Apud Virgilium quoque Aeneid. III. 76.

Gyaro celſa Myconoque revinxit.

Habent

Mota loci famâ properabam vifere Delon;
Et facere ignavà puppe videbar iter.
Quam faepe, ut tardis, feci convicia remis;
Queftaque fum vento lintea parca dari!
Et jam tranfieram Myconon, jam Tenon, & Andron:
Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut vidi, Quid me fugis, infula, dixi?
Laberis in magno numquid, ut ante, mari?
Inftiteram terrae, cum jam, prope luce peractâ,
Demere purpureis Sol juga vellet equis:
Quos idem folitos poftquam revocavit ad ortus,
Comuntur noftrae, matre jubente, comae.
Ipfa dedit gemmas digitis, & crinibus aurum:
Et veftes humeris induit ipfa meis.

Proti-

Habent optimi codices. non quod vulgatas occupavit editiones, *Mycone celfa Gyaroque.* nam Noster, *humilem Myconon* lib. VII Metam. dixit, & *altam Gyaron* Petronius Maronem aemulatus. ubi Servium in hac voce ter quaterve emenda, & Hyginum Fab. CCLXXVI. nam & illic nunc *Mycos* pro *Myconos* legitur. Ab hac infula Adagium natum, Πάντα ὑπὸ μίαν Μύκονον. vide Zenob. pag. 118. & ibi Schottum. Vide Stephanum, Strabonem, ac ceteros Geographos. Solino eft *Myconus*, Latina enuntiatione. HEINSIUS.

82. *Candida Delos.*] In prima editione & Medicêo & Herculan. codice erat, *candida Phofphor erat.* forte aliquid latet. Alludi vero ad Etymon Deli, ut Micyllus & alii credunt, poteft quidem ftatui, fed fimul illam facile nautis conſpici, aut etiam praeclaram & nobilem notari hoc epitheto. ut Horat. I. Od. 14. *Nitentes Cycladas*, non ut Cerda ad Virgil. III. Aeneid. 120. a marmore. & lib. III. 28. *fulgentes* dixit. ut ita vocem λιπαρὸς apud veteres Poëtas Graecos occurrere docuit Spanhem. ad Callim. Hym. in Del. 155. BURM.

84. *Laberis in magno numquid, ut ante, mari.*] Delos, quae ab ipſo Ovidio, & à quibusdam aliis auctoribus Ortygia vocatur, infula inftabilis fuit in mari Aegaeo, lib. XV. Metamorph.

——*Tempufque fuit, quo navit in undis,*
Nunc fedet Ortygie. CIOFANUS.

Magno proprie, ut folent Aegeum faepe Poëtae vocare. Stat. III. Theb. 433.

Magnoque volantes
Injicit Aegaeo.

Plura ad Valer. Flac. II. ỳf. 365. *Laberis* vero eft natas. ut infula *natans* proprie dicitur. ita XIV. Met. 8. *Tyrrhena per aequora lapfus.* & ita, quemadmodum & *labi* pro navigare, poni vidimus ad Epiſt. x. 65. ſic & *nare* pro navigare, & labi, & *navigare* pro natare. vid. ad Epiſt. XIX. 155. ita ut omnia haec verba promiſcue a Poëtis uſurpentur. ſic etiam Callimach. Hym. in Del. 36. de Delo, Ἄφετος πελάγεσσιν ἐπέπλεεν. ubi vide Commentatores. BURMANNUS.

85. *Cum jam prope luce peracta, Demere purpureis Sol juga vellet equis.*] Cùm noctem adveniſſe Poëtae indicant, ſaepe dicunt Phoebum equis jugum ademiſſe. In eodem opere lib. VII.

Ter juga Phoebus equis in Ibero flumine merſis
Dempſerat.

Et lib. IV. Faſtor.

Dempſerat emeritis jam juga Phoebus equis.

Quot autem ſint Solis equi, & quomodo vocentur, habes in II. Metamorphoſ. ſub principium. CIOFANUS.

89. *Et crinibus aurum.*] Novi ſatis, crines puellarum auro ornatas. ut III. Am. XIII. 25. *Virginei crines auro gemmaque premuntur.* ſed Medicêus & Sarravianus & Langermannianus, *cruribus*, cum quibus editiones Venetae conſentiunt: niſi quod in una operarum errore ſit, *auribus.* & de crinibus comendis jam praeceſſerat; intelligit ergo periſcelidas, quas *genualia* vocat. X. Metam. 593.

Poplitibus ſuberant picto genualia limbo.

Senec. Hippol. 321. de Omphale:

Crura diſtincto religavit auro.

Et ita quoque Epiſt. XV. ỳf. 75. pro, *nullum eſt in crinibus aurum*, Heinſius ad oram codicis conjecerat, legendum *cruribus*: quia nimis operoſe toties de crinibus ageret Poëta. Confuſas vero has voces, docet etiam locus V. Faſt. 37.

Mille manus illis dedit & pro crinibus angues.

Ubi codices meliores, *pro cruribus angues.* BURMAN.

91. *Se-*

Protinus egreſſae Superis, quibus inſula ſacra eſt,
Flava ſalutatis tura merumque damus.
Dumque parens aras votivo ſanguine tinguit,
Feſtaque fumoſis ingerit exta focis;
Sedula me nutrix alias quoque ducit in aedes,
Erramusque vago per loca ſacra pede.
Et modo porticibus ſpatior, modo munera regum
Miror: & in cunctis ſtantia ſigna locis.
Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram,
Et de quà pariens arbore nixa Dea eſt.
Et quae praeterea (neque enim meminive, libetve,
Quidquid ibi vidi, dicere) Delos habet.
Forſitan haec ſpectans, a te ſpectabar, Aconti;
Viſaque ſimplicitas eſt mea poſſe capi.
In templum redeo, gradibus ſublime, Dianae.
Tutior hoc ecquis debuit eſſe locus?
Mittitur ante pedes malum, cum carmine tali.
Hei mihi! juravi nunc quoque pene tibi.
Suſtulit hoc nutrix, miratque, Perlege, dixit.
Inſidias legi, magne poëta, tuas.

Nomi-

91. *Sacra.*] *Grata* Medicêus & Sarravii pro varia lectione. & certe mox *loca ſacra* ſequitur. eadem varietas alibi obſervatur. vide I. Pont. III. 80. BURMANNUS.

94. *Feſtaque fumoſis ingerit exta focis.*] *Sectaque* ſcribendum, ni fallor. Faſt. IV. 638.

Sectaque fumoſis exta dedere focis.

HEINSIUS. Vid. Heinſ. ad Vellej. Paterc. II. 87.

97. *Et modo porticibus ſpatior.*] Romanorum porticus, in quibus ipſi ſpatiari ſolebant, ſignificat. multa ejuſmodi reperies apud ſcriptores, quae, dum de externis nationibus loquuntur, è Romanorum moribus, & aedificiis ſumpta ſunt. Sic quoque apud Virgilium lib. II. Aeneid. eſt hujuſcemodi porticus mentio, ubi ille Priamum a Pyrrho interfectum finxit. CIOFANUS.

99. *De cornibus.*] Non ego hoc loco plura, quam quae Politianus de ara Delii Apollinis ex cornibus facta frequentibus, addam, ad illum diligentem lectorem relegamus. EGNATIUS. Vid. Callimach. Hym. Apol. 68. & ſeq. & in Del. 319. & ibi interpretes. Heſych. in Δήλου κακὸς βωμός. Aelian. Var. Hiſt. V. 14. Hygin. Fab. 140. & Politian. Miſcel. 52. Anonymus de incredibilibus ab Allatio editus. pag. 28. ex dextris ferarum cornibus, quae uno die caeſae fuerant, exſtructam narrat.

100. *Et de qua.*] Francius volebat, *Quaque olim.* forte, *Et Dea qua pariens arbore nixa fuit.* BURM.

100. *Arbore.*] Olivae palmaeque arborem, cui Latona pariens innixa eſt, innuit ipſe. lib. VI. Metam. 335.

Illic incumbens cum Palladis arbore palmae.

Sed Plutarchus fontium facit haec nomina, objectaque Latone Draconis ſpecie praecipitaſſe ſeſe de ſaxo territam. Graecis haec autoribus decantatiſſima ſunt. ſatis eſt nobis digito fontem quaerere volentibus oſtendiſſe; nihil enim ineptius aut frivolum magis cenſeo, quam ubi in pueri ibus oſtentare ingenium, aut eruditionem velis. EGNATIUS. Vid. Hygin. Fab. XIV. & LIII.

104. *Eſt mea poſſe capi.*] Francius legebat, *Eſt mea digna capi.*

107. *Cum carmine tali.*] Graecum fuiſſe apparet carmen illud: ſed quale, hactenus nemo tradidit, quia ipſa fabula alias nuſquam clare aut plene tractata extat. Latini interpretes, ut vides, variant. Volſcus diſtichon quoddam incomptum allegat:

(*Me tibi nupturam felix eat omen Aconti*
Teſtor quam colimus nomina magna Deae.)

Quod & ipſi Epiſtolae Acontii inſertum quidam habent. Hubertinus etiam putidius quoddam recitat:

Juro tibi ſanè per myſtica ſacra Dianae,
Me tibi venturam comitem ſponſamque futuram.

Velut ſupra videre eſt in eorum argumentis. MICYLLUS.

110. *Inſidias legi.*] Verſus ſuſpectus. HEINSIUS. Francius malebat, *docte Poëta.*

111. *Dicto.*

Nomine conjugii dicto, confusa pudore
Sensi me totis erubuisse genis:
Luminaque in gremio, veluti defixa, tenebam;
Lumina proposiți facta ministra tui.
Improbe, quid gaudes? aut quae tibi gloria parta est?
Quidve vir elusà virgine laudis habes?
Non ego constiteram sumtâ peltata securi;
Qualis in Iliaco Pentheșilea solo.
Nullus Amazonio caelatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte, praeda relata tibi est.
Verba, quid exsultas, tua si mihi verba dederunt;
Sumque parum prudens capta puella dolis?
Cydippen pomum, pomum Schoeneïda cepit.
Tu nunc Hippomenes, scilicet, alter eris.
At fuerat melius, (si te puer iste tenebat,
Quem tu nescio quas dicis habere faces,)
More bonis solito spem non corrumpere fraude.
Exoranda tibi, non capienda fui.
Cur, me cum peteres, ea non profitenda putabas,
Propter quae nobis ipse petendus eras?

Cogere

111. *Dicto.*] Forte, *lecto.*

113. *Veluti.*] Lege, *vel humi.* Ep. VI. 26. *Haesit in oppositа limina fixus humo.* Inf. V. 142. *Lumina fixa tenens plena pudoris humo.* Fast. II. 824. ubi ita lego: *Non oculos ab humo sustulit illa suos.* Vulgo *oculos adeo.* Trist. IV. El. II. *Hic, qui nunc in humo lumen miserabile fixit.* Amor. III. VI. 67. *Illa oculos in humum dejecta modestos.* Et ita saepe. Stat. Theb. I. *Dejecit moestos extemplo Ismenius Heros In terram vultus.* HEINSIUS.

Ego nihil muto. *Veluti defixa*, est tamquam stupens & attonita. ita *defigere* Val. Flac. IV. 226. & V. 456. BURMANNUS.

115. *Improbe quid gaudes? aut quae tibi gloria parta est?*] Hunc locum satis diligenter, ut puto, sub principium lib. XV. Metamorphos. enarravi. CIOFANUS. Francius legebat, *Quaenam tibi gloria parta est.*

117. *Secure.*] *Securi* veteres. HEINSIUS. *Constiteram* vero eleganter, ut miles paratus ad pugnam proprie dicitur. vid. ad Petronii cap. XIX. Valer. Flacc. VIII. 133. *Rapta victor consistit in hasta.* BURMANNUS.

120. *Hippolyta.*] Iidem, *Hippolyte.* HEINS. Vid. ad Epist. XIV. 1.

121. *Si verba tua dederunt mihi verba.*] Schema est, ἀντίζευγμα vocant, cum idem nomen repetitur diversa significatione. Priore enim loco, *Verba* propriè sumuntur: altero, pro deceptione. MICYL. Putidum hoc & minime Nasonianum.

122. *Sumque parum prudens capta puella dolis.*] Rectius opinor fore, *doli. parum prudens doli*, ut paulo post, *prudens animi sententia.* Epistola Oenones, *prudens artis.* Arusianus Messius Grammaticus hactenus ineditus, *prudens illarum rerum.* Sallust. Histor. I. *Prudens omnium, quae Senatus censuerat.* Dictys Cretensis I. 19. *Imprudentem religionis* dixit. Prudent. Pass. Romani:

Sed stulta mundi summus elegit Pater,
Ut stultus esset saeculi, prudens Dei.

Horat. lib. IV. Od. 19. *Prudens rerum animus.* Sil. VI. 166. *Imprudens tantae pestis gradiebar.* Gunther. Ligur. lib. II. 155.

Illa tamen legum prudens, & juris amori
Dedita gens.

& lib. I. *Prudensque futuri Praeteritique memor.* Claud. II. in Eutrop. *Prudens movendi juris.* HEINS. Francius refingebat, *Sumque tuo imprudens capta puella dolo.*

123. *Pomum Schoeneïda cepit.*] Vide lib. X. Metamorph. & Apollodorum lib. III. Bibliothecae. CIOFANUS.

127. *More bonis.*] *More boni* Medicêus & Sarravii, cum primis editionibus.

129. *Cur, cum me.*] Malo cum Medicêo,

Cogere cur potius, quam perſuadere, volebas,
Si poteram auditâ conditione capi?
Quid tibi nunc prodeſt jurandi formula juris,
Linguaque praeſentem teſtificata Deum?
Quae jurat, mens eſt: nil conjuravimus illâ;
Illa fidem dictis addere ſola poteſt.
Conſilium prudensque animi ſententia jurat,
Et niſi judicii vincula nulla valent.
Si tibi conjugium volui promittere noſtrum;
Exige polliciti debita jura tori:
Sed ſi nil dedimus, praeter ſine pectore vocem;
Verba ſuis fruſtra viribus orba tenes.
Non ego juravi: legi jurantia verba.
Vir mihi non iſto more legendus eras.
Decipe ſic alias: ſuccedat epiſtola pomo.
Si valet hoc; magnas divitis aufer opes.
Fac, jurent Reges ſua ſe tibi regna daturos;
Sitque tuum, toto quidquid in orbe placet.

Major

Berſmanno & aliis, *Cur, me cum peteres.* Ep. xv. 41. *At, me cum legeres.*

133. *Quid tibi nunc prodeſt jurandi formula juris? Linguaque praeſentem teſtificata Deam?*] Reſpondet ad id, quod dixerat Acontius:

Nec mihi credideris, recitetur formula pacti.

Mox:

—— *Haec eſt teſtificata Deam.* Ciofanus.

135. *Quae jurat, mens eſt.*] Alludit ad vulgatum verſum Euripidis Hippol. 612. Ἡ γλῶσσ' ὁμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Micyllus. Vide ibi Barneſii notas.

137. *Prudens animi ſententia.*] Alludit ad formulam, *ex animi ſententia.* de qua vide ad Petron. cap. cix.

139. *Volui promittere.*] *Valui* veteres. male. Heinsius.

141. *Sed ſi nil.*] Francio placebat, *Si tibi nil.*

141. *Sine pectore vocem.*] Sic Virgilius dixit x. Aeneid. 640. *Dat ſine mente ſonum.* id eſt verba absque judicio & certa voluntate prolata. Micyl.

144. *Vir mihi non iſto more legendus eras.*] Puto *petendus.* quia *volui* praeceſſerat. ſic infra 222.

Arte nec eſt, dices, iſta petenda mea.

Epiſt. xiii. 33.

Quid petitur tanto, niſi turpis adultera bello?

Sed *legendus* forte pro *eligendus.* Epiſt. xvi. 167.

Nec piget, aut unquam ſtulte legiſſe videbor.

Heinsius. Ego nihil quoque hic moveo. millies enim *legere* pro eligere occurrit. alludere quoque videtur ad notam Phraſin, qua *vir virum legit*, de qua ad Suetonium & Tacitum viri docti. & hoc voluntate & judicio legentis fiebat. *Legendus eris*, erat in antiquis editis, & Sarraviano, qui hic deſinit, ut & Editio Veneta anni MCCCCLXXIV. Burmannus.

146. *Divitis aufer opes.*] Malim, *ditibus aufer.* Heinsius.

148. *Orbe placet.*] Francius, *patet.*

149. *Haec ipſa.*] Francius volebat, *hoc ipſa.*

157. *Poſitas Hymenaeus ad aures.*] Obſcurius aliquanto dictum. Sed tamen videtur illud velle: Jam aliquoties veniens Hymenaeus ad poſitas aures; hoc eſt, ad me decumbentem (nam ſuprà dixit, membra toties ſibi cadere, hoc eſt, ſeſe aegrotare denuò incipere, quoties nuptiae parantur) refugit, ac terga dat. Neque enim nuptias celebrare, & aegrotare, inter ſe conveniunt. Micyllus. *Ad aras* cum Slichtenhorſtio legendum. Heinsius. Certe hoc melius, quam cum aliis interpretari ad aures dormientis, ſive aegrae, id eſt *poſitae* Cydippes. Francius malebat, *poſitis Hymenaeus ab aris.* Douza etiam *auras* faciebat.

159. *Infuſa.*] Vix Latinum eſt. & loqui de facibus videtur. forte, *incuſſa.* Heinsius. Forte, *totiens incenſa reſumit lumina*; ut ad Hymenaeum referantur. ſic i. Amor. i. 8.

Ventilet accenſas flava Minerva faces.

Francius volebat, *perfuſa.* ſi *infuſa* eſſet retinendum, ſubintelligi debet *oleo.* ut dicimus *perfundi vino* de ebrio; ſed *infundi vino* labentis jam Latinitatis & corrupti ſermonis eſſe locutionem cenſuit Janus Broukhuſius ad Tibul. i. ii. 3. praeterea ex hoc loco Delrius ad Senec. Med. 27. colligit

Major es hac ipſâ multo (mihi crede) Dianâ,
Si tua tam praeſens litera numen habet.
Cum tamen haec dixi, cum me tibi firma negavi,
Cum bene promiſſi cauſſâ peracta mei eſt;
Confiteor, timeo ſaevae Latoïdos iram:
Et corpus laedi ſuſpicor inde meum.
Nam quare, quoties ſocialia ſacra parantur,
Nupturae toties languida membra cadunt?
Ter mihi jam veniens poſitas Hymenaeus ad aras
Fugit; & è thalami limine terga dedit.
Vixque manu pigrâ toties infuſa reſurgunt
Lumina: vix moto corripit igne faces.
Saepe coronatis ſtillant unguenta capillis,
Et trahitur multo ſplendida palla croco.
Cum tetigit limen, lacrimas mortisque timorem
Cernit; & a cultu multa remota ſuo.
Projicit ipſe ſuas deductâ fronte coronas,
Spiſſâque de nitidis tergit amoma comis.

Et

git faces difficulter accendi in nuptiis, quae aegre perficiebantur. mox Slichtenhorſtius malebat, *vir moto.* quia ſcilicet non videbat hic Hymenaeum intelligi. poſſet &, *vix motas concutit igne faces.* ſic in Amor. I. II. II.

Motâ face creſcere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Micyllus Hypallagen volebat eſſe, pro vix corripit ignem mota, id eſt agitata, face. ſed vid. ad Epiſt. II. 120. BURMANNUS.

162. *Splendida palla croco.*] Puto flammeum intelligi, quod novae nuptae gerebant: id enim crocei coloris erat. Lucanus *luteum* vocat: ut lib. II. 261.

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

MYCILLUS. Vid ad Petron. cap. XXVI.

164. *Multa remota.*] Francius volebat, *cuncta.*

165. *Projicit ipſe ſuas deducta fronte coronas.*] Legebam, *adducta fronte.* hoc eſt contracta & rugoſa fronte, quod moeſtitiae ſignum eſt, & à ſequenti proxime hexametro confirmatur. quamquam & *deducta frons.*, quo modo *deducta vox.* de qua Macrob. lib. VI. Saturnal. cap. 4. Seneca Epiſt. LVIII. *Itaque & vultum adducet ad triſtitiam, & inhorreſcet ad ſubita, & caligabit, ſi vaſtam altitudinem deſpexerit.* Suet. Tiber. 68. *Incedebat cervice rigida, & obſtipa, adducto fere vultu. adducere* & *ducere frontem* modus loquendi elegans. quod aliis *contrahere frontem.* apud Juvenalem *obducere frontem* Sat. IX. I.

Scire velim, quare toties mihi, Naevole, triſtis
Occurras, fronte obducta, cui Marſya victus.

Quod ex illo Horatii expreſſit Epod. XIII.

Dumque virent genua,
Et decet, obducta ſolvatur fronte ſenectus.

Ducere vultum dixit lib. IV. ex Pont. VIII.

——— *Vultum*
Ducis, & affinem te pudet eſſe meum.

Martialis I. 41.

Qui ducis vultus, & non legis iſta libenter.

Juvenalis Sat. XIII. 215.

——— *Denſiſſima ruga*
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.

Guntherus Ligur. lib. X.

Nec frontem duxiſſe velit, licet unus & alter
Arguat, & meritum Naſo ſuſpendat adunco.

Stat. lib. II. Silv. 5. 14.

Puduitque relatum
Aſpicere, & totas duxiſſe in lumina frontes.

Tradere vultum Noſſer in Amoribus II. 2.

Cum bene vir traxit vultum, ruzaſque coëgit.

Caſtigandus & in tranſcurſu Statius lib. II. Silv. II. 147.

Tuque nurus inter longe pulcherrima, cujus
Non frontem traxere minae, ſed candida ſemper
Gaudia, & in vultu rugarum ignara voluptas.

Verſu ultimo *rugas* pro curis ex conjectura repoſuimus, eae enim ſunt, quae modo *frontis minas* appellarat. *traxere* ex vetuſto codice eſt, cum *vertere* nunc circumferatur, vetus editio Parmenſis, quae penes me exſtat, *viſere.* Forte, pro *duxere* vel *laeſere. ſubducere* Propertius lib. II. Eleg. X.

Nunc volo ſubducto gravior procedere vultu.

Subducere ſupercilia ſimili modo Seneca initio librorum

Et pudet in triſti laetum conſurgere turbâ:
Quique erat in pallâ, tranſit in ora rubor.
At mihi (vae miſerae!) torrentur febribus artus:
Et gravius juſto pallia pondus habent.
Noſtraque plorantes video ſuper ora parentes:
Et, face pro thalami, fax mihi mortis adeſt.
Parce laboranti, pictâ Dea laeta pharetrâ;
Daque ſalutiferam jam mihi fratris opem.
Turpe tibi eſt, illum cauſſas depellere leti;
Te contra titulum mortis habere meae.
Numquid, in umbroſo cum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua labra tuli?
Praeteriine tuas de tot coeleſtibus aras?
Atque tua eſt noſtrâ ſpreta parente parens?
Nil ego peccavi, niſi quod perjuria legi;
Inque parum fauſto carmine docta fui.
Tu quoque pro nobis, ſi non mentiris amorem,
Tura feras. proſint, quae nocuere, manus.
Cur, quae ſuccenſet, quod adhuc tibi pacta puella
Non tua fit, fieri ne tua poſſit, agit?

Omnia

brorum de Beneficiis, & Epiſt. XLVIII. & *ſubductum ſupercilium* in Priapeis. hinc *ſubducti ſupercilii carptores*, Laevio apud A. Gellium lib. XIX. cap. VII. Turpilio quoque & Varroni apud Nonium in *ſubducere*; & Apulejo Metam. IX. quibus forte opponatur *frons deducta* pro demiſſa. atque ita vulgata ſcriptura in Naſone non ſit ſollicitanda. ſic *frontem aſtringere* & contra *ſolvere frontem* Martiali lib. XI. Epigr. XL. lib. XIV. Epigr. CLXXXI. *ſtriatam frontem* dixit Apulej. lib. X. Metam. ubi tamen *ſtrictam* nonnulli codices. HEINSIUS. Ego mallem cum Francio, *projicit ipſe ſua deductas fronte coronas*, vel *detractas*. & ita melius cum ſequenti verſu cohaererent. ut I. Amor. VI. 67.

At tu non laetis detracta corona capillis.

Et ita *deducere veſtem*, de quo ad I. Amor. VII. 47. agemus. BURMANNUS.

167. *Conſurgere.*] Mallem, *conſiſtere.*

174. *Fratris.*] Apollinis. qui apud hunc Noſtrum lib. I. Metamorph. ait:

Inventum medicina meum eſt, Opiferque per orbem
Dicor, & herbarum commiſſa potentia nobis.

CIOFANUS.

179. *Praeteriine.*] *Praeteriive* Edit. Parm.

180. *Aque tua.*] Priores, *atque tua.* vide ad Epiſt. VI. 156.

182. *Inque parum fauſto carmine docta fui*] Legendo ſcilicet, quae in eo ſcripta erant. MICYLLUS. *Capta fui* videtur reſtituendum, ut haec ipſa Cydippe paulo ante 104.

Viſaque ſimplicitas eſt mea poſſe capi.

Et 122.

Sumque parum prudens capta puella dolis.

Artis Amatoriae libro I. 457.

Littera Cydippen pomo perlata fefellit,
Inſciaque eſt verbis capta puella ſuis.

Sed & Acontius ſupra Epiſt. XX. 65.

Denique dum captam tu te cogare fateri,
Inſidiis eſto capta puella meis.

Luſa fui quoque non inconcinnum videatur: ut II. Art. 600.

Luditur in noſtris inſtita nulla jocis.

Aut, ſi mavis propius inſiſti antiquae ſcripturae, *ducta fui* repone. quod fere tantundem eſt, pro luſa aut illecta. de quo loquendi modo jam nonnihil obſervavimus ad Metamorph. lib. VIII. ℣. 123. ſic Horatius *libo fumante duci*, pro capi Sat. VII. lib. II. ſic & *duci dulcedine natalis ſoli* Noſter Pont. I. El. IV. & *duci cantibus ac carmine.* de qua locutione diximus lib. XI. Metam. initio. & quod magis ad rem, *duci dolis* apud Plautum Captivis. Act. IV. Sc. I. qui *ductare* etiam frequenter hac ſignificatione utitur. quomodo & Apulejus Metam. VIII. *Sic praeco lurconem ductabat dicacule, ſed ille cognito cavillatu, ſimilis indignanti.* ita ſcribo, nam in optimis membranis eſt, *dictabat.* vulgo *tractabat.* HEINSIUS. Vid. Ep. XX. 210.

186. *Non tua ſit.*] Scribe *ſit.* quod τὸ *fieri* proxime ſubſequens requirit. ea repetitio arguta prorſus καὶ ἑλκυστικήν. HEINSIUS.

191. *Quan-*

Omnia de vivâ tibi ſunt ſperanda. quid aufert
Saeva mihi vitam, ſpem tibi Diva mei?
Nec tu credideris illum, cui deſtinor uxor,
Aegra ſuperpoſitâ membra fovere manu.
Adſidet ille quidem, quantum permittitur ipſi;
Sed meminit noſtrum virginis eſſe torum.
Jam quoque neſcio quid de me ſenſiſſe videtur:
Nam lacrimae cauſsà ſaepe latente cadunt.
Et minus audacter blanditur, & oſcula rara
Accipit, & timido me vocat ore ſuam.
Nec miror ſenſiſſe, notis cum prodar apertis:
In dextrum verſor, cum venit ille, latus.
Nec loquor, & tecto ſimulatur lumine ſomnus;
Captantem tactus rejicioque manum.
Ingemit, & tacito ſuſpirat pectore: meque
Offenſam, quamvis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes, & te juvat iſta voluptas!
Hei mihi, quod ſenſus ſum tibi faſſa meos!
Si mihi lingua foret; tu noſtrâ juſtius irâ,
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.

Scribis,

191. *Quantum permittitur ipſi.*] Malim, *aegrae.* ſuperiori Epiſtolâ 137.

Ille manus illas effingit & aſſidet aegrae.

HEINSIUS. Mallem cum parentheſi legere:

Adſidet ille quidem (tantum permittitur ipſi)
Sed &c. BURMANNUS.

193. *Et quoque neſcio quid.*] Parmenſis editio, *Et quoque jam neſcio quid.* Lege, *jam quoque neſcio quid.* & *de te*, pro *de me.* HEINSIUS.

198. *In dextrum.*] Jam quis non videat legendum, *in laevum*, non *dextrum.* cum decumbentes, dum averſantur eos qui inviſunt, in laevum reclinent latus neceſſe eſt. EGNAT. Imo contra, ut dextram medico porrigere poſſint aegri in laevum inclinatos eſſe decet, & cum averſantur in dextrum. quamquam, ut recte Micyllus adnotavit, hic ſtatus pro poſitu lectorum diverſus eſſe poteſt. & ideo nihil mutarem abſque ſcriptis codicibus. *vertor* malebat Francius. *avertor* olim correxerat Heinſius. BURMANNUS.

198. *Cum venit.*] *Cum vocat* Berſmanni margo.

200. *Ejicioque manum.*] Lege, *rejicioque.* Faſt. 1. 434.

Territa conſurgit Nymphe; manibuſque Priapum
Rejicit.

Lib. 1. Amor. IV. 34.

Rejice libatos illius ore cibos.

1. Art. Am. 695.

Rejice ſuccinctos operoſo ſtamine fuſos. HEINSIUS.

201. *Meque offenſam.*] Immo, *me quod*, vel, *me qui.* HEINSIUS. Criſpinus hic ex Micylli notis ſapere doctus adnotat, *immo infenſam.* ſed *offenſam* pro irata, infenſa poni jam vidimus ad vers. 48.

203. *Si mihi.*] *Hei mihi*, tam hoc, quam proxime ſequenti verſu, pro *ſi mihi*, Gronovius probe reponit. Sed nondum integer aut ſanus eſt locus. Corrige igitur:

Hei mihi, quod gaudes, & te juvat iſta ſimultas! HEINSIUS.

203. *Si mihi, quod gaudes: Si mihi, quod ſenſus &c. Si mihi lingua foret.*] Repetitio quidem haec, Schema Rhetoricum eſt. Sed ipſa oratio obſcura, ſive defectuoſa, & Ovidianae diſſimilis. Quid enim referamus ad priora duo commata, *Si mihi?* niſi ſi id, quod in tertio verſu ſequitur, *Lingua foret*, illis iisdem applicabimus: ut ſit ſenſus, *Si mihi lingua foret:* pro, ſi mihi dicendum ſit, quod gaudes, &c. *Si mihi lingua foret*, ſive dicendum ſit, quod ſenſus ſum tibi *faſſa*, &c. Si mihi dicendum ſit inquam, tu juſtius noſtra ira dignus eras, &c. Ita quidem qualicunque modo exponi haec poterunt: ſed quam apte ad haec ipſa verba reſpondeant, aut quadrent, quivis non omnino indoctus videre poteſt. Quare haec ita in medio relinquamus, ſive à Poëta ita ſcripta, ſive aliunde inſerta, ac vitiata. MICYLLUS. Locus corruptus. *Si me digna forem* argute idem elegantiſſimus Gronovius. Parmenſis editio, *At mihi lingua foret.* HEINSIUS.

204. *Faſſa.*] Aperui. CIOFANUS.

Scribis, ut invalidum liceat tibi viſere corpus.
Es procul a nobis: & tamen inde noces.
Mirabar, quare tibi nomen Acontius eſſet:
Quod faciat longe vulnus, acumen habes.
Certe ego convalui nondum de vulnere tali;
Ut jaculo, ſcriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc venias? ſane ut miſerabile corpus,
Ingenii videas bina tropaea tui.
Concidimus macie; color eſt ſine ſanguine: qualem
In pomo refero mente fuiſſe tuo.
Candida nec mixto ſublucent ora rubore;
Forma novi talis marmoris eſſe ſolet.
Argenti color eſt inter convivia talis,
Quod tactum gelidae frigore pallet aquae.

Si

207. *Scribis ut invalidum.*] Reſpondet ad id, quod Acontius optaverat, aegram coram inviſere poſſe. Quod autem de eo loco accipiendum eſt, ubi ait:

Me miſerum, quod non medicorum juſſa miniſtro,
Aſtringoque manus, aſſideoque toro.

Aut certe cum illis ſentiendum, qui negant hos verſus Ovidii eſſe. Neque enim alias in Epiſtola Acontii hoc idem aeque aperte dicitur. Et hic Cydippe inquit:

Scribis, ut invalidum liceat tibi viſere corpus.

Non ut ille, *aſſidere*, & medici officium aut juſſa exequi. Proinde & hic locus interpretum veterum opinionem nonnihil juvat, atque confirmat. Mycillus.

209. *Nomen Acontius eſſet.*] Si Euripidis illa in Polynicis nomine interpretatio jure irriſa exploſaque eſt a doctis, neſcio an haec probari Ovidiana ſatis debeat. quam ex ejus nomine elicit Cydippe, quaſi jam inde a puero ſortiri hoc nomen potuerit, quod in illam jaculaturus eſſet amoris facem. Ἀκόντιον enim Graecis *jaculum*. ſed haec quandoque Poëtis uſurpata, in earum praeſertim perſonarum ſervando decoro, quas minus prudentes peritasque introducunt. Egnatius. Alluſio ad Acontii nomen. Ciofanus. Ego haec duo diſticha inepta & Ovidiana elegantia & judicio plane indigna, & ſine ullo acumine eſſe judico. Sanctioresque & integriores Poëtas religioſe ab infectis illis adluſionibus ad nomina propria abſtinuiſſe egregie docet Barth. ad Claud. III. Conſ. Honor. principio. & XLVII. adv. cap. II. & multa in hanc rem collegit Menagius in Antibailleto ſuo. tom. I. cap. XLVIII. ubi excuſat alluſionem, quam ipſe epigrammati cuidam incluſerat. exempla quorundam Graecorum & Latinorum adduxit etiam Columna ad Ennii Andromachen. pag. 240. ſed aut ridiculi, aut opprobrii cauſſa fere uſurpata videbis: in gravi enim & ſerio poëmate nullus his ineptiis locus eſſe debet. in Anthologia Graeca quaedam occurrunt hujus notae. ut lib II. cap. 5.

Χείλων, καὶ λείχων, ἴσα γράμματα. ἐς τι δὲ τοῦτο;
Λείχει γὰρ Χείλων κἂν ἴσα κἂν ἄνισα.

Apud Martialem quoque, & ſimilis ordinis Poëtaſtros, obviae hae nugae. Burmannus.

213 *Quid tamen huc venias*] Etiam hinc colligi poſſet, Acontium eo ſcripto, cui his verſibus reſpondetur, vehementius flagitaſſe, ut coram inviſere Cydippen ſibi liceret: quod ſuperiori Epiſtola ſit loco citato Cum hic Cydippe dicat: *Quid tamen huc venias.* q. d. Nihil eſt, cur tantopere deſideres me coram inviſere. Eſt autem remotio, ſive extenuatio cauſae. Id enim dicit: Non eſt cauſa, cur me tantopere cupias inviſere. Tu pulchritudinem & formam meam, ut ſcribis, expetis: ego hic jaceo, corpus miſerabile, & morbo deformatum, & quale tu feciſti. Nam hoc quoque illi imputat. Micyllus.

213. *Sane miſerabile corpus.*] Scribe, *Anne ut miſerabile corpus.* Sic apud Martialem lib. v. Epigr. ult. *Sane* pro *At ne* nunc legitur. qui naevus totum ferme epigrammati acumen interverterat. Reſtituamus lepidiſſimum carmen, antequam manum de hac tabula tollimus, & Gallam Martialis Naſonianis Heroiſin addamus:

Saturnalia tranſiere tota;
Nec munuſcula parva, nec minora
Miſiſti mihi, Galla, quam ſolebas.
At, ne ſic abeat meus December,
Scis certe, puto, veſtra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dediſti.

Omnia jam optime ſe habent. niſi quod munuſcula *parca* malim, quam *parva*. prioribus verſibus tangit Gallae avaritiam, quae cum ſolens parva ſemper miſerit munuſcula, nunc mittat nulla. Perperam

Si me nunc videas, viſam prius eſſe negabis:
Arte nec eſt, dices, iſta petenda meâ:
Promiſſique fidem, ne ſim tibi juncta, remittes;
Et cupies illud non meminiſſe Deam.
Forſitan & facies, jurem ut contraria rurſus;
Quaeque legam, mittes altera verba mihi.
Sed tamen adſpiceres vellem, prout ipſe rogabas,
Et diſcas ſponſae languida membra tuae.
Durius & ferro cum ſit tibi pectus, Aconti;
Tu veniam noſtris vocibus ipſe petas.
Ne tamen ignores, ope quâ revaleſcere poſſim:
Quaeritur a Delphis fata canente Deo.
Is quoque neſcio quam, nunc ut vaga fama ſuſurrat,
Neglectam queritur teſtis habere fidem.

Hoc

peram legebatur, *quae ſolebas*. Deinde *Sane* pro *At ne* frigidiſſime profecto. Alluſit ad formulam minantium, *Non ſic abibit*. Ne, inquit, impune feras indonata mihi haec tranſiiſſe Saturnalia, at proximis Kalendis Martiis iſtam ego liberalitatem tuam pari parſimonia probe ulciſcar. HEINSIUS. Francius legebat, *ut me & miſerabile corpus*. ſed vix audeo illud *Sane* movere, cum eleganter inſerviat Ironiae, vel ſit concedentis quaſi & permittentis. vid. ad Phaedr. III. Fab. 15. ubi etiam Heinſius pro *ſane*, *an* reponebat.

223. *Ne ſim tibi victa remittes.*] Lege, *vincta*. ut ſupra XX. 22.

Eſſe tuam vinctam numine teſte fidem.
Codex etiam Medicêus, *juncta*. bene. ſuperiori Epiſtolâ 215.

Nube, precor, dicet, cui te bona nomina jungunt. HEINSIUS.

224. *Et cupies illud.*] Francius malebat, *Et cupies ipſam*.

225. *Facies.*] Forte, *facias*; & mox, *mittas*. HEINSIUS. Vid. ad Epiſt. IV. 53.

227. *Prout ipſe rogabas.*] Celeberrimus Bentlejus ad Horat. II. Sat. VI. 67. apud nullum Poëtam, ne comicum quidem, hoc verbum ſe legiſſe meminit, nec in Horatio patitur in unam ſyllabam coaleſcere. ex Plauto in Bacch. IV. IX. 5. Lexicographi laudant, ſed ibi *praeut* emendatiores editiones recte exhibent. & ſane vix tolerari hic poſſe videtur, cum nulla ſit ratio, quae ſuadeat, aut primam ſyllabam corripi, aut duas in unam coire. Francius *velut* ſuppoſuit, ſed hoc eſt pro arbitrio emendare. ideoque malo Poëtae ignobili hanc ſtribliginem adſcribere. *diſcas* etiam *membra* durius dictum videtur. ſi *noſcas* legi poſſet, mollius eſſet. BURMANNUS.

229. *Durius & ferro cum ſit tibi pectus, Aconii.*] Niſi fallor, ab auctore ſcriptum fuerat:

Durius ut ferro jam ſit tibi pectus, Aconti.
Quem loquendi modum lib. I. Pont. Eleg. VII. VI. 50. Naſoni quoque reddidimus, & pluribus illic adſtruximus. quae adeantur. HEINSIUS. *Si ſit* margo Berſmanni.

231. *Ope qua revaleſcere poſſim, Quaeritur à Delphis fata canente Deo.*] Conſulitur Phoebus, qui Delphis dat reſponſa, qua medicina poſſim convaleſcere, & priſtinas vires recuperare. CIOFANUS.

233. *Et quoque.*] *Is quoque* recte Medicêus. HEINSIUS.

234. *Neglectam queritur teſtis habere fidem.*] Hi verſus, cum eo qui ſequitur, ſatis impediti & inexplicabiles ſunt. Incertum enim eſt, quorſum ſenſus eorum referas. Nam hic, teſtem, quem nam accipias? niſi ſi ipſum Apollinem, de quo proxime dictum eſt, accipias: quaſi cujus teſtimonium de Cydippe datum, nullam fidem apud parentes puellae habeat. Neque aliud hoc loco video. Proxime quod ſequitur:

Hoc Deus, & vates, hoc & mea carmina dicunt.
Nihil eſt, ad quod pronomen *Hoc* poſſit referri. Deinde quomodo accipiendum, *Mea carmina*, de Cydippe? An & ipſa carmina fecit, ſive dedit? Niſi quis putet, hoc loco *Carmina*, pro oraculis intelligenda eſſe. ut ſit ſenſus: *Hoc*, (de quo, ut dixi, non conſtat oraculum, an aliud quippiam accipiendum ſit) *Deus & vates*, Apollo videlicet (ſic enim videtur) & mea carmina, hoc eſt, oracula mihi data, dicunt ac monent, &c. Hoc quidem modo ſententia contexitur, ſed quae neque cum ſequentibus, neque cum praecedentibus cohaereat. Proinde & hunc locum aliis diſcutiendum relinquemus. MICYLLUS. Jure inexplicabilia haec, ut nunc leguntur, pronuntiat Micyllus, ſed ut aliquis ſenſus appareat, ita conſtituerem:

Is quoque neſcio quam, nunc ut vaga fama ſuſurrat,
Neglectam queritur, teſtis, habere fidem.

Et

Hoc Deus & vates, hoc & mea carmina dicunt:
At deſunt voto carmina nulla tuo.
Unde tibi favor hic? niſi quod nova forte reperta eſt,
Quae capiat magnos litera lecta Deos.
Teque tenente Deos, numen ſequor ipſa Deorum:
Doque libens victas in tua vota manus.
Faſſàque ſum matri deceptae foedera linguae,
Lumina fixa tenens, plena pudoris, humo.
Cetera cura tua eſt. plus hoc quoque virgine factum,
Non timuit tecum quod mea charta loqui.
Jam ſatis invalidos calamo laſſàvimus artus,
Et manus officium longius aegra negat.
Quid, niſi quod cupio me jam conjungere tecum,
Reſtat, ut adſcribat litera noſtra? Vale.

Et Deus hoc vates, hoc & mihi carmina dicunt. (*Ah! deſunt voto carmina nulla tuo.*)
Is Deus, teſtis & arbiter jurisjurandi mei, queritur neſcio quam, (nominatim enim oraculum non ſolere aliquem deſignare apparet etiam ex Epiſt. XIII. 93.

Sors quoque neſcio quem fato deſignat iniquo.)
habere neglectam fidem. *teſtis* eſt ipſe Deus. ut ſuperiori Epiſtola 212.

Eſſe tuam vinctam numine teſte fidem.
Nam millies ita in hac re dicitur. ſufficiat Cicero III. de Off. 29. *Jusjurandum eſt affirmatio religioſa. quod autem affirmate, quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt.* & infinita talia adduci poſſent. vid. & lib. III. Amor. II. 61. & III. III. 19. III. Art. 458. & centies alibi. *Neglectam fidem habere* recte Criſpinus explicat pro negligere, ut Terent. Eun. II. 3. *Deſpicatam adoleſcentiam habere.* Cicero, *domitas habere libidines* & ſimilia, de quibus egregie Buchner. de commutata dicendi ratione cap. XXI. §. 1. *negligere* vero *fidem* dixit vetus Poëta apud Cicer. III. de Off. 26. ut ita *neglecti Dii* Horat. III. Od. 6. *Neglecti Deus ultor amoris* Noſtro III. Amor. VIII. 65. & ſimilia. ſi legamus vero *Deus* & *vates* intelligendus ſacerdos & antiſtes templi. ut *vates* pro augure, aruſpice & quovis, qui ſanctius Deos colit, ſumitur & a noſtro Poëta III. Am. IX. 5. XI. Metam. 68. vid. Acron. ad Horat. III. Od. 19. ſed malim, *Et Deus hoc vates*, ut Apollo ipſe intelligatur, quem *vatem* dici videbimus ad I. Amor. VIII. 59. deinde *mea carmina* poſſent quidem explicari mihi per oraculum edita, ſed cum *mea* & *mihi*, *tua* & *tibi* centies apud Ovidium a librariis commutari ſoleant, (vide ad Ep. VIII. 87. IX. 150. XI. 77. XII. 148. & paſſim) malim *mihi dicunt*. ut quod antea famam, quae mendax eſſe poteſt, ſuſurrare dixerit, nunc ſibi quoque conſtare ex ipſo Dei reſponſo, carminibus edito, affirmet. haec omnia ſuſpirio quodam concludit. *Ah!* (ita recte etiam Criſpinus conjecit) nulla carmina, neque tua, quibus me decepiſti, neque Apollinis, tibi deſunt, ut voto potiaris tuo. Qui meliora attulerit, libentes ei aſſurgemus. BURMANNUS.

238. *Capiat.*] Male Micyllus, delectet, moveat explicat: eſt enim eludat, fallat, ut ſupr. vers. 104, 115, 122. ut ergo me litera decepit, ita forte nova Deos decipiat. BURMANNUS.

239. *Tenente Deos.*] Omnes hactenus *Deo*, nullo (niſi fallor) ſenſu. EGNATIUS. *Teque tenente Deos*, ita legendum eſt; non, *Deo*. Eſtque concluſio Epiſtolae. Quando igitur, inquit, tu Deos ita tenes, hoc eſt, propitios habes, & faventes, & quaſi in manu tenes: ego quoque numen deorum tuorum ſequor. Perinde ut ille apud Virgil. ait: lib. V. 709.

Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntque ſequamur.

MICYLL. Francius corrigebat, *Te venerante Deos.*

239. *Numen ſequar.*] Vetus liber *pacis*. Puto, *partes ſequor*. HEINSIUS. *Nomen*, aliae editiones. *Partes ſequi* etiam dixit lib. I. Amor. I. 36. ſed hic nihil mutandum cenſeo.

242. *Lumina fixa tenet plena pudoris humo.*] Suprà in Epiſtola Hypſipyles:

Haeſit in oppoſita lumina fixus humo.

CIOFANUS. Scribe:

Lumina fixa tenens plena pudoris humi.

HEINSIUS. Vid. ad lib. IV. Metam. 121.

247. *Quid niſi quod cupiat.*] Puto, *cum cupiam*. HEINSIUS.

P. OVIDII NASONIS

AMORUM

LIBRI TRES.

EPIGRAMMA NASONIS IN AMORES SUOS.

QUi modo Naſonis fueramus quinque libelli,
Tres ſumus: hoc illi praetulit auctor opus.
Ut jam nulla tibi nos ſit legiſſe voluptas;
At levior demtis poena duobus erit.

1. *Qui modò Naſonis, &c.*] Scripſerunt ex antiquis apud Romanos elegias Tibullus, Propertius, Ovidius, & Gallus, ut ait Quinctilianus lib. x. cap. 1. Cujus haec verba ſunt: *Elegiâ Graecos quoque provocamus: cujus mihi terſus atque elegans maximè videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque laſcivior: ſicut durior Gallus.* Quem locum, cùm vulgo non intelligatur, ipſe declarabo. Is igitur Quinctilianus, cùm Latinos ſcriptores in quacumque diſciplina cum Graecis comparaſſet, tum illa, quae modo recitavi, verba addit; in quibus de Elegiae praeſtantia apertiſſimè loquitur. Cùm ergo & ex ſuo, & ex quorundam judicio, cuinam illorum Elegiae ſcribendae principatus eſſet deferendus, dixiſſet, ſubdidit Ovidium Tibullo & Propertio eſſe laſciviorem, Gallum verò duriorem. Si quod dixi verum eſt, ut de Elegiae praeſtantia loquatur, nullo pacto verbum, quo ille utitur, *laſcivior* exponi poteſt eo ſenſu, quo vulgus accipit. Quòd enim antitheton eſſet *laſcivior* cum verbo *durior?* nullum, aut certè otioſum. Ergo neceſſariò dicendum eſt à Quinctiliano, qui id, ut Rhodiginus animadvertit, à Seneca accepit, ubi quod hic Noſter lib. 1. Metamorph. de diluvio ſcribit, examinat, omnino ſignificari Ovidium ipſum pluribus modis, quàm Tibullus & Propertius ſoliti ſunt, ſententiam ſuam, non minus tamen eleganter, extuliſſe. Quo ſenſu accipitur à Virgilio *laſciva capella*, Ecloga 11. Illud huc adjiciendum, illos (quod nemo infitiabitur) propemodum omnia, quae ſcripſerunt, è Graecorum fonte hauſiſſe: Ovidium verò, quae in his Elegiis, ſuo marte, ut dicitur, ceciniſſe, feliciſſimeque expreſſiſſe. CIOFANUS. Duo haec priora diſticha non ad Elegiam primam, cui perperam hactenus adnectuntur, ſunt referenda, ſed Epigramma per ſe conficiunt: quod ſecundae Amorum editioni Naſo duxerat praefigendum. Idque Mario Nigro in mentem quoque veniſſe ſerus animadverti, ac poſtea Mycillo; qui Nigrum laude debitâ fraudare non debuit. Politianus etiam in ſuo exemplari lineâ inductâ hos verſus à ſequentibus dividendos videri deſignarat. Sed & in Arondeliano codice, recenti quidem illo, ſed tamen ſcripturas nonnunquam emendatiſſimas exhibente, quem vir eximius ac celeberrimus Franciſcus Junius cum aliis quibuſdam Britannicis utendum mihi conceſſit, liquido ſeparatum à prima Elegia hoc ipſum Epigramma ſpectabatur. At in vetuſtiſſimo Regiae Bibliothecae fragmento unius pagellae, quod Artis Amatoriae & Remediorum libris adhaerebat, à primâ quidem Elegiâ, ut fieri oportuit, non legebatur divulſum hoc Epigramma, debere nihilominus divelli apparebat ex ipſo Titulo, quem hoc modo prodebat codex ille, P. OVIDII NASONIS LIBER PRIMUS REMEDIORUM EXPLICIT. INCIPIT EJUSDEM AMORUM LIBER PRIMUS. EPIGRAMMA IPSIUS. Huc denique alludit codex Patricii Junii, cujus in fronte, INCIPIUNT EPIGRAMMATA AMORUM. *Amorum libros* dici oportere, quicquid obſtrepant MSS. ipſe Ovidius lib. III. Art. 343. docet:

Deque tribus libris, titulus quos ſignat Amorum,
Elige. HEINSIUS.

Amores inſcribi debere hos libros docet quoque Spartianus in vita Aelii Veri. cap. v. ubi narrat, Verum *Ovidii libros Amorum in lecto ſemper habuiſſe.* Merula vero ad lib. III. Art. 345. ineptiſſime hoc diſtichon ita capit, quaſi quinque libris, de Arte Amandi & Remedio praepoſuerit tres ad Corinnam. BURMANNUS.

3. *Ut jam nulla tibi.*] Si quis diligenter ſenſum

carminis conſideret: multo id fortaſſe rectius judicabit, quod in nonnullis legitur:

Ut non ulla tibi jam ſit legiſſe voluptas.

Naugerius. *Ut jam nulla tibi non ſit legiſſe voluptas, &c.* Ita quidem vulgò legitur. Quem verſum commentator contra analogiam exponit, duas negationes pro una ſumens. Quod tamen neceſſe non erat, cum poſſet conjunctionem *Ut αἰτιατικῶς* accipere, eo pacto, ut ſequens verſus ſit prioris ratio, ſive cauſa, hoc ſenſu: Autor praetulit hoc abbreviatum opus illi longiori, ut tibi voluptas ſit nulla non: hoc eſt, omnia quae operis hujus ſunt, perlegere. vel ſi poena, hoc eſt, moleſtum ſit id facere, minus graveris, quando ipſum opus jam duobus libellis imminutum eſt. Hoc pacto, inquam, poterat exponi hic locus, ſi quis hanc lectionem pro vera atque germana tenendam exiſtimet. Sed mihi verſus hic ſuſpectus eſt. Neque dubito, pro pronomine *Nos*, adverbium *Non* alicunde irrepſiſſe. Nam ſi legas, *Ut jam nulla tibi nos* (ſcilicet libellos) *ſit legiſſe voluptas, &c.* plana eſt ſententia, & quae explicatione non egeat. Eſt enim ordo: Quare ut nulla jam voluptate nos legas, at neque poena, ſive moleſtia magna afficieris legendo, quando pauciores quàm antea ſumus. Nam quae ſine voluptate, hoc eſt, inviti facimus, quo ea plura ac longiora ſunt, eo magis nos gravant: at ſi brevia ac modica ſint, minus moleſtiae atque acerbitatis habent. Ceterum & illud monere oportet, quatuor priores hos verſus non ad Elegiam ipſam propriè pertinere, ſed eſſe veluti titulum totius operis, ſive Epigramma. Micyl. Locus hic, qui uſque huc omnino depravatus circumfertur, quamvis eum fruſtra duobus modis alii emendare tentaverint, ope unius libri è Maffeiana Bibliotheca integritati ſuae ita reſtituendus eſt, *Ut jam multa tibi non ſit legiſſe voluptas.* Ciofanus. Gruterus è MS. Palatino annotaverat, *Ut jam multa tibi.* Sed fruſtra. Alii codd. *Ut nonnulla tibi.* Quod non diſcedit a Noſtro, niſi quod gemina negativa, quae affirmat, ſeparata ſit. Dan. Heins. *Ut jam multa tibi non ſit* unus Palatinus, alii aliter. Fragmentum Regium, Jureti ac Puteani Excerpta cum codice Neapolitano, *nulla tibi nos ſit legiſſe voluptas.* Nihil verius. Id ipſum Mario etiam Nigro ac Mycillo venerat in mentem. Neque aliter videri ſibi caſtigandum per literas me monuit vir officioſiſſimus Bern. Rottendorphius. Martialis non diſſimili modo libri decimi initio libellum ipſum facit loquentem. Heinsius. Tenebras offuderunt non intellectae particulae *Ut jam*, quae pro *quamvis* debent ſumi, ut ſaepe. ita appoſite Quinctil. VIII. 3. *Ut jam nobis ponere alia fas non ſit, at derivare, flectere, conjungere, quando deſiit licere?* Noſter III. Art. 89.

Ut jam decipiant, quid perditis.

Vid. Gronov. ad Liv. XXIII. 27. Burmannus.

4. *Poena.*] Si quis ad elegantias Gallicas Latinam linguam exigere velit, legat & rideat Clerici Art. Critic. p. III. Sect. I. cap. XVI. 5. ſed illa excutiemus ad lib. II. Triſt. 507. ubi impudentiam vitio creati Critici confundemus. Burmannus.

P. OVI-

P. OVIDII NASONIS AMORUM

LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

ARma gravi numero, violentaque bella, parabam
Edere, materiâ conveniente modis.
Par erat inferior versus: risisse Cupido
Dicitur, atque unum subripuisse pedem.
Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina juris?
Pierídum vates, non tua turba, sumus.

Quid?

2. *Edere.*] Optimus Francofurtensis, *prodere.* vide ad Epist. XI. 94. & 107. V. Met. 517. VI. 81. ubi de partu proprie hoc verbum dici notavimus. sunt autem ingenii foetus carmina, quae produntur ad posteritatem. sed cum *edere* idem saepe significet, nihil hic novamus. BURMANNUS.

5. *Dedit hoc in carmine juris.*] *In carmina* optime fragmentum Regium. ut I. Fast. 17. dixit, *dederis in carmina vires* ut ibi legendum. *Habere jus in aliquem* dicimur. *in aliquo* minus Latinum est. Noster infra Eleg. VII.

In dominam jus mihi majus erit?

Ep. IV. 12.

Regnat, & in dominos jus habet ille Deos.

Metam. XIII. 918.

—— *Nec majus in aequora Proteus*
Jus habet.

Sic & ibi ex membranis reponendum. lib. VI. Fast. 645.

In portus nato jus erit omne tuo.

Seneca Oedipo 447.

Jus habet in fluctus magni puer advena ponti.

Silius lib. XIII. 1543.

Una mora Aeneadae, postquam vox attigit aures
Dum daret auspicium, jusque in certamina ductor.

Ita scribendum, *usque in certamina* nunc perperam legitur. Publius Syrus:

Fortuna jus in hominis mores non habet.

Auctor Octaviae 961.

—— *Quis jus in nos*
Fortuna dedit, testor Superos.

Noster infra lib. II. El. IV. ex veteri codice:

Nam desunt vires in me mihi jusque regendum.

Lucanus lib. I. 406.

—— *Non Corus in illum*
Jus habet aut Zephyrus.

Lib. VI. 496.

—— *Hoc juris in omnes*
Est illis Superos.

Lib. VII. 264.

Non mihi res agitur, sed vos, ut libera sitis
Turba precor, gentes ut jus habeatis in omnes.

Lib. VIII. 95.

—— *Hoc juris habebat*
In tantum Fortuna caput!

Lib. IX. 887.

—— *Quod jus habuisset in ipsum*
Ulla lues?

Ibidem 838.

Et tibi dant Stygiae jus in sua fila sorores.

Statius Theb. v. 68 .

In famulam jus esse ratus dominoque ducique.

Quid? ſi praeripiat flavae Venus arma Minervae,
Ventilet accenſas flava Minerva faces?
Quis probet in ſilvis Cererem regnare jugoſis?
Lege pharetratae Virginis arva coli?
Crinibus inſignem quis acutâ cuſpide Phoebum
Inſtruat, Aöniam Marte movente lyram?
Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna,
Cur opus adfectas, ambitioſe, novum?
An, quod ubique, tuum? tua ſunt Heliconia Tempe?
Vix etiam Phoebo jam lyra tuta ſua eſt?
Cum bene ſurrexit verſu nova pagina primo;
Adtenuat nervos protinus ille meos.

Nec

Juvenalis Sat. II. 139.

——— *Nil animis in corpora juris*
Natura indulget.

Ut ibi recte editio Pithaei & tres MSS. quos vidi. Heinsius. Cum Heinſio facit Claverius ad Perſii Sat. v. ℣. 2. an vero diſtinguendas locutiones eſſe dicemus, *habere*, vel, *dare jus in aliquem*, ut ita ſemper loquamur, & *eſſe jus in aliquo*, quod ſine dubio ſaepius reperitur? ſic Quinctil. Decl. XIII. *Pejuſne domino in iis jus eſt, quibus cuſtode non opus eſt?* & ita apud Noſtrum libro XVI. Metam. 20. conſtanter MSS.

Sive aliquid regni eſt in carmine.

Quod firmatur ex lib. V. Faſt. 261.

Forſitan in teneris tantum mea regna puellis
Eſſe putes.

Epiſtola quoque XV. 197. plurimi codices:

Non mihi reſpondent veteres in carmine vires.

Et ſingularem hic magis Poëtice, quam pluralem numerum poni crediderim. ſic quoque mox Eleg. III. 19. codices plurimi & editiones veteres:

Tu mihi materiem felicem in carmine praebe.

Sed *puto* utrumque, *habere*, & *eſſe jus in aliquo* & *aliquem* promiſcue dici, ut exempla ab Heinſio adducta comparantibus patebit. Burmannus.

6. *Tua turba ſumus.*] Codex Regius *turma.* unus Palatinus & Vaticanus *membra.* etiam probe. ut in Triſtibus I. Eleg. 3.

Et domus & fidae dulcia membra domûs.

Et lib. IV. Eleg. X. 48.

Dulcia convictus membra fuere mei.

Vulgata tamen non temere repudianda. Stat. I. Silv. II. 70.

Sed tua turba ſumus. Heinsius.

Lib. III. Art. Am. 811.

Ut quondam juvenes, ita nunc, mea turba, puellae.

Et alibi. vid. ad II. Amor. IX. 54.

7. *Praeripiat.*] In Palatino tertio eſt, *praecipiat*, & id probavit Gebhardus lib. I. Crepund. cap. I. ſed inconſiderate. *Praecipere* eſt enim rem ante alium capere; ut Ep. XVII. 107. *Praecepta gaudia. Praeripere* vero rem, in quam alius jus habet, auferre per vim, ut paſſim Latini ſcriptores. Noſter v. Metam. 10.

Praereptae conjugis ultor.

Et ita ſaepe Cicero & alii. Burmannus.

8. *Ventilet.*] Moveat ut ventum faciat, quo magis accendantur. Propert. IV. III. 50.

Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipſa facem. Marius.

9. *Regnare.*] *Pugnare* Neapolitanus unus. non ineleganter.

11. *Crinibus inſignem.*] *Intonſum* Farneſianus. ut Tibull. I. IV. 33.

Solis aeterna eſt Phoebo Bacchoque juventus,
Et decet intonſus crinis utrumque Deum.

IV. Met. 13. *Indetonſusque Thyoneus* Heinsius.

13. *Magna, puer.*] Utpote qui in Deos ipſos jus habere dicaris. Ciofanus. Moreti unus, *Sat tibi magna puer*, non invenuſte.

18. *Attenuat nervos protinus ille meos.*] *Proximus ille* Fragmentum Regium cum Scaligeri, & Puteani Excerptis ac altero codice regio. Forte, *proximus inde.* Pentametrum deſignat. Heins. In Glaſeriano, Francofurtenſi & duodecim aliis erat, *attenuat numeros.* quae eadem varietas lib. IV. Triſt. IV. 4.

Non careat nervis candor ut ille meis.

Sed nihil muto: claudicanti enim verſui melius *nervi* dicuntur *attenuari.* ſic & Propert. III. II. 4.

Tantum operis nervis hiſcere poſſe meis.

Et mox iterum ſequitur, *numeris levioribus.* & paullo poſt, *ſex mihi ſurgat opus numeris.* Francof. etiam, *proximus ille ſuos.* non ineleganter. nam *protinus* mox v. 21. ſequitur. praeterea a manu ſecunda *ludos*, pro *numeros.* Burmannus.

19. *Nec*

Nec mihi materia eſt numeris levioribus apta,
Aut puer, aut longas comta puella comas.
Queſtus eram; pharetrâ, cum protinus ille, ſolutâ,
Legit in exitium ſpicula facta meum:
Lunavitque genu ſinuoſum fortiter arcum:
Quodque canas, Vates, accipe, dixit, opus.
Me miſerum! certas habuit puer ille ſagittas.
Uror; & in vacuo pectore regnat Amor.
Sex mihi ſurgat opus numeris; in quinque reſidat.
Ferrea cum veſtris bella valete modis.
Cingere litoreâ flaventia tempora myrto,
Muſa, per undenos emodulanda pedes.

19. *Nec mihi.*] Variant codices, *nunc*, *haec*. Forte:

Det mihi materiem numeris levioribus aptam.

Vel, *ſint mihi materies.* HEINSIUS. Francius quoque volebat, *nec mihi materies.* vid. ad Ep. II. 137. & XVII. 29. Douzae codex etiam *numeris brevioribus* habebat.

20. *Aut puer.*] *Quam puer* Sarravianus a manu prima. ut ſubintelligatur, *alia*; nec mihi alia materia eſt, quam puer. ſed hoc repugnat verſui 26. BURMANNUS.

21. *Soluta.*] Expeditam explicat Criſpinus, ex duabus Marii interpretationibus peſſimam eligens. eſt vero aperta, nam clauſas gerebant pharetras. Noſter v. Metam. 379.

——— *Ille pharetram*
Solvit & arbitrio matris de mille ſagittis
Unam depoſuit.

Senec. Herc. Fur. 993. *Pharetramque ſolvit. Operit* pro claudit dixit Stat. IV. Silv. IV. 30. vide & Noſtrum v. Met. 628. III. Pont. VIII. 19. Claud. III. Laud. Stil. 269. BURMANNUS.

22. *Legit.*] Codex Scriverii & Palatinus, *traxit:* male. apud Ciceronem pro Quinctil. cap. II. bis haec locutio in MSS. legitur, teſte Grutero: *Tum id facere cogar, cum etiam telum adverſarius nullum legerit.* & mox, *Si qua in re, falſum crimen, quaſi venenatum aliquod telum legerint.* utrobique *jecerint* viri docti repoſuerunt. HEINSIUS. Apud Noſtrum tamen meliori jure reſtituere poſſemus. ſic III. Art. 516.

Spicula de pharetra promit acuta ſua.

Ubi *legit* eſt in codice Aproſii. praeterea *ſpiculæ dira* Farneſianus, male. nam ita Propert. II. XVIII. 4. ut viri docti recte conſtituerunt:

Omnia in exitium nata theatra meum. BURMAN.

23. *Lunavitque.*] Unus Maffeian. *Curvavitque.* quod fortaſſis gloſſema eſt. CIOFANUS. Explicuit optime hunc Sagittatorum habitum Columna ad Ennii Alcmaeona pag. 285.

26. *Uror.*] Moreti unus, *Vicit*, *& in.* forte melius: non enim de facibus, ſed de ſagittis eſt ſermo. & poſt victoriam regnum ſequitur in devictos. BURMANNUS.

29. *Cingere littorea flaventia tempora myrto.*] Infrà quoque ſe ex myrto coronam geſſiſſe ait. Tibullus quoque lib. I. Eleg. X.

——— *Myrto vinctus & ipſe caput.*

Rurſus hic Noſter ſub finem lib. II. De arte:

Sertaque odoratae myrtea ferte comae.

Venus quoque ex myrto coronam gerebat, lib. III. ejusdem operis:

Dixit & è myrto (myrto nam vincta capillos
Conſtiterat) folium, granaque pauca dedit.

Ibidem vocat *Paphias myrtos*, quòd Veneri frutex ille ſacer ſit, aut etiam quòd magna copia ſit Paphi, ubi Deam cultam fuiſſe antiquitas arbitrata eſt. CIOFANUS.

29. *Littorea myrto.*] Propterea quòd myrtus, ut plurimum non longè à mari propter caeli calorem naſci & eſſe conſuevit. IDEM. Martial. IV. 13.

Lotos aquas, litora myrtus amat.

ELEGIA II.

ESſe quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia noſtra ſedent?
Et vacuus ſomno noctem, quam longa, peregi;
Laſſaque verſati corporis oſſa dolent?
Nam puto ſentirem, ſi quo tentarer amore.
An ſubit, & tacità callidus arte nocet?
Sic erat. haeſerunt tenues in corde ſagittae:
Et poſſeſſa ferus pectora verſat Amor.

Cedi-

Hanc Chartaceus Scriverii, Sarravii (& Francof.) codices Elegiam ſuperiori annectunt, ut & veterrimum fragmentum Regiae Bibliothecae, neque ulla inſcriptio, aut novae Elegiae ſignum ullum apparet: in margine quoque Sarraviani ſcriptum erat, *poteſt continuari.* in Regio autem praefigebatur titulus, *Ad Cupidinem.* HEINSIUS.

1. *Eſſe quid hoc dicam, quod.*] Senec. Praefat. Controv. *Quid hoc eſſe dicam, quod me tam periculoſe abdicant?*

2. *Strata.*] P. Scriverius ad Epigr. XVI. lib. II. Martialis τὸ *ſtrata* cum *pallia* conſtruit, perperam ut puto. idem fallitur ibidem, cum illud Noſtri III. Eleg. VII. *Proſiluit tunica velata recincta*, de nocturna tunica intelligit, cum Ovidius medium diem fuiſſe aperte dicat. HEINSIUS.

2. *Pallia noſtra ſedent.*] Intelligit illa, quibus & in toris tricliniaribus, & nocturnis tegi ſolebant. infr. Eleg. IV. 50.

Conſcia de gremio pallia deme tuo.

Pro *ſedent* vero *jacent*, vel *manent* eſt in Francof. & aliis quibusdam. ſed *ſedent* eſt haerent, ita ut veſtigia corporis mei in uno tantum loco appareant, neque corpus verſem aut jactem, per omnem lectum, ut ſolent aegri. Juven. Sat. VI. 235.

Tum corpore ſano
Advocat Archigenen, oneroſaque pallia jactat.

Sedere vero hoc ſenſu & apud Stat. IV. Theb. 165. de Hercule:

Qua cubiti ſedeant veſtigia terra.

Claudian. II. Laud. Stil. 366.

Latis ſederunt pectore culcitae.

Sidere dixit Propertius IV. Eleg. III. 31.

Tum queror, in toto non ſidere pallia lecto.

Ferrarius de veſte ſtragula videtur capere Part. II. lib. IV. cap. 3. de re veſtiaria. ut & fecit Marius. BURMANNUS.

3. *Et vacuus ſomno.*] *Vacuam* primus Medicêus. parum refert. HEINSIUS. Sed quia *longam* ſequitur, praeſtat vulgata. *longamque peregi* etiam unus Palatinus. ſed fruſtra, ut recte Domin. Marius ex illis Virgilii adſtruxit IV. Aeneid. 193.

Nunc hiemem inter ſe luxu, quam longa, fovere.

Et VIII. 87.

Thybris ea fluvium, quam longa eſt, nocte tumentem
Leniit.

Quibus adde Auſon. Perioch. Iliad. XVIII. *Vulcanus exoratus a Thetide tota nocte, quam longa eſt, coeleſtia arma in gratiam Nymphae molitur.* eleganter hoc, *explere noctem fractum utroque toro* dixit Propert. II. XIII. 60. BURMANNUS.

4. *Dolent.*] *Jacent* Regius, Scriverii & alii quamplurimi, male. IV. Triſt. III. 26.

Feſſaque jactati corporis oſſa dolent.

Confer & Senec. Hippolyt. vers. 365. & ſeq. Quinctil Decl. V. de aegro captivo: *Ille ad ſingulos ardentis corporis motus in ſua vincula verſatur, & quocumque membra laſſata tranſtulerit, in ſupplicium redit renovata patientia.* BURMANNUS.

5. *Si quo.*] Douza volebat, *ſi aliquo*; quod minime placet.

5. *Tentarer.*] In Palatino & Francofurt. erat, *tractarer*; forte, pro *jactarer* librarius id ſuppoſuit. quamvis ego *tentarer* non eſſe ſollicitandum arbitrer. eſt enim verbum in amore proprium. vid. I. Art. Am. 365. & Lambin. ad Horat. I. Od. 28. BURMANNUS.

6. *An ſubit, & tacita.*] In quibuſdam, *tecta callidus arte nocet.* recte utrumque NAUGERIUS. Lege, *tecta* ex omnibus MSS. antiquis. CIOFANUS. *Tecta arte* major librorum pars. quod perperam Ciofano probatur. Silius lib. XI. 398. Venus ad Cupidines:

Tyriam pubem tacitis exurite telis.

Ibidem 391.

Tacitas in pectora mittere flammas.

Stat. I. Sylv. I. 36.

Tacita vigilet face Troïcus ignis.

Lucan. VIII. 811.

Nam quamvis flamma tacitas urente medullas.

Ubi

Cedimus? an ſubitum luctando accendimus ignem?
Cedamus. leve fit, quod bene fertur, onus.
Vidi ego jactatas motâ face creſcere flammas:
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos juvat uſus aratri,
Detrectant preſſi dum juga prima boves.
Aſper equus duris contunditur ora lupatis.
Frena minus ſentit, quisquis ad arma facit:
Acrius invitos, multoque ferocius urguet,
Quam qui ſervitium ferre fatentur, Amor.
En ego confiteor: tua ſum nova praeda, Cupido.
Porrigimus victas ad tua jura manus.

Nil

Ubi male *tectas*. Petron. in bello civili:
Ac veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furit.
Stat. Theb. XI. 146. ex MSS.
Manu tacitos averterat ignes.
Virgil. IV. Aeneid. 67.
Tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Quod Servius male interpretatur. Noſter Remed. Am. 105.
Interea tacitae ſerpunt in viſcera flammae.
Vide notas noſtras ad Epiſt. IV. 20. Fragmentum Regium, *ſecta*. Forſitan, pro, *caeca arte*. de quo Metam. III. vers. 489. nonnihil dixi. ſic *caecum vulnus*, & ejusmodi plura, ubique obvia. HEINSIUS.

7. *Sic erat.*] *Erit* Fragmentum Regium. Terent. Eun. IV. 5. *Hoc verum erit, ſine Cerere & Baccho, friget Venus.* Metam. II. 703. *ſub illis Montibus, inquit, erunt: & erant ſub montibus illis.* Ita quippe ſcribendum, ut ſuo loco monebitur. HEINSIUS. Ego nihil muto. elegans enim formula, & poſt dubitationem uſitata. inf. III. Am. XII. 8.
Sic erat. ingenio proſtitit illa meo.
Vicina huic formulae altera, *hoc erat*. Claud. Bel. Gild. 236.
Hoc erat. in fratres medio diſcordia Mauro
Naſcitur.
Vid. ad Petron. cap. XCIII. *Sic eſt* Francofurtenſis. BURMANNUS.

7. *Tenues.*] Marius videtur *leves* legiſſe, quod ego in nullo codice repperi.

10. *Cedamus. leve fit.*] *Cedimus, ut leve ſis* duo codices. totidem, *& leve fit*. Puto:
Cedimus en. leve fit, quod bene fertur onus.
Remed. Amor. 536.
Cedimus en. medio jam licet amne bibas.
Quomodo & illic cenſeo ſcribendum. & III. Am. VI. 77. ſimili modo peccatum erat:
Quid moror? en digitis deſignor adultera vulgi.
Male quidam, *& digitis*. HEINSIUS.

11. *Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas.*] Melius quam quod a Priſciano adducitur:
Vidi ego jactatas motu flammeſcere flammas.
Pro quo alii *flaveſcere*, alii *concreſcere*. DAN. HEINS. *Motu flaveſcere* unus Palatinus & Vaticanus, quod Gebhardo in Crepundiis arriſit. Glaſerianus, *motu concreſcere*. Fruterius lib. I. veriſ. cap. 2. ex Priſciano, *motu flammeſcere*. quomodo & unus Moreti cum Excerptis Douzae. Nonnulli, *motâ face ſurgere*. At vulgata ſcriptura bene ſe habet, quam & Seneca in Controverſiis agnoſcit, qui in Pentametro citat, *& rurſus nullo*. nec aliter citatur in Epitome Controverſiarum ab Andrea Schotto edita. HEINSIUS. Illud *ſurgere* non ineptum; ut opponatur *τῷ mori*. ſic Epiſt. XXI. 199.
Vixque manu pigra toties infuſa reſurgunt
Lumina.
Et convenit *motae faci*, id eſt accenſae & ventilatae. ut Ep. II. 120.
Suntque ſepulchrali lumina mota face.
Ubi vide. BURMANNUS.

13. *Quos juvat uſus.*] Numquam puto *juvare*, id eſt delectare, uſum rei gravis & moleſtae. forte, *levat*. niſi *juvat* capias pro levat, id eſt, facit levius aratrum. BURMANNUS.

14. *Dum juga prima.*] *Dum ſua colla* tertius Palatin. *Dum juga curva* tres alii libri. *Feſſi* etiam Palatinus unus cum duobus aliis.

17. *Acrius invitos multoque ferocius urguet.*] *Urit* malim. ut Epiſt. IX. 15.
——*Vel ſi minus acriter urar.*
Lib. II. Amor. Eleg. ult.
Quod licet, ingratum eſt: quod non licet, acrius urit.
Sic lib. III. Eleg. I. 20.
——*Hic ille eſt,*
Quem ferus urit amor.
Multi codices *urget* habent. Art. III. 541.
——*Nec amor nos urit habendi.*
Ubi ſimilis diverſitas. & Medic. Fac. 35.

Nil opus eſt bello: pacem veniamque rogamus.
Nec tibi laus, armis victus inermis, ero.
Necte comam myrto: maternas junge columbas;
Qui deceat, currum Vitricus ipſe dabit.
Inque dato curru, populo clamante triumphum,
Stabis; & adjunctas arte movebis aves.
Ducentur juvenes capti, captaeque puellae.
Haec tibi magnificus pompa triumphus erit.
Ipſe ego, praeda recens, factum modo vulnus habebo:
Et nova captivâ vincula mente feram.
Mens Bona ducetur manibus poſt terga retortis,
Et Pudor, & caſtris quidquid Amoris obeſt.

Omnia

Sic potius nos uret amor.
Ubi etiam *urget* vulgo. Heinsius. Et *urit*, & *urguet* amor. ſed quia hic praeceſſit comparatio a jugis & frenis deſumta, malo *urguet*. Tibul. II. Eleg. I. De amore:
Ah miſeri, quos his graviter Deus urguet.
De alia re Horatius I. Sat. II. 15.
Quanto perditior quisque eſt, tanto acrius urguet.
Ceterum haec verba paſſim confunduntur. ſic IV. Metam. 278.
Tantus dolor urit amantes.
Ubi *urguet* alii codices; ſed male: nam *uri doloribus* dixit III. Faſt. 489. apud Claudian. Praefat. Conſ. Man. v. 10. eadem varietas:
Ah! nimius Conſulis urguet amor.
Ubi *urit* in quibusdam. Burmannus.

20. *Porrigimus victas ad tua jura manus.*] Sic duo Maffeian. lib. II. Eleg. I.
Injiciam dominas in mea jura manus. Ciofanus. *Ad tua jura* ſcripti plerique. quatuor *ad tua juſſa*. minus bene. Propertius I. IX.
Ecce jaces, ſupplexque venis ad jura puellae.
Idem III. IX.
Et trahit addictum ſub ſua jura virum.
Sabini Paris:
Damnatumque tibi me ſub ſua jura Cupido
Pertrahit.
Auſon. Epiſt. CV.
Si redeas tibi totus ero, pars nulla vacabit,
Quae mox non redeat ſub tua jura. Vale.
Haec Ovidii reſpexit Maximianus ille Eleg. V.
Porrigit invitas ad tua jura manus.
Contra *injicere manus in jura*. Epiſtola VIII. 16.
Injice non timidas in tua jura manus.
Am. II. El. V.
Injiciam dominas in mea jura manus.
Ep. XII. 158.
Clamarem, Meus eſt, injiceremque manus.
Infra, El. IV.
Et dicam, Mea ſunt, injiciamque manus.

Plura dixi ad Epiſt. III. ℣. ult. at unus Medicêus, *ad tua crura*, ut Epiſtola XX. 78.
Tendere ſubmiſſas ad tua crura manus.
Victas etiam *manus* tres ſcripti. Heinsius. *Victas*, quod in omnibus eſt editis, & MSS. pluribus, movere loco non auſi ſumus. ſic ſupr. Ep. XXI. 240.
Doque libens victas in tua vota manus.
Petron. CXI. *Primum ipſa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum.* ubi vide quae notavimus. nec minus tamen elegans lectio Francofurtenſis codicis, qui *nudas manus*, id eſt inermes habet. ut mox, *victus inermis*. Seneca Epiſt. XXIV. *Jam non tantum Caeſari, ſed ſibi iratus, nudas in vulnus manus egit.* Juvenal. XV. 43.
Et vice teli
Saevit nuda manus.
Et idem hic Poëta dicit, quod lib. II. Amor. Eleg. IX. 35.
Fige, puer, poſitis nudus tibi praebeor armis.
Praeterea Gryphius, Micyllus & Berſmannus, probante Mario eam lectionem, ediderunt, *ad tua vincla*. ita Quinctil. in Declamationibus, *praebere ad vincla manus*. & hoc non male τῷ *victas* convenit. victi enim & captivi vinculis ſolebant necti. ut mox v. 30. Burmannus.

23. *Necte comam myrto.*] *Lauro* antiquae editiones, ſed repudiavit Marius.

24. *Qui deceat currus.*] *Qui deceat, currum.* ſcripti. Heinsius. Lactantius lib. I. de falſa religione cap. II. mentionem facit Poëmatis, quod *Triumphus Cupidinis* ſit inſcriptum, ſine Auctoris nomine. hujus triumphi pompam, Jovem cum ceteris Diis fuiſſe ait.

25. *Populo clamante triumphum.*] Francius malebat, *ſpectante triumphum*, ut eſt in uno Heinſii. & defendi poſſet ex IV. Triſt. II. 19.
Ergo omnis populus poterit ſpectare triumphum.
Alius, *clamante triumphe;* ut ſit pro *Iö triumphe*, quod mox vers. 34. ſequitur. & ita Horat. IV. Od. 2. Burmannus.

26. *Ad-*

Omnia te metuent: ad te ſua brachia tendens
Vulgus, Iö, magnâ voce, Triumphe, canet.
Blanditiae comites tibi erunt, Errorque, Furorque,
Adſidue partes turba ſecuta tuas.
His tu militibus ſuperas hominesque Deosque:
Haec tibi ſi demas commoda, nudus eris.
Laeta triumphanti de ſummo Mater Olympo
Plaudet; & adpoſitas ſparget in ora roſas.
Tu, pennas gemmâ, gemmâ variante capillos,
Ibis in auratis aureus ipſe rotis.
Tum quoque non paucos (ſi te bene novimus) ures:
Tum quoque praeteriens vulnera multa dabis.

Non

26. *Adjunctas.*] *Admotas* quidam ſcripti. male Epiſt. XII. 152.

Adjunctos aureus urget equos.

I. Art. Am. 550.

Tigribus adjunctis aurea lora dabat.

Auctor in obit. Maecenatis:

Illius aptus eras roſeas adjungere bigas.

Quae ibi vera lectio. putabam aliquando, *adjunctas axe*, ſed nunc nihil muto. I. Art. Am. 544.

Et preſſas continet arte jubas.

Et II. 434.

Modo admiſſos arte retentet equos. HEINSIUS. *Arte* rectum eſt. vid. ad I. Art. Am. 3.

31. *Manibus poſt terga revinctis.*] Alii, *ligatis.* at Fragmentum Regium, cum nonnullis ſcriptis editisque, *retortis.* Quomodo Virgilius, & Prudent. lib. II. contra Symmach. v. 559. *Manibusque in terga retortis.* Horat. II. Ep. I.

Trahitur manibus regum fortuna retortis.

HEINSIUS. Iterum Horatius III. Od. V.

Vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero.

Ubi Lambinus videndus.

33. *Omnia te metuent.*] Plus dixit genere neutro, quam ſi maſculino *omnes* dixiſſet. MARIUS. Vide ad Quinctil. Decl. I. 6.

33. *Ad te ſua brachia tendent.*] Fragmentum Regium, *ad te ſua brachia tendens Vulgus.* quod ſequor. bene etiam unus Moreti, *Vulgus canent.* Eſt autem Tibull. pentameter. apud quem habes, II. V. 122.

Miles, iô, magna voce, Triumphe, canet.

HEINSIUS.

34. *Vulgus, Iö.*] Vide quae dixi in Scholiis in lib. IV. Triſtium II. 52. CIOFANUS.

35. *Terrorque, furorque.*] Scribe, *errorque*, cum prima editione. *error* enim & *furor* pro *amore* paſſim apud Poëtas. de quo dicendum infra ad Eleg. X. & X. Metam. 342. HEINSIUS. Apud Claudianum quoque I. in Ruf. 75. in MSS. eſt *terror.* ubi vulgo:

Animique profanus
Error.

Et ita contra apud Quinctil. Decl. XXVII. cap. 3. legendum, *Credidit tamen aliquid profecturum querelarum terrore repetito.* ubi vulgo *errore.* BURM.

37. *His tu militibus.*] In uno Moreti, *militiis.* Forte, *his commilitiis*, vel *commilitibus.* HEINSIUS. Male: Dux eſt Cupido, milites & ſatellites ejus, *Error* & *Furor* &c. ut Martis *Pavor* & *Metus* &c. illud *militiis*, ſequioris aevi eſt, quo *militiam* pro exercitu & militibus dicebant. de quo alias. BURMANNUS.

38. *Commoda.*] Incommoda certe vox, quae de praemiis militum paſſim occurrit, ſed huic loco minime convenit. Francius conjecerat *agmina*, quod ſi MSS. addicerent multo aptius eſſet. ſed forte Ironice intelligendum, ut caſtris Cupidinis militantes pro commodis, errorem & furorem conſequantur. Idem Francius adſcripſerat etiam male alios legere, *nullus eris.* BURMANNUS.

41. *Gemma.*] Omnino, *gemina*, id eſt duplici legendum, ut eſt in correctioribus codicibus: hic autem error in Latinis auctoribus frequentiſſime reperitur, ut *gemmis* pro *geminis* legatur, & *gemmata* pro *geminata*, & *gemina penna.* idem eſt, quod Maro dixit IV. Aeneid. 252. *Paribus alis.* DOM. MARIUS. *Pulchros gemma variante capillos*, haec lectio eſt in lib. quibus ego utor, antiquis. Alii legunt, *Tu penna pulchros gemina*, &c. CIOFANUS. In Gryphiana & aliis rectius, *Tu pennas gemma & rutilos variante capillos.* DAN. HEINS. Fragmentum Regium & Neapolitanus codex cum excerptis Scaligeri:

Tu pennas gemma, gemma variante capillos.

Quam veram eſſe ſcripturam ne dubita. Remed. Amor. 39.

Haec ego. movit Amor gemmatas aureus alas,
Et mihi, Propoſitum perfice, dixit, opus.

Non poſſunt (licet ipſe velis) ceſſare ſagittae.
Fervida vicino flamma vapore nocet.
Talis erat domitâ Bacchus Gangetide terrâ.
Tu gravis alitibus; tigribus ille fuit.
Ergo, ego cum poſſim ſacri pars eſſe triumphi,
Parce tuas in me perdere, victor, opes.
Adſpice cognati felicia Caeſaris arma;
Quà vincit, victos protegit ille, manu.

Ubi *aureum* vocat *Amorem*, quomodo & hic verſu proximo. ita ἔρως χρυσοχάιτας Anacreonti dictus. quo alludit Lucianus in Hercule Gallico ſub finem. *gemmatum temonem* Amori dat Statius Sylv. lib. I. Sylv. II. 145. *alas* autem *aureas* Moſchus in Poëmatis de Helena & Paride, ubi deſcribit Cupidinem ad Paridem venientem:

Βῆ δ' ἐπὶ χρυσείῃσιν ἀποπτάμενος πτερύγεσσιν.

Et ita Ariſtophanes in avibus. Noſter autem Remedio Amor. 701. *purpureas* ipſi *alas* dat. poſſet & *variate* legi, non inſolenti Graeciſmo. HEINSIUS.

42. *Ibis.*] Douza adſcripſerat locum Martialis III. Epig. 47.

Plena Baſſus ibat in rheda.

Vid. ad I. Art. 214.

44. *Praeteriens.*] Alludit ad praecipuam iſtorum ducum gloriam, qui in agmine & itinere, non inſtructa acie debellant hoſtes: qua laude ornare ſuos Heroas, Panegyricos egregiis exemplis docuit diligentiſſimus Barthius. ad Claud. IV. Conſ. Honor. v. 460. quibus adde Sidon. Apol. Paneg. Anth. 589.

Et cujus ſolum amiſſas poſt ſecula multa
Pannonias revocavit iter; jam credere promptum eſt
Quid faciet bellis. BURMANNUS.

46. *Vicino.*] Tanaq. Faber notis ad Lucretii lib. I. pag. 419. vult propter illud *ipſe velis*, debuiſſe Naſonem dicere, nativum eſt flammae ut ſemper urat, & ideo legit:

Fervida nativo flamma vapore necat.

Nimirum ut *molem nativam* Noſter v. Faſt. 149. dixit, & *comam nativam* inf. Eleg. 14. & alia. ſed haud video, quis hinc commodè ſenſus oriatur. cum ex vulgatis ſit optimus: nimirum, etiam in ipſo triumpho, cum jam ceſſare deberent tela Cupidinis, tamen eam eſſe Cupidinis & ejus armorum conditionem & vim, ut licet ipſe velit, non poſſint ita ceſſare, quin in tranſitu etiam laedant ſpectatores. eodem modo ut flamma fervida, licet non attingat & comprehendat, tamen vicinitate ſua adflat & nocet rebus proximis. ſic *vicinus vapor* eſt praetereuntis Cupidinis. in uno codice erat, *tepore.* BURMANNUS.

47. *Domita Gangetide terra.*] Subacta India. lib. IV. Metam. & lib. III. Faſt. CIOFANUS.

48. *Ille fuit.*] Francius legebat, *ille ſuis.*

49. *Ergo cum poſſim.*] *Ergo ego cum poſſim* ſeptem codices. quomodo Noſter ſaepenumero alibi. HEINSIUS. Vid. Epiſt. X. 119. & mox Eleg. IV. 3. & paſſim.

51. *Cognati Caeſaris.*] Propter Venerem, matrem tuam, à qua Romani originem duxerunt. CIOFANUS.

52. *Qua vicit, victos protegit ille manu.*] Utrum hoc de C. Julio Caeſare, an de Octavio dicatur, non immerito aliquis dubitare poſſit. Utriuſque in hoſtibus ignoſcendo magna clementia fuit. Ego tamen de Octavio potius intelligi arbitror. CIOFAN. *Vincit* Moreti & tres alii. meliori certe omine: pergebat enim Auguſtus vincere, nec ceſſabat. BURM.

ELEGIA III.

Juſta precor: quae me nuper praedata puella eſt,
Aut amet, aut faciat, cur ego ſemper amem.
Ah nimium volui! tantum patiatur amari;
Audierit noſtras tot Cytherêa preces.

Acci-

1. *Juſta precor.*] Ita Statius lib. III. Silv. II. 78. *Juſta queror, fugit ecce vagas ratis acta per undas.* Vid. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 19. Noſter XIII. Metam. 466. *Eſte procul, ſi juſta peto.* BURMANNUS.

3. *Ah nimium volui.*] *Vovi* putabam. II. Am. XV. 27. *Irrita quid voveo.* Art. Am. II. 327. *Multa vove, ſed cuncta palam.* & Art. I. 110. *Et tacito pectore*

Accipe, per longos tibi qui deſerviat annos:
Accipe, qui purâ norit amare fide.
Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina; ſi noſtri ſanguinis auctor eques;
Nec meus innumeris renovatur campus aratris;
Temperat & ſumtus parcus uterque parens;
At Phoebus, comitesque novem, vitisque repertor,
Hoc faciant: &, me qui tibi donat, Amor:

Et

pectore multa vovent. ut quidam ibi codices. vid. ad Epiſt. VII. 4. ſic Pont. I. VIII. 79.

Ah nimium quid amice petis? moderatius opta. Nihil tamen temere mutandum. HEINSIUS.

3. *Tantum patiatur.*] Francio clarius paullo videbatur, ſi legeretur, *modo ſe patiatur amari:* & mox volebat, *Audiat ah! noſtras.* at Moreti, *Audieris noſtras.* elegantius.

5. *Tibi qui deſerviat annos.*] Niſi familiare hoc Ovidio eſſet verbum, & longam ſervitutem notare egregie poſſet, crederem hic a librario eundem errorem commiſſum, quem Heinſius ad Epiſt. v. 119. in voce *Di* notat. & legerem, *tibi qui, Dea, ſerviat annos.* BURMANNUS.

8. *Si noſtri.*] Illuſtravi hunc locum lib. II. Triſtium. CIOFANUS. Rectius alii, *Nec noſtri.* HEINSIUS. Imo vulgata proba eſt, & retinenda. quis enim ignorat Ovidii ſtirpem equeſtrem, & a proavis uſque auctorem ſanguinis equitem fuiſſe. ſed ſordida haec amicae ejus videbatur conditio, quae faſtidiebat equites, & non niſi in Orcheſtra ſedere volebat. ſubintellige ergo *tantum.* ſi tantum eques, non Senator ſit auctor noſtri ſanguinis. recte vindicavit hoc Marius. & hoc *magna nomina* exigunt, quae majorum gentium patricios deſignant. ut apud Martial. v. Epiſt. 17. unde *clara nomina*, ut hic Puteaneus ſecundus habebat, non admittenda eſſe patet. vid. ad Epiſt. II. 50. ita Vellej. II. 88. de Maecenate: *Equeſtri, ſed ſplendido genere natus.* id eſt non Patricio, ſed Equeſtri tantum, attamen ſplendido. male & illic mutant viri docti. BURMANNUS.

10. *Temperat & ſumtus.*] Malim, ſi per ſcriptos codices liceat, *ſumtu.* ut *ſumptu* pro *ſumtui* dicatur ἀρχαϊκῶς, aut praepoſitio ſubintelligatur. HEINSIUS. Neque hic contra codices mutarem aliquid. *Temperare* enim eſt moderari, ne extra modum fiat profuſio. vid. Barth. ad Stat. II. Theb. 130. eſt vero idem quod Terentianus ille Chremes filio ſuo cantat Heaut. I. II. *Praebent exigue ſumptum.* & Andr. II. 6. *Ait nimium parce facere ſumptum.* ita *temperare convivium.* Plaut. Stich. v. IV. 2. BURMANNUS.

11. *Jurisque repertor.*] Sic quidem in impreſſis exemplaribus legitur, ſed nullus decens ſenſus elici poteſt. Hinc ego olim errorem (ut erat) exiſtimans, ſine ullius exemplaris auctoritate, loco *Juris, Vitis* legendum eſſe arbitratus ſum. Et haec mea correctio, ſicut & aliae complures in hoc opere, vel doctiſſimis viris placuit: inter quos viro nobiliſſimo, atque omni doctrinae genere praeſtanti, Andreae Triviſano, patritio Veneto, mihi & officiis & familiaritate conjunctiſſimo: & Leonello Leono Patavino civi, Graecae Latinaeque Linguae peritiſſimo: ejusque fratri Antonio, quos ego unice ſemper dilexi & diligo: & aliis compluribus, quos omnes recenſere, longa admodum eſſet hiſtoria. Poſtea vero, cum caſtigatior Ovidii Amorum codex ad noſtras manus perveniſſet, non aliter ac ſi correctiones noſtrae, Pythii Apollinis oracula fuiſſent, veriſſimae apparuerunt. Quidam antea *Juris repertor* legentes, quaedam de Apollinis eborei ſimulachro, quod (ut libro VII. refert Plinius) in foro Auguſti erat, ſatis inepte protulerunt: eo Juvenalis carmine moti, quod eſt in prima Satyra:

Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo.

Sed quae alii male dixerint, omittamus: illudque potius agamus, quibus cauſis adducti, non *Juris*, ſed *Vitis* repertor legendum exiſtimaverimus. & non Phoebum, quem jam praedixerat Poëta, nec niſi ineptiſſime ſic repeteret, nec uſquam juris repertorem fuiſſe lectum eſt, ſed Bacchum eſſe intelligendum. Legimus enim tum apud alios, tum maxime apud Diodorum Siculum, vini auctorem Bacchum fuiſſe. Diodori verba ex libro quinto haec ſunt: *Bacchum nutritum à Nymphis ajunt, vini vineaeque extitiſſe auctorem.* Et inferius: *Docuiſſe eos inſuper, quorum regio vites ferre non poſſet, potum ex ordeo conficere, quem nonnulli Zitum dicunt, paulum a vini ſapore differentem.* Unde & lib. II. Faſtor. 329. Naſo ait de Baccho:

Cauſa, repertori vitis quia ſacra parabant.

In tutela autem Bacchi Poëtas eſſe conſtitutos, quis dubitat? Id apertiſſime Flaccus in Epiſtolarum lib. I. ad Maecenatem demonſtrat, inquiens:

——— *Ut male ſanos*
Adſcripſit Liber Satyris, Faunisque Poëtas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae.

Idem libro Carminum ſecundo:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, &c.

Et nulli ceſſura fides; ſine crimine mores;
Nudaque ſimplicitas, purpureusque pudor.
Non mihi mille placent: non ſum deſultor Amoris.
Tu mihi (ſi qua fides) cura perennis eris.
Tecum, quos dederint annos mihi fila Sororum,
Vivere contingat: teque dolente mori.
Te mihi materiem felicem in carmina praebe;
Provenient cauſsà carmina digna ſuâ.

Carmi-

Idem Epiſtolarum libro ſecundo:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem,
Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis & umbra.

Lucanus:

Nec ſi te pectore vates
Accipiam, Cyrrhea velim ſecreta moventem
Sollicitare Deum, Bacchumque avertere Nyſa.

Ovid. in ultima Elegia libri III. Amorum:

Corniger increpuit thyrſo graviore Lyaeus.

Hoc idem etiam dixit Elegia prima ejusdem libri III. Illud praeſertim me ad locum corrigendum impulit audacter, quod Poëta in tertio volumine de Arte, quod in hoc loco fecit, Apollinem, Muſas, & Bacchum, ut Poëtarum Deos conjunxit. Dixit enim:

O ita Phoebe velis, ita vos pia numina vatum,
Inſignis cornu Bacche, novemque Deae.

Ita etiam Tibullus Elegia quarta libri tertii:

Salve cura Deum, caſto nam rite Poëtae,
Phoebusque, & Bacchus, Pieridesque favent.

Quin etiam Propertius lib. III. Elegia ad Bacchum, ei acceptum refert, quod Poëta feratur. Quod autem Bacchus praeſit Poëtis, id eſſe cauſae autumo, quod Poëtae ſicut bacchantes furere dicuntur: unde & *maleſani* vocitantur. aut quia idem eſſe fertur cum ſole: ut compluribus argumentis Macrobius docet. aut quod vinum fomitem eſſe quendam, & incitabulum ingenii, virtutisque quidam dixerunt: quod & Plato concedere videtur, amota tamen turpi & indecora ebrietate, quae potius labefactat ac minuit hominum mentes. Hinc Cratinus ille Priſcus, ut Horatius refert, *bonos Poëtas vinolentiâ fieri* dixit, Homeri & Ennii exempla adducens, in quorum libris vini laudes inveniuntur. Marius. Ita legitur in ambobus Maffeian. & utroque. Vaticano: verius, quàm in quibusdam vulgatis, *jurisque*. Intelligit autem Bacchum. Ciofanus. Egregie adſtruit veram lectionem Domin. Marius. vide & Zitzman. ad Rutil. Itiner. I. 73. & Weitz. ad illa Floridi de Qualitate vitae: *Bacche vitium repertor*. Burman.

13 *Et nulli ceſſura.*] *Niſi Dis.* de Ovidii moribus alibi dixi. Ciofanus. In Palatino, *Et non ceſſuri, non Dîs.* Forte, *Et conceſſuri non Dis, ſine crimine mores.* vel, *nec Dis.* Dan. Heinsius. Puteaneus:

Et nulli cenſura & Dîs ſine crimine mores.

Neapolitanus & alii quinque:

Et nulli ceſſura fides; ſine crimine mores.

Quod admittendum reor. Heinsius.

15. *Non ſum deſertor Amoris.*] *Deſultor* optime Puteaneus & Arondelianus, cum ejusdem Puteani, Jureti ac Scaligeri excerptis. Atque ita Carrio in Emendationibus, lib. II. cap. 10. reſtituendum monuit. ſex alii, *deluſor*. Neapolitanus, *ſimulator*. fruſtra. Nec pro vulgata lectione iſta Herûs faciunt, Epiſt. XIX. 57.

Ad tua caſtra redi, ſocii deſertor Amoris.

Deſertor enim *amoris* eſt, qui non amat, *deſultor*, qui amat inconſtanter, nunc hanc nunc illam ſecutus. ſic apud Senecam Patrem Suaſoria prima, Meſſala Corvinus: *Dellium deſultorem bellorum civilium* appellat, quod is a Dolabella ad Caſſium, a Caſſio ad Antonium, ab Antonio ad Caeſarem tranſiſſet. ubi ante Andream Schottum etiam *deſertor* perperam legebatur. Apulej. initio Mileſiar. *Deſultoriam ſcientiam* vocat, argumentum ludicrum, in quo ſeſe erat exercicurus, cum ex profeſſo eſſet Philoſophus. Heinsius. *Deſultor* jam ex Puteaneo codice legebat Nic. Fab. ad Senec. Suaſor. primam.

17. *Quos dederint annos mihi fila ſororum.*] Legi olim placebat, *nerint annos*. ut apud Martial. lib. I. Epiſt. 98.

Cum mihi ſupremos Lacheſis perneverit annos.

Sed aliter ſcripti codices, quibus accedo. Heins.

18. *Teque dolente mori.*] Codex Regius, *te moriente mori*, argute. Scripſerat puto Noſter, *teque obeunte mori*. Heinsius. Nihil mutem; *te dolente*, ſcilicet, ſi deſultor fiam, & aliam amem. nullam ergo dolendi materiem ſe levitate ſua praebiturum amicae pollicetur. Ep. V. 75.

Sic Helene doleat, deſertaque conjuge ploret.

I. Ait. 658.

Exemplo doleat femina luſa ſuo.

Propertius III. Eleg. VI.

Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem.

Et ſic ille, & Noſter, aliique rerum amatoriarum

Carmine nomen habent, exterrita cornibus Iö,
Et quam flumineâ lusit adulter ave:
Quaeque, super pontum simulato vecta juvenco,
Virgineâ tenuit cornua vara manu.
Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem:
Junctaque semper erunt nomina nostra tuis.

rum Poëtae saepenumero. sic & *dolor* iisdem passim. Propert. II. Eleg. IV.

Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.

BURMANNUS.

19. *Te mihi materiam.*] *Materiem* meliores. HEINSIUS.

19. *In carmina.*] *In carmine* editiones duae Venetae, & quindecim scripti. vid. ad Eleg. I. ỳs. 5.

20. *Proveniant causae carmina digna tuae.*] Rectius ego in quodam codice sic legi hoc carmen:

Provenient causa carmina digna sua.

Provenient: producentur. Translatio est sumpta ab arboribus, à quibus boni aut mali fructus *provenire* dicuntur. Sic alibi Ovidius I. Trist. I.

Carmina proveniunt animo deducta sereno.

MARIUS. *Provenient causſa carmina digna sua* Puteaneus codex. at in editionibus nonnullis, in Sarraviano, novemque aut decem aliis, *causſae suae.* ut sit secundi casus; de qua locutione ubertim egimus Tristium IV. Eleg. III. ỳs. 57. HEINSIUS. *Causſa tua* Bersmannus & alii; *causſae tuae* Gryph. & in margine Bersmann. *proveniant* quoque Junii & duo alii, cum Douzae codice. & ita edidit Gryphius.

21. *Carmine nomen habet.*] Scribe, *habent* cum tribus codicibus, ut versui consulatur. Puteaneus mendose, *Carmina numen habent.* quod & alios codices occupavit. HEINSIUS.

23. *Quaeque.*] Europa ex adjunctis. CIOFANUS.

24. *Virginea tenuit cornua falsa manu.*] *Cornua vara* idem Carrio in Emendationibus. quomodo Puteaneus & Neapolitanus ex nostris. Arondelianus, *vera.* duo alii, *curva.* Excerpta Douzae, *pressa.* perperam. *Vara* cornua & *patula* eadem: Patulis *camura* opponebantur. Philargyrus ad Virg. III. Georg. 55. *Camuri boves sunt, qui conversa introrsus habent cornua; quibus contrarii patuli, qui cornua diversa habent.* vid. Festum in *patulis* & *propatulo.* πεταλεῖς & πέταλοι Graecis iidem. consulatur Hesychius Noster. eandem vocem *varus* Statio Bernartius redonavit lib. VI. 848. ubi *vara brachia.* ipse Noster Metam. IX. 33. quem locum Statius videtur imitatus:

Brachiaque opposui, tenuique a pectore varas
In statione manus.

Metamorph. lib. XII. 382.

Cornua vara boum multo rubefacta cruore.

Quomodo illic quoque scribendum ex vestigiis veterum librorum. lib. II. 855. de Jove in bovem mutato:

Cornua vara quidem, sed quae contendere posses
Facta manu.

Ita corrigo. *parva* nunc ibi legitur. apud Senecam quoque Hippol. V. 1038. videtur castigandum:

Stant hispidae aures, cornibus varis color.

Vulgati *varius color*; viri docti, *orbibus varius color.* sed de oculis tauri mox agitur. Avien. Arateis de Tauro coelesti. p. 92. Ed. Grot.

Cornua sic vara sub imagine curva debiscunt.

Non *vera*, ut perperam nunc legitur. hinc verbum *varare:* apud agrimensores in antiquis codicibus *varari flumina*, & *varatio fluminis.* Claudianus Bello Getico 413.

Vara per obscuras apparent cornua frondes.

Ita enim opinatus sum aliquando legi debere, non *rara*, quod est in vulgatis, nunc temere nihil affirmo. videtur enim imitatus Maronis illa lib. I. Aeneid. 118.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Vide Nonium in *Obvarare*, & quae noto Metam. VI. 62. & XI. ỳs. 83. si quis vero vulgatam retinendam censeat, *cornua falsa*, potest eam defendere loco lib. III. Art. Am. 250.

Perque fretum falso Sidoni vecta bove.

Et Fast. V. 605.

Praebuit ut taurus Tyriae sua terga puellae
Jupiter, & falsa cornua fronte tulit.

Et Stat. I. Sylv. II. 135.

Falsus huic pennas, & cornua sumeret Aethrae
Rector.

Vid. infr. Eleg. X. ỳs. 4. HEINSIUS. Douza *pressa* ideo volebat legi, quia *simulato* praecesserat, quod idem est quod hic *falsa.*

25. *Nos quoque.*] Francius malebat, *Tu quoque per totum pariter cantaberis orbem.*

ELE-

ELEGIA IV.

VIr tuus eſt epulas nobis aditurus easdem.
Ultima coena tuo ſit, precor, illa viro.
Ergo ego dilectam tantum conviva puellam
Adſpiciam? tangi quem juvet, alter erit?
Alteriusque ſinus apte ſubjecta fovebis?
Injiciet collo, cum volet, ille manum?
Deſine mirari, poſito quod candida vino
Atracis ambiguos traxit in arma viros.

Nec

1. *Epulas nobiſcum aditurus easdem.*] *Nobis aditurus easdem* Puteaneus & Mentelianus; recte, ut jam monui ad Claudianum lib. II. Laud. Stil. 30. qui pari Graeciſmo, *eadem ſorori*, pro, eadem quae ſoror, dixit. adeundus Voſſius libro de conſtructione cap. LVIII. Ambroſianus unus & Moretanus, *nobis epulas.* quod tantumdem eſt. Noſter Metam. XIII. 50.

Et nunc ille eadem nobis juratus in arma.

Calpurnius Eclog. IV.

Haec eadem nobis frater meditatur Amyntas.

Id eſt, eadem quae nos. Lucretius lib. III. 1051.

——*Quorum unus Homerus*
Sceptra potitus eadem aliis ſopitu' quiete eſt.

Eadem qua alii quiete ſopitus. & lib. II. 917.

Atque animalibus ſunt mortalibus una eademque.

Cicero Varroni lib. IX. Epiſt. Famil. 6. *Erant enim nobis perirati, quaſi quicquam de noſtra ſalute decreviſſemus, quod non idem illis cenſuiſſemus.* Ammianus lib. XXVI. cap. 8. *Arbetionis domum, cui antea tanquam eadem ſibi ſentienti, parcebat ut propriae, juſſit exinaniri.* ſic & *ſimul nobis* Triſt. V. El. X. 29.

Quippe ſimul nobis habitat diſcrimine nullo
Barbarus.

Quod non eſt mutandum. Contra, *alias nobis epulas aditurus* dixere. quomodo Horatius II. Epiſt. I. 240.

Ne quis ſeſe alius Lyſippo duceret aere.

Hoc eſt praeter Lyſippum. Plautus, Pſeudol. Prol. 22. qui *quaerit alia his, malum videtur quaerere.* Salluſtius, *aliud bello malle.* Phaedrus lib. III. Prolog. *quod ſi accuſator alius Sejano foret.* alius quam Sejanus. HEINSIUS. Pari modo & apud Atticos: Ταυτὸν τῷδε ἐγί. Lucianus lib. I. Hiſtor. verae: Κἀκεῖνοι δὲ ταυτὸν ἡμῖν, ὡς τὸ εἰκὸς πάθοντες. Iſocrates Areopag. Princ. Λακεδαιμόνιοι εἰς τοὺς αὐτοὺς ἡμῖν κινδύνους κατέϛησαν. Ariſtoph. Plut. Act. II. Sc. I. Vſ. I. Ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ θύμον φάγοντες. vid. Victor. X. Var. Lect. cap. 22. BURMANNUS.

5. *Apte ſubjecta fovebis.*] Sic meliores conſtanter. Alii magno numero, *ſinu dextram ſubjecta.* quae mihi prae ceteris placet. ſenſus eſt, & ſubjecta, ſinu tuo fovebis alterius dextram. infr. vers. 37.

Nec ſinus admittat digitos.

Niſi velis, *alteriusque ſinus capiti ſubjecta fovebis.* *ſinus dextram* Farneſianus. *ſinum dextra* Regius. *Alterius captam dextram* unus Vaticanus. alius cum Arondeliano, *Alteriusque apte dextram,* unus Medicêus:

Alteriusque ſinu dextram ſubnixa.

Ulcus opinor ſubeſſe. HEINSIUS. Ego vulgatam recte ſe habere arbitror. *apte ſubjecta* eſt, ita te componens, ut te ſub veſte premere & frui poſſet. vid. infr. V. 48. & Ep. XVI. 222. & alibi. male autem *ſubjectam*, ſubditam jure matrimonii interpretatur Marius; *ſubjecta* eſt, *infra cubans.* ut Caligula ſorores ſuas infra ſe collocabat Sueton. cap. 24. hinc ille jocus apud eumdem. cap. ſeq. *Noli uxorem meam premere*, quia nimis prope ſe ei admovebat; ludens in ambigua vocis ſignificatione, nam & de coitu dici notum eſt. BURMANNUS.

7. *Deſine.*] Douza corrigebat, *deſino.* vid. Ep. XVIII. 103.

8. *Ambiguos.*] *Haemonios* Moreti, quod ex Ep. XVII. 248. effictum puto. *Ambiguas manus* Palatinus.

12. *Tepidis.*] Duo Vaticani, *trepidis.* Douza & Francius malebant, *rapidis*; ſed nihil mutandum. vid. ad Epiſt. XI. 76. duo etiam Vaticani, *Nec mea da tepidis.*

15. *Cum premet ille torum.*] *Premit* Puteaneus, & *ſuccurrit* mox, pro *ſuccurret.* & *Verba teges*, pro *leges.* quomodo & Neapolitanus & optimus Palatinus. Forte, *tegens.* ceterum ſub iis quae ſequuntur, *Ibis ut accumbas*, mendum latet. cognatus

Nec mihi ſilva domus, nec equo mea membra cohaerent:
Vix a te videor poſſe tenere manus.
Quae tibi ſint facienda tamen, cognoſce: nec Euris
Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.
Ante veni, quam vir. nec, quid, ſi veneris ante,
Poſſit agi, video: ſed tamen ante veni.
Cum premit ille torum, vultu comes ipſa modeſto
Ibis, ut adcumbas; clam mihi tange pedem.
Me ſpecta, nutusque meos, vultumque loquacem:
Excipe furtivas, & refer ipſa, notas.
Verba ſuperciliis ſine voce loquentia dicam:
Verba leges digitis, verba notata mero.

Cum

tus meus Jacobus Roverius, Hardinxveldii Dominus, putabat legendum:

Cum premet ille torum, vultu comes ipſa modeſto
Ibis: ut accumbes, clam mihi tange pedem.

Heinsius. Ego mallem, *Ibis, & accumbens clam mihi tange pedem*, vel *at accumbens*. & mox, *me ſpectans* &c. *excipe*.

16. *Ut accumbas.*] Cicero Epiſt. ult. lib. IX. quae vocantur Famil. *Accubueram hora nona, cùm &c.* Quod verbum hic pro *diſcumbas* poſitum eſſe non videtur, quod putavit Niger ex Acronis ſententia. Hunc autem locum, ubi ad Plantinum, quas in univerſum Ovidium notaveram, obſervationes miſeram, animadverti: quòd ante hoc tempus, id eſt IIX. Id. Jul. M. D. LXXX. eruditiſſimos Nigri commentarios non videram. Ciofanus.

17. *Vultumque loquacem.*] Sic duo Vatican. & alter Maffeian. alter verò, *vultumque fugacem.* ſuperiorem lectionem puto veriorem. Ciofanus. Malim legere:

Me ſpecta vultusque meos, nutusque loquaces.

Quantumvis invitis membranis. Moreti tamen tertius habet, *ſpecta, vultusque meos, vultumque loquacem.* Ciofanus in uno Maffeiano, *vultumque fugacem.* perperam. Heinsius. Nihil muto. *vultus* enim *loquax*, eſt qui ita formatur, ut ſit pro voce. Art. Am. I. 574.

Saepe tacens vocem verbaque vultus habet.

Et ita *oculos loquaces* Tibullum II. VII. 25. dixiſſe Marius notavit. qui tamen & lib. I. II. 21. *nutus loquaces* habet. ita, *ſupercilium loquens* Epiſt. XVII. 82. & *puer manu loquaci* in Catalectis. vid. mox Heinſium. Burmannus.

19. *Verba ſuperciliis ſine voce loquentia dicam.*] *Ducam* opinor Naſonem ſcripſiſſe, etſi pro vulgata ſcriptura membranae omnes ſtant. *ſuſpiria, gemitum, fletum ducere* paſſim obvium. ſic *longas in fletum ducere voces* Virgilio IV. Aeneid. 463. Horatius Arte 316.

Reſpicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem, & vivas hinc ducere voces.

Etſi ſenſu nonnihil diverſo. ſed & *fingere* voces, aut verba, pro *ducere*. *Ducere* enim & *fingere* ejusdem nonnumquam ſignificationis erunt. ſic apud Vitruvium ſaepe occurrit *lateres ducere*, pro *fingere*. apud Pollucem: Πλίνθοι, πλινθουργὸς, πλινθουλκὸς, πλινθουλκεῖν. Herodot. Ἑλκύσαντες δὲ πλίνθου ἱκανὰς ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι. Pari modo quoque *trahere verba, voces, ſermonem* dicebant. pro *loquentia* autem unus Medicêus, *loquacia*. ſic in Catalectis Petronii, *oculi loquaces*. Maxim. Eleg. III.

Mox captare dolos & tempora cepimus ambo,
Atque ſuperciliis luminibusque loqui.

Et Eleg. V. *Docta loqui digitis*, de Graja puella. Catalect. Pith. pag. 157. de Mimo:

Tot linguae quot membra viro, mirabilis ars eſt,
Quae facit articulos, ore ſilente, loqui.

Heinsius. Si *ducam* legendum eſt, explicanda vox eſt, pro ſcribam. ut enim alius manu *ducit* figuras literarum; ita ego ſuperciliis ducam. ſic *ducere notas, literas* de Epiſtolis exaratis. Auſon. Epiſt. ad Paulinum 51.

Grande aliquod verbum nimirum duximus, ut ſe
Inſereret nimiis vindex Rhamnuſia votis.

Sic liber veterrimus, quem vidit Heinſius. vide ad Epiſt. XXI. 210. & VI. Faſt. 649. ita XII. Metam. 203. eadem diverſitas:

Graviore noviſſima dixit
Verba ſono.

Ubi *duxit* in quibusdam. XIV. 365.

Concipit illa preces & verba venefica dicit.

Ubi *ducit* in ſcriptis quoque occurrit. & ubique fere haec verba confuſa fuere. quare ego hic *ducam* praeferrem, cum Heinſio, ſi ullus codex addiceret. ſed quidquid prima fronte blandiantur haec, accuratius perpendenti verba, ſuſpectus eſt locus. quid enim ſunt *verba loquentia*, vel *loquacia?* an verba loquuntur? quis ita loquitur? ſi

Cum tibi ſuccurrit Veneris laſcivia noſtrae;
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacitâ quod mente queraris;
Pendeat extremâ mollis ab aure manus:
Cum tibi, quae faciam, mea lux, dicamve, placebunt;
Verſetur digitis annulus uſque tuis.
Tange manu menſam, quo tangunt more precantes;
Optabis merito cum mala multa viro.
Quod tibi miſcuerit, ſapias, bibat ipſe, jubeto:
Tu puerum leviter poſce, quod ipſa velis.
Quae tu reddideris, ego primus pocula ſumam:
Et qua tu biberis, hac ego parte bibam.
Si tibi forte dabit, quos praeguſtaverit ipſe,
Rejice libatos illius ore cibos.
Nec premat impoſitis ſinito tua colla lacertis:
Mite nec in rigido pectore pone caput.
Nec ſinus admittat digitos, habileſve papillae.
Oſcula praecipue nulla dediſſe velis.

Oſcu-

ſigna liceret reponere ſalva res eſſet. forte tamen ſcripſerit:

Verba ſupercilliis, ſine voce loquentibus, addam.

Vel *edam.* ſic *ſupercilium loquens* in Epiſtola Paridis, ut mox vidimus. & ita paſſim alii. praeterea mox ſequitur *verba* proximo verſu, ubi *verba teges* Puteaneus etiam, & tres alii. ſed perperam. quae enim verba ducebat vino per digitos in menſa, ea legeret amica ejus. ſic I. Art. Am. 571.

Blanditiasque leves tenui perſcribere vino,
Ut dominam in menſa ſe legat illa tuam.

BURMANNUS.

23. *Tacita quod mente loquaris.*] *Queraris* Excerpta Scaligeri & Puteani, cum Neapolitano & aliis quatuor. Plinius lib. XI. cap. XLV. *Eſt in aure imâ memoriae locus, quam tangentes anteſtamur.* HEINSIUS.

24. *Pendeat extrema.*] Ab extrema parte infimae auriculae: huc refer illa Pliniana lib. XI. cap. 45. *Eſt poſt aurem aeque dextram Nemeſios locus, quo referimus tactum ore proximum a minimo digitum, veniam ſermonis a Diis ibi recondentes.* DOUZA.

27. *Tange manu menſam.*] *Mentum* Lipſius lib. II. Elect. cap. VI. perperam. & refutavit merito Deſiderius Heraldus ad Martial. VIII. Epigr. LXV. Seneca Controverſ. lib. IX. *In convivio conſtitit catenatus, qui cum languentes Praetoris oculos aſpexit, exiſtimans ipſum Praetoris beneficio dimitti, gratias iſti agere, & utriſque manibus menſam tenens, Di, inquit, immortales tibi parem gratiam referant.* ſic & aram tangebant precantes. Turnus apud Maron. Aeneid. XII. 201.

Tango aras: medios ignes ac numina teſtor.

De quo ritu complura erudite obſervat Macrob. Saturn. III. cap. III. menſa enim epulantibus pro ara fuit. hinc & vina in menſam libabantur. de quo ritu idem Macrob. lib. III. cap. XI. ſequenti verſu lege, *Optaris*, cum uno Vaticano. HEINS. Senecae locum Douza quoque codici ſuo adſcripſerat.

29. *Sapias.*] Pro *ſi ſapias:* ut recte Priſcianus illud Horatianum interpretatur, *Sapias, vina liques.* lib. I. Od. II. & Perſ. Sat. V.

Quaeque puer, ſapias, Dis depellentibus agnam
Percute. HEINSIUS.

Ita, etiam adducto Horatii loco, Dom. Marius accepit. vid. Lipſ. I. Ant. Lect. 20. Fabrit. ad Cicer. III. Off. 19. & Broukh. ad Tibul. I. VII. 43. infr. III. Amor. II. 9. & I. Art. 277. BURM.

30. *Leviter.*] Vid. ad Ep. III. vers. 80.

30. *Ipſa voles.*] *Velis* octo libri. HEINSIUS.

33. *Si tibi forte.*] Legendum eſt, *forte*, omnino. MARIUS.

33. *Quos praeguſtaverit.*] *Quod* Puteaneus cum aliis nonnullis. HEINSIUS. Et ita Francofurtenſis.

35. *Nec premat indignis ſinito tua colla lacertis.*] Non moverem controverſiam huic lectioni, niſi variarent codices, quorum pars magna, *Nec premat ille ſuis.* meliores tamen, *Nec premat impoſitis*, recte. Ep. Paridis, 219.

Poenitet hoſpitii, cum me ſpectante lacertos
Imponit collo ruſticus ille tuo.

Infra

Oſcula ſi dederis, fiam manifeſtus amator:
Et dicam, Mea ſunt: injiciamque manus.
Haec tamen adſpiciam: ſed quae bene pallia celant,
Illa mihi caeci cauſſa timoris erunt.
Nec femori committe femur, nec crure cohaere:
Nec tenerum duro cum pede junge pedem.
Multa miſer timeo, quia feci multa proterve:
Exemplique metu torqueor ipſe mei.
Saepe mihi, dominaeque meae properata voluptas
Veſte ſub injectâ dulce peregit opus.
Hoc tu non facies: ſed ne feciſſe puteris,
Conſcia de gremio pallia deme tuo.
Vir bibat usque roga: precibus tamen oſcula deſint;
Dumque bibit, furtim (ſi potes) adde merum.
Si bene compoſitus ſomno vinoque jacebit;
Conſilium nobis resque locusque dabunt.
Cum ſurges abitura domum, ſurgemus & omnes;
In medium turbae fac memor agmen eas.

Agmi-

Infra lib. II. El. XVI.

Tu noſtris niveos humeris impone lacertos.

Sic Faſt. II. 803.

—— *Poſitis urgetur pectora palmis.* HEINSIUS. Apud Statium tamen v. Theb. 216. de Heleno ab uxore Gorge inter complexus occiſo:

Per murmura Gorgen
Quaerit, & indigno non ſolvit brachia collo.

Et paſſim Noſter hac voce, pro turpi & deformi, non conveniente, utitur. vid. I. Art. 532. III. 708. Epiſt. XXI. 60. XVI. 213. & alibi. BURMANNUS.

38. *Dediſſe velis.*] *Velim* Neapolitanus & Sarravianus. quod placet. mox *manum* Puteaneus & Arondelianus, pro *manus*. HEINSIUS. Sed *manus* alibi dixit Ep. VIII. 16.

Injice non timidas in tua jura manus.

Horat. I. Od. 12.

Ne male diſpari
Incontinentes injiciat manus.

Ubi Torrentius hunc Ovidii locum citans, *manum* exhibet. exempla vero addit, ex quibus utriusque numeri uſus adparet. praeterea an *velis* ſit mutandum dubito, quia ſequitur, *dederis*, & elegans illa & conſueta locutio, *velis dediſſe* pro dederis, de qua ad Phaedr. lib. I. Fab. 29. recte autem Marius adnotat huc reſpicere Naſonem lib. II. Art. 551. BURMANNUS.

41. *Sed quae bene pallia celant, Illa mihi caeci cauſa timoris erant.*] *Caeci timoris*, inquit Commentator, id eſt, praecipitis & maximi: quod ego nunquam legi. Ego verò *Caecum timorem* accipio, pro occulto & latente: perinde ut dicimus, *Caecum vulnus*, & ſimilia. MICYLLUS. Unus Moreti, *Seri timoris*. Douzae, *Magni timoris*.

43. *Nec crure cohaere.*] *Crura* quatuor libri. ut ſit Graeciſinus, quo plures alii alludunt, in quibus, *crura coërce*. HEINSIUS.

46. *Torqueor ipſe mei.*] *Eſſe mei* Puteaneus. Scribe, *ecce*. HEINSIUS.

48. *Sub injecta.*] Duo ſunt verba; ut ipſe lib. II. Art. 618.

Parsque ſub injecta veſte pudenda latet. MARIUS. *Superjecta* prima editio, cum Excerptis Puteani & Scaligeri, atque ita unus Farneſianus. Epiſt. XVI. 222.

Membra ſuperjectâ cum tua veſte fovet.

Sic *ſuperinjectae togae* Faſt. VI. 570. & *ſuperinjecta terra* Faſt. V. 533. libro tamen Artis Amatoriae ſecundo, 618.

Parsque ſub injectâ veſte pudenda latet.

Quanquam & illic, *ſuperjecta* duo codices praeferunt, ſed illi non magnae auctoritatis. HEINSIUS. Douza adſcripſerat illa Luciani ex Amoribus: Ἐρωτικὸς γὰρ ἦν, εἴτις πὲρ καὶ ὁ Σωκράτης, καὶ ὑπὸ μίαν Ἀλκιβιάδης αὐτῷ χλάνιδα κλιθεὶς οὐκ ἄπληξ ἀνέστη. & hoc eſt *veſticontubernium* Petronio cap. XI.

50. *De tergo.*] Malim, *gremio*, cum quinque ſcriptis. HEINSIUS.

53. *Si bene compoſitus.*] Marius exponit, *bene & laute curatus*. rectius vino & ſomno *ſepultus*. ut alibi Noſter, Virgilius & alii loquuntur. *componere* enim funereum eſſe verbum jam pueri norunt. ita infr. II. Eleg. V. 21.

Agmine me invenies, aut invenieris, in illo.
Quidquid ibi poteris tangere, tange mei.
Me miserum! paucas monui quod profit in horas.
Separor a dominâ, nocte jubente, meâ.
Nocte vir includet: lacrimis ego moestus obortis,
Quà licet, ad saevas prosequar usque fores.
Oscula jam sumet: jam non tantum oscula sumet.
Quod mihi das furtim, jure coacta dabis.
Verum invita dato (potes hoc) similisque coactae:
Blanditiae taceant; sitque maligna Venus.
Si mea vota valent, illum quoque nil juvet, opto:
Sin minus; at certe te juvet inde nihil.
Sed quaecumque tamen noctem fortuna sequatur;
Cras mihi constanti voce dediſſe nega.

Compositi juvenes unus & alter erant.
Et hoc etiam *jacere* indicat, ut cadaver, instar mortui jacuisse. sic *jacentis corpus* Petronio. cap. CXI. vide Vorst. ad Valer. Maxim. IV. cap. 3. exter. III. & V. 6. exter. 4. Petronius eleganter cap. CXIX.

Hoc mersam caeno, Komam, somnoque jacentem.
Sic de ebriis Noster III. Art. Am. 765.

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyaeo.
Familiare vero hoc feminis adulteris, ut, viris vino depositis, sui copiam aliis darent. inf. Eleg. IX. 25.

Saepe maritorum somnis utuntur amantes.
Horat. III. Od. 6.

Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis.

Ubi illa, *gaudia raptim donata*, est, *properata* nostri *voluptas*. immo ipso lenone marito, & ebrietatem & somnum mentiente, coïsse docet Juvenalis Sat. I. ỳs. 65. & seq. sequenti versu Neapolitanus, *resque domusque*; sed nihil opus. eadem enim verba habet etiam I. Trist. I. 92. sed videtur lectio ex Epist. XVII. 159.

——*Resque domusque*
Et tibi sit curae Troius hospes, ait,

efficta. BURMANNUS.

59. *Paucas quod profit in horas.*] *Paucas quoque profit in horas* Puteaneus. Lege, *quo profit*. HEINSIUS. *Paucis in horis* Francofurtensis, Junii & septem alii.

61. *Includet.*] Veluti feram. MARIUS. Recte: ita Donatus ad illa Terent. Phorm. V. I. 17. *Conclusam hic habeo uxorem saevam. Illaturus saevam, bene concluſam praetulit, ut si diceret feram.* vide & ad Andr. II. III. 12. & Eun. IV. III. ult. BURM.

61. *Persequar usque fores.*] *Prosequar* meliores. pro, *ad saevas fores*. Arondelianus, *ad versas*. Forte, *ad surdas*. de quo paulo post Eleg. VI. ỳs. 62. HEINSIUS. *Prosequar* recte: honoris enim & officii verbum est, cum comitamur aliquem. vid. Epist. XVII. 245. & alibi.

63. *Jam non.*] Francius malebat, *nec jam*.

67. *Nil juvet.*] Iidem, *ne juvet*, & mox, *sequetur*. HEINSIUS.

ELEGIA V.

AEstus erat, mediamque dies exegerat horam:
Adposui medio membra levanda toro.

Pars

1. *Festus.*] Sic quidem in exemplaribus hucusque lectum est: sed non nisi ineptus sensus elici potest. Legendum igitur, ut in correctiori codice vidimus, *Aestus*, ut & aestatis tempus, quo propter noctes breviores solent homines meridiari, ostenderet. & mirum non sit, quod Corinna in tunica vel tenuissima processerit. Sic Naso in Transmutationibus:

Aestus erat, mediusque dies geminaverat aestum:

MARIUS. *Festus* in priscis editionibus reperitur. & ideo

Pars adaperta fuit, pars altera clauſa feneſtrae:
Quale fere ſilvae lumen habere ſolent.
Qualia ſublucent, fugiente, crepuſcula, Phoebo:
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.
Illa verecundis lux eſt praebenda puellis,
Quà timidus latebras ſperet habere pudor.
Ecce Corinna venit, tunicà velata recinctà,
Candida dividuà colla tegente comà:

Quali-

ideo fortaſſe illa ſcriptura Monachis facile placere potuit, quia feſtis diebus otiari, non hodie tantum, ſed & olim moris erat, neque modo otiari, ſed & in toris jacere, & impudicis amoribus operam dare; quod ſceleſti Paedagogi Eumolpi exemplum docere poteſt, apud Petronium cap. LXXXV. ſed recte Domin. Marius repudiavit jam hanc lectionem, quia & aeſtate propter breviores noctes meridiari ſolebant, & propter alterum Ovidii noſtri locum ex Metamorphoſibus:

Aeſtus erat mediusque dies geminaverat aeſtum.

Quamvis ille duo loca confundat: libro enim v. 587. legitur:

Aeſtus erat. magnumque labor geminaverat aeſtum.

Libro vero x. 126.

Aeſtus erat. mediusque dies.

Et certe, vox *medius*, clamat hic de aeſtu agi. ſic Virg. I. Georg. 297.

At rubicunda Ceres medio ſuccidit aeſtu,
Et medio toſtas aeſtu terit area fruges.

Quamvis ibi de media aeſtate agatur. ceterum meridiantes etiam ſolitos amicas ſuas ſubagitare, patet ex Catulli Epigr. XXXII. BURMANNUS.

1. *Exegerat.*] Legitur &, *exceſſerat*, recte. NAUGERIUS. Idem Marius repperit in ſuo codice, ſed *exegerat* rectum. Auctor Moreti:

Jam nox hibernas bis quinque exegerat horas.

BURMANNUS.

1. *Horam.*] Uterque lib. Maffeianus, *umbram*, non *horam* habet. placet. Eſt autem meridiei periphraſis ex umbris mathematicae deſcriptionis. Virg. in Eclogis:

Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.

CIOFANUS. Duo quoque Moreti libri *umbram*, quae ſcriptura probari poſſet ex ſimilibus Poëtarum locis. ut Manil. II. 796.

Declinatque diem, mediasque examinat umbras.

Et Noſter III. Art. 723.

Jamque dies medius tenues contraxerat umbras.

Et III. Metam. 144.

Jamque dies rerum medias contraxerat umbras.

Sed vulgata recte ſe habet. *media hora*, eſt medium tempus diei. ut in fine Eleg. *Proveniant medii ſic mihi ſaepe dies.* vid. ad Ep. III. 57. HEINS. Recte. ſic & IV. Metam. 199.

Spectandique mora brumales porrigit horas.

Ubi etiam MSS. *umbras.* locus vero ille Manilii fere me induceret, ut *exegerat* hic, non pro *expulerat* caperem cum Mario, (qui & *exceſſerat* in quodam codice legi notavit) ſed locutione a lance deſumpta, pro meridies erat, & dies medius tempus ab aurora & veſpera aequaliter diſtans fecerat. ut I. Metam. 118.

Spatiis exegit quattuor annis.

Et ita Noſter paſſim utitur voce *exigere*, & alii quoque. vide ad Epiſt. XVII. 177. BURMANNUS.

2. *Medio toro.*] Offendere certe delicatas aures debet haec vox, bis eodem diſticho repetita. In duobus Vaticanis erat, *Impoſui tenero toro.* quod non placet. *medii* tamen *tori* frequentiſſimè mentio, ubi de ſecubantibus agitur. ſed quia haec vox ſaepe cum *viduo*, vel *vacuo* commutatur, ut ſupr. ad Ep. XIX. 158. vidimus, alterutra hic recipi poſſet. vid. & Epiſt. XVI. 315. utrumque conjungit infr. II. Amor. X. 17. & 18. nihil tamen contra codices audemus movere, niſi quod *impoſui*, magis placet, quam *appoſui.* ut Stat. II. Silv. I. 63. *Impoſitus ſtratis.* Petron. 28. *Lecticae imponitur.* Francius volebat, *compoſui.* ſed negligenter ſe abjeciſſe credendum eſt, hoc vero verbum curam & diligentiam notat. BURMANNUS.

2. *Levanda.*] Recreanda & reficienda. CIOFANUS. In uno Moreti, *novanda.* vide ad Epiſt. IV. 90. *Lavanda* Gryphii editio vitioſe.

4. *Quale fere ſilvae lumen habere ſolent. Qualia ſublucent, fugiente, crepuſcula, Phoebo: Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.*] Haec eſt, quam in Ovidio eſſe ait Quinctilianus, *laſcivia.* Satis erat dicere, *Qualia ſublucent &c.* vel unum ex iis exemplis ponere. CIOFANUS. In Sarraviano erat, pro diverſa lectione: *Quale ferae ſilvis lumen habere ſolent.*

5 *Crepuſcula.*] Quid ſit *crepuſculum* docui in Scholiis in Epiſtolam XIV. 21. CIOFANUS.

7. *Illa verecundis.*] Ita VI. Faſt. 115.

Haec loca lucis habent nimis, & cum luce pudoris.

Vide & II. Art. 619.

9. *Recincta.*] Diſcincta tunica. *Re* enim praepoſitio quandoque ejus verbi, cum quo componitur, ſignificatum contrarium facit, ut *revelo*, *reſero*, *recludo*, *retego*, & ſimilia. Ovid. etiam Eleg. I. lib. 3. Amorum inquit:

Qualiter in thalamos formoſa Semiramis iſſe
Dicitur, & multis Laïs amata viris.
Deripui tunicam; nec multum rara nocebat:
Pugnabat tunicâ ſed tamen illa tegi.
Cumque ita pugnaret, tamquam quae vincere nollet,
Victa eſt non aegre proditione ſuâ.
Ut ſtetit ante oculos, poſito velamine, noſtros,
In toto nusquam corpore menda fuit.

Quos

Delabique toro tunica velata recincta. MARIUS. *Tunicam recinctam* exponit Commentator, pro Diſcincta: quod diſplicet. Ego itaque *Recincta*, expono ſimpliciter pro cincta, & circumjecta: quemadmodum eandem vocem idem Poëta I. Metam. 398. uſurpat, ubi de Pyrrha & Deucalione loquens, inquit:

Velantque caput, tunicasque recingunt.

Neque enim diſcinctis tunicis ad ſaxa jacienda, quibus tum ſeſe parabant, idonei futuri erant. MICYLLUS. Rectius Marius: ad Amatorem enim tendens, cur ſe accingeret? ad ſaxa etiam jacienda diſcincti debebant eſſe, ut collecta inferiori ora tunicae gremium quaſi facerent, quo ſaxa cogerent. & hoc notare verbum *recingere* patet ex VII. Metam. 182. IV. 510. Virgil. IV. 518. & aliis locis pluribus. opponitur autem *ſuccinctae*. alibi pro *recincta*, *ſolutam* dicit. vid ad lib. III. Am. I. 15. Ferrar. Part. I. lib. III. de Re Veſt. cap. 17. BURMANNUS.

10. *Dividua.*] Id eſt ſparſa, non in nodum collecta, ſed in utrumque humerum rejecta. videtur imitatus Noſter Apollonium Rhod. lib. III. 45.

Λευκοῖσι δ' ἑκατερθε κόμας ἐπισιμένη ὤμοις.

Ita & Stat. VIII. Theb. 489.

Dividuique cadunt in brachia crines.

Francius notaverat in margine, *diffuſa*. ſed hoc magis aptum vaticinantibus. vid. Epiſt. V. 116. *Effuſis capillis* dixit Epiſt. XVI. 119. hic vero culta puella, ex praecepto lib. III. Art. 141. intelligi debet. BURMANNUS.

11. *In thalamos formoſa Semiramis iſſe.*] *In thalamoſaſa miramis eſſe* Puteaneus. Scribo, *famoſa Semiramis*. dixi ad Epiſt. IX. Vſ. 78. HEINSIUS. *in thalamum* Ald. Gryph. & marg. Berſmanni.

12. *Amata viris.*] In quodam codice legimus, *Laïs amata procis*. Utraque lectio probatur. MARIUS. *Viris* eſt in veteribus. CIOFANUS. Repone *viris* ex fide optimorum codicum. *Proci* enim ſecundum Feſtum, *qui poſcunt aliquam in matrimonium*. hinc Penelopes *proci*: de quibus abunde dictum ad ſecundam Sabini Epiſtolam. nuſquam *procorum* mentio apud Latinos ſcriptores occurrit, quoties de meretricibus agitur, *virorum* paſſim. ſic Propertius II. Eleg. II. 6.

Phryne tam mulis facta beata viris.

Auctor obſcaeni carminis:

Quae tot nocte viros peregit unâ.

Propert. lib. II. Eleg. V. 14.

Et miſer in tunica ſuſpicor eſſe virum.

Atque ita paſſim Noſter, qui & in Arte Amatoriâ *proci* vocabulo anxie abſtinuit. pro *Laïs* codices nonnulli, *Thais*. ſed nil neceſſe. Laidis Propertius etiam meminit cum Claudiano. HEINSIUS. *Viris* recte. vid. inf. Eleg. VIII. 97.

13. *Diripui.*] *Deripui* Puteaneus & Neapolitanus cum Regio. recte. ſic & *detrahere* & *deducere veſtem*. Metam. VI. Noſter:

——— *Velamina Progne*
Deripit ex humeris auro fulgentia lato.

Sic & *dereptus cortex* infra Eleg. XIV.

Qualem clivoſae madidis in vallibus Idae
Ardua derepto cortice cedrus habet.

Dereptam acum habes ibidem paulo poſt. in Elegia de Nuce 38.

Nudaque derepto cortice ligna patent.

Ita illis locis optimi libri. Medicamine Faciei, *dereptum cortice gummi*. ſic enim ſcribo. vulgati illic etiam *direptum*. Metam. lib. XI. *dereptos arbore ramos*. ut & illic emendo. vide Notas Metam. lib. III. Vſ. 52. *deripere vagina enſem*. Faſt. II. 793. Metam. lib. VI. 551. X. 475. HEINSIUS. Ita Ciceroni II. Verr. 7. reddiderunt hoc verbum viri docti. vid. & Giphan. Ind. Lucret. & Lamb. & Torr. ad Horat. I. Od. 9.

13. *Multum rara.*] Valde translucida. Sic Propertius libro primo, Elegia vigeſima:

Raram ſepoſiti quaerere fontis aquam.

Et Maro libro quarto Aeneidos 131. *Retia rara, plagae*. ubi contrarium dicit Servius, *Retia rara majora eſſe, plagas minora*: minora enim ſunt, quae rara dicuntur, id eſt ſubtiliora, & ex rariori filo confecta, & quaſi translucida, quibus facilius avium viſus fallatur. Haec enim videmus aviculis tendi: plagas vero, ut majora, feris. Horatius in primo libro Carminum Od. I.

Seu rupit teretes Marſus aper plagas.

Idem apertius hoc indicat, Ode ſecunda Epodon inquiens: *Aut trudit acreis hinc & hinc multa cane apros in obſtantes plagas, aut amite levi rara tendit retia turdis edacibus dolos*. MARIUS. Commentator, *Nec nocebat, hoc eſt impediebat*, inquit, *multum rara exiſtens*: id eſt, valde translucida. Cete-

ra

Quos humeros, quales vidi tetigique lacertos!
Forma papillarum quam fuit apta premi!
Quam caſtigato planus ſub pectore venter!
Quantum & quale latus! quam juvenile femur!
Singula quid referam? nil non laudabile vidi:
Et nudam preſſi corpus ad usque meum.
Cetera quis neſcit? laſſi requievimus ambo.
Proveniant medii ſic mihi ſaepe dies.

ra rectè quidem ille: ſed quòd adverbium *Multum*, cum nomine potius, quàm cum verbo jungit, id videtur praeter neceſſitatem facere. Simplicius enim eſt ac plenius, ſi dicas: Nec multum nocebat, eo quòd rara ac tenuis eſſet. MICYL. *Nec multum rara nocebat*, hoc eſt tunica rara tenuique filo, ex Corinnae omni corpore non multum ſubducebat oculis meis. tenuiſſimam vult fuiſſe veſtem, tunicam Bombycinam, nempe Coam aut Sericam. ut apud Horat. *Cois tibi pene videre eſt, ut nudam.* Plin. lib. VI. cap. XVII. de Serico: *Tam multiplici opere tam longinquo orbe petitur, ut in publico Matrona traluceat*, quibus ſimilia apud eundem habes de veſte Aſſyria lib. XI. cap. 2. perperam autem quidam interpretes, *multum* cum *rara* conſtruit, cùm cum *nocebat* debeat. *Rara* autem tunica eſt eadem, ni fallor, quam *Rallam tunicam* vocat Plautus Epid. Act. II. Sc. II. ỹſ. 45. ubi opponitur *ſpiſſae tunicae:* quamquam *veſtem Rallam* a raſura dictam velit Iſidorus, & cum raſili confundat, cujus verba Papias tranſcripſit. ſed contra eum ſtat Nonius. cum Iſidoro tamen videtur ſentire Gloſſarium H. Stephani, in quo *ralla* ξυρὴρ. Ξυρὴρ autem originem ducit a ξύω *rado.* haec etiam vox *ralla* reſtituenda eſt. Plin. lib. XVIII. cap. 19. ut vidit Turneb. adv. XXIV. 1. in Gloſſis, quae ſub Iſidori nomine circumferuntur, locus eſt vexatiſſimus. *Larna, raſorium*; legendum literis converſis, *Ralla, raſorium*, ut ex Gloſſis Graeco-Latinis patet, in quibus ξυρὴρ *Ralla, Rallum, Rallus, Raſorium.* tum ex eodem Iſidori Gloſſario, in quo alibi *Rallum, Raſorium.* alii tamen in Gloſſis Iſidori legunt *Lamna.* in exemplari manu Nanſii deſcripto *Larina.* Caſp. Barth. adverſ. VIII. cap. V. *Larva, raſorium* perperam. HEINSIUS. Quinct. IX. 4 *Textum tenue ac raſum.*

14. *Se tamen illa tegi.*] *Sed tamen* meliores, ſic & Art. Amat lib. I. 666.

Pugnando vinci ſed tamen illa volet.

Ut & ibi libri nonnulli. quomodo idem mox:

Sed voluit vinci viribus illa tamen.

HEINSIUS.

15. *Quae cum ita pugnaret.*] *Cumque ita* rectius ſex libri. HEINSIUS.

15. *Quae vincere nollet.*] *Se vincere* Francofurt. credo pro, *ſi vincere.*

21. *Quam caſtigato.*] Leniter depreſſo & plano. Caeſar II. de Bell. Gall. *Et in fronte leviter caſtigatus*, ut legit Faernus. BERSMAN. Non accurate ſatis, ut nec recte aliquantulum dimiſſo, interpretatur Marius. melius dixerat antea, emendato, correcto, nimirum, per faſciam; qua tumeſcentes & exuberantes nimis papillas ſolebant coërcere, ut in lib. III. Art. Amat. 274. inſtruit puellas. ita Seren. Sammon. cap. XXI. *Caſtigatas papillas* vocat, ubi, ne flaccidae fiant, ſed durae ſint & rigeant, remedia praeſcribit. de his latius Mercurial. lib. V. Var. Lect. 3. ubi ex Plauto locum adducit, ubi hoc vocat *corrigere.* & Martial. XIV. 134. *compeſcere.* ita *caſtigatam frontem* dixit Stat. II. Silv. I. 43. de qua videndae Gevartii lectiones Papinianae lib. II. cap. 2. & Barth. ad lib. IX. Theb. 687. ſic idem Poëta. lib. VI. 868.

Riget atra cutis, durisque laborum
Caſtigata toris.

Ubi vetus Scholiaſtes Barthii melius Lutatio interpretatur, *dura & ſolida, nec ampla ex pinguedine.* Et hoc erat, quod Chaerea ille Terentianus Eunuch. II. 3. in puellis ſuae aetatis culpabat, *vincto pectore, ut graciles ſient.* ubi Donatus, *caſtigato & tenui.* Quod vero Terentius addit, *matres curatura facere ut junceae ſint*, capiendum eſt, ut ſint aequali & plano pectore & ventre. quod culpabant elegantes formarum ſpectatores, cum caſtigari quidem, ſed modice intumeſcere & prominere debeat pectus, ſub eo vero venter planus eſſe. eò alludebat Auſonius Epiſt. IV. 46.

Pectore ſic tenero, plana ſic junceus alvo.

Et Achilles Tatius lib. I. pag. 8. De Europa, Βαῦς ὀμφαλὸς, γαςὴρ τετμένη, λαπάρα ςενή. ubi plurima huic Corinnae Ovidianae non diſſimilia. vid Jun. de Pictura. lib. III. cap. IX. §. 28. BURM.

23. *Nil non laudabile vidi.*] *Nihil illaudabile* codex Neapolitanus & Junianus. HEINSIUS. Ego nihil mutem. III. Triſt VIII. 43.

Nil non mortale tenemus.

Vid. Eleg. ſeq. ỹſ. 17. BURMANNUS.

ELE-

ELEGIA VI.

JAnitor (indignum) durâ religate catenâ,
Difficilem moto cardine pande forem.
Quod precor, exiguum eſt. aditu fac janua parvo
Obliquum capiat ſemiadaperta latus.
Longus Amor tales corpus tenuavit in uſus:
Aptaque ſubducto pondere membra dedit.
Ille per excubias cuſtodum leniter ire
Monſtrat: inoffenſos dirigit ille pedes.
At quondam noctem ſimulacraque vana timebam:
Mirabar, tenebris ſi quis iturus erat.

Riſit,

2. *Janitor indigne.*] In quibusdam exemplaribus legitur *indignum*, quae lectio mihi non diſplicet. Marius. *Indignum* Puteaneus cum optimo Palatino. recte. Metam. v. 37.

—— *Niſi poſt altaria Phineus*
Iſſet; & (indignum) ſcelerato profuit ara.

Sic *mirum* ſaepe apud Noſtrum. & *antiquum* Faſt. I. 641.

Furius (antiquum) populi ſuperator Hetruſci
Voverat, & voti ſolverat ante fidem.

Quae vera illic lectio eſt. *antiquum*, res antiqua. lib. II. Faſt. 413.

Venit ad expoſitos (mirum) lupa foeta gemellos.

Ita & Lipſius reſtituit Valerio Maximo lib. II. cap. IX. §. 3. *Nec (indignum) penſi duxerat.* ſic ex MSS. apud Stat. IV. Theb. 688. *Praecipuum*, ubi vulgo *praecipue*: de Catenato vero janitore vid. Lipſ. ad Senec. lib. III. de Ira cap. 37. Columell. Praefat. *An putem fortunatius a catenato repulſum janitore, ſaepe nocte ſera, foribus ingratis adjacere.* Heinsius.

1. *Religate.*] Hoc verbum pro ſimplici *ligare* vel *alligari*, poni ſolere docuit Torrent. ad Horat. I. Od. 32.

2. *Difficilem.*] Contra *facilis cardo* Juven. Sat. IV. 43. & Horat. I. Od. 25.

Quae prius multum faciles movebat
Cardines. Heinsius.

3. *Aditu fac janua parvo.*] *Primo* Neapolitan. forte pro *privo*. vid. ad I. Faſt. 113.

4. *Obliquum latus.*] *Rectum latus* Antitheton. Ciofanus.

6. *Subducto corpore.*] *Subtili corpore* Excerpta Scaligeri & Puteani, quomodo & Arondelianus pro diverſa lectione. Martial. lib. XI. Ep. CI.

Habere amicam nolo, Flacce, ſubtilem
Cujus lacertos annuli mei cingant.

Regius & Moreti unus, *ſubducto pondere.* lib. II. Eleg. X.

Pondere, non nervis, corpora noſtra carent.

Heinsius. *Corpore* retinet Marius, & defendi poſſet ex iis, quae notamus ad Phaedr. III. 7. ſed praeceſſit modo.

10. *Quisquis.*] Melior eſt vetus lectio, *ſi quis.* Marius. Et ita meliores ſcripti. vid. ad Epiſt. I. 21. malebat etiam Heinſius, *miratus.* vel etiam ſuſpectum habuit verſum. ſed vide ad Petronii cap. LXIX. & Quinct. Decl. CCLXII. Burmannus.

11. *Riſit, ut audivit tenera cum matre Cupido,*
Et leviter, fies tu quoque fortis, ait.] Longe melior eſt lectio, *riſit ut audirem*, ut ſenſus ſit, tam effuſum fuiſſe Cupidinis & Veneris riſum & cachinnum, ut ejus ſonus audiretur a Poëta. Marius. Sententia huic ſimilis eſt illa Tibulli libro primo Eleg. II.

En ego cùm tenebris tota vagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit eſſe Venus.

Ciofanus. *Ut audirem* meliores. Scriverio placebat, *juſſit ut auderem.* in uno enim Moreti, *juſſit ut audivit* perperam. Mart. lib. II. 44.

Et ſecum, ſed ut audiam, ſuſurrat.

Heinsius.

13. *Nocte volantes.*] *Silentes* Regius. male. vide ad Petron. cap. LXIII.

14. *Strictas in mea fata manus.*] Ex Propertio adumbratum. lib. III. Eleg. XIV. 5.

Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus.

Notandum vero ait Marius, *ſtrictas manus* dici, ut *ſtrictum enſem.* ſic & Epiſt. XII. 100.

Inter ſe ſtrictas conſeruere manus.

Plura exempla reperies apud Eruditiſſimum Bentlejum, qui feliciſſime Horatio lib. I. 6. *Strictos ungues* reſtituit, quidquid oblatrent ſecundi ordinis critici.

Risit, ut audirem, tenerâ cum Matre Cupido:
Et leviter, Fies tu quoque fortis, ait.
Nec mora, venit amor. non umbras nocte volantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.
Te nimium lentum timeo; tibi blandior uni:
Tu, me quo possis perdere, fulmen habes.
Adspice, (&, ut videas, immitia claustra relaxa,)
Uda sit ut lacrimis janua facta meis.
Certe ego, cum positâ starem ad verbera veste,
Ad dominam pro te verba tremente tuli.
Ergo, quae valuit pro te quoque gratia quondam,
(Heu facinus!) pro me nunc valet illa parum?
Redde vicem meritis; grato licet esse. Quod optas,
Tempora noctis eunt: excute poste seram.

Excute:

critici. *Fractas in mea vota manus* hic Scriverii codex exhibebat. BURMANNUS.

17. *Aspice, ut invideas.*] Meae scilicet fortunae aut januae, aut tuae saevitiae. id est odio prosequaris Horat. IV. Od. 2. *Nigroque invidet orco.* MARIUS. Hos versus quo pacto alii accipiant, ex commentatore videre licet. Ego verò in his duplicem figuram esse existimo, alteram histerologiam, de qua & interpres meminit: nam verba ipsa hoc ordine ponenda videntur. Claustra relaxa, & aspice, ut janua sit uda nostris lachrimis, *ut* invideas scilicet; alteram ironiam. Clausulam enim: at *invideas*, ironicôs accipio, & velut ἐν παρενθέσει dictam: quasi dicas, Aspice nostram miseriam, nostrumque laborem, minimeque nobis tam malè habentibus invidebis. Sed tamen hanc expositionem ita tueor, ut suum cuique judicium liberum relinquam. MICYLLUS. *Aspice, & ut videas, immitia claustra relaxa*, ex optimis libris est reponendum. quomodo jam in Observationibus lib. II. cap. XXI. emendavit noster Gronovius. Theod. Marcilius ad Persii Sat. V. male, *ut invideas*, interpretatur, *inspectes.* HEINSIUS.

17. *Immitia claustra.*] Elegantia sua non caret Regii codicis lectio, *non mitia* ut sit μείωσις. II. Art. Am. 187.

Saepe suos casus, nec mitia facta puellae,
Flesse sub arboribus Milaniona ferunt.

Ubi etiam *immitia* nonnulli scripti. vid. Eleg. Praeced. ỳs. 23. sic *venti non aequi*, pro *iniquis.* II. Am. XVI. 22. v. Metam. 171. *Non circumspectis*, pro *incircumspectis.* & passim talia. BURMANNUS.

21. *Ergo.*] Mallem *ergone*, deinde, *pro te mea gratia* vellet Francius.

22. *Illa parum.*] *Nihil* Douzae Excerpta.

23. *Redde vicem meritis, grato licet esse quod optas.*] *Gratis licet esse, quod opto.* Sic quidem adhuc in exemplaribus lectum est, sed nullus congruus sensus elici potest. unde omnino, ut in correctiori codice legimus, loco *gratis*, substituendum est *grato.* ut sit sensus, ô janitor id, quod ego cupio, est, ut liceat te esse grato animo. Nam (ut ait Cicero in secundo Officiorum) *Immemores beneficii omnes oderunt. Licet tibi esse grato:* pro licet tibi esse gratum. ut apud Horatium, Satyra prima libri primi Sermonum: *Atqui licet esse beatis.* Sed in altero codice ita legimus hoc carmen: *Grato licet esse quod optas.* Quae lectio fortasse melior, ut sit sensus: ô janitor, nunc tibi datur occasio ad ostendendum gratum animum tuum: id quod cupis, ut scilicet liceat tibi esse grato: *Quod optas.* Hoc addidit, ut blandiretur. est enim ingenui & boni viri, cupere, ut gratus esse videatur. MARIUS. Hic versus aliàs ita legitur, *Redde vicem meritis, gratis licet esse quod opto.* Quae lectio paulò aliam sententiam efficit, nempe hanc: Quid ego opto ac peto à te, ut pro accepto beneficio gratus mihi sis, id gratis tibi licet esse: hoc est, sine tuo impendio, aut pretio aliquo est. Sed utra lectio melior sit, non facilè dixerim, quando haec illa communior est. In illa autem unum *optas*, personae servi non admodum respondere videtur. Nam si servus iste optasset gratus esse, ac vicem rependere, non tot verba precantis & instantis frustrà fieri passus fuisset. MICYL. Scribe, *grato licet esse. quid obstas?* tres tamen codices, *quod opto.* idque Marius Niger amplectebatur. Ego nostram conjecturam veriorem praestare ausim. ipse Naso Metam. IV. 73.

Invide, dicebant, paries, quid amantibus obstas.

HEINSIUS. Ego sequor auctoritatem scriptorum plurimorum, & editorum: distinguo vero hoc modo:

Redde vicem meritis; grato licet esse. Quod optas,
Tempora noctis eunt.

Labitur tempus noctis (quod tu, qui impatienter tam longam toleras, optas, ut a vigilia libereris)

Excute: ſic umquam longâ relevere catenâ,
Nec tibi perpetuo ſerva bibatur aqua.
Ferreus orantem nequicquam, janitor, audis.
Roboribus duris janua fulta rigét.
Urbibus obſeſſis clauſae munimina portae
Proſint; in mediâ pace quid arma times?
Quid facias hoſti, qui ſic excludis amantem?
Tempora noctis eunt: excute poſte ſeram.
Non ego militibus venio comitatus & armis.
Solus eram, ſi non ſaevus adeſſet Amor.
Hunc ego, ſi cupiam, nusquam dimittere poſſim.
Ante vel a membris dividar ipſe meis.

Ergo

ego vero fruſtra tempus tero. *Quod opto* an praetulerit Marius, ut Heinſius ait, non certo conſtat ex ejus notis, ſaltem male explicuit. Burmannus.

24. *Excute poſte ſeram.*] Multis haec illuſtrat Salmaſius Exercit. Plin. pag. 649. & ſeqq. aliquid etiam attulerunt Turneb. xix. adv. 7. & Lipſ. de Cruce iii. cap. 6.

25. *Sic.*] Optantis eſt. Virgilius Ecl. x. 4.

Sic tibi, cum fluctus ſubterlabêre Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam.

Et Tibullus lib. i. El. iv. 1.

Sic umbroſa tibi contingant tecta, Priape.

Marius. Vid. Lambin. ad Horat. i. Od. 3.

25. *Religére.*] Vinciaris: in quodam tamen codice manuſcripto vetuſtatis horrendae, cujus copiam mihi fecit nobiliſſimus & ingenioſiſſimus aduleſcens Petrus Sanutus, illuſtriſſimi Benedicti filius: hoc carmen ita legitur, *Excute, ſic unquam longa relevére catena:* quae lectio maxime placet. non tamen priorem improbo. Marius. Atqui jam religatus erat. primae editiones & codices nonnulli ex ſcriptis, *ſic unquam dura relevere catena.* Puteaneus cum Regio, & Jureti Excerptis, & Arondeliano, *ſic unquam longâ relevere catená. Longa* etiam eſt in Excerptis Scaligeri & Puteani. & ita Dom. Marius in codice, quem ille horrendae vetuſtatis vocat, repperit. hoc eſt quae diu longumque te ligavit. recte. Fuit cum ſcribendum opinarer, *ſic unco longae relevere catenae. Unci* enim & *hami* orbes, qui catenas alligant, vocabantur. pro catena videtur poſuiſſe Juvenalis Sat. xiii. 244.

—— *Dabit in laqueum veſtigia noſter*
Perfidus, & nigri patictur carceris uncum.

Aut certe pro vecte, cui alligabantur captivi. atque ita potuerit intellexiſſe Naſo. *Torquem* tamen *uncam* vocavit Propertius lib. iv. Eleg. x. 44.

Torquis ab inciſa decidit unca gula.

Unci enim ad ſupplicium tractorum infigebantur gutturi. quomodo & catenae collo affixae. Propertius lib. iv. Eleg. i. 141.

Et bene cum fixum mento diſcuſſeris uncum.

Qui fixo gutture fumant apud Juvenalem Sat. i. 156. hinc emendandus Noſter in Ibide 166.

Infixuſque tuis faucibus uncus erit.

Oſſibus nunc legitur. ubi nos plura. haec olim. at nunc nihil verius lectione, quam ex ſcriptis protulimus, eſſe credimus. vox enim *longa* ſignificantiorem vim habet quam vulgus exiſtimat. ſic *longus luctus* apud Virgil. lib. xi. ỹſ. 214. ita enim cum veterrimo Romano codice, vel contra auctoritatem Servii lego. *Longus pontus* Valer. Flacc. i. 127. ex MSS. Vulgata lectio tota quanta eſt conſarcinata fuit ab audaculis librariis, qui, quia ſuperius legebatur, *dura religate catena*, nefas exiſtimarunt, ſi id ibi tantum legeretur, ut & infra *durae tranſite catenae.* vox *unquam* ſimili loquendi modo in antiquo Homonoeae Epitaphio legitur:

Parce, ita non unquam ſimilem experiare dolorem,
Et faveant votis numina cuncta tuis.

Heinsius. Egregia reſtitutio, & verum eſt, quod de voce *longus* obſervat Heinſius. idem enim ſaepe quod *perpetuus* notat. ſic Horat. ii. Od. vii. 17.

Ergo obligatam redde Jovi dapem,
Longaque feſſum militia latus
Depone ſub lauru mea.

Et Od. xiv.

Damnatusque longi
Siſyphus Aeolides laboris.

Ita apud Statium lib. ix. Theb. 62. *Longum amorem.* Schol. Barth. exponit *perpetuum.* vide ibi Barth. contra Gellium lib. ii. cap. 16. diſputantem. idem Schol. ad v. Theb. 108. *Longis luctibus* perpetuis exponit. ut in loco Virgilii ab Heinſio adducto, cui addas alium ex ii. Aeneid. 26.

Ergo omnis longo ſe ſolvit Teucria luctu.

Quia perpetuus ille viſus erat Trojanis: adhuc idem Barthii Schol. ad viii. Theb. 552. *Longam laudem*

Ergo Amor, & modicum circa mea tempora vinum
Mecum eſt, & madidis lapſa corona comis.
Arma quis haec timeat? quis non eat obvius illis?
Tempora noctis eunt: excute poſte ſeram.
Lentus es? an ſomnus (qui ſe male praebet amanti)
Verba dat in ventos aure repulſa tuâ?
At (memini) primo, cum te celare ſolebam,
Pervigil in mediae ſidera noctis eras.
Forſitan & tecum tua nunc requieſcit amica.
Heu melior quanto ſors tua ſorte meâ!
Dummodo ſic, in me durae tranſite catenae.
Tempora noctis eunt: excute poſte ſeram.

Fallimur?

laudem per aeternam explicat. & ita fere ſemper. vid. ad lib. 1. Theb. 638. & III. 114. poſſet & exponi *longa catena*, quae multis articulis nexa & ſerie ferrea eſt. ut ita *longos gradus* dixit VII. Met. 587. & paſſim *longo ordine*, *agmine*. de τῷ *unquam* vide ad Quinctil. XII. Inſtit. 2. Francius corrigebat, *ſic olim*, vel, *tandem*. BURMANNUS.

26. *Serva.*] *Servis congruens & apta. Servi enim apud majores aquam tantum bibebant.* Euſebius libro duodecimo de Evangelica Praepar. cap. 17. Platonis verba referens, inquit, *in civitate autem ſervis nunquam vini uſus concedendus eſt.* MARIUS. Vide ad Petron. cap. LXXI. *Cito aquam liberam guſtabunt.*

27. *Orantem nequicquam janitor audis.*] Scribendum opinor, *audi.* ut ſit vociferantis. nam *audit* eſt in uno Moreti. HEINSIUS. Nihil mutandum. *Ferreus audis*, id eſt immotus, nihil curans preces meas, audis quidem, ſed quaſi è ferro eſſes, non moveris. Horat. 1. Od. XXV.

Audis minus, & minus jam,
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia dormis. BURMANNUS.

31. *Quid faceres hoſti.*] Legitur &, *facies*, fortaſſe melius. ut apud Terentium, *Quid mihi hic facies patri:* oppoſuit autem hoſti amantem. MARIUS. *Proſint* tres ſcripti. *facias* pro *facies* bene optimus Palatinus. tres alii, *faceres. hoſtis* etiam Puteaneus. Catullus LXII. 23.

Quid faciant hoſtes capta crudelius urbe?

HEINSIUS. Vid. Epiſt. XXI. 56.

35. *Nunquam dimittere poſſum.*] *Nuſquam dimittere poſſum* meliores. Lege, *poſſim*. HEINSIUS. *Demittere* etiam nonnulli, ſed vide ad lib. 1. Metam. 209.

37. *Circum mea tempora vinum.*] *Circa* Puteaneus. Tibull. 1. El. II. 3. *Multo perfuſus tempora Baccho.* HEINSIUS.

38. *Mecum eſt.*] Ita Livius lib. IV. 32. *Secum triumphos, ſecum ſpolia, ſecum victoriam eſſe; cum hoſtibus ſcelus &c.* & lib. XXX. 33. *Victoria eſt cum Poenis.*

41. *Lentus es? an ſomnus, qui te male praebet amanti.*] Scribe, *qui ſe male praebet amanti.* atque ita codex Douzae, & Sarravii, & Arondelianus. Somnus enim amantes rarus reſpicit. infra El. XIV.

Quam ſe praebuerunt ferro patienter & igni!

Epiſt. IV. 95.

Nec tamen Aurorae male ſe praebebat amandum.

In Ibide 109.

——— *Ne ſe tibi praebeat aër.*

At Puteaneus, *qui te male perdat amanti.* Forte, *qui te male perdat, amantis Verba dat in ventos.* Niſi *prodat* malis. nam Excerpta Scaligeri & Puteanei *prodit.* Epiſtola 1. 40.

Utque ſit hic ſomno proditus, ille dolo.

X. 5.

In quo me ſomnuſque meus male prodidit, & tu. Neapolitanus liber, *qui te male perdidit amens.* HEINSIUS. Recte addit *male*, quia teſte Servio ad Virg. X. Aeneid. 321. *praeberi* bona dicuntur. vide quae notamus ad Quinct. lib. 1. Inſt. Orat. cap. 1. & Decl. CCCXXXVIII. & ſupr. ad Ep. XV. 213. BURM.

43. *Cum me celare volebam.*] Legitur etiam, *te.* optime quidem. dicimus enim, *celo te meum furtum*, id eſt tibi abſcondo. MARIUS. *Me celare volebam* ſeptem codices. quatuor, *te ſolebam.* recte. Canace, *id te celavimus unum.* IV. Faſt. 149 *Ut tegat hoc celetque viros Fortuna virilis Praeſtat.* HEINSIUS. Ubi tamen *viris* praefert. ſed Ep. VIII. 13. *Celare meos parentes.* Terent. Hecyr. IV. 1. 15. *Omnes nos celare volueris partum.* & ita paſſim alii.

45. *Requieſcit.*] Forte, *requieſcat.* HEINSIUS. Vid. ſupr. ad Epiſt. IV. 53. & alibi.

46. *Heu melior quanto.*] Scriverianus, *heu quanto melior.* alii *quantum.* vid. Epiſt. XVIII. 71. *Mea eſt* quoque editi plerique.

Fallimur? an verſo ſonuerunt cardine poſtes?
Raucaque concuſſae ſigna dedere fores?
Fallimur: impulſa eſt animoſo janua vento.
Hei mihi, quam longe ſpem tulit aura meam!
Si ſatis es raptae, Borea, memor Orithyiae,
Huc ades, & ſurdas flamine tunde fores.
Urbe ſilent totâ: vitreoque madentia rore
Tempora noctis eunt: excute poſte ſeram.
Aut ego jam ferroque ignique paratior ipſe,
Quem face ſuſtineo, tecta ſuperba petam.
Nox, & Amor, vinumque, nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat: Liber Amorque metu.

Omnia

49. *Fallimur? an.*] Codex Douzae, *fallimus aut.*

50. *Concuſſae.*] *Convulſae* Mentelianus.

51. *Fallimur.*] Male in Aldinis codicibus interrogative legitur, ſupra enim interrogat, hic autem affirmat. unde & cauſſam reddit, dicens *impulſa &c.* Marius.

51. *Animoſo.*] *Adverſo* Neapolitanus. quod apte quidem explicari poteſt, & olim etiam Heinſio placuiſſe ex adſcriptis orae libri ejus notis video. ſed longe elegantius eſt *τὸ animoſo.* & recte a Mario explicatum, quia venti *animae* vocantur; & Virgilius II. Georg. 441. *Animoſos Euros* dixit. Et ita Apulej. lib. I. Metam. *Exanimes ventos* quoque dixit. ſic & *animoſum fluvium* dixit Stat. VII. Theb. 325. & *animoſum* idem eſt quod vehemens, violentus, ut videbimus infr. ad lib. II. XVII. 7. pro *impulſa* malebat etiam Heinſius *en pulſa*, quod in uno codice exſtabat. ſed vehementius, & animoſo vento convenientius *impulſa*. vid. ad Petron. cap. XVI. Burmannus.

53. *Raptae Orithyiae.*] Vide quae notavi in obſervationibus ſub finem lib. VI. Metam. Ciofanus.

57. *Ignique potentior ipſo.*] Ex hac lectione quis ſenſus Poëtae ingenio dignus exprimi poſſit, alii viderint. Ego in correctiore codice ita legi, *Ignique paratior ipſe.* ut ſit ſenſus & ordo: Aut ego ipſe paratior, id eſt promptior, quam tu, ad aperiendum, ferro ignique petam veluti hoſtis: id eſt, incendam tecta ſuperba face, quam ſuſtineo. Neque enim video quomodo ferro & igni ipſo potentiorem ſe dixerit Poëta. niſi velimus dicere haec vere ebrii verba fuiſſe: aut *potentior* pro potens dixit, ut ſit comparativum pro poſitivo, & illud *ipſe* habeat emphaſim. Nec te moveat, quod ſupra dixerit: *Non ego militibus venio comitatus, & armis:* nam ibi timorem removere volebat, ut aperiret janitor: hic terrorem injicere ſtudet, ut idem fiat effectus. erit igitur ferro & igni veluti inſtrumentum, quo ſe potentem eſſe aſſerit, non res ad quam fiat comparatio. Marius. Unus Vatican. *ignique potentior omni.* alter & Maffeian. *paratior ipſe.* alter Maffeian. *ignique ferocior omni.* Ciofanus.

58. *Quam face ſuſtineo.*] *Quem* Puteaneus & Arondelianus cum editionibus nonnullis. ignem ſubintellige. pro *paratior* primae editiones & Scriverianus, *potentior.* Mihi diſtichon hoc ſuſpectum eſt. Heinsius. Non tam facile damnare audeo, quicumque negotium faceſſunt verſus. ſed ex veſtigiis codicum legerem:

Aut ego jam ferroque ignique paratior, iſtâ
Quam face ſuſtineo, tecta ſuperba petam.

Hoc ſenſu; ego jam inſtructior (*parati* enim proprie milites armati. ut ad Petron. cap. CXXX. vidimus) iſta face, quam ſuſtineo, petam tecta. Si *quem* retinendum eſt. legerem cum Francio:

Ignique paratior illo, vel, *ipſo*,
Quem face ſuſtineo.

Ut ignem a face diſtinguat, gerit enim ignem in face, ut alii in lucerna. ut Epiſt. II. 120. *Sepulchrali lumina mota face.* & ſupr. II. 11. *Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas.* & Varro apud Non. in *fax. Ignis in face adſertur.* in quibusdam erat, *paratior omni.* in uno, *ferocior omni.* de ferocia vero illa Amatorum, qui excluſi ſecures & faces minabantur, vide Heinſ. Lect. Theocrit. cap. 6. & interpretes ad Horat. III. Od. 26. & alibi, & Noſtrum III. Art. 567. Burmannus.

59. *Nox, & amor, vinumque.*] Ita Livius lib. XXXIX. 8. de initiis turpibus Bacchi: *Quum vinum animos & nox, & mixti feminis mares, aetatis tenerae maioribus diſcrimen omne pudoris exſtinxiſſent.* Ter. Hecyr. I. II. 61. *Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia.* vid. hic Marium.

60. *Illa pudore vacat, Liber, amorque metu.*] Solet Ovidius frequenter, tanquam Philoſophiae minimè imperitus, rei praepoſitae rationem reddere, ut hic nunc facit. Hunc autem locum unà cum

Omnia conſumſi: nec te precibusve minisve
Movimus, ô foribus ſurdior ipſe tuis.
Non te formoſae decuit ſervare puellae
Limina: ſollicito carcere dignus eras.
Jamque pruinoſos molitur Lucifer axes;
Inque ſuum miſeros excitat ales opus.
At tu, non laetis detracta corona capillis,
Dura ſuper totâ limina nocte jace.
Tu dominae, cum te projectam mane videbit,
Temporis abſumti tam male teſtis eris.
Qualiscumque vale, ſentique abeuntis amorem,
Lente, nec admiſſo turpis amante: vale.

Vos

cum nonnullis aliorum auctorum locis illuſtravi libro x. Metamorphoſ. CIOFANUS.

60. *Pudore vacat.*] Solent plerumque cujuſvis ordinis homines nocte, quàm die, eſſe licentioſiores, & ad facinora perpetranda (quoniam ab aliis non adſpiciuntur) paratiores. Idcirco Caeſar, cùm nocte poſſet Corſinium, quòd milites, qui ibi praeſidio erant, ipſi ſe jam dedidiſſent, ingredi noluit. Ejus verba ſunt lib. I. De bello Civili: *Tamen veritus, ne militum introitu, & nocturni temporis licentia, oppidum diriperent, eos, qui venerant, collaudat.* CIOFANUS.

61. *Conſumſi.*] Vid. ad Petron. cap. XXXIII.

62. *Durior.*] Sic eſt in omnibus libris ſcriptis. CIOFANUS. *Surdior* Neapolitanus pro diverſa lectione. eleganter. quomodo & Scriverianus codex. Paulo ante:

Huc ades & ſurdas flamine tunde fores.

Martial. lib. x. Epigr. 13.

Ad nocturna jaces faſtoſae limina moechae:
Et madet heu lacrymis janua ſurda tuis.

Infra Eleg. VIII.

Surda ſit oranti tua janua, laxa ferenti.

Stat. Theb. XII. 200.

Nec ſurda ferae pulſabimus urbis
Limina.

Sic *ſurda ſaxa* lib. III. El. VII.

Surdaque blanditiis ſaxa movere ſuis.

Et *ſurdum fretum. ſurdior freto*, de quo lib. XIV. Metam. 711 fabulâ Iphidis dicemus. ſic ſupra Elegia IV. *ſurdas* puto ſimiliter ſcribendum. *Qua licet ad ſurdas proſequar uſque fores.* nam veterrimus Puteaneus *ſuevas.* Vulgati *ſaevas. duras* tamen fores dicit mox vers. ultimo. & lib. II Eleg. I. 22. & lib. III. Eleg. I. ℣ſ. 53. HEINSIUS. *Es foribus* multi olim editi & Douzae codex. *Ah foribus* Neapolitanus.

63. *Nec te formoſae.*] *Non* ſcripti. HEINSIUS.

64. *Sollicito.*] Francius malebat, *perpetuo.*

66. *Ales.*] Gallus. CIOFANUS.

69. *Cum te projectam.*] Variant codices admodum. Puteaneus, *prolectam. dejectam* Mentelianus & Neapolitanus. ſed nihil muto. II. Faſt. 539.

Tegula projectis ſatis eſt velata coronis.

Noſter Epiſt. XXI. 165.

Projicit ipſa ſua deductas fronte coronas.

BURMANNUS.

71. *Sentique abeuntis amorem*] Non quem erga te ſervum gero, ut commentator exponit, ſed quem erga dominam, cujus gratia totam noctem conſumpſi. MICYLLUS. *Honorem* meliores, & pro *Lente, Lenta.* ut ad dominam haec referantur. ſed initio Elegiae ſimiliter, *Te nimium lentum timeo.* HEINS. Neque Micylli explicatio, neque Heinſii emendatio placet. Criſpinus etiam explicat *percipe, cognoſce.* ſed ſenſus vulgatae lectionis ſatis planus illis, qui Latine ſciunt. tu lente, qui me non audis, viciſſim ſenti gravem amorem, quo ego abiens torqueor, nec potiaris, etiamſi maxime cupias, etiam tua, quam amas. haec eſt vis vocis *ſentire.* ut notavimus jam ſupr. Epiſt. IX. 46. & XII. 17. BURMANNUS.

74. *Duraque conſertae.*] Scripti plerique, ac in his meliores, *conſervae.* Janitoris conſervas vocat fores. ſic ille apud Plautum Aſinaria. Act. II. Sc. III.

Nolo ego fores conſervas meas à te verberarier.

Apud Apulej. ſub finem libri VII. Metam. Aſinus & Equiſo *conſervi* appellantur. Reddenda & Martiali ea vox ex veterrimis membranis lib. IX. Epiſt. 94.

Quae mala ſint domini, quae ſervi commoda neſcis.

Condyle. conſervum te gemis eſſe diu.

Vulgati, *te ſervum.* Cicero lib. XII. Ep. Fam. III. *Dominum ferre non potuimus: conſervo ſervimus.* Neque aliter Plautus, Terentius, alii. ſic & Jurisconſulti ſaepe. apud quos *aedes ſervae, arca ſerva, fundus ſervus* & ſimilia occurrunt. quomodo &

Vos quoque crudeles rigido cum limine poſtes,
Duraque conſervae ligna valete fores.

Noſter paulo ante hâc Elegia *ſervam aquam*, & *ſervam manum* lib. VI. Faſt. 558. & Remed. Amor. vers. 54. *ſervum vitii pectus.* & Horatius I. Epiſt. XIX. 19. *ſervum pecus. ſervae leges* apud Rutilium elegantiſſimo Itinerario, lib. I. 215.

Leges reſtituit, libertatemque reducit;
Et ſervas famulis non ſinit eſſe ſuis.

Sic videtur legendum. HEINSIUS. Hunc Naſonis locum jam ex Plauti illo loco recte emendaverat J. Douza. Plaut. Explanat. lib. I. cap. 6.

ELEGIA VII.

Adde manus in vincla meas, (meruere catenas)
Dum furor omnis abit, ſi quis amicus ades.
Nam furor in dominam temeraria brachia movit.
Flet mea veſanâ laeſa puella manu.
Tunc ego vel caros potui violare parentes:
Saeva vel in ſanctos verbera ferre Deos.
Quid? non & clipei dominus ſeptemplicis Ajax
Stravit deprenſos lata per arva greges?
Et, vindex in matre patris, malus ultor Oreſtes,
Auſus in arcanas poſcere tela Deas?

Ergo

1. *Adde manus.*] Non puellam alloquitur. ut ſtulte quidam arbitrantur, ſed amicum, quicunque adſit. MARIUS.

2. *Omnis abeſt.*] *Dum furor omnis abit*, melius eſt, ut ex vetuſti codicis lectione legatur, *Dum furor omnis abeſt:* hoc dicit, ut per furorem puellam verberaſſe videatur. MARIUS. *Abit* meliores. HEINSIUS. Vel *abit* pro *abiit* legendum cum Douzae codice, ut apud Martial. I. 63.) vel *abeſt* rectum eſt. quia ſi rediret furor, periculum erat, ne iterum in puellam irrueret. infr. Eleg. X. 9. *Nunc timor omnis abeſt.* ubi etiam *abit* codices. BURMANNUS.

2. *Si quis amicus ades.*] Sic omnino legendum (ut in correctiore codice vidimus) non *adeſt.* eſt autem ordo: O tu amice, ſi quis amicus ades, dum omnis furor abeſt, adde manus &c. MARIUS. *Si quis amicus adeſt*, fruſtra multi codices. ita Horat. III. Od. 26. 51.

O Deorum
Si quis haec audis.

Quem vero offendit quaſi rhytmus ille in *abeſt* & *ades*, ille cum Scriveriano non invenuſte legat, *ſi quis amicus erit.* BURMANNUS.

3. *In dominam.*] *In domina* Moreti.

5. *Potui violare.*] Neapolitanus, *laniare.* forte recte: verſu enim 11. *violare* repetitur, ubi eadem varietas. hic vero malim *jugulare.* HEINSIUS. *Penates* etiam Puteaneus. ſed nihil muta. graviſſimum enim hoc crimen, de quo vid. Abraham. ad Ciceron. in Vatin. cap. 5. deinde, *in ſanctos arma movere Deos*, Farneſianus & Douzae codex. rectius vero *parentes*, quam *penates* (qui & ipſi Dii ſunt,) Diis quaſi opponuntur. BURMANNUS.

7. *Quid? non & clypei dominus &c.*] Iratorum vel amentium hominum, quod propoſuit, exemplo illuſtrat. CIOFANUS.

7. *Quid non.*] Lege, *Quid? nonne.* ſic infr. II. X. 112. ex MSS.

Nonne erat in cauſſas una puella ſatis?

Et III. VI. 29.

Quid? nonne Alpheon diverſis currere terris.

Virgil. Eclog. III. ex MS. *Nonne ego te vidi.* vid. inf. Eleg. XII. 21. HEINSIUS.

7. *Clypei ſeptemplicis.*] Vide quae notavi in meis obſervationibus ſub principium lib. XIII. Metamorphoſ. CIOFANUS.

11. *Digeſtos potui violare capillos.*] *Laniare* ſcripti. recte. nam *violare* jam praeceſſerat paulo ante. Ep. Medeae 157.

Vix me continui, quin ſic laniata capillos
Clamarem.

Et ſaepe alibi. HEINSIUS.

13. *Sic formoſa fuit.*] *Sic mihi pulchra fuit* Sarravianus. Forte, *ſic quoque pulchra fuit.* pro *dicam* recte idem Sarravianus, *dicas.* niſi cum Neapolitano & tribus aliis malis, *dicunt.* duo Vaticani, *fama eſt.* HEINSIUS. Si vel unus codex addiceret, Heinſii conjecturam reciperem: elegans enim eſt,

&

Ergo ego digeſtos potui laniare capillos:
Nec dominam motae dedecuere comae?
Sic formoſa fuit; talem Schoeneïda dicunt
Maenalias arcu ſollicitaſſe feras.
Talis perjuri promiſſaque velaque Theſei
Flevit praecipites Creſſa tuliſſe Notos.
Sic, niſi vittatis quod erat, Caſſandra, capillis,
Procubuit templo, caſta Minerva, tuo.
Quis mihi non, Demens, quis non mihi, Barbare, dixit?
Ipſa nihil. pavido lingua retenta metu.
Sed taciti fecere tamen convicia vultus;
Egit me lacrimis, ore ſilente, reum.
Ante meos humeris vellem cecidiſſe lacertos:
Utilius potui parte carere mei.
In mea veſanas habui diſpendia vires:
Et valui poenam fortis in ipſe meam.
Quid mihi vobiſcum, caedis ſcelerumque miniſtrae?
Debita ſacrilegae vincla ſubite manus.
An, ſi pulſaſſem minimum de plebe Quiritem,
Plecterer? in dominam jus mihi majus erit?

Peſſi-

& hoc vellet; licet comae eſſent motae ex ſtatione, & ita deberet deformior videri, tamen ſic quoque pulchra fuit, tanta erat vis formae, ut his non extingueretur, quemadmodum Terentius Phorm. I. II. 58. ait. vid. infr. I. Am. XIV. 21. & III. Art. Am. 265. ubi plura. I. Metam. 527.

Tunc quoque viſa decens.

Francius legebat, *Et formoſa fuit.* BURMANNUS.

13. *Talem Schoeneïda dicam Maenalias arcu ſollicitaſſe feras.*] Duae apud Poëtas memorantur Atalantae: altera venatrix Arcadica, Jaſii filia: altera Boeotica, curſu celebris, filia Schoenei. Sed Ovidius hoc loco confudit nomina, id quod & alibi facit: eamque, quae Jaſii fuit, *Schoeneïda* vocat. De his prolixè annotavimus libro octavo Metamorphoſeos, in venatione apri Calydonii: inde petas, ſi quid amplius voles. MICYLLUS. Vide Heinſ. ad Sabini Epiſt. I. 33.

17. *Sic, niſi vittatis quod erat, Caſſandra, capillis, Procubuit templo caſta Minerva tuo.*] Hac de re praeter alios Q. Smyrnaeus lib. XIV. derelictorum ab Homero CIOFANUS.

19. *Barbare dixit.*] *Dicat* alter Mentelii. niſi *dixet* antique, pro *dixiſſet.* HEINSIUS.

20. *Ipſa nihil*] *Illa* Neapolitan. & Mentelii. & ita volebat Francius.

21. *Fecere tamen.*] *Fecere mihi* Regius codex.

24. *Utilius.*] *Utiliter* meliores. HEINSIUS.

26. *Et potui poenam fortis inire meam.*] *Valui inire* ſeptem ſcripti & codex Douzae. tres, *valui ineſſe. valui iniſſe* undecim. At Puteaneus cum Juniano, *valui in ipſe.* quam veram eſſe lectionem jam monui ad Epiſt. IX. ℣. 96. HEINSIUS. Francius volebat, *In poenam valui fortis & ipſe meam.* elegans vero uſus verbi *valere.* ita *valere in ſcelus* Propert. IV. VII. 68. *Dirae in aliquem valent* Vellej. Paterc. II. 46. *Ne quid eſſet in literis quod valere contra caput atque exiſtimationem poſſet*, Cicer. II. Verr. 71. BURMANNUS.

29. *Minimum de plebe Quiritem.*] Regius & Neapolitanus, *minimâ de plebe.* quod non ſpernendum, niſi quis malit, *media de plebe.* ita Faſt. V. 20.

Auſus de media plebe ſedere Deus.

Triſt. II.

Nec quisquam eſt adeo media de plebe maritus.

HEINSIUS. Veroſimilis Heinſii conjectura, & ita citavit hunc verſum olim Salmaſius obſerv. ad Jus Atticum pag. 267. ubi de hac injuria, quae per verbera infertur, & Graecis ἀικία dicitur, diſputat. ego tamen nihil temere contra codices mutandum eſſe puto, *de plebe* enim ſimpliciter etiam notat abjectam ſortem. VI. Metam. 10.

Sed & haec de plebe, ſuoque
Aequa viro fuerat.

XII. 116.

Miſit in adverſum Lycia de plebe Menoeten.

Notandum vero Marius monuit, *Quiritem* hic in ſingu-

Peſſima Tydides ſcelerum monumenta reliquit.
Ille Deam primus perculit; alter ego.
Sed minus ille nocens. mihi, quam profitebar amari,
Laeſa eſt: Tydides ſaevus in hoſte fuit.
I nunc, magnificos victor molire triumphos;
Cinge comam lauro; votaque redde Jovi:
Quaeque tuos currus, comitatus, turba ſequetur,
Clamet; Iö forti victa puella viro!
Ante eat effuſo triſtis captiva capillo,
Si ſinerent laeſae, candida tota, genae.

Aptius

ſingulari poni, cum pluraliter tantum veteribus uſurpatum fuiſſe *Quirites* notet Schol. Horatii ad illa lib. II. Od. VII.

Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis.

Sed & Noſter III. Amor. XIV. 9.

Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti.

Et paſſim ille & alii. & ita in formula ad exequias vocandi, *Ollus Quiris leto datus eſt. Pulſaſſem* vero proprio in hac re verbo dixit, ut Triſt. v. Eleg. VI. 27.

Nec procul a vero eſt, quod vel pulſârit amicum.

Et nota illa Virgilii VI. Aeneid. 609.

Pulſatusve parens.

Colerus vero Parerg. cap. XXXVI. docuit differentiam inter *pulſare* & *verberare*, quorum hoc gravius, & ideo a Cicerone, *Civem verberare ſcelus* eſſe dicit; quod Noſter ad pulſationem per exaggerationem tranſtulit, cum manus ſuas, *caedis ſcelerisque miniſtras* vocet. ubi *caedes* de verberatione tantum ſumi videtur. vide quae notamus ad Phaedr. lib. II. Fab. 8. & ita paſſim *caedi* & *verberari* virgis dicebantur. vid. Cicer. v. Verr. 62. BURMANNUS.

31. *Scelerum monumenta.*] Francius malebat, *documenta.* nihil opus. amat Noſter illam vocem *monumenta.* vid. lib. I. Metam. 159. IV. 161. & 550. & paſſim, ut & alii. in fine Elegiae *ſigna* vocat. BURMANNUS.

33. *Et minus ille nocens. me quam profitebar amare, Laeſi.*] Lege, *At minus.* aut cum Sarraviano, *Sed.* Deinde Puteaneus, *mihi quam profitebar amari Laeſa ſit.* Lege, *Laeſa eſt.* nam Farneſianus & Douzae liber, *me quam profitebar amare Laeſa eſt.* Arondelianus:

—— *Mihi, quam profitebar amare,*
Laeſa eſt. HEINSIUS.

Tres etiam libri, *ego, quam profitebar amare, Laeſi.*

35. *Victor molire.*] Rectius codex Douzae, *molite.* HEINSIUS. Sed ſequentia *cinge*, & *redde*, aptius eſſe *molire*, docent.

37. *Comitantum turba ſequetur.*] *Comitatus* Puteaneus. per appoſitionem, ut in illis Statii:

—— *Infelix comitatus eunti*
Haerebant nati.

Malim tamen, *comitatrix turba.* nam optimus Palatinus, *comitatur.* Neapolitanus & duo alii, *comitetur.* Junianus, *comitantia.* Arondelianus, *comitatur turba ſequentum.* alii aliter. *ſic mandatrix lingua* Epiſtola Laodamiae. ſic *miratrix turba* Juvenali Sat. IV. 62. & *ſalutatrix turba* Sat. V. 21. & *contemptrix turba pericli* Silio libro XVII. 411. HEINSIUS. Ego mallem:

Quaeque tuos currus comitatur turba, frequenter
Clamet iô. &c.

Vel *comitantur turba, frequentes.* vid. ad Epiſt. XIV. 29. BURMANNUS.

40. *Candida tota.*] *Candida colla* Ald. prior. & Gryph. quod recte rejecerunt Marius & Berſmannus.

41. *Aptius impreſſis fuerat livere labellis.*] Palatinus unus cum uno Vaticano, *erat os livere.* non invenuſte. HEINSIUS.

42. *Et collum blandi.*] *Collo* meliores. HEINSIUS.

46. *Intonuiſſe minas.*] *Manus* Neapolitanus & Junianus. ſed nihil mutandum; niſi reponi placeret:

Nec minimum, rigidas intonuiſſe minas.

Nec minimum, ſubintellige *fuerat.* Silius libro V. 275.

Intonuere minae, violentaque lumina flammis
Exarſere novis. HEINSIUS.

Ad Claudiani Conſ. Olybrii v. 208. tanquam ex Ovidio laudat vir illuſtris, *tonare minas.* ſed *intonare* hic legitur: & recte, licet rarior ſit locutio, *Intonare minas*, pro minaciter & violenter increpare, dici puto; ſed *intonare manus* minime Latine dici poſſe cenſeo. ſic & *minas* & *manus* confuderunt librarii apud Claudian. II. in Rufin. 146.

Liceat Stilichonis iniquas
Evitare minas.

Ut recte Heinſius ex MSS. BURMANNUS.

47. *Deducere.*] *Laniare, diſcindere.* CIOFANUS.

47. *Ora.*] Recte eſt *ora*, tam hic, quam in Metamorphoſ. & decipitur, mea quidem ſententia, Ciofanus, qui Regium deceptum cenſet in hujus

Scrip-

Aptius impreſſis erat os livere labellis,
Et collo blandi dentis habere notam.
Denique, ſi tumidi ritu torrentis agebar,
Caecaque me praedam fecerat ira ſuam;
Nonne ſatis fuerat timidae inclamaſſe puellae,
Nec nimium rigidas intonuiſſe minas?
Aut tunicam ſummâ deducere turpiter orâ
Ad mediam? mediae zona tuliſſet opem.
At nunc ſuſtinui, raptis à fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas.

Adſti-

ſcripturae vindicatione: nam quanti, obſecro, eſt altera illa, quam ipſus nobis ſubſtituere auſus hoc loco *ore*, pro *ora*. Douza.

48. *Ut mediam.*] Scribe cum Puteaneo & tertio Palatino, eodemque optimo, tum & primâ editione:

Aut tunicam ſummâ deducere turpiter orâ
Ad mediam: mediae zona tuliſſet opem.

Atque ita ad Hiſtoriam Auguſtam Salmaſius, Treb. Poll. Trig. Tyran. cap. 30. Noſter lib. VI. Metam. 405.

——— *Dicitur unus*
Fleſſe Pelops, humeroque ſuas ad pectora poſtquam
Deduxit veſtes.

Ita reſtituendum ex duobus ſcriptis. vulgati *à pectore*. Calpurnius Eclog. III. ubi Mopſus narrat ſe verberaſſe amicam:

——— *Protinus ambas*
Deduxi tunicas, & pectora nuda cecidi.

Ita ſcribe. hoc enim *deducere* dicebant. Juvenalis Sat. XIII. 133.

——— *Nemo dolorem*
Fingit in hoc caſu, veſtem deducere ſummam
Contentus.

Ita ſcripti. nam in vulgatis pari modo peccatur. Heinsius. Egregie Heinſius. & ita III. Met. 480.

Dumque dolet ſumma veſtem deduxit ab ora.

Ubi plura Heinſius. ſic quoque Julius Obſequens de Prodigiis capite XXXV. *In agro Stellati filia Pompeji equo inſidens, fulmine icta examinataque; veſtimento deducto, in inguinibus exerta lingua: per inferiores locos, ut ignis ad os emicuerit.* ubi perperam, meo judicio, Schefferus, *veſtimentum deductum* interpretatur ſublatum (quod rectius *detractum* dixiſſet) exutum, cum ſit deductum a ſumma ora. Sed ne ſic quidem locus ſanus eſt, ut Schefferus vidit, qui vehementer in eo aeſtuat. puto reſcribendum, *exanimataque: veſtimentoque deducto, in inguinibus reperta lingua, ut ignis per inferiores locos ab ore emicuerit.* ut ſit ſenſus, fulmine tactum fuiſſe os, ejusque vi linguam intra corpus adactam, & cum, qui aderant tunicam deducerent, ut viderent ubi laeſa eſſet virgo, deprehenderint linguam in inguinibus fumantem, ita ut ignis, qui per os intraverat, per inferiores locos (id eſt pudenda mulieris, vide ad Petron. cap. LXXIX.) emicuerit. ſequentia etiam Obſequentis verba in mendo cubant, ut recte Schefferus animadvertit. ſed reſtituenda hoc modo puto, *quia equo quoque ornamenta diſperſa erant.* illud *quoque* adhaeſerat *equo*, & librarius per compendium ſcripſerat *equoque*. quod cum inconcinnum videretur, *equi* inde effinxerunt librarii. porro *diducere veſtem*, quod olim hic Heinſius, ut ex ora codicis video, probaverat, longe aliud eſt. ut lib. XIII. Metam. 264.

Veſtemque manu diduxit, & haec ſunt
Pectora ait.

Ubi male *deduxit* Heinſius praefert. ſi enim deduxiſſet veſtem, nudum toto corpore ſe oſtendiſſet Ulixes judicibus; ſed *diducta veſte* interiore, cicatrices in pectore oſtentabat. eſt ergo ibi nudare pectus, remoto vel aperto veſtimento, quod an *diducere pectus* quoque notet dubito. Senec. Herc. Oet. 1669.

Mater in luctum furens
Diduxit avidum pectus.

Ubi vetus codex Medicêus habet, *deduxit*. Petron. cap. CXI. *Coepit hortari lugentem, ne perſeveraret in dolore ſupervacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diduceret.* ubi etiam *deduceret* quaedam editiones. ſed recte *diduceret* ibi puto legi: eſt enim nudatum pectus caedere, & laniare, ut in luctu ſolebant. denique perpetua illa inter haec & ſimilia verba differentia obſervanda, ut *diducere* ſeparationem notet, & ita *diducere veſtem* ſit a corpore ſeparare, tunicam aperire, vel fibula aut alio modo conſtrictam laxare. ut II. Metam. 560. *Nodosque manu diducit.* ut ibi legendum. Quinct. II. 11. De Phryne: *Conſpectu corporis, quod diducta tunica nudaverat, putant periculo liberatam.* ubi *deducta* Aldus. male; non enim credibile ſe nudam judicibus exhibuiſſe. *Deducere* vero aliquid ſit, a ſumma parte trahere vel ſcindere. ut II. Faſt. 698. *Tergaque, deducta veſte, notata vident*, id eſt detracta. & ita, *deductas fronte coronas* Epiſt. XXI. 165. capio pro detractas. & *deducere cornua tauri* recte explicuit

Adſtitit illa amens, albo, & ſine ſanguine, vultu,
Caeduntur Pariis qualia ſaxa jugis.
Exanimes artus, & membra trementia vidi;
Ut cum populeas ventilat aura comas:
Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo:
Summave cum tepido ſtringitur unda Noto.
Suſpenſaeque diu lacrimae fluxere per ora,
Qualiter abjectâ de nive manat aqua.
Tunc ego me primum coepi ſentire nocentem.
Sanguis erant lacrimae, quas dabat illa, meus.
Ter tamen ante pedes volui procumbere ſupplex:
Ter formidatas repulit illa manus.

At

Gronov. I. Obſ. 17. Ceterum, hoc quoque loco mallem cum Menteliano, Regio & tribus aliis, *deducere leniter ora*; quod rectius conveniret praecedentibus, *nec nimium rigidas intonuiſſe minas.* & moderatior illa vis tum ſequenti furori aptiſſime opponitur. BURMANNUS.

49. *Raptis.*] Et hic duo Vaticani *ruptis* habent. & ita Gronov. II. Obſ. 21. & Douzae codex. intempeſtive. vid. ad Epiſt. X. 16. Francius, forte tamen *prenſis*, ſcripſiſſe Ovidium conjicit. ita certe loquitur II. Metam. 476. ut Marius notaverat. nihil tamen ſine libris muto. BURMANNUS.

51. *Illa gemens.*] Maffeianus *amens*. placet. CIOFANUS.

51. *Albo ſine ſanguine vultu.*] *Albo & ſine ſanguine* ſcripti potiores. pro *amens*, multi veteres, *gemens*. duo, *demens* Lego, *tremens pavido & ſine ſanguine vultu*. Met. VI. 527. de Philomela:

Illa tremit, velut agna pavens, quae ſaucia cani
Ore excuſſa lupi.

Niſi pro *amens* malis *pavens*. HEINSIUS. *Albo* non movendum, quod comparatio a marmore deſumta requirit. candidiſſimum enim Parium. vid. Delr. ad Senec. Hippol. 798. Sic Epiſt. XXI. 215. cum dixiſſet colorem eſſe ſine ſanguine, addit:

Forma novi talis marmoris eſſe ſolet.

Et ex Valer. Flac. II. 465. oſtendit etiam Dom. Marius. neque etiam *amens* eſt movendum, id eſt *non ſua*, ut alibi dicit, cum mens abiiſſet & conſternata eſſet impetu meo. (recte hic Marius, & nos de hac voce plura ad Valer. Flacc. VII. 631. dicemus.) & mox, *membra trementia* ſequuntur. BURMANNUS.

54. *Ut cum populeas ventilat aura comas.*] Scripſerat, niſi fallor, Naſo:

Ceu ſua populeas ventilat aura comas.

Vide ſimilem locum à me emendatum Remed. Amor. V. 264. HEINSIUS.

55. *Utque levi Zephyro graciles vibrantur ariſtae.*] *Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo* meliores libri. dixi Epiſt. XIV. 39. HEINSIUS.

56. *Summave cum.*] Elegantius unus Moreti & Douzae codex, *ſumma velut tepido*; ſi ſeparatim legas, *ſumma vel ut tepido.*

58. *Objecta de nive.*] Id eſt ſoli oppoſitâ. Sic in Epiſtola Laodamiae 52.

More nivis lachrymae ſole madentis eunt.

In quodam tamen exemplari legitur *Abjecta*. quod, ſi placet, exponas, à Jove in terras projecta: ne, ſi ab hominibus abjectam huc & illuc, diſſipatamque exponas, offendatur puella, cujus faciei nix comparatur. & ita edidit Berſmannus. MARIUS. *Abducta* eſt in uno Moreti. ſed *abjecta* eſt ex coelo in terram *jacta*. ut *jactae nives* Noſtro lib. II. Art. Am. 232. vide infr. ad Eleg. IX. 12. *abjicere* vero eſt in terram projicere. ut Val. Max. I. VII. §. 8. *Mirmillone abjecto, dum jacentem ferire conatur.* & VII. III. §. 2. *Brutus, perinde atque caſu prolapſus, de induſtria ſe abjecit. objecta* edidit Berſmannus. BURMANNUS.

62. *Reppulit.*] Rejecit. Notandum autem eſt, *Repulit* natura corripere primam ſyllabam: ut Medea Ovidiana in Epiſtola ad Jaſonem vers. 165.

Quaeque feros repuli doctis medicatibus ignes.

Sed quandoque, immo ſaepius, Poëtae addunt alterum *p*, & poſitione longam faciunt. Valer. Flaccus libro tertio vers. 228.

Eumenidum canis & ſparſae juba reppulit hydrae.

Idem fit etiam in praeterito *retuli*, & *reperi*. MARIUS. Ita olim perſuaſum Grammaticis, (vid. II. Art. 719.) ſed nunc ſine metu reprehenſionis talia audemus ſimplici *p* edere, ſyllaba illa enim, *re* utrumque modum recipit, etiam non duplicata conſonante. ita *recidi*, non *reccidi*, de quo vid. ad Epiſt. XIV. 46. & Lamb. ad Lucret. I. 857. *reducere* Torrent. ad Horat. II. Sat. III. 190. *replere* Heinſ. ad VII. Met. 628. vide Waſii Senar. pag. 230. BURMANNUS.

63. *Mi-*

At tu ne dubita, (minuet vindicta dolorem)
Protinus in vultus unguibus ire meos.
Nec noſtris oculis, nec noſtris parce capillis.
Quamlibet infirmas adjuvet ira manus.
Neve mei ſceleris tam triſtia ſigna ſuperſint,
Pone recompoſitas in ſtatione comas.

63. *Minuet.*] *Minuit* Excerpta Douzae & Regius. ut ſit gnome. Francof. *Minuit vindicta furorem.* alii, *minuat.*

64. *Protinus in vultus.*] Ita in iisdem libris. CIOFANUS.

66. *Quaslibet infirmas adjuvat ira manus.*] Si *quamlibet infirmas* legeretur, mihi magis placeret pro quantumvis infirmas. MARIUS. Lib. veter. *Quamlibet*, id eſt, quamvis. ſic de Hecuba lib. XIII. Metamorphoſ.

——— *Facit ira potentem.*

Et Euripides:

Αὐτὸς δ' ἐπ' ἐχθροὺς θυμὸς ὁπλίσει χέρα.

Virg. VII. Aeneid.

Quod cuique repertum eſt
Rimanti telum ira facit.

Lege, *Quamlibet* cum melioribus quibusque ſcriptis. de qua locutione egimus Epiſt. VI. verſ. 140. deinde, *adjuvet* ſcribendum cum Neapolitano & tribus aliis. Epiſt. Hypſ. 7.

Quamlibet adverſo ſignetur epiſtola vento.

HEINSIUS.

67. *Triſtia ſigna.*] Heinſius notavit in prima editione legi, *ruſtica ſigna.*

ELEGIA VIII.

EST quaedam: (quicumque volet cognoſcere lenam,
Audiat) eſt quaedam, nomine Dipſas, anus.
Ex re nomen habet. nigri non illa parentem
Memnonis in roſeis ſobria vidit equis.
Illa magas artes, Aeaeaque carmina novit,
Inque caput rapidas arte recurvat aquas.
Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equae.

Cum

Vide ſimilem huic Elegiam Propert. lib. IV. 4. BERSM.

2. *Dipſas.*] Quod Serpentis genus a Luciano in Dipſadibus ſatis deſcriptum. adde Lucan. IX. ỹſ. 610. Eadem ratione *Meroen* anum ebrioſam, dictam lepide argutatur Auſon. Epigr. XX. BURMANNUS

3. *Ex re.*] Liv. XXXVIII. 18. *Duci exercitus per Axylon terram coepit. ab re nomen habet.* Noſter lib. XIII. Metam. 569.

Locus exſtat, & ex re
Nomen habet.

Plura vide collecta a Waſſio ad Salluſt. Jug. 80. BURM.

3. *Nigri Memnonis.*] Sic Virgil. lib. I. Aeneid. 489. *Nigri Memnonis arma.* CIOFANUS.

5. *Illa magas artes, Aeaeaque carmina novit.*] Αἶα, inquit Stephanus, Πόλις Κόλχων, θαλάσσης ἀπέχουσα σάδια τριακόσια, ἣν περιῤῥέουσι ποταμοὶ, Ἵππος καὶ κυάνεος, ποιοῦντες ἀυτὴν χερῤῥόνησον, &c. Hinc igitur *Aeaeus, a, um.* Quare *Aeaea carmina*, non ſolum Circes, quae & ipſa ex Colchis profecta, in Italiam venit: ſed & Medeae incantationes hoc loco accipi poſſunt. Ut autem & haec addamus, putat idem Stephanus, & *Aeetae* nomen ab hac urbe originem traxiſſe. Sed hoc nihil ad rem praeſentem. Fuit & altera *Aea*, Theſſalis, cujus Sophocles alibi meminit his verbis: Ἔξι τὶς Αἶα Θεσσάλων παγκλήϊα, &c. Autor idem Stephanus. MICYLLUS. *Circeaque carmina*, prima editio, Excerpta Puteani & ſex ſcripti. de verbo *noſcere* vide ad Epiſt. VI. 83.

6. *Liquidas.*] *Rapidas* unus Medicêus cum Excerptis Politiani, quod magis ad rem. HEINSIUS. Certe majorem Magae potentiam exprimit. *altra* dixit *flumina* I. Triſt. VII. 1. apud Tibul. I. Eleg. II. 44. dubia eſt ſcriptura:

Fluminis haec rapidi carmine ſiſtit iter.

Ubi *Fulminis* praefert Broukhuſius. ego *fluminis* retineo, propter adjunctam vocem *iter*, quae an fulmini, recte tribuatur aeque dubito. vid. ad Ep. VI.

Cum voluit, toto glomerantur nubila coelo.
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.
Sanguine (si qua fides) stillantia sidera vidi:
Purpureus Lunae sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas vivam volitare per umbras
Suspicor, & pluma corpus anile tegi.
Suspicor; & fama est. oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & gemino lumen ab orbe venit.

Evocat

87. deinde, *arte resistit aquas* codex Douzae, ut hoc verbum active ponatur. Burmannus.

7. *Rhombo.*] In MSS. Glaserii & octo aliis erat, *plumbo*; cujus etiam usus in magicis. vid. 11. Fast. 575. ubi similis varietas & ibi Neapolin. sed de *Rhombo* Martial. IX. 29. & lib. XII. 57. & V. 17. vide etiam Schol. Horat. ad Epod. XVII. & Lucian. in Dialogis Meretriciis Melissae & Bacchidis sub finem. Heinsius. *Plumbo* etiam Douzae codex & Francof. sed nihil mutandum, *torti fili vertiginem* vocat Lucan. VI. 460. plurima quoque de hac voce eruditissimus Jacob. Nicol. Loensis in Miscell. Epiph lib. VII. cap. 23. congessit. & hic etiam Marius. Burmannus.

9. *Cum voluit.*] Ita miseris persuadebant sagae illae. vid. ad Petron. CXXXIV. & ad Remed. 253. *Glomerantur sidera*, duo libri; & mox, *si voluit toto fulget in orbe dies.*

13. *Hanc ego nocturnas visam volitare per umbras Suspicor.*] Sic in altero Maffeian. In altero verò, *versam.* In excusis quibusdam, *vivam*: superior mihi magis probatur. Ciofanus. *Versam* veteres editiones, & quinque scripti cum codice Neapolitano. multi, *visam.* quos inter Jureti & Puteani Excerpta. duo, *vetulam.* Puteaneus, *vetsam.* sed postea *t* in *r* mutato, hoc est *versam.* Opinor *suetam* scribendum. ut & apud Valer. Flaccum lib. IV. 558.

—— Aut vobis ergo fera saxa patescunt,
Aut mea jam suetae veniunt ad pabula dirae.

Vulgati, *saevae.* quae vox ter quaterve eadem pagina occurrit nimis inconcinne. mutari autem hujusmodi veneficae in Striges credebantur. id Noster hoc loco innuit. de Strigibus in Fast. VI. 141.

Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt
Naeniaque in volucres Marsa figurat anus.

Strigas, *mulieres volaticas* Festus & Isidorus in Glossis interpretantur. Heinsius. Nemo, qui strigas esse sibi persuadebat, non eas versas esse credebat, sed plerique existimabant esse umbras mortuarum sagarum vel maleficarum. sed hanc etiam vivam strigem carminibus suis fieri posse, nunc innuit. quare *vivam* retinui; hoc enim difficilius librario in mentem venire potuit, quam *versam*, ut vulgus omne credebat. talis fuit illa Milonis uxor, apud Apulej. lib. II. quae *se nocte in avem plumabat.* per *nocturnas* vero *umbras* hic tenebrae intelligi debent. quamvis rectius *per umbram* dici censeat Pierius ad Virgil. VI. Aeneid. 268. ubi & *per umbras* codices habent. ceterum *suetam volitare*, jam Salmasius citans hunc versum ad Tertul. Pall. pag. 471. exhibuit. Burmannus.

15. *Suspicor & fama est.*] Imitatio Virgiliana. Eclog. IX. 11.

Audieras, & fama fuit. Burmannus.

15. *Pupula duplex.*] Vid. Gell. IX. 4. & Plin. VII. 11. Elmenh. ad Arnob. pag. 63. Ptole. Heph. lib. V. de Candaules uxore, cui erat duplex pupula. & ita forte Fabula lib. VII. Metam. 365. de Telchinibus intelligenda. vid. Brodaeum I. Var. Lect. cap. 37. Heinsius. *Pupulam* pro *pupilla* dici docuit Salmas. ad Capitol. Pertin. cap. XIV.

16. *Geminum lumen ab orbe venit.*] Puteaneus *micat* pro diversa lectione. Dracontius Hexameron 229.

Orbe micant gemino gemmantia lumina visu.

Sil. XI. 340.

Lumenque coruscо
Igne micat, tunc illa viri, quae vertice fundit
Fulmina pertuleris.

Stat. Theb. XI. 340. *Igne micant* oculi ex MS. ubi vulgo *tremunt.* Noster III. Metam. 33.

Igne micant oculi.

VIII. 284.

Sanguine & igne micant oculi.

Et ibid. 356.

Lux micat ex oculis.

Macrob. Sat. VII. cap. 13. *Geminum lumen è pupula, quacumque eam verterit, directa linea emicat.* sed cum illic agat de oculis generaliter, plane assentior Puteaneis membranis & tredecim aliis, *gemino orbe* legentibus. Lactant. de Phoenice:

Ingentes oculi: credas geminos hyacinthos,
Quorum de medio lucida flamma micat.

Metam. VIII. 282. tamen, *Fulmen ab ore venit*, de apro Calydonio. quamvis nec alterum temere rejecerim. Heinsius.

18. *Lon-*

Evocat antiquis proavos atavosque ſepulcris:
Et ſolidam longo carmine findit humum.
Haec ſibi propoſuit thalamos temerare pudicos:
Nec tamen eloquio lingua nocente caret.
Fors me ſermoni teſtem dedit. illa monebat
Talia; me duplices occuluere fores:
Scis here te, mea lux, juveni placuiſſe beato.
Haeſit, & in vultu conſtitit uſque tuo.

Et

18. *Longo.*] *Primo* eſt in Palatino. recte forte, id eſt ſimul ac cantare incipit. niſi *privo* reponendum, id eſt, ſibi proprio. de quo ad IX. Met. 20. & I. Faſt. 113. BURMANNUS.

19. *Thalamos violare pudicos.*] *Temerare* Puteaneus aliique meliores. & recte. Epiſtola Oenones 101.

Ut minor Atridès temerati foedera lecti
Clamat.

Metam. II. 591.

An quae per totam res eſt notiſſima Lesbon,
Ignorata tibi eſt? patrium temeraſſe cubile
Nyctimenen.

Infra lib. II. El. VII.

——— *Cypaſſis*
Objicitur dominae contemeraſſe torum.

Artis Amat. lib. I. 745.

At non Actorides lectum temeravit Achillis.

Sic & *Venerem temerare maritam* Epiſtola Paridis. & *Apollineae temerator matris* Tityos Statio Theb. X. 12. vide quae notamus Pont. lib. II. Eleg. II. ℣. 27. Statius Theb. I. 572.

——— *Servabat nata penates*
Intemerata thoris.

Et libro IX. 613. de Atalanta:

——— *Inviſo quamvis temerata cubili.*

Apud Maronem Aeneidos X. ℣. 389. ex vetuſto codice:

Anhemolum thalamos auſum temerare novercae.

Non *inceſtare* Apulejus Metam. libro I. *Amatorem ſuum, quod vi aliam temeraſſet, mutavit in feram caſtorem.* ubi vide, ne τὸ *feram* ex Gloſſa irrepſerit. HEINSIUS.

21. *Sermoni.*] *Sermonis* Regius Palat. & Moreti. vid. II. Metam. 45. *Movebat* etiam Glaſerii.

22. *Duplices fores.*] Quae duplici tabula conſtabant, dupliciterque aperiebantur. Graecis pari modo δικλίδες. HEINSIUS.

22. *Occuluere.*] *Detinuere* Mentelianus. an *diſtinuere*, ſepararunt ab illis.

23. *Here.*] O domina. *Heram* appellat ipſam puellam, ut ei blandiatur, ac benevolentiam captet. Sic etiam incipit Elegia ad Demophoontem apud Propertium libro ſecundo:

Scis here mî multas pariter placuiſſe puellas.

In quodam tamen manuſcripto exemplari ſcriptum legi, *here* per *e*, non per *a*. quae lectio mihi non diſplicet, ut κατὰ τὸ σιοπώμενον intelligamus, pridie quam ad tentandam puellam acceſſiſſet laena haec, eam viſam fuiſſe à quodam juvene, qui ſtatim illius amore correptus ſit, pro quo nunc haec verba faciat Dipſas. *Here* igitur adverbium eſt, pro *heri*: ut ſtaret verſus. Sed Quintilianus libro primo Inſtitutionum Oratoriarum ait: *Here nunc è litera terminamus, at veterum Comicorum adhuc libris invenio, Heri ad me venit.* Sic etiam Martialis IV. 7.

Cur here quod dederas, hodie puer Hyle negaſti.

Et Juvenalis Satyr. tertia:

Res hodie minor eſt, here quam fuit. MARIUS.

Recte quidem Marius. ſed non opus eſt per *here*, pridie intelligere, cum & longius tempus notet, vid. Heinſ. Lect. Theocr. 6. & pro nuper utatur Tertul. Apol. 4. ſic *cras* etiam de futuro, ut notum. BURMANNUS.

24. *Haeſit, & in vultu conſtitit uſque tuo.*] Simile hoc Illuſtris Douza eſſe notat illis Petronii cap. XXVI. *Et quia conſiderantium haeſerant vultus.* quae tamen ego diverſa eſſe puto. ibi enim *haeſerant* eſt pro cohaeſerant, vicini erant, & per eamdem rimam junctim ſpeculantes. hic agitur de juvene, qui obviam factus puellae, & ejus formam ſtupens conſtiterat, & ut laqueo captus haeſerat, ut recte Marius corrigens priorem explicationem, qua de puella capiebat. & ita frequentiſſime hinc Poëtae Metaphoras ducunt. Noſter III. Art. Am. 543.

Nos facile haeremus.

II. Metam. 409.

Dum redit itque frequens in virgine Nonacrinæ
Haeſit.

Propert. II. Eleg. 2.

Qui nullam tibi dicebas jam poſſe nocere
Haeſiſti, cecidit ſpiritus ille tuus.

Ubi v. de Paſſeratium, *Adhaerere* dixit Quinctilian. Declam. XV. 10. & CCCLVI. BURMANNUS.

Et cui non placeas? nulli tua forma ſecunda eſt.
Me miſeram! dignus corpore cultus abeſt.
Tam felix eſſes, quam formoſiſſima, vellem.
Non ego, te factâ divite, pauper ero.
Stella tibi oppoſiti nocuit contraria Martis.
Mars abiit: ſigno nunc Venus apta ſuo.
Proſit ut adveniens, en adſpice. dives amator
Te cupit, & curae, quid tibi deſit, habet.
Eſt etiam facies, quae ſe tibi comparet, illi:
Si te non emtam vellet, emendus erat.

(Eru-

25. *Et cur non placeas?*] *Cui non placeas* unus Vatic. & Farneſianus. ſic libr. II. El. 4.

Tam doctas quis non poſſit amare manus?

Heinsius. Recte. ita ſaepe; pro omnibus places formâ tuâ. Eleg. praeced.

Quis mihi non demens, quis non mihi, barbare, dixit.

Cicer. III. ad Fam. ult. *Quis ad me non perſcripſit.* id eſt, omnes. Burmannus.

30. *Venus apta tuo.*] Tuum ſignum Venus eſt; hoc eſt tibi propitium. alii codices *ſuo.* Heinsius.

31. *Proſit & adveniens.*] Vetus lectio eſt, *Proſit ut adveniens en aſpice.* ut ſit ordo & ſenſus: O puella. *En*, id eſt, ecce. *Ut*, id eſt, quemadmodum: ſupple, Venus adveniens proſit tibi. *Adveniens.* Dixerat enim ſupra: *Mars abiit.* Cum igitur Mars adverſum ſidus abiiſſet, beneficum Veneris adveniens jam prodeſſe incipit: quod oſtendens, ait: *Dives amator te cupit*, te deperit: cui cura eſt id quod tibi deeſt, id eſt, dignus corpore cultus. Marius. Uterque liber Maffeianus, *Proſit ut.* Ciofanus. *Proſit &* Aldina prior, Gryphii & Berſmanni. ſed male, & recte Marius rejecit. & *ut* explicuit pro *quemadmodum.* non male: aſpice quo modo adveniens ſtella Veneris tibi proſit. ſed forte Lenae, formanti rudem meretriciae artis puellam, convenientius foret legere:

Proſit ut adveniens, en accipe.

Id eſt diſce nunc ex me, qua ratione tibi Venus favens, forma & aetate florenti, poſſit prodeſſe dives cum ſit amator & habeat, quod tibi deſit, ſpoliandus erit, ut in ſequentibus pluribus tradet; illud etiam *curae quid tibi deſit habet*, obſcurum mihi videtur. nam ſi *habet curae quid &c.* conjungas, vereor ut ſatis Latine ſit dictum, cum *habet* ſimpliciter, pro dives eſt, ut millies, poſitum videatur. vid. ad Phaedr. lib. V. Fab. 4. quare forte melius legatur:

Et, cultae quod tibi deſit, habet.

Quod enim eſt in Palatino & Douzae codice. ille habet quod tibi deficit ad cultum, ut ſupra *dignus corpore cultus abeſt.* te vero decet eſſe cultam, non ut incultae Sabinae. vers. 39. & licet pro re tua ſatis culta eſſe videaris, habet ille quod adhuc *cultae accedere poſſit*, ut loquitur II. Amor. V. 37. hae autem voces confuſae etiam IV. Pont. I. 142.

Corporis ad curam vix vacat illa ſui.

Ubi codices alii, *ad cultum.* poſſet & legi:

Et pulchrae quod tibi deſit, habet.

Niſi hic *curam* pro cultu quoque capiamus. Burm.

33. *Quae ſe tibi comparet.*] *Qua* malebat Francius. nihil opus.

35. *Erubuit.*] Hoc recte a Poëta dici notat Marius. & ideo parentheſi includendum hoc vocabulum. nam *decet* iterum eſt lenae ſermo. praeterea, *decet alba quidem rubor ora* Palatinus. non male, ut oppoſitio ſit inter *alba* & *ruborem.* Burman.

37. *Spectabis.*] Si *ſpectaris* pro ſpectaveris per Syncopen ſubjunctive legeretur, mihi magis placeret: ſed nullibi id reperimus. non igitur eſt temere immutandum. Spectare autem gremium dejectis oculis, modeſtiae eſt & pudoris. quod Didoni etiam Maro dedit, dicens:

Tum breviter Dido vultum demiſſa profatur.

Hanc modeſtiam & pudorem conatur lena ſumma ope à corde puellae removere, ut facilius quod intendit, ei poſſit perſuadere. Nam pudor eſt hoſtis Cupidinis, ut ſupra dixit Naſo. Et Cicero optime dixit: *Cuſtos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudesque maxime conſequens, verecundia eſt.* Marius. Fortaſſe *ſpectaris* rectius. Naugerius. *Spectabis* libri veteres. bene. infr. 93. *Cum tibi deficient.* Ciofanus.

38. *Quantum quisque ferat.*] Tantum, inquit, unusquiſque reſpiciendus eſt, quantum afferat nummorum & emolumenti. Poteſt & hic ordo & ſenſus horum carminum eſſe, & fortaſſe non illepidus, ut dicat Dipſas: O puella, cum bene perſpexeris, quantum nummorum afferat tibi quisque, id eſt, amator tuus Naſo, & alii, ſi qui ſunt (minimum enim afferunt) hic dives amator erit à te reſpiciendus, quia longe largiora munera faciet. Nec improprie dixit:

Cum

(Erubuit,) decet alba quidem pudor ora: ſed iſte,
Si ſimules, prodeſt: verus obeſſe ſolet.
Cum bene dejectis gremium ſpectaris ocellis,
Quantum quisque ferat, reſpiciendus erit:
Forſitan immundae, Tatio regnante, Sabinae
Noluerint habiles pluribus eſſe viris.
Nunc Mars externis animos exercet in armis:
At Venus Aeneae regnat in urbe ſui.
Ludite formoſae. caſta eſt, quam nemo rogavit:
Aut, ſi ruſticitas non vetat, ipſa rogat

Has

Cum bene ſpectabis gremium, quantum quisque ferat.

Nam amatores ſolebant coitus precium & munera in amicae gremio ponere: ad quod alludens Naſo, inferius dicet, Elegia decima hujus primi Amorum:

Quid puerum Veneris pretio proſtare jubetis?
Quo pretium condat, non habet ille ſinum. MARIUS.

Marii prima expoſitio, tantum reſpiciendus erit unusquiſque, quantum ferat, dubito an procedat. in Juniano eſt, *inſpiciendus.* forte:

Cum bene dejectis gremio ſpectaris ocellis
Quantum quiſque ferat; reſpiciendus erit.

Ut dicat, non prius blandis oculis eſſe amatorem reſpiciendum, niſi ſimulato pudore, oculosque gremio dejiciens, limis ſpectaveris, quantum tibi afferat, ne gratis ullus amoris gradus conſtet: *Gremio dejectis ocellis* dictum ut Ep. XXI. 113.

Luminaque in gremio, veluti defixa, tenebam.

Et Epiſt. XI. 35.

Erubui gremioque pudor dejecit ocellos.

Si vulgatam retinere placet, *gremium* pro ſinu, in quo pecuniam ferebant, capiendum eſt. BURMANNUS.

39. *Forſitan incultae Tatio regnante Sabinae.*] *Immundae* meliores libri. & recte. ſic *mundus muliebris.* ἀκόσμους puellas dicit Lucretius lib. IV. 1155.

Nigra melichrus eſt, immunda ac foetida acoſmos.

Cicero lib. IX. ad Atticum Epiſt. 10. *Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immundae, inſulſae, indecorae. immunda humus* ſaepe apud Noſtrum. *immundum vellus* & *immundus caper*, & *immunda manus* Art. Am. & *immundus torus* Remed. Amor. *immunda hara* Epiſt. prima. *immunda hiſtoria* Triſt. II. 416. *immundus pulvis* Faſt. IV. 238. & 108.

Venerunt cultus mundaque cura ſui.

Et lib. III 668.

Pauper, ſed mundae ſedulitatis, anus.

Ita in optimis libris locus uterque ſcribitur. & *munda roſa* IV. Eleg VIII 40. *munda verba* pro nitidis dixit Arte Amat. lib. III. 479. infra El. X.

Et puer eſt & mundus Amor, ſine ſordibus annos
Et nullas veſtes, ut ſit apertus, habet.

Quomodo & illic liber optimus. apud Propertium IV. Eleg. II. 38.

Mundus demiſſis inſtitor in tunicis.

Et *mundus Menander* apud eundem IV. Eleg. V. 43. Senec. II. Contr. 7. *In tantum ornata ut ne immunda eſſet.* Apulej. de Fotide Metam. II. *Ipſa linea tunica mundule amicta.* HEINS. Vide Gifan. Indi. Lucr. in *acoſmos.* Douzae *incultae* placebat, & explicabat ex illis Medic. Fac. V. 11.

Forſitan antiquae, Tatio ſub rege, Sabinae
Maluerint, quam ſe, rura paterna coli.

Et alluſum ad illud Plautinum Aſin. V. II. 24.

Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.

Neſcio an tam ingenioſe nequam eſſe voluerit hic Naſo. BURMANNUS.

40. *Habiles.*] Haberi a pluribus viris. Terent. Andr. I. 1. *Quis heri habuit Chryſidem?* Cicer. IX. Epiſt. ult. *Habere eum Laida.* Graeci ſimiliter τὸ ἔχειν uſurpant. BERSMAN. Nimis hoc ſubtile. *Habilis viris* dictum, ut infr. Eleg. IX. 3. *Aetas bello habilis.* & ita paſſim. BURMANNUS.

42. *Et Venus.*] *At Venus* meliores, rectius. HEINSIUS.

43. *Ludunt formoſae.*] *Ludite formoſae* Sarravianus cum uno Moreti & Scriveriano. placet. Arte Amat. III. 62.

Dum licet, & veros etiam nunc editis annos,
Ludite.

Lib. II. 389.

Ludite, ſed furto celetur culpa modeſto.

Infra. Eleg. X.

Parcite, formoſae, pretium pro nocte paciſci.

Tale illud Scipionis apud Frontin. lib. I. Strat. cap. 12. *Ludite, inquit, milites. Africam oppreſſi.* quod male ſollicitant. ita & Faſtor. II. 198. ex MSS.

Sumite gentiles arma profeſſa manus.

Et III. 818.

Diſcite jam plenas exonerare colos.

HEINSIUS.

45. *Has*

Has quoque, quas frontis rugas in vertice portas,
Excute: de rugis crimina multa cadent.
Penelope juvenum vires tentabat in arcu:
Qui latus argueret, corneus arcus erat.
Labitur occulte, fallitque volubilis aetas:
Ut celer admiſſis labitur amnis aquis.
Aera nitent uſu: veſtis bona quaerit haberi:
Caneſcunt turpi tecta relicta ſitu.
Forma, niſi admittas, nullo exercente feneſcit:
Nec ſatis effectûs unus & alter habent.

Cer-

45. *Has quoque quas.*] Nusquam aliter. ego aliud hic deſidero. NAUGERIUS. Non *frontis vertice* conſtruendum, ut Commentator facit: ſed *frontis rugas.* ut ſit: Has quoque rugas frontis, quas portas, vertice excute, &c. Alludit autem ad ſeverum vultum puellae, averſantis dicta lenae. MICYLLUS. Jure in hoc loco haeſit Naugerius. ulcus enim ſubeſſe certum eſt. & Marius pro *frontis*, mallet *naſi* exſtare in MSS. dubito vero an Latine dicatur, *excutere rugas frontis*, pro diffundere vultum, & a tetrico ad blandum transferre. Quid? ſi minima mutatione legamus;

Has quoque, quae frontis rugas in vertice portant,
Excute. de rugis crimina multa cadent.

Hoc ſenſu. Examina quaeſo has tetricas & rugoſa fronte matronas, quae caſtitatem ficta ſeveritate prae ſe ferunt, videbis ex illis ipſis rugis, ſub quibus nunc latent, prodire crimina multa: *excutere* enim eſt examinare. ut II. Art. 627.

Scilicet excutias omnes ubicumque puellas.

Vid. ad Petron. cap. LXXXVIII. & luſus eſt in duplici ſignificatione verbi *excutere.* ſic enim excutimus & matronas, & ipſas rugas frontis, ut veſtes excutimus, ne in rugis quid pulveris aut ſordis haereat, ſed inde cadat. I. Art. 150.

In gremium pulvis ſi forte puellae
Deciderit, digitis excutiendus erit.

Vide ad eumdem Petron. cap. CXXVIII. recte etiam Micyllus *frontis rugas*, non *frontis vertice*, eſſe capiendum, notat I. Artis 240.

Tum dolor, & curae, rugaque frontis abit.
III. Triſt. VII. 34.
Rugaque in antiqua fronte ſenilis erit.

Et hunc puto eſſe Poëtae ſenſum. nam lena jam praecepta ſua exemplis Penelopes, caſtiſſimae ſcilicet Matronae, illuſtrabit. in Francofurtenſi erat quoque, *pro rugis crimina multa cadent.* BURM.

49. *Labitur occulte, fallitque volatilis aetas, Et celer admiſſis labitur annus equis.*] Hanc eandem ſententiam expreſſit extremo lib. VI. Faſt. 771.

Tempora labuntur, tacitisque feneſcimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies. CIOFANUS.

In Regio & duobus aliis, *volubilis.* quae eadem diverſitas obſervatur lib. X. Metam. 519. ubi idem verſus a Noſtro refertur. neque forte male. ut maneat in comparatione ab aqua & flumine, quae familiaris Noſtro & aliis, ut ab Heinſio adducta exempla probant. & hoc etiam verbum *labi*, quod de aqua proprie dicitur, docet. ſic Horat. I. Epiſt. II. 42.

Ruſticus exſpectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis aevum.

Et ita *aquas volubiles* idem Flaccus IV. Od. I. 40. vid. infr. ad lib. II. Eleg. XVI. 9. & ita *labi* & *volvi* de aetate a ſcribis permutata fuiſſe, apparet ex III. Art. 65. BURMANNUS.

50. *Et celer admiſſis labitur annus equis.*] Optime codex Sarravianus:

Ut celer admiſſis labitur amnis aquis.

Lib. III. Artis Amat. 62.

Ludite: eunt anni more fluentis aquae.

Lib. XV. Metam. 179.

Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen.

Admiſſas aquas pro citatis quoque dixit. Epiſtola Phyllidis 114.

Et ſacer admiſſas exigit Hebrus aquas. HEINSIUS.

51. *Aera nitent uſu.*] Haec quatuor carmina nullum habent ordinem in ſenſu dignum Naſonis ingenio. Hinc ego facilè crediderim transpoſita eſſe. qui error latè increbuit in antiquorum libris: ſaepenumero enim videmus, carmina quae ſequi debent, librariorum inſcitia eſſe praepoſita. Id praeſertim in Lucretio deprehenditur, ſi bene ipſius libri excutiantur. Hoc igitur ordine ab Ovidio relicta haec carmina exiſtimaverim:

Forma, niſi admittas, nullo exercente feneſcit:
Caneſcunt turpi tecta relicta ſitu.
Aera nitent uſu, veſtis bona quaerit haberi:
Nec ſatis effectûs unus & alter habent.

Senſus autem erit. formam eſſe exercendam, multos admittendo amatores, & frequenter. Nam & aera uſu ſplendent. Aliter feneſcere, & turpiorem fieri: ſicuti etiam aedes ipſae, quando ab hominibus non habitantur, carie & pedore, ac ſitu, & aranearum telis obſitae turpeſcunt. DOM. MARIUS.

Mihi

Certior e multis, nec tam invidiosa rapina est.
Plena venit canis de grege praeda lupis.
Ecce, quid iste tuus praeter nova carmina vates
Donat? amatoris millia multa leges.
Ipse Deus vatum, pallâ spectabilis aureâ,
Tractat inauratae consona fila lyrae.
Qui dabit, ille tibi magno sit major Homero.
Crede mihi; res est ingeniosa, dare.
Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus,
Despice, gypsati crimen inane pedis.

Nec

Mihi omnia bene se habere videntur, & satis cohaerere: primo enim ea conjungit, cum quibus comparat formam, ut aëra, vestem, & domum, deinde formam etiam sponte senescere, si non exerceatur, neque ad eam exercendam unum aut alterum sufficere, sed plures esse admittendos. Burm.

51. *Vestis bona quaerit haberi.*] Adverte locutionis genus, quae locutio hoc habet in sensu: Bona & honesta vestis habenda quoque est tibi. aut, Oportet te habere bonam vestem. Et est muliebris loquendi modus. Potes per synecdochen *Vestes* numero plurativo intelligere: ut, *Armato milite complent.* quod magis placet. Sunt enim circa corporis cultum ambitiosae admodum foeminae. Hinc frequentissimè corruptae sui copiam amatoribus faciunt. Dom. Marius. *Quaerit haberi*, non est id quod Comment. autumat, quòd bona vestis sit puellae habenda: sed eodem pertinet, quò ceterae similitudines. ut sit sensus: Quòd nisi veste bona utaris, à tineis & mottis corrodetur: quemadmodum aes rubigine, domus situ pereunt; est enim hic *haberi* in usu esse, tractari &c. Micyll. Recte Micyllus: est enim *haberi* hic idem, quod gestari, ut docuit proprie dici Salmasius ad Tertull. Pall. pag. 250. Terent. Eun. iv. 28. Burm.

53. *Nullo exercente.*] Imitatus est Stat. i. Silv. ii. 165.

Veniet jam tristior aetas,
Exerce formam, & fugientibus utere donis.

Et uterque celebre dictum Catonis ante oculos habuit. quod servavit Gellius lib. xi. cap. 2. *Vita humana prope uti ferrum est; si exerceas, conteritur. si non exerceas, tamen rubigo interficit. item homines exercendo videmus conteri, si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitio.* sic solent nequitiarum magistri & magistrae gravia sapientum dicta, ad efficienda ea, quae libido suadet, adhibere. *Senescit* vero hic est situm & squalorem contrahit, etsi non annis gravetur, ut passim *senium* & *senescere* occurrit. Moreti unus habebat, *peribit. Admittas* fere hic positum, notante Douza, pro *juvenes admittas*; ut equi & tauri *admitti* dicuntur. Burmannus.

54. *Nec satis effectus.*] Hoc est, pauci aliqui non sufficiunt ad hoc efficiendum, de quo modo dictum est. estque genitivi casus *effectus*, qui ab adverbio *satis* dependit. non accusativus, ut somniavit interpres. Micyl. *Alter habet*, Editiones priscae ut & Bersmanni. ut Ter. Andr. i. i. *Accessit amans unus & item alter.* vid. ad lib. ii. Amor. ix. 22.

55. *E multis.*] *In multis* Regius. ita Epist. xiii. 76. quidam codices:

Hostibus in mediis nupta petenda viro est.

Vid. i. Art. Am. 344. Burmannus.

57. *Iste tuus.*] Per contemtum. vid. ad Petron. cap. ix. Claud. i. Ruf. 371.

Jam poenas tuus iste dabit.

Ubi vid. Barth. Burmannus.

58. *Amatoris millia multa leges.*] Non capio sensum horum verborum. nam durum esset, *carminum* subintelligere, ut Marius facit. *Amatorum* Junii. & ita conjecerat Francius. *Carmina multa* prima editio, & Palatinus. si liceret, vellem refingere:

Amatores millia multa ferant.

Quid quaeso iste tuus vates donat praeter carmina? sed quid inde tibi lucri? Amatores non ferant carmina, sed multa millia nummorum. certe in vulgatis nulla est sententia; etsi Ampl. Cuperus vellet, *Amatoris millia multa leges*, capere pro colliges multa millia ab amatore & cupido. sed dubito an procedat ex ratione Latini sermonis. Burm.

59. *Ipse Deus vatum.*] In Palatino erat, *Deus vates.* nec invenuste. passim enim *vates* dicitur Apollo. *Delius vates* Virgilio vi. 12. ὑπερφίτης Graecis. vid. Schol. Sophocl. Oed. 157. Noster ii. Art. Am. 496.

Vates ille videndus agit.

Et Epist. xxi. 235. *Hoc Deus & vates.* ubi Micyllus capit pro Apolline. & Remed. 75. in pluribus editionibus antiquis, & codicibus:

Te precor, ô vates, adsit tua Laurea nobis.

Vid. Heins. ad Val. Flac. ii. 419. Burmannus.

59. *Spectabilis aurea.*] Synaeresis in verbo *aurea*. Ciofanus. Vid. ii. Art. 494.

61. *Qui dabit.*] In hujus pessimae Lenae sententiam multa scribit Philematium Eumuso amatori suo, apud Aristaenetum lib. i. Ep. xiv. Burmannus.

65 Nec te decipiant veteres quinquatria cerae. *
Tolle tuos tecum, pauper amator, avos.
Quid? quia pulcher erit, poſcet ſine munere noctem?
Quod det, amatorem flagitet ante ſuum.

Parcius

63. *Capitis mercede.*] Intelligit ſervum, qui ſuis nummis ſe in libertatem vindicavit, & Domino ſolvit tantum pretium, quanti valeret, ſi venditus fuiſſet. Senec. Epiſt. 80. *Peculium ſuum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* & talis eſt ille apud Petron. cap. LXXV. *Qui pretium ſibi de diariis fecit.* ubi plura notavimus. BURMAN.

64. *Deſpice gypſati nomen inane pedis.*] In altero Maffeiano, & in ora lib. Vaticani, *crimen inane.* vere. CIOFANUS.

64. *Gypſati.*] Venalium enim trans mare advectorum pedes creta notabant ſeu gypſo. Plin. XXXV. 17. & 18. Tibul. III. El. 3. Juvenal. Sat. 1. BERSMAN.

64. *Crimen inane pedis.*] Alii, *nomen.* utramque lectionem Puteaneus agnoſcit. tam haec, quam illa arridet. alibi:

Nomen amicitia eſt, nomen inane fides.
III. Am. VIII. 24.

Ad rigidas canto nomen inane fores.
Ut quidam codices. Horat. 1. Epiſt. XVII.

Virtus nomen inane eſt. HEINSIUS.
Diſtinguendum vero puto poſt, *deſpice.*

65. *Veteris quinquatria cerae.*] Nihil hic ea dictio, *quinquatria*, ſignificat; fortaſſe, ut in quibusdam, *quinque atria* legendum. ut maxime nobilis ſignificetur is, cujus majorum imagines vel quinque compleant atria. NAUGERIUS. *Quinquatria.* Sic in omnibus exemplarib. tam impreſſis, quam manuſcriptis, quae quidem mihi videre contigit, legitur: ſed quid ſignificet in hoc loco *Quinquatria*, non video. Hinc ego (ut elucidior eſſet ſenſus) ex ea una dictione duas faciens, *Quanquam atria*, corrigerem. licet hoc etiam audacter fieret: ut nobiliſſimus is amator oſtendatur, cujus majorum cereae imagines adeo innumerae ſint, ut eas non anguſtiora loca, ſed atria continere poſſint. Quidam emendant, *Quinque atria*, ut ſit numerus finitus pro infinito. quorum ſententia aliis fortaſſe placebit, mihi vero diſplicet. Nonnulli audacter nimium, *Plena atria*, legunt. MARIUS. *Nec te decipiant veteris quinquatria cerae.* Ita quidem in omnibus editionibus, quae extant, legitur: ac ſenſus quidem planus eſt. Nec te, inquit, decipiant nobiles, qui veteres ceras, hoc eſt, majorum imagines oſtentant & jactant, &c. Id enim hoc loco *Cerae* ſignificant. ut & apud Juvenalem, ubi ait:

Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica virtus, &c.

Nam ex cera effigies ac ſtatuas parentum atque avorum formabant, quas in atriis ſuis nobiles ponebant. de qua re Commentator. Ceterum quo pacto, aut unde verbum *Quinquatria* huc irrepſerit, aut quid idem hoc loco ſignificet, quaeſtio eſt. Nam aliàs *Quinquatria*, feſta Minervae dicuntur, quae menſe Martio per quinque dies celebrabantur. Ac ſunt qui putent, oſtentationem aliquam, aut pompam imaginum, in hoc feſto fieri ſolitam fuiſſe: & ideo per Metalepſin, feſti nomen, pro rebus, quae in ipſo celebrabantur, poſitum eſſe. Sed haec autoritate carent. Alii igitur quidam ipſum nomen corrigentes, diviſis vocibus legunt *Quinque atria.* q. d. multa atria, certo numero pro incerto poſito. ut ſit ſenſus, Nec te decipiant atria multa veteris cerae: hoc eſt, ſi quis multarum familiarum nobilitate clarus eſt. Alii rurſum pro *Quinque*, *Plena* ſubſtituerunt. ut ſit: Nec te decipiant atria plena imaginum, &c. quae lectio tolerabilior, niſi quòd à voce *Quinque* nimis recedit. Quòd ſi igitur & mihi divinare liceat, legerim:

Nec te decipiant veteris quicquam atria cerae.

Ut ſit ordo: Nec te quicquam decipiant atria cerae veteris, &c. Nam & ſententia hoc modo plana redditur, & facilis tranſitus fuit ex *Quicquam & atria*, in *Quinquatria*, *&c.* Sed tamen ſuum cuique judicium relinquatur. MICYLLUS. Aſſentior Paganino, qui XXIV. ann. ante me natum, rectè legendum putavit, *Quinque atria*; immo verò eam ipſam lectionem ſe in quibusdam lib. vidiſſe ait. Igitur, quin ita prorſus legendum ſit, dubitari non oportet. Addit haec, ut maximè nobilis ſignificetur is, cujus majorum imagines vel quinque compleant atria. Cujus quidem Paganini judicium comprobat hic Noſter lib. 1. Faſt.

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras.

Et Propertius lib. 1. Eleg. IV.

Nec tibi nobilitas poterit ſuccurrere amanti,
Neſcit amor priſcis cedere imaginibus.

Confirmat & Valerius lib. V. cap. IIX. ubi ita eſt de T. Manlio Torquato: *Videbat enim ſe in eo atrio conſediſſe, in quo illius imperioſi Torquati ſeveritate conſpicua imago poſita erat: prudentiſſimoque viro ſuccurrebat effigies majorum cum titulis ſuis, idcirco in prima aedium parte poni ſolere, ut eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur.* CIOFANUS. *Veteris quinquatria cerae* conſtanter ſcripti: niſi quod *veteres cerae* in Puteanaeo. unde minima mutatione ſcribebam, *quin atria.* quin nec te decipiant atria veteris cerae. vel, *veteris ſinito atria cerae.* Videntur ad hunc locum reſpexiſſe Juvenalis VIII. 19. illa:

Tota licet veteres exornent atria cerae.

Poſſis

Parcius exigito pretium, dum retia tendis,
Ne fugiant. captos legibus ure tuis.
Nec nocuit ſimulatus amor. ſine credat amari:
Sed cave, ne gratis hic tibi conſtet amor.

Saepe

Poſſis etiam:

Nec te decipiant veteres circum atria cerae.

Ut a Puteaneo libro minimum abeamus. Fontem erroris refer ad *quirqua* vel *quirqu*, quomodo primo exaratum fuiſſe, eliſa ob ſequentem vocalem ultima ſyllaba, videtur. *quirqua* vel *quirqu*, pro *circa* vel *circum*. ut *quivis* pro *civis*, & ſimilia paſſim in veterum monumentis. apud Noſtrum Arte Amatoria *quave* pro *cave*. *Circum atria*, ut Aeneidos ſeptimo 378.

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exerceat.

Certe illud *quinquatria* non eſt nauci, quamquam erroris inveterati. Gaſpar Barthius Adverſariorum libro x. cap. XXVII. illud temere amplectendum eſt ratus, cum in gloſſis ineditis Fauſti Romani inveniſſet; *Quinquatria porticus eſt quinque ambulacrorum.* & apud Papiam, *Quinquatria quinque porticorum ambitus.* & ideo, *nec te decipiat* contendit legendum. Sed decepit gloſſographos illos aeque ac Barthium ipſum locus hic Naſonis non nuper mendoſus. in *atriis* enim, non in porticibus, imagines nobilitatis Romanae diſponebantur. nec felicius alii ad natalem Naſonis alludi arbitrantur, qui incidebat in *quinquatrus.* qua ſignificatione *quinquatria* Latinum non eſt. Nec ſane tam ad ipſum Naſonem referendus hic locus, quam ad alios quoscumque primariae nobilitatis viros. Naſo enim, etſi antiquae nobilitatis, tamen equeſtri loco natus, an jus habuerit prodendi majorum imagines in atriis, jure in dubium vocari poteſt. Stat tamen pro vulgata ſcriptura, eamque non paucis illuſtrat Andreas Querneus Egregiorum libello. Lipſius in Electis lib. I. cap. XXIX. caſtigabat, *veteri cincta atria cera.* Ludovicus Orleantius ad Taciti lib. II. Annal. audacter profecto:

Nec te decipiant qua cingunt atria cerae.

Mihi aliquando veniebat in mentem, *veteri juncta atria cera*, pro continuata, plena, ut alii loquuntur. HEINS. Demſterus ad Roſin. Antiq. lib. I. cap. 13. Lipſii conjecturam non improbabilem putat, recte refellens correctionem Naugerii, *Quinque Atria.* Naugerii, tacito ejus nomine, conjecturam ſibi vindicat Marcilius ad Perſ. Sat. III. ſed abſurde: nam *quinque* atria fuiſſe uni domui, quis umquam legit? ineptiſſimam vero rationem addit Marcilius, quia ut unius gentis familiae, ita & partita imaginum atria. ſed cur ergo quinque praecipue atria elegit Poëta? an, quia amator hujus puellae ex gente, quae in quinque familias erat diviſa, & ideo quinque atria cum imaginibus habebat? Nugae germanae. codex Douzae, *veteris quinquennia cerae.* id eſt, ut ille addit, *imagines cereae.* mihi Heinſii conjectura maxime adhuc arridet, ſi pro *circum*, *circa* cum Scriverio legas, *veteres circa atria cerae.* nam *circa* pro *circum* etiam obtinuiſſe videas. vid. Munker. ad Hygin. Fab. VI. *veteres* autem *ceras* dixit, ut *aes vetuſtum* Claud. Conſ. Olybr. 18. ex aere enim aeque, atque ex cera fuiſſe has imagines docet ibi Barthius. ſimilis huic loco I. Faſt. I. 591. *Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras. Circa* autem *atria*, pro in atriis, vel in maxime conſpicua atrii parte. ut in Epigrammate inter Catul. Pith. pag. 33. titulo de Tranquillitate vitae:

Quod tua mille domus ſolidas habet alta columnas,
Quod tua marmorea janua poſte nitet;
Aurea quod ſummo ſplendent laquearia tecto,
Imum cruſta tegit quod pretioſa ſolum;
Atria quod circa dives tenet omnia cultus,
Hoc animos tollit nempe, Beate, tuos.

Ubi ex conjectura Heinſii in quarto verſu reposuimus *ſolum*, quum in vulgatis inepte *locum* legatur. & ultimo verſu ex Pithaei nota, *Beate.* quamvis & nomen proprium latere poſſit. forte *Fabate* vel ſimile, nam *Batate* vulgo legitur. *Batave* autem ſubſtituendi nulla eſt ſpecies. longe enim ab illo eleganti luxu aberant Majores noſtri, neque hoc Romani illis umquam exprobrarunt, ſed ruſticitatem, & bonarum rerum ignorantiam. BURMANNUS.

67. *Quid? quia.*] *Quin* Puteaneus cum duobus aliis. verſus, ni fallor, mendoſus. forte:

Nec, quia pulcher erit, poſcat ſine munere noctem.

HEINSIUS. Ego cum Regio codice lego:

Quid? quia pulcher erit, poſcet ſine munere noctem?

Quamvis & vulgata poteſt ſtare. tranſit enim ad aliud amatorum genus, antea de nobilibus egerat, nunc ad eos, qui forma ſibi placent, & ideo ſe ſine munere admitti debere contendunt. hunc impudicum prius ab amatore ſuo debere auferre, quod amicae deinde ſuae det, monet. forma ipſi ſit utilis apud amatorem, non apud te. de illo *Quid?* quod millies occurrit, vid. ad Petron. 26. BURMANNUS.

70. *Ne fugiant, captos legibus ure tuis.*] Videtur reſcribendum:

Ne fugiat, captum legibus ure ſuis.

Superiora agunt de pulchro amatore: quo etiam haec ſunt referenda. *ſuis legibus.* ut Ep. V. 134.

Et poteras falli legibus ipſe tuis.

Epiſt. VI. 154.

——— *Leges ſanciat ipſe ſuas.*

Saepe nega noctes. capitis modo finge dolorem:
Et modo quae cauſſas praebeat, Iſis erit.
Mox recipe; ut nullum patiendi colligat uſum,
Neve relenteſcat ſaepe repulſus amor.
Surda ſit oranti tua janua, laxa ferenti.
Audiat excluſi verba receptus amans.
Et, quaſi laeſa prior, nonnumquam iraſcere laeſo.
Vaneſcat culpâ culpa repenſa tuâ.
Sed numquam dederis ſpatioſum tempus in iram;
Saepe ſimultates ira morata facit.
Quin etiam diſcant oculi lacrimare coacti:
Et faciant udas illa vel illa genas.
Nec, ſi quem falles, tu perjurare timeto.
Commodat illuſis numina ſurda Venus.
Servus, & ad partes ſollers ancilla parentur;
Qui doceant, apte quid tibi poſſit emi.

Et

Valer. Flaccus de Amyco IV. 753.

—— *Lege quod occidit ultus*
Ipſe ſua. HEINSIUS.

Cum conſtans ſit lectio *tuis*, retinui. ure pro arbitrio tuo, legibus, quas ipſa dices rapacitati tuae, ut leno apud Terent. Phorm. III. 2. *Mea lege utar.* eadem eſt ratio in *jure tuo*, & *ſuo. Ignibus ure tuis.* duo Moreti & unus Palatinus. BURMANNUS.

70. *Ure ſuis.*] Ter. in Eunuch. *Uro hominem.* CIOFANUS.

71. *Sine credat amari.*] In nonnullis, *ſe credat amari.* NAUGERIUS. In quodam exemplari non *ſine* legitur, ſed, *ſe credat amari*; utrumque bene. MARIUS.

72. *Et cave.*] *Sed cave* recte prima editio. Neapolitanus, *ſed fuge.* quod jam praeceſſerat. HEINSIUS.

73. *Nega noctem.*] *Noctes* ſcripti. HEINSIUS. *Dolores* etiam unus Moreti.

74. *Iſis erit.*] *Iſis eat* Sarravii codex.

79. *Laeſa prius.*] *Prior* meliores. HEINS. Recte; ita apud Terent. Prolog. Eunuch. *Quia laeſit prior.* ut in Bembino & Vaticano repperit Faërnus. ſupra Epiſt. XII. 72.

Orſus es inſidò ſic prior ore loqui.

Ubi ſimiliter *prius* in MSS. ut & IV. Metam. 112. *Nec prior huc veni.* ſic & alibi. Francof. vero, *& quaſi laeſa fores.* poſſet & legi mutata diſtinctione:

Et, quaſi laeſa, prior nonnumquam iraſcere laeſo. BURMANNUS.

80. *Vaneſcat culpâ culpa repulſa tuâ.*] Puteaneus & Arondelianus:

Vaneſcat culpâ culpa repenſa tuâ.

Recte, niſi quod *ſuâ* legendum. Multum eſſe Naſonem in eâ locutione jam alibi monuimus, niſi *culpa nova* cum Sarraviano malis. ut Remedio Amoris 484.

Et prior eſt culpâ culpa repulſa novâ.

Codex Jureti, *repreſſa.* ſed *repenſa* bene habet. Artis Amat. II. 677.

Illae munditiis amorum damna rependunt.

Quem locum male Gebhardus ſollicitavit. Virgilius Aeneid. lib. I. 239.

Hoc equidem occaſum Trojae triſtesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.

Propert. IV. Eleg. IV.

Sin minus: at raptae ne ſint impune Sabinae,
Me rape: & alterna lege repende vices.

HEINSIUS. De verbo *rependere* vide ad Phaedr. Prolog. lib. II. & de ejus derivato *repenſare* ad Vellej. Paterc. II. 12. ſed tamen *repulſa*, niſi praeceſſiſſet, non damnarem. vid. ad I. Metam. 759. BURMAN.

82. *Morata facit.*] *Dedit* Neapolitanus. idem mox, *lacrimare decenter.*

84. *Et faciant udas ille vel ille genas.*] *Illa vel illa* ſeptem codices. finge ex Zelotypiâ te plorare. Huc pertinet Elegia VII. lib. II. HEINSIUS. *Faciam madidas* unus Moreti. Marius, *ille vel ille*, de amatore aliquo capit.

85. *Si quem fallas.*] *Falles* meliores. & pro *tu perjurare* forte, *huic.* HEINSIUS. *Perjurare* antique & Plautino modo pro *pejerare* dictum notavit Douza. vid. Lambin. ad Horat. II. Sat. III. 127.

86. *Commodat illuſis.*] *In luſus* iidem. Neapolitanus, *in ludos. Commodat* pro *accommodat.* HEINS. Vid. ad Petron. cap. CXI.

87. *Servus & ad partes ſollers ancilla parentur.*] *Ad partes*, pro, ad ſocietatem, dixit: hoc eſt, qui tuas partes agant ac tueantur. Perinde ut dicimus: Cicero ſecutus eſt partes Pompeji, Curio

partes

Et ſibi pauca rogent: multi ſi pauca rogabunt,
Poſtmodo de ſtipulâ grandis acervus erit.
Et ſoror, & mater, nutrix quoque carpat amantem.
Fit cito per multas praeda petita manus.
Cum te deficient poſcendi munera cauſſae,
Natalem libo teſtificare tuum.
Ne ſecurus amet, nullo rivale, caveto.
Non bene, ſi tollas proelia, durat amor.
Ille viri toto videat veſtigia lecto;
Factaque laſcivis livida colla notis.
Munera praecipue videat, quae miſerit alter.
Si tibi nil dederit, Sacra roganda via eſt.
Cum multa abſtuleris, ut non tamen omnia donet;
Quod numquam reddas, commodet usque roga.
Lingua juvet, mentemque tegat. blandire, noceque.
Impia ſub dulci melle venena latent.

Haec

partes Caeſaris, &c. MICYLLUS. Male. neque melius Marius, ut quidquid ab amatoribus extorſerint, tecum partiantur. *ad partes ſollers*, id eſt qui apte poteſt partes illas agere, ut Hiſtrio ſibi in ſcena datas partes docte & ſollerter agit. Liv. III. 10. *Fabulam compoſitam Volſci belli, Hernicos ad partes paratos.* Varro II. de R. R. 5. *Narra iſti eadem, qui ſermones ſint habiti, & quid reliqui ſit, ut ad partes paratus veniat. ad partes venire* Eleg. de Nuce 68. *ad partes vocare* Juvenal. IV. Sat. 1. & Varro II. de R. R. 9. & hoc ſequentia ſuadent, *qui doceant.* BURMANNUS.

89. *Multos ſi pauca rogabunt.*] Legitur etiam, *multi ſi pauca rogabunt*, quae fortaſſe verior lectio. NAUGERIUS. In MS. codice *multi* legitur, & ſic ab Ovidio relictum exiſtimaverim. dicit enim inferius, *Et ſoror & mater, nutrix quoque &c.* MARIUS. *Multos* cum iisdem codicibus ſcribendum. HEINSIUS.

93. *Cum tibi deficient.*] *Cum te* alter Maffeian. & ſic Cicero. vide quae alibi notavi. CIOFANUS. *Te deficient* iidem recte. ſic enim optimo illo ſaeculo loquebantur. Metam. II. 382.

——*Qualis cum deficit orbem*
Eſſe ſolet.

Lib. IX. 566.

——*Linguam defecerat humor.*

Faſt. III. 665.

Jam quoque, quem ſecum tulerant, defecerat illos
Victus.

Triſt. V. El. XIII.

Utque ſolebamus conſumere longa loquendo
Tempora, ſermonem deficiente die.

Ita iſtis locis veterrimi codices agnoſcunt. vide Notas Metam. II. ℣ſ. 382. & Faſt. III. ℣ſ. 665. Apud Silium quoque lib. VIII. ℣ſ. 653. ſcribendum opinor:

Jam ſtragis acervos
Deficiunt campi.

Cicero Divinat. cap. 16. *Verum, ut ad te, Caecili, redeam, quam multa te deficiant vides.* HEINSIUS. Cicer. IV. Ep. VI. *Solatia me deficiunt.* & ita millies ille & alii.

94. *Teſtificare tuum.*] *Teſtificare diem* Moreti & Neapolit. forte recte. vide hic Marium.

95. *Ne ſecurus.*] *Nec ſecurus* Francof. & quatuor alii, & ita Berſmannus edidit. idem quoque Francof. *duret amor.*

97. *Ille viri toto.*] *Alterius videat toto* tres libri. *Certo lecto* Junianus. *Viri* non movendum. vid. ad Eleg. V. 12.

100. *Sacra via.*] Hujus viae mentio eſt apud Horatium lib. I. & Satyr. IX. apud Ciceronem ad Attic. Ep. & lib. III. & infrà lib. II. De arte 266. CIOFANUS.

101. *Ut non tamen.*] Forte, *ne non tamen.* Metam. IX. 734.

Ne non tamen omnia Crete
Monſtra ferat. HEINSIUS.

Quò alludit Puteaneus, qui a manu ſecunda habebat, *nemo ut tamen.* Francius volebat, *ut ne tamen.*

102. *Commodet ille, roga.*] *Ipſa* conſtanter meliores. quidam, *ipſe.* duo, *uſque.* quod arridet. HEINSIUS.

103. *Blandire noceque.*] *Nocentem* Palatinus. *nocenti* duo alii. *neceſſe eſt* unus. forte, *blandire nocendo.* HEINSIUS. Forte, *blandire voveque.*

104. *Impia.*] Dira, ſaeva, quibus impii homines utuntur in veneficiis. Poſſumus, hic de melle

Haec ſi praeſtiteris, uſu mihi cognita longo;
Nec tulerint voces ventus & aura meas;
Saepe mihi dices vivae bene: ſaepe rogabis,
Ut mea defunctae molliter oſſa cubent.
Vox erat in curſu, cum me mea prodidit umbra.
At noſtrae vix ſe continuere manus,
Quin albam raramque comam, lacrimoſaque vino
Lumina, rugoſas diſtraherentque genas.
Dî tibi dent nullosque lares, inopemque ſenectam;
Et longas hiemes, perpetuamque ſitim.

arte venenato intelligere: quod magis placet. Sunt tamen & mella natura venenata: quorum *ſigna ſunt* (ut ſcribit Plin. lib. 21.) *quod omnino non denſantur, quod color magis rutilus eſt, odor alienus, ſternutamenta protinus movent, quod ponderoſiora innoxiis ſunt.* De hoc Naſo inferius ſic ait: *Melle ſub infami Corſica miſit apis.* Marius. Francius malebat, *improba*, vel *noxia.*

107. *Saepe mihi dices, vivas bene.*] *Vivae bene* Puteaneus, & à manu primâ Sarravianus. rectè. Triſt. v. El. ix.

Nec tibi ceſſaret doctus bene dicere lector.

Pro vulgata eſt illud in Catal. Pithaei pag. 134. *Vive bene viator.* Heinsius.

109. *Nox erat in curſu.*] Si *Nox* legatur, ut eſt paſſim in exemplaribus, nullus conveniens ſenſus elici poterit: omnino igitur, ut in correcto codice ſcriptum eſt; *Vox* legendum arbitror. ut ſit ſenſus. Adhuc loquebatur Dipſas; cum mei corporis umbra me prodente, ſenſit me poſt bifores latuiſſe. Marius. *Vox* Maffeian. placet. Ciofanus. Male quidam editi & ſcripti, *Nox erat in curſu.* Faſt. v. 245. *Vox erat in curſu.* vid. Epiſt. v. 21. & vi. 39. Confuſa vero haec vocabula, *nox* & *vox* vidimus ad Epiſt. iii. 116. Burmannus.

112. *Diſtraheremque genas.*] *Diſtraherentque* Puteaneus cum aliis quibusdam. de manibus ſuis loquitur. Heinsius. *Deſtrueremque* Mentelii. quod elegans, & omnibus, quae praecedunt, accommodari poteſt; ſed *deſtruerentque* legerem. vid. ad Epiſt. x. 46. & 120. Burmannus.

113. *Dî tibi dent nullosque lares.*] *Nudosque* quinque ſcripti. Heinsius. *Nullos lares*, quod omnes ante Heinſium editi tuentur, & optimi codices habent, revocavi. *nudi* enim *lares* an rectè dicantur valde dubito. voces vero illae facile commutantur. ut i. Triſt. v. 12.

Sub nulla poſitum cernere poſſit humo.

Ubi Scaliger, *nuda* vid. & ad Quinctil. Decl. vi. 12. & ccxii. ſed praeterea in his imprecationibus ſollemne eſt, paupertati jungere exſilium & errorem, fugam, incertas ſedes, & ſimilia: id vero idem eſt atque hic *nulli lares*; alias hic bis idem diceret. Epiſt. vi. 162.

Erret inops, exſpes, caede cruenta ſua.

Epiſt. xiv. 114.

Cum ſene nos inopi turba vagamur inops.

Horat. ii. Epiſt. ii. 50.

Deciſis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris & fundi, paupertas impulit audax.

Virgil. Ceiri 331.

Atque aliquos tamen eſſe velis tibi, alumna, penates.

Saluſt. Catil. 20. *Illos binas, aut amplius, domos continuare, nobis larem familiarem nuſquam ullum eſſe.* Senec. Med. 20. *Per urbes erret ignotas, egens, exſul, pavens, inviſus, incerti laris.* Curt. v. 12. *Sine pignore, ſine lare, terrarum orbis exſulem.* ſic contra *certus & proprius lar* in fauſta apprecatione. Senec. Med. 478.

Per ſpes tuorum liberûm, & certum larem.

Horat. ii. Sat. vi. 66.

Ante larem proprium veſcor.

Non male etiam Regius explicat, ut nullas aedes habeat, ſed in porticibus & angiportis cibum mendicet. Burmannus.

114. *Et longas.*] *Per* Farneſianus: puto, *fer.* Heinsius. *Continuas hyemes* codex Douzae. ſed illud *per* elegans mihi videtur, ut errorem per longas hyemes, quibus intolerabiliores ſunt, & inopem ſenectam per perpetuam ſitim imprecetur, quo anui multibibae nullum gravius tormentum excogitari poſſit. Burmannus.

ELEGIA IX.

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido:
Attice, crede mihi; militat omnis amans.
Quae bello eſt habilis, Veneri quoque convenit, aetas.
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.
Quos petiere duces annos in milite forti,
Hos petit in ſocio bella puella toro.
Pervigilant ambo: terrâ requieſcit uterque.
Ille fores dominae ſervat, at ille ducis.

Militis

1. *Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido.*] Venuſtiſſimam militis & amantis haec Elegia collationem continet. CIOFANUS. *Sua tela Cupido* Palatinus tertius.

2. *Attice.*] Hunc eumdem eſſe, ad quem Ovidius Epiſtolas ex Ponto lib. II. 4. & 7. miſit, cenſet Marius, neque habeo, quo id impugnem, licet mihi de hoc Attico parum conſtet. ſed ſtuporem, & temporis omnis Romani ignorantiam, qua ſe Criſpinus, editor Naſonis in uſum Delphini, nobilitavit, mirari ſatis non poſſum, qui hunc eſſe T. Pomponium Atticum, Ciceroni familiariſſimum, confidenter affirmat, quaedam etiam ex Mario ad verbum deſcribens, eumque *cum Naſone ſeria ludicraque omnia conferre ſolitum fuiſſe*, quae Ovidius lib. II. Pont. IV. 9. habet. ſed Marius ne verbum quidem de T. Pomponio. neque tam indoctus erat, ut neſciret Pomponium Atticum obiiſſe Cn. Domitio C. Soſio Coſſ. teſte Nepote vita Attic. cap. ult. id eſt A. U. C. DCCXXI. vel DCCXXII. quo tempore Ovidius undecimum fere annum agebat. & oportet illum Atticum Criſpini longaevum fuiſſe, ſi ad annum U. C. DCCLXVI. vitam protraxerit, & ita ad annos LXXVII., quos anno U. C. DCCXXI. impleverat, addiderit adhuc XLV. annos: tot enim ſunt uſque ad A. U. C. DCCLXVI., quo librum ſecundum ex Ponto Naſonem emiſiſſe accuratiſſimus & rationis temporum peritiſſimus Maſſonius evincit: obiit ergo ille Atticus, ex Criſpini ſententia, anno aetatis centeſimo & vigeſimo ſecundo. Vides quam doctos & laborioſos interpretes ambitioſis iſtis editionibus Pariſienſibus praefecerint Studiorum Principis juventutis Gallicae rectores. nos fateri non pudet, hunc Atticum quis, qualisve fuerit, ignorare. Nam Pomponium reliquiſſe ſibi cognominem filium non legi, cujus filia unica Attica a Nepote memoratur. BURMANNUS.

3. *Habilis.*] Vellej. Paterc. II. 110. *Ducenta peditum armis habilia.* vid. Eleg. praecedenti vers. 40. pro *convenit* Scriverii *congruit*, quod placet Terent. Phor. IV. 5. *Mulier mulieri magis congruit.* & hanc quoque lectionem in ſuis codicibus Marius invenit. BURMANNUS.

6. *In ſocio bella puella viro.*] *Toro* lege cum melioribus libris. Amor. III. El. VI.

Dicitur & ſocii jura dediſſe tori.

Art. I. 566.

Atque erit in ſocii foemina parte tori.

Lib. II. 377.

Socii deprenſâ pellice lecti.

Oenones Epiſtola, *ſociati foedera lecti.* & *ſocialia jura* III. Am. XI. 45. alibi. & *ſocialis torus* Faſt. II. 726. & *ſocialia ſacra* pro nuptiis Epiſt. XXI. 155. & *ſociare cubilia* Epiſt. Briſeïdis. & IV. Triſt. ult. 43. ex MS. *ſocii anni.* I. Art. 153. *ſocius ſermo.* II. Art. 360. *ſocius ſinus.* V. Faſt. 496. *ſociae viae.* VI. 73. *ſocium templum.* IV. Pont. IV. 24. *ſocius menſis.* vid. ad Epiſt. V. 126. ſimiliter peccatum erat Epiſtola Herus XIX. ỳſ. 100. ubi vide Notas. HEINSIUS. Berſmannus ex ſuis notat legi, *in ſocio tori*, quod etiam defendi poſſet: ſed *ſocio toro* tamen magis arridet. ſic apud Statium I. Theb. 130. *Sociisque comes diſcordia regnis.* ubi vix accedere poſſum Gronovio legenti, *regni*, propter Lucani locum I. 92. *Nulla fides regni ſociis*: ibi enim etiam *regnis* libenter legerem, niſi tres voces in *is* exeuntes me continerent. qualia a Poëtis cum ſtudioſe vitata ſint, ubicumque aures non admittunt. In hoc quoque verſu offendit me concurſus ille ejusdem ſoni, *bella puella.* Nam Ovidius tota hac operum ſuorum parte, qua de amoribus & puellis agit, numquam, quod ſciam, hoc epitheto utitur. quare praeferrem, quod in duobus libris exſtat, *pulchra puella*; ut illa opponatur *militi forti*, apud Tibullum tamen lib. III. Eleg. IV. 52. *bella puella* eſt, & Martial. I. 65. & II. 86. deinde eleganter, *hos petis*, codex Francofurtenſis. BURM.

7. *Pervigilant.*] Legitur etiam in MSS. *Evigilant.* MARIUS. *Invigilant* Palatin. alter. ſed nihil eſt immutandum.

8. *At ille.*] *At iſte* Rectius nonnulli. HEINSIUS.

Immo

Militis, officium longa eſt via. mitte puellam;
Strenuus, exemto fine, ſequetur amans.
Ibit in adverſos montes, duplicataque nimbo
Flumina: congeſtas exteret ille nives.
Nec freta preſſurus tumidos cauſſabitur Euros;
Aptave verrendis ſidera quaeret aquis.

Quis,

Immo rectius editiones priores, & Puteaneus codex alter, *ille*. vide ad II. Epiſt. v. ult. *Ut iſte* malebat Francius.

II. *Ibit in adverſos.*] Dubitaverat aliquando Heinſius, an *averſos* praeferret. ſed auctoritatem codicum ſecutus vulgatam mutare non auſus eſt. vide Cl. Graevii notas ad Flor. II. 12. & recte: millies enim Poëtae montes, flumina & alia loca *adverſa* vocant, ad quae iter intenditur, quae quaſi nobis obvia veniunt. adſcripſerat Douza locum Juvenalis Sat. v. 77.

— Per montem adverſum, gelidasque cucurri
Eſquilias.

Plerumque vero librarii hanc vocem cum *averſus* commutarunt. in maxima copia paucis locis, quae de montibus agunt, defungemur. Lucan. IV. 38.

Adverſoque acies in monte ſupina
Haeret.

Ubi & quinque codices, *averſo*. Claudian. II. Rapt. 18.

Triſida Neptunus cuſpide montes
Impulit adverſos.

Stat. lib. v. 357.

Adverſo riſit Gradivus in Haemo.

XII. 134.

Ipſa per adverſos ducit Saturnia colles.

Ubi *averſos* codices habent; & ita Lutatium legiſſe patet, qui *avia itinera* interpretatur. Eleg. in Druſum 220.

Et vox adverſis collibus icta redit.

Valer. Flac. I. 492.

Dum ſaeva relictis
Mater in adverſo catulis venatur Amano.

Ubi male Aldus, *averſo*. Liv. II. 31. *Perpulere, ut forte temere in adverſos montes agmen erigeret.* & ita ut hic *adverſos* montes, ita *oppoſitum* dixit III. Amor. VI. 7. ubi male *appoſitus* Heinſius. vid. ad Epiſt. VI. 26. Burmannus.

12. *Congeſtas conteret ille nives.*] Manuſcripti quidam codices habent, *conjectas exteret*. Marius. *Exteret* meliores. ut apud Statium Theb. X. 473.

— Gravis exterit artus Ungula.

Phaedrus lib. I. Fab. XXI.

— Aſinus ut vidit ferum
Impune laedi, calcibus frontem exterit.

Ubi male ſcripti, *extudit*. Plinius lib. XVIII. cap. VII. *In area exteruntur triticum, & ſiligo & hordeum.* & cap. XXX. *Meſſis alibi in area greſſibus equarum exteritur.* Apulejus Metam. IV. *Jam claudus & titubans ungulis extritis rivulum prope inſiſto.* & lib. VIII. *Vaenui fruſtra ſubjiciemus, & vetulum & extritis ungulis debilem.* D. Paullinus carmine ad Cytherium:

Qui veſte trita navigator venerat,
Pedes viator exterit.

Schol. Juvenal. Satyr. VI. 225. *Flammea conterit; Saepe nubendo exterit. Frumenta exterere* pro terere, Columell. lib. II. cap. IX. & cap. XXI. *Poſſunt ſpicae per hiemem vel baculis excudi, vel exteri pecudibus.* Lucret. *validis extritus viribus ignis.* vidit quoque veram in Naſone ſcripturam perſpicaciſſimus Gronovius in Obſervationibus. Gratius ex veteri codice Pithaei 87.

Lineaque extritis lucent anconibus arma.

Ubi tamen *expoſitis* liber Thuaneus. eodem ſenſu *perterere* Apulejus exemplo Plauti & Columellae dixit lib. III. Mileſ. VIII. *Quid miſeros homines & laborioſos viatores tam crudelibus animis invaditis, ac perteritis, atque obruitis.* ita prima editio: nonnulli *perterretis*. vulgati, *invaditis atque obteritis*. deinde *conjectas nives* Jureti Excerpta cum tribus aliis. unus, *confertas*. duo, *confectas*. *conjectas* ſequor. ſic alibi *nivem jactam* non uno loco dixit. ſupra Eleg. VII.

Qualiter abjecta de nive manat aqua.

Triſt. III. Eleg. X. 58.

——— Nix injecta ſub Arcto.

Artis Amat. II. 232.

Via per jactas candida facta nives. Heinsius.

De voce *exterere* vide Barth. ad Stat. X. Theb. 472. & Gronov. ad Senec. de brevit. vitae cap. 13. *conjectus* vero & *congeſtus* paſſim permutantur a librariis, ut docuit jam olim Giphan. Indic. Lucret. in *geminus*. & verba, quae ille ibi laudat, Virgilii Eclog. I. 69. leguntur. apud Priſcianum hoc modo:

Pauperis & tuguri conjectum ceſpite culmen.

Cum ſit legendum, ut recte judicat, *congeſtum*. idque apparet ex imitatione Lucani lib. IX. 945.

Surgere congeſto non culta mapalia culmo.

Apud quem eodem modo variant codices lib. II. 160.

Colla ducum pilo trepidam geſtata per urbem,
Et medio congeſta foro.

Ubi

Quis, niſi vel miles, vel amans, & frigora noctis,
Et denſo mixtas perferet imbre nives?
Mittitur infeſtos alter ſpeculator in hoſtes:
In rivale oculos alter, ut hoſte, tenet.
Ille graves urbes, hic durae limen amicae
Obſidet: hic portas frangit, at ille fores.

Saepe

Ubi MSS. plurimi, *conjecta.* apud Claudianum quoque eadem diverſitas. 1. Rapt. 4.

Mens congeſta jubet.

Ubi quidam, *conjecta*, alii, *concuſſa.* & Conſ. Olybr. 106.

Clauſtraque congeſtis ſcopulis duriſſima tendunt.

Ita in ultima editione Heinſii, ſed in priore, *conjectis.* apud Noſtrum quoque idem admiſiſſe librarios aliquoties animadverti. ut 1. Metam. 153.

Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes.

VII. 160.

Congeſtaque flammâ
Tura liqueſiunt.

In utroque loco codices alii, *conjecta. confertas* hic habet Palatinus unus. ſed *congeſtas* mallem, id eſt denſas, conſtipatas, altas, in quibus exterendis maximus labor. ſic mox ℣ſ. 16. in altero Menteliano erat, *Et denſas mixto perferet imbre nives.* ſic *congeſtae matres* apud Stat. III. 53. quae denſo agmine & frequentes erant. BURMANNUS.

13. *Preſſuras.*] Omnino *preſſurus* legendum eſt. id eſt navigaturus puellae cauſſa. MARIUS. *Preſſuras* quis legerit, aut quis codex exhibuerit neſcio, credo fuiſſe *preſſuros*, ut ad *Euros* referatur. an vero *premere freta* pro navigare, aeque recte dicatur atque *tellurem premere* II. Amor. IX. 31. & *Alpes premere*, ut II. XVI. 19. & *viam* Claud. Bel. Get. 341. ubi vid. Heinſ. dubito. in uno Moreti erat *pulſurus*, quod de remis recte dici notum eſt; & τῷ *verrendis* apte ſatis reſponderet. Francius conjecerat, *fiſſurus.* ego mallem, ſi quid novandum videtur, *paſſurus*, quod ipſum verbum pericula & difficultatem navigationis exprimit. Valer. Flac. VII. 490.

Tunc ait, Aeſonidem quidquam te velle relicta
Credis, & ulla pati ſine te loca.

Stat. II. Theb. 296.

Ceu numquam Scyria paſſus
Litora.

Sed optime huc facit locus Valerii Flacci, ſed foede corruptus lib. V. 197.

Tot freta, tot dure properantia ſidera paſſis
Phrixe fave.

Quem aliquando pleniori luce perfundemus. nunc egendum eſſe monemus:

Tot freta, tot, duce te, properantia ſidera paſſis
Phrixe fave.

Tu Phrixe, qui ante nos hoc iter emenſus es, quem ego ducem ſequor, fave. & ita *pati* ſaepe de navigatione. ut idem Val. libro eodem v. 544.

Et ceu nihil aequore paſſis
Additus iſte dies.

Ovid. XII. Metam. 38.

Multaque perpeſſae Phrygia potiuntur arena.

Et ita mox ſubjungit, *perferre nives.* quae duo verba *pati* & *perferre* ſaepe juncta legimus. Horat. I. Epiſt. XV. 17.

Rure meo poſſum quidvis perferre patique.

Terent. And. I. I. 35. *Sic vita erat, facile omnes perferre ac pati.* ſic *patiens.* vid. ad IV. Metam. 260. BURMANNUS.

13. *Tumidos cauſſabitur Euros.*] *Tumidas cauſſabitur undas* tres libri.

14. *Aptaque verendis ſidera quaeret aquis.*] *Verrendis* probe Sarravianus cum duobus aliis. tres alii *verendis.* Catullus LXIV. 7.

Caerula verrentes abiegnis aequora palmis.

Ennius lib. XIV. Annal.

Verrunt extemplo placide mare marmore flavo.

Virgilius lib. III. 207.

——*Nautae*
Adnixi torquent ſpumas, & caerula verrunt.

Et lib. V. 778.

Certatim ſocii feriunt mare, & aequora verrunt.

Et III. 668.

Verrimus & proni certantibus aequora remis.

Lib. VI. 320.

——*Illi remis vada livida verrunt.*

Sic & apud Valer. Flac. VIII. 325. legendum:

Verrentes imum pariter mare.

Quae vulgo inſulſe leguntur. Noſter III. Faſt. 591.

Imoque a gurgite pontus
Verritur.

Ut ibi MSS. XI. Metam. 499.

Et modo cum fulvas ex imo verrit arenas.

Ubi vid. HEINSIUS. Malim etiam cum Berſmannianis *Aptave.* vid. ad Epiſt. II. 90.

18. *In rivale.*] *In rivali* Junii & Regius cum multis editis. vid. ad Epiſt. VI. 26.

19. *Graves urbes.*] Male hic Marius explicat, in quibus expugnandis multum laborant milites, vel in quarum obſidione major ineſt gravitas, quam in amatoria. ſed *graves* ſunt vicinis noxiae & imminentes. ut Flor. I. 3. *Albanos gravem Populum* dicit. & ita Juſtinus & alii centies. mox Regius *dirae.* BURMANNUS.

Saepe ſoporatos invadere profuit hoſtes;
Caedere & armatâ vulgus inerme manu.
Sic fera Threïcii ceciderunt agmina Rheſi:
Et dominum capti deſeruiſtis equi.
Saepe maritorum ſomnis utuntur amantes;
Et ſua ſopitis hoſtibus arma movent.
Cuſtodum tranſire manus, vigilumque catervas,
Militis, & miſeri ſemper amantis opus.
Mars dubius, nec certa Venus; victique reſurgunt:
Quosque neges umquam poſſe jacere, cadunt.
Ergo deſidiam quicumque vocavit amorem,
Deſinat. ingenii eſt experientis amor.
Ardet in abductâ Briſeïde magnus Achilles.
Dum licet, Argolicas frangite Troës opes.

Hector

24. *Capti.*] Codex Douzae, *rapti.*

25. *Nempe.*] *Saepe* pro diverſa lectione Sarravianus. quod arridet. ſic paulo ante. HEINSIUS. Vid. Epiſt. xx. 110.

26. *Et ſua &c. movent.*] Unus Heinſii liber, *Saevaque ſopitis. Et ſua ſopitis hoſtibus arma nocent*, Sarravii & Moreti. quod multo planiorem facit ſenſum; hoſtes nempe ſopitos ſuis armis occidi. admodum ſudat Marius in explicandis illis *ſuis armis.* ſed *ſua arma*, ſunt poſita circum dormientes, quibus in ipſos uti licet, qui eos opprimunt. Exemplum praebebit hiſtoria ſacra lib. 1. Samuel. xxvi. ℣ſ. 7. ita etiam Diana dormit, *Jaculis circum undique fixis*, apud Stat. iv. Theb. 432. & lib. ii. Metam. 419. & viros militares arma in lectis habuiſſe docet Cerda ad Virgil. vii. Aeneid. 460. BURMANNUS.

27. *Tranſire.*] Proprium in hac re verbum. Tacit. xiv. Am. 44. *Num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet; lumen inferret &c. omnibus neſciis? Tranſire oculos* habebat Francofurtenſis. non invenuſte. BURMANNUS.

30. *Poſſe jacere, cadunt.*] *Jacent*, non invenuſta repetitione. HEINSIUS.

31. *Quicumque vocabit.*] Omnino *Vocavit* legendum eſt, ut in manuſcripto codice reperimus: ſequitur enim, *Deſinat*: nec aliquem deſinere dicimus, niſi qui jam coeperit aliquid facere. MARIUS. Rectius in quibusdam, *vocavit.* NAUGERIUS. Lib. Maffeianus, *vocavit.* placet. Reſpondet enim cuidam, qui amorem deſidiam eſſe dixerat. CIOFAN. *Vocabat* Puteaneus & quatuor alii. Forte, *vocarat.* tres, *vocavit.* forte, *vocarit.* HEINSIUS.

32. *Deſinat.*] Marius refert ad aliquem, qui vocaverat amorem deſidiam, cujus a ſententia hic praeter morem diſcedit Criſpinus, perpetuus ejus compilator, explicans, deſinat amare, quicumque vocabit amorem deſidiam. ſed acutius vidiſſe Marium credimus. Haec enim Elegia ſcripta videtur ideo ad Atticum, quia ille auctore quodam, magno forte & laudabili viro, amorem calumniatus erat. ab hac ſententia Atticum deducere conatur Poëta. & ideo initio dixit, *crede mihi*, non illi, cujus tu auctoritatem ſequeris. neque etiam argumentatio illa procedit, is qui amorem vocat deſidiam, ab amore deſiſtat, quia eſt amor ingenii experientis. Stultum fuiſſe oportet Naſonem, quia ita argumentaretur: debuiſſet dicere, deſiſtat ab amore, & res agat, vel caſtra ſequatur, ne otii poſſet accuſari. ſed egregie inter ſe cohaerent omnia, ſi ita capiamus; deſinat ille calumniari, nam amor minime deſidioſi, ſed experientis omnia, ut in bello decet, ingenii eſt. hoc probat exemplis ſummorum ducum, qui minime ingenio ſegni fuerunt, & tamen amori operam dederunt. BURMANNUS.

33. *Moeſtus.*] Triſtis propter amatae puellae abſentiam. Sed longè melior mihi videtur vetus lectio, quae eſt, *Magnus.* Hoc enim cognomento illuſtres viri appellati ſunt, ut Alexander, Pompejus, & Carolus Francorum rex, aliique complures. Hic enim Naſo magnorum virorum exemplis non deſidioſum eſſe amorem comprobat. Adde quòd in Artib. quoque Ovid. *Magnum* Achillem vocavit, dicens:

Fecit & in capta Lyrneſide magnus Achilles,
Cum premeret mollem laſſus ab hoſte torum.

MARIUS. *Moeſtus* Puteaneus aliique multi. quidam, *fortis.* etiam bene. HEINSIUS. Epiſt. iii. 137.

Reſpice ſollicitam Briſeïda fortis Achille.

Quem *fortiſſimum* vocat. vers. iii. ſic lib. ii. Amor. Eleg. viii. 13. quidam codices:

Nec ſum Tantalide, nec forti major Achille.

Et ita ii. Art. Am. 711. quidam manu exarati:

Fecit & in capta Lyrneſide fortis Achilles.

Ubi

Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma:
Et, galeam capiti quae daret, uxor erat.
Summa ducum Atrides, visâ Priameïde, fertur
Maenadis effusis obstupuisse comis.
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.
Notior in coelo fabula nulla fuit.
Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus:
Mollierant animos lectus & umbra meos.
Impulit ignavum formosae cura puellae;
Jussit & in castris aera merere suis.
Inde vides agilem, nocturnaque bella gerentem.
Qui nolet fieri desidiosus, amet.

Ubi alii, *magnus*. & Priscianus in Periegesi etiam *Fortis* Epitheto de Achille utitur. Douza tamen *moestus* ex suo codice praeferebat. ego *magnus* propter rationes a Mario datas. & ita *moestus* & *magnus* confusa Epist. XVI. 340. BURMANNUS.

34. *Dum licet Argivas.*] *Argoas* Puteaneus & quatuor alii cum Jureti Excerptis. quod est *Argolicas*. quomodo Neapolitanus ac Sarravianus cum tribus aliis. HEINSIUS.

35. *Ibat in arma.*] *Ad arma* Puteaneus, Douzae & octo alii. male. vid. ad Epist. III. 136.

37. *Summa ducum.*] Tan. Fab. ad Lucret. I. 87. dictum vult imitatione Lucretii, cui Agamemnon est *prima virorum*. ut Sophocles etiam Philoct. 435. dixit πρῶτα Ἀχαιϊκῶν pro principe Atheniensium. & ita neutrius generis nomina poni pro masculinis vidimus ad Quinctil. Declam. I. 6. nondum tamen definire audeo, an *summa ducum* non dici possit, ut summa belli, imperii & similia, sed exemplis deficior. nisi huc referas, *belli summa caputque Bato* lib. II. ex Ponto I. BURMANNUS.

39. *Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.*] Idem prope lib. IV. Metamorph. Quem quidem locum nuper ex Fulgentio illustravi. CIOFANUS.

41. *In otia natus.*] *Ad otia* Moreti. parum differt. & utroque modo frequenter locuti veteres. Cicer. IV. Fam. Epist. 13. *Natus ad agendum aliquid semper dignum viro.* Flor. I. 13. *Gens nata ad interitum hominum.* Noster II. Metam. 223. *Natusque ad sacra Cithaeron.* sed Horat. I. Od. 27. *Natis in usum laetitiae scyphis pugnare.* & ita alii. hic quoque mollius est *in* ob praecedens *discinctaque*. vid. ad Quinct. Decl. CCCXXIX. BURMANNUS.

42. *Lectus & umbra.*] *Somnus & umbra* Sarravii & duo alii libri. sed perperam. III. Art. 542.

Contemto colitur lectus & umbra foro.

Juven. VII. 105.

Sed genus ignavum, quod lecto gaudet & umbra.

Ubi male *tecto* quidam codices. Intelligit vero lectum lucubratorium, ut ibi recte Gangraeus, male hic Marius. & Crispinus ad III. Art. 522. *Lectum & umbram* res maxime aptas amoribus dicit, nihil somnians de Poëtarum lucubrationibus, sed de Parisiensibus suis ambulationibus & lustris. BURM.

45. *Vides vigilem.*] *Agilem* Puteaneus & quatuor alii, cum prima editione. HEINSIUS. Recte: ne offendat sonus similis in *vides vigilem*. similis varietas infr. II. Amor. IV. 27. & ita *agilis Dea* Diana Epist. IV. 166. *Bella moventem*, quoque Neapolitanus. BURMANNUS.

46. *Qui non vult.*] Legitur &, *Qui nolit fieri.* MARIUS. *Nolet* meliores. quo & alii adludunt, in quibus, *nolit*, & *nollet*. HEINSIUS.

ELEGIA X.

Qualis ab Eurotâ Phrygiis avecta carinis,
Conjugibus belli caussa duobus erat:

Qualis

1. *Qualis ab Europa Phrygiis advecta carinis.*] *Eurota* & *avecta* cum melioribus scribendum. ad Eurotam enim nata Helena. *Spartanus Eurotas* Claudiano Cons. Olyb. 237. Nasoni II. Met. 247. *Taenarius*. Est quoque id nomen corruptum in Agamemnone Senecae vs. 281.

Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis
Callidus in falsâ luſit adulter ave:
Qualis Amymone ſiccis errabat in Argis,
Cum premeret ſummi verticis urna comam:
Talis eras; aquilamque in te taurumque timebam,
Et quidquid magno de Jove fecit Amor.
Nunc timor omnis abeſt, animique reſanuit error.
Nec facies oculos jam capit iſta meos.
Cur ſim mutatus, quaeris? quia munera poſcis.
Haec te non patitur cauſſa placere mihi.
Donec eras ſimplex, animum cum corpore amavi:
Nunc mentis vitio laeſa figura tua eſt.

Et

Spartamne repetes ſpreta & Eurotan tuum? Sic emenda. nam optimus codex Medicêus, *& curo tantum.* vulgo inſulſe, *& à tanto viro.* ſed hoc credo viderit, qua eſt induſtria, Gronovius, cujus in ſcriptorem optimum animadverſiones jam coeptae Typographis committi. videtur autem alludere ad illud Virgilii I. 498.

Qualis in Eurotae ripis &c. HEINSIUS.

Advecta, vel *transvecta* Sarravii codex. & priores editi fere omnes, *advecta.* quod defendi poſſet, ut eandem ſaepe *adductam* & *abductam* diverſa ratione dici poſſe oſtendit Munker. ad Hygin. Fab. VIII. & vid. ad Quinctilian. Declam. XIV. 10. & CCCXXXV. *Devecta* unus, *evecta* alius Heinſii. *Adducta* Moreti unus. BURMANNUS.

3. *Lede.*] *Leda* Moreti. vid. ad Epiſt. XIV. 1.

4. *Callidus.*] Multi libri, *candidus*; ut olor ſaepe *albus* & *candidus* dicitur. Epiſt. VII. 2. & Heinſ. ad II. Faſt. 109. & eo alludit Noſter Ep. XVI. 249.

Pectora vel puris nivibus, vel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora Jove.

Retinui tamen *callidus.* quia τῷ *luſit* magis congruit, & praeceſſit *plumis albis.* in *falſa ave.* ut Statius X. Th. de Eurota:

Falſo gurges cantatus olore.

Vid. Eleg. III. 24. & de confuſione vocum *callidus* & candidus, ad VI. Metam. 576. & II. Amor. XVIII. 29. *ludit* cod. Scriverii, & ita edidit Berſmannus. BURMANNUS.

5. *Errabit.*] Legitur in MSS. exemplaribus, *errabat*, quae lectio mihi valde placet. MARIUS.

5. *Siccis erravit in Agris.*] Ad Homeri Epitheton reſpexit Poëta, qui vocat Argos πολυδίψιον, hoc eſt, ſiticuloſum atque aridum, propter naturam terrae. Nam ante adventum Danai, qui primus puteos effodiſſe dicitur, aridam fuiſſe terram Argivorum tradunt. Fuit autem Amymone Argiva, Danai filia. MICYLLUS. Amymone una ex quinquaginta Danai filiabus, aquam inquirens, in cervum telum jecit, ac Satyrum dormitantem offendit. Quare ille ſomno expergefactus puellae miro deſiderio capitur. At Neptuno ſuperveniente Satyrus ſe in fugam dedit. Amymone autem cum illo concubuit: eique Neptunus fontes Lernaeos indicavit. Haec ex Apollodoro lib. II. Meminit & Apollonius lib. I. Arg. his verbis:

—— Ποσειδάωνι δὲ κούρη
Πρίν ποτ' Ἀμυμώνη Δαναΐς τέκεν ἐννηβεῖσα
Ναύπλιον. CIOFANUS.

Crediderim ſcripſiſſe Ovidium, *ſiccis errabat in Argis*; nam & Paſſeratius ad Prop. lib. II. Eleg. 26. ſimilem lectionis varietatem deprehendit, & in ipſo Ovidio in hac voce ſaepe librarios aberraſſe Heinſius notavit ad V. Faſt. 651. & XIV. Metam. 476. & nos ad Valer. Flacc. I. 107. oſtendemus. nulli vero loco convenientior haec lectio, quam huic; fuiſſe enim ſicciſſimam regionem, & fontibus raris irrigatam, multis docuit fons inexhauſtae lectionis Ezech. Spanhemius ad Call. Hym. in Pallad. V. 46. & ſeqq. *Argi* vero plurali numero & maſculini generis dixiſſe veteres docet Lutatius ad Stat. IV. Theb. 672. ex Virgilio, qui lib. II. 95. dixit:

Si patrios unquam remeaſſem victor ad Argos.

Ubi itidem *ad agros*, in quinque libris, & *in agros* in uno reperit Heinſius. ſic idem Statius eodem libro, 347.

Quando his vulgatum deſcendere viribus Argos.

Lib. XI. 731.

Vis Argos eat, hoſtilesque Mycenas.

Et ita paſſim Poëtae. In uno Medicêo erat *Sithiis.* unde olim Heinſius conjiciebat *Phtiis.* Amymones vero fabulam tangit Statius lib. IV. 288. ubi vide Lutatium. BURMANNUS.

6. *Urna comas.*] *Comam* rectius nonnulli. Faſt. III. 14.

Ponitur è ſumma fictilis urna coma. HEINSIUS.

Vide ad IV. Metam. 7. *Urna caput* duo libri.

8. *Fecit*

Et puer eſt & nudus Amor. ſine ſordibus annos,
Et nullas veſtes, ut ſit apertus, habet.
Quid puerum Veneris pretio proſtare jubetis?
Quo pretium condat, non habet ille ſinum.
Nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis:
Non decet imbelles aera merere Deos.
Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere;
Et miſeras juſſo corpore quaerit opes.
Devovet imperium tamen haec lenonis avari:
Et, quod vos facitis ſponte, coacta facit.
Sumite in exemplum pecudes ratione carentes.
Turpe erit ingenium mitius eſſe feris.

Non

8. *Fecit.*] *Finxit* codex Sarravianus. forte recte. vid. Eleg. XIV. 8. HEINSIUS. Efficacius eſt *fecit.* ita Flor. II. 6. *Fecerant de ſervitute Romanos.* Juſt. lib. XXXIV. 2. *De ſpectatoribus captivi facti.* vid. Epiſt. XIV. 86. infr. lib. III. Amor. XII. 31.

De Niobe ſilicem, de virgine fecimus urſam.
BURMANNUS.

9. *Abeſt.*] Regius codex, *abit.* Recte, ſi *abit* pro *abiit* capias. vid. ſupr. Eleg. VII. 2. BURMAN.

9. *Animique evanuit ardor.*] *Revanuit error* Excerpta Puteani & Sarravianus cum aliis nonnullis. quidam, *revanuit ardor.* Puteaneus & Arondelianus, *reſanuit error.* recte. lib. II. Eleg. IX. ut & illic idem codex:

Cum bene pertaeſum eſt, animoque reſanuit ardor.

Quod verbum vix alibi invenias: niſi apud unum Lactantium. ut jam monuit in Obſervationibus politiſſimus Gronovius. cap. XXI. lib. II. ubi haec Naſonis duo loca pari modo emendavit. Ceterum *errorem* pro amore paſſim ponit Noſter. Metam. X. 342.

——*Retinet malus error amantem.*

Ubi plura ad rem in notis noſtris. ſic enim veteres libri, exemplo Virgiliano Eclog. VIII. 41.

——*Ut me malus abſtulit error.*

Triſt. I. Eleg. II.

Imo ita, ſi ſcitis, ſi me malus abſtulit error.

Ut & illic ſcripti quidam. lib. II. Triſt. 109.

Illo namque die, quo me malus abſtulit error.
Parva quidem periit, ſed ſine labe, domus.

Supra Eleg. II. 35. apud Cupidinem, ex veteribus libris:

Blanditiae comites tibi erunt, Errorque, Furorque.

Libro III. Art. Am. 714. eadem varietas:

Procri quis attoniti pectoris ardor erat?

Ubi codices quidam etiam, *error.* HEINSIUS.

11. *Munera poſcis.*] *Praemia* prima editio. cujus gloſſema, *munera* eſſe puto: *Praemia* enim ſaepe praeda & ſpolia vocantur, de quibus hic verbo odioſo agit, ut mox v. 29. *ſpolia* vocat & v. 53. in multis & optimis codicibus eſt, *a divite praemia poſci.* & ita Terentio Hecyr. I. 1. *ſpoliare* etiam meretrix dicitur, ut ſimiliter Martialis & alii. hinc *praemiari* & *praemiatores*, ut notum. BURMANNUS.

13. *Cum corpore.*] Haec duriora viſa Francio, qui corrigebat, *animum ceu corpus amavi.*

14. *Tua eſt.*] Malim, *tuae.* HEINSIUS. Et ita Francius.

15. *Et nudus Amor.*] *Mundus* optimus Palatinus. dixi ſupr. Eleg. VIII. ỳſ. 39. HEINSIUS. Non agitur hic de munditie. nec ſequentia hoc patiuntur. puerili aetati reſpondent anni ſine ſordibus. id eſt avaritia & turpis lucri cupidine, τῷ *nudo*, reſpondet, quod nullas veſtes habeat. & ita in ſeq. diſtricho haec duo repetuntur. Francius malebat, *ſine fraudibus annos.* BURMANNUS.

16. *Ut ſit apertus.*] Quinque veteres, *opertus.* Lege cum Arondeliano, *quis ſit opertus.* Propert. II. Eleg. XV.

Interdum tunica duxit operta moram.

Et Lucan. lib. IV. 686.

Veſtibus iratos laxis operire leones. HEINSIUS.

Nihil muto. ita *aperta pectora.* lib. III. Am. IX. & paſſim alibi.

17. *Jubetis.*] Francius legebat, *jubebis.*

18. *Pretium condat.*] *Condas* Puteaneus. HEINS.

21. *Certo.*] *Circo* erat in Glaſciano, unde quis de Circenſibus proſtibulis poſſet ſomniare. ſed fruſtra: *Certum* eſt, quia inſcripta erat cellulae unicuique merces, quam captabat meretrix; vid. ad Petron. cap. VIII. *Quovis mercabilis aere*, multi ex ſcriptis. quod male arripuit Marius. BURMANNUS.

26. *Mitius eſſe feris.*] Martialem libr. Spect. 10. imitatum notavit Douza, *Qui jubet ingenium mitius eſſe feris.*

Non equa munus equum, non taurum vacca popoſcit:
Non aries placitam munere captat ovem.
Sola viro mulier ſpoliis exultat ademtis:
Sola locat noctes: ſola locanda venit.
Et vendit, quod utrumque juvat, quod uterque petebat:
Et pretium, quanti gaudeat ipſa, facit.
Quae Venus ex aequo ventura eſt grata duobus,
Altera cur illam vendit, & alter emit?
Cur mihi ſit damno, tibi ſit lucroſa voluptas,
Quam ſocio motu femina virque ferunt?
Non bene conducti vendunt perjuria teſtes:
Non bene ſelecti judicis arca patet.
Turpe, reos emtà miſeros defendere linguâ:
Quod faciat magnas, turpe, tribunal opes.
Turpe, tori reditu cenſus augere paternos,
Et faciem lucro proſtituiſſe ſuam.
Gratia pro rebus merito debetur inemtis:
Pro male conducto gratia nulla toro.
Omnia conductor ſolvit: mercede ſolutâ
Non manet officio debitor ille tuo.

Parci-

27. *Equo & tauro.*] Id eſt ab *equo* & *tauro*. ſed rectius in MSS. codicibus *equum* & *taurum* legitur. Marius. Forte, *repoſcit*. vid. ad Quinct. v. 10.

30. *Locanda.*] Francio placebat, *locata*.

31. *Et vendit.*] *Et venit* Gryphius. Rectius alii. ita Propert. I. II. 4.

Teque peregrinis vendere muneribus.

Plaut. Mil. II. III. 41. *Non ego poſſum, quae ipſa ſe venditat, tutarier.* Burmannus.

31. *Utrumque juvat.*] Uterque Maffeianus ita habet. recte. Ciofanus.

32. *Et pretium.*] Forte, *ſe pretium facit.* ut II. Eleg. I.

Ad vatem pretium carminis ipſa venit. Heinsius. Iterum adſcripſerat Douza illa Martialis lib. IX. Epiſt. 60. *Et pretium magnis fecit Iäſpidibus.*

32. *Quanti.*] *Quanto* Puteaneus, alter Palatinus & Francofurtenſis.

44. *Male conducto.*] Id eſt, care, magno pretio. ut Terent. Eun. IV. 4. *Male conciliate.* & ita paſſim, *bene* & *male* emere. vid. I. Art. Am. 426.

46. *Non manet.*] Forte, *num manet?* Heins.

49. *Tetigiſſe.*] In omnibus, quae mihi videre contigit, manuſcriptis exemplaribus, non *Tetigiſſe*, ſed *Pepigiſſe* legitur. quae lectio verior mihi videtur, nam & Livius inquit: *Pepigiſſe eam, quod in ſiniſtris manibus haberent.* Marius. *Pepigiſſe ſiniſtras* Edit. prima & Barberini codex. an *ſiniſtrae*. ſcil. manui.

51. *Ex quibus.*] *E quibus* meliores. Heinsius. Et ita Douza legebat. *Trajecit viſcera telo* etiam alter Medicêus.

53. *Praemia poſci.*] Ex duobus veteribus lege, *munera*. Ciofanus. *Praemia* Puteaneus & plures alii. mihi repetitio magis arridet. Sequenti verſu idem optimus codex cum uno Moreti, *quod dare poſſit.* non *quae*. Heinsius. In uno Moreti, *grandia poſci munera.*

55. *Pendentes.*] Junianus *ſplendentes*, non male, quae oculos feriunt, ut divitiae beatorum, quae conſpicuae invitant rapaces meretricum manus. ſic XIII. Metam. 813.

Sunt auro ſimiles longis in vitibus uvae,
Sunt & purpureae.

Et Columella XI. 2. *Quosdam*, ait, *credere vindemiam eſſe tempeſtivam, cum coloratas & perlucidas uvas animadvertiſſent.* voces autem *ſplendens* & *pendens* a librariis ſaepe commutatae, ut infr. III. Eleg. I. 3. vid. Heinſ. ad Claud. I. Laud. Stil. 261. nec tamen *pendentes* ideo praeferrem, quia Servius notat ad illa Virg. II. Georg. 89. *Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris.* bene *pendere* dici: nulla enim vitis in Italia eſt, quae non pendet. ibi enim de ipſa vite, hic de uvis agitur. Burm.

56. *Benignus ager.*] Fertilis, & qui fructus fert uberrimos. Ciofanus. Vide Marium.

57. *Numeret.*] Puteaneus & Arundelianus, *numerat*. forte, *numera*, quomodo & alibi peccatum.

Parcite, formoſae, pretium pro nocte paciſci.
Non habet eventus ſordida praeda bonos.
Non fuit armillas tanti pepigiſſe Sabinas,
Ut premerent ſacrae virginis arma caput.
E quibus exierat, trajecit viſcera ferro
Filius: & poenae cauſſa monile fuit.
Nec tamen indignum eſt, à divite munera poſci.
Munera poſcenti quod dare poſſit, habet.
Carpite de plenis pendentes vitibus uvas:
Praebeat Alcinoi poma benignus ager.
Officium pauper numeret, ſtudiumque, fidemque:
Quod quis habet, dominae conferat omne ſuae.
Eſt quoque, carminibus meritas celebrare puellas,
Dos mea; quam volui, nota fit arte meâ.
Scindentur veſtes, gemmae frangentur & aurum:
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.
Nec dare, ſed pretium poſci dedignor & odi.
Quod nego poſcenti, deſine velle; dabo.

tum. HEINSIUS. Male. Art. Am. II. 166. *Pauper amet caute.*

60. *Nota ſit.*] *Nota fit* Puteaneus & plures alii. vere. HEINSIUS. Et ita Douza.

61. *Scindentur veſtes, gemmae frangentur.*] Manuſcripta exemplaria fere omnia habent, *ſcinduntur* & *franguntur*, in praeſenti tempore. MARIUS. *Scindentur* & *frangentur* meliores, cum Puteaneo. HEINSIUS.

62. *Quam tribuent.*] *Facient* primus Moreti.

ELEGIA XI.

COlligere incertos, & in ordine ponere, crines
Docta, neque ancillas inter habenda, Nape;
Inque miniſteriis furtivae cognita noctis
Utilis, & dandis ingenioſa notis;
Saepe venire ad me dubitantem hortata Corinnam;
Saepe laboranti fida reperta mihi;
Accipe, & ad dominam peraratas mane tabellas
Perfer; & obſtantes ſedula pelle moras.

Nec

1. *Incertos.*] Turbatos & indiſpoſitos Marius exponit. ſed quaero exemplum hujus locutionis: Editio prima & quinque codices, *incomtos*; quod planius. *colligere* vero eſt *in nodum colligere*, ut loquitur lib. III. Metam. 170. BURMANNUS.

5. *Saepe venire ad me.*] Numeri duriores. Puto ſcribendum, *ſaepe venire mihi.* vide quae noto lib. II. Artis Amatoriae v. 11. HEINSIUS. Nihil muto contra libros. ſic II. Eleg. 1.

Ad vatem, pretium carminis, ipſa venit. BURMANNUS.

7. *Accipe, & ad dominam peraratas mane tabellas Perfer.*] Illud *Mane* refertur ad participium *peraratas*, non ad verbum *Perfer.* Sub noctem enim ad amicam tabellas miſit: quod indicat inferius, dicens: Dum loquor, hora fugit. quod non dixiſſet, ſi mane miſſae fuiſſent tabellae. *Tabellas*, pugillares. MARIUS. Fruſtra hic diſputat Commentator

Nec ſilicum venae, nec durum in pectore ferrum,
Nec tibi ſimplicitas ordine major ineſt.
Credibile eſt & te ſenſiſſe Cupidinis arcus;
In me militiae ſigna tuere tuae.
Si quaeret, quid agam; Spe noctis vivere, dices.
Cetera fert blandà cera notata manu.
Dum loquor, hora fugit. vacuae bene redde tabellas:
Verum continuo fac tamen illa legat.
Adſpicias oculos mando, frontemque legentis.
E tacito vultu ſcire futura licet.

Nec

tor de adverbio *manè*, utrum ad verbum *Perſer*, an ad participium *peraratas* referri debeat: utrocunque enim referas, nihil habes quod obſtet. Nam quod infrà ſequitur, *Dum loquor, hora fugit:* non eò valet, ut ancillae veſperi intelligamus datas eſſe literas, mane autem ſcriptas. Neque ipſum nomen *Horam*, pro die poni, quicquam certè cogit. Sed ineptum eſt, in re levicula tot verba perdere. Micyllus. Sine dubio *mane* ad *perſer* eſt referendum; dum enim comeret dominam, Epiſtolam reddere debebat. ita praecipit Ovidius ipſe 1. Art. 367. Potuit vero dicere aeque bene, *hora fugit* de matutino tempore, quod aptum & breve erat, ac de veſpertino. Burmannus.

7. *Peraratas.*] Editio prima, *properatas*, ſolemni confuſione horum verborum. vid. 1. Art. 455. & IX. Metam. 563. III. Triſt. VII. 1. Burmannus.

10. *Sed tibi ſimplicitas ordine major ineſt.*] Scribe cum melioribus, *Nec tibi.* Nam & in comoediis ſubdolae ac vafrae tam ancillae quam ſervi inducebantur. vide notas lib. II. Eleg. VII. ℣ſ. 17. ita *fallax ſervus* Eleg. ult. & Art. III. 607.

Callida profiliat, dicatque ancilla perimus.
Sollers ad partes ancilla ſupr. Eleg. VIII. vid. II. Eleg. VII. 17. *Adeſt* quoque Puteaneus & Arondelianus. Heinsius. Vid. ad Epiſt. XVII. 102.

11. *Arcus.*] Legendum eſt, ut in plerisque manuſcriptorum codicum, numero ſingulari, *arcum*, ad vitandum ſibilum, quem frequentes in hoc carmine literae *s* facerent. Eſt enim conſulendum Euphoniae. Marius. Sed etiam *arcus* Apollinis dixit Epiſt. VIII. 83. vide & III. Art. 733.

13. *Si quaeret.*] *Quaerit* unus Heinſii. vid. Ep. VI. 122. *Quaerat* Junii & hoc recte. vid. Ep. XII. 115. & XVI. 173. *Dicas* etiam alter Puteani & Scriverii.

15. *Dum loquor, hora fugit.*] *Hora fuit* Puteaneus. Forte, *hora ruit.* ſic apud Virgilium VI. Aeneid. 539. *Nox ruit Aenea.* & *ruit irrevocabile tempus* Juvenali. ſed tamen Perſius Sat. V.

Vive memor leti, fugit hora.
Poſſet alioquin & legi, *hora fluit.* ut apud Senecam Epiſt. CXXIII. *Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit.* Heinsius. Sed nihil mutandum recte Marius vidit, ex Horat. lib. I. Od. II.

Dum loquimur fugerit invida Aetas.
Facile autem eſt exempla cujusvis horum trium verborum corradere. ſed ſcriptos ſequamur.

16. *Ipſa legat.*] *Illa* meliores. Heinsius.

18. *Ex tacito vultu.*] *Et* ſcripti. Lege, *E tacito.* Heinsius. Quinctil. Decl. CCCLXXXII. *Intellexiſti a vultu.*

19. *Nec mora.*] Statim, quamprimum. Ciofan.

19. *Jubeto.*] Putem, *videto:* nam alterum in ancilla nimis imperioſum. Heinsius. Francius legebat, *moneto.*

20. *Cera.*] *Tabella cerata.* Ciofanus.

21. *Comprimat ordinibus verſus.*] Hoc eſt, ipſos verſus ſive lineas addenſet, propè inter ſe jungat, ut ſint anguſta ac modica inter binos verſus ſpatia, ſive interſtitia. Neque enim hic *ordo* terminum aut lineam, quae in margine ducitur, ſignificat, ut Commentator putat. Micyllus. Recte Micyllus: locutio eſt è re militari ſive acie, quae ordinibus inſtruitur, deſumpta. ſic Liv. VIII. 8. *Triarii conſurgentes, ubi in intervalla ordinum ſuorum principes & haſtatos recepiſſent, extemplo compreſſis ordinibus velut claudebant vias, unoque continente agmine, in hoſtem incidebant.* ubi malim *incedebant: agmine incedere* paſſim occurrit. *incidere* enim rectius de iis, qui caſu obviam fiunt, dicitur. Salmaſius de modo Uſurarum pag. 464. citat vitio memoriae, ut ſaepe ipſi accidit:

Comprimat ordinibus verſus, oculosque moretur,
Margine in extremo litera raſa mea.
Ubi de *litera raſa* etiam diſputat. ſimilis vero locus IX. Metam. 562.

Talia nequicquam perarantem plena relinquit
Cera manum, ſummoque in margine verſus adhaeſit.
Burmannus.

23. *Quid digitos opus eſt graphium laſſare tenendo.*] *Graphio* Puteaneus & Politiani Excerpta. *Graphio laſſare retento* Jureti codex. ut ſit Graeciſmus. Heinsius. *Terendo* volebat Francius.

24. *Hoc habeat.*] *Fac habeat* puto retinendum. Heinsius.

25. *Non*

Nec mora: perlectis reſcribat multa jubeto.
Odi, cum late ſplendida cera vacat.
Comprimat ordinibus verſus, oculosque moretur
Margine in extremo litera raſa meos.
Quid digitos opus eſt graphio laſſare tenendo?
Hoc habeat ſcriptum tota tabella; Veni.
Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris mediâ ponere in aede morer.
Subſcribam; Veneri, fidas ſibi, Naſo miniſtras
Dedicat. at nuper vile fuiſtis acer.

25. *Non ego victrices lauro redimire tabellas, &c.*] Alludit ad morem Romanum. ſolebant enim literae, quae ab imperatoribus, parta alicubi victoria, Romam ſuper ea victoria mittebantur, lauro redimiri, atque ita conſulibus reddi: unde & *laureatae* dicebantur. Quod ſequitur, *Veneris in aede*: generaliter accipiendum eſt non privatim de aede Veneris, cognomento Genetricis, quae à Julio Caeſare condita fuit. Quid enim, ſi ea nulla tum fuiſſet? Micyllus. Certe fuit: nam Ovidius eo anno, quo Caeſar periit, natus nondum erat. ſed non ideo neceſſe de Veneris Genetricis aede, cum plura ipſi dedicata templa eſſent in urbe, capere. nec tamen extra veri ſpeciem id conjecit Marius. nam illi Veneri donaria dari ſolere, docet lapis apud Gruter. pag. CCXXV. 3. in quo, *Veneri Genetrici ceſtum matronas donum tuliſſe*, legitur. Burmannus.

26. *Moror.*] *Morer* recte meliores. Heinsius.

27. *Veneri fidas tibi.*] In manuſcripto codice non *Tibi*, ſed *Sibi* legitur: & ſic omnino legendum, ut elegantior ſit ſenſus. Erit autem ordo: Naſo dedicat Veneri tabellas fidas ſibi. Quin in vetuſtiſſimo exemplari non *Tabellas* legitur, ſed *Miniſtras*: quae lectio quam maxime mihi placet, ut Poëta miniſtras ſuas appellet tabellas, quibus amores ſuos ad amicam miſerit. Marius. *Miniſtras* iidem. probe. ſic Triſt. III. Eleg. VII.

Littera ſermonis fida miniſtra mei.

Epiſtola XXI. 114.

Lumina propoſiti facta miniſtra tui.

Ita *miniſtrae manus*. Elmenh. ad Arnob. pag. 73. Heinsius. Francius legebat:

Subſcribam; has Veneri, fidas ſibi, Naſo miniſtras Dedicat.

Et *Veneri* habent omnes fere editi, niſi quod *Veneris* in Cnippingii editione vitioſiſſima deprehendo. vid. & Epiſt. XVIII. 24.

28. *Acer.*] Atqui *Acer* dicunt poſt citrum maximo in pretio haberi, teſte Plinio lib. XVI. 15. ſed addendo vocem *vilis* oſtendit has tabellas ex vulgari & vili acere, non illo pretioſo, confectas fuiſſe. neque etiam Plinius ipſum Acer pretioſum dicit, *ſed operum elegantia & ſubtilitate citro ſecundum* & cap ſeq. dicit, *ſi magnitudinem menſarum caperet, haud dubie praeferretur citro. Vile* ergo eſt non elaboratum, minimi pretii & obvium. ut ita *vile Sabinum* apud Horat. lib. I. Od. 22. explicuit contra Dacierium vir non ineruditus in Hiſtoriae Criticae tom. XII. pag. 120. Burmannus.

ELEGIA XII.

FLete meos caſus: triſtes rediere tabellae.
Infelix hodie litera poſſe negat.
Omina ſunt aliquid. modo cum diſcedere vellet,
Ad limen digitos reſtitit icta Nape.

Miſſa

3. *Omina ſunt aliquid.*] *Omnia* plurimi editi & ſcripti. ſed male. Propert. IV. Eleg. 7.

Sunt aliquid manes.

Ubi vid. diligentiſſimum Paſſeratium. & infr. III. Eleg. IX. 65. & ad Quinct. lib. I. Inſt. Prooem. conſtra apud Statium IV. Theb. 330. pro, *ſunt omina vera*, Gevart. *omnia* edidit. & ita paſſim alibi hae voces confuſae. Burmannus.

4. *Ad limen digitos icta.*] De hoc infauſto omine multa ſatis congeſſerunt antiquitatum collectores, & Marius recte ex noſtri Poëtae, Tibulli & Lucani locis illuſtravit. ex quibus patet, per *digitos*

Missa foras iterum limen transire memento
Cautius; atque alte sobria ferre pedem.
Ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellae:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam, puto, de longae collectam flore cicutae,
Melle sub infami Corsica misit apis.
At, tamquam minio, penitus medicata rubebas.
Ille color vere sanguinolentus erat.
Projectae triviis jaceatis, inutile lignum:
Vosque rotae frangat praetereuntis onus.

Illum

hic pedis intelligi debere, quod ideo noto, ut hinc lucis aliquid duobus locis Petronii adfundam, quae olim a me, ut & ab aliis interpretibus, praeterita fuere. primus est cap. CXXXII. *Podagrici pedibus suis maledicunt, Chiragrici manibus, Lippi oculis; & qui offenderunt saepe digitos, quidquid doloris habent in pedes deferunt.* ubi agit de superstitiosis, qui si saepe pedes offendunt, causam omnium dolorum pedibus suis adscribunt. nam de talibus agi ostendit dictio, *offendere digitos*, ut passim *pedem offendere* in hac re occurrit. alter est cap. CXXXVIII. *Evasi tamen, omnibus digitis inter praecipitem decursum cruentatis.* ubi etiam manifestum est de pedis digitis agi. & ad hoc quoque omen respicere illa Novii in Macco Exsule, apud Nonium in *Limen* puto: *Limen superum, quod mei misero saepe confregit caput: Inferum autem, ubi ego omnis digitos defregi meos.* Valerius Maximus, sive potius ejus fragmenta. 1. cap. IV. §. 2. de Tib. Graccho: *Nam janua egressus ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur.* quae eadem narrat Obsequens cap. LXXXVI. qui dicit, *sinistro pede offenso decussum pollicem.* Plutarchus vero in vitis Gracchorum pag. 832. tam violenter offendisse, ut pollicis pedis unguis rumperetur, (ῥαγῆναι,) & sanguis per calceum effluerit, quod longe a *decutere* distare mihi videtur, quamvis id Scheffe-rus pro luxare capiat, licet nullo exemplo probet. BURMANNUS.

4. *Nape.*] Apud Gruterum saepe hoc nomine libertinae occurrunt. vid. pag. 733. 7. 11. 19. & alibi.

4. *Restitit.*] *Retulit* V. C. hinc suspicor rescribendum, *rettudit.* DOUZA. *Truserat illa* Francofurtensis.

5. *Missa foras.*] Totum hoc distichon abesse vellet Francius, quia ipsi videtur sensum turbare.

10. *Melle sub infami Corsica misit apis.*] Propterea quòd Corsicae apes amarum mel procreant, abundante in ea insula taxo, videlicet arbore venenata, ut Plin. tradit. Hinc & Virg. Eclog. IX. 30. dixit:

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, &c.

MICYLLUS. *Finxit apis* malebat Francius.

11. *Rubebas.*] Fortasse a ligno hunc colorem habebat cera: erant enim hae tabellae (ut supra dixit Naso) acernae. Et Plinius lib. 16. dum aceris genera multa ponit: *Tertium genus*, inquit, *Zygiam rubentem fissili ligno, cortice livido & scabro.* MARIUS.

12. *Ille color verè sanguinolentus erat.*] Hoc est, tristis & feralis, qualia sunt quae sanguine inficiuntur: non sanguine plenus, ut Commentator. MICYLLUS. *Ille color certe* Glaserii codex.

13. *Projectae in triviis.*] Τὸ *in* abest a melioribus. HEINSIUS. *In trivio* Regius.

16. *Puras.*] A sanguine scilicet, ut plerumque sumitur: licet de immunibus ab aliis sceleribus possit intelligi. recte Marius componit cum his Horatiana, lib. II. Od. 13. ubi *sacrilegam manum* dicit.

18. *Duras.*] Scribe, *diras.* HEINSIUS.

19. *Raucis bubonibus.*] *Rasis* Puteaneus. Arondelianus, *raris.* Scribo, *ravis: ravum* enim quod obtusum: sive de voce accipias, sive de colore. hinc *ravis* pro *raucitate.* unde *rabulam* vult dictam Verrius. de qua voce videatur Festus. *Ciere ravos cantus.* & *ravum Corybantis guttur* apud Sidonium Apollinarem Carm. XVI.

Cleonaeae guttura rava ferae.

Carm. XIII. idem Panegyrico Majoriani:

Sub judice vestro
Pellitus ravum praeconem suscipit hostis.

Λύκους πολιοὺς Apollonius dixerat Argonaut. II. Cicero in Diosemeis Arateis, quae ab ipso in libro de Divinatione I. cap. 8. citantur:

Rava salix itidem fugiens è gurgite ponti.

Ita enim in vetusto codice Hugo Grotius invenit. cum *Cana salix* hactenus circumferatur. alii codices librorum de Divinatione, *Rara salix.* ipse Grotius *ravum colorem* esse Arato ἐπίξυθον monet. Avieno est, *Parva salix.* sed & illic *Rava* rescribi Grotius malit. *Color ravus* inter flavum & caesium medius; etsi pro *fulvo* Nonius accipit. Noster lib. V. Metamorph. V. 546. de Ascalapho in noctuam mutato:

Ille

Illum etiam, qui vos ex arbore vertit in uſum,
Convincam puras non habuiſſe manus.
Praebuit illa arbor miſero ſuſpendia collo:
Carnifici diras praebuit illa cruces.
Illa dedit turpes raucis bubonibus umbras:
Vulturis in ramis & ſtrigis ova tulit.
His ego commiſi noſtros inſanus amores,
Molliaque ad dominam verba ferenda dedi?
Aptius hae capiant vadimonia garrula cerae,
Quas aliquis duro cognitor ore legat.

Inter

Ille ſibi ablatus ravis amicitur in alis.

Ita enim ſcribendum cenſeo, cum in vetuſtis codicibus pro vulgato *fulvis*, legatur *flavis*, vel *furvis*. Adeantur quae de hac voce notavimus ad Vſ. 659. libri II. Artis. Cicero Acad. IV. *Quia nobiſmet ipſis modo tum caeruleum, tum ravum videtur.* ita recte Nonius. non *flavum* ut in ipſo Cicerone. Horatius certe Epod. XVI. *Ravos leones* dixit:

Credula nec ravos timeant armenta leones.

Ita enim vetuſtiſſimi codices. quomodo *ravam lupam* idem lib. III. Od. XXVII. appellat. HEINSIUS. *Raucus* & *raſus* etiam apud Quinctil. XI. Inſt. 3. commutantur in MSS.

20. *Vulturis.*] Atqui Aelianus lib. II. Hiſt. 48. dicit vultures non nidificare, neque ova ponere, ſed pullos edere, qui ſtatim ac nati ſunt avolant. Plinius vero lib. X. cap. 6. eos & ova dare & nidificare, ſed in excelſiſſimis rupibus teſtatur, & ideo rariſſime aliquem eorum ova aut pullos vidiſſe. hoc primum Poëtae noſtro, forte nimis luxurianti, oggeri poſſet. alterum eſt, quod mirum videri poſſet vulturem, avem fauſtam, & ex Augurio Romuli & Remi feliciſſimi ominis habitam, (vide praeter alios Stat. III. 507. & ibi Lutatium.) hic jungi cum bubone & ſtrige. an vulturem occupaſſe alterius inauſpicatae avis locum, vitio librariorum, cenſebimus? an Poëtae luxuriae & inconſiderantiae tribuemus? an vero ex uno aut altero loco, quem adducunt, qui de auguriis ex profeſſo egerunt, etiam inter infelices aves jure referri poſſe, efficiemus? certe monuit me Ampl. Cuperus ab Antonin. Liber. cap. 21. Metam. dici eum *omnium avium inimiciſſimum diis & hominibus*, & *obſcoenum* a Silio, quia cadaveribus veſcebatur. & ita inter prodigia Obſeq. cap. CXXX. *Vulturum ingentem vim advolaſſe exercitum*, narrat, & alibi ſaepe. ut *vultures ſuper turrim fulmine exanimatos* narrat idem Obſequens de prodigiis cap. 103. nihil tamen horum placet. & aquam mihi hic haerere fateor. BURMANNUS.

20. *Strigis ova.*] In quibusdam, *ora*, non *ova*. NAUGERIUS. Idem teſtatur Marius in ſuis ſe reperiſſe, & in Palatino tertio exſtat. in duobus Heinſii, *oſſa*. quorum alterutrum ſi recipiatur, poſſet referri ad illum morem, quem adhuc hodie per agros frequentatum videmus, ut avium nocturnarum reliquias, ora, oſſa, alas, pedes, vel etiam totas, a venatoribus vel ruſticis, foribus vel arboribus adfixas intelligamus. quod Schot. I. Obſ. 12. & alii late illuſtrarunt. nam quod Marius ad dirum & terribilem adſpectum referat, non procedere videtur. BURMANNUS.

21. *His ego.*] Forte, *Hiſne ego*. vid. Eleg. VII. 7. HEINSIUS.

24. *Quas aliquis duro cognitor ore legat.*] Cognitorem ego judicem intelligo, non defenſorem. unde & cognitiones cauſſarum, judicationes, ſive judicia: quales propriè vocabant Romae, quando coram principe ſive imperatore agebatur. Et *cognoſcere*, judicare. *Duro* autem *ore*, haud ſcio an hic pro ſevero ac triſti accipiendum ſit: tales enim ferè judices eſſe ſolent. MICYLLUS. Late Gronovius lib. IV. de Pecun. veteri cap. III. de cognitoribus, quos pro defenſoribus capit, diſputat. ſed quia *duro ore* additur, ego hic potius cum Micyllo de judice, vel magiſtratu, qui proprie *cognoſcere* dicitur, capiendum cenſeo. *duro* autem *ore* hic non, ut alias pro impudenti, quemadmodum Marius, ſed cum Micyllo caperem pro triſti, ſevero. ut Epiſt. XVI. 11.

Nec vultu cetera duro
Perlege.

Epiſt. XVII. 16.

Nec ſedeo torvis dura ſuperciliis.

Et III. Art. 467.

Nec tamen eduro quod petit ore nega.

Multi vero hic codices, *creditor*. alter Puteaneus & Francof. *conditor*, ita in Epiſtola Symmachi, qua Auſonii Moſellam laudat VI a Vineto Auſonio addita: *Quaeſtor es, memini; conſilii regalis particeps: ſcio. precum conditor: recognoſco.* Heinſius malebat legere, *precum cognitor*. BURMANNUS.

Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent,
In quibus abſumtas fleret avarus opes.
Ergo ego vos rebus duplices pro nomine ſenſi?
Auſpicii numerus non erat ipſe boni.
Quid precer iratus? niſi vos carioſa ſenectus
Rodat, & immundo cera ſit alba ſitu.

25. *Inter Ephemeridas melius tabulasque jacerent, In quibus abſumptas fleret avarus opes.*] Propertius lib. III. Eleg XXII. 20.

Me miſerum, his aliquis rationem ſcribit avarus,
Et ponit duras inter Ephemeridas.

Conſule ibi Scaligerum juniorem. CIOFAN. *Ephemeris* liber ab Auſonio inſcribitur, id eſt *totius diei negotium*, ſic ex antiquiſſimo libro Lugdunenſi titulum libelli concipit Vinetus, qui codex nunc penes Iſaacum Voſſium exſtat, literis Longobarticis exaratus Ephemeridas *Kalendaria* vocat Seneca in fine Epiſt. XIV. vide eundem Epiſt. LXXXVII. & ibi Lipſium. & lib. I. de Benefic. cap. II. & lib. VII. cap. X. *Ephemeridas* vero vocat Ep. CXXIV. ubi vid. Lipſium n. II. HEINSIUS.

27. *Ergo ego vos rebus duplices pro nomine ſenſi.*] Commentator ad numerum binarium refert: quòd is minus auſpicatus ſit, quàm ternarius, aut alius aliquis impar. Sed cum inquit Poëta, *Rebus*, videndum, num ad eam ſignificationem nominis *Duplices* reſpiciat, qua duplices, fallaces & dolofos dicimus. ac ſi dicat, re ipſa nunc videre ſe, illos fuiſſe duplices, quod eſt fallaces, & qui aliud primo aſpectu prae ſe tulerint, quàm poſtea praeſtarint. MICYLLUS. *Duplices* a duobus foliis ſic dicti, ut *triplices* a tribus, qui etiam rebus amatoriis & levioribus ſerviebant. teſtatur Martialis lib XIV.

Tunc triplices noſtris non vilia dona putabis
Cum ſe venturam ſcribet amica tibi. DOUZA.

Dypticha Graecis dicta intelligit, ἀπο δὶς καὶ πτύσσειν, *bis plicare.* vide Etymologicon magnum in Δίπτυχα. Erant autem libelli duûm tabellarum ſeu paginarum. *Diptychi* vox occurrit apud Symmachum in Epiſtolis non ſemel. eorumque formam exhibuit doctiſſimus Sirmundus Animadverſionibus ad Sidonium Apollinarem; eorum dico, quae a novis magiſtratibus ſportulae loco ad amicos munus mittebantur. *Duplices*, ut Rem. Amor. 667. *Et manus & duplices manibus cecidere Tabellae*, quomodo Martiali *triplices* libro VII. Epigr. LII. & LXXI. libro XIV. Epiſt. VI. *Quintuplices* apud eundem libro XIV. Epiſt. IV. Papias Vocabulario: *Diptychae tabellae, quibus corruptores amorem ſuum inſcribunt puellis.* Scholiaſtes antiquus ad illa Juvenalis Satyra IX. ỳſ. 36.

Blandae aſſiduè denſaeque tabellae Sollicitent:
Blandis te Epiſtolis & Diptychis ſollicitet. Liquet etiam ex hoc Naſonis loco *Diptycha* non tantum *eburnea* fuiſſe, qualia inter ſportulas jam a nobis recenſita, ſed lignea quoque, & quidem *acerna.* ſuperiori Elegia, *at nuper vile fuiſtis acer.* Plura doctiſſimus Roſweydus Onomaſtico ad vitas Patrum. Petrus Scriverius ad Vegetium lib. II. cap. XIX. in hoc Naſonis loco corrigit:

Ergo ego vos re, vos duplices pro nomine ſenſi.

Quod merito improbavit in obſervationibus Gronovius lib. III. cap. VI. de *Polyptichis* Scriverius ibidem videndus. HEINSIUS.

ELEGIA XIII.

JAm ſuper Oceanum venit a ſeniore marito,
Flava pruinoſo quae vehit axe diem.

Quo

1. *Jam ſuper Oceanum venit à ſeniore marito.*] Numeri in hoc verſu parum ſunt Naſoniani. metuo ne ſciolus interpolarit. quare ſcribendum cenſeo:

Jam ſuper Oceanum venit ſeniore relicto.

Sic in Faſtis lib. VI. 473.

Jam Phryx à nuptâ quereris Tithone relinqui.

Et libro I. 461.

Proxima proſpiciet Tithono nupta relicto
Parrhaſiae ſacrum pontificale deae.

Et lib. IV. 943.

Cum Phrygis Aſſaraci Tithonia fratre relicto
Suſtulit immenſo ter jubar orbe ſuum.

Apud Maronem quoque Aeneid. lib. IV. 585. & IX. 460.

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Et

Quò properas, Aurora? mane. ſic Memnonis umbris
Annua ſollemni caede parentet avis.
Nunc juvat in teneris dominae jacuiſſe lacertis:
Si quando, lateri nunc bene juncta meo eſt.
Nunc etiam ſomni pingues, nunc frigidus humor:
Et liquidum tenui gutture cantat avis.

Quo

Et lib. XI. 1.

Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit.

Furius in Annalibus apud Macrobium lib. VI. cap. 1.

Interea Oceani linquens Aurora cubile.

Certe Puteaneus, & Arondelianus, *venit ſeniore marito. ſeniore lecto* pro *relicto* exaratum à properante manu fuerat. cujuſmodi errores in vetuſtis codicibus paſſim obſervavi, nec uno exemplo in hiſce ipſis Notis jam palam feci. Apud Valerium Flaccum locus extat inſignis, quo caſtigando nunc defungar. Is eſt libro VII. ubi de Medea agitur. ℣ſ. 357.

Cingitur inde ſinus, &, quae ſibi fida magis vis
Nulla, Prometheae florem de ſanguine fibrae
Caucaſeum promit, nutritaque gramina tabo:
Quae ſacer ille nives inter triſtesque pruinas
Durat alitque cruor.

Sic locum peſſime in vulgatis libris adfectum corrigo. verſu tertio in codicibus ante Carrionem editis legebatur, *Caucaſeum tonitru nutritaque gramina promit.* Carrionis liber:

Caucaſeum promit nutritaque gramina ponit.

Scriptum videlicet antiquitus fuerat, *gramina napo*, pro *tapo*, ſive *tabo*; nam *p* pro *b* vetuſtiſſimis exemplaribus haud raro irrepſiſſe deprehendas. cum haererent librarii, *ponit* repoſuerunt. *Tonitru* hic locum non habet, quod de fulmine poſtea ſit acturus Verſu quinto legitur in editionibus, *Durat editque cruor* nullo ſenſu. praeſertim cum *adeſo* ſequatur eodem verſu. nimirum *it* pro *alit* ſcripſerat librarius, omiſſis duabus prioribus literis ob cognationem τῶν *at* praecedentis verbi *durat*. ſic & apud Martialem lib. VII. Epiſt. XCIII. cum nunc legatur:

Non ab amore recens hircus, non ora leonis.

Et in tribus quatuorve, quos inſpexi, libris veterrimis, *non à leonis* ſit exaratum, haud dubito reponendum eſſe, *non ala leonis*, pro axilla. nam *alae* non hominum tantum, ſed brutorum quoque animalium. ſic *alas* elephanti aſſignat Plinius lib. XI. cap. XL. Ceterum quod diximus *b* & *p* frequenter confundi & miſceri in vetuſtis exemplaribus, id manifeſtum fit ex *pube* & *puppe*, *nube* & *rupe* confuſis. de quibus Notae ad lib. VII. Metam. ℣ſ. 51. & lib. XI. ℣ſ. 591. fuſius egerunt. *ſupprema crepuſcula* in Faſtis veterrimi codices, cum *ſub prima* ſit legendum. & apud eundem Valerium lib. VII. ℣ſ. 375.

Qualis adhuc teneros ubi primum pallida foetus
Mater ab excelſo produxit in aëra nido.

Cum *ſupremum* illic perperam ſcribatur. Haec in tranſcurſu. HEINSIUS.

1. *Seniore marito.*] Tithono. CIOFANUS.

3. *Sic Memnonis umbras Annua ſolenni caede parentet avis.*] Sic quidem in omnibus ferè editionibus legitur, quas vidi. At mihi videtur *Umbris* legendum eſſe, dativo caſu: ut ſit ordo, Sic annua avis parentet umbris Memnonis ſolenni caede, &c. Nam & Cicero hoc verbum cum dativo junxit. ut pro Flacco 38. *Litemus ergo Lentulo, parentemus Cethego.* & in Antonium XIII. 17. *Dolabella imperatori ſuo parentavit.* MICYLLUS. *Umbra* Farneſianus. alii nonnulli, *umbram.* Legendum, *umbrae*, vel, *umbris.* niſi ſequenti verſu pro *parentet*, cum Neapolitano & quatuor aliis reponas, *frequentet.* ut Metam. XI. 578.

Ante tamen cunctos Junonia templa frequentat.

Spartianus, *lactitiam publicam frequentare.* Non enim memini ſcriptores Latinos id verbum cum alio quam tertio caſu conjunxiſſe. pro *ſolenni caede* Sarravianus, qui eſt inter optimos, *ſolenni more.* & ſic pro diverſa lectione unus Vaticanus. Puto, *ſolenni Marte.* quomodo & lib. XIII. Metam. 619. in hac eadem fabula reponendum:

——*Parentali parituraе Marte rebellant.*

Ut ſuo loco pluribus dicemus. HEINSIUS.

3. *Memnonis.*] Memnon & Hemathio filii Tithoni ex Aurora. Apollodorus lib. III. CIOFANUS.

6. *Si quando*] Si aliquando, ſi unquam, ſupple, bene juncta fuit, nunc eſt. Eſt autem loquendi modus, quo nunc quoque materna lingua loquentes utimur. MARIUS. Plenius de hac formula agemus ad Val. Flac. V. 474.

7. *Nunc frigidus humor.*] *Frigidus aër* omnes fere olim editi, multi etiam, *& frigidus aër.* ſed optimi codices, *nunc frigidus humor.* an rorem intelligit, vel nebulas?

8. *Et liquidum tenui.*] *Tereti* Regius. HEINSIUS. Dubito an recte *teres* guttur dicatur de avibus illis, qui mane cantant; ſi ageretur de Ciconiis, & ſimilibus, facile admitterem, quamvis melius *teres collum*, quam *guttur* dicatur. Praeterea oppoſitio aptior inter *tenue guttur*, & *liquidum.* mirabile enim eſt, aviculas tam tenui gutture vocem tam liquidam edere. quare ego *tenui*, id eſt exili, retineo. eſt autem *liquidum*, idem quod clarum, ſonorum.

Quò properas, ingrata viris, ingrata puellis?
Roſcida purpureâ ſupprime lora manu.
Ante tuos ortus melius ſua ſidera ſervat
Navita; nec mediâ neſcius errat aquâ.
Te ſurgit, quamvis laſſus, veniente viator:
Miles & armiferas aptat ad arma manus.
Prima bidente vides oneratos arva colentes:
Prima vocas tardos ſub juga panda boves.
Tu pueros ſomno fraudas, tradisque magiſtris;
Ut ſubeant tenerae verbera ſaeva manus.
Atque eadem ſponſum conſulti ante atria mittis;
Unius ut verbi grandia damna ferat.

Nec

ita *liquidas avium* voces dixit Lucret. lib. II. *liquidam vocem* Horatius I. Od. 24. & *liquidum carmen.* vid. Barth. IX. adv. 9. BURMANNUS.

11. *Ante tuos ortus.*] In Puteaneo duo diſticha, *Prima bidente &c.* & *Tu pueros &c.* praeponebantur his duobus.

12. *Nec media neſcit an erret.*] Bene idem Puteaneus, *neſcius errat.* Ne enim neſcius erret, ſideribus refert acceptum, quae navem regunt. HEINSIUS.

14. *Miles & armiferas.*] *Et miles ſaevas* Puteaneus. nil muto. IDEM.

15. *Prima bidente vides oneratos arva colentes.*] In codice horrendae vetuſtatis hoc carmen ita legitur:

Prima ſubire jubes oneratos arva colonos.

Quod dignius eſt Naſonis ingenio, quam ſuperior verſus, ſi quis diligenter & ſenſum & compoſitionem utriusque conſideret. *Oneratos.* ſ. ruſticis inſtrumentis. *Subire arva*, è tugurio in arva ſeſe conferre. MARIUS. *Prima bidente vides* Maffeian. CIOFANUS. Scripti cum primis editionibus fere omnes:

Prima bidente vides oneratos arva colentes.

Et recte. nec male Junianus:

Prima bidente vides oneratos colla colonos.

Bidens enim raſtrum, inſtrumentum ruſticum. aut *raſter*, quod *bidenti* ſubintelligitur, apud Maronem, *raſtra bidentia:* ſic *tridens*, cum de Neptuni fuſcina agitur, *bidentes* etiam pro ovibus, ſed ad rem. Noſter Faſt. IV. 693.

Ille ſuam peragebat humum, ſive uſus aratri,
Sive cavae falcis, ſive bidentis erat.

Et ibidem de pace 927.

Sarcula nunc durique bidens & vomer aduncus
Ruris opes niteant.

Tibull. I. Eleg. I.

Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem.

Et Eleg. ult.

Pace bidens vomerque nitent.

Ita enim ſcribendum, non *vigent*, ex Naſonis loco apparet, quem ex lib. IV. paullo ante adduximus. idem Tibull. lib. II. Eleg. III.

Verſarem valido pingue bidente ſolum.

Juvenalis Satyr. III. 228.

Vive bidentis amans, & culti villicus Horti.

Ubi per *bidentem* agricultura deſignatur. HEINSIUS. Sic Chremes ille Terentianus numquam tam mane egrediebatur, quin Menedemum videret aliquid ferre, fodere aut arare, & in ipſa ſcena cum raſtris gravibus inducitur. vid Heaut. Act. I. Scen. I. BURMANNUS.

16. *Tardos.*] *Prima vides duros* Barberin. & Francofurt. *Vocas duros* duo alii codices. fruſtra. Epiſt. XVI. 56.

Nec patulo tardae carpitur ore bovis.

Juga panda etiam bene ſe habent, non *curva*, ut multi codices. vid. Epiſt. VI. 20. & I. Art. 318. BURMANNUS.

17. *Magiſtris.*] *Magiſtro* Vaticanus. *Verbera dura* duo codices

19. *Atque eadem ſponſi conſultum ante atria mittis.*] Alii, *ſponſos* atque ita à manu ſecunda Puteaneus. in quo legebatur:

Atque eadem ſponſum cultos ante atria mittis.

Et ſequenti verſu idem, *ferant*, pro *ferat.* quomodo & alii ex melioribus. Latet certe mendum. niſi mavis totum diſtichon à mala manu eſſe. Nam quid opus *conſulti* hic meminiſſe, cujus ſequenti verſu mentionem ſit facturus. Scribo interim:

Sponſos conſulti ante atria mittis.

Ut locus ſit τῷ *ferant* verſu proximo, ubi alluſit ad illud Thaletis dictum, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη, quod Auſonius in Thalete ſic vertit:

Sponde: noxia eſt praeſto tibi.

Sponſos dixit pro ſponſores: unicum illud verbum, *ſpondeo*, damnoſum. HEINSIUS. Non puto hoc diſtichon, ut adulterinum, facile configendum: ſenſus enim eſt, tu eadem, aurora, mittis (ſcilicet clientem) ad ſpondendum ante atria Juriſconſulti

Nec tu cauſſidico, nec tu jucunda diſerto:
Cogitur ad lites ſurgere uterque novas.
Tu, cum feminei poſſint ceſſare labores,
Lanificam revocas ad ſua penſa manum.
Omnia perpeterer. ſed ſurgere mane puellas
Quis, niſi cui non eſt ulla puella, ferat?
Optavi quoties, ne nox tibi cedere vellet;
Neu fugerent vultus ſidera mota tuos!
Optavi quoties, aut ventus frangeret axem,
Aut caderet ſpiſsâ nube retentus equus!
Invida, quo properas? quod erat tibi filius ater,
Materni fuerat pectoris ille color.

[Quid?

ſulti, ubi, dum ille ad reſpondendum ſurgit, excubare cogitur. *Sponſum* hic non eſt *ſponſorem*, quo modo uſurpari poſſe non puto, ſed eſt ſupinum a *ſpondendo*. & recte Cl. Perizon. ad Sanctii Minerv. lib. III. cap. IX. n. 1. notat haec ſupina non tam motum, quam finem ſignificare. & ita *ſponſum vocare* Horatius II. Epiſt. II. 67. vide quae nos olim ad Phaedr. I. Fab. 16. notavimus. *Mittere* vero ſimpliciter millies ponitur, pro aliquos, certos homines mittere. Nepos. Themiſt. 2. *Miſerunt Delphos conſultum.* eodem modo ut hic *ſponſum.* infr. II. Eleg. II. 5. *Miſi ſcriptoque rogavi.* vid. Celeb. Gron. ad Liv. VIII. 22. & Graev. ad Cicer. III. ad Att. 19. & alibi. & ita retineri poteſt *ferant*, illi ſcilicet, quos mittis. Unum vero illud verbum eſt, *ſpondeo*, quo utebantur in ſtipulationibus, & quo obligatio committebatur, & unde damnum ferebant. Et, ut recte Berſmannus & Heinſius, alluditur ad dictum Thaletis, quod apud Hygin. Fab. CCXXII. ita exprimit ineptus ſane verſificator:

Mileſiusque Thales ſponſori damna minatur.

Ridiculi illi, qui per *ſponſum* hic maritum intelligunt, ut Marius fecit. qui hic nihil vidit, ut nec Criſpinus, qui unum illud verbum conſulti explicat; ut ex conſulti verbo conſultor damnum ferat, & hinc in conſultos juris ſtringit calamum, qui uno verbo grandia clientibus damna importent. ô egregium & tempeſtivum vulturum togatorum cenſorem! BURMANNUS.

21. *Nec tu conſulto.*] Offendit haec vox Heinſium, & praecipue induxit, ut diſtichon praecedens induceret. ſed ſalva res eſt. ſuccurrit codex Barberinus, qui diſerte habet:

Nec tu cauſſidico, nec tu jucunda diſerto.

Ut ita diverſos faciat cauſſidicos a conſultis, patronis & oratoribus; de quibus egimus ad Petron. cap. XLVI. & dicuntur hic uterque ad novas lites ſurgere, quia quotidie alias & novas clientium cauſſas agunt. maxime huc facit Martial. lib. I. Epigr. 98.

Cum clamant omnes, loqueris tu, Naevole, ſemper,
Et te patronum cauſſidicumque putas.

Ubi diſtinguit patronum & cauſſidicum. vide Strebaeum ad Cicer. I. de Orat. 46. BURMANNUS.

21. *Diſerto es.*] Tolle *es*, ex auctoritate codicum praeſtantiorum. HEINSIUS.

23. *Tu ne feminei poſſint ceſſare lacerti.*] Puteaneus & tres alii:

Tunc cum foeminei poſſint ceſſare labores.

Alii plures, *Tu cum. labores* etiam eſt in Arondeliano. Tibull. II. Eleg. 163.

Hinc & femineus labor eſt, hinc penſa colusque.

Sil. III 350.

Cetera femineus peragit labor. HEINSIUS.

Ego quoque aptius *labores*, quam *lacertos*, dici puto. Valer. Flacc. II. 409.

Dona duci promit chlamydem, textosque labores.

Silius XIV. 665.

Depexaque vellera ramis
Femineus labor.

Ubi vide commentatores. haec vero illuſtrantur illis Obſequentis cap. CXXX. *Lux ita fulſit, ut tamquam die orto, ad opus ſurgeretur. Tu, cum feminei* codex Douzae. *Lanificas manus* etiam Moreti & ſex alii. BURMANNUS.

28. *Nec fugerent.*] *Ne fugerent* meliores. Quinque, *Neu.* HEINSIUS. Pro *ſidera mota*, quidam, *juſſa.* forte, pro *pulſa*; ut ea verba vidimus permutata Epiſt. XII. 135. alius, *nota.* Moreti, *tacta.* ſed omnes fruſtra: hujus & praecedentis verſus color ductus a re militari eſt, in qua *cedere, fugere, moveri loco*, dicitur exercitus. Ter. Prol. Hecyr. *Grex noſter motus loco eſt.* Valer. Flacc. III. 211. *Neque enim ignea cedunt Aſtra loco.* vide Serv. ad Virg. VII. 333 Noſter V. Faſt. 419.

Hinc ubi protulerit formoſa ter Heſperus ora,
Ter dederint Phoebo ſidera victa locum.

Et ita paſſim a Poëtis Sol & Aurora dicuntur *vincere, fugare* aſtra & ſidera. vide Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 88. BURMANNUS.

33. *Quid*

[Quid? si non Cephali quondam flagraſſet amore,
An putat ignotam nequitiam eſſe ſuam?]
Tithono vellem de te narrare liceret:
Fabula non coelo turpior ulla foret.
Illum dum refugis, longo quia frigidus aevo,
Surgis ad inviſas a ſene mane rotas.
At ſi quem manibus Cephalum complexa teneres;
Clamares; Lente currite noctis equi.

Cur

33. *Quid ſi non Cephali quondam flagraſſet amore, An putat ignotam nequitiam eſſe ſuam.*] Hi verſus aliunde irrepſiſſe videntur. nam quare Poëta tam ſubitò ex ſecunda perſona orationem in tertiam converteret, ac rurſus poſt duos hos unicos verſus, denuò ad priorem figuram orationis rediret? Deinde cum ſit apoſtrophe in iisdem verſibus, ad quemnam fieri eam dicemus? Aut cui iſta jactantur? *An putat ignotam nequitiam eſſe ſuam?* Adde quòd ſtatim in tertio diſticho idem exemplum repetitur: quae repetitio quaſi otioſa futura erat, ſi prior iſta exprobratio reciperetur. Sed tamen & alios de eadem re cogitare velim. Micyllus. De Aurorae in Cephalum amore ſic Hyginus cap. CLXXXIX. *Procris Pandionis filia: hanc Cephalus Deionis filius habuit in conjugio, qui cùm mutuo amore tenerentur, alter alteri fidem dederunt, ne quis cum alio concumberet. Cephalus autem, cùm ſtudio venandi teneretur, & matutino tempore in montem exiſſet, Aurora Tithoni conjux eum adamavit, petitque ab eo concubitum. Cui Cephalus negavit, quòd Procri fidem dederat. Tunc Aurora ait: Nolo ut fallas fidem, niſi illa fefellerit. Itaque commutat eum in hoſpitis figuram, atque dat munera ſpecioſa, quae Procri deferret. Quo cùm Cephalus veniſſet, immutata ſpecie munera Procri dedit, & cum ea concubuit. Tunc ei Aurora ſpeciem hoſpitis abſtulit. Quae cùm vidiſſet, ſenſit ſe ab Aurora deceptam, & inde profugit in Cretam inſulam, ubi Diana venabatur. Quam cùm Diana conſpexiſſet, ait ei: Mecum virgines venantur, tu virgo non es, recede.* & cap. CCLXX. enumerat Cephalum inter eos, qui formoſiſſimi fuerunt, ubi ita eſt: *Cephalus Pandionis filius, quem Aurora amavit.* Ciofan. Numeri huic diſticho duriores ſunt, quam quos pro ſuis Ovidius admittat. & ſane in optimo Puteaneo margini adſcriptum erat. idque manu recentiori, qui praeterea agnoſcit, *Quid ſi Cephalio.* Certe de Cephalo cum mox ſit acturus, otioſa eſt hoc loco ejus mentio. Mycillo etiam ac Grutero ſuſpectum habebatur hoc diſtichon. Heinsius.

34. *Nequitiam.*] Douza malebat, *nequitiem.*

35. *De te narrare liceret.*] *Liberet* puto. in Faſtis VI. 325.

Nec libet, & longum eſt epulas narrare deorum.

Ubi pari modo peccabatur. Heinsius.

36. *Femina non coelo turpior ulla foret.*] *Fabula* Puteaneus alter cum Excerptis Voſſianis. recte. Noſter ſupra lib. x. Eleg. IX.

Mars quoque deprenſus fabrilia vincula ſenſit,
Notior in coelo fabula nulla fuit.

Artis Amatoriae libro I. 561.

Fabula narratur toto notiſſima coelo,
Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.

Et lib. IV. Metam. 189. de eadem re:

—— *Diuque*
Haec fuit in toto notiſſima fabula coelo.

Seneca Thyeſte de Myrtilo 142.

—— *Notior*
Nulla eſt Ioniis fabula navibus.

Idem Hippol. 759.

Omnes per populos fabula diſtulit,
Phaedrae quem Bromio praetulerit ſoror.

Noſter in Triſt. IV. 10.

Nomine ſub noſtro fabula nulla fuit.

Am. III. Eleg. I.

Fabula (nec ſentis) tota jactaris in urbe.

Art. II. 630.

Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.

Apollo apud Tibull. lib. III. Eleg. IV.

Me quondam Admeti niveas paviſſe juvencas,
Non eſt in vanum fabula ficta jocum.

Idem lib. II. Eleg. III. de Apolline:

Fabula nunc ille eſt, ſed cui ſua cara puella eſt,
Fabula ſit mavult, quam ſine amore, Deus.

Statius Achilleide II. 273.

Aſt ego vel primae pueriliſ fabula culpae,
Narrabor famulis.

Neque aliter paſſim optimi auctores. vid. Weitz. ad Petron. pag. 206. Paſſer. ad Propert. pag. 166. Salmaſ. ad Hiſt. Aug. pag. 91. ita *fabulae literatae*, pro ſermonibus de literis, apud Capitolin. in Pertinace & Lamprid. in Alexandro. Heinsius. Vid. ad lib. II. Art. 561. plura.

37. *Longo quia marcet ab aevo.*] *Longo quia grandior aevo* Puteaneus & complures alii. Triſt. IV. 10.

Saepe ſuas volucres legit mihi grandior aevo.

De Macro. certe mox denuo ſequitur, *ſi vir tibi marcet ab annis.* hinc *grandaevus.* Heinsius. Mihi arridet maxime Herculani codicis ſcriptura, *longo quia frigidus aevo.* frigus enim ſenis vera cauſſa, cur refugeret maritum Aurora. & mox *ſene* ſequitur,

Cur ego plectar amans? si vir tibi marcet ab annis;
Num me nupsisti conciliante seni?
Adspice, quot somnos juveni donarit amato
Luna: neque illius forma secunda tuae.
Ipse Deûm genitor, ne te tam saepe videret,
Commisit noctes in sua vota duas.
Jurgia finieram. scires audisse; rubebat.
Nec tamen adsueto tardius orta dies.

tur, quod idem est quod, *grandior aevo.* II. Amor. VII. 9.

In te quoque frigidus esse.

Sic passim, *frigidae puellae*, & *tepidi viri.* BURM.

39. *At si quem Cephalum manibus.*] *Quem magis Cephalum* Puteaneus. *quod malles Cephalum* Jureti Excerpta. Scribe, *quem malles, Cephalum.* HEINSIUS. Mihi vulgata lectio elegantissima videtur. *Si quem Cephalum*, dictum pro quemcumque juvenem Cephalo similem, quemadmodum recte explicat Marius. ita Virgil. IV. Aeneid. 322.

Si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas.

I. Aeneid. 181.

Prospectum late pelago petit, Anthea si quem
Jactatum videat.

Ubi videndus Servius, & frustra alii, *si qua*, praeferunt. ita Epist. XIII. 65. ex MS. Lovaniensi:

Hectora, si quis is est, si sum tibi cara, caveto.

Infr. II. XIV.

Dicite quis Tereus, quis vos irritat Iäso?

Propert. II. I. 49.

Aut mihi si quis
Venerit alter amor.

Ita *nescio quis.* ut Eleg. seq. 49.

Nescio quam pro me laudat nunc ille Sygambram.

BURMANNUS.

40. *Lente currite Noctis equi.*] Nox filia Chai, quae ex Erebo fratre Aethera, & Diem peperit. Hesiodus in Theogonia. CIOFANUS.

41. *Plector.*] Legitur etiam *plectar* in exemplaribus. MARIUS. *Plectar* meliores. HEINSIUS.

42. *Non me.*] *Num* Puteaneus, & alii quidam ex praestantioribus. pro *consiliante*, quod in nonnullis est editionibus, *conciliante* reponendum. Anus lena apud Apulej. Metam. IX. *De isto quidem, mi herilis, tecum ipsa videris, si quae sine meo concilio, pigrum & formidolosum familiarem istum sortita es*, ita malo, quam *consilio*, quod nunc legitur. HEINSIUS.

43. *Aspice quos somnos.*] Lege, *quot* ex scriptis. & mox cum iisdem, *neque illius forma secunda tuae.* non *tua est.* Propert. lib. I. Eleg. II. ut scribendum:

Aspice quot submittat humus formosa colores.

HEINSIUS.

44. *Neque illius forma secunda tua est.*] Ita legitur vulgo, & exponit Commentator, *Nec tua* (scilicet Aurorae *forma est secunda illius:* hoc est, tu aequè pulchra es atque illa. Quae expositio non videtur respondere expostulationi. Nam cum Poëta in Auroram invehatur, magis conveniebat illam vituperari ab eo, quàm laudari. Legere itaque malim, *Nec illius forma secunda tuae est.* ut Poëta videatur Aurorae objicere exemplum Lunae, quae cum aequè pulchra sit atque illa, tamen patiatur juvenes & amantes dormire. MICYLLUS.

48. *Nec tamen est solito tardior orta dies.*] Legitur &, *assueto.* MARIUS. Magis placet, ut est in utroque Maffeiano, & in quibusdam impressis, *Nec tamen assueto tardius, &c.* CIOFANUS.

ELEGIA XIV.

Dicebam, Medicare tuos desiste capillos.
Tinguere quam possis, jam tibi nulla coma est.

At,

1. *Dicebam.*] Elegans usus hujus verbi, hoc tempore, quo frustra nos praemonuisse incredulos, quadam cum voluptate exprobramus. plura exempla collegerunt Passeratius ad Propert. lib. I. Eleg. 9. princ. & Barth. ad Stat. IV. Silv. III. ℣. 12. BURMANNUS.

2. *Tinguere quam possis.*] Puto rectius, *fingere.* ne bis idem dicat; jam enim *medicare capillos* praecessit. Med. Faciei:

Rure sedent, finguntque comas.

Art. Am. I. 306.

Quid toties positas fingis inepta comas?

At, si passa fores, quid erat spatiosius illis?
Contigerant imum, quâ patet usque, latus.
Quid? quod erant tenues, & quos ornare timeres;
Vela colorati qualia Seres habent?

Vel

Statius Theb. v. 228.
Aspiciens floremque genae & quas finxerat auro
Ipsa comas.
Virgil. lib. iv. 148.
——*Mollique fluentem*
Fronde premit crinem fingens atque implicat auro.
Metam. iv. 319.
Et finxit vultum & meruit formosa videri.
Remed. Am. 341.
Proderit & subito, cum se non finxerit ulli,
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Quod ad faciem referendum. Neque aliter Phaedrus lib. ii. Fab. 2. de viro opera duûm mulierum depilato, dum capillos ab iis ornari putat:
Cum se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est.
Sic scribo. vulgo, *pingi.* Tibul. lib. ii. Eleg. ii.
Et manibus canas fingere velle comas.
Propert. lib. iii. Eleg. x.
Et nitidas presso pollice finge comas.
Catalect. Petronii:
Fingere se semper, non est confidere amori,
Quid, quod saepe datur, cum prohibetur, adest.
Senec. Hippol. 371.
Et comas solvi jubet, iterumque fingit. Heinsius.

Quis dubitet, quin eleganter & Latine *fingere comas* dicatur. sed non id hic agitur. Non enim praemonuerat amicam Poëta, ne fingeret sive ornaret capillos, hoc enim nihil nocuisset crinibus, sed ne *tingeret* & *medicaret.* Medicamenta vero illa effecerant, ut fluxerint capilli, & jam calva conspiceretur: studuerat vero flavas comas (de quo feminarum studio obvia omnia) efficere, quas natura negaverat, sed venenorum & sucorum vis exederat comas. in uno Mentelii erat, *pingere.* forte, pro *ungere.* ut alibi hae voces permutatae. Junii vero codex, *pectere. Qua possis* Plantini Editio. Burmannus.

3. *Si passa fores.*] Si contenta naturali colore potuisses pati, id est non impatienter ferre nigros tibi capillos esse datos. ita *pati* simpliciter sumi docuit summus Gronovius ad Senec. Thyest. 468. & alii. Burmannus.

3. *Quid erat speciosius illis?*] *Spatiosius* Puteaneus cum duobus aliis, & Jureti Excerpta. recte. Heinsius. Sine dubio vera lectio. & ita conjecerat Douza. Valer. Flac. vi. 61.
Cui candidus olim
Crinis inest, natale decus, dat longior aetas
Jam spatium, triplici percurrens tempora nodo.
Confundi vero has voces, *speciosus* & *spatiosus*, vide ad iii. Metam. 56. *Pretiosius* tertius Palatin. *Formosius* Moreti primus. Burmannus.

5. *Tenues.*] Summa in capillis commendatio. infr. iii. x. 3.
Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos.
Vid. Broukh. ad Tibul. i. x. 68. & ex pleno horreo loca veterum de capillorum dotibus promentem, Junium de Pictura veterum lib. iii. cap. ix. §. 6. Burmannus.

5. *Quos ornare timeres.*] Codex Moreti pro diversa lectione, *spectare deceret.* forte, *pexare.* vide quae noto ad Metam. iv. 453. Heinsius.

6. *Vela colorati qualia Seres habent.*] Commentator, *Vela* hoc loco pro velleribus exponit, quòd vellera commodius cum capillis, quàm vela comparari queant. Sed haec expositio caret exemplis: neque enim alibi invenias *vela* pro velleribus posita. Proinde videtur haec similitudo ita accipienda esse, ut si dicas, capillitium illud totum ita fuisse tenue, ut sunt vela Serum. Aut rursum, pilos capilli illius ita tenues fuisse, ut simul juncti speciem talem praebuerint, qualem vela Serica solent. Micyllus. Recte vidisse Marium puto ineptam comparationem institui a tenuibus crinibus ad vela, quae lata & expansa sunt. nec tamen *vela* pro velleribus posse sumi credo. nec etiam *vela* pro vestibus Sericis dici eleganter posse puto, licet illae fluxae essent & laxae. nam quod Cicer. ii. Catal. 22. dicat socios Catilinae, *velis amictos non togis*, ostendit illa mollium virorum vela, ordinariis Romanorum vestibus opponi, & simul velis veris comparari posse. sed quaenam illa esset comparatio inter lata & fluxa vela Serica, & capillos tenues? qui singuli tenuitate sua fila referunt, non in unum collecta velum possent referre. unde mox vs. 23. *Graciles & lanuginis instar* dicit. ut *lanugo* etiam Seribus tribuitur a Poëtis saepissime. quare putem hic repetendam vocem ex sequenti versu *fila*, quae passim a Poëtis Seribus adscribuntur. Senec. Hippol. 388.
Quae fila ramis ultimi Seres legunt.
Claudianus Cons. Olybr. 102.
Filaque concreto cogit squalere metallo.
Amm. Marcel. xxiii. cap. 6. de Seribus: *Cumque ad coëmenda fila, vel quaedam alia, fluvium transierint advenae.* & hoc est quod postea dicit fuisse, *lanuginis instar.* ita enim *fila* Serum credebant veteres, ex lanugine arborum deduci. nam Virg. ii. Georg. 120.
Nemora Aethiopum molli canentia lana,
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.
Quem errorem Salmasius in exercitat. Plin. pag. 209.

Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum leve defertâ ſub trabe nectit opus?
Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis,
Sed, quamvis neuter, mixtus uterque color.

Qualem

209. refutavit. & eum ſequitur Ferrarius lib. I. de Re Veſt. cap. 19. & ita *toga filo tenuiſſima* III. Art. 445. ne vero odioſe repetatur vox *filum*, in ſequenti verſu cum uno Moreti legerem:

Vel pede quod gracili deducit aranea furtim.

Repetenda enim vox *opus* ex ſequentibus, quae cum *deducit* conjungenda. BURMANNUS.

7. *Vel pede quod gracili deducit aranea filum.*] Aelianus de Hiſt. Animalium lib. I. cap. XII. CIOFANUS. *Fragili* in altero Medicêo. unde *facili* conjiciebat Heinſius. *Producit* Sarravii. fruſtra; nam *gracilis* & *deducere* propria in hac re verba, ut & in lanificio puellarum. Ennius apud Nonium in *Gracilentum*:

Deducunt habiles radios filo gracilento.

Ita Lipſius conſtituit hunc verſum, approbante Columna, & Broukhuſio ad illa Propert. IV. Eleg. III. 33.

Et Tyria in radios vellera ducta ſuos.

Ubi Heinſius ad Valer. Flac. VI. 223. mallet, *in calathos lecta*, vel, *in radios texta.* ſed fruſtra. *ducta* enim recte, ut hic *deducere.* ſed ille locus docet apud Ennium male *radios deduci* dici *filo*, cum contra fila vel vellera radiis vel per radios deducebantur. quare legerem:

Deducunt habiles radio, filo gracilento.

Scilicet *lanam.* Ut agatur de ancillis Lucretiae lanam facientibus: nam Columnae ratio non ſatis ſolida, qui ex libro VII. Annalium Ennii verſum eſſe contendit, ubi res longe poſt violatam Lucretiam narrantur, cum Merula ad Enn. pag. 321. ex libro III. deſumtum eſſe veroſimilius conjiciat. *exiles digitos* Noſter VI. Met. 143. vocat, quos hic *graciles pedes.* Servius ad Virgil. II. Georg. 120. *Apud Indos & Seres ſunt quidam in arboribus vermes, & bombyces appellantur, qui in aranearum morem tenuiſſima fila deducunt.* ita editi. ſed MSS. Codex Leidenſis, *ducunt*, ut Propertius. & ad haec adducta illa Virgilii in Culice comparatio:

Luſimus, Octavi, gracili modulante Thalia,
Atque araneoli tenuem formavimus orſum.

Ut enim aranea *tenuem orſum*, id eſt filum, quod orditur, tenue format pede gracili, ita nos gracili Muſa luſimus. nam & *deducere carmen*, quo Noſter I. Metam. 4. & alibi ſaepe utitur, deducta hinc metaphora, dictum. unde Columella lib. X.

Tenui deducere carmine Muſa.

Et ibidem:

Gracili connectere carmina filo.

Martial. VIII. 33.

Lenta minus gracili creſcunt colocaſia filo.

Auſonius in Moſella, *ſubtili filo nere carmina* dixit:

Mollia ſubtili nebunt mihi carmina filo
Pierides, tenuique aptas ſubtemine telas
Percurrent.

Et Horat. II. Epiſt. I. 225. *Tenui deducta poëmata filo.* ad lib. I. Triſt. I. 39. in codice Leidenſi erat gloſſa haec, *deducta. tractum eſt a filo, quod ſubtiliter deducatur a caelo* (*a tela* legebat Heinſius) *& ita carmina a mente compoſitoris. unde alibi in Ponto: Accipe Pompeji deductum carmen ab illo.* & alibi, in Honorato: *ſubtili deducta poëmata filo.* & hinc *tenuare carmen* Propert. III. Eleg. I. ita *deductum carmen* apud Virgil. VI. Eclog. 5. non tenue hac ratione, ut humile ſit reſpectu Epici, ſed ut recte Macrobius VI. 4. & Erythraeus in Indice, ſubtile, elegans, tenue. ſic Juvenal. Sat. VII. 54.

Egregius vates, cui non ſit publica vena,
Qui nihil expoſitum ſoleat deducere.

Contra Cicero IX. ad Fam. 12. *Munuſculum levidenſe, craſſo filo.* ubi non ſatisfaciunt viri docti, qui *levi dente* corrigunt, ut Octavius Pantagathus, & nuper ejus conjecturae aſſertor, vir egregie doctus, Heumannus, in Miſcel. Lipſienſ. tom. VIII. pag. 87. nam *levi dente* opus aliquod recte dici, vellem nobis oſtenderent idoneo quodam auctore; nec magis tamen *levidenſe* placet, quam vocem Latinis veteribus inauditam fuiſſe puto. quid tamen reponendum ſit vix dijudico. an *levi penſo*, id eſt opera facili & levi compoſita oratio. ſed ut redeamus in viam. ita dixit, *craſſa fila deducere* Noſter Epiſt. IX. 77. & quae plura obvia. Ceterum ut *tenuare*, & *tenui filo deducere.* ita & eodem ſenſu *eliquare* Perſius Sat. I. 35.

Eliquat & tenero ſupplantat verba palato.

Et Apulej. in Floridis, *canticum ore tereti eliquare*; quod verbum etiam in lanificio occurrit. ita Tertul. de Pallio cap. 3. *Dumque pertentat, & quod facilitas materiae ſuadebat, tractu proſequente filum eliquat.* & paullo poſt de Bombyce, *quae per aërem eliquando araneorum horoſcopis idonius ſedes tendit.* Salmaſius edidit, *per aërem liquando*, ſed cum teſtetur in MSS. eſſe, *per erema liquando*, nos *eliquando* reſcribendum eſſe putamus. & ipſe ſupra Tertullianum, *filum eliquare* dixiſſe notat. Caſaub. ad locum Perſii vult metaphoram eſſe a metallis, quae liquata molleſcunt; ſed rectius a lana, quae tracta & deducta etiam molleſcit, unde Noſter III. Metam. 411.

Lanam mollire trahendo.

Neſcio an Caſauboni animo obverſata fuerint illa Prudentii in Hamartig. 259.

Qualem clivosae madidis in vallibus Idae
Ardua dereptâ cortice cedrus habet.
Adde, quod & dociles, & centum flexibus apti,
Et tibi nullius caussa doloris erant.
Non acus abrupit, non vallus pectinis, illos:
Ornatrix tuto corpore semper erat.

Ante

Dum scatebras fluviorum omnes, & operta metalla
Eliquat ornatus.

Sed ille capiendus de filis aureis, quae intexebant vestibus, quae eliquari vel deduci antea debebant. & ita vehementer dubito, an non hoc verbum reddi posset nostro Nasoni lib. IV. Metam. 176. ubi Vulcani retia, quibus Venerem & Martem deprehendit, comparat Aranearum telis, & staminibus tenuissimis:

Extemplo graciles ex aere catenas
Retiaque & laqueos, quae lumina fallere possint
Eliquat.

Vulgo legitur *elimat*, sed lima vix tam tenuia fila, unde retia illa facta sunt, fieri credibile est: quae lumina possent fallere. sed *eliquatis* sive deductis ex filis texta retia rectius fingemus: nec morari debet syllaba producta, cum in *liquere*, *liquare* & inde deductis prima syllaba sit anceps. vid. ad III. Metam. 486. & alibi. sed haec jam plus satis, & praeter morem nostrum. BURMANNUS.

8. *Nectit opus.*] *Texit* vel *nevit* malebat olim Heinsius. deinde cum in Ambrosiano repperisset, *fingit*, illud praetulit; & ita codex Douzae. de quo verbo plura ad I. Fastor. 158. ego nihil muto. BURMANNUS.

9. *Nec tamen ater erat &c.*] Ita Bathylli comas Anacreon pingi vult Od. XXIX.

Λιπαρὰς κόμας ποίησον,
Τὰ μὲν ἔνδοθεν μελαίνας,
Τὰ δ' ἐς ἄκρον ἡλιώσας.

Ubi viri docti hunc Ovidii locum recte adducunt. BURMANNUS.

9. *Nec erat color aureus ille.*] Sic in uno Maffeian. sicque legendum persuadet ratio & sequens carmen. CIOFANUS. Puteaneus & quidam alii, *neque erat tamen aureus ille.* nonnulli, *nec erat tamen aureus illis.* utrumque bene. HEINSIUS.

12. *Direpto cortice.*] *Derepto* Puteaneus. sic & paulo post codex idem, *derepta acu.* dixi supra ad Eleg. V. ỷs. 1. optimus Palatinus, *directa cortice.* Lego, *derepta.* nam Nostro ea vox ut plurimum foeminini est generis, de qua ad Metamorph. IV. 375. & Nuce 38. *derepta pelle* de Marsya in Ibide 551. ex scripto codice. HEINSIUS.

12. *Cedrus.*] Piniferam plerumque Poëtae faciunt Idam. sed forte piceam intelligit, quam *nigrantem* vocat Virgil. IX. 87. & quae in silva *Pinea* erat; male ibi Servius umbrosam exponit, cum rariora habeat folia, teste Plinio XVI. cap. 10. Piceam vero fuisse speciem Cedri idem Servius ex Plinio docet ad VI. Aeneid. 180. quod tamen in Plinio reperire non potui. similem vero Cedri & Piceae naturam in eo, quod detracto cacumine intereant, scribit lib. XVII. cap. 24. quod folia sint capillata Pino & Cedro lib. XVI. 24. & Homerus Odyss. E. 60. Cedrum & Pinum, sive Laricem, Pini speciem conjungit teste Plin. XIII. cap. 16. ubi vid. Comm. & lib. XVI. cap. 10. quintum genus Laricem dicit, quem locum an respexerit Servius nescio. quidquid sit, Cedrum in Ida nasci nusquam alibi legi. Marius de Ida Cretensi videtur hic suspicari, quia Plinius Cedrum in Creta nasci ait. sed per Idam, simpliciter positam, fere Phrygium montem Poëtae intelligunt. BURMAN.

13. *Et dociles.*] Tres libri, *faciles.* quae eadem varietas I. Art. 267. duo, *fragiles.* sed nihil muta. Claud. de Rapt. II. 30.

Indociles errare comas.

Id est passas, sparsas, quae in cincinnos flecti non erant adsueti. vid. Barth. ad Stat. IV. Theb. 743. & de voce *docilis* & *indocilis* Passer. ad Prop. I. 2. pag. 146. ita de alia re. Val. Flac. VI. 237.

Docilis relegi, docilisque relinqui.

Est vero idem quod Petron. 126. dicit, *crines ingenio suo flexos.* BURMANNUS.

15. *Non vallum pectinis, &c.*] Observa hoc loco similitudinem: ut enim dentes pectinis ordine se sequuntur, ita & in vallo pali. Est autem *vallum*, quod nostri vulgò ein stacken appellant. MICYLLUS. *Vallus* legit ex codice Arondeliano, qui Pirckeimeri olim fuit, in Observationibus Gronovius, ut & Metam. VIII. 286. *Stantque velut vallus setae.* qui consulendus. Observ. lib. III. cap. XVIII. Tibul. I. Eleg. 10.

Non arces, non vallus erat.

Ubi Gujetius legit, *acies.* forte, *aries.* HEINSIUS.

16. *Ornatrix tuto corpore.*] Praetereunt haec interpretes, & tamen difficultate carere mihi non videntur: insolentior enim locutio, ut ornatrix, quae non laedit dominam, dicatur fuisse tuto corpore, quod potius notaret, ornatricem non fuisse laesam. & hoc forte movit virum illustrem Ezech. Spanhem. ut legeret ad Julian. Caesares pag. 300. *Toto corpore semper erat.* utitur autem hoc loco, ut probet ornatrices non tantum crinibus comendis, sed toti corpori colendo adhibitas. sed aeque insolens esset hoc sensu dicere, *Ornatricem toto corpore* esse, quod deberet hic notare nulla parte corpo-

Ante meos ſaepe eſt oculos ornata; nec umquam
Brachia dereptâ ſaucia fecit acu.
Saepe etiam, nondum digeſtis mane capillis,
Purpureo jacuit ſemiſupina toro.
Tum quoque erat neglecta decens: ut Threcia Bacche,
Cum temere in viridi gramine laſſa jacet.

Cum

corporis ſauciatam, vel laeſam. vid. VI. Met. 142. Codices vero hic nihil variant, quia vero millies voces *corpore* & *carmine* confunduntur, poſſet, *tuto carmine* legi, ſi ea voce in pectendis capillis liceret uti, ſicut in lanificio. de quo vid. Heinſ. & Barth. ad Claud. II. Eutr. 458. ſed vix audeo id Ovidio tribuere. videant acutiores. vulgata ſcriptura ſi ſervanda eſt, ita interpretanda forte erit; capillos illos fuiſſe tam dociles, ut numquam dominam ad iram provocaverint, quae, ſi crines nollent ſponte ornari, ſed ſaepe reſolvendi eſſent, vel rumperentur, in ornatricem ſaeviebat. ita III. Art. 239.

Tuta ſit ornatrix; odi (ſcilicet puellam,) *quae*
Sauciet ora, (ſcilicet ornatricis)
Unguibus, & rapta brachia figit acu.

Tuta corpora dixit & Celſus, lib. II. cap. 14. quae febre carent. BURMANNUS.

17. *Ante meos oculos ſaepe eſt ornata.*] Etiam hic fit ſubita tranſitio a perſona in perſonam. Itaque ut in ſuperiore Elegia verſus quosdam abundare diximus, ita hic reliquos deſiderare poſſis. Nam alias Ovidianum non eſt, tam ſubito & quaſi ex abrupto figuram orationis convertere. Adde quod & nominativus ſubſtantivi ſive ſuppoſiti deſideratur, cum inquit: *Ante meos oculos ſaepe eſt ornata, &c.* ut poſſis de alia, quàm ad quam hactenus ſermo factus eſt, verbum *Ornari*, & quae ſequuntur, intelligere. Sed quia infrà ſimili ferè tranſitione utitur, tribuimus affectui hoc loco, quod aliàs ἀνακολουθίᾳ futurum erat. MICYLLUS.

18. *Brachia direpta ſaucia fecit acu.*] Jam ſupra monuimus *derepta* legi in optimo Puteaneo, ſed quia paulo ante *derepto cortice* habuimus, minus hoc loco id verbi nunc placet. Nonnulli, *directa acu.* Puto, *correpta acu.* Sed & *brachia fixit* pro *fecit* ſcribendum vel invitis membranis:

Brachia correpta ſaucia fixit acu.

Ecce locum prorſus ſimilem libro III. Artis Amatoriae 239.

Tuta ſit ornatrix. odi, quae ſauciat ora
Unguibus, & rapta brachia figit acu.

Ita & *acu figi* crines dicebantur. ut apud Martialem lib. II. Epigr. LXVI.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus. incerta non bene fixus acu.

Quo loco malim reponi, *torto orbe.* quomodo apud Noſtrum paulo poſt ſequetur:

—— *Torto flexilis orbe ſinus.*

Ipſe Martialis in Apophoretis Epigr. XI,

Tenuia ne madidos violent bombycina crines,
Figat acus tortas ſuſtineatque comas.

Magae quoque ſimulacra cerea acu figebant. Hinc *figere* & *defigere* verba magica. de quibus ad Epiſt. VI. ver. 91. ubi de Medea:

—— *Simulacraque cereа figit,*
Et miſerum tenues in jecur urget acus.

Amor. III. Eleg. VII.

Sagave poenicea defixit nomina cerâ,
Et medium tenues in jecur egit acus. HEINSIUS.

Poſſent haec capi, ut modo diximus, de domina non ſolita ſaevire in ornatricem, ſed quia hic de eo non agitur, ſed de capillorum ingenio, quae tutam ornatricem praeſtabant, *acus directa* poſſet ita capi, ut numquam, ne per imprudentiam quidem ornatricis, manus aberraret, & acum, qua figebat crines in annulos & cincinnos flexos, dirigere in brachia dominae poſſet: cum enim flecterent ornatrices Puellarum crines, cincinnos & annulos, acu fixos & pendentes relinquebant, dum reliquos criſparent. tam cautam vero hanc fuiſſe dicit, ut numquam acus ulla dirigeretur ex cincinno jam fixo, in brachia puellae, quae inde laeſa fuiſſent, ſed adhaeſerit firmiter ſuo cincinno. ita interpretor in Martiale illa, *incerta non bene fixus acu. ſaucia* etiam *fecit*, non *fixit* legendum: *figere* enim malitiam & conſilium ornatricis indicaret. neque laudat eam, quod non malitioſe laeſerit umquam dominam, quae enim inde praecipua laus? ſed laudat capillos, quod ita ingenio ſuo ad flectendum erant apti, ut *erudirent ipſas acus*, ut vers. 30. dicit, ita ut nulla per imprudentiam ornatricis acus inde excideret, vel ſolutis capillorum flexibus emineret, ad laedenda brachia, in quae dependebant cincinni, dominae. *Saucia* vero *fecit* pro *ſauciavit*, ut, *facere ſciſſas genas*, pro *ſcindere* Propertium dixiſſe oſtendit Paſſeratius ad lib. II. Eleg. 18. & multis exemplis illuſtrat. ſic *udas genas facere* alibi. & ipſe Heinſius ad Epiſt. XX. 82. ingenti exemplorum numero *ſaucia facta*, & ſimilia illuſtravit. fateor vero haec nondum ad liquidum perducta, neque mihi ipſe ſatisfacio. BURMANNUS.

19. *Nondum digeſtis.*] Id eſt ſparſis & paſſis. Martial. III. 61.

Ille etiam flexos qui digerit ordine crines.

20. *Purpureo jacuit ſemiſopita toro.*] Manuſcripta quaedam exemplaria habent, *ſemiſupina*, id eſt in latus cubans. MARIUS. Sic legendum ex eodem

Cum graciles eſſent tamen, & lanuginis inſtar;
Heu mala vexatae quanta tulere comae!
Quam ſe praebuerunt ferro patienter & igni;
Ut fieret torto flexilis orbe ſinus!
Clamabam, Scelus eſt, iſtos ſcelus urere crines.
Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo.
Vim procul hinc remove. non eſt qui debeat uri;
Erudit admotas ipſe capillus acus.
Formoſae periere comae: quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.
Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
Pingitur humenti ſuſtinuiſſe manu.

Quid

Maffeiano. malè in altero, *ſemiſupina:* in excuſis quibusdam malè item eſt, *ſemiſepulta.* corripit autem hoc loco primam in *ſopita*, quam alibi producit. Ciofanus. Gruterus è Palatino annotabat, *Purpureo jacuit ſemiſupina toro.* Dan. Heinsius. *Semiſupina* ex Puteaneo aliisque melioribus ſcribendum monui ad Epiſtolam decimam. ℣ſ. 15. Heinsius. Barthius ad Stat. IV. Theb. 743. legit, *ſemiſopora.* ſed *ſemiſupina* rectum eſt, ut ſcilicet paratior videretur amatori, ſi ſuperveniret. hic enim, judice noſtro, artifice & magiſtro nequitiae, aptiſſimus ad venerem ſitus. vide lib. III. Art. Am. 788. Burmannus.

21. *Ut Thracia Bacche.*] *Threcia* Puteaneus recte. vide Notas ad Epiſt. XIX. ℣ſ. 26. proximè verum duo Vaticani, in quibus, *tetrica* & *territa.* Heins.

22. *Temere.*] Horat. II. Od. II.

Cur non ſub alta vel Platano vel hac
Pinu jacentes ſic temere. Douza.

Tenere margo Berſmanni.

23. *Cum graciles eſſent tamen.*] Non ſatisfaciunt numeri. Sarravianus & Vaticanus unus, *tanquam lanuginis.* Mentelianus, *tantum*, cum uno Medicêo. unus meus, *cum & lanugines.* Excerpta Jureti, *tamen & ſunt luminis inſtar.* Puto ſcribendum:

Tam graciles laeveſque tamen lanuginis inſtar.

An *teretesque tamen?* ut apud Nonium in *jactare.* Varronem Eumenidibus, *Tibi nunc ſemiviri teretem comam volantem jactant tibi Galli. teretes* quaſi *torno* facti. *aures teretes* pro politis apud Ciceronem. *teretes digiti, rami* & ſimilia apud Poëtas. Heinsius. *Teretes* digitos, aures, collum, pedes, dici patior. ſed crines quis *teretes* vocavit unquam, quae tenuitate ſua ita dici vix merentur. in Varronis loco mallem *teretes*, ut ita apud Petron. cap. 23. quidam legunt, *molles, teretes*, id eſt *ſemiviri, teretes.* Burmannus.

24. *Heu male.*] *Mala* omnino legendum eſt, ut in MSS. ut ſit, *quanta mala.* Marius.

24. *Vexatae.*] Vide quae ad Petronii cap. LX. notavimus.

25. *Quam ſe praebuerant.*] Malim, *praebuerunt.* nam *praebuerint* duo libri. Vide Notas Epiſt. VII. 166. Heinsius.

26. *Nexilis orbe ſinus.*] *Flexilis* multi ex ſcriptis. quod rectius videtur. quamquam non me latet apud Marc. Capel. lib. IV. initio occurrere, *crines tortuoſos decentique inflexione criſpatos & nexiles.* Valer. Flaccus lib. V. 589.

Cui chlamys & multâ ſpirat coma flexilis aurâ.

Martial. lib. X. Epiſt. LXV.

Tu flexa nitidus coma vagaris.

Idem lib. I.

Flectere te nolim, ſed nec turbare capillos.

Et libr. III. Epigr. LXIII.

Bellus homo eſt flexos qui digerit ordine crines.

Juvenalis Sat. VI.

—— —— *Taurea punit*
Continuo flexi crinem facinusque capilli.

Manilius libro V. ut corrigo:

Illis cura ſui cultus, frontisque decorae
Semper erit, tortosque in flexum ponere crines.

Sic & *flexae ambages.* de quibus dictum Metam. VIII. ℣ſ. 160. in Arondeliano, *plexilis. & corona plectilis* Plauto Bacchidibus. *Plectiles Syllogiſmos* Prudentius dixit Apotheſeos Praefatione. Στέφανος πλακτὸς Euripidi Hippolyto. Heinsius. Vide Salmaſ. ad Capitolini Pertin. cap. XII.

27. *Clamabam.*] Petron. cap. XLVI. *Ideo illi quotidie clamo: Primigeni crede mihi, quidquid diſcis, tibi diſcis.* ubi vide notata. Burmannus.

29. *Non eſt.*] Scilicet capillus aliquis: omnes enim decori ſunt. Marius. Male. plena locutio eſt, non eſt is capillus, qui debeat uri. vid. ad Epiſt. XX. 49.

31. *Formoſae periere comae, quas vellet Apollo, Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.*] Expoſui hunc locum lib. IV. in meis in Metamorph. obſervationibus

Quid male disposítos quereris periisse capillos?
Quid speculum moestâ ponis, inepta, manu?
Non bene consuetis a te spectaris ocellis.
Ut placeas, debes immemor esse tui.
Non te cantatae laeserunt pellicis herbae;
Non anus Haemoniâ perfida lavit aquâ.
Nec tibi vis morbi nocuit; (procul omen abesto)
Nec minuit densas invida lingua comas.
Facta manu culpâque tuâ dispendia sentis.
Ipsa dabas capiti mixta venena tuo.
Nunc tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatae munere gentis eris.

O

nibus. CIOFANUS. *Quas portet* optimus Palatinus. Lego, *quas optet*. HEINSIUS.

33. *Contulerim.*] Comparaverim. ut apud Juvenalem Sat. I. 105.

Sed quinque tabernae
Quadringenta parant: quid confert purpurae amator
Optandum? si, &c.

Sic enim omnino legendum est illud Juvenalis carmen ex vetusto codice, non ut perperam in omnibus impressis exemplaribus hucusque & lectum, & ab illis, qui in Juvenalem catervatim commentaria edidere, expositum est. MARIUS.

35. *Quid male compositos.*] Non damno hanc lectionem. libri tamen meliores cum Puteaneo, *dispositos capillos*. Pont. lib. III. Eleg. III.

Non bene dispositas comtus, ut ante, comas.

Martial. lib. XII. 84.

Dicet Achilleas dispositse comas.

Tibul. lib. I. Eleg. VIII.

Saepeque mutatas dispositse comas.

Et Eleg. IX.

Tune putas illam pro te disponere crines?

Seneca in Fragmentis:

Sunt quae Junoni ac Minervae capillos disponant.

Similis varietas in Catalectis Petronii Epigr. ad Basilicum. ubi V. C. Vossii:

Semper dispositas parte decente comas.

Forte hic legi posset, *dic positos*. HEINS. *Dispositos* rectum est, ut supra *digestos* dixit Vide Salmasium de Coma. pag. 301. ubi docet, *disponere* esse per flagella & granos distinguere. BURMANNUS.

40. *Non anus Haemonia perfida lavit aqua.*] Legitur etiam in MSS. exemplaribus, *laesit*. recte utrumque. MARIUS. Tacent hîc interpretes, quos certus tum nihil horum intellexisse. Mihi quidem ista magicae artis species prorsus ignota est. quanquam succurrunt illa ex libro II. Fastorum 39.

Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Caede per Haemonias solvit Acastus aquas.

Sed illic de lustratione Pelei, re apud Thessalos gestâ, agitur. quomodo & apud Propert. lib. III. Eleg. 22.

Quae mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.

Libri nonnulli veteres ab aliis inspecti, tum ex nostris Neapolitanus, Palatinus optimae notae, & meus chartaceus, *laesit aqua*. Opinor scribendum:

Non anus Haemonia perfida laesit acu.

Ut ad defixiones magicas referatur. de quibus nonnihil paulo ante diximus, & Epistola VI. ℣. 91. HEINS. Non intelligenda species quaedam magicae artis peculiaris & obscurior, sed capiendum de aqua magica sive avernali, vel stygia, ut passim Poëtae vocant, qua utebantur magae in nefariis suis sacris, & qua aspergere res, quibus nocere volebant, passim dicuntur. vide quae Passeratius notat ad Propert. IV. Eleg. I. 120.

Umbra nec haec magicis mortua prodit aquis.

BURMANNUS.

41. *Non tibi.*] *Nec* scripti. ut & sequenti versu. HEINSIUS.

42. *Nec timuit.*] Sic in exemplaribus quidem impressis legitur: sed sensus contrarius & ineptus ex hac lectione eliceretur. unde legendum omnino, ut in manuscripto codice vidimus, *Non minuit*: ita enim apertissimus erit sensus. nam comae minuuntur capillis defluentibus. MARIUS.

45. *Nunc tibi captivos mittet Germania crines.*] Et ex hoc loco, & ex aliis, quos adferam, cognoscitur Germanos capillum nutriisse. lib. I. Fastor.

—— Sparsos Germania crines
Porrigit.

Lib. IV. De Ponto Eleg. II.

Squallida prolixis qui tegit ora comis.

Et paullo post:

Crinibus en etiam fertur Germania passis.

CIOFANUS.

46. *Tuta*

O quam ſaepe, comas aliquo mirante, rubebis;
Et dices, Emtâ nunc ego merce probor!
Neſcio quam pro me laudat nunc iſte Sygambram;
Fama tamen, memini, cum fuit iſta mei.
Me miſerum! lacrimas male continet; oraque dextrâ
Protegit, ingenuas picta rubore genas.
Suſtinet antiquos gremio ſpectare capillos,
(Hei mihi!) non illo munera digna loco.
Collige cum vultu mentem. reparabile damnum eſt.
Poſtmodo nativâ conſpiciere comâ.

46. *Tuta triumphatae.*] Vetus lectio eſt, *culta*, id eſt ornata, & ſic dubio procul legendum. Marius. Male Puteaneus aliique complures, *Tuta*. hae duae voces frequenter in libris antiquis confunduntur. ſic apud Martialem ſcribendum lib. IX. Epigr. 18. de ſpeculo Earini:

Addidit & nitidum ſacratis crinibus orbem,
Quo felix facies judice culta fuit.

Cum in optimo Thuaneo codice. *tuta*, legatur. vulgati, *tota*. frigide. ſic *colere* pro ornare. Art. Am. III. 225.

Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus.

Idem Martialis lib. XIV. Epiſt. 26.

Captivis poteris cultior eſſe comis.

Contra apud Lucan. lib. IX. 945. ſcribendum:

Surgere congeſto nunc tuta mapalia culmo.

Cum in ſcriptis editisque quotquot vidi, *non culta* legatur, niſi quod Richelianus, *nunc culta. Tuta* adverſus arenam. Heinsius. *Pulchra* Sarravii codex. de crinibus Germanorum vide Lipſ. ad Tacit. Germ. cap. IV.

47. *O quam ſaepe comas aliquo.*] *O quam ſaepe aliquo crinem* codex Douzae, Vaticanus & duo Moreti. *Aliqua* Palatinus. *Aliquo vultum mirante* alter Moreti.

49. *Nunc ipſe.*] Vetus & melior lectio eſt, *nunc iſte*. Marius.

49. *Sicambram.*] Sarravianus, *Sycambram*. Puteaneus, *Sygambram*, quae vera ſcriptura. Sic & in Claudiani veterrimo codice ſcribebatur. Ptolemaeo, Σύγαμβροι· Σέγαμβροι Straboni ſunt. ſic & conſolatione ad Liviam legendum 17.

Ille genus Suevos acre indomitosque Sygambros
Contudit.

Et 311.

Nec tibi deletos poterit narrare Sygambros. Heins.

Juvenal. Sat. IV. 147. in veterrimis exemplaribus:

De Cattis aliquid torvisque Sygambris
Dicturus.

Vide Valeſiana pag. 90.

50. *Iſta mea.*] *Mei* rectius tres ſcripti. Neapolitanus, *Forma*, ut & Regius. Forte:

Forma tamen memini cum fuit iſta meis.

Nimirum comis. quod praeceſſerat. Heinsius.

52. *Picta rubore.*] *Tincta* Moreti. vid. Epiſt. IV. 72.

53. *Spectatque capillos.*] Legitur in manuſcriptis etiam *ſpectare*, recte utrumque. Marius. *Spectare* ſex ſcripti, cum Excerptis Jureti, quae tu, Philiberte Mari, vir humaniſſime & ad omnem facte comitatem, mei juris feciſti. ea ſcriptura placet. ſic *ſuſtinet ire* IV. Metam. 447. & lib. VI. 562.

Suſtinet ad Prognen poſt talia facta reverti. Heins.

Ita & codex Douzae.

54. *Munera digna.*] *Crimina digna* codex Francofurtenſis.

55. *Collige.*] *Corrige* Barber. & Palat. tertius.

56. *Conſpiciere.*] Mallem, *conſpiciare*, ut ſit monentis; damnum, ait, eſſe reparabile, ſi modo poſtea a tingendis comis abſtineat, & velit conſpici nativa coma.

ELEGIA XV.

QUid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos;
Ingeniique vocas carmen inertis opus?

Non

1. *Quid mihi livor edax ignavos objicis annos.*] Reſpondet Poëta hac Elegia iis, qui Poëticen ignaviam quandam dicunt: carminaque ipſa, opera inertium atque ocioſorum ingeniorum. Defendit autem ſtudium ſuum, hoc eſt Poëticen, collatione ceterarum artium, ab effectu. nam militiam,

Non me more patrum, dum ſtrenua ſuſtinet aetas,
Praemia militiae pulverulenta ſequi:
Nec me verboſas leges ediſcere: nec me
Ingrato vocem proſtituiſſe foro.
Mortale eſt, quod quaeris, opus. mihi fama perennis
Quaeritur: in toto ſemper ut orbe canar.
Vivet Maeonides, Tenedos dum ſtabit & Ide:
Dum rapidas Simoïs in mare volvet aquas.
Vivet & Aſcraeus, dum muſtis uva tumebit:
Dum cadet incurvâ falce reſecta Ceres.
Battiades ſemper toto cantabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.
Nulla Sophocleo veniet jactura cothurno.
Cum Sole & Lunâ ſemper Aratus erit.
Dum fallax ſervus, durus pater, improba lena
Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.

Ennius

tiam, juriſprudentiam, eloquentiam forenſem, & ſimilia, quaſi quaedam mortalia opera parere, fructusque eorum interire. Poëmatum autem & carminum famam immortalem eſſe: idque probat exemplis Poëtarum tam ſuae aetatis, quàm vetuſtiſſimorum. Micyllus.

1. *Livor edax.*] Imitatus Seneca Hippolyto 493.

Edaxque livor dente degeneri petit.

Et Mart. xi. 34. *I nunc, livor edax.* Burmannus.

3. *Non me more patrum, &c.*] Declaravi hunc locum lib. iv. Triſtium Elegia 1. *Verboſas leges:* Sic Cicero pro Muraena, ubi Juriſconſultorum diſciplinam exagitat: *Tollitur è medio non ſolùm iſta veſtra verboſa ſimulatio prudentiae.* Ciofanus.

5. *Nec me.*] Anadiploſis. Ciofanus. *Non me* aliae editiones utrobique.

5. *Ediſcere.*] *Addiſcere* alter Politiani: male. vid. ad ii. Metam. 639. reſpicit ad diſciplinam Romanorum, quae exigebat, ut ingenui pueri leges xii. tabularum, ut *carmen neceſſarium*, ediſcerent. vide Ciceron. ii. de legib. 23. hoc vero ſemper, ut negotium ingratum & moleſtiarum plenum, deprecabantur clementem vitam & otium ſecuti. Senec. Herc. Fur. 172.

Hic clamoſi rabioſa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat.

Et Noſter iv. Triſt. ult. & ſaepe alibi, ſe abhorruiſſe a foro teſtatur. Burmannus.

8. *Quaeritur.*] Comparatur. Ciofanus.

11. *Muſtis.*] Servius ad Virgil. ii. Georg. 7. *Muſtum tantum ſingulari dicimus, ſicut & vinum, licet Ovidius abuſive muſta dixerit. ſed hoc ille plus fecit, quod & muſtis dicit: cum (ut diximus) de his nominibus tres tantum caſus uſurpari conſueverint.* uſus & Tibullus & alii. vid. Broukh. ad Tibul. i, 1, 6. & 1, v, 24. vid. ii. Art. 695. & Quinct. i. Inſt. 1. Burmannus.

12. *Ceres.*] Legitur in manuſcripto quodam exemplari, *Seges*, quae lectio mihi magis placet, ut nulla ſit figura: nam & ſupra dixit citra figuram, *dum muſtis uva tumebit.* Marius. *Seges* Puteaneus & alii plurimi. male. Catal. Pith. pag. 35.

Hic gaudet curva falce reſecta Ceres.

Senec. Theb. 371.

Et tertia jam falce decubuit Ceres.

Farra reſecta dixit ii. Faſt. 520. Heinsius. Eadem varietas i. Art. Am. 401. i. Faſt. 688. & v. 322. & alibi. vid. Gronov. ad Senec. Oed. 49.

13. *Battiades.*] Callimachus, Batti filius. Hic floruit tempore Ptolemaei Philadelphi, Olymp. cxxvii. Auctor Suidas. Ciofanus. Non Batti filius, ſed Cyrenaicus, ab Ariſtaeo ſive Batto, conditore Cyrenarum. vid. Steph. Schediaſm. iii. 19. ubi eum a cenſura Ovidii vindicat. vide & Commentatores ad Petron. c. 135. alii ex alio Batto, ex poſteris forte prioris Batti, natum Callimachum volunt, vid. Illuſtrem Spanhem. ad Caliim. Hym. Apoll. 65. Burmannus.

16. *Cum Sole & Lunâ.*] Haec non tantum apte Arato, quia Aſtronomica ſcripſit, accommodantur, ſed etiam quia erant ſymbola aeternitatis; ut ita in nummis conſpici docuit Triſtanus tom. i. Comm. Hiſt. pag. 381. Burmannus.

17. *Dum fallax ſervus, durus pater, improba lena Vivet, dum meretrix &c.*] Haec verior eſt lectio, ut mihi quidem videtur. Ciofanus.

18. *Vivet.*] *Vivent* tres libri, & *Menandros* meliores poſtea. ut & *neſciat*, pro *neſciet.* Heinsius.

18. *Blanda.*] Ita Thaïda Menandri deſcribit

Ennius arte carens, animoſique Accius oris,
Caſurum nullo tempore nomen habent.
Varronem primamque ratem quae neſciat aetas,
Aureaque Aeſonio terga petita duci?
Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucretî,
Exitio terras cum dabit una dies.
Tityrus, & fruges, Aeneïaque arma legentur,
Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Diſcentur numeri, culte Tibulle, tui.

Gallus

Plutarchus in Excerptis apud Stobaeum Grotianis pag. 16. BURMANNUS.

19. *Animoſi oris.*] Vel propter ſublimitatem carminis, vel propter fiduciam ſui, de qua vide Val. Max. lib. III. cap. VIII. ex. II. BERSM. *Animoſum os* eſt violentum; vid. infr. ad lib. II. Eleg. XVII. 7. hinc *Atrocem* vocat lib. II. Triſt. 359.

23. *Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti, Exitio terras cùm dabit una dies.*] Reſpexit ad ipſius Lucretii ſententiam è lib. III.

Tres ſpecies tam diſſimiles, tria talia texta
Una dies dabit exitio, multosque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.

CIOFANUS.

23. *Sublimis.*] An *ſublimis* dici poſſit Lucretius, qui minime ſublimi carmine, ſed populari fere ſermone Epicuri ſcita tradidit, dubito. niſi ad materiae a vulgo remotae ſublimitatem reſpexerit; ut ita ardui quid in Lucretio Statium agnoſcere notavit Barth. ad lib. II. Silv. VII. 76. & ut a Quinctilian. X. I. *difficilis* dicitur. quod nollem a Barthio in *diffuſilem*, vocem Quintiliano indignam, mutari lib. XLIII. adv. 2. eumdem Barthium memini alicubi *ſubtilis* hoc loco malle. cui magis accederem, ſi codices addicerent. BURMANNUS.

24. *Exitio terras cum dabit una dies.*] Scaliger, manu ſua, incertum an ex MSS. adſcripſerat, *cum dabit imâ dies.* id eſt ſuprema, aut potius ultima. Notum illud, *haec Ianus ſummus ab imo Perſonat.* DAN. HEINSIUS. *Ima dies* Scaliger, ſed fruſtra. Illa Lucretii reſpexit Noſter lib. V. 93.

Principio maria ac terras coelumque tuere,
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres ſpecies tam diſſimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio.

Idem vers. 997.

At non multa virûm ſub ſignis millia ducta
Una dies dabit exitio.

Sic & Noſter in Faſtis II. 235.

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes;
Ad bellum miſſos abſtulit una dies.

Et in Ponticis I. Eleg. 2.

——*Quamvis cecidere trecenti,*
Non omnes Fabios abſtulit una dies.

Propert. III. Eleg. I. 70.

Tantum operis belli ſuſtulit una dies.

Statius Theb. III. 148.

Felices, quos una dies, manus abſtulit una.

Et lib. XI. 577.

Omnibus in terris ſcelus hoc omnique ſub aevo
Viderit una dies.

Catalect. Pith. pag. 66. *Abſtulit una dies civis decus.* pag. 7.

Frangatur potius legum veneranda poteſtas,
Quam tot congeſtos noctesque diesque labores
Hauſerit una dies.

Auſonius Idyllio de Roſa:

Tot ſpecies tantosque ortus, variosque novatus;
Una dies aperit, conficit una dies.

Atque ita paſſim optimi auctores. HEINSIUS. Vide Colum. ad Enn. pag. 153.

25. *Tityrus.*] Virgilii Bucolica ſignificat. Sic lib. IV. De Ponto:

Tityrus antiquas & erat qui paſceret herbas.

CIOFANUS.

25. *Et ſegetes.*] *Et fruges* meliores libri. rectius haud dubie, quo omne Georgicôn argumentum eſt complexus: *Fruges* enim & ad arborum foetus referebantur. vide obſervata noſtra ad Nucem. V. 19. Qui *ſegetes* repoſuit, reſpiciebat initium Georgicôn: *Quid faciat laetas ſegetes*, non recordatus illis ſolis materiem carminis Georgici totam non eſſe complexum, ſed alia ſubjunxiſſe ad rem requiſita. HEINSIUS. Sed cum tria Poëmatum Maronis principia in unum cogat, videtur haud temere *ſegetes* repudiandum. ſolebant enim totum Poëma ab initio denominare; ut *iram Achillis*, Iliada vocaſſe notum eſt. BURMANNUS.

26. *Orbis erit.*] *Eris* optimus Palatinus, & unus Moreti pro diverſa lectione. HEINSIUS.

28. *Diſcen-*

Gallus & Heſperiis, & Gallus notus Eoïs,
Et ſua cum Gallo nota Lycoris erit.
Ergo, cum ſilices, cum dens patientis aratri,
Depereant aevo, carmina morte carent.
Cedant carminibus Reges, Regumque triumphi:
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur vulgus. mihi flavus Apollo
Pocula Caſtaliae plena miniſtret aquae.
Suſtineamque comâ metuentem frigora myrtum:
Atque a ſollicito multus amante legar.

Paſci-

28. *Diſcentur.*] Ita legendum, quidquid codices obturbent, quorum multi, *dicentur*. nam pueri & puellae his carminibus imbuebantur, ſic puellis commendat Tibullum III. Art. 334. & legi eum paſſim dicit II. Triſt. 463. BURMANNUS.

29. *Notus Eoïs.*] Ita I. Art. 537.

Veſper & Eoae novere Lycorida terrae.

Credo propter Praefecturam, quam in Aegypto geſſerat, quae ad Orientem. DOUZA. Vid. ad III. Amor. IX. 63.

34. *Auriferi ripa beata Tagi.*] *Benigna* Puteaneus atque alii complures non contemnendae notae. quod arripuit Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam. at mihi vulgata lectio magis probatur. *Benignum* enim pro fertili, *beatum* pro divite apud optimos auctores paſſim ſumitur. quamquam & *beatum* ſic ſumi poſſit. quomodo apud Silium lib. VII. 160.

Dives ea & numquam tellus mentita colono.

De Falerno. ſed *benignae* venae opponit Lucanus lib. IX. 500. *malignam. Conſpecta eſt parva malignâ Unda procul venâ*, ſic apud Propert. lib. II. Eleg. XIX. 34.

Noli nobilibus, noli te offerre beatis,
Vix venit, extremo qui legit oſſa die.

Quemadmodum ſcribo. invidioſum illud, *noli te offerre*, & plus eſt, quam ſi dicat, noli tui copiam nobilibus & divitibus facere. vulgati nullo ſenſu, *noli conferre.* idem proxima Elegia, poſtquam Cambyſae & Croeſi meminiſſet:

Nam mea cum recitat, dicit ſe odiſſe beatos.

Et ita Martial. lib. XII. Epiſt. XV. *Beatum & pauperem* opponit. Cicer. pro M. Caelio. CXXVIII. *Praegeſſit animus jam videre lautos juvenes, mulieris beatae ac nobilis familiares.* ſic contra *dives* pro *beato*, ut Horat. IV. Od. VIII. dixit *divites inſulas*, quae vulgo beatae dicuntur. recte ergo *beatus Tagus*, qui ab auro atque opulentia commendetur. HEINSIUS. *Benignam ripam* jam Salmaſius ex optimo codice reſtituit ad Capitol. Pertin. cap. 12. ita contra Senec. Hippol. 15.

Super aequales
Labitur agros piger, & ſteriles
Amne maligno radit arenas.

Et ita *benignus* ager Alcinoi ſupra Eleg. X. retineo tamen, *beata.* nam non de fertilitate, ſed de divitiis, quas aurum ſubminiſtrat, agitur. ut *dives Tagus* Martial. X. 16. *aurifer* eidem XII. 3. & aliis. neque tamen huc traham, *beatiſſimos amnes*, ut quidam legunt, apud Quinctil. V. Inſtit. Orat. 14. ſi enim ita legendum, certe capiendum eſt, ut, *dives Nilus* infr. lib. III. Eleg. VI. 39. id eſt aquâ abundans, & *divitiae* fluminis ibid. vers. 94. & *opes* II. Art. 343. & ſimilia. BURMANNUS.

36. *Caſtaliae aquae.*] Ita ſcripſimus cum altero Politiani, quia fere ſemper Ovidius *plenum* cum genitivo conſtruit. Faſt. I. 474.

Ore dabat vero carmina plena Dei.

Vid. II. Art. Am. 316. HEINSIUS.

38. *Atque ita ſollicito.*] *Atque à ſollicito* rectius omnino quinque ſcripti. HEINSIUS.

40. *Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honor.*] Meliores:

Cum ſuus ex merito quemque tuetur honos.

Sed τὸ *cum* mox denuo ſequitur. HEINSIUS.

41. *Supremus aduſſerit ignis.*] *Adederit* optime Puteaneus. Propert. lib. IV. Eleg. VII.

Et ſolitam digito beryllon adederat ignis.

Nemeſianus Eclog. IV.

Tum tandem ſeſſi, quos luſus adederat ignis;
Sic ſua deſertis nudarunt vulnera ſylvis.

Silius lib. I. 363.

Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adeſis.

Virgil. lib. IX. 537. de igne:

Corripuit tabulas & poſtibus haeſit adeſis.

Idem lib. III. Georg. 566. *contactos artus ſacer ignis edebat.* Papinius Statius Theb. VI. 109. *nocturna peredit Flamma nemus.* ubi nihil neceſſe

Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit,
Cum suus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis,
Vivam: parsque mei multa superstes erit.

reponi ex antiquis libris, *peregit*. Horatius lib. III. Od. IV.

——— *Nec peredit*
Impositam celer ignis Aetnam.

Idem Statius Theb. IX. 102.

Nullae illum volucres, nulla impia monstra, nec ipse,
Si demus, pius ignis edat.

Theb. I. 507.

——— *Lustraliaque exta*
Lacte novo perfusus edet Vulcanius ignis.

Hinc & *ignis edax* passim Poëtis. ita & *flamma vorat* Elegia in obitum Drusi, ut emendavimus v. 134. *adedendi* verbum & Columellae reddendum ex optimis membranis lib. II. cap. X. *Vermes gignit, qui simul atque oscilla lupinorum adederunt; reliqua pars enasci non potest.* vulgo, *ederunt*. HEINSIUS.

42. *Parsque mei multa superstes erit.*] Lege ex utroque exemplari Maffeian. *parsque mei magna &c.* Vide quae notavi extremo lib. XV. Metamorphoseos. CIOFANUS. Ego certe libentius reciperem, *pars multa*, quam *magna*. sed modo praecesserat, *multus legar*; nisi ibi cum quibusdam codicibus *cultus* legas. *Multa pars*, ut Horatius III. Od. 30.

Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Art. Am. III. 104. ex MS.

Pars vestrum tali munere multa caret.

Ubi & *magna* plurimi. parum ergo refert. BURM.

P. OVIDII NASONIS AMORUM

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

HOc quoque compoſui, Pelignis natus aquoſis,
Ille ego nequitiae Naſo Poëta meae.
Hoc quoque juſſit Amor. procul hinc, procul eſte ſeverae:
Non eſtis teneris apta theatra modis.
Me legat in ſponſi facie non frigida virgo:
Et rudis ignoto tactus amore puer.
Atque aliquis juvenum, quo nunc ego, ſaucius arcu,
Agnoſcat flammae conſcia ſigna ſuae:
Miratusque diu, Quo, dicat, ab indice doctus
Compoſuit caſus iſte Poëta meos?
Auſus eram (memini) coeleſtia dicere bella,
Centimanumque Gygen; & ſatis oris erat:

Cum

1. *Pelignis aquoſis.*] *Aquoſos* vocat, quòd ibi multi ſunt fontes, & fluvii: ut fluvius Gyptius, & Vella, ut nunc loquimur: hi praeter Sulmonis moenia labuntur, alius qui Amverſam oppidum, quod tuo, *Karole Belprate*, imperio paret; (hic autem, & Gyptius ab Aufeia aqua manat) alius non longè à Coenobio Sancti Spiritus, qui ab Amoris fonte, de quo infrà, fluere incipit; alii duo, qui ad tria ſtadia à Populio erumpunt; alius verò Aternus, qui omnibus his, quos dixi, fluviis mirandum in modum auctus, idem Populium praeterlabitur. CIOFANUS.

2. *Ille ego nequitiae Naſo Poëta meae.*] Forte, *deliciae Naſo Poëta tuae.* ut Lectorem alloquatur. ſed & vulgata ſcriptura bene ſe habet. dictum enim eſt ut infr. III. 9. *Ille tui vates operis.* HEINSIUS. Sic III. Amor. 1.

O argumenti lente Poëta tui.

3. *Procul eſte ſeveri.*] *Severae* rectius tres codices. de puellis agit. malim etiam, *procul ite*, quod *eſtis* ſequatur verſu proximo. HEINSIUS. *Severae* etiam Francofurtenſis habet.

5. *In ſponſi facie.*] *Faciem* duo Moreti. ut dictum ſit, quomodo apud Terent. Adelph. II. Sc. 4. *Coram in os laudare.* BURMANNUS.

6. *Tactus.*] Palatinus, *tectus.* Moreti unus, *captus.* ſed fruſtra II. Art. Am. 866.

Hoc eſt cur pueri tangar amore minus.

Et III. Art. 682.

Poſſe ſuo tangi credit amore deas.

Et millies alibi. vid. ad III. Art. 541. & ad Petron. cap. LXXXIII. BURMANNUS.

12. *Centimanumque Gygen.*] *Gyges*, ſive *Gyas*, qui centum manus habuiſſe dicitur, filius fuit Caeli ex Tellure. Auctor Apollodorus ſub principium lib. I. Bibliothecae, & eo prior Heſiodus in Theogonia. CIOFANUS. Scaliger *Gyen* ſcribebat. Palatinus *Gyan* repraeſentabat. DAN. HEINSIUS. *Gygan* nonnulli codices; Scaliger *Gyen* legebat. ut & Faſt. IV. 593.

Cum male ſe Tellus ulta eſt, ingeſtaque Olympo
Ardua devexum Pelion Oſſa tulit.
In manibus nimbos, & cum Jove fulmen habenti,
Quod bene pro coelo mitteret ille ſuo,
Clauſit amica fores. ego cum Jove fulmen omiſi.
Excidit ingenio Jupiter ipſe meo.
Jupiter, ignoſcas: nil me tua tela juvabant.
Clauſa tuo majus janua fulmen erat.

Blandi-

Quid gravius victore Gye captiva tuliſſem?
Triſt. IV. Eleg. VII. 18.

Centimanumque Gygen, ſemibovemque virum.
Ubi *Gyen* pari modo foret reponendum. Certe unus Palatinus, *Giam.* alii plures, *Gygam.* Rottendorph. *Gian.* Apollodorus initio Bibliothecae: Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάσευσε κόσμου. γήμας δὲ Γῆν, ἐτέκνωσε πρώτους τοὺς ἑκατόγχειρας προσαγορευθέντας, Βριάρεων, Γύην, Κόττον. Sed cum ceteri auctores, Heſiodus nempe in Theogonia, ejusque ac Apollonii Rhodii Scholiaſtes, Palaephatus, Auctor Etymologici in Τριτοπάτορες, alii Γύγην appellent, Hygino etiam *Gyges* ſit, Apollodorum potius ex his emendandum, quam hos ex Apollodoro parum abeſt quin cenſeam. Horatius quoque lib. II. Od. XVII.

Nec ſi reſurgat centimanus Gyges,
Lib. III. Od. IV.
Teſtis mearum centimanus Gyges
Sententiarum.
Quibus locis exemplaria nonnulla ſcripta à me inſpecta, *Gigas.* Theophilo in Apologia pro Chriſtianis mendoſe Γύγος dicitur. Heinsius. Vide Bentl. ad Horat. II. Od. 17.

13. *Ingeſtaque.*] Libri IV. & prima editio, *congeſtaque.* ut I. Metam. 153.
Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes.
Heinsius. Sed *ingeſta* recte ſe habet. v. Met. 346.
Vaſta Giganteis ingeſta eſt inſula membris.
Et XIV. Metam. I. ex MSS.
Jamque Giganteis ingeſtas faucibus Aetnen.
Ubi *injectas* alii, ut hic quoque Moreti unus. Burmannus.

15. *Jupiter in manibus.*] Extrema ſyllaba natura brevis producitur, gratia finalitatis. ut fecit Naſo etiam in Epiſt. Hypermneſtrae:
Mittit Hypermneſtra de tot modo fratribus uni.
Et in Artibus:
Arte levis currus, arte regendus amor.
Idem in Faſtis:
Sacra Pales aderat, inde movetur opus.
Et Virg. in Bucol.
Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.
Idem in I. Aeneid.
Per terram & verſa pulvis inſcribitur haſta.
Et in 10.
At tibi Tymbre caput Evandrius abſtulit enſis.
Sed aſpere ſatis in III. Aeneid. ſine conſonante in fine dixit:
Dona dehinc auro gravia, ſectoque elephanto.
In quodam tamen exemplari ita legitur:
In manibusque Jovem, & cum Jove fulmen habebam.
Sed mihi ſuperior lectio magis probatur, tum quia vetuſtior, tum quia frequentius Poëtae in caeſuris carminum, ſyllabam natura brevem producere ſolent, ut ſupra in exemplis patuit, quam praetermittere, cum opus eſt, Synaloepham: quae fit, quoties praecedens dictio deſinens in literam *m*, conſequitur dictionem à vocali incipientem: illud enim *m* cum ſua vocali praeciditur. ut apud Virgilium:
Gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis.
Et:
Multum ille & terris jactatus & alto.
Quod ſi fieret in hoc Naſonis carmine, *Jovem &*, ut poſtremae duae literae hujus dictionis *Jovem*, propter ſequentem dictionem à vocali incipientem ſuccideréntur, claudicaret verſus. Non tamen negamus, Synaloepham à Poëtis quandoque neceſſitatis cauſa praetermitti, ut patet ex hoc Ennii carmine:
Inſignita forent tum millia militum octo.
Et Juvenalis:
Vivendum recte non propter plurima tum his.
Sed id aut nunquam, aut rariſſime invenies apud Virgil. Horat. & Naſonem; quo fit, ut mihi credibile fieri non poſſit, Ovidium ita ſcriptum reliquiſſe, in hoc praeſertim opere, quod (ut diximus) diligentiſſime recognovit & emendavit. Praeterea ſi diligenter excutias hoc carmen,
In manibusque Jovem, & cum Jove fulmen habebam.
Neſcio quid turgidi & hiantis habet. At multo dulcius illud ſonat: *Jupiter in manibus, &c.* Nec obſtat, quod non poteſt Jupiter referri ad verbum *Habebam.* nam eleganter praetermittitur, & ſubauditur verbum ſubſtantivum *Sum, es, eſt.* Nec abſurdum eſt, ut ſequatur ſtatim tranſitivum verbum: id enim & Maro lib. V. fecit, cujus hoc eſt carmen:

Poſt

Blanditias elegosque leves, mea tela, resumsi;
Mollierunt duras lenia verba fores.
Carmina sanguineae deducunt cornua Lunae;
Et revocant niveos Solis euntis equos.
Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues,
Inque suos fontes versa recurrit aqua.
Carminibus cessere fores: insertaque posti,
Quamvis robur erat, carmine victa sera est.

Quid

Posi ubi confecti cursus, & dona peregit. MARIUS. *Jupiter in manibus, & cum Jove fulmen habebam* legitur in uno Maffeian. & in quibusdam vulgatis. In aliis, *In manibusque Jovem &c.* malè. In uno Vatic. *In manibus nimbos & cum Jove &c.* neque id placet. In altero Maffeian. apertè sine ulla liturae suspicione scriptum est: *In manibusque Jovem, & cum Jove fulmen habebam.* Quo modo si legeretur (quamvis ita ob multas causas malim) littera *m* in voce *Jovem* non elideretur. Similia exempla & apud Lucretium, & Horatium & Lambinus & Gifanius reppererunt. CIOFAN. Sarravianus, Arondelianus, & quinque alii, cum prima editione:

In manibus nimbos & cum Jove fulmen habebam.

Recte. Neque aliter Puteaneus, nisi quod in illo vox *nimbos* desideratur unde natus error. Ceteri codices, *Jupiter in manibus.* duo praeterea, *habebat.* unus Moreti, *habenti.* optime. refer ad sequentia:

In manibus nimbos & cum Jove fulmen habenti,
Clausit amica fores.

Ita *nimbiferum ignem* vocat fulmen Pont. IV. 12. ut recte meliores scripti:

Sic affectantes coelestia regna Gigantas.
Ad Styga nimbifero vindicis igne datos.

Nam vulgati, *nubifero igne.* perperam. HEINSIUS. Recte Heinsius: *nimbos* enim cum fulmine saepe Poëtae conjungunt, quia ex nimbis Jupiter torquere solet. Virgil. I. Georg. 238.

Ipse Pater media nimborum in nocte coruscа
Fulmina molitur dextra.

Et Lucret. VI. 399. numquam puro coelo jacere fulmen dicit. Sil. XII. 611.

Fulminaque & tonitrus, & nimbos conciet atros.

BURMANNUS.

17. *Fulmen omisi.*] Sic est in omnibus libris scriptis. CIOFANUS. *Fulmen amisi* Puteaneus à manu prima. sed emendatum, *fulmina misi*, quomodo multi ex nostris. *mittere* pro *omittere.* libri sex, *& cum Jove.* Forte, *en cum Jove.* HEINSIUS. Ego codicum Ciofani, & Aldinae, Micyllianae, & Bersmannianae Editionum fidem sequor, *fulmen omisi.* cum quia praecedenti versu *fulmen* est, quod hic non recte in *fulmina* transire videtur; tum praecipue, ut ambiguitas vitetur. quia *fulmina mittere*, sollemnis est locutio, pro jacere, ex coelo demittere, & hoc Poëtae menti repugnat. *omittere* vero proprie est de manibus demittere, Senec. Agam. 241.

Proinde omisi regimen è manibus meis.

Vide quae olim ad Phaedrum lib. I. Fab. 13. notavimus; & ita mox respondebit vox, *resumsi.* BURMANNUS.

19. *Nil me tua tela juvabant.*] *Verba* Puteaneus, Palatinus optimus, Neapol. Arondel & quinque alii. reliqui *bella.* HEINSIUS. *Tua facta* codex Douzae.

20. *Janua fulmen habet.*] Venuste Regius, unus Medicêus cum Excerptis Jureti & Politiani, *fulmen erat.* HEINSIUS.

22. *Mollierant duras.*] *Mollierunt* Puteaneus. dixi ad Epistolam VII. vs. 166. HEINSIUS. *Mollia verba* Scriverianus. *dulcia* Barber. & Vatican. sed *lenia* probum est. ita ex Ponto lib. I. II. 72.

Lenia pro misera fac modo verba fuga.

Praeterea Farnesianus habet:

Mollierant animos lenia verba feros.

BURMANNUS.

24. *Niveos.*] Francius malebat, *nitidos.* duo libri Heinsii, *niveos carmina Solis equos.*

28. *Quamvis robur erat.*] *Quamvis robuerat* Neapolitanus. Puto scribendum, *Quamvis roboreo*, nimirum posti. *Injunctaque posti* ex vestigiis veterum librorum ad haec malebat Gebhardus, cui adsensum praebere non possum, cum nostri meliores stent pro recepta lectione. HEINSIUS. Nihil muta: non enim postis semper ex robore, qui & ex lapide, marmore, & metallo; unde *aerati postes.* XV. Metam. 620. sed sera ex robore, quae quasi repagulum foribus apponebatur. unde I. Amor. 6. toties, *excute poste seram.* ubi & vers. 28. *Roboribus duris janua fulta* dicitur, id est seris sive repagulis. nam mox, *munimina portae* dicuntur. vid. Salmas. exercit. Plin. pag. 653. Sagittar. de Januis cap. X. & hinc Petron. cap. 16. *Sera sponte delapsa.* nam quas hodie *seras* appellamus, longe aliud sunt. hic quoque unus Moreti, *mota sera*; forte non male. male etiam Marius *robur* capit pro fortitudine, quamvis sera erat fortis. quis enim ita loquitur? BURMANNUS.

29. *Pro-*

Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?
Quid pro me Atrides alter & alter agant?
Quique tot errando, quot bello, perdidit annos?
Raptus & Haemoniis flebilis Hector equis?
At, facie tenerae laudatâ saepe puellae,
Ad vatem, pretium carminis, ipsa venit.
Magna datur merces. heroum clara valete
Nomina: non apta est gratia vestra mihi.
Ad mea formosae vultus adhibete puellae
Carmina, purpureus quae mihi dictat Amor.

29. *Profuerit.*] *Profueris* unus Medicêus. Lege, *profueris Achille.* HEINSIUS.

29. *Velox.*] Quaedam exemplaria non *velox*, sed *victor* habent. Horat. II. Od. 4. *Thessalum victorem* vocat Achillem. mihi tamen magis placet prior lectio. MARIUS. *Victor* etiam Francofurtensis.

30. *Quid pro me Ajaces.*] In quibusdam *Atrides*, non *Ajaces*. utrumque rectum. NAUGERIUS. Nonnulli codices loco *Ajaces*, *Atrides* habent. Quae lectio si tibi placet, ô lector, de Agamemnone & Menelao dictum accipe, qui ab Atreo genus trahebant. de quibus Maro lib. II. Aeneid. 500. dixit:

Geminosque in limine Atridas. MARIUS.

In utroque Maffeian. & altero Vatican. *Atrides.* aeque bene. CIOFANUS. Versus haud dubie mendosus. Sarravianus & octo alii, *Quid pro me Atrides.* quod sequor, dum meliora offerantur. Excerpta Politiani, *Quid mihique Atrides.* Optimus Palatin. & duo alii, *Quid vero Atrides.* Scriverianus, *Quidve aromethides.* Puteaneus, *Quidve romethides.* Fortassis, *Quid, quaeso, Atrides.* Regius, *Quid pro meceados. agant* bene unus Moreti. HEINSIUS.

33. *At facies tenerae ut laudata est saepe puellae.*] Versus duriter habitus à librariis. *ut* & *est* absunt à prima editione & melioribus scriptis. Quantilli negotii erat veram inde lectionem nobis reddidisse, hoc modo:

At facie tenerae laudatâ saepe puellae.

Certe Neapolitanus & Arondelianus, *tenerae laudatae saepe puellae.* alii nonnulli, *laudataque.* HEINSIUS.

35. *Heroum clara valete nomina.*] Respicit illa Anacreontis Ode 1.

Χαίρoιτε λοιπὸν ἡμῖν
Ἥρωες, ἡ λύρη γὰρ
Μόνους ἔρωτας ἄδει. BURMANNUS.

37. *Formosos.*] *Formosae* Sarravianus. ut supr. I. VIII. 43. X. 47. HEINSIUS.

ELEGIA II.

QUem penes est dominam servandi cura, Bagoë,
Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.
Hesternâ vidi spatiantem luce puellam,
Illâ, quae Danaï porticus agmen habet.

Proti-

1. *Bagoë.*] In Barbarino codice erat glossa, *lingua Persica dicitur Spado.* & ita apud Curtium saepe occurrit. *Bagous* vero a Latinis etiam dicitur pro *Bagoas. Baguas* dicitur a Sulpic. Sever. lib. II. Hist. 14. & 16. Plin. XIII. 4. *De palmis clarissimae omnium, quas regias appellavere ab honore, quoniam regibus tantum Persidis servabantur, Babylone natae uno in horto Bagoi: ita enim vocant Spadones, qui apud eos etiam regnavere.* vide de Eunucho Persico Aelianum III. Hist. 23. & ibi Scheff. Athenaeum, Diodorum, Plutarchum, Lucianum, Heliodorum, & alios, qui passim ita utuntur. Vocabulum esse Chaldaicum, & ejus originem docet Codurcus ad Jobi cap. XXX. 5. vide & ad Quinctil. V. 12. BURMANNUS.

4. *Illa, quae Danaï porticus agmen habet.*] Hujus porticus mentio est lib. I. De Arte, his verbis:

Quaeque parare necem miseris patruelibus ausae
Belides, & stricto barbarus ense pater. CIOFAN.

Porticum Apollinis intelligit. vide quae Heinsius ad d. l. lib. I. Art. Am. 73. notat.

5. *Noctem-*

Protinus, ut placuit, miſi, ſcriptoque rogavi.
Reſcripſit trepidâ, Non licet, illa manu.
Et, cur non liceat, quaerenti reddita cauſſa eſt;
Quod nimium dominae cura moleſta tua eſt.
Si ſapis, ô cuſtos, odium (mihi crede) mereri
Deſine. quem metuit quisque, periſſe cupit.
Vir quoque non ſapiens: quid enim ſervare laboret,
Unde nihil, quamvis non tueare, perit?
Sed gerat ille ſuo morem furioſus amori:
Et caſtum, multis quod placet, eſſe putet.
Huic furtiva tuo libertas munere detur;
Quam dederis illi, reddat ut illa tibi.
Conſcius eſſe velis: domina eſt obnoxia ſervo.
Conſcius eſſe times: diſſimulare licet.
Scripta leget ſecum: matrem miſiſſe putato.
Venerit ignotus: poſtmodo notus eat.
Ibit ad adfectam, quae non languebit, amicam
Viſere; judiciis aegra ſit illa tuis.

Si

5. *Noctemque rogavi.*] Legitur in quibusdam manuſcriptis exemplaribus, *Miſi, ſcriptoque rogavi.* Quae lectio magis placet, quia ſequitur, *Reſcripſit trepida, &c.* ſubintelligendum igitur, *concubitus.* MARIUS. *Scriptoque rogavi* Puteaneus & alii ex melioribus. nonnulli tamen, *miſſo ſcriptoque.* HEINS. Gonſal. ad Petron. cap. XCV. citat *riſi*, neſcio an errore operarum, an quia ita legendum crediderit. ſed *mittere* ſimpliciter poni docuimus ſupra ad lib. I. Eleg. 13. Francofurtenſis cum multis quoque; *miſſo, ſcriptoque rogavi.* ſed male: *rogare* etiam ſimpliciter pro ſollicitare ad nequitiam ſaepe Noſter utitur infr. VII. 25.

Scilicet ancillam, quae tam tibi fida, rogarem.
Et XIX. 20.

Caſta eſt, quam nemo rogavit.
Martialis IV. 82.

Semel rogata, bis terque neglexit
Preces amantis.

Et ita ille ſaepius. vide Paſſerat. ad Propert. lib. I. Eleg. v. in fine. de *ſcripto* vid. Epiſt. XVIII. 4. BURM.

8. *Quod nimium dominae cura moleſta tua eſt.*] Cenſeo ſcribendum, *tuae es.* Tò *eſt* enim inconcinne duriterque geminetur hoc diſticho. HEINS.

9. *Cuſtos.*] Cum odio pronuntiandum. ita Tertul. de Poenit. cap. VI. *Cuſtos corporum.*

10. *Quem metuit quisque, periſſe cupit.*] Legitur &, *perire*, in quodam exemplari: ſed mihi probabilior eſt prima lectio, tum quia vetuſtior, & major praeterito tempore exprimitur affectus metuentis, qui jam periiſſe cupit, quem metuit: tum quia hoc accepiſſe videtur Naſo ex Ennii tragoedia, ex qua Cicero illud carmen citat lib. II. Off. 7.

Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periiſſe expetit. MARIUS.

Non diſſimilem ſententiam continet trochaicus ille Ennianus:

Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periſſe expetit. CIOFANUS.

Periſſe meliores. HEINSIUS.

13. *Furioſus.*] Junianus, *fumoſus.*

14. *Caſtam, multis quae placet.*] *Caſtum multis quod placet* iidem. HEINSIUS. Ita & Douzae codex. vid. ad Epiſt. XVIII. 153.

14. *Eſſe putet.*] Vetus & verior lectio, *ipſe putet.* habet enim emphaſin *ipſe*, quaſi diceret, ſtultus & inſipiens: nam alii hoc non putarent. MARIUS.

16. *Quam dederis.*] Legitur &, *Quid.* MARIUS. *Quod* Neapolitanus & duo alii. *dederas* Francius. de ultimae ſyllabae productione hic bene & multis Marius, vide ſupr. ad Epiſt. VII. 53.

19. *Matrem ſcripſiſſe putato.*] *Miſiſſe* Puteaneus, ut ſupra vers. 5. HEINSIUS.

20. *Notus eat.*] *Notus erit* codex Douzae. Puteaneus & octo alii.

21. *Ibit ut adfectam, quae non languebit, amicam*
Viſat. judiciis aegra ſit ille tuis.]

Haec valde ſunt mendoſa. Scripti plerique, *Ibit ad adflictam*, vel, *ad adfectam.* & poſtea, *Viſat & indiciis.* Alter Puteaneus, *Viſet & indiciis.* Sarravianus cum quatuor aliis, *Viſaque judiciis.* Scribe:

Ibit ad adfectam, quae non languebit, amicam
Viſere? judiciis aegra ſit illa tuis.

Si faciet tarde, ne te mora longa fatiget,
Impositâ gremio ſtertere fronte potes.
Nec tu, linigeram fieri quid poſſit ad Iſin,
Quaeſieris: nec tu curva theatra time.

Con-

Ibit viſere Graeciſmus Poëtis, maxime Propertio, familiaris. de quo ad Claudianum II. in Rufin. 98. *adfecta amica* pro aegra, aut quae ſe aegram ſimulet, recte dicitur. nec in *adflictam* mutandum. notum illud Propert. lib. II. Eleg. XXVIII.

Jupiter adfectae tandem miſerere puellae.

Vide quae noto Triſt. lib. III. Eleg. III. 14. *Viſere ad aliquem*, etiam elegans loquendi modus, Terentio Plautoque non neglectus. Lucret. lib. VI. 1236.

Nam quicumque ſuos fugitabant viſere ad aegros.

Reviſere ad ſtabulum lib. II. 359. & *reviſere ad lunam* lib. V. 635. de ſignis coeleſtibus idem. Sed utrumque loquendi modum Terentius ſimul conjunxit, qui appoſite ſatis in Hecyra Act. I. Sc. II.

Aegram eſſe ſimulant mulierem. noſtra ilico
It viſere ad eam. admiſit nemo.

Plaut. Trucul. II. VI. 16. *Nunc ad amicam decimo menſe poſt Athenas Atticas viſo.* A. Gell. lib. II. Att. Noct. 26. *Favorinus Philoſophus cum ad M. Frontonem conſularem pedibus aegrum viſeret.* idem ex Annalibus L. Piſonis lib. VI. N. Att. cap. IX. *Idem Cn. Flavius dicitur ad Collegam veniſſe viſere aegrotum.* ubi *venit viſere* ad aegrotum pari Graeciſmo dicitur, ut hoc loco, *it viſere ad adfectam.* ſed quod praecipue ad rem facit. idem Gell. lib. XVI. cap. 3. *Tum ad quendam aegrum cum iſſet viſere, nosque cum eo una introiſſemus.* lib. XVIII. cap. I. *Is ubi cum amico conqueſtus, quod ad ſe aegrotum non viſeret.* idem lib. XIX. *Memini me quondam ad Frontonem Cornelium pedes tum graviter aegrum ire & viſere.* ubi malim, *ire viſere.* Catull. carm. X. *Varus me meus ad ſuos amores viſum duxerat è foro otioſum. reviſere ad aliquem* idem Gellius dixit lib. VII. 17. ceterum ſub hac ſpecie moechis ſuis conſtituiſſe locum docet & Martialis lib. XI. 8.

Infelix quid ages? aegram ſimulabis amicam?
Haerebit dominae vir comes ipſe ſuae.

Judiciis tuis. ut Art. Am. II.

Sunt qui praecipiant herbas, ſaturea, nocentes
Sumere: judiciis iſta venena meis. HEINSIUS.

Vid. ad Epiſt. III. 104.

22. *Indiciis.*] Legendum eſt omnino, *judiciis*, ſine copulativa conjunctione &, ut eſt in vetuſtis codicibus. id eſt fingas te exiſtimare dominam eſſe aegrotam. MARIUS.

23. *Si faciet tarde.*] Pro Sacrificabit explicabat Douza & Berſmannus, nota verbi ſignificatione. melius, quam Marius & alii, *faciet ſui copiam tibi.* quod ineptum.

24. *Stertere fronte potes.*] *Putes* meliores. ſed fruſtra. HEINSIUS.

25. *Linigeram.*] Quia ejus Sacerdotes lineis veſtibus induti celebrabant. unde Naſo in I. Metam. de Iſide ait:

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

Et de Sacerdotibus iisdem Martialis:

Linigeri fugiunt calui, ſiſtrataque turba.

Juvenalis:

Qui grege linigero circumdatus.

Tranquillus etiam in Othone: *Sacra*, inquit, *etiam Iſidis ſaepe in linea religioſaque veſte propalam celebravit.* Apulejus quoque in ult. lib. Metam. de Iſidis ſacris ita ſcribit: *Tunc influunt turbae ſacris divinis initiatae, viri foeminaeque omnis dignitatis, & omnis aetatis linteae veſtis candore puro luminoſi.* In quodam tamen codice legitur, *Niligenam:* quae lectio mihi non diſplicet. nam licet Iö, quae poſtea Iſis dea facta eſt, Inachi fluvii Achaiae filia fuerit, quod oſtendit Naſo in I. Metam. tamen & quia in Aegypto apud Nilum priſtinam formam recepit, ibique ab Aegyptiis colebatur (unde etiam ejus ſacra Romam advecta ſunt, ut ſupra diximus) inde genita creditur. Quanquam & ad hoc faciat eorum opinio, qui dixerunt, Iſidem Jovis Aegyptii regis filiam fuiſſe, eandemque cum Cerere eſſe, ut Diodorus ſcribit. In Artibus etiam Naſo Iſidem, *Niliacam juvencam*, appellavit. MARIUS. Codex, cum quo liber Scaligeri collatus erat, *lanigeram* exhibebat. Ipſe Scaliger *linigeram* fecerat. DAN. HEINSIUS. *Lanigeram* plerique. At Puteani Excerpta cum Barberiniano & uno Moreti, *linigeram.* probe. dixi lib. I. Artis Amat. vſ. 79. HEINSIUS. Codex Douzae, *lanigeram*, cum hoc gloſſemate: *Lanigeram dicit, quia Sacerdotes Iſidis deferebant floſculum lanae ſupra caput ſuum in honorem ejus deae.*

27. *Aſſiduos.*] Perpetuos; ita omnino legendum eſt, non *Aſſiduus.* inferius dicet etiam, *ſic tibi ſemper honos.* MARIUS. Recte, licet priſcae editiones, *aſſiduus:* conſcius commiſſi, id eſt *criminis*, tollet aſſiduos honores. eſt vero locutio non obvia, *tollere honores*, pro capere, ferre; deſumta a frugibus, quas ex agris tollimus. de qua ad lib. V. Metam. 131. agemus, *tollet amores* Moreti & quidam alii. BURMANNUS.

28. *Quis*

Conſcius adſiduos commiſſi tollet honores.
Quis minor eſt autem, quam tacuiſſe, labor?
Ille placet, verſatque domum, neque verbera ſentit:
Ille potens: alii, ſordida turba, jacent.

Huic,

28. *Quis minor eſt autem.*] *Eſt cauto* malim. ſic lib. II. Art. 196.

Artis erunt cauto mollia juſſa meae.

At prima editio cum ſcriptis quibusdam, *unquam* pro *autem*. HEINSIUS. *Eſt homini* Moreti a manu prima. vid. ad II. Art. 603.

29. *Verſatque domum.*] Puto, *ſervatque*. Illi cura domûs committitur. niſi malis, *ſervatque domi*. ut apud Comicum, *Solus Sannio ſervat domi*. HEINSIUS. Sed tantusne ille honor, ut ſolus, tamquam Sannio, ſervet domi, quod viliſſimo cuique, & ad alia officia inepto ſervo committi poteſt? multo certe elegantior lectio, *verſatque domum*, id eſt pro arbitrio in tota familia regnat, agitat reliquos ſervos, & iis imperat. Marius, *pro arbitrio volvit* explicat. eſt vero in hoc verbo occulta vis fraudum: Virgil. VII. Aeneid. 336.

Atque odiis verſare domos.

Propert. III. Eleg. VI. 19.

Non eſt certa fides, quam non injuria verſat.

Ubi egregie Broukhuſius, in omnem partem verſare exponit, & illuſtrat aptiſſimis exemplis. Virg. II. Aeneid. 62.

Seu verſare dolos, ſeu certae occumbere morti.

Ubi non omnino rejiciendum puto codicis Piëriani lectionem, *verſare dolo*. ſcilicet Trojanos. ut litera *s* adhaeſerit τῷ *dolo* ex ſequenti voce, *ſeu*. & ita Servius legit, quem vide. ſic etiam infr. Eleg. XIX. ỷſ. 15. ſcribendum forte:

Sic ubi verſarat, tepidosque refoverat ignes.

Apud Senecam Herc. Fur. V. III. Juno ad Furias:

Me, me, ſorores mente dejectam mea
Verſate primam.

Eo ſenſu quoque Stat. IV. Theb. 626. *Verſare manes*, ubi videndus Barthius. Plautus ſaepe ita utitur. Perſ. V. II. 17. *Quomodo hodie me verſaviſti*, ubi male Pareus, *vexaviſti*. nam & Bacch. IV. ỷſ. 6. *Nunc ego hodie verſabor*. quae loca docent, quid ſit de ſervo dictum, *verſare domum*. ſaepe autem cum *vexare* hoc verbum confuſum, nec mirum, cum ſignificatio ſit pene eadem. ſupra. I. Am. II. 8.

Et poſſeſſa ferus pectora verſat amor.

Ubi *vexat* alii. ſic variant codices in his verbis apud Horat. I. Sat. VIII. 19.

Quantum carminibus quae verſant, atque venenis
Humanos animos.

I. Sat. VII. 15.

Duo ſi diſcordia vexet inertes.

Et ibi *verſet* alii. vid. Heinſ. ad Claud. I. Laud. Stil. 286. & Epigr. XX. atque hanc lectionem firmant ſequentia, *ille potens*: potentiâ enim illa abutens verſat domum pro arbitrio ſuo. BURMAN.

30. *Ille placet dominae, ſordida turba jacent.*] Ita in quodam codice legitur. ſed mihi magis placet vetuſta lectio, quae eſt: *Ille potens dominae*. ſcil. *eſt*. id eſt, qui apud dominam maxime potentia valet, ut quidquid voluerit, cogat ipſam facere. legitur etiam in exemplaribus, *cetera*. MARIUS. Placet lectio Maffeian. exempl. *cetera turba jacet*. CIOFANUS. Puteaneus, Mentelianus, & Arondelianus:

Ille potens, alii ſordida turba jacent.

Quod ſequor. nam *placet* jam praeceſſerat. Art. Amat. lib. II. 294. ex antiquis exemplaribus:

Utilitas tua ſit; titulus donetur amicae,
Perde nihil: partes illa potentis agat.

Metam. X. 352.

—— *Neve potentis*
Concubitu vetito naturae pollue foedus.

Ib. III. Art. 258. de pulchris puellis:

Eſt illis ſua dos forma ſine arte potens.

Quomodo & Propertius lib. II. Eleg. V.

Cynthia forma potens, Cynthia forma levis.

Amor. III. Eleg. XI.

Deſine blanditias & verba potentia quondam
Perdere.

Plura ad Metamorph. lib. IV. ỷſ. 325. Metam. XIII. 562. *Facit ira potentem*. ita libri veteres. Alii codices hoc loco:

Ille potens dominae: cetera turba jacent.

Potens dominae, ut *potens mentis*, *potens voti*. & probavit Gronovius ad Liv. XXIII. 16. de quibus alibi dicemus. *jacere*, quomodo lib. I. Faſt. 18. *Pauper ubique jacet*. Lucretius lib. V. 1272.

Nam fuit in pretio magis aes, aurumque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retuſum.
Nunc jacet aes, aurum in ſummum ſucceſſit honorem. HEINSIUS.

Huic, verae ut lateant cauſſae, finguntur inanes:
  Atque ambo domini, quod probat una, probant.
Cum bene vir traxit vultum, rugasque coëgit,
  Quod voluit fieri blanda puella, facit.
Sed tamen interdum tecum quoque jurgia nectat;
  Et ſimulet lacrimas, carnificemque vocet.
Tu contra objiciens, quae tuto diluat illa,
  In verum falſo crimine deme fidem.
Sic tibi ſemper honos, ſic curta peculia creſcent:
  Haec face, & exiguo tempore liber eris.
Adſpicis indicibus nexas per colla catenas:
  Squalidus orba fide pectora carcer habet.
Quaerit aquas in aquis, & poma fugacia captat
  Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

Dum

Si de amatore ageretur, *potens dominae*, probare poſſem; ſed quia de cuſtode hic loquitur, qui *potens apud dominam*, ſed non *dominae* dici poteſt, praetuli meliorum codicum ſcripturam; *potens* enim ſimpliciter, de eo, qui gratia valet, & quidvis poteſt efficere, ut exempla ab Heinſio adlata evincunt. quibus ſexcenta alia addere in promptu eſt. deinde, *cetera turba*, quod vulgo legitur, ex obvia locutione apud Noſtrum a ſcribis repetitum eſt. III. Faſt. 628.

Incipit Aeneas, cetera turba ſilet.

1. Triſt. 1. 109.

Cetera turba palam titulos oſtendet apertos.

De Nuce 46.

Frondibus intactis cetera turba virent.

Sed *ſordida* opponitur melius, *potenti*. cui recte etiam opponitur *jacere*, quod de homine, qui negligitur, & non poteſt conſequi dignitatem, eleganter dixit Cicer. III. de Off. 20. *C. Marius cum a ſpe conſulatus longe abeſſet, & jam ſeptimum annum jaceret.* Senec. IV. de Benef. 31. *Dum veterem illum Scaurum, ſenatus principem, cogitas, indigne fers ſobolem ejus jacere.* Burmannus.

33. *Ambo domini.*] Nihil hic variant codices. Marius explicat, puella & cuſtos conſcius. ſed qua ratione Eunuchus titulo, *domini*, communi cum amica Ovidii inſigniri poſſit non video. Lego:

Atque ambo domino, quod probat una, probant.

Conjuncta opera & ex compacto marito uxor adultera & conſcius Eunuchus perſuadent, id, quod puella voluerit. *Probare alicui* elegans locutio. Cicer. I. Verrin. 6. *Cum iſti ſermones hujusmodi diſſipaſſent, tametſi probabatur nemini &c.* IV. Verrin. 38. *Non vereor, ne hoc officium meum P. Servilio Judici non probem.* & ita utuntur, *approbare.* Senec. de Clement. I. 13. *Qui potentiam ſuam placide & ſalutariter exercet, adprobare imperia ſua civibus cupiens.* Sueton. Galb. VI. *Praeſenti quoque Cajo talem ſe & exercitum approbavit*, qui ſcriptor ſaepe etiam ſimpliciter ita utitur verbo illo. Burmannus.

35. *Jurgia nectat.*] *Vertat* Puteaneus alter. vid. inſt. Eleg. IX. 45.

37. *Quae tuto.*] *Quod tuto* codex Douzae.

38. *In vero, falſo crimine deme fidem.*] Hunc verſum ſic accipio, ut ſit ſenſus: Quando ipſum crimen quod objici poteſt, verum eſt, tu aliud falſum objice: ut cum hujus falſitas manifeſtò deprehendatur, etiam vero illi fides nulla detur: ita per falſum crimen, vero fides demetur. Quod mihi hoc loco addendum fuit, quia Commentator ſuper hoc verſu prorſus tacet. Micyllus. *In verum* Puteaneus. recte, ſi *objiciens* ſuperiori verſu reponas pro *objicies*, levi mutatione. *Et veri* Sarravianus. non male. vide quae noto ad Epiſt. XVI. ℣. 60. unus Palatinus, *In veram falſo.* tres libri, *In veri falſo.* duo, *In falſo veri.* unus, *In falſo veram.* Scriverianus, *Et veram in falſo.* prima editio, *In fiſto veri.* Barberinianus, *In falſo vero.* Poſſet quoque refingi:

Tu contra objiciens, quae tuto diluat illa,
I veris falſo crimine deme fidem.

Vel, *I veram.* Heinsius. Quae ultima Heinſii conjectura poſſet ex Francof. codice firmari, qui habet, *I verum. In veri* codex Douzae.

39. *Sic tibi ſemper honos, ſic alta pecunia creſcet.*] *Sic alta peculia creſcent* optime Puteaneus, cum ejusdem Excerptis, & quinque alii codices. niſi quod Jureti Excerpta, *ſic orta peculia creſcent.*

Lego

Dum nimium ſervat cuſtos Junonius Iö,
Ante ſuos annos occidit; illa Dea eſt.
Vidi ego compedibus liventia crura gerentem,
Unde vir inceſtum ſcire coactus erat.
Poena minor merito. nocuit mala lingua duobus.
Vir doluit; famae damna puella tulit.
Crede mihi; nulli ſunt crimina grata marito:
Nec quemquam, quamvis audiat illa, juvant.
Seu tepet, indicium ſecuras perdis ad aures;
Sive amat, officio fit miſer ille tuo.
Culpa nec ex facili, quamvis manifeſta, probatur.
Judicis illa ſui tuta favore venit.
Viderit ipſe licet; credet tamen ipſe neganti:
Damnabitque oculos; & ſibi verba dabit.

Adſpi-

Lego, *ſic curta peculia creſcent.* quomodo *curtae res* apud Horatium III. Od. 24.

Curtae neſcio quid ſemper abeſt rei.

Et *curtare rem. curta tabella* pro parvâ in Faſt. lib. II. 408.

Heu quantum fati curta tabella fuit!

Sic ſcribendum puto. *curta ſupellex* Perſio. vide Notas Faſt. II. ℣ſ. 645. *Peculia* proprie ſervorum ſunt, teſte Feſto. notum illud Principis Poëtarum:

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.

Plautus Caſina de ſervo: *Quoi homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus.* Olim *aucta peculia* legebam ex illo Juvenalis loco, III. Sat. 188.

——— *Praeſtare tributa clientes*
Cogimur, & cultis augere peculia ſervis.

Apulej. x. Metam. *At iſtud non aequum eſt, partes electiores ſurripere, atque his divenditis peculium latenter augere.* Poſſet & *lauta peculia*, pro *alta*, legi, quod valde arridet. Apud Florum tamen lib. IV. cap. II. *Craſſus genere, divitiis, dignitate florebat; vellet tamen auctiores opes.* ubi *auctae* opes, quomodo *augere peculium* Juvenali & Apulejo. Quinctilian. Declamat. XIII. *Adeo parum eſt plurimum poſſidere, ut cum ſervis quoque veſtris habere peculium liceat, invidioſum nobis putatis, quidquid egeſtatis nomen exceſſerit.* Senec. Epiſt. *Mancipia quoque conditionis extremae, & in his ſordibus nata, omni modo exſolvere conantur ſervitutem, peculium ſuum, quod comparaverunt, ventre fraudato, pro capite numerant.* Heinsius. Ex veſtigiis Puteanei & Jureti, cum quo facit Francofurtenſis, melius legeretur, *arta peculia*, ut veteres ſcripſiſſe, non *arcta* docet Broukh. ad Tibul. lib. I. Eleg. V. 53. *altus* autem & *artus* paſſim a Librariis confuſa. ut VII. Met. 667. *altus* & *artus ſopor* in MSS. ſic apud Luc. III. 664. legendum ex MSS.

Robora cum vetitis prenſarent artius ulnis.

Cum vulgo *altius* circumferatur. ut lib. IX. III. *Saevumque arte complexa dolorem.* ut autem *arta peculia*, ita *res artae* & *anguſtae* paſſim dicuntur. Burmannus.

40. *Facis exiguo.*] Sana lectio eſt: *Haec face, & exiguo. face* pro *fac*, ut ſtaret verſus, poſuit. Sicut in Epiſtola Phyllidis:

Phylli face expectes Demophoonta tuum.

Ubi tamen depravati codices, *Fac* habent: & ſic, ſyllaba repugnante, à quodam commentatore legitur. Marius. *Haec face, & exiguo*, eſt vera ex antiquis libris lectio. Ciofanus.

49. *Minor merito.*] Heinſius edidit *merita*; ut prima editio habet. ſed ſcripti ſtant pro *merito*. ita apud Claudian. II. in Eutrop. 340. *Fama prius falſo ſimilis*, ubi etiam Heinſius, *falſae*. ego nihil muto. ut nec apud Liv. I. 3. *Quis rem tam veterem pro certo adfirmet.* non *pro certa*. Burmannus.

49. *Mala lingua.*] Junianus, *fama*, ſed fruſtra. Petron. XXXVII. & Martial. III. 80. *Malae linguae*. qui & lib. II. Praefat. *linguam*, *malam* vocat. Burmannus.

53. *Prodis.*] *Perdis* Puteaneus & alii multi. Jureti Excerpta, *pergit.* nihil temere mutandum. vid. lib. I. Eleg. VI. 41. Heinsius. Mihi *perdis* impenſe placet. id eſt fruſtra indicas; nullam ex indicio utilitatem vel fructum capis. ut *verba perdere* Epiſt. VII. 6. & III. Amor. II. 71. *vota.* & quo ſenſu toties Noſter τῷ *perdere* utitur. vid. ad Quinctilian. Declam. I. 10. & IV. 7. Burmannus.

56. *Venit.*] *Manet* Mentelii codex.

57. *Ille neganti.*] *Ipſe* quatuor libri, non inconcinna repetitione, niſi malis, *illa neganti*. Heinsius.

Adſpiciat dominae lacrimas; plorabit & ipſe:
Et dicet, Poenas garrulus iſte dabit.
Quam diſpar certamen inis! tibi verbera victo
Adſunt: in gremio judicis illa ſedet.
Non ſcelus adgredimur: non ad miſcenda coïmus
Toxica: non ſtricto fulminat enſe manus.
Quaerimus, ut tuto per te poſſimus amare.
Quid precibus noſtris mollius eſſe poteſt?

59. *Aſpiciet.*] *Aſpiciat* Puteaneus. Heinsius.
63. *Garrulus iſte.*] Legitur etiam, *ille.* Marius. *Poenam* Palat. tertius. vid. v. Metam. 200.
61. *Quid diſpar.*] *Quam diſpar* Excerpta Jureti & Politiani, cum uno Medicêo & Farneſiano. Heinsius. *Cur* tres libri. & Editio Gryphii & margo Berſmanni. *verbera juſto* etiam Francofurtenſis.

ELEGIA III.

HEi mihi, quod dominam, nec vir nec femina, ſervas;
Mutua nec Veneris gaudia noſſe potes!
Qui primus pueris genitalia membra recidit;
Vulnera, quae fecit, debuit ipſe pati.
Mollis in obſequium, facilisque rogantibus eſſes;
Si tuus in quàvis praetepuiſſet amor.
Non tu natus equo, non fortibus utilis armis:
Bellica non dextrae convenit haſta tuae.
Iſta mares tractent: tu ſpes depone viriles.
Sint tibi cum dominâ ſigna ferenda tuâ.

Hanc

Elegiam hanc Scaliger ſuperiori cenſebat adnectendam. Heinsius.

1. *Hei mihi, quòd dominam nec vir, nec femina ſervas.*] Caſtratum, aut Thlibiam, non Spadonem intelligit. De his autem omnium optimè diſſerit Theophilus lib. 1. Inſtitut. tit. xi. de adoptionibus. Ciofanus.

2. *Gaudia noſſe.*] *Ferre* Neapolitanus & Douzae Excerpta. monui ad Epiſt. xviii. ŷſ. 43. Heinsius. *Scire* in Palatino erat. ſed ego nihil muto: reſpexit enim illa Lucretii lib. iv. 1200.

Quod facerent numquam, niſi mutua gaudia noſſent.

Quae vero ſint *gaudia mutua*, ſcies ex illis, quae ad Petron. cap. lxxxi. olim notavimus. quod etiam Bagoam, nec virum, nec feminam vocat, ex Euripide petitum, qui in Oreſte v. 1528.

Οὐ τὲ γὰρ γυνὴ πέφυκας, οὔτ' ἐν ἀνδράσιν σύγ' εἶ.

Et expreſſit etiam Valerius Maxim. vii. cap. vii. §. 6. *Quod diceret Genucium, amputatis ſui ipſius ſponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere.* & plures alii. vid. Heinſium Introduct. ad Heſiod. cap. vi. Burmannus.

3. *Qui primus pueris genitalia membra recidit.*] Semiramis. Vide quae notavi lib. iv. Metamorph. Ciofanus.

5. *In obſequium.*] Meliores, *officium*, & iidem cum Douzae codice, *placidusque rogantibus. precantibus* duo libri.

6. *Praetepuiſſet.*] *Parte fuiſſet* Putean. alter Francofurt. cum tribus aliis.

8. *Nec dextrae.*] *Non dextrae* codex Douzae.

9. *Mares.*] Viri fortes. Horat. 1. Epiſt. 1. 64.

Et maribus Curiis & decantata Camillis.

Ciofanus.

9. *Tractant.*] *Tractent* meliores. Heinsius. Horat. ii. Epiſt. 1. 116.

Tractant fabrilia fabri.

Vid. ad Quinctil. 1. Inſtit. Prooem. & xi. 1. & alibi. Burmannus.

9. *Tu ſpes.*] Mallem, ſi per codices liceret, *Tu res depone viriles.* Phaedr. iii. Fab. 8.

Vir

Hanc imple meritis: hujus tibi gratia profit.
Si careas illà, quis tuus uſus erit?
Eſt etiam facies, ſunt apti luſibus anni.
Indigna eſt pigro forma perire ſitu.
Fallere te potuit, quamvis habeare moleſtus:
Non caret effectu, quod voluere duo.
Aptius ut fuerit precibus tentaſſe, rogamus:
Dum bene ponendi munera tempus habes.

Vir natus quod rem feminarum tetigerit. Quinctil. Decl. CCLXXII. *In eadem re, in qua pro ſorore veniſti*, ubi male *veſte* reponi jubet Gronovius. Terent. Heaut. II. III. *Nulla mala re expoſita muliebri. Tu ſpem depone virilem* Francofurt. BURMANNUS.

10. *Sunt tibi.*] *Sint tibi* tres libri. HEINSIUS.

15. *Te potuit.*] *Te poterit* Palatin. ſecundus.

17. *Aptius ut fuerit precibus tentaſſe, rogamus: Dum bene ponendi munera tempus habes.*] Senſus eſt: Potuit quidem illa te fallere, ſi moleſtior eſſe velles: ſed tamen quia commodius ac melius eſt, precibus agere, rogamus te, ut ſcilicet munus ac beneficium tuum bene colloces, dum tempus habes bene ponendi, ſive collocandi. Dicimus autem *bene ponere*, ſive *collocare* beneficium aut munus, quando in dignum aut gratum collocamus, qui illud compenſet, & contrà gratiam referat. MICYLLUS.

17. *Ut fieret.*] *Fuerit* omnino legendum ex antiquo codice. MARIUS. Liber Maffeianus, *Aptius ut fuerit.* CIOFANUS. Forte, *Aptius at fuerit.* HEINSIUS.

17. *Tentaſſe.*] *Tentare* codex Douzae, & prima editio.

18. *Bene ponendi.*] *Bene praeſtandi* Scriverianus, quod gloſſatoris eſt: locutio enim a foeneratoribus deſumta, qui *ponunt pecuniam*; ut Horat. Epod. II. vers. ult. & Terent. Adelph. II. 2. *Foenerare* dixit. ut autem omnia hujus diſtichi membra inter ſe cohaereant, & ſenſus commodus, quem in vulgata lectione vix video, oriatur, mallem in priori verſu legere:

Aptius ut fuerit pretio tentare, rogamus.

Licet forte brevior via & aptior eſſet te tentare pecunia, malumus tamen te rogare, dum tempus habes beneficium hoc bene ponendi, antequam te praeterito fallere te inſtituat domina tua, quo facto, nec gratiam, nec pecuniam auferes. *Pretium* vero in *preces* tranſiit ex conſueta illa formula, *vel prece vel pretio.* vid. Horat. II. Epiſt. II. 173. & Noſtrum lib. II. Faſt. 806. BURMANNUS.

ELEGIA IV.

NOn ego mendoſos auſim defendere mores;
Falſaque pro vitiis arma movere meis.
Confiteor; ſi quid prodeſt delicta fateri:
In mea nunc demens crimina, faſſus, eo.
Odi: nec poſſum cupiens non eſſe, quod odi.
Heu quam, quae ſtudeas ponere, ferre grave eſt!
Nam deſunt vires ad me mihi jusque regendum.
Auferor, ut rapidà concita puppis aquà.

Non

1. *Non ego.*] Huic ſimilem Elegiam Propertii lib. II. 18. conferendam recte monet Marius.

1. *Auſim.*] Pro *auderem* antiquum eſt, ſed quo tamen elegantiſſime nunc utimur. MARIUS. Antique pro *audeam.* CIOFANUS.

3. *Si quid.*] *Sed quid* duo libri & editio prima.

5. *Non eſſe quod odi.*] *Odiſſe quod odi* plures ſcripti. alii, *non noſſe.* HEINSIUS.

6. *Quod ſtudeas.*] *Quae* Puteaneus cum prima editione & uno Vaticano. *Quamquam* Arondel. HEINSIUS.

7. *Ad me.*] *In me* Junianus. rectius; dixi ſupra lib. I. Eleg. I. HEINSIUS.

8. *Auſe-*

Non eſt certa meos quae forma irritet amores.
Centum ſunt cauſſae, cur ego ſemper amem.
Sive aliqua eſt oculos in ſe dejecta modeſtos;
Uror: & inſidiae ſunt pudor ille meae.
Sive procax aliqua eſt; capior, quia ruſtica non eſt:
Spemque dat in molli mobilis eſſe toro.
Aſpera ſi viſa eſt, rigidasque imitata Sabinas;
Velle, ſed ex alto diſſimulare, puto.
Sive es docta; places raras dotata per artes:
Sive rudis; placita es ſimplicitate tuâ.

Eſt,

8. *Auferor.*] Scilicet a mala mente. Flor. II. 6. *In diverſum abſtulerunt.* vid. ad Epiſt. VI. 131.

9. *Non eſt certa.*] *Non eſt una* Sarravii a manu ſecunda.

9. *Invitet amores.*] *Irritet* quatuor libri. Metam. lib. I. 462.

Tu face neſcio quos eſto contentus amores
Irritare tua.

Sic *irritata voluptas* lib. II. Art. Am. Faſt. II. ỳſ. 649.

Tum ſicco primas irritat cortice flammas.

Vide quae illic notamus. Heinsius. *Irritat* etiam codex Douzae: dubito tamen num mutari debeat plurimorum ſcriptorum & editorum lectio, *invitet.* Epiſt. XVII. 183.

Et peream, ſi non invitant omnia culpam.

Niſi & ibi *irritant* malis. ſed vide, quae notavimus nuper ad Vellej. II. 67. Burmannus.

11. *Oculos in me dejecta modeſtos.*] Argute, &, ſi quid judico, vere Junianus cum Jureti Excerptis, *in ſe dejecta.* Epiſtola Cydippes 113.

Luminaque in gremio veluti defixa tenebam.

Ubi vide quae noto, niſi quis hic quoque mallet, *Oculos in humum dejecta.* Am. I. Eleg. VIII.

Cum bene dejectis gremium ſpectabis ocellis.

Sic *in terram & humum oculos dejicere* paſſim Poëtae. de quo Amor. III. Eleg. VII. ỳſ. 67. *In ſe colligi* non diſſimiliter Poëtae. Heinsius. Francof. confirmat, *in ſe.*

12. *Sunt pudor.*] *Fit pudor* Barberinus & alter Moreti. Heinsius.

13. *Aliqua eſt.*] *Ulla eſt* Gryph. & Berſman.

13. *Ruſtica non eſt*] Antitheton, *aſpera.* Ciofan.

15. *Rigidasque imitata Sabinas.*] Juvenal. Sat. X. 293.

—— *Rara eſt adeo concordia formae*
Atque pudicitiae. ſanctos licet horrida meres
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas.

Ita ſcribe ex veterrimo codice. Vulgari, *Sabinos.* apud Propertium quoque libro II. Eleg. 33. male legitur:

Qui quaerit Tatios veteres durosque Sabinos.

Pro *durasque Sabinas.* agit enim de puellarum moribus illa Elegia. & mox ſubjungit ipſe:

Quod ſeu tu Grajas, ſeu ſis imitata Sabinas.

Sic Noſter, *incultas Tatio regnante Sabinas.* ſupra lib. I. Eleg. 8. dixit, & de Medicamine Faciei. Amor. lib. III. Eleg. 8.

At nunc exaequet tetricas licet illa Sabinas.

Statius Pietate Abaſcantii libro V. Sylv. I. 122.

—— *Velut Appula conjux*
Agricolae parci, vel Sole infecta Sabina;
Quae videt emeriti jam proſpectantibus aſtris
Tempus adeſſe viri.

Sic malo, quam quod nunc legitur, *Sole infecta Sabino.* Heinsius. Martial. IX. 41.

Quam caſtae quoque diligunt Sabinae.

X. 16.

Et quas horribiles legunt Sabinae.

In Palatino erat, *rigidasque ſecuta Sabinas.* quod a librario fluxiſſe non puto; ſed veram Ovidii manum eſſe arbitror, ejusque gloſſema *imitata.* Epiſt. XVI. 325.

Nam ſequar Aegidae factum.

Et ita paſſim alii. atque hinc *ſectae* & *ſectari* aliquem. Burmannus.

16. *Velle, ſed ex alto diſſimulare puto.*] Pro ſublimiter, ut ita dicam, excelſe, glorioſe. dixit autem *ex alto*, ut ſupra *ex facili.* Aut *ex alto*, id eſt a longinquo, ut apud Virg. VIII.

Quid cauſſas petis ex alto?

Cicero etiam in familiaribus, *Quoniam ex alto repetita ſunt.* Marius. *Ex alto* ſignificat hoc loco, quaſi cum quodam faſtidio, ſuperbè, &c. Sumpta metaphora ab iis, qui ex alto aliquo loco ceteros deſpiciunt. Sic dicimus aliquem *ex alto ridere, contemnere*, & ſimilia. Micyllus. *Ex toto* Palatinus alter. ut Epiſt. XVI. 158. *Nec Venus ex toto noſtra fuiſſet iners.* male tamen; neque expoſitiones commentatorum placent ſatis. *Ex alto* eſt enim profunde ſimulans. ut ſubintelligatur, *pectore.* ut Virgil. I. Aeneid. 16.

Manet alta mente repoſtum.

Ubi Servius *ſecreta, recondita.* vide ibi etiam Cerdam, pluribus exemplis haec illuſtrantem. locutione,

Eſt, quae Callimachi prae noſtris ruſtica dicat
Carmina: cui placeo, protinus ipſa placet.
Eſt etiam, quae me vatem, & mea carmina culpet:
Culpantis cupiam ſuſtinuiſſe femur.
Molliter incedit; motu capit. altera dura eſt;
At poterit tacto mollior eſſe viro.
Haec quia dulce canit, flectitque facillima vocem;
Oſcula cantanti rapta dediſſe velim.
Haec querulas agili percurrit pollice chordas;
Tam doctas quis non poſſit amare manus?

Illa

ne hac; etiam alio ſenſu, utitur Virgil. VIII. Aeneid. 395.

Quid cauſſas petis ex alto.

Ubi Servius notat, *de uſu* hoc dictum. ut Cicero lib. I. ad Brutum: *Si Pompejus non ex alto peteret, & multis verbis me jam hortaretur.* Nonius interpretatur, *ex vetuſto & antiquo*, Piërio notante. ad Micylli vero ſenſum Noſter dixit. I. Art. Am. 633.

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum.

Quod *ab alto* dixit Epiſt. VI. 151. & Maro aliquoties. vid. Heinſ. ad Vellej. Paterc. II. 28. a quo locus Senecae I. de Ira adductus probat, *animo* poſſe ſubintelligi, licet & ille *ſuperbe* explicet. ſed eleganter *altum* & *ſummum animum* opponit, quod & facit Quinct. lib. X. Inſt. cap. 4. *Ut terra alte effoſſa generandis alendisque ſeminibus fecundior eſt, ſic profectus, non a ſummo petitus, ſtudiorum fructus effundit uberius.* ita & *altum vulnus*, & ſimilia, ut contra, *pectora deſtricta ſummâ ſagitta.* Epiſt. XVI. 275. cum vulnus non alte deſcendit. BURMANNUS.

17. *Sive eſt docta, placet.*] Leguntur haec carmina in vetuſtiſſimo codice ita:

Sive es docta, places raras dotata per artes,
Sive rudis, capior ſimplicitate tua. MARIUS.

Sive es docta, places Puteaneus cum optimo Palatino & quinque aliis. bene. niſi quod malim, *ſi qua es docta, places.* HEINSIUS. *Si qua eſt docta;* & mox, *ſi qua rudis* volebat Francius.

18. *Placita eſt ſimplicitate ſua.*] *Places ſimplicitate tuâ* idem codex. niſi quod *placeas* emendatum poſtea. quomodo & alterum exemplar ejusdem Puteani & tres alii. At Palatinus optimus cum Barberiniano & duobus aliis, *placita es ſimplicitate tuâ.* recte. dixi Art. Amat. I. ỳſ. 37. & Epiſtola XIX. ſub finem. A. Gell. lib. VII. cap. XV. *Permutatio Senatus non placita.* Minut. Felix. pag. 23. *Adulterium ſuum infeliciter placitum. capior* Arondelian. Neapol. & Barberin. & duodecim alii. HEINSIUS. *Placita eſt ſimplicitate ſui* Sarravii. *capior* Francof. quod & mihi arridet maxime. vid. ad Ep. XV. 63.

20. *Ipſa placet.*] Legitur &, *illa.* MARIUS. *Ipſa* ſcripti. HEINSIUS.

22. *Culpantis cupiam ſuſtinuiſſe femur.*] Alter Maffeian. *Culpantis vellem.* CIOFANUS.

22. *Femur.*] *Femen* Neapolitanus. ſed illud in uſu non eſſe docet Charisius, cum *ſeminis*, & *femini*, & *feminum* dicatur, plura ad Maronem diximus Aeneid. X. 788. HEINSIUS.

23. *Molliter incedit; motu capit: altera dura eſt.*] *Inceſſit* Puteaneus & alii plures. deinde ſcribo, *altera durè.* ſcilicet incedit. & ſequenti verſu, *poterat mollius iſſe*, pro *mollior eſſe.* Remed. Amor. 357.

Duriter incedit? fac ambulet.

Et Art. lib. III. 305.

——*Ruſticus alter*
Motus in inceſſu, mollior alter erit. HEINSIUS.

Vide ad Quinctil. Declam. II. 16. & de inceſſu molli multa egregie docuit Bochart. lib. IV. Phaleg. cap. 19. vid. etiam ad Petron. cap. CXXVI.

25. *Haec quia dulce canit.*] Scribe, *Huic.* pro *flectitque facillima vocem* unus Medicêus, *flectique*, eleganti Graeciſmo. de quo ad Claudianum III. Conſ. Hon. 89. plura. HEINSIUS. Vulgatam retineo. vide Broukh. ad Tibul. I. Eleg. VIII. 37.

27. *Habili.*] *Agili* rectius Excerpta Jureti ac Puteani & tres ſcripti. ſic Martial. lib. III. 82.

Percurrit agili corpus arte tractatrix.

Similiter peccatum Metam. II. 531. ubi pro *habili Saturnia curru*, legendum, *agili. praetendet* unus Palatinus. forte, *praetentat*, ut Editio prima habet, & duo ſcripti. Metam. V. 338.

Calliope querulas praetentat pollice chordas. HEINS. *Agilis* & *habilis* confundi vidimus lib. I. Eleg. IX. 45. vid. & II. Art. 661. ſed de loco ex lib. II. Metam. 531. adducto aliter cenſemus. *Percurrit* etiam *agili* melius convenit. *Praetentare* enim ſegnior & lentior poteſt. notum illud Homeri Iliad. A. 71. Ἴσὸν ἐπαιχομένην. vid. Meurſ. Spicil. ad Theocr. Idyl. XVIII. BURMANNUS.

27. *Praetentat.*] Vetuſta lectio eſt, *Percurrit:* & ita legendum eſſe omnino exiſtimo. Dictum autem eſt, quemadmodum in VII. 14. dixit Maro de Circe:

Illa placet geſtu, numeroſaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus:
Ut taceam de me, qui cauſsâ tangor ab omni,
Illic Hippolytum pone; Priapus erit.
Tu, quia tam longa es, veteres Heroïdas aequas:
Et potes in toto multa jacere toro.
Haec habilis brevitate ſuâ. corrumpor utrâque.
Conveniunt voto longa brevisque meo.
Non eſt culta; ſubit quid cultae accedere poſſit.
Ornata eſt; dotes exhibet illa ſuas.
Candida me capiet, capiet me flava puella:
Eſt etiam fuſco grata colore Venus.
Seu pendent niveâ pulli cervice capilli;
Leda fuit nigrâ conſpicienda comâ.
Seu flavent; placuit croceis Aurora capillis.
Omnibus hiſtoriis ſe meus aptat amor.
Me nova ſollicitat, me tangit ſerior aetas:
Haec melior ſpecie corporis: illa ſapit.
Denique quas totâ quisquam probet Urbe puellas,
Noſter in has omnes ambitioſus amor.

ELE-

Arguto tenues percurrens pectine telas.
Illud autem *Praetentat* convenientius poſuit in v. Metam.

Calliope querulas praetentat pollice chordas,
Atque haec percuſſis ſubjungit carmina nervis.
Marius. In eodem lib. *deducit:* In altero, *percurrit.* ſequor. Ciofanus.

29. *Illa placet geſtu numeroſaque brachia ducit.*] Alter Maffeian. *brachia jactat.* Alio modo Propertius lib. II. Eleg. XVIII. 5.

Sive aliquis molli deducit candida geſtu
Brachia, ſeu varios incinit ore modos.

Quem totum prope locum uſurpavit Papinius lib. III. Silvarum 5.

Candida ſeu molli deducit brachia motu. Ciofan. Alii, *movit*, vel *jactat.* Sed nil mutandum eſſe monui ad Metam. IV. ỳſ. 353. vide & quae notamus Remed. Amor. 334. Heinsius.

34. *Multa jacere.*] *Sola* codex Douzae.

40. *In fuſco.*] Tollunt *in* unus Moreti & Barberinianus. Heinsius.

41. *Pulli.*] *Nigri* in uno Maffeian. Ciofanus. In uno Moreti erat, *mori*, forte pro *Mauri*, quod recentiori librario tribuendum.

42. *Leda fuit nigra conſpicienda coma.*] Capillus niger, & oculus niger in puellis ſummè commendantur. Horatius in libello de Arte Poëtica 37.

Spectandum nigros oculis nigrosque capillos. Ciof.

43. *Aurora.*] *Europa* codex Douzae.

45. *Haec melior ſpecie, moribus illa placet.*] In vetuſtiſſimo exemplari hoc carmen ita ſcriptum legimus:

Haec melior ſpecie corporis, illa ſapit.

Quae lectio magis placet. Marius. In eodem Maffeian. *Haec melior ſpecie corporis, illa ſapit.* optima ſententia; & vulgata non abſurda. Utra tamen melior ſit, doctiorum judicio permitto. Ciofanus. *Corporis illa placet* Puteaneus & alii nonnulli. ſed recte ſex ſcripti:

Haec melior ſpecie corporis: illa ſapit. Heinsius. Ita & Francofurt. *ſapit* hic explicari debet ex II. Art. Am. 675. & ſeqq. ita in Priapejis carm. VII. *Nimirum ſapiunt &c.* vide ſupr. ad Epiſt. IV. 96. non recte vero hic Naſo pulchritudinem opponere *moribus* videtur, quia illi pro pudicitia ſaepius ſumuntur, ut Epiſt. XVII. 172. & alibi. neque Poëta Noſter hic iterum poterat dicere ſe amare pudicam, de qua jam vers. 15. egerat. ſed laſciviorem, quare ego non alienus eſſem ab hac lectione, quae exhiberet:

Haec melior ſpecie, motibus illa placet.

Ut eadem hic ſit diverſitas inter duas puellas, quae inter Phlogida & Chionen apud Martial. lib. XI. Epigr. 61. *motus* vero proprium in hac re vocabulum videbit lector in notis ad Petron. XX. & CXXXI. quibus adde liberioris carminis Epigr. XVIII. & XXVI. Burmannus.

47. *Quisquam probat.*] Rectius alii, *probet.* at optimus Palatinus, *quas laudet in urbe.* pro, *Denique quas tota quis laudet in urbe puellas.* Heins.

ELEGIA V.

NUllus amor tanti eſt; (abeas, pharetrate Cupido)
Ut mihi ſint toties maxima vota mori.
Vota mori mea ſunt, cum te peccaſſe recordor.
Hei mihi, perpetuum nata puella malum!
Non mihi deletae nudant tua facta tabellae:
Non data furtive munera crimen habent.
O utinam arguerem ſic, ut non vincere poſſem!
Me miſerum! quare tam bona cauſſa mea eſt?
Felix, qui quod amat defendere fortiter audet:
Cui ſua, Non feci, dicere amica poteſt.
Ferreus eſt, nimiumque ſuo favet ille dolori,
Cui petitur victâ palma cruenta reâ.
Ipſe miſer vidi, cum me dormire putares,
Sobrius adpoſito crimina veſtra mero.
Multa ſupercilio vidi vibrante loquentes.
Nutibus in veſtris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conſcriptaque vino
Menſa; nec in digitis litera nulla fuit.
Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem;
Verbaque pro certis juſſa valere notis.

Jam-

2. *Maxima vota.*] Haec egregie illuſtravit Broukhuſius ad Propert. I. Eleg. VI. 24.

4. *Hei mihi.*] Rectius duo Moreti codices, *O mihi.* HEINSIUS.

5. *Non mihi deceptae nudant tua facta tabellae.*] Scribe, *Non interceptae*, vel, *Non mi interceptae. Intercipere literas* uſitatus optimis auctoribus loquendi modus. Metam. IX. 122. *Ne res intercipe noſtras.* in optimo Palatino, *deletae.* etiam probe. ſic Art. Am. lib. III. 495.

Nec niſi deletis tutum eſt reſcribere ceris.

Malim tamen, *Non male deletae.* HEINSIUS. Incertae admodum hae conjecturae: *deceptae* Marius explicuit, *interceptae.* vellem auctoritatem attuliſſet. in codice Sarraviano erat, *Non mihi decepto.* quod cum ſenſum faciat commodum, prae conjecturis merito placet. *decepto mihi*, qui credebam me ſolum amari, ſed qui ex tabellis, quas furtim, ut me falleres, miſiſti alteri, didici tuum cum alio commercium. ſic infr. II. IX. 43.

Me modo decipiant voces fallacis amicae.

Et ita millies. poſſet & pro *deletae, delatae.* delatae ad me, interceptae. de verbo *nudare*, vide ad Phaedr. lib. III. Prolog. BURMANNUS.

14. *Appoſito mero.*] In Excerptis Puteani erat, *appoſita manu.* forte pro *oppoſita.* ut ſtatus dormientis in triclinio, manu ad os & oculos oppoſita, indicetur. vide ad Petron. cap. LXVI. BURM.

16. *Pars bona.*] *Pars quota* conjecerat & hic Heinſius, ut alibi. ſed *pars bona* uſitatiſſimum eſt pro magna. Ter. Eunuch. I. 2. & quis non? BURM.

19. *Quod non videatur agentem.*] Amatores enim pluribus praeſentibus, aut hiſtoriam, aut fabellam aliquam, & amorem narrant, & ſub alieno nomine de ſe & amica praeſente loquuntur, ne eorum amores deprehendantur. Quod fecit Paris, ut ipſe apud Ovid. in Epiſt. ad Helenam ita teſtatur:

Ah quoties aliquem narravi potus amorem,
Ad vultus referens ſingula verba tuos.
Indiciumque mei fictò ſub nomine feci:
Ille ego, ſi neſcis, verus amator eram.

Quin Naſo in Artibus de conviviis loquens, ait:

Hic tibi multa licet ſermone latentia ficto
Dicere, quae dici ſentiat illa ſibi.

In quibusdam tamen exemplaribus ita legitur per parentheſin & interrogationem (*Quid non videatur amanti?*) id eſt, quid eſſe poteſt, quod amans non videat? Et eſt ſimilis ſenſus illi apud Ovid. lib. IV. Metamorph.

Quid non ſentit amans?

Jamque frequens ierat mensâ conviva remotâ:
Compositi juvenes unus & alter erant.
Improba tum vero jungentes oscula vidi.
Illa mihi linguâ nexa fuisse liquet.
Qualia nec fratri tulerit germana severo;
Sed tulerit cupido mollis amica viro:
Qualia credibile est, nec Phoebum ferre Dianae;
Sed Venerem Marti saepe tulisse suo.
Quid facis, exclamo; quo nunc mea gaudia defers?
Injiciam dominas in mea jura manus.
Haec tibi sint mecum, mihi sint communia tecum.
In bona cur quisquam tertius ista venit?
Hoc ego; quaeque dolor linguae dictavit: at illi
Conscia purpureus venit in ora pudor.

Quale

Superior tamen lectio magis placet. Marius. *Sermonem agnovi*, (*quid non videatur amanti?*) ita quidem in plerisque legitur & plana est sententia, amantes omnia suspicari & animadvertere. In quibusdam autem idem versus etiam hoc modo legitur:

Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem?

Absque parenthesi. cujus sensus talis: Agnovi vos loquentes, quod non videatur, id est, quod nolebatis id videri, quod reipsa erat, sive dicebatur, videlicet sub alienis & externis exemplis res praesentes designantes. De qua re in Epistola Paridis mentio fit his versibus:

Ah quoties &c.
Ad vultus referens singula verba tuos.

Atque haec lectio haud scio an vulgata illa potior, propter verba *Agnovi* & *Videatur*: sermo enim magis auditur quàm videtur. Sed de hoc alii quoque judicent. Micyll. *Quod non videatur agentem* uterque Maffeian. & Vatican. Ciofanus. *Quod non videatur agentem* scripti omnes. nisi quod Neapolitanus, *videbatur*, & *agenter* unus Medicêus. tertius Moreti, *quam non videatur agentem*. Latet aliquid. Heinsius. Ego vulgatam non repudiarem, tot scriptis codicibus firmatam. agnovi sermonem, agentem aliud, quam videbatur prae se ferre: verba enim dubia & ambigua me non fallebant. nec morari debet, quod sermo magis auditur, quam videtur, cum *quod non videatur* significet, quod non appareret; aliud agebatur sermone, quam quod verba prae se ferebant. & verbum *videri* de omnibus sensibus, per quos aliquid percipimus, dici docet Donat. ad illa Ter. Eun. III. II. 1. *Audire visa vocem. Omnes sensus visa dicuntur, ab eo quod est certissimum* (legerem *certissimus*) *oculorum. ego visa sum*, sensi, ut Virgil. VI. 257. *Visaque canes ululare.* vid. & Serv. ad I. Aeneid. 322. Passerat. ad Propert. I. Eleg. 17. pag. 223. & II. 6. pag. 270. Burmannus.

20. *Verbaque pro certis visa valere notis.*] Sic habet alter Maffeian. ast alter, *visa fuere notis*. Uterque Vatic. *Jussa valere notis.* placet. superiorem versum alii legunt, *quid non videatur amanti?* idque per Parenthesin; quibuscum non pugnabo. Ciofanus.

21. *Frequens ierat mensâ conviva relictâ.*] Scribe, *remotâ* cum septem scriptis. ita enim moris erat, ut mensae posit finitum convivium removerentur. Art. Am. lib. I. 645.

At cum discedit mensâ conviva remotâ.

Metam. XIII. 676.

Mensâ somnum petiere remotâ.

Virgilius I. 216.

Postquàm exemta fames epulis, mensaeque remotae.

Et 723.

Postquàm prima quies epulis mensaeque remotae.

Contra *ponere* & *apponere mensam* passim occurrit, sed quid in re tritâ moramur? Heinsius.

22. *Unus & alter.*] In Juniano erat, *alter & alter*. ita & Epist. XII. 65. & supr. Eleg. I. 30. infr. Eleg. X. 10. ubi eadem varietas. I. Art. I. 204. & III. 446. V. Fast. 226. & alibi. sed tamen praefero, *unus & alter. alter & alter* enim de duobus tantum dicitur; *unus & alter* de pluribus. quamquam Donatus ad Terent. Andr. I. I. *Amans unus & item alter* de tribus explicat, quia sequitur, *hi tres tum simul amabant*. sed male: est enim indefinita locutio. Cicer. pro Cluent. 26. *Unus & alter dies intervenit*. Horat. I. Epist. I.

Quidquid negat unus & alter.

Petron. CVIII. *Et unus alterque infirmissimus vector.* Noster III. Fast. 399.

Ex illis unus & alter ait.

Epist. XV. 182.

Et sub ea versus unus & alter erunt.

Rem

Quale coloratum Tithoni conjuge coelum
Subrubet, aut ſponſo viſa puella novo.
Quale roſae fulgent inter ſua lilia mixtae:
Aut ubi cantatis Luna laborat equis:
Aut quod, ne longis flaveſcere poſſit ab annis,
Maeonis Aſſyrium femina tinxit ebur.
His erat, aut alicui color ille ſimillimus horum:
Et numquam caſu pulchrior illa fuit.
Spectabat terram; terram ſpectare decebat.
Moeſta erat in vultu; moeſta decenter erat.
Sicut erant, (& erant culti) laniare capillos,
Et fuit in teneras impetus ire genas.
Ut faciem vidi, fortes cecidere lacerti:
Defenſa eſt armis noſtra puella ſuis.

Qui

Rem. Am. 364.

Impugnent unus & alter opus.

Et millies alibi Noſter, & ceteri ſcriptores. BURM.

23. *Improba tunc.*] *Nunc* Vaticanus & Scriverii. vid. ad Epiſt. XII. 53. praeterea Francof. & Moreti unus, *vere*, id eſt, vere improba, *bona fide*, ut Petronius cap. XI. & CX. loquitur. BURMANNUS.

25. *Non fratri.*] *Nec fratri* novem ſcripti, & multi editi. & ita mox, *nec Phoebum*, meliores.

26. *Cupido mollis amica viro.*] Optimus Palatinus & Neapolitanus, *cupido ſuo.* Epiſt. XX. 70.

Utraque victorem nempe ſecuta ſuum.

Sic libri nonnulli veteres. Remedio Amoris 492.

Frigidior glacie fac videare tuae.

Hoc eſt, dominae. ut recte veteres libri. Plura illic. HEINSIUS. Propert. I. Eleg. IX.

Et nihil iratae poſſe negare tuae.

Vid. Epiſt. XIII. 7. aliter tamen I. Eleg. V. 12. ubi vide; & mox, *Marti ſuo*, ſequitur. BURMAN.

27. *Credibile eſt.*] *Credendum eſt* antiquae editiones, & Gryph. & Berſm.

29. *Quo nunc mea gaudia differs?*] Neapolitanus & quatuor alii, *defers*, cum Scaligeri Excerptis. recte. *quo jam* Excerpta Puteani. Forte, *quonam?* atque ita Arondelianus. HEINSIUS.

31. *Haec tibi ſunt mecum, mihi ſunt.*] Mentelianus, *ſint*, utroque loco. idque rectius. IDEM.

33. *Haec ego.*] *Hoc* Puteaneus. IDEM. Vide ad Epiſt. X. 37.

34. *Venit in ora pudor.*] *Rubor* quidam ſcripti. & placet. Catull. Epigr. LXV. *Conſcius ore rubor.* vid. ad Epiſt. IV. 70. & XX. 120. IDEM.

37. *Inter ſua lilia.*] Dixit, aut quia (ut lib. 21. Natur. Hiſt. ſcribit Plin.) *lilium roſae nobilitate proximum eſt:* aut (quod etiam magis placet) quia eodem tempore videntur lilia & roſae: earum enim medio proventu incipiunt lilia. *Sua* igitur, id eſt, ſuo tempore provenientia: aut *ſua*, quia eorum intermiſtione multum decoris additur roſis: *Lilium enim* (ut etiam Plinius eſt auctor) *impoſitum, maximè roſas decet.* Unde & Maro lib. XII. Aeneid. 67. tali uſus eſt comparatione, inquiens:

Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur, vel miſta rubent ubi lilia multa
Alba roſâ: tales virgo dabat ore colores. MARIUS.

Inter nova Moreti primus a manu prima. *Splendent* etiam codex Douzae.

40. *Maeonis.*] Vid. ad Claud. I. Rapt. Proſ. 274.

41. *Hic erat aut aliquis.*] In horrendae vetuſtatis codice ſic legitur hoc carmen, *His erat, aut alicui color ille ſimillimus horum*, quae lectio mihi vehementer placet. MARIUS. Rectius in veteri codice:

His erat, aut alicui color ille ſimillimus horum.

DAN. HEINSIUS. Legendum, *His erat, aut alicui*, cum Puteaneo, Sarraviano & quibusdam aliis, quod & Naugerius in ſuis invenerat. HEINSIUS.

42. *Et numquam.*] *Et nusquam* Vatican. recte. HEINSIUS.

42. *Caſu.*] Forte fortuna. Metam. VII. 84.

Et caſu ſolito formoſior Aeſone natus. MARIUS. IV. Faſt. 444.

Et dominam caſu nulla ſecuta comes.

II. Triſt. III. I. *Haec mea, ſi caſu miraris, epiſtola. &c.* Martial. III. 38.

Si bonus es, caſu vivere, Sexte, potes.

44. *Moeſta erat.*] Vid. ad VII. Metam. 730.

45. *Sicut erant, & erant comti.*] *Culti* meliores omnes. ſic *inculti capilli* & *incultae comae* paſſim. Faſt. III. 470.

Edidit incultis talia verba comis. HEINSIUS.

Ita lib. I. XI. I. & III. Am. VI. 456. MSS. *Incultae comae.* & I. Amor. I. 20. *Longas culta puellae comas*, ut quidam codices habent. ſed parum refert.

Qui modo ſaevus eram, ſupplex ultroque rogavi,
Oſcula ne nobis deteriora daret.
Riſit, & ex animo dedit optima: qualia poſſent
Excutere irato tela triſulca Jovi.
Torqueor infelix, ne tam bona ſumſerit alter:
Et volo non ex hac illa fuiſſe notâ.
Haec quoque, quam docui, multo meliora fuerunt;
Et quiddam viſa eſt addidiciſſe novi.
Quod nimium placuere, malum eſt: quod tota labellis
Lingua tua eſt noſtris, noſtra recepta tuis.
Nec tamen hoc unum doleo: non oſcula tantum
Juncta queror; quamvis haec quoque juncta queror:
Illa, niſi in lecto, nusquam potuere doceri.
Neſcio quis pretium grande magiſter habet.

46. *Et fuit in teneras.*] *Laniare capillos Mens fuit* quinque ſcripti cum primâ editione. HEINSIUS.

51. *Dedit oſcula.*] Imo *optima* cum Puteaneo, Arondeliano, & tribus aliis. Sequentia confirmant. HEINSIUS. Sic III. Amor. VII. 55. *Non optima perdidit in me Oſcula.*

53. *Senſerit alter.*] Liber Maffeian. *ſumſerit.* CIOFANUS. Excerpta Scaligeri & Puteani cum Sarraviano & uno Palatino, *ſumſerit.* rectè. Art. Am. I. 669.

Oſcula qui ſumſit, ſi non & cetera ſumet.
Supra Eleg. IV.

Oſcula jam ſumet, jam ſola nec oſcula ſumet.
Infra Eleg. XI.

Et multa ſine ordine ſumam oſcula.
Faſt. III. 691.

Oſcula ſumturus ſubito Mars aſpicit Annam.
Propert. I. III. 16.

Oſculaque admota ſumere rapta manu.
HEINSIUS.

54. *Et volo non ex hac illa.*] Vel, *vellem* unus Moreti. Lege:

Et vellem ex hac non illa fuiſſe nota.
Vel, *Deque velim non hac illa fuiſſe nota.* HEINS. *Ex nota* mutandum non eſt; ita Petronius & alii locuti. vide quae notavimus ad Petronii cap. LXXXIII. quare rectius reſcripſiſſet Heinſius, *Eque nota non hac illa fuiſſe velim.* ut Francius volebat.

56. *Addidiciſſe.*] Quid ſit *addiſcere* dixi lib. II. Metam. 639. CIOFANUS. ubi vide.

60. *Quamvis haec ego juncta queror.*] Alter Maffeian. *nunc quoque.* alter verò, *haec quoque,* placet. CIOFANUS.

61. *Numquam.*] In quodam manuſcripto exemplari legitur, *nusquam:* ut ſit loci, non temporis, quod ſenſui aptiſſimum videtur. MARIUS. *Nusquam* Puteaneus & alii nonnulli. rectè. HEINSIUS.

ELEGIA VI.

PSittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit. exſequias ite frequenter, aves.

Ite,

1. *Pſittacus Eois ales mihi miſſus ab Indis Occidit.*] Hanc Elegiam imitatus videtur Statius in morte Pſittaci Melioris. lib. II. Silv. 4. CIOFANUS.

1. *Mihi miſſus ab Indis.*] Legitur in vetuſtiſſimis exemplaribus etiam, *transmiſſus*, ſine praenomine, *mihi.* MARIUS. In altero Maffeian. *miſſus ab oris.* non malè. Verè, quod ex Statio loco citato apertè cognoſcitur, qui *plagam* dixit. Ejus verba ſunt:

Pſittacus ille plagae viridis regnator Eoae.
CIOFANUS. *Imitatrix ales ab Indis* probe Puteaneus, & Regius, & unus Moreti, & tres quatuorve alii, cum Arondeliano. quod Briſſonius in addit. ad Formulas & Carrion lib. I. Emend. 6. & Voſſ. de Analogia jam monuerunt. Statius:

Humanae ſollers imitator Pſittace linguae.

Ψιττακὸς ὁ βροτόγηρυς in Anthologia lib. I. *Imitatrix ales ab Indis*, quomodo Maroni, *Paſtor ab Am-*

Ite, piae volucres, & plangite pectora pennis;
Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro moestis lanietur pluma capillis:
Pro longâ resonent carmina vestra tubâ.

Quid

Amphryso. Floro lib. I. cap. XI. *Sed hos praecipue Lucius Quinctius domuit, ille dictator ab aratro.* Silius lib. I. 431.

Bistoniis late Gradivus ab oris,

ut legi debet. & lib. V. 702.

Atlas a litore Ibero.

Ad Psittacum traho & illa Varronis Virgulâ Divinâ apud Nonium, in *Limine* & in *Vile.* quae illic foedissime depravata circumferuntur: *Atque arbos, quin & volucris venit apud illos usque a limine Indico vilis.* Plinius libro X. cap. XXIII. *Otus imitatrix avis, at parasita & quodam genere saltatrix.* Guntherus Ligurini libro II. *Psittacon humanis aequantem murmura verbis.* HEINSIUS. *Eois nuper mihi missus ab Indis* Farnesianus. *Ales tibi missus* Junianus, ut ad amicam sit scripta Elegia. sed ut Heinsius edidit etiam Francofurt. & adseruit jam praeter alios Jos. Castal. III. Decur. Obs. 2. in hanc avem est Epigramma inter Catalecta Pithoei cap. 153.

India purpureo genuit me litore tellus,
Candidus accenso qua redit orbe dies.

Ubi forte rectius legeretur, *purpureo limine.* ut in Varronis loco, ab Heinsio laudato, quem Marcilius ad Persii prologum ita constituebat, *Psittacus cum volucris venit apud illos usque a limine Indico vilis.* sic ergo *purpureum limen* dicitur, unde Sol, tamquam è domo sua, egreditur. ita Ovidius Noster II. Metam. 112. *atria* & *fores* Soli dat. apud Claudianum quoque lib. II. Laud. Stil. 302. codices Bodlejanus & Junianus:

Quaecumque profana
Pagina de primo venisset limine Phoebi.

Et III. de Laud. Stil. 287.

Primi sub limine coeli.

Ut recte Heinsius. & ita apud Stat. III. 502. puto legendum:

Sub excelso spirantis limine coeli.

Ut in codice uno Heinsius invenit. apud Silium tamen VII. 471.

Dum Sol Indo se litore tollet.

Nisi & ibi *limine.* sed haec alibi latius. BURMAN.

2. *Exequias ferte.*] Minus hoc Latinum. quanquam Prudentius passione Eutaliae:

Ipsa elementa jubente Deo
Exequias tibi, virgo, ferunt.

Et sane iidem libri, *exequias ite.* quod verum est. sic & *pompam funeris ire* Fast. VI. 663. ut habent libri veteres. *ire in exequias* Corippus Africanus dixit:

Ibo paternas
Tristis in exequias.

Silius libro XV.

—— *Ite superbae*
Exequias animae, & cinerem donate supremi
Muneris officio.

Ducere exequias apud Solinum de Bucephalo. *Reddere exequias* Epicedio Drusi 218.

Et pedes exequias reddit equesque duci.

Ubi forte melius:

Et pedes exequias plebs it, equesque duci.

HEINSIUS.

3. *Plangite.*] *Et passis plangite pennis* Arondelianus, sic *passae comae* frequenter apud Nostrum, *passae palmae* apud Germanicum Arateis. *passis victoria pennis* Nostro infra lib. III. Eleg. II. & hinc, *pandere velorum alas* Maroni. plura de hoc verbo videantur apud Gell. lib. XV. cap. 15. IDEM.

5. *Horrida.*] Neapolitanus, *Arida.* male. III. Pont. III.

Et visa est oculis horrida pluma meis.

Vid. ad Petronii cap. XCIX. sed qua figura hic capilli *moesti* dici possint, vix video. in Vaticano & Medicêo erat, *multis.* forte pro *cultis*, qui eleganter *horridae plumae* opponerentur. vid. Eleg. praecedentis vers. 45. BURMANNUS.

6. *Pro longa resonent carmina vestra tuba.*] *Longa:* aut prolixe sonanti, aut (quod magis placet) directa. Nam & cornicines in funeribus adhibebantur. Horatius Serm. libro primo, Satyr. VI. 42.

At hic si plostra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
Cornua quod, vincatque tubas.

Scribit Plinius libro decimo Natur. Histor. 42. Corvo illi, qui Tiberium, deinde Germanicum & Drusum Caesares nominatim salutabat, *funus innumeris celebratum exequiis, constratum lectum super Aethiopum duorum humeros, praecedente tubicine elatum fuisse.* MARIUS. Arondelianus & unus Medicêus, *nostra.* Forte, *garrula rostra.* HEINSIUS. Mallem, *pro longa resonent carmina rostra tuba;* rostra loco tubae resonent lugubria carmina: *resonare* enim cum accusativo casu construunt. Virgil. Eclog. I.

Formosam resonare doces Amaryllida silvam.

Et Claud. Praef. in Nupt. Honor. 22.

Reginam resonant Othrys & Ossa Thetin.

Francius volebat, *resonent guttura vestra tuba.* BURMANNUS.

7. *Quid*

Quid ſcelus Iſmarii quereris, Philomela, tyranni?
Expleta eſt annis iſta querela ſuis.
Alitis in rarae miſerum devertite funus.
Magna, ſed antiqui, cauſſa doloris Itys.
Omnes, quae liquido libratis in aëre curſus;
Tu tamen ante alias, turtur amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vitâ,
Et ſtetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Oreſtae:
Hoc tibi, dum licuit, Pſittace, turtur erat.

Quid

7. *Quid ſcelus.*] Puteaneus, *Quod.* opinor, *Quo.* HEINSIUS.

9. *Miſerum divertite funus.*] *Devertite* ſcripti. Lege, *devertere.* ad Philomelam enim ſermo eſt. quod ex verſu proxime ſequenti ſatis apparet. Art. Amat. II. 425.

Docta quid ad Medicas Erato deverteris artes?

Ita codices vetuſti. Metam. lib. IX. 62.

Inferior virtute meas devertor ad artes.

Pont. IV. Eleg. XIV.

Ad veteres ſcopulos iterum devertor.

Virgil. III. Georg. 293.

Caſtaliam molli devertitur orbita clivo.

Quomodo omnes vetuſti codices, quos ego ac Pierius Valerianus inſpeximus. neque aliter membranae A. Gellii innumeris propemodum locis, nam *divertere* diverſae eſt ſignificationis, unde *divortium.* apud eundem Gellium & *deverſitari* habes lib. XVII. cap. 20. Suetonius in Tiberio cap. XII. *Nemine cum imperio aut magiſtratu tendente quoquam, quin deverteretur Rhodum.* ita ſcripta exemplaria. atque ita in Priapeis reponendum Epigr. XIII.

Huc, huc quisquis es, in Dei ſalacis
Deverti grave ne puta ſacellum.

In Catalect. Pith. pag. 174. lege:

Julius ardenti devertit lumina Solis.

Apud Aruſianum Meſſium, *devertit domum.* Cicer. pro Dejotaro, *& domum regis hoſpitis tui deverſiſſit.* Idem pro Milone, *devertit in villam Pompeji*, ut ipſe ductus literarum illuc legendum eſſe ſuadet. *deverticulum* in veterrimis codicibus Prudentii lib. II. contra Symmach. & Juvenalis Sat. XV. & Rutilii lib. II. Itin. v. 61. ubi vid. Barth. apud Nonium quoque Marcellum in optimis membranis, *deverſoria dicta* ſunt hoſpitia, *a devertendo.* Malim etiam, *Alitis in carae*, quam *rarae.* quia mox ſequitur, *rari forma coloris.* HEINSIUS. Douza legebat, *divertito.* male. vide quae olim notavimus ad Petron. cap. X. ſic apud Fulgent. lib. Myth. pag. 17. legendum: *Itaque meis, quo deverteret culminibus impetravi.* Ubi perperam, *diverteret* Commel. & Munker. qui in ſcriptis & editis pluribus eſſe *quod everteret* notavit; unde manifeſtum eſt literam *d* male adhaeſiſſe voci praecedenti *quo.* ſic quoque apud Plin. lib. I. Epiſt. IV. recte Aldus: *Idem fortaſſe eveniet tibi, quando in noſtra deverteris.* Vide & Noſtrum IV. ex Pont. XIV. 21. BURMANNUS.

20. *Magna ſed antiqua eſt cauſa doloris Itys.*] *Sed antiqui cauſa doloris* bene Sarravianus. *antique eſt* Neapolitanus corrupte. HEINSIUS.

11. *Libratis in aëre.*] Legitur etiam in exemplaribus aliquot, *vibratis*, quae lectio forte melior. MARIUS. In Veteribus, *vibratis*; ſed & recte, *libratis.* NAUGERIUS. *Libratis* alter Maffeian. placet. CIOFANUS. *Librare volatum* Silius lib. XV. 425.

Auratâ puerum rapiebat ad aethera pennâ
Per nubes Aquila, intento librata volatu.

Sic ex optimis membranis ſcribo, *Librare* tamen *pennas* dixit Dracontius Hexaemero:

Rudibus librantur in aëre pennis.

Alcim. Avitus lib. I.

Elatae in coelum volucres, & in aëre ſudo
Praepetibus librant membrorum pondera pennis.

Apulej. Metam. VI. de Aquila: *Libratis pinnarum natantium motibus.* Sic ſcribo. Quinctil. Declam. XIII. 4. de Apibus, *Quemadmodum aliae libratae pennis, onera conferrent.* deinde *curſus* ſcripti meliores. Noſter Art. Am. lib. II. 73.

Et movet ipſe ſuas & nati reſpicit alas
Daedalus: & curſus ſuſtinet uſque ſuos.

Statius Theb. III. 563.

Nonne ſub excelſo ſpirantis limite coeli,
Amphiarae, vides, curſus ut nulla ſerenos
Ales agat?

Ita & *meatum* pro volatu dicebant. de quo ad Raptum Proſerpinae in Claudiano lib. II. ℣. 74. HEINSIUS. Vid. ad Epiſt. III. 125. Met. VIII. 201.

Geminas opifex libravit in alas
Ipſe ſuum corpus.

Vulgata *pennas* adſtrui etiam poteſt ex Quinctil. Decl. XIII. 17. *Modico lapilli pondere librare pennas.* BURMANNUS.

12. *Turtur amice dole.*] Eſt enim naturalis quaedam

Quid tamen iſta fides? quid rari forma coloris?
Quid vox mutandis ingenioſa ſonis?
Quid juvat, ut datus es, noſtrae placuiſſe puellae?
Infelix avium gloria, nempe jaces.
Tu poteras virides pennis hebetare Zmaragdos,
Tincta gerens rubro punica roſtra croco.
Non fuit in terris vocum ſimulantior ales:
Reddebas blaeſo tam bene verba ſono.
Raptus es invidiâ. non tu fera bella movebas:
Garrulus, & placidae pacis amator eras.

Ecce,

dam inter turtures & pſittacos amicitia. Plin. lib. x. cap. 74. Noſter Epiſt. xv. 38.

Et niger a viridi turtur amatur ave. BERSM.

Turtur amica unus Vaticanus, & Regius a manu ſecunda. quomodo dici poſſe notant ad Virgilium veteres Grammatici. HEINSIUS.

13. *Plena fuit.*] Imitatus Claudian. Bell. Gild. 4.

Concordia Fratrum
Plena redit.

Omni vitae habebat alter Puteaneus. BURMANNUS.

14. *Longa tenaxque fides.*] Fragmentum Patavinum, & editio prima, *firma.* ut in Pont. I. IV. 17.

Firma tenaxque licet, ſolvetur in aequore navis.

HEINSIUS. Sed ibi legitur, *firma ſit illa licet.* Plautus vero, *firmam fidem* dixit Capt. v. 1.

15. *Argolico Oreſti.*] *Oreſtae* Puteaneus & Neapolitanus. bene. dictum Epiſt. VIII. ŷſ. 9. HEINS. *Phoceus* legendum. ut videbimus ad lib. I. Triſt. IV. 21.

18. *Mutandis notis.*] Id eſt verbis & dictionibus articulatis; *notas* ſignificare literas Eleg. praeced. 20. dictum eſt. verum antiquior lectio mihi magis probatur. quae eſt, non *notis*, ſed *ſonis*, id eſt modulis. MARIUS.

20. *Nempe jaces.*] Eleg. Palatinus, *taces*, quod garrulae avi convenientius.

21. *Virides pennis hebetare Zmaragdos.*] Zmaragdi proprie virides. Scripti tamen meliores magna ex parte, & in his Puteaneus, *fragiles.* HEINSIUS. Licet *fragiles* recte dici poſſint Zmaragdi, & a Plinio quoque dicantur, propter adjunctum tamen verbum, *hebetare*, requiritur hic vox, quae colorem lucidum notet, & ita *virides* retinuimus & defendimus pluribus ad Petron. cap. LV. ſic Jon. Sarisb. v. 3. *Idem ignis in Zmaragdo vireſcit.* & ita *Jaſpidem ſulvam* pro *viridi* dixiſſe Maronem notat Servius ad IV. Aeneid. 262. ubi & addit, quosdam tradere Jaſpidem in Zmaragdum tranſire. ſic *viridem gemmis tiaram* dixit Valer. Flacc. VI. 699. Claud. IV. Conſ. Hon. 586.

Pretioſaque fila Zmaragdis
Ducta virent. BURMANNUS.

23. *Vocum ſimulantior ales.*] Quatuor libri veteres, *ſimulacior.* quo & alii nonnulli alludunt, quos inter Palatinus optimus & Arondelianus, *ſimulatior* exhibentes. ſic *ſonax concha* lib. I. Metam. 333. & *vigilaces curae* lib. II. 779. & *expugnax herba* lib. XIV. 21. & *fumax ſulphur* Faſt. IV. 140. *liquaces rivi* Remed. Am. ŷſ. 177. ex ſcriptis libris. & ſimilia, de quibus ſuo loco. *crepacem molam* Maecenas dixit apud Senecam Epiſt. CXIV. Cicero Catone 10. *Ne vera de ſe praedicans nimis videretur, aut inſolens, aut eloquax.* ut ibi eſt in vetuſtiſſimis libris. apud Plautum, *trahax.* apud Gratium, *curraces laquei.* apud Cajum l. 18. D. de Aedil. Edict. *ſervus curax. ſi laborioſum aut curacem aut vigilacem eſſe adſirmaverit.* apud Symmachum lib. I. Ep. XLI. *retinax advenarum lotos. equus ſternax* Maroni & Silio Italico. *capax, rapax, edax, emax, ſalax, vorax*, & ſimilia apud Noſtrum. *tagax manus* Lucilius apud Feſtum. *linguax* pro loquaci antiquum. A. Gell. I. cap. 15. *Olax temetum.* Marc. Capel. lib. I. & *olax acerra* lib. II. *vendax* apud Catonem de R. R. cap. 3. *Patrem familias vendacem non emacem eſſe oportet.* Quae verba, ut hoc in tranſcurſu moneam, fere integra Titianus libris de Agricultura uſurpavit apud Diomedem libro I. *Patrem familias vendacem magis quam emacem expedit eſſe. nam id melius emitur quam venditur.* Lucilio apud Nonium; *vatrax, vacax, catax. Viros mortis ſpernaces* Silius Italicus dixit lib. VIII. Fulgentius libro II. Mytholog. *Ad libidinem limaces viſus intorſit*, pro limis oculis. *Limaces viri* apud Plautum Bacchidibus Fragm. ŷſ. 12. in Gloſſis antiquis βρόμαξ *currax. Incurſaces Maſſagetae* apud Sidon. Apol. lib. VIII. Ep. XII. HEINSIUS. Cupide admodum amplectitur Heinſius vel minimam occaſionem nomina illa in *ax* intrudendi, quorum plurima novae formae eſſe credo: neque, quia in MSS. *ſimulacior* legitur, inde ſequitur Ovidium, à *ſimulax* deduxiſſe, cum qui MSStos codices verſarunt norunt hoc eſſe pro *ſimulatior*, & hoc pro *ſimulantior*, nam pro *t* paſſim *c*, & pro *n*, lineam ducebant ſupra vocalem. inde illae diverſitates, in *moderatius* & *moderan-*

Ecce, coturnices inter ſua proelia vivunt:
Forſitan & fiant inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec prae ſermonis amore
In multos poteras ora vacare cibos.
Nux erat eſca tibi; cauſſaeque papavera ſomni:
Pellebatque ſitim ſimplicis humor aquae.
Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
Miluus, & pluviae graculus auctor aquae.
Vivit & armiferae cornix inviſa Minervae;
Illa quidem ſeclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanae vocis imago,
Pſittacus, extremo munus ab orbe datum.

Optima

nius, & ſimilibus. quare non ubique inculcanda illa in *ax*, de quibus egit Pincier. II. Parerg. 34. ſic *Aedificax* Nepoti obtrudere voluit Juretus, reprehenſus a Scioppio ad Symmach. I. pag. 60. BURM.

24. *Reddebas blaeſo.*] *Blando* Palatinus tertius, & ita conjecerat Francius.

27. *Inter ſua.*] In exemplaribus legitur etiam, *Fera*: quod epitheton Naſo dat frequenter proeliis. ut in Epiſtolis Heroidum:

Jamque aliquis poſita monſtrat fera praelia menſa.

Atque alibi ſaepiſſime. Vetus tamen lectio, & quam magis approbo, eſt *Sua*. Perdicum autem & coturnicum pugnas inter ſe deſcribit Ariſtoteles libro nono de Animalibus, capit. octavo. MARIUS. *Inter ſua proelia* Maffeiani ambo. CIOFAN. *Sua proelia* meliores. recte: nam *fera bella* paullo ante praeceſſerant. HEINSIUS. Valer. Flac. VII. 638.

Miſeros agit in ſua proelia fratres.

Martial. Spect. 28.

Dumque parat ſaevis ratibus fera proelia Nereus.

Ubi tres codices Voſſiani habent, *ſua proelia*. ita *ſua* & *fera* confundunt ſcripti lib. II. Metam. 832. *Suâ mens infecerat illam.* ubi unus Heinſii, *fera mens*; hic vero *inter ſua prandia* quidam ſcripti & editi, quod jam expulit Ptolem. Flavius in conjectan. cap. 76. BURMANNUS.

28. *Fiunt.*] *Fiant* Puteaneus & unus Moreti. in nonnullis aliis, *fient*. proxime verum. HEINS.

29. *Plenus eras minimo.*] Francof. *Parcus eras potu*: & certe ſequens diſtichon indicat praecedere debuiſſe cibum & potum. legi poſſet, *parcus eras potus*. ut *parcus ſomni*, *vini*; & ſimilia. BURMANNUS.

30. *In multos poteras ora vocare cibos.*] Id eſt, edere, ſive appetere multos cibos. Sed melior vetuſta lectio, quae eſt:

In multos poterant ora vacare cibos.

Idem erit ſenſus, ſed elegantius explicatus. *Vacare* enim, id eſt, operam dare: & dativo & accuſativo cum praepoſitione adjungitur, quemadmodum *incumbere*. Dicimus enim: *Incumbo huic ſtudio*, & *in hoc ſtudium*. MARIUS. *Poteras ora vocare* multi ex ſcriptis. at Puteaneus & Arondelianus, *poteras ora vacare*. eleganti Graeciſmo. quod & in ſuis Dominicus Marius Niger videtur inveniſſe. Unus Vaticanus, *poteras ore vacare*. Pont. III, III. 36.

In nullum mea mens grande vacavit opus.

Stat. Theb. VIII. 186.

In Tyrias acies, adverſaque ſigna, vacaſti
Sternere. HEINSIUS.

31. *Cauſaeque papavera ſomni.*] *Somnis* Neapolitanus. Faſt. IV. 547.

——*Somnique papavera cauſas*
Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer. HEINSIUS.

Vid. Epiſt. XVIII. 200. Remed. Am. 143. I. Pont. II. 17.

33. *Vivit edax vultur, ducitque per aëra gyros Miluus.*] Apertiſſimè ita ſcriptum repperi in iisdem lib. In impreſſis malè eſt, *Milvius*. Sed hâc de re in obſervat. in lib. Faſt. & in obſervat. in Metamorph. CIOFANUS. *Miluus* Puteaneus, Arondelianus, & ſex alii. quomodo paſſim apud Noſtrum in optimis exemplaribus. ut Faſtorum libro III. bis, & Metam. II. ſic & apud Horatium lib. I. Epiſt. XVI. Ceterum lege cum uno Vaticano & Farneſiano, *ducensque per aëra gyros*. ſed &, *pluviae graculus augur aquae* exiſtimo ſcribendum, pro *auctor*. Horat. lib. III. Od. XVII.

——*Aquae niſi fallit augur*
Annoſa cornix.

Et Od. XXXVII.

Imbrium divina avis imminentum.

Poſſet & legi, *garrulus augur*, ut de corvo intelligatur, quae avis imbrium praeſaga habetur. Certe *garrulus auctor* eſt in multis ſcriptis. ſed graculus pluvias praedicit apud Avienum in prognoſticis. Auctor Queroli: *Ego iſthaec non pertuliſſem, ſi recinenti ac monenti credidiſſem graculo.* pro vulgato tamen *auctor* ſunt illa Propert. lib. IV. Eleg. III.

Tum.

Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
Implentur numeris deteriora ſuis.
Triſtia Phyllacidae Therſites funera vidit:
Jamque cinis, vivis fratribus, Hector erat.
Quid referam timidae pro te pia vota puellae;
Vota, procelloſo per mare rapta Noto?
Septima lux aderat, non exhibitura ſequentem:
Et ſtabat vacuà jam tibi Parca colo.
Nec tamen ignavo ſtupuerunt verba palato.
Clamavit moriens lingua, Corinna, vale.
Colle ſub Elyſio nigrà nemus ilice frondens,
Udaque perpetuo gramine terra, viret.

Si

Tum queror in toto non ſidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aves. HEINS. Ubi Broukhuſius, *auctor*, etiam praefert, & Paſſeratius recte explicat. & certe *Auctor* hic notat nuntium. ita enim &, *lucis praenuntius ales* II. Faſt. 767. ita pro nuntio *auctor* XI. Met. 667. *Non haec tibi nuntiat auctor Ambiguus.* Stat. IX. Theb. 39.
Sed poſtquam haud dubio clades auctore reperta eſt. Livius V. 1. *Non vani ſermonis auctorem habebat.* X. 14. *Ab Sutrio &c. auctores concilia Etruriae populorum de petenda pace haberi.* Juſt. XI. 2. *Producto in concionem auctore.* Dictys. II. de Bell. Troj. 8. *Ubi de conjuratione compertum eſt auctoribus Scythis*, ubi alii, *auctoribus nuntii*, vel *nuntiis*, quae voces a gloſſatore ſunt. de τῷ *Milüus*, vid. ad Phaedr. I. 32. BURMANNUS.

35. *Armigerae.*] Legitur etiam in exemplaribus, *Armiferae*, quae lectio eſt jucundior. MARIUS. Perpetua illa eſt in ſcriptis diverſitas. vid. III. Faſt. 681. IV. Metam. 475. & alibi.

35. *Cornix inviſa Minervae, Illa quidem ſaeclis vix moritura novem.*] Nonnihil ad hanc rem pertinens notavi in obſervationibus in Metamorph. CIOFANUS. Male quidam libri, *moritura decem.* nam ita & Metam. VII. 274.
Ora caputque novem cornicis ſecula paſſae.

37. *Illa loquax.*] *Ille* ſex ſcripti HEINSIUS.

39. *Optima prima.*] *Optima quaeque* alter Puteaneus Palat. & duo alii. eſt imitatio Virgilii lib. III. Georg. 66.
Optima quaeque dies miſeris mortalibus aevi
Prima fugit.

39. *Manibus rapiuntur avaris.*] Forte, *avernis.* ita in Druſ. 355.
Fata manent omnes, omnes expectat avernus
Portitor.
Ubi etiam *avarus.* vide quae ad Claudianum noto. II. Rapt. 290. HEINSIUS.

42. *Jamque cinis vivis fratribus Hector erat.*] Eodem modo dictum eſt ab Horatio IV. Od. 7. *Pulvis & umbra ſumus.* Probat autem rem propoſitam exemplo. CIOFANUS.

44. *Per mare.*] *Trans mare* Palatinus. nihil muta; infr. Eleg. VIII. 19.
Tu jubeas animi perjuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre notos.
I. Art. Am. 388.
Nec mea dicta rapax per mare ventus agit.
Et paſſim. BURMANNUS.

45. *Lux venit.*] *Aderat* in quibusdam legitur, non *venit.* NAUGERIUS. Legitur etiam in exemplaribus *aderat*, utrumque recte. MARIUS. Cùm de Piſſtaco aegroto agat, meritò ſeptimi diei mentionem facit. Nam is dies inter criticos enumeratur, qui & judiciarii dicuntur, ut Hippocrates II. Aph. particula XXIV. ait: *Humores, qui morbi cauſae ſunt, diverſis moventur temporibus: aut enim ipſorum natura, aut quantitate tardius vel citius ad coctionem vel cruditatem terminantur. Dies autem, in quibus praecipuè id fieri ſolet*, VII, XIV, & XX. *eſt.* Sed haec in libro De diebus directoriis diffuſius & copioſius à Galeno diſputantur. CIOFANUS. *Aderat* recte. Claud. Nupt. Honor. Praef. V. 15.
Septima lux aderat coelo.
Noſter v. Faſt. 413. *Nona dies aderat.* & Remed. Am. 509. *Poſtera lux aderit.* & ita paſſim. vid. ad III. Metam. 519. I. Art. 213. an vero ad ſeptimum diem criticum in morbis adludat, an vero ad ſeptimum inediâ morientibus fatalem (de quo vide ad Quinctil. Decl. XII. 8.) neſcio. Francius etiam malebat, non *adjectura.* & certe inſolens videtur locutio, *lux exhibitura luſum.* ſed recte Parca diceretur *exhibere* ſequentem. quare ego diſtinguerem poſt *aderat*, & legerem:
Septima lux aderat. Non exhibitura ſequentem
En ſtabat vacua jam tibi Parca colo.
Vel, *Inſtabat.* ut *inſtans nex*, & ſimilia. BURM.

46. *Jam tibi Parca.*] *Jam tua Parca* Francof. qui & mox, *non tamen*, ut & Berſmannus in ſuis invenit, & Gryphius aliique ediderunt.

Si qua fides dubiis; volucrum locus ille piarum
Dicitur, obscaenae quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores:
Et vivax Phoenix, unica semper avis.
Explicat ipsa suas ales Junonia pennas:
Oscula dat cupido blanda columba mari.
Psittacus has inter, nemorali sede receptus,
Convertit volucres in sua verba pias.
Ossa tegit tumulus: tumulus pro corpore parvus:
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.
Colligor ex ipso dominae placuisse sepulcro.
Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

ELE-

49. *Nigrâ nemus ilice frondet.*] Excerpta Politiani, & unus Medicêus, *frondens.* ut ad τὸ *viret* referatur. nisi sequenti versu *Uvida* malis, pro *Udaque.* nam unus Vaticanus, *Vivida.* Heinsius.

53. *Late pascuntur.*] *Paciuntur* Moreti. forte pro *spatiantur.* Heinsius.

54. *Et vivax Phoenix unica semper avis.*] Sic Statius lib. III. Silv.

Quae sibi praesternat vivax altaria Phoenix.

De Phoenice Tacitus lib. v. Annalium. vide & quae ego in Metamorph. lib. xv. notavi. Ciofan.

55. *Explicat ipsa suas ales Junonia pennas.* Varie hoc carmen in exemplaribus legitur. in quibusdam enim scriptum est, *spectat & ipsa suas*; in aliis vero, *Explicat ipsa suas &c.* Marius. *Atque suas* alii multi. neutrum satisfacit. forte legendum:

Explicat hic pictas ales Junonia pennas.

Vel, *Explicat & passas pennas.* ut de pavo Horatius II. Sat. II. 26. *Picta pandat spectacula cauda*, tale quid latere exiilimo. Heinsius. Illud *atque* ex ultima syllaba τοῦ *explicat* repetitum fuit. legerem, *Explicat usque suas.* Francius malebat, *Explicat eccè suas. Spectat & ipsa suas* Micyl. & Bersm. ediderunt. vid. ad lib. I. Fast. 289. Burmannus.

56. *Dat cupido.*] *Dat placido* tres libri. an, *placito.* vid. supr. Epist. xix. 208. *Oscula datque suo* sex alii.

58. *In sua vota.*] Nonnulli, *in sua verba.* & fortasse melius. Naugerius. *In sua vota*, in suas voluntates & desideria. In quodam tamen manuscripto codice legitur, *In sua verba:* quae lectio summopere placet. ut dicat Naso, Psittacum & iisdem verbis, & humanis vocibus, quibus dum viveret, ad se homines convertebat & alliciebat, mortuum in Elysiis piarum avium umbras ad se itidem attrahere. Nam (ut in VI. Aeneid. 653. docet Maro) apud inferos unusquisque iisdem studiis tenetur, quibus in vita delectabatur. Dixit enim:

Quae gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitenteis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Et superius de amantibus loquens, 449.

Curae non ipsa in morte relinquunt. Marius.

In sua verba scripti. Heinsius. Ita modo vers. 43. *pia verba* quidam codices, & fere ubique haec vocabula permutantur in scriptis. *verba* etiam codex Douzae.

59. *Pro corpore magnus.*] Puteaneus alter cum Excerptis Vossii, *pro corpore parvus.* Excerpta Politiani, *parvo. parvus* res ipsa est. Callimachus in Epigrammatis:

Σύντομος ἦν ὁ ξεῖνος, ὁ καὶ τάφος. εὖ μικρὰ λέξας.

Propert. II. Eleg. I.

Et breve in exiguo marmore carmen erit.

Noster lib IV. Metam. 412.

Conataeque loqui minimam pro corpore vocem
Emittunt.

Metam. XIII. 864.

Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires.

Fast. lib. I. 553.

Dira viro facies: vires pro corpore: corpus
Grande.

Postremum hujus Elegiae distichon ab alienâ manu videtur. Heinsius.

60. *Par sibi nomen habet.*] Legendum omnino (ut est in vetustis codicibus) *Carmen.* nec obstat, quòd duo subjungat carmina: posuit enim carmen pro Epitaphio. Sic etiam Virgil. in Daphni:

Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.

Ubi Epitaphium duobus carminibus continetur. Hoc idem fecit Naso in Epistola Phyllidis, circa finem:

Aut hoc, aut simili carmine notus eris.

Et in Epist. Didonis:

Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit.

Marius.

61. *Colligor ex.*] *Colligor hoc ipso* Francius.

I. *Ergò*

ELEGIA VII.

ERgo ego ſufficiam reus in nova crimina ſemper?
Ut vincam, toties dimicuiſſe piget.
Sive ego marmorei reſpexi ſumma theatri;
Eligis è multis, unde dolere velis.
Candida ſeu tacito me vidit femina vultu;
In vultu tacitas arguis eſſe notas.
Si quam laudavi; miſeros petis ungue capillos:
Si culpo; crimen diſſimulare putas.
Sive bonus color eſt, in te quoque frigidus eſſe;
Seu malus, alterius dicor amore mori.
Atque ego peccati vellem mihi conſcius eſſem.
Aequo animo poenam, qui meruere, ferunt.
Nunc temere inſimulas: credendoque omnia fruſtra,
Ipſa vetas iram pondus habere tuam.

Adſpi-

1. *Ergo ego.*] In multis deeſt τὸ *ego*. male. vid. ſupr. Epiſt. x. 119. *Sufficiam* eleganter dictum, pro, an ego ſolus materiam praebebo amicae, unde poſſet objicere mihi crimina, & nemo praeter me reus fiet, neque tamen ſuccumbam Servius ad Virg Georg. III. 4. *Euryſthea durum appellavit, qui potuit ad complendum odium novercale ſufficere.* Petronius LXXXVIII. *Chryſippus, ut ad inventionem ſufficeret, ter helleboro animum deterſit.* vid. Vorſt. ad Valer. Max. lib. II. cap. VII. §. 6. BURMANNUS.

2. *Ut vincam, toties dimicuiſſe pudet.*] Commentator ſic exponit: *Pudore*, inquit, *afficior ſaepius certaſſe, ut ſemel in hac cauſa victoriam conſequar.* Ego contrà: *Etiamſi vincam, & obtineam, tamen me pudet toties contendere ac dimicare, &c.* MICYL. Recte. vid. ad Epigr. ante lib. I. Amor.

2. *Pudet.*] *Piget* meliores. HEINSIUS.

7. *Si quam laudavi.*] Francius numeroſius putabat, *Si quam ego laudavi.* Francof. & tres alii, *ſeu quam.* & mox idem Francof. & Palatin. *ſeu culpo*; non male. nam ſaepe *ſi* praemiſſo ſequi ſolet *ſive*, vel *ſeu*. de quo ad lib. IV. ex Pont. I. 3. agemus. BURMANNUS.

7. *Miſeros petis ungue.*] *Sapis* Palatin. forte pro *rapis*, ut toties *rapti capilli*. vide ſupr. ad Epiſt. x. 16. *miſero* etiam Puteaneus, ſcilicet mihi, non ungue, miſero.

8. *Si culpo.*] In quibusdam vetuſtiſſimis exemplaribus hoc carmen ita legitur:

Si cui do crimen, diſſimulare putas.

Idem eſt ſenſus: do crimen, id eſt mendum. MARIUS.

9. *Sive color bonus eſt, in te quoque frigidus eſſe.*] *Quoque* conjunctio ad ſuperiora referenda eſt, ut ſit ſenſus: Si qua foemina aſpexit me, arguis notas in vultu: ſi quam laudo, petis ungue capillos: ſi quam culpo, ais me diſſimulare crimen: jam ſi color mihi bonus eſt, etiam frigidum me eſſe in te dicis. quaſi hoc ultimum gravius ceteris ferat. Ut ſit non tantum copulativa, *Quoque*, ſed etiam intenſiva. MICYLLUS. *Quoque* hic vim illam habet, ut non tantum frigidus videar in aliis puellis, ſed etiam in te, in qua ardere vehementiſſime debebam. BURMANNUS.

10. *Amore mori.*] Offendere hoc κακόφατον poſſet. & ideo forte in Vaticano & Palat. primo ſuppoſuit librarius, *amore frui*, in Puteaneo, *capi*. ſed non omnia talia puto ejicienda, certe non offendit hoc meas aures. qui & ſcio nec Propertio diſplicuiſſe lib. II. Eleg. I. 47. *Laus in amore mori.* BURMANNUS.

11. *Atque ego peccati vellem mihi conſcius eſſe.*] Rectius legitur in exemplaribus quibusdam, *modo*, id eſt nunc. quaſi quod antea noluiſſet, nunc inſolentia Corinnae coactum ſe velle dicat; ut poſthac eam a querelis & reprehenſionibus removeat. MARIUS. *Vellem mihi conſcius eſſem* iidem, quò & alii nonnulli tendunt, in quibus, *vellem mihi conſcius eſſe.* Metam. XIII. 805. ut & illic optimi codices:

Et quod praecipue vellem tibi demere poſſem.

HEINSIUS.

12. *Qui meruere, ferunt.*] *Fera* Primus Palat. pro *ferant*. & tunc, *modo conſcius* legendum eſſet.

13. *Nunc temere inſimulas.*] *Inſultas* Neapolita-

Adſpice, ut auritus miſerandae ſortis aſellus,
Adſiduo domitus verbere lentus eat.
Ecce, novum crimen, ſollers ornare Cypaſſis,
Objicitur dominae contemeraſſe torum.
Dî melius, quam me, ſi ſit peccaſſe libido,
Sordida contemtae ſortis amica juvet!
Quis Veneris famulae connubia liber inire,
Tergaque complecti verbere ſecta velit?

Adde,

nus cum Excerptis Scaligeri & Puteani, fruſtra. Feſtus: *Inſimulare, crimen in aliquem confingere.* Gloſſae Stephani, *Inſimulatur*, διαβάλλει. HEINS.

15. *Aſpice, ut auritus.*] Monet Corinnam, ne tam faciles delatoribus aures adhibeat: cum credulitas plerumque noceat. Et affert aſini exemplum: qui cum longas habeat auriculas, aſſiduis verberibus atque onere premitur. quaſi hoc illi eveniat ex aurium longitudine. Id autem dicit Naſo ex vulgarium ſermone, quo longas aures habere dicuntur illi, qui delatorum murmura aucupantur, & quaſi omnia audiunt creduntque. Contra Seneca. *Difficilem*, inquit, *habere oportet aurem ad crimina.* Naſo quoque in Artib. exemplo Procris non eſſe cito & temere credendum, docet. Poſſet tamen hic eſſe ſenſus horum carminum, & fortaſſe rectior: ut dicat Naſo, quemadmodum aſellus, dum nimium & aſſidue verberatur, ut celerius eat, it tamen tardius: ſic ſe aſſiduis reprehenſionibus & querelis Corinnae frigidiorem fieri in illius amorem. MARIUS. Quo pacto hos verſus interpres exponit, ex ipſius verbis patet. ego vero hanc ſententiam horum eſſe puto: aſpice, inquit, aſellos, quo magis caeduntur, eo tardius eunt: ita & tibi accidit, ut quo facilius aliorum delationibus credas, eo minor tibi fides adhibeatur, minoremque auctoritatem ira tua habeat. ſcilicet, ut haec de aſello ſit quaſi quaedam ſimilitudo eorum, quae praecedunt. MICYLLUS. Ego ſequor ultimam Marii explicationem.

15. *Auritus aſellus.*] Hinc adferenda vetus ſcriptura Phaedro lib. I. Fab. XI. de aſino & leone venantibus:

——*Hic auritulus*
Clamorem ſubitum totis tollit viribus.

Ita enim veterrimae Voſſii ſchedae. niſi quod *auriculus* mendoſe exhibebant. mox cum eodem codice repone in Phaedro:

Leonis adfliguntur horrendo impetu. HEINSIUS. Vid. I. Art. 147.

16. *Verbere tardus erat.*] Legitur in exemplari etiam, *lentus*. recte utrumque. MARIUS. *Lentus eat* primae editiones & ſcripti. ſic Noſter de aſino ſemper. Metam XI.

Induiturque aures lente gradientis aſelli.

Et alibi. Medic. Fac.

Lenta jube ſcabra frangat aſella mola.

Phaedrus lib. I. Fab. XV. *At ille lentus.* Sedulius libro IV.

Sed lento potius geſtamine vilis aſelli,
Rectori ſuffecit honos. HEINSIUS.

17. *Ecce tuum ſollers caput exornare Cypaſſis.*] Codices vetuſtiores magno numero, recte:

Ecce, novum crimen, ſollers ornare Cypaſſis.

Ornare enim, non *caput ornare* dicebant. hinc & *ornatrices* in Gruteri Inſcriptionibus ancillae, quae comebant heras, paſſim dicuntur. ſic *ornatrix à tutulis* pag. DLXXIX. APONIAE SUCCESSAE A TUTUL. ORNATR. G. BATONIUS EPIGONUS ATRIENSIS. de tutulis vide Varronem & Feſtum. & pag. MCXVIII. *ornatrix galeae.* CALPURNIA L. ET D. L. GALEAE ORNATRIX. ubi nota *galeam* dici pro galero vel galericulo comae adſcititiae. Noſter lib. I. Eleg. XIV.

Ornatrix tuto corpore ſemper erat.

Et Arte Amatoria:

Tuta ſit ornatrix.

Macrobius Saturnal. II. cap. V. *Julia mature habere coeperat canos, quos legere ſecrete ſolebat. Subitus interventus patris aliquando oppreſſit ornatrices. Capitis & capillorum concinnatores* habes apud Columellam Praefatione librorum de Re Ruſtica. duo codices non male:

Ecce (novum crimen) ſollers ancilla Cypaſſis.

HEINSIUS. Recte Heinſius: eſt enim Ironia Ciceroniana, de qua vidimus ad Quinctil. IV. Inſtit. I. quae & ſaepius in Declamationibus occurrit: *Ecce tuum crimem ſolers ornare* codex Douzae. BURM.

18. *Objicitur.*] Ex Propertii lib. I. Eleg. XVII. I.

19. *Dî melius, quàm ſic mihi ſit peccaſſe libido.*] In uno Maffeian. *me ſic ſit peccare voluntas.* In altero, *me ſic ſit peccaſſe voluntas.* Rectius alii fortaſſis legunt, *quàm me, ſi ſit peccaſſe libido.* CIOFAN. *Si ſic* iidem meliores. Forte:

Dî melius, quam, ſi mihi ſit peccaſſe libido.

HEINSIUS. *Peccaſſe Cupido* unus Moreti. *Voluptas* Sarravii.

21. *Quis Veneris famulae connubia liber inire, &c.*] *Venerem* non pro amica hic accipiendum, ſed pro ipſo opere venereo, ſive actu: ut *Famulae* ſit epitheti loco additum, quod qualitatem Veneris deſcribat. quaſi dicas: Quis liber velit inire connubia,

Adde, quod ornandis illa eſt operata capillis;
Et tibi per doctas grata miniſtra manus.
Scilicet ancillam, quae tam tibi fida, rogarem?
Quid? niſi ut indicio juncta repulſa foret?
Per Venerem juro, puerique volatilis arcus,
Me non admiſſi criminis eſſe reum.

bia, ſive commercia Veneris famulae, hoc eſt ſervae, & per hoc indignae homine libero, &c. Quo modo & *praepoſteram Venerem* dicimus, & *furtivam*, & id genus cetera. MICYLLUS. Malim, quod in aliis codicibus legitur, *Quis demens famulae connubia liber inire*, &c. DAN. HEINSIUS. Recte Micyllus explicuit. Confer Petronii cap. CXXVI. *Quis Veneris demens* Puteani Excerpta. *Quis dominae famulae* Mentelianus.

23. *Ornandis operoſa eſt illa capillis.*] *Illa eſt operata* Puteaneus, Neapolitanus, & unus Palatinus, bene. Metam. VIII. 865.

——— *Studioque operatus inhaeſi.*

Ubi male *oneratus* legebatur. *votis pudicis operari* Epiſt. IX. ỳſ. 35. *ſiſtris Iſidis operari* Art. Am. *operari ſacris* ſaepe alibi. HEINSIUS. *Ipſa eſt operoſa* codex Douzae.

24. *Et tibi per doctas grata miniſtra manus.*] *Per-docta eſt* Puteaneus. Puto, *perdoctâ manu.* ſic eandem *ponendis capillis perfectam* mox vocat. Ponticis IV. 12.

Dignam Maeoniis Phaeacida condere chartis
Cum te Pierides perdocuere tuae.

Tibullus libro I. Eleg. VIII.

Ipſa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non ſine verberibus.

Uſi eo verbo quoque non ſemel Lucretius, Cicero, alii. HEINSIUS. Hoc verbum etiam reſtituit Heinſius Remed. Am. 490. ſed hic nihil opus. ita *doctae manus* ſupr. El. IV. 28. & I. Art. Am. 518.

Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.

Ita contra *indoctae manus* Quinctil. I. Inſtit. II. de quibus videbimus ad Valer. Flac. lib. I. 122. & ſupra aliquid notavimus ad Epiſt. XX. 210. BURM.

24. *Grata.*] *Apta* Neapolitanus & III. alii. ſic ſtatim Eleg. ſeq. ỳſ. 4. Art. Am. III. 485.

Ancillae puerive ferat manus apta tabellas.

Et 706. ſupr. I. Eleg. VII.

Mars abiit ſigno nunc Venus apta tuo.

Metam. IX.

Non adiit apte, non legit idonea, credo,
Tempora.

Faſt. II. 216.

Silvaque montanas occulere apta feras. BURMAN.

25. *Quae ſit tibi fida.*] Legitur in nonnullis, *quae tam tibi fida*; & fortaſſe rectius. NAUGER. In quodam exemplari legitur, *quae tam tibi fida*, ſupple *eſt*. quod magis placet. MARIUS. *Qui erat tibi fida* Puteaneus mendoſe. alii complures, *quae tam tibi fida*. recte. HEINSIUS.

26. *Quid? niſi ut.*] Rectius videatur, *Quo, niſi ut indicio juncta repulſa foret.* IDEM.

ELEGIA VIII.

POnendis in mille modos perfecta capillis,
Comere ſed ſolas digna, Cypaſſi, Deas;

Et

1. *Comendis.*] Ornandis. Producitur prima ſyllaba, licet in *Coma* nomine corripiatur. Sic Auſonius:

Come ſerenatam duplici diademate frontem.

Legitur tamen in vetuſtiſſimis codicibus: *Ponendis in mille*, &c. MARIUS. Alii: *Comendis in mille modis*, &c. Nec magni refert, utrum legas: niſi quòd poſterius verbum cum ſequenti verſu σχῆμα facit Repetitionem. Cujus cauſa ſi quis *Comendi* verbum magis probat, nihil equidem repugno. Illud autem notandum cenſeo, figuram anaſtrophen committi in prima ſtatim voce. Praepoſitio enim *In*, non cum *Mille*, quod nomen ipſa proximè antecedit: ſed cum participio *Ponendis*, aut ſi magis placet, *Comendis*, & cum nomine *Capillis* jungenda eſt. ut ſit ordo: O Cypaſſi, perfecta in capillis mille modis ponendis, ſive comendis, &c. MICYLLUS. In altero Maffeian. *Ponendis* &c. In altero verò:

Ponendos in mille modis perfecta capillos.

Sed ſupernè adſcriptum eſt gloſſema, *perdocta*, fortaſſis non malè. Rectius autem, ut puto, in Vatic.

Ponendis in mille modis praefecta capillis. CIOFAN.

Modos bene Puteaneus. HEINS. Gryphius in margine notat Eraſmum legiſſe, *Ponendis in mille modos praefecta capillis*: non male hic etiam Sarraviaanus.

Et mihi jucundo non ruſtica cognita furto;
Apta quidem dominae, ſed magis apta mihi;
Quis fuit inter nos ſociati corporis index?
Senſit concubitus unde Corinna tuos?
Num tamen erubui, num, verbo lapſus in ullo,
Furtivae Veneris conſcia ſigna dedi?
Quid? quod in ancillâ ſi quis delinquere poſſet,
Illum ego contendi mente carere bonâ?
Theſſalus ancillae facie Briſeïdos arſit:
Serva Mycenaeo Phoebas amata duci.

Non

nus, *perdocta*; qui & *ponendos capillos. Perfectum* tamen *medicinae* Celſus lib. 1. de Re Med. cap. 1. dixit. ſed ſecundo, ut puto, caſu. & *perfectiſſimos aencatores* dixit Front. Strateg. III. IX. 3. & *perfectiſſimum in opere eo Homerum* Vellej. 1. 5. & *perfectiſſimos Poëtas in forma operis ſui* lib. II. 36. *edocta* Mentelii. BURMANNUS.

1. *Ponendis &c. perfecta.*] In quibusdam *praefecta*, ut ſignificet, ancillam, quae a capillis ejus. ſed *perfecta* fortaſſe rectius. NAUGERIUS. *Perfecta*, peritiſſima. In quodam codice *Praefecta* ſcriptum eſt, quod non omnino diſplicet: ancillarum enim quaedam epulis praefectae ſunt, quas coquas appellant; aliae penſis; nonnullae ornandis dominae capillis. *Praeficere* enim, unde *praefectus*, eſt alicui rei adminiſtrandae praeponere. Naſo in Artibus:

Me Venus artificem tenero praefecit amori.

Melior tamen videtur antiqua lectio, quae eſt, *Perfecta*. MARIUS.

3. *Jucundo.*] *Nocturno* Sarravii. mox, *ſed tamen apta* Scriverii.

5. *Sociati corporis.*] *Foederis*, unus Heinſii, *criminis* alter. mox, *concubitus novos* Scriverii. *meos* Moreti.

7. *Non tamen.*] *Nam non* alter Mentelii. *Nunc tamen* Puteaneus. lege, *Num tamen.* nam idem codex mox, *num verbo* cum Neapolitano. ſex alii, *non verbo.* vulgati, *nec.* HEINSIUS.

7. *Verbo.*] *Numero collapſus in ullo* Palatinus tertius.

9. *Quid quod in ancillam.*] *Ancillâ* rectius Puteaneus cum quatuor aliis. duo, *ancillas.* delinquere in ancilla, ut *uri in aliqua* & *ardere in aliqua*, cujuſmodi locutiones paſſim apud Noſtrum. ut 1. Art. 732.

Pallidus in lenta Naïde Daphnis erat.

Et III. Amor. 6.

Inachus in Melia Bithynide pallidus iſſe
Dicitur.

Et ibid.

In Evadne collecta flamma.

Propert. II. v. 3.

Turba Menandreae fuerat nec Thaïdos olim
Tanta, in qua populus luſit Erichtonius.

Idem lib. 1. XIII. 7.

Perditus in quadam lentis palleſcere curis
Incipis.

Terent. Adelph. 1. 1. *In eo me oblecto.* quod noviter dictum fruſtra Donatus cenſet. ſic idem Eunuch. III. v. 19. *In hac commotus ſum.* Macrob. Satur. II. cap. II. *Plancus in Maevia Galla nupta male audiebat.* HEINS. Recte Heinſius praetulit, *in ancilla.* licet exempla, quae adducit, non plane congruant: ſed rectius referantur ad illa, quae notat IV. Met. 234. longe enim diverſum ſenſum habent, *peccare in ancillam*, & *in ancilla.* illud enim eſt aliquid committere, quod ancillae ipſi noceat, adverſus eam ipſam delinquere. ut Terent. Phor. v. III. 10. *Vide ne in cognatam pecces.* & Adelph. IV. VII. 7. *Hoc peccatum in virginem civem eſt.* ſed *in ancilla peccare* eſt amorem, quem decebat ingenuae impendere, praeter decorum in ancillam transferre, & ita peccare amando genus vile mulierum, quod non oportebat. idem Terent. Adelph. 1. 2. *Te plura in hac re peccare oſtendam.* Senec. Herc. Oet. 1029. *In matre peccas.* Cicer. II. Tuſc. 4. *Delinquit in vita.* & 1. Ver. 4. *Non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus.* Horat. 1. Sat. II. 63.

—— —— *Inter*
Eſt in Matrona, ancilla peccesve togata.

Quinctil. Decl. CCCLXXXI. *Non peccant hi anni, ut in novercis quidem.* BURMANNUS.

11. *Theſſalus ancillae.*] Achillem & Briſeïdem ſignificat. CIOFANUS.

12. *Mycenaeo duci.*] Agamemnoni. forte reſpexiſſe mihi videtur ad illa Horatiana lib. II. carm. Ode III.

——— *Prius inſolentem*
Serva Briſeis niveo colore
Movit Achillem.
Arſit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta. CIOFANUS.

12. *Serva Phoebas.*] Captiva Caſſandra, quae divinandi artem à Phoebo didicerat. Serva autem

non

Non ego Tantalide major, nec major Achille.
Quod decuit Reges, cur mihi turpe putem?
Ut tamen iratos in te defixit ocellos;
Vidi te totis erubuisse genis.
At quanto, si forte refers, praesentior ipse,
Per Veneris feci numina magna fidem!
Tu Dea, tu jubeas animi perjuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre Notos.
Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende,
Concubitus hodie, fusca Cypassi, tuos.

Quid

non à serviendo, sed à servando dicta est. Pomponius §. Servorum leg. ccxxxix. De verborum significatione. *Servorum*, inquit, *appellatio ex eo fluxit, quòd Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent.* Unde illa sumpsit Justinianus §. Servi lib. I. Instit. Tit. III. De jure Personarum. Ejus verba sunt: *Servi autem ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent; qui etiam mancipia dicti sunt, eo quòd ab hostibus manu capiuntur.* CIOFANUS.

13. *Non sum Tantalide, nec forti major Achille.*] In uno Maffeian. *Nec sum Tantalide major, nec major Achille.* Probo. CIOFAN. *Nec sum ego Tantalide major, nec major Achille* Puteaneus. plures etiam alii, *major, nec major Achille*, & placet. multi, *Non sum ego.* sed recte tres cum Arondeliano & Douzae Excerptis, *Non ego Tantalide.* Sarravianus, *Non sum Tantalide.* legerem vero, *Tantalida.* vid. ad Epist. III. 39. HEINSIUS.

14. *Turpe putem.*] Barberinianus, *vile.* non male. nihil tamen muto. II. Art. 215.

Nec tibi turpe puta, quamvis sit turpe, placebit,
Ingenua speculum sustinuisse manu.

BURMANNUS.

15. *Defixit.*] *Demisit* Moreti. *Deflexit* alius, & Douzae codex.

16. *Sensit te totis erubuisse genis.*] In aliis impressis, *Vidit te &c.* Legendum, ut est in Vatic. & Maffeian. *Vidi te*, & reliqua. Natus error è litterarum similitudine & cognatione; de qua re non semel testatus sum CIOFANUS. *Vidi* scribendum cum nonnullis scriptis, nisi malis, *sensi.* Nam duo codices, *sensit.* Superiori etiam versu concinnius legas, *in me defixit*, quam, *in te.* HEINSIUS.

17. *Si forte refer.*] Ex hac lectione quis congruus sensus elici possit viderint alii: ego omnino legendum esse arbitror *Refert*, in tertia persona: ut in quodam codice scriptum vidi. Sensus autem talis erit: Si forte ipsa Corinna tibi refert, id est dicit: cognosces, quanto praesentior ego conflatum crimen eluerim addito jurejurando. Intelligimus enim, Cypassin non interfuisse, dum apud Corinnam se Naso expurgaret. MARIUS. *Si fortè refert*, pro, Si fortè dixerit tibi, exponit Commentator. Sed tu vide, num magis legendum, *Dum fortè refert.* ut sit sensus: At quamvis ego praesentiore animo per Venerem juravi, dum illa fortè eandem rem mihi refert, crimenque nostrum mihi objicit, &c. MICYLLUS. *Refers* libri veteres. quod verum esse monui Ep. v. vs. 113. Tanaquillus Faber ad Phaedrum lib. III. Prolog. malit legi, *si fors refert.* hoc est, interest. sed frustra. HEINS. *Si mente refers* Francius volebat. sed ut Heinsius correxit, jam Douza adnotaverat legendum, & explicabat per *meministi, recolis.*

17. *Praesentior.*] Douza malebat, *praesentius*, sive *constantius.*

19. *Tu dea, tu jubeas animi perjuria nostri, &c.*] Εὐχὴ per apostrophen, & exclamandi πάθος ad Venerem, ne perjurium ipsius ulcisci velit. Ponunturque hi duo versus velut in προσευθέσει. Neque enim sequentes cum his quicquam cohaerent, sed superior oratio continuatur. Sequitur enim epilogus, & petitio ejus, cujus gratia totum carmen institutum fuit. MICYLLUS. *Animi puri* Puteaneus & Arondelianus. optime. sic *pure sacra facere* & similia. sic *animum purum* & *religiosum* Cicero conjungit: *purum* & *insontem* Horatius. *Deus pura mente colendus* in distichis, quae sub Catonis nomine circumferuntur. HEINSIUS.

20. *Tepidos.*] *Rapidos* Regius & Sarravii. etiam non male.

21. *Pro quibus officiis.*] *Officium* Junianus. Ego, si per scriptos liceret, mallem:

Pro quibus, officii pretium mihi dulce, repende
Concubitus.

Ita I. Art. Amat. 155.

Protinus, officii pretium, patiente puella,
Contingent oculis crura videnda tuis.

Ubi Heinsius *officio* mallet. vid. ad Epist. VI. 146. *Dulce* vero eleganter, ut apud Terentium Heaut. II. 2. *Cui nihil jam praeter pretium dulce est.* sic *dulce lucrum* Phaedr. Prolog. lib. III. ubi vid. Scheffer. BURMANNUS.

Quid renuis, fingisque novos, ingrata, timores?
Unum est è dominis emeruisse satis.
Quod si stulta negas, index anteacta fatebor;
Et veniam culpae proditor ipse meae.
Quoque loco tecum fuerim, quotiesque, Cypassi,
Narrabo dominae, quotque quibusque modis.

23. *Quid renuis.*] *Quid refugis* Regius, & quatuor alii.

24. *Est unum è dominis promeruisse satis.*] *Unum est è dominis emeruisse satis* Puteaneus & Neapolitanus cum Arondeliano & quinque aliis. plures, *Est unum è dominis emeruisse.* puto, *demeruisse* lib. II. Art. 252.

Nec tibi sit servos demeruisse pudor.

Vide tamen quae noto ad Epistol. VI. ỷs. 138. ubi *emereri* pro *demereri* nonnunquam sumi docuimus. HEINSIUS. Potest tamen & vulgata ferri. quomodo illud apud Macrobium Satur. lib. II. cap. 7. *Cum puer ad patronum domini esset adductus, promeruit eum non minus salibus & ingenio, quam forma.* *Promereri* etiam Suetonius hoc sensu utitur Suet. Aug. cap. 3. *Epistolae Ciceronis exstant, quibus Q. Fratrem hortatur & monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium.* vide Servium ad Virg. IV. Aeneid. 335. praeterea, *unum est de dominis promeruisse satis* Francofurt. cui accedunt Moreti & Douzae codices. nisi quod illi *est* non habeant. BURMANNUS.

28. *Quotque quibusve modis.*] Ex Tibullo lib. II. Eleg. VII. 33.

——*Tunc mens mihi perdita fingit*
Quisve meam teneat, quot teneatve modis.

ELEGIA IX.

O Numquam pro me satis indignate Cupido,
O in corde meo desidiose puer!
Quid me, qui miles nunquam tua signa reliqui,
Laedis? & in castris vulneror ipse meis?
Cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos?
Gloria pugnantes vincere major erat.
Quid? non Haemonius, quem cuspide perculit, heros
Confossum medicâ postmodo juvit ope?

Vena-

1. *O nunquam pro me.*] Vereor ut haec sana sint, ac Latina satis. quem enim sensum his verbis dant, ego non capio: nam quod explicant, *pro me*, id est in meam utilitatem, ex meo usu, non placet. in quibusdam codicibus est, *per me.* ego vero legerem, *pro re*; id est, qui numquam satis indignatus fuisti, prout res exigebat. ut Virg. IV. Aeneid. 337.

Pro re pauca loquar.

Senec. Herc. Fur. 401.

Pauca pro caussa loquar nostra. BURMANNUS.

3. *Qui miles numquam tua signa reliqui.*] Sic propè lib. IV. Fast. 7. ad Venerem:

Saucius, aut sanus numquam tua signa reliqui.

CIOFANUS.

4. *Ipse tuis.*] In quibusdam, *meis.* NAUGERIUS. Legitur etiam in exemplaribus, *meis.* quam lectionem magis approbo. altera tamen non displicet. MARIUS. Heinsius edidit, *ipse meis*, secutus codices tam suos, quam Naugerii, Marii & Bersmanni.

7. *Quid non Haemonius, quem cuspide perculit heros, Cùm petiit, medica postmodò juvit ope.*] Sic est in altero Maffeian. emendaté. CIOFANUS.

7. *Perculit.*] Inflixit, ad terram adegit. Notum autem est Telephi & Achillis certamen. Quod autem ex Plinio dicturus sum non omnibus pervium est. is igitur hoc subtilius quaerens ita scribit (loquitur enim quo modo ab Achille Telephus sanatus fuerit) cap. XV. lib. XXXIV. *Est & rubigo ipsa in remediis, & sic Telephum proditur sanasse Achilles, sive id aerea, sive ferrea cuspide fecit: ita certè eam decutiens gladio.* Vide & Hyginum cap. CI. CIOFANUS.

8. *Confossum.*] Vulneratum, perforatum. sed longe melior est vetus lectio, *cum petiit*, id est cum ipse Telephus hoc petiit, ut repetito vulnere ab Achille

Venator ſequitur fugientia, capta relinquit:
Semper & inventis ulteriora petit.
Nos tua ſentimus, populus tibi deditus, arma:
Pigra reluctanti ceſſat in hoſte manus.
Quid juvat in nudis hamata retundere tela
Oſſibus? oſſa mihi nuda relinquit amor.
Tot ſine amore viri, tot ſunt ſine amore puellae.
Hinc tibi cum magnà laude triumphus eat.
Roma, niſi immenſum vires promôſſet in orbem,
Stramineis eſſet nunc quoque denſa caſis.
Feſſus in acceptos miles deducitur agros:
Mittitur in ſaltus carcere liber equus:

Longa-

Achille ſanaretur; nam lib. XIII. Metam. 172. dixit Achilles (Ulixes voluit dicere)

Ego Telephon haſta
Pugnantem domui victum orantemque reſeci.

MARIUS. *Confoſſum* plurimi codices. ſed gravius hoc verbum, quo fere de illis, qui ita vulnerantur, ut inde mors ſequatur, utuntur veteres. quare ego non alienus eſſem a *confeſſum*, ut duo codices habent, & Paſſerat. ad Propert. pag. 638. legit. ita *confeſſi* hoſtes Claud. VI. Conſ. Honor. 249. *Confeſſus reus*, de quo ad Phaedr. IV. 5. BURMANNUS.

10. *Ulteriora.*] In tribus libris erat, *utiliora*; ſed in Palatino uno, *uberiora*, quod minime ſpernendum puto. ſic Epiſt. XVII. 223.

Donaque promiſſis uberiora feres.

Et III. Amor. VI. 66.

Munera promiſſis uberiora feres.

Ubi in MSS. eadem varietas lectionis. hanc vocem reddendam quoque Claudiano puto. in IV. Conſ. Honor. 221.

Major & ulterior fato conjuncta potenti,
Vile latens virtus.

Ubi ex MSS. *utilior* reſtituit Heinſius. ſed rectius legeretur, *uberior.* apud Noſtrum quoque IX. Met. 105. vitioſe quidam codices, *ulterius ſolito*, pro *uberius. Ubertatem praedae* dixit Juſtin. XXV. cap. 2. in Ovidii vero ſententiam dixit Petronius cap. CXX.

Quae nova ſemper amas, & mox poſſeſſa relinquis.

BURMANNUS.

11. *Populus tibi deditus.*] *Subditus* Jureti Excerpta & tres alii ex melioribus. HEINS. Ita ſaepe Noſter utitur eo verbo, *ſubditus.* vid. Remed. 78. ex Pont. II. IV. 14. & alibi. ſed parum refert: dediti enim ſunt poteſtati alicujus ſubditi.

12. *Ceſſat in hoſte.*] *Ab hoſte* octo codices. male. *ceſſare in re*, eſt tardum eſſe in re facienda, *ceſſare in rem*, tardum ad faciendam rem. ita diſtinguit Servius ad Virgil. VI. Aeneid. 51. in hoſte ergo eſt, in eo vexando, exercendo. BURMANNUS.

13. *Hamata recondere tela.*] *Retundere* Puteanus cum Regio, uno Vaticano, & Excerptis Jureti. recte. hoc eſt obtuſa reddere, hebetare. Lucanus lib. VI. 164.

Conſringite tela
Pectoris incurſu, jugulisque retundite ferrum.

Prudentius Cathemerin. *Ultor retundit iram.* idem cum quatuor aliis mox, *relinquit.* HEINSIUS. De verbo *retundere* egit copioſe Heinſius ad Claudian. Conſul. Olybr. 23. & Conſ. VI. Hon. 21. & interpretes ad illa Horat. I. Od. 35.

Nova incude diffingas retuſum ferrum.

Ubi nondum conſtat de vera Horatii manu.

17. *Promoſſet.*] *Moviſſet* Francof. & novemdecim alii. *miſiſſet* Moreti; ſed nihil muto. ita *admoſſe* reddidit Livio Gronovius lib. XXXVIII. 45. BURMANNUS.

18. *Stramineis eſſet nunc quoque tecta caſis.*] Rectius legitur in exemplaribus, *denſa*, ut adludat ad frequentiam magnificentiſſimarum aedium, quae ſuo tempore ſpectabantur. MARIUS. In eodem Maffeian. *denſa caſis.* Probo. *Tecta caſis* libri veteres. HEINS. Ego doctis dijudicandum relinquo, an rectius Roma dicatur *tecta*, quam *denſa* caſis. una domus tegitur tecto ſuo, ſed an tota urbs dici poſſet, *tecta domibus* aut *caſis* dubito. ideoque nos *denſa* retulimus, quod ejecerat Heinſius. BURMANNUS.

19. *Feſſus in acceptos.*] Aliter hos verſus ordinabat Scaliger. hoc, nimirum, modo:

Feſſus in acceptos miles deducitur agros:
Mittitur in ſaltus carcere liber equus.
Longaque ſubductam celant navalia pinum:
Tutaque depoſito poſcitur enſe rudis.

DAN. HEINSIUS. Milites veterani, quibus ad ſeptena jugera aſſignabantur, in colonias mittebantur. CIOFANUS. Vid. Joſ. Caſt. III. Dec. Obſ. 8. cujus omnis aeſtuatio componetur, ſi cum Heinſio transponantur pentametri illi, quod jam Marius voluit,

Longaque ſubductam celant navalia pinum:
Tutaque depoſito poſcitur enſe rudis.
Me quoque, qui toties merui ſub amore puellae,
Defunctum placide vivere tempus erat.
Vive, Deus, poſito, ſi quis mihi dicat, amore;
Deprecer. usque adeo dulce puella malum eſt.
Cum bene pertaeſum eſt, animoque relanguit ardor,
Neſcio quo miſerae turbine mentis agor.
Ut rapit in praeceps dominum, ſpumantia fruſtra
Frena retentantem, durior oris equus:

Ut

& *rudis* non ad militem, ſed gladiatorem ſpectet, ut quatuor diverſa exempla, militis, equi, navis & gladiatoris, proponat Poëta. & recte Marius animadvertit ex Propertii lib. II. XIX. 37. eſſe deſumta, ubi itidem quatuor exempla a milite; bobus, nave & parma, quae & gladiatoris & militis eſt, adducit. BURMANNUS.

20. *Mittitur in ſaltus carcere liber equus.*] Hunc verſum declaravi in obſervationibus in lib. IV. Triſt. Eleg. VII. CIOFANUS.

22. *Sed poſito.*] Vetus lectio & rectior eſt, *depoſito*. MARIUS.

23. *Me quoque.*] *Mereri ſub amore puellae* mihi non placet. *Sub aliquo mereri* paſſim apud Livium & alios occurrit. Suet. Caeſ. 3. *Meruit & ſub Servilio Iſaurico.* quare legerem:

Me quoque, qui toties merui ſub Amore, puellâ
Defunctum placide vivere tempus erat.

Sub Amore, ſive Cupidine, meruerat miles noſter, ut centies dicit. *Defunctum puellâ* jam vivere tempus erat, id eſt, jam liberum & depoſita ejus cupiditate & amore immunem & quaſi emeritum vivere. ut *defungi amore* Senec. Hippol. 127. & aliis rebus paſſim. vel poteſt *Puella* vocativo caſu, quaſi eam alloqueretur, ſumi, & *defunctum* abſolute, ut Terent. Eun. Prol. *Defunctus jam ſum.* in Juniano & Vaticano erat, *defectum*. Francius volebat, *Emeritum*. ſed ita omnia licet deformare: non reticenda quoque lectio Francof. Regii, Moreti & Palatini unius, *qui toties morior ſub amore*, ut dictum ſit eodem ſenſu, quo *perire* millies amantes dicuntur. vid. ad Epiſt. IV. 86. & tunc *defunctum* acumen haberet, quaſi jam mortuus videri poſſet, id eſt ſine amore. & eò referri illa Horatii Ode lib. III. 26. egregie poſſet, ubi & *defunctum bello barbiton* dicit. BURMANNUS.

25. *Vive, Deus, poſito.*] Puto, *Vive Deus.* Auſonius, Idyll. VII.

——— *Quosdam*
Conſtat nolle Deos fieri.

Sed vulgata diſtinctio retineri poteſt. Horat. Sat. I. lib. I.

Si quis Deus, en ego dicat
Jam faciam quod vultis.

Et lib. II. Sat. VII.

Si quis ad illa Deus ſubito te agat uſque recuſes.

Vivere autem intelligendum erit pro genio indulgere, ut in illo Catulliano:

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.

Apud Martialem I. Epigr. 16.

Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

Petronio cap. XXXIV. *Ergo vivamus, dum licet eſſe bene.* in veteri inſcriptione, *vixit, dum vixit, bene.* HEINSIUS. Et mihi vulgata diſtinctio non repudianda temere videtur. Cicer. de Senect. cap. ult. *Quod ſi quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repueraſcerem.* Juven. Sat. V. 132.

Quadringenta tibi ſi quis Deus, aut ſimilis Dis
Et melior fatis donaret homuncio?

Silius Ital. lib. XV. 342.

Si quis paullum Deus adderet aevo.

Ubi malim, *aevi*. ſic Noſter Epiſt. V. vers. 5.

Quis Deus oppoſuit noſtris ſua numina votis?

VII. Metam. 12.

Neſcio quis Deus obſtet.

Catul. Epigr. XL.

Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?

Petron. cap. XVI. *Miratur, quis Deus juvenes tam urbanos in ſuam regionem detulerit.* & hinc fere tamquam ex formula ſollemni apud eumdem Arbitrum cap. CXXVII. reſcriberem, *Immo etiam neſcio quis tacitis cogitationibus Deus agit.* ſcilicet *me*, ut notum eſt, Deos *agere* dici, quando impellunt, & vehementi affectione mentem turbant. vid. ad II. Art. 496. ceterum Zinzerlingius Promulſ. cap. XL. jam *Vive Deus* conjungenda conjecerat, & eleganter illuſtraverat, & in Francofurtenſi codice ita erat poſita diſtinctio. *Vive* vero non capio pro genio indulgere, ſed ſimpliciter, ſis ſine amore. quae vita non eſſet mihi optanda, ſed ingrata & moleſta foret. BURMANNUS.

27. *Animique revanuit ardor.*] *Animoque relanguit ardor* Puteaneus à manu prima. ſed emendatum, *reſanuit*. neque aliter Arondelianus. quo-

modo

Ut ſubitus, prope jam prenſâ tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit:
Sic me ſaepe refert incerta Cupidinis aura;
Notaque purpureus tela reſumit Amor.
Fige, puer; poſitis nudus tibi praebeor armis.
Hic tibi ſint vires: hic tua dextra facit.
Huc, tamquam juſſae, veniunt jam ſponte ſagittae.
Vix illis prae me nota pharetra ſua eſt.
Infelix, totâ quicumque quieſcere nocte
Suſtinet, & ſomnos praemia magna vocat.

Stulte,

modo & lib. I. Eleg. x. quanquam hoc loco id verbi minus aptum videtur. alii codices, *evanuit.* HEINSIUS.

29. *Spumantia.*] Francius malebat, *ſtringentia*, nimis audacter. Palatinus, *pugnantia.*

31. *Jam preſſa tellure.*] Legitur &, *prenſa* in veteribus exemplaribus, quae lectio magis placet, quia *prendere terram* eſt verbum nauticum. MARIUS. In uno Maffeian. *prenſa*, in altero, *preſſa.* ſuperior magis mihi probatur. CIOFANUS. Editiones priſcae & plurimi ſcripti *preſſa* habent; *prenſa* probant Marius & Ciofanus. utrumque quidem recte dicitur, ſed diverſa ſignificatione: *preſſa* enim tellus eſt, cui jam inſiſtitur. ut II. Amor. IX. 31. & XVI. 19. & III. VI. 12. & alibi. ſed prehenditur ab appellentibus nautis, cum prope tangunt manibus, & funem religandae navi poſſunt injicere. *prope comprenſa* codex Douzae. BURMANNUS.

32. *Tangentem portus ventus in alta rapit.*] In uno eorumdem lib. eſt, *tulit.* in altero, *trahit.* CIOFANUS. Francof. etiam, *trahit. Ventus & aura* unus Moreti. *Ventus & unda* alter ejusdem. vid. ad Epiſt. II. 35. & videtur haec lectio firmari ex Epiſt. XXI. 41. ſed non apte huic loco convenit: nam quod ſequitur verbum, *refert*, opponitur illis, *in alta rapit: Referri* enim navigantes dicuntur, cum in altum provecti, adverſante vento, vel alio caſu redire coguntur eò, unde ſolverunt. Senec. Suaſor. VII. *In altum provectum venti retulerunt.* vide quae notamus ad Quinct. Decl. VI. 5. ſenſus ergo eſt, ut ſaepe ventus nautas jam terram prope & portum tangentes, iterum rapit in altum, ſic contra me volentem effugere puellam datis velis, proſpero, ut crediderat, vento, aura Cupidinis incerta, & mox mutata, refert ad puellam, unde volebam velis & remis abire. BURM.

34. *Notaque.*] Francius malebat, *Lapſaque continuus tela reſumit Amor.*

36. *Huc tua dextra valet.*] Legitur in quodam codice, *Facit*: quae lectio non diſplicet. Dixit enim ſupra, *Pigra reluctanti ceſſat in hoſte manus*, Expones igitur, *Facit*: id eſt, non eſt deſidioſa & iners: *Facere enim* (ut Papinianus ait) *omnem omnino faciendi cauſam complectitur, dandi, ſolvendi, numerandi, judicandi, ambulandi, reddendi:* qui autem otioſus eſt, nihil facere dicitur. *Huc*, in me. Se (ut ſupra) oſtendit. MARIUS. Uterque Maffeian. *dextra valet.* verè. CIOFANUS. Malim, *huc facit*, &, *ſint vires.* quod poſterius in primâ editione & duobus ſcriptis extat exemplaribus. I. Triſt. Eleg. II. 41.

Ferte, quid huc faciunt rapidi mea curbaſa venti.
Ita lego. vid. ad Epiſt. II. 39. HEINSIUS.

37. *Huc veniunt.*] *Hic* Puteaneus. HEINSIUS.

38. *Vix ullis prae me nota pharetra tua eſt.*] In nonnullis:

Vix illis prae me nota pharetra ſua eſt.

Utrumque recte. NAUGERIUS. Dupliciter legitur hoc carmen:

Vix ullis prae me nota pharetra tua eſt.

I. nullus pharetram tuam melius cognoſcit, quam ego. Et ſic pharetram pro ſagittis poſuit, continens pro contento, per metonymiam. Aliter legitur:

Vix ullis prae me nota pharetra ſua eſt.

Quae lectio venuſtior eſt, judicio meo. ut ſit ſenſus: Sagittas ipſas Cupidinis, quia ſaepiſſime & diutius in Naſone fixae morantur, eum magis cognoſcere, quam pharetram ſuam. Si *Tua* legas, ad Cupidinem referas: ſi *Sua*, ad ſagittas, quod eſt melius. ſane utrumque in exemplaribus ſcriptum legi. MARIUS. Iidem libri, *illis.* CIOFANUS. Prima editio cum melioribus:

Vix illis prae me nota pharetra ſua eſt.

Recte. alii, *illis nota pharetra tua eſt.* proxime verum. HEINSIUS. Douza malebat, *Vix ulli prae me nota pharetra tua eſt.* nec etiam caret ſua venere lectio Scriveriani codicis, qui habet, *Vix illis poſt me nota pharetra ſua eſt.* poſtquam in me tua tela conjicere coepiſti, ſponte & juſſa in me veniunt, nec noſcunt pharetram ſuam, ſed quotiescumque tu ſumis novas ſagittas, ut pharetrae includas, evolant è manibus, quaſi juſſae, in me. quare *huc* retinendum. & eleganter, *venire in aliquem*, ut laedatur, dici oſtendimus ad Phaedr. I. Fab. 21. BURMANNUS.

Stulte, quid eſt ſomnus, gelidae niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.
Me modo decipiant voces fallacis amicae:
Sperando certe gaudia magna feram.
Et modo blanditias dicat; modo jurgia quaerat.
Saepe fruar dominâ: ſaepe repulſus eam.
Quod dubius Mars eſt; per te, privigne Cupido, eſt:
Et movet exemplo vitricus arma tuo.
Tu levis es, multoque tuis ventoſior alis:
Gaudiaque ambiguâ dasque negasque fide.
Si tamen exaudis, pulchra cum Matre, rogantem;
Indeſerta meo pectore regna tene.

Acce-

41. *Mortis imago.*] *Noctis* perperam duo libri. Cic. Tuſc. Quaeſt. I. *Habes ſomnum, imaginem mortis, eamque quotidie induis, & dubitas, quin ſenſus in morte nullus ſit, cum in ejus ſimulacro videas eſſe nullum ſenſum.* Valer. Flacc. VIII. 74. ad ſomnum:

Nunc, age, major ades, fratrique ſimillima leto.

Hinc Graecis, ὑπνὸς μικρὸς θανάτος. Monoſticha de moribus. Catal. Pith.

Mortis imago juvat ſomnus, mors ipſa timetur.

Senec. Hercul. Fur. Act. IV. *Frater durae languide mortis.* Cic. Cato Major: *Nihil eſt morti tam ſimile quam ſomnus.* Hinc Catul. *Nox eſt perpetua una dormienda.* vid. Athenag. de Reſurr. apud Meurſ. de Funere pag. 4. ubi plura ad rem. vid. Aelian. Var. Hiſt. II. cap. 35. ubi Scheff. HEINSIUS.

43. *Decipiant.*] Francius mallet, *detineant.* male. vid. ſupr. Eleg. V. 5.

44. *Gaudia magna feram.*] In antiquis *praemia*, non *gaudia.* NAUGERIUS. In vetuſtis exemplaribus legitur, *praemia*, quod non improbo. MARIUS. Francofurtenſis, Scriverii & Moreti, *laetus ero.* non male; ſi non ipſa potiar puella, certe (id eſt ſaltem) ſperando gaudia, me oblectabo illa ſpe, & laetus ero. Francius hunc pentametrum parentheſi includebat. non male.

45. *Jurgia nectat.*] Quin recte hoc & Latine dicatur, nullum dubium, & ſic alibi Noſter, & alii. ſed quia obvia & frequens eſt locutio, ſuſpicionem movet a librario eſſe ſuppoſitam pro minus vulgari, quam ſervavit in Puteaneo ſecunda manus; & in Moreti & Francofurtenſi, prima. *Jurgia quaerat*, quae multo elegantior, & ad rem accommodatior. etſi veram jurgii cauſſam non habeat mecum, qui omni eam officio colo, quaerat cauſſam & praetextum jurgiorum. ita Terentius & alii, *quaerere cauſſam.* & ſimilia. Eunuch. III. 3. *Sermonem quaerere.* ſic *bellum quaerere* Liv. XXX. 42. *Bellum quaerere regem, &, ſi pergit, propediem inventurum.* qui & eodem ſenſu, *quaeſitas ſeditiones* dixit lib. IV. 21. & eleganter Propertius lib. III Eleg. III. 33. unde patet, quid *nectere* ſignificet:

—— ——*Hoſtem*
Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.

Credo vulgatum, ut ſaepe factum, effictum ex ſimili loco ſupr. Eleg. II. 35. ſed ibi alia res eſt: nam debebant non modo quaeſita eſſe jurgia, ſed crebra & diuturniora, ut maritus probe & docte falli poſſet. BURMANNUS.

51. *Pulchra cum Matre, Cupido.*] *Rogantem* pro diverſa lectione Puteaneus. HEINSIUS. Sed *audire rogantem* magis Latinum puto, quam *exaudire*, quamvis hoc verbo omnis hodie infulatorum turba, de precibus ad Deum emiſſis, quotidie uti conſueverit, & forte a cucullato aliquo Naſoni obtruſum fuerit. ſed ab Ovidii manu fuiſſe puto:

Si tamen haec audis, pulchra cum Matre, Cupido.

Deeſſe credebat ille, *rogantem*, vel *precantem*, ideoque pro diverſa lectione adſcripſit. poſſent quidem ex Noſtro loca adferri, ubi *exaudire* occurrit, ut II. Pont IX. 5. XI. Metam. 18. XIII. 858. ſed ibi non notat, quod vulgus putet, ita audire preces, ut vulgo Deus dicitur, cum veniam dat, ſed ſonum, vocem, ad aures pervenire, ut ſemper notat. vid. & IV. Metam. 143. IX. 121. & alibi. ſed *audire* homines & preces dicitur Deus cum movetur, & adnuit precibus. vid. Horat. IV. Od. XIII. I. Carm. Secul. 33. Virgil. IX. 630. Cicer. I. ad Q. Fr. 3. in Piſon. 19. Martial. I. 100. & alibi. BURMANNUS.

52. *Indeſerta.*] Eſt unum verbum: male igitur disjungitur praepoſitio *in*, ut eſt in Aldinis codicibus. MARIUS.

52. *Regna rege.*] In altero Maffeiano, *geras*; in altero vero, *tene.* CIOFANUS. *Tela gere* Jureti Excerpta, cum tribus aliis. Puteaneus & Sarravianus (& Francof.) pro diverſa lectione, *regna rege.* quo modo & primus Moreti. vel, *tene.* quod poſtre-

Accedant regno, nimium vaga turba, puellae.
Ambobus populis sic venerandus eris.

postremum amplector. idque Ciofanus in uno ex suis invenerat. in Fastis lib. III. 271.

Regna tenent fortes manibus pedibusque fugaces.
Et sic saepe alibi. Heinsius.

ELEGIA X.

TU mihi, tu certe, (memini) Graecine, negabas,
Uno posse aliquem tempore amare duas.
Per te ego decipior: per te deprensus inermis,
Ecce duas uno tempore turpis amo.
Utraque formosa est: operosae cultibus ambae:
Artibus, in dubio est, haec sit, an illa, prior.
Pulchrior hac illa est: haec est quoque pulchrior illâ:
Et magis haec nobis, & magis illa placet.
Errant, ut ventis discordibus acta faselos,
Dividuumque tenent alter & alter amor.
Quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?
Nonne erat in curas una puella satis?
Quid folia arboribus, quid pleno sidera coelo,
In freta collectas alta quid addis aquas?
Sed tamen hoc melius, quam si sine amore jacerem.
Hostibus eveniat vita severa meis.
Hostibus eveniat viduo dormire cubili,
Et medio laxe ponere membra toro.

At

1. *Graecine.*] Hunc Graecinum eum esse opinor, ad quem in libris de Ponto tres exstant elegiae. Ciofanus.

4. *Tempore solus amo.*] *Turpis amo* Puteaneus & quinque alii cum prima editione. Heinsius.

5. *Operosae.*] *Operosis* Regius cum Excerptis Douzae & Politiani. Heinsius. *Operosae in cultibus* Scriverianus. mox, *artibus ambiguum est.* Francofurtensis.

7. *Pulchrior haec illa est.*] Ex vetusto codice legendum, *hac*, ut sit ablativus, & *illa* sequens dictio nominativus. Marius. Praecesserat jam, *utraque formosa est.* sed recte differre haec duo inter se docuit Manutius ad Ciceron. IX. ad Famil. 14. Burmannus.

9. *Errat, ut a ventis.*] In veteribus, *Errant, ut ventis.* Naugerius. Vetus lectio est, *Errant, ut ventis*, quam lectionem magis probo, nam & inferius ait, *dividuumque tenent*, numero plurativo. Marius. Libri veteres, *Errant, ut ventis &c.* Idque magis Poëticum, & ad exemplum quo utitur Poëta aptius. Ciofanus. *Errant, ut ventis* meliores. quos inter Puteaneus. qui & *Phaselos* Graeco more. Heinsius.

10. *Dividuumque tenent.*] *Dimidiumque* editio prima & sex scripti. male. vid. ad III. Met. 682.

10. *Alter & alter.*] *Unus & alter* Sarravii. vid. supr. ad Eleg. v. 22.

12. *Non erat.*] *Nonne* cum Barberiniano & uno Vaticano. Heinsius. Vid. ad lib. I. Eleg. VII. 7.

16. *Vita severa.*] *Eveniant vota severa* Francof. ita versu ultimo Moreti unus habebat, *convenient voto mors fuit ista tuo.*

17. *Vacuo.*] *Viduo* meliores. Heinsius.

18. *Late ponere.*] *Laxe* vetus lectio, non *late.* Nauger. In antiquioribus legitur, *laxe:* utrumque bene. Ille autem, qui solus sine socia puella dormit, dicitur, *laxe ponere membra medio toro.* Marius. *Laxe* Puteaneus & quatuor alii. quod & in suis Naugerius invenerat. duo, *lasse*, quod ad veram scripturam alludit. lib. III. Art. Am. 145.

Hanc decet inflatos laxe jaculisse capillos. Heins.

23. *Suffi-*

At mihi saevus amor somnos abrumpat inertes:
Simque mei lecti non ego solus onus.
Me mea disperdat, nullo prohibente, puella,
Si satis una potest: si minus una, duae.
Sufficiant graciles, sed non sine viribus, artus:
Pondere, non nervis, corpora nostra carent.
Et lateri dabit in vires alimenta voluptas.
Decepta est operà nulla puella meâ.
Saepe ego, lascivae consumto tempore noctis,
Utilis, & forti corpore mane fui.
Felix, quem Veneris certamina mutua rumpunt!
Dì faciant, leti caussà sit ista mei!
Induat adversis contraria pectora telis
Miles, & aeternum sanguine nomen emat.
Quaerat avarus opes; & quae lassarit arando
Aequora, perjuro naufragus ore bibat.
At mihi contingat Veneris languescere motu;
Cum moriar, medium solvar & inter opus:

Atque

23. *Sufficiant graciles, non sunt sine viribus artus.*] *Sufficiam* codex Puteaneus. recte. nisi quod Neapolitani libri lectio non minus arridet:

Sufficiant graciles, sed non sine viribus artus.

Atque ita unus Vaticanus. nisi quod in illo, *& non sine.* Heinsius. Francius volebat, *ut mihi sint graciles, non sunt sine viribus artus.*

26. *Decepta.*] Ita Circe illa Petronii cap. CXXIX. *Quererer decepta.*

27. *Saepe ego lascivae consumpsi gaudia noctis, Utilis.*] Rectius legitur in manuscriptis exemplaribus, *tempora.* Marius. In aliis lib. typis excusis, *consumpsi tempora noctis.* Alter Maffeian. habet, *consumpto tempore noctis:* alter verò, *consumpto tempore noctis, Utilis.* Utramque lectionem vulgatae antepositerim. Ciofanus. *Consumto tempore* rectius Excerpta Jureti, & plures alii. Propert. lib. I. Eleg. III.

Jamque ubi longa meae consumsti tempora noctis?
Heinsius.

28. *Fortis corpore.*] Legitur &, *forti corpore*, ut Virgil. IV. Aeneid. II.

Quam forti pectore & armis. Marius.

Potest utraque lectio defendi; nam est utrumque verbum in hac re proprium. *Fortes* enim in venerem amatores. vid. ad Petron. cap. IX. & supr. ad Epist. XIII. 83. & per *corpus*, intelligi illa pars potest, qua Achilles erat. vide ad eumdem Petronium cap. CXII. & CXIX. Burmannus.

29. *Certamina mutua perdunt.*] *Rumpunt* Puteaneus à manu secundâ. quod & in aliis multis invenire est. unus Vaticanus, *produnt.* Nihil temere mutandum. infra:

Et, quae me perdunt, oscula mille dedit. Heins.

Illud *rumpunt* ab ipsa Ovidii manu esse profectum arbitror; Propert. II. Eleg. 13.

Rumpat ut assiduis membra libidinibus.

Ubi vide Passerat. & ita *rumpi equus* dicitur nimio cursu fatigatus Plinio lib. XXVIII. cap. ult. ut *rupta mula* Martial. IX. 58. & *rupti clientes* lib. X. 56. sic *ambulando rumpere* Terent. Hecyr. Act. III. Sc. 4. Burmannus.

31. *Induat.*] Vid. ad lib. II. ex Pont. I. 65.

33. *Et quae lassarit eundo.*] *Arundo* Puteaneus, *irundo* Arondelianus. Scribe, *arando.* Trist. I. Eleg. II.

Latum mutandis mercibus aequor aro.

Lib. III. Eleg. XII.

Non nisi vicinas tutus araret aquas.

Virgilius II. Aeneid. 788.

Vastum maris aequor arandum.

Et III. 495.

Nullum maris aequor arandum.

Petronius cap. CXIX.

——— *Gravidis freta pulsa carinis*
Jam perarabantur.

Ubi perperam in libris editis, *peragrabantur*; Maecenas apud Senec. Epist. CXIV.

Vide ut alveum lintribus arent.

Heinsius.

36. *Solvar & inter opus.*] Quod Cornelio Gallo praetorio, & T. Haterio equiti Romano contigisse narrant Plin. VII. 53. & Val. Max. IX. 12. 8. recen-

Atque aliquis, noſtro lacrimans in funere, dicat,
Conveniens vitae mors fuit iſta ſuae.

recentioris aevi etiam exempla recenſet Broukhuſ. ad Propert. II. VII. 98. BURMANNUS.

38. *Mors fuit iſta tuae.*] In uno Moreti, *ſuae*, pro diverſa lectione eſt notatum. quod ſequor. Lampridius in Heliogabalo cap. XVI. *Alios ab imâ parte perfoderunt, ut mors vitae eſſet conſentiens.* HEINSIUS. In uno Moreti erat, *voto*, ut ad vers. 16. notavimus, etiam non male, quia tale genus optaverat. & ita ſubitam mortem exoptaſſe Caeſarem, quae etiam ex voto & ſententia obtigit, refert Sueton. cap. 87. BURMANNUS.

ELEGIA XI.

PRima malas docuit, mirantibus aequoris undis,
Peliaco pinus vertice caeſa vias:
Quae concurrentes inter temeraria cautes
Conſpicuam fulvo vellere vexit ovem.
O utinam, remo ne quis freta longa moveret,
Argo funeſtas preſſa bibiſſet aquas!

Ecce

1. *Malas.*] Eleganter, pro quae ad mortem ducunt. ut Propert. III. Eleg. XVI. 22.

Eſt mala, ſed cunctis illa terenda via.

1. *Aequoris undas.*] Et vetus lectio reſtituetur, & ſenſus carminis erit rectior, ſi *undis* legas, non *undas*. NAUGERIUS. *Mirantibus aequoris undis:* id eſt, dum undae hanc primum viſam navem mirarentur. Sic Catul. de Argo navi loquens, ait LXIV. 15.

Aequoreae monſtrum Nereïdes admirantes.

Dat autem Naſo admirationem undis, quaſi homini, per metonymiam. Sic Statius:

Viſis tumuerunt puppibus undae,
Inque hominem ſurrexit hyems.

In Aldinis, aliisque omnibus impreſſis exemplaribus non recte legitur, *Undas.* nam praeter quod non ita venuſtus eſſet ſenſus, & amphibologiam contineret perplexus ordo, ſoloeciſmus etiam videretur, dum ad verbum *Docuit*, referenda eſſet dictio *Mirantibus*. Dicimus enim, *doceo te viam*, non *tibi*. Omnino igitur, id etiam comprobante vetuſtiſſimi codicis auctoritate, legatur *Undis*, & talis ſit ordo: Pinus caeſa vertice Peliaco, prima docuit malas vias, undis aequoris mirantibus, id eſt, dum mirarentur. Fit enim frequenter apud auctores talis conſtructio per ablativum nominis & participii junctum verbo & nominativo alterius nominis. ut ſupra etiam Naſo:

Me mea diſperdat nullo prohibente puella.

De hac conſtructione Priſcianus lib. V. MARIUS. Nullus planè ſenſus eſt in his verſibus: Itaque lege & ex Maffeianis & utroque Vaticano:

——— *Mirantibus aequoris undis.*

Id eſt, ſtupeſcente & admirante mari. Hanc eandem, quam poſui, lectionem ex aliis libris ſcriptis notaverat Paganinus ante annos XLIX. Miror fuiſſe neminem, qui eam receperit. CIOFANUS. Ejusdem fere argumenti eſt Propertii Elegia octava libri primi: *Aequoris undis* vera eſt lectio. ita I. Art. 723.

Aequoris unda
Debet, & a radiis ſideris eſſe niger.

Ita & *aequoreas undas* Valer. Flacc. III. 421. dixit. BURMANNUS.

3. *Concurrentes cautes.*] *Cyaneas*, quae & *Symplegades* petrae dicuntur, intelligit. De his Strabo lib. I. & III. fabulam paullo diffuſius narrat Apollodorus lib. I. Bibliothecae. Huc autem pertinet, quod ſcribit Hyginus cap. XXI. *Argonautae, cùm per Cyaneas cautes, quae dicuntur petrae Symplegades, intraſſent mare, quod dicitur Euxinum, & errarent, voluntate Junonis delati ſunt ad inſulam Diam. Ibi invenerunt*, & reliqua. Valer. Flaccus libro I. 59.

——— *Certus Scythico concurrere ponto*
Cyaneas.

Et vers. 630.

Hoccine Cyaneae concurrunt aequore cautes?

CIOFANUS.

5. *Remo freta longa moveret.*] *Secaret* Sarravianus. ſequenti verſu, *merſa* pro *preſſa* prima editio, & codex Douzae. ſed *preſſa* pro depreſſa. ut *preſſa vallis* apud Gratium. ita & *prenſus* pro deprenſus paſſim apud Poëtas. HEINSIUS. Fruſtra *ſecaret* in MSS. ſecatur enim mare ipſâ carinâ; *movetur*, *pulſatur*, *feritur*, remis. vid. Heinſ. ad Ovid. VI. Metam. VI. ult. Valer. Flacc. V. 44.

Te ſine, Theſpiade, nos ulla movebimus ultra
Aequora?

Ecce fugit notumque torum, ſociosque Penates;
Fallacesque vias ire Corinna parat.
Quid tibi (me miſerum!) Zephyros Eurosque timebo,
Et gelidum Borean, egelidumque Notum?
Non illic urbes, non tu mirabere ſilvas;
Una eſt injuſti caerula forma maris.
Nec medius tenues conchas, pictosve lapillos,
Pontus habet: bibuli litoris illa mora eſt.
Litora marmoreis pedibus ſignanda, puellae.
Hactenus eſt tutum: cetera caeca via eſt.
Et vobis alii ventorum proelia narrent;
Quas Scylla infeſtet, quasve Charybdis aquas:

Et

Ubi plura dicemus. Lucan. v. 448.

Illinc infeſtae claſſes, & inertia tonſis
Aequora moturae. Burmannus.

7. *Notumque torum.*] *Notamque domum* Moreti. & ita *domum* & *penates* jungi ſolere docebimus ad Val. Flac. vii. 50.

7. *Patriosque.*] Uterque lib. Maffeian. *ſociosque penates.* Ciofanus. *Sociosque* ſcripti. Nupta enim Corinna, ut patet ex Elegia iv. lib. i. & lib. ii. Elegia ii. tum & aliis locis. *de ſociis penatibus* monui ad Epiſt. v. ỳſ. 126. Heinsius.

10. *Et gelidum Boream praecipitemque Notum.*] *Borean & gelidumque Notum* Puteaneus & Arondelianus. Scribe, *egelidumque.* quomodo agnoſcit Seneca lib. ii. Controverſ. x. etiam in Epitome ab Andrea Schotto edita. *non gelidumque* Neapolitanus & tres alii. duo, *praetepidumque.* Heins. Vide Voſſ. Inſt. Orat. lib. v. cap. ii. §. 2.

12. *Injuſti.*] Junianus, *incerti.* duo, *inviti.* alii duo, *inviſi.* forte, *infidi.* ut Triſt. iv. Eleg. iv. 60.

Nec minus infidâ terra timetur aquâ.

Virgil. i. Georg. 254.

Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat.

Ubi vid. Serv. poſſet & *infeſti*, ut i. Triſt. x. 26.

Plus habet infeſta terra timoris aqua.

Vulgatam tamen non damno. Propert. i. El. xv.

Sederat injuſto multa locuta ſalo.

Vid. Paſſerat. ad lib. i. Eleg. vii. pag. 175. Heins.

13. *Pictosque lapillos.*] *Viridesque* Excerpta Puteani & ſeptem libri. *Variosque* Francof. videtur hic Ovidius ante oculos habuiſſe Lucretium, qui lib. iii. 374. ita canit:

Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Littoris incurvi bibulam pavit aequor avenam.

Ubi *lavit* praeferrem. ſequens diſtichon expreſſit Nemeſianus Eclog. ii. ỳſ. 21.

Et quae marmoreo pede Najades uda ſecantes
Litora, purpureos alitis per gramina flores.

Quem locum Barthius credo, non ſollicitaſſet, ſi hujus Ovidiani meminiſſet. ſic *marmorea cervix* Virg. iv. Georg. 523. ubi vid. Emmenes. & *marmoreae palmae* lib. iii. Metam. 481. vid. in Catal. Pith. pag. 34. Epigramma de Navigatione. Burm.

15. *Litora.*] Apoſtrophe eſt ad puellas omnes, ſi (ut in manuſcriptis exemplaribus ſcriptum eſt) legatur *Signate*, id eſt calcate: ſi *Signanda* legeris, ſupplendum erit *ſunt*, & *Puellae* pro puellarum exponendum. Sed longè melior eſt prior lectio. Marius. *Signata* Puteaneus & tres alii. at complures, *ſignanda.* Heinsius.

15. *Marmoreis pedibus.*] Candidis, lib. xiii. Metam. *Pollice marmoreo.* & ſic ſaepè apud bonos auctores. Ciofanus.

17. *Et vobis.*] Puto, *at*, vel *ut.* Heinsius.

18. *Quas Scylla inflectit.*] Omnino ex vetuſti codicis auctoritate legendum eſt, *infleƈit*, id eſt, incurvat. Marius. *Infeſtet* meliores. nonnulli, *infeſtat.* Metamorph. xiii. 730.

Scylla latus dextrum, laevum irrequieta Charybdis
Infeſtant. Heinsius.

Infeſtat quasque Douzae codex.

20. *Quo lateant Syrtes magna, minorque ſinu.*] Multi utramque Syrtim deſcripſerunt, ſed omnium optimè Salluſtius in Jugurthino. Ciofan. Optime codex Regius, *quove Malea ſinu.* infra Eleg. xvi.

Nec timeam veſtros, curva Malea, ſinus.

Maleam cum Syrtibus quoque conjunxit Propert. lib. iii. xvii. 7.

Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis
Praebeat hoſpitio curva Malea ſuo.

Curva igitur & ſinuoſa Malea. Virgil. Aeneid. v. 101.

Nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus uſi
Ioniogue mari, Maleaeque ſequacibus undis.

Heinsius. Dubium tamen me facit, quod Malea

ſit

Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis:
Quo lateant Syrtes, quove Malêa sinu.
Haec alii referant. at vos, quod quisque loquentur,
Credite: credenti nulla procella nocet.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.
Navita sollicitus quâ ventos horret iniquos,
Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.
Quid? si concussas Triton exasperat undas?
Quam tibi nunc toto nullus in ore color!
Tum generosa voces fecundae sidera Ledae:
Et, Felix, dicas, quam sua terra tenet!

Tutius

sit promontorium; quod rectius eminere quam *latere* dici posset; cum Syrtes, quae sub aqua minus profundâ vada & brevia periculosissima occultant, hoc verbo indicentur melius. *Maleum* tamen *sinum* dixit Flor. III. 6. BURMANNUS.

21. *Hoc alii.*] Rectius in exemplaribus legitur, *haec*, scilicet periculosa. MARIUS.

21. *Quod quisque loquatur.*] Vetus & sana lectio est, *loquetur*. MARIUS. *Loquentur* Barberinianus & unus Moreti. recte. de quo loquendi modo plura ad Metam. lib. V. 212. & Fast. II. 731. Noster infra lib. III. Eleg. II.

Vincamus dominae quisque favore suae.

Remed. Amor. 74.

——— *Vindictae quisque favete suae.*

Virgil. VI. 743.

Quisque suos patimur Manes.

Artis Amat. I. 109.

Respiciunt, oculisque notant sibi quisque puellam.

Lib. III. 771.

Nota sibi sint quaeque.

Ut libri veteres. libro Artis I. 613. ex antiquo codice:

Sibi quaeque videntur amanda.

Nuce 54.

Devoveant umbras proxima quaeque meas.

Fast. lib. I. 448.

——— *Nam dis ut proxima quaeque*
Nunc pennâ veras, nunc datis ore notas.

Lib. II. 715.

Oscula quisque suae matri properata tulerunt.

Rem. Amor. 686.

Dum sibi quisque placent, credula turba sumus.

Ita lego. vulgati, *placet*. HEINSIUS.

22. *Credenti nulla procella nocet.*] *Quaerenti* Puteaneus. HEINSIUS. Mihi quoque *quaerenti* rectius videtur, pro inquirenti in conditionem & ingenium maris, & sinuum &c. vid. ad Epist. XVII. 198. BURMANNUS.

24. *Currit.*] *Tendit* duo scripti.

25. *Navita sollicitus & ventos horret.*] Si ita legeris, postrema syllaba dictionis, *Sollicitus* finalitatis gratia producetur, cum sit natura brevis. Sed mihi non displicet vetus lectio; *Jam*, ut apud Virgil. in X. 238.

Jam loca jussa tenet. MARIUS.

Quia ventos Puteaneus, Arondelianus, & tres alii. Lege, *quâ.* in falo nimirum. alii codices, *jam*, vel *quoque*. HEINSIUS. Ego mallem:

Navita sollicitus, quum ventos horret iniquos,
Tam prope se letum quàm prope cernit aquam.

Prope se ut Epist. XIX. 59. *Cum ventos* vero est in Scriverii & Palatino altero. *Horret* autem est cum horrore audit. Quinctil. Decl. VI. 11. *Legem istam quidni horream? Cum ventis horret iniquis* Francofurtensis. BURMANNUS.

27. *Exasperat.*] *Exasperet* ex Veteri lectione legendum. NAUGERIUS. Vetusti codices habent, *exasperet*, quae lectio est melior. MARIUS. Nonnulli, *quid si exasperet*; rectius. HEINSIUS.

28. *Quam tibi sit toto.*] Longe melior & vetustior lectio est illa vetustissimi codicis:

Quam tibi sit toto nullus in ore color.

Id est ex timore tota expallescens. MARIUS. Alii, *Qui tibi nunc toto.* vel, *toto est.* prima editio, *Quam tibi nunc toto est.* recte, si τὸ *est* tollas:

Quam tibi nunc toto nullus in ore color!

HEINSIUS.

29. *Tum generosa voces foecundae sidera Ledae.*] Non videtur hunc locum satis intellexisse Commentator: neque enim Poëta de sideribus Castoris & Pollucis, quae in coelo videntur, hoc loco intelligit: sed de iis ignibus, qui navibus inhaerent, quos Castoris & Pollucis nomine nautae invocant: de quibus Plinius lib. II. cap. XXXII. cujus haec sunt verba: *Vidi nocturnis militum vigiliis inhaerere pilis pro vallo fulgorem, effigie ea: & antennis navigantium, aliisque navium partibus, ceu vocali quodam sono insistunt, ut volucres, sedem ex sede mutantes. Graves, cum solitariae venêre, mergen-*

Tutius eſt foviſſe torum; legiſſe libellos;
Threïciam digitis increpuiſſe lyram.
At, ſi vana ferunt volucres mea dicta procellae,
Aequa tamen puppi ſit Galatea tuae.
Veſtrum crimen erit talis jactura puellae,
Nereïdesque Deae, Nereïdumque pater.
Vade memor noſtri, vento reditura ſecundo;
Impleat illa tuos fortior aura ſinus.
Tum mare in haec magnus proclinet litora Nereus:
Huc venti ſpirent: huc agat aeſtus aquas.
Ipſa roges, Zephyri veniant in lintea pleni:
Ipſa tuâ moveas turgida vela manu.

Primus

teſque navigia: & ſi in carinae ima deciderint, exurentes. Geminae autem ſalutares, & proſperi curſus praenunciae: quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamque Helenam, ferunt. Et ob id Polluci & Caſtori id numen aſſignant, eosque in mari deos invocant. Haec Plinius. In eandem ſententiam etiam Seneca, ſed brevioribus verbis lib. I. Nat. Quaeſt. I. *In magna tempeſtate*, inquit, *apparent quaſi ſtellae, velo inſidentes: adjuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant, Pollucis & Caſtoris numine.* Hos ignes, juniores *ignem praecedentem & ſequentem* vocant. MICYLLUS.

29. *Foecundae.*] Francius mallet, *formoſae.*

30. *Quem.*] Manuſcripta fere omnia exemplaria habent, *quam.* itaque legendum arbitror. MARIUS. Rectius alii, *quam.* HEINSIUS. *Sua terra* vero poteſt de patria capi; ſed magis placet intelligere de tellure, quae hominum mater credita, unde producti, & in qua educati homines. *Sua* ergo eſt hominibus propria, conveniens magis quam mare. Senec. Medea. 301.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque ſuas poſt terga videns
Animam levibus credidit auris.

In quo choro plura his Ovidianis plane ſimilia. infra Noſter III. Eleg. II. 48.

Nil mihi cum pelago, me mea terra capit.

Sic eleganter quoque Florus lib. III. cap. 6. *Eodemque tempore & uſum maris navibus recuperavit, & terrae homines ſuos reddidit.* BURMANNUS.

31. *Libellos.*] *Libellum* Francof. & Moreti.

33. *At ſi.*] *Aut ſi* alter Palatinus. recte. infr. Eleg. XVI. 17.

Aut juvenum comites juſſiſſent ire puellas.

Et Epiſt. IX. 131.

Aut ſi verſus amor tuus eſt in taedia noſtri.

33. *Mea dicta.*] Ita Maffeian. CIOFANUS. *Dicta* ſcripti. HEINSIUS.

38. *Illa tuos.*] Malim, *ſuos.* HEINSIUS.

39. *Declinet.*] Rectius fortaſſe in manuſcripto codice legitur, *proclinet.* MARIUS. *Declinet* primae editiones & ſcripti multi. ſed in optimis, *proclinet*, ut Aldus edidit. *propellat* Francof. *procurvet* Palatinus tertius. *proclamet* ſecundus. ego *proclinet* retineo. ita *proclinis* III. Faſt. 793.

Stella Lycaonium vergit proclinis ad Arcton
Milüus.

Imitatus vero Noſtrum Joſep. Iſcan. Bel. Troj. lib. I. vſ. 106.

Hic faciles proclinat aquas, hic evocat antro,
Qui vela impraegnet, Zephyrum.

Inclinare aquas dixit Noſter XI. Metamorph. 208. BURMANNUS.

40. *Huc venti ſpectent, huc agat aeſtus aquas.*] *Huc venti ſpirent* legendum. atque ita inveni poſtea in Excerptis Douzae. Sarravianus:

——— *Huc ventus portet.*

Pont. IV. Eleg. X.

At Notus adverſo tepidum qui ſpirat ab axe.

HEINSIUS. In Douzae Excerptis eſt, *hinc venti ſpirent, hinc agat Eurus aquas.* ſed perperam, *hanc venti ſpectent* Edit. prima.

40. *Aeſtus.*] Puteaneus & ſeptem alii, *Eurus.* ut Epiſt. VIII. 42.

Aſpice, ut everſas concitet Eurus aquas.

41. *Lintea pleni.*] *Soli* Puteaneus cum quatuor aliis. ſed nihil muta. adi adnotata lib. II. Pont. El. VII. vers. 77. HEINSIUS. Vid. ad Epiſt. III. 58. ſic apud Lucan. II. 683. legendum:

Saepe noto pleno, tenſisque rudentibus acta
Ipſa maris per clauſtra rates faſtigia molis
Diſcuſſere ſalo.

42. *Ipſa tuâ moveas.*] Recte, *ipſa:* nam & vectores aliquando nautica tractabant arma. vid. Paſſerat. ad Propert. III. Eleg. 6. pag. 445.

43. *Puppem.*] *Pinum* Excerpta Politiani. HEINS. Vid. Epiſt. XVIII. 158. & alibi.

45. *Excipiamque humeris.*] Melior lectio in iisdem libris, *Excipiamque ulnis.* CIOFANUS. *Ulnis*

Ex-

Primus ego adſpiciam notam de litore pinum;
Et dicam, Noſtros advehit illa Deos:
Excipiamque humeris, & multa ſine ordine carpam
Oſcula. pro reditu victima vota cadet.
Inque tori formam molles ſternentur arenae:
Et tumulus menſae quilibet inſtar erit.
Illic adpoſito narrabis multa Lyaeo,
Pene ſit ut mediis obruta navis aquis:
Dumque ad me properas, nec iniquae tempora noctis,
Nec te praecipites extimuiſſe Notos.
Omnia pro veris credam, ſint ficta licebit.
Cur ego non votis blandiar ipſe meis?
Haec mihi quamprimum coelo nitidiſſimus alto
Lucifer admiſſo tempora portet equo.

Excerpta Jureti & Puteani cum codice Sarraviano & ſex aliis. Sed vulgata reſpicit ad ritum illum, quo è navi alienis humeris per primas undas deferebantur vectores in terram. ſic infra Eleg. XVIII. de natante:

Tu noſtris niveos humeris impone lacertos.

Et Epiſtola XIX. 59.

Nam modo te videor prope me ſpectare natantem,
Brachia nunc humeris humida ferre meis.

HEINSIUS.

45. *Carpam.*] *Carpere oſcula*, quod ſciam, nusquam dixit Ovidius, rectius ergo cum Sarraviano codice & duobus Palatinis & quatuor aliis; *ſumam.* vid. ſupr. Eleg. v. 57. HEINSIUS. Duo codices etiam, *jungam.*

46. *Victima vota.*] *Grata* Palatin. *Noſtra* Scriverii. *Multa* Moreti tertius. *Victima vaca* Francof. ulcus ſubeſſe puto. BURMANNUS.

48. *Pro menſâ tumulus quilibet eſſe poteſt.*] *Et cumulus menſae quilibet eſſe poteſt* Puteaneus. tres, *Pro menſâ cumulus.* prima editio & ſcripti nonnulli, *Et cumulus menſae quilibet inſtar erit*, quomodo & Arondelianus. nec aliter Sarravianus, niſi quod in illo, *tumulus.* & recte. HEINSIUS.

53. *Licebit.*] Quamvis, etiamſi. CIOFANUS.

ELEGIA XII.

ITe triumphales circum mea tempora lauri.
Vicimus. in noſtro eſt ecce Corinna ſinu.
Quam vir, quam cuſtos, quam janua firma (tot hoſtes!)
Servabant, ne quâ poſſet ab arte capi.

Haec

1. *Triumphales lauri.*] Sic Tibullus lib. II. Elegia v. quòd in triumpho adhiberentur:

Ipſe triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua ſacra veni.

CIOFANUS.

1. *Lauri.*] *Laurus* Puteaneus. HEINSIUS.

2. *Vicimus.*] Neapolitanus & quatuor alii, *vincimus*, ut & infr. III. XI. 5. & Remed. Am. 388. & Triſt. III. IX. 23. & Metam. IV. 356. ubi vide notata. ita Lucan. VII. 113.

Vincis apud ſuperos votis me, Caeſar, iniquis.

Sed vulgata quoque non rejicienda. auctor in obitum Maecenatis:

Indulſit merito, non eſt temerarius ille,
Vicimus. Auguſto judice dignus erat.

Ubi forte legendum, *dignus eat.* HEINSIUS.

3. *Quam janua firma, tot hoſtes.*] *Firma ſeraeque* optimus Palatinus. *quot hoſtes* unus Medicêus. bene. vide Epiſt. VI. 118. *firmat ut hoſtis* Puteaneus. *firmus ut hoſtis* Neapolitanus & Arondelianus. *fortis ut hoſtis* duo. alii aliter, ſed mendoſe. HEINS. Sed *tot hoſtes* non moverem. Quinct. Decl. VI. 16. *Domus propria, lectus genialis, conventus amicorum &c. tot voluptates obruere poſſunt unum dolorem.* ita Proverbium erat: *Quot ſervi, tot hoſtes.* vide Lipſ. ad Senec. Epiſt. XLVII. BURMANNUS.

Haec eſt praecipuo victoria digna triumpho:
In qua, quaecumque eſt, ſanguine praeda caret.
Non humiles muri, non parvis oppida foſſis
Cincta, ſed eſt ductu capta puella meo.
Pergama cum caderent, bello ſuperata biluſtri;
Ex tot, in Atridâ pars quota laudis erat?
At mea ſepoſita eſt, & ab omni milite diſſors
Gloria: nec titulum muneris alter habet.
Me duce ad hanc voti finem, me milite veni;
Ipſe eques, ipſe pedes, ſignifer ipſe fui.
Nec caſum fortuna meis immiſcuit actis.
Huc ades, ô curâ parte Triumphe meâ.
Nec belli nova cauſſa mei. niſi rapta fuiſſet
Tyndaris, Europae pax Aſiaeque foret.
Femina ſilveſtres Lapithas; populumque bimembrem
Turpiter adpoſito vertit in arma mero.
Femina Trojanos iterum fera bella movere
Impulit in regno, juſte Latine, tuo.

Femi-

6. *Praeda caret.*] Francius malebat, *pugna*, vel *palma*. minime vero aliquid mutandum; eſt enim praeda ſine ſanguine eadem, quae *parata*, de qua ad Epiſt. VIII. 82. ſimiliter fere apud Livium lib. VIII. 38. *Caede inermes, cruentamque illis praedam redde.* BURMANNUS.

10. *Ex tot in Atridis.*] *Atride* tres. prima editio & duo alii, *Atridas*. ſed *Atridâ* verum eſt. quomodo Neapolitanus & Farneſianus. Epiſt. III. 39.

Si tibi ab Atridâ pretio redimenda fuiſſem.

HEINSIUS. Vid. ad Epiſt. III. 29.

11. *Et ab omni milite diſcors.*] *Diſſors* Puteaneus optime. vide de ea voce quae notamus ad Epiſtolam Sabini primam. VI. 35. HEINSIUS.

13. *Ad hunc.*] Legitur etiam, *Ad hanc:* recte utrumque. Dicimus enim, *hic & haec finis*. Virgil. in II. Aeneid.

Haec finis Priami fatorum. MARIUS.

Hanc finem Puteaneus. ſic Lucretius paſſim, ut & Virgilius, Horatius & alii optimi aevi ſcriptores. In Ibide, ex antiquis libris:

Quam finem vitae Sardanapallus habet.

Artis Am. lib. I. 282. ex veteri codice:

Legitimam finem flamma virilis habet.

Ubi plura. HEINSIUS.

15. *Actis.*] *Armis* Mentelii prior. ſed male. ſuperbe enim & cum faſtu dictum, quaſi ſua *acta* eſſent; ut Caeſaris Pompeji, Achillis & aliorum bellatorum *Acta* paſſim occurrunt. vid. Epiſt. VIII. 43. BURMANNUS.

17. *Nec belli eſt nova cura mei.*] In manuſcriptis exemplaribus rectius legitur, *Nec belli nova cauſſa mei.* & ſic omnino legendum eſſe, ſequentia facile indicant. MARIUS. *Belli nova cauſſa mei*, ita eſt in uno Maffeian. & Vatican. CIOFANUS. Ita etiam Marius legit, repudiata veteri lectione, *nec belli eſt nova cura mei*, ſed ego utramque ſenſu carere puto. praeceſſit etiam modo, *cura:* quare puto legendum tranſpoſitis vocibus, *Nec belli mea cauſſa novi.* Nec puella, a me victa, & mihi dedita, erit cauſſa novi belli, ut Helene & aliae fuerunt. I. Faſt. 519.

Hic quoque cauſſa novi femina Martis erit.

Supr. I. Am. X. 1.

Qualis, ab Eurota Phrygiis avecta carinis,
Conjugibus belli cauſſa duobus erat.

Propert. II. Eleg. II. 45.

Olim mirabar, cur tanti ad Pergama belli
Europae atque Aſiae cauſſa puella fuit.

Horat. I. Sat. III. 107.

Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſſa.

Cura vero & *cauſſa* ſaepe confunduntur. vid. ad Epiſt. VIII. 15. ſi vulgata placet, legerem, *nec belli nova cauſſa mea eſt:* nam *eſt* in tribus libris reperitur. BURMANNUS.

19. *Populumque biformem.*] *Bimembrem* Excerpta Jureti, & Barberinianus pro diverſa lectione: dixi ad Claudianum, & ad Noſtri Ep. II. 71. & IX. 99. HEINS.

20. *Appoſito.*] Scio ita paſſim Noſtrum loqui. malim tamen hic:

A poſito vertit in arma mero. BURMANNUS.

21. *Nova bella.*] *Fera* Sarravianus & duo alii. rectius. nam *nova cauſſa* praeceſſerat. HEINSIUS.

23. *Fe-*

Femina Romanis, etiam nunc Urbe recenti,
Immisit soceros, armaque saeva dedit.
Vidi ego pro niveâ pugnantes conjuge tauros:
Spectatrix animos ipsa juvenca dabat.
Me quoque cum multis, sed me sine caede, Cupido
Jussit militiae signa movere suae.

23. *Femina Romanis iterum nunc.*] Rectius legitur in exemplaribus, *etiam.* MARIUS. *Etiam* libri veteres, verè. CIOFAN. Olim editi, *iterum nunc.*

25. *Vidi ego.*] Confer Statii lib. VI. 861. & quae nos ad Phaedr. lib. I. Fab. 30. notavimus.

26. *Dabat.*] *Facit* Scriverii. quae etiam diversitas in simili locutione occurrit Epist. X. 27. & XV. 84.

27. *Me quoque cum multis.*] Legitur quoque in manuscriptis exemplaribus, *me quoque qui multos*; que lectio pulchrior est. prior tamen non penitus displicet. MARIUS. *Cum multis* est in iisdem libris. sequor. CIOFANUS. *Cum multis* scripti potiores. Epistola IX. 137.

Me quoque cum multis, sed me sine crimine amasti. HEINSIUS.

ELEGIA XIII.

DUm labefactat onus gravidi temeraria ventris,
In dubio vitae lassa Corinna jacet.
Illa quidem, clam me tantum molita pericli,
Irâ digna meâ: sed cadit ira metu.
Sed tamen aut ex me conceperat; aut ego credo.
Est mihi pro facto saepe, quod esse potest.
Isi, Paraetonium, genialiaque arva Canopi
Quae colis, & Memphin, palmiferamque Pharon,
Quâque

2. *Lassa Corinna.*] *Lapsa* unus Regius, quod probare poterat Francius. sed *lassa* de aegra recte dicitur. Terent. Hecyr. II. I. *Enim lassam oppido tum dicebant.* Noster lib. III. Amor. XI. 8.

Saepe tulit lassis succus amarus opem.

Ubi itidem *lapsis* volebat Francius. ita & *fessus* Epist. XXI. 14 sic & *fatigari* Dictys Cret. II. de Bell. Troj. 33. *Eorum, qui antea fatigabantur, corpora relaxari.* BURMANNUS.

3. *Clamat.*] Mendose sic legitur: sana enim lectio & vetusta est, *illa quidem clam me:* id est, me insicio. Corinna enim hoc suum consilium celaverat Nasonem: unde dicit nunc, eam dignam fuisse, cui succenseret & irasceretur. MARIUS.

3. *Tantum molita pericli.*] *Tanto peritura periclo* Douza in margine codicis sui.

5. *Sed tamen.*] Malim, *Et tamen.* HEINSIUS. Nihil muto. supr. Eleg. X. 15. & infr. Eleg. XVII. 21.

——— *Sed tamen apte*
Jungitur Herous cum breviore modo.

Et III. Eleg. IX. 47.

Sed tamen hoc melius.

Vid. & ad Epist. I. 2. & III. 4. BURMANNUS.

7. *Isi.*] De Isde, quae & Iö, Inachi filia fuit, ut ex lib. I. Metamorph. constat, sic Lactantius lib. I. *Iö Inachi filia, ut iram Junonis effugeret, ut erat jam setis obsita, jam bos, tranasse dicitur mare, in Aegyptumque venisse, atque ibi recepta pristina forma, dea facta, quae nunc Isis vocatur.* Et Hyginus cap. CXLV. *Iö Juppiter dilectam compressit, & in vaccae figuram convertit, ne Juno eam cognosceret. Id Juno cùm resciv it, Argum, cui undique oculi refulgebant, custodem ei misit. Hunc Mercurius Jovis jussu interfecit. At Juno formidinem ei misit, cujus timore exagitata, coëgit eam, ut se in mare praecipitaret, quod mare Iönium est appellatum. Inde in Scythiam transnavit, unde Bosphorus fines sunt dictae. Inde in Aegyptum, ubi parit Epaphum. Jovis cùm sciret suapte propter opera tot eam aerumnas tulisse, formam suam ei propriam restituit, deamque Aegyptiorum esse fecit, quae Isis nuncupatur.* De Canopo dixi extremo lib. XV. Metam. CIOFANUS.

7. *Paraetonium.*] *Paraetonium*, inquit Stephanus, *civitas est non longè ab Alexandria, quam & Ammoniam vocant.* Hinc *Paraetonius, a, um*, gentile ac possessivum, quo pro Aegyptio utuntur Poëtae,

Quàque celer Nilus, lato dilapſus ab alveo,
Per ſeptem portus in maris exit aquas;
Per tua ſiſtra precor, per Anubidis ora verendi:
Sic tua ſacra pius ſemper Oſiris amet,
Pigraque labatur circa donaria ſerpens,
Et comes in pompam corniger Apis eat:

Huc

Poëtae. Cur autem *genitalia* vocet arva Canopi, & de diverſis lectionibus hujus loci, vide Commentatorem. MICYLLUS.

7. *Genitalia.*] Generandi vim habentia, propter Nili inundationem: *Quae* (ut Diodorus & Mela ſcribunt) *non ſolum vaſtas belluas in undis gignit, ſed glebis etiam infundit animas, ex ipſaque humo vitalia effingit: quod patet ex hoc, quòd poſt inundationem per humentes campos quaedam nondum perfecta animalia, ſed tunc primum accipientia ſpiritum, & ex parte jam formata, ex parte adhuc terrea viſuntur.* quod idem Naſo in I. Metam. dicit poſt diluvium Deucalionis eveniſſe. Plin. quoque lib. IX. haec inundationis Nili miracula referens, ejus aquam terramque genitalem appellavit. Dixit enim: *Quippe deturgente eo muſculi reperiuntur inchoato opere, genitalis aquae terraeque, jam parte corporis viventes, noviſſima effigie etiamnum terrena.* Unde apparet, non incongruè legi poſſe, *Genitalia arva.* licet in nonnullis exemplaribus ſcriptum ſit, *Genialia:* quae lectio ſi placet, expone voluptuoſa. Genio enim operam dare dicimur, quando voluptatibus indulgemus. unde Perſius: *Indulge genio, carpamus dulcia, noſtrum eſt quod vivimus.* Inde *geniale*, id eſt voluptuoſum, dicimus. Naſo in fine libri tertii Amorum:

Imbelles elegi, genialis muſa valete.

Et Juvenalis:

Genialis agatur Iſte dies.

Cur autem *genialia* dicantur Canopi arva, cauſam affert Strabo, lib. XVII. ſcribens: *Canopi templum fuiſſe Serapidis, & cultu & religione excellens: ad ſolennia cujus per foſſam ex Alexandria ingens turba deſcendebat. Nam die ac nocte naviculis plena erat virorum ac mulierum impudenter canentium, ac ſaltantium cum omni diſſolutione: erantque diverſoria foſſae impoſita, ad hujusmodi relaxationem & celebritatem idonea.* Unde à Papinio dictum eſt, *Curve Therapnaei laſcivia tota Canopi.* MARIUS. Quomodo *genitalia arva* Iſidis, ubi Iſis nata non eſſet? Puteaneus & nonnulli, *gentilia.* Regius & tres alii, *genialiaque.* quod verum eſt. ſic *rus geniale* Epiſtola Herus. & in Metamorph. *platanus genialis.* & *geniale littus* Statio lib. IV. Sylv. ad Marcellam. Elegos *muſam genialem* Noſter vocat infra ſub finem Amorum. & *genialem praedam* de raptu Sabinarum. Aegyptii enim molles & genio admodum indulgentes. Sed de Canopo rem ſuſius docet Strabo lib. XVII. Ἀντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν παννυχιζῶν ὄχλος τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας καταιόντων τῇ διώρυγι. πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ νὺξ πλήθει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀναίδην μετὰ τῆς ἐχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. quae mirifice illuſtrant noſtri illa Triſt. lib. I. Eleg. III.

Non ut Alexandri claram delatus in urbem
Delicias videam, Nile jocoſe, tuas.

Quintilianus libr. I. cap. III. *Gaudemus ſiquid dixerint licentius, verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, oſculo ac riſu excipimus.* Stat. Silv. V. ult.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumque ſui convitia Nili
Infantem.

Senec. Epiſt. LI. *Itaque de ſeceſſu cogitans numquam Canopum eliget, quamquam neminem Canopus frugi eſſe vetet.* hinc *hilaris Canopus* Columellae quoque dicitur lib. X.

Nataque jam veniat hilari ſamſuca Canopo.

Et Gratio, *feſtivi turba Canopi.* quomodo legendum in Solinianis recte vidit Salmaſius. cum *aeſtivi* perperam nunc legatur. & hinc *Canopiſmus* in Proverbium abiit. Euſtath. Scholiis in Periegeten, Ἐμφαίνει δὲ ἐκεῖνος, καὶ τρυφὴν τοὺς Κανωβίτας, ἐν οἷς λέγει τὸν Κανωβισμὸν καὶ τὴν ἐκεῖ λαμυρίαν. ſic *mollem Canopum*, dixit Pacatus in Panegyrico. *Famoſum* Juvenalis Sat. XV. 46.

Sed luxuria, quantum ipſe notavi,
Barbara famoſo non cedit turba Canopo.

Stat. Propempt. Celeris:

Curve Therapnaei laſciviat ora Canopi.

Ammian. lib. XXII. de Canopo: *Hactenus impendio locus fanis & diverſoriis exſtructus, auris & ſalutari temperamento perflabilis.* Lege, *aurae ſalutaris temperamento.* Plura vide apud Frontin. Stratag. I. cap. I. §. V. ubi legendum, *ad mores Alexandrinos vitamque deſciſcere. Genialia* ergo, ut *feſtum geniale* Noſtro lib. III. Faſt.

—— *Annae feſtum geniale Perennae.*

Et *feſtum genialiter agere* libro XI. Met. de Bacchi ſacris. Statius, *genialia littora Naxi.* ita Ennius:

Romulus in coelo cum Diis genialiter aevum
Degit.

Ita Catalect. Pith. pag. 100. *genialiter accumbere*, & *genialis imago.* & pag. 174. *genialis hyems. genialis vultus* Capitol. pag. 39. vid. Salmaſ. pag. 107. vulgo legebatur, *gemmatus.* HEINSIUS. *Genialia* jam Aldus in poſteriore editione expreſſit, & Marius,

Huc adhibe vultus; & in unâ parce duobus:
Nam vitam dominae tu dabis; illa mihi.
Saepe tibi ſedit certis operata diebus,
Quâ cingit lauros Gallica turma tuas.
Tuque laborantes utero miſerata puellas,
Quarum tarda latens corpora tendit onus;

Lenis

tius, & Berſinannus illuſtraverunt. eadem varietas eſt apud Stat. XII. 618.

Mittit in arma manus genialibus hoſpita divis,
Icarii Celeique domus, viridesque Melaenae.

Ubi MS. *gentilibus.* vide & I. Art. 125. BURMAN.

9. *In alveo.*] Vetus & ſana lectio eſt, *Ab alveo.* Synaereſis autem eſt, *alveo.* Sic Tibul. III. I. 49.

Rure levis verno flores apis ingerit alveo. MARIUS. *Ab alveo* legendum. CIOFANUS. *In alveo* meliores. HEINSIUS. Ita quoque legendum cenſet Celeberrimus Bentlejus ad Horat. lib. III. Od. 29. 34. ſed *dilapſus ab alveo* mihi praeferendum ideo videtur quia ſupra Deltam Nilus uno alveo, & lato fluens, deinde in ſeptem ora ſe ſcindens, vagus atque diſperſus per omnem Aegyptum it; ut deſcribit Mela lib. I. cap. 9. dilabitur ergo a lato alveo in ſeptem fluvios, & per ſeptem portus in mare evolvitur. neque hic *ſeptem portas*, quod in Regio & Francofurtenſi exſtat, cum eodem Bentlejo, ſed *portus* legerim. quia ſingula oſtia portus opportunos faciunt. vid. Epiſt. XIV. 107. immo omnia oſtia fluviorum pro portubus ſunt, quia tuti ibi creduntur navigantes, poſtquam jactati fuere undis & ventis. ſic certe Servius ad illa Virgilii lib. VII. Aeneid. 201.

Fluminis intraſtis ripas, portuque ſedetis.

Ante enim pro portu erat illic exitus fluminis. Rythmicum praeterea verſum redderet vox, *portas.* BURMANNUS.

10. *Per ſeptem portus in maris exit aquas.*] Oſtiorum Nili nomina notavi in obſervat. in Metam. CIOFANUS.

11. *Per Anubidis ora.*] Arnobius lib. VI. adverſus gentes ſic de Anubide: *Anubis canina cum facie.* IDEM.

12. *Oſiris.*] De Oſiride, vide quae notavi in Metam. lib. IX. IDEM.

13. *Circum.*] *Circa* meliores. HEINSIUS.

14. *In pompa.*] *In pompam* tres ſcripti. recte, ut puto. Epiſt. XVIII. 60.

Ut comes in noſtras officioſa vias.

BURMANNUS.

17. *Saepe tibi meruit certis operata diebus.*] Sunt exemplaria, quae ſcriptum habent, *ſaepe tibi ſervit. Meruit* exponit Commentator, pro promeruit. Et ſic ellipticôs accipiendum, pro *Meruit enim:* ipſumque verbum à ceteris diſtinguendum. At ſi pro ſervivit accipias, ſive militavit, à *mereo:* quale & illud dictum eſt, *Aere merent parvo, &c.* tum nihil neque diſtinguendum neque ſupplendum erit. Et in quibusdam etiam *Seruit*, pro *Meruit* legitur. MARIUS. *Tibi dedit* Puteaneus. Scribe, *ſedit.* alter Mentelii, *dedit incertis.* unus meus, *cedit feſtis.* Art. Am. III. 635.

Cum ſedeat Phariae ſiſtris operata juvencae.

Triſt. II. 297.

Iſidis aede ſedens cur hanc Saturnia quaeret
Egerit Ionio Boſporioque mari.

Pont. I. Eleg. I. 52.

Vidi ego, linigerae numen peccaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.

Tibull. I. Eleg. III.

Ut mea votivas perſolvens Delia noctes
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.

Atque haec de ſacris Iſidis. Sed & quibuſcunque in templis ſedebant operatae. Virgil. lib. II. 515.

Hic Hecuba & gnatae nequicquam altaria circum,
Praecipites atrâ ceu tempeſtate columbae,
Condenſae, & divûm amplexae ſimulacra, ſedebant.

Sic veterrimus Medicêus. mox dicet:

Abdiderat ſeſe atque aris inviſa ſedebat.

Julius Obſequens cap. 71. *Terracinae in aede Minervae mulieres tres, quae operatae ſedebant, fulmine exanimatae.* & cap. 72. *Peſtilentia fameque ita laboratum, ut ex Sibyllinis populus circa compita ſacellaque operaturus ſederit.* Foeminas Opi Deae ſedentes fuiſſe operari ſolitas ex Macrobio cognoſcimus libro I. capite X. & Jovi Propertius lib. II. Eleg. XIIX. ad Jovem:

Ante tuosque pedes illa ipſa adoperta ſedebat.

Ubi *operata* codex Neapolitanus ſatis vetuſtus; quo ſum uſus, ut hic apud Naſonem, & loco ex Arte Amatoria jam producto. Tibullus lib. IV. ſub finem:

Sed Veneris ſanctae conſidam vinctus ad aram.

Capitol. in Pertinace, *in templo concordiae reſedit.* huc ſpectat illud Pythagoricum, προσκυνήσαντα ἐπικαθῆσθαι. vid. Paſſerat. ad Propert. pag. 366. HEINSIUS.

17. *Certis.*] Quidam codices, *feſtis.* fruſtra: *certi* dies ſunt ſtati, ſolennes. Faſt. II. 512.

Et referunt certi ſacra paterna dies.

Et in Ibid. 467. ubi ſimiliter peccatum erat:

Aut te devoveat certis Abdera diebus.

Lex XII. Tabul. *Certasque fruges, certasque baccas Sacerdotes publice libanto, certis ſacrificiis ac diebus.* Jul. Firmic. de Errore Relig. *Et cum haec certis diebus fecerint.* HEINSIUS. Macrob. III. Saturn. 12.

Lenis ades, precibusque meis fave, Ilithya.
Digna eſt, quam jubeas muneris eſſe tui.
Ipſe ego tura dabo fumoſis candidus aris:
Ipſe feram ante tuos munera vota pedes.
Adjiciam titulum, Servatâ Naſo Corinnâ.
Tu modo fac titulo muneribusque locum.
Si tamen in tanto fas eſt monuiſſe timore;
Hac tibi ſit pugnâ dimicuiſſe ſatis.

Eſt praeterea Octavii Herſennii liber, qui inſcribitur de ſacris Saliaribus Tiburtium, in quo Salios Herculis inſtitutos operari certis diebus & auſpicato docet.

18. *Qua cingit.*] Rectius in vetuſtiſſimis exemplaribus legitur, *Queis*, pro quibus, ſcilicet diebus. Sic Maro in v. Aeneid. 510.

Nodos & vincula rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.

Atque alibi ſaepius. legitur & *lauros*, recte utrumque. *laurus* enim unum eſt de his nominibus, quae duplicem habent denominationem. Virg. v. Aeneid. 539.

Sic fatus cingit viridantia tempora lauro.

Horat. II. Od. 7.

Longaque feſſum militia latus depone ſub lauru mea.

Marius. *Quis cingit* tres ſcripti. quod Mario Nigro placebat. deinde, *Gallica turma* Puteaneus & plurimi alii. ſic Faſt. II. 228.

Cetera virgultis abdita turma latent.

Ubi *turba* eſt in vulgatis. *tingit* quoque Puteaneus uterque. Haec obſcuriſſima ſunt & quae Oedipum requirant interpretem. Heinsius. Douzae codex etiam *turma*, & ipſe adſcripſerat, *a Gallo fluvio. Qua tangit* Francof. *Laurum tuam* Sarravii.

18. *Turma.*] Rectius in MSS. exemplaribus legitur, *turba*. Marius.

21. *Precibusque fave Lucina puellae.*] *Precibusque meis fave Ilithya* optime Puteaneus. nam & Latini hoc nomine uſi. Noſter Metam. IX. 283.

Propoſitam timidis parientibus Ilithyam.

Virgil. Ciri 326.

Per te ſacra precor, per numina Ilithyae;
Ne tantum in facinus tam nulla mente feraris.

Ita ſcribo iſtos verſus. Auſonius Id. XII.

At ſi difficilis trahit Ilithya retrorſum,
Tetragono abſolvet dubiarum vincla morarum.

Quomodo videtur ſcribendus locus mendoſiſſimus, veterrimum namque exemplar Voſſianum:

At ſi difficilis trahit hiliahi ſidera rurſum.

Certe *Ilithyae* nomen illic latere nullum dubium eſt. vulgati, *trahit ilia ſidere rurſum.* poſſet & ſcribi, *trahit Ilithya laborem. Labor* enim pro puerperio paſſim occurrit apud Poëtas. Propert. IV. Eleg. I.

Idem ego, cum traheret Cynarae Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram, &c.

Horatius Carmine Saeculari:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya tuere matres.

Lib. III. Od. 22.

Montium cuſtos nemorumque virgo;
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis.

Et hinc λυσίζωνος quoque dicta Athenienſibus; quod gravidis puellis Zona ſolveretur. ejus templum Athenis. vid. Meurſ. Athen. Attic. pag. 117. 118. etiam apud Aſſyrios: Lucianus pag. 1072. eodem autem modo Virgilius in fine verſus dixit, *Orithya.* XII. Aeneid. 83. & in Ciri, *Adraſteia.* Heinsius.

22. *Muneris.*] Codex vetus, *numinis.* ſed Horat. IV. Od. 3.

Totum muneris hoc tui eſt. Douza.

24. *Vota.*] *Digna* codex Douzae. *Nota* Palatinus alter.

ELEGIA XIV.

Quid juvat immunes belli ceſſare puellas,
Nec fera peltatas agmina velle ſequi;
Si ſine Marte ſuis patiuntur vulnera telis,
Et caecas armant in ſua fata manus.

Quae

4. *Caecas.*] Recte. ita I. Faſt. 623.

Neve daret partus, ictu temeraria caeco;
Viſceribus creſcens excutiebat onus.

Vid. Epiſt. XI. 44. ubi *Tectum hoſtem* in hac re dixit.

5. *Quae*

Quae prima inſtituit teneros convellere foetus,
Militiâ fuerat digna perire ſuâ.
Scilicet, ut careat rugarum crimine venter,
Sternatur pugnae triſtis arena tuae.
Si mos antiquis placuiſſet matribus idem;
Gens hominum vitio deperitura fuit:
Quique iterum generis jaceret primordia noſtri
In vacuo lapides orbe, parandus erat.
Quis Priami fregiſſet opes, ſi numen aquarum
Juſta recuſaſſet pondera ferre Thetis?
Ilia ſi tumido geminos in ventre necaſſet,
Caſurus dominae conditor Urbis erat.
Si Venus Aenean gravidâ temeraſſet in alvo;
Caeſaribus tellus orba futura fuit.
Tu quoque, cum poſſes naſci, formoſa, periſſes;
Tentaſſet, quod tu, ſi tua mater opus.

Ipſe

5. *Quae prima inſtituit teneros convellere foetus.*] Legitur in exemplaribus etiam *avellere*, quae lectio magis placet. nam licet idem ſignificet, hoc tamen mollius eſt, illud aſperius carmen reddit. MARIUS. Sic in uno Maffeian. In altero, *evellere*, non diſplicet. CIOFANUS. *Convellere* ſcripti potiores. ſic Epiſt. XVII. 111.

Deſine molle, precor, verbis convellere pectus.

Metam. XI. 123.

Sive dapes avido convellere dente parabat. HEINS. *Avellere* olim editi plures. duo ſcripti, *divellere*. quod magis placet, viſceribus enim excutitur foetus & divellitur. ita XIV. Metam. 115. *Suo divellere trunco*, ut eſt in MSS. BURMANNUS.

7. *Ut careat.*] *Ut careant rugarum crimine ventres* Scriverianus.

9. *Si mos.*] Ejusdem argutiae ſententia eſt in Senec. Controv. VI. *Ergo ſi illis temporibus iſte carnifex apparuiſſet, conditorem ſuum Roma non haberet.* ſed nimis longe petitum. DOUZA.

10. *Gens hominum vitio deperitura foret.*] Barth. Adv. X. XXVII. *Gens hominum vitae praeperitura foret.* argute mehercules; dubito tamen an vere. meus Chartaceus, *vino deperitura.* alter Moreti, *non peritura foret.* latet aliquid. forte, *gens humana ſimul.* HEINSIUS. Barthius conjecturam illam ſuam adſtruxit loco Aeneae Gazaei pag. 28. ubi illum vide. ſed *deperire* rectum eſt; nam notat penitus perire. lib. I. Eleg. ult.

Ergo cum ſilices, cum dens patientis aratri
Depereant aevo, carmina morte carent.

Vitio autem ſimpliciter poſitum, pro prave, culpa matrum, quae praeceſſerant. Tibul. I. Eleg. X. 73. *Nec facit hoc vitio.* Ubi vid. Broukhuſii notas. ita *vitio creati* conſules, pro non rite, contra auſpicia. cui haec minus placent, ille poſſet per interrogationem ex Moreti codice legere:

Gens hominum vitio non peritura foret?

Incommodum tamen fateor *vitio* ita hic ſimpliciter poni. ſi liceret conjungere cum *hominum* planior eſſet ſententia, & ita *gens* poneretur abſolute pro genere humano, ut & *genus* apud Phaedr. II. Prolog. vel *hominum*, licet ſemel ponatur, bis intelligendum eſt, quaſi dixiſſet gens hominum vitio hominum deperitura foret. Remed. 30.

Et quarum vitio nulla ſit orba parens.

Horat. I. Od. 2.

Vitio parentum Rara juventus.

Et ille ſaepe. BURMANNUS.

14. *Juſta pondera.*] Id eſt debita. Quid enim eſt juſtius, quàm matrem ferre in utero infantem quem conceperat? In vetuſtiſſimis tamen codicibus ſcriptum legimus, *Iſta*, non *Juſta*. *Iſta* igitur pondera, de quibus loquimur: id eſt foetus. Haec melior eſt lectio. MARIUS. Immo *juſta pondera* ſunt, quae tempus foetui deſtinatum implent, quae non intempeſtive excutiuntur, antequam partus ſit maturus; & ita omnia *juſta* vocantur, quae numeros ſuos implent; ut *Juſti anni* X. Met. 36. *Juſta ſtatura* Suet. Tiber. 68. *Juſta menſura*, de qua Salmaſ. ad Tert. Pal. pag. 103. *Juſta arma &c.* vid. Gronov. ad Liv. XXII. 48. ita ſequenti Eleg. 6. *Et digitum juſto commodus orbe teras. Juſtum pugnae tempus* Virg. X. Aeneid. II. BURMAN.

15. *Geminos.*] Romulum & Remum. CIOFAN.

18. *Futura fuit.*] *Futura foret* Sarravii & quindecim alii cum prima editione.

Ipſe ego, cum fuerim melius periturus amando,
Vidiſſem nullos, matre necante, dies.
Quid plenam fraudas vitem creſcentibus uvis;
Pomaque crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluant matura ſuâ. ſine creſcere nata.
Eſt pretium parvae non leve vita morae.
Veſtra quid effoditis ſubjectis viſcera telis;
Et nondum natis dira venena datis?
Colchida reſperſam puerorum ſanguine culpant,
Aque ſuâ caeſum matre queruntur Ityn.
Utraque ſaeva parens: ſed triſtibus utraque cauſſis
Jacturâ ſocii ſanguinis ulta virum.

Dici-

21. *Cum fuerim.*] *Qui fueram* Moreti codex.

22. *Matre negante.*] *Necante* potiores. HEINSIUS.

23. *Quid plenam fraudas vitem creſcentibus uvis? Pomaque crudeli vellis acerba manu?*] Hanc ſententiam paucis mutatis è Tibullo lib. III. Eleg. v. accepit. ejus verba ſunt:

Quid fraudare juvat vitem creſcentibus uvis?
Et modò nata mala vellere poma manu?

CIOFANUS.

25. *Sponte fluent matura ſua.*] Inepta eſt haec compoſitio, idcirco, ut eſt in antiquis codicibus, ita ſcribendum eſt, *ſponte ſua matura fluent.* MARIUS. *Fluant matura ſua* Puteaneus & unus Moreti. multi, *fluent.* HEINSIUS.

26. *Pretium tardae.*] In utroque Maffeian. *Et pretium eſt longae.* CIOFAN. *Parvae* plerique editi.

27. *Veſtra quid effoditis.*] Lege, *veſtra quid ô foditis.* ut Remed. Amor. 19.

Cur aliquis rigido fodit ſua viſcera ferro.

HEINSIUS.

28. *Nondum natis.*] Francius malebat, *nato:* offendebat, ſcilicet, rythmus ille, *natis* & *datis.* ſic Epiſt. VIII. 136.

Et nondum nato funeris auctor eris.

29. *Colchida.*] Medeam. Vide quae notavi in obſervationibus in lib. II. Triſtium. CIOFANUS.

29. *Puerorum ſanguine.*] In quibusdam, *natorum ſanguine culpant.* NAUGERIUS. In quibusdam exemplaribus legitur etiam, *natorum.* ſed optime quoque legimus, *puerorum*, id eſt filiorum, more Graeco, ut apud Horat. Art. Poët. 185.

Nec pueros coram populo Medea trucidet. MARIUS.

Sanguine matrem Palatinus tertius, ut ad *querunzur* referatur. ita Art. Am. III. 33. *Phaſida matrem.* HEINSIUS.

30. *Atque ſua.*] *Aque* unus Moreti. & recte. HEINSIUS. Ita pro *atque*, *aque* repoſuimus Epiſt. VI. 156. vide & Epiſt. XXI. 180.

31. *Saeva.*] *Dira* Palatinus primus & Vatican. ita *dira noverca* Epiſt. XII. 188.

32. *Ulta virum.*] Sic etiam Remed. Am. 60. ſed quia hic de duabus agitur, Francius malebat, *viros.*

33. *Quis vos irriſet Iaſon.*] *Iaſo* Puteaneus. ut & infra Eleg. XVIII. ỳſ. 23. & ſic lib. III. Artis, ỳſ. 35. & Metam. VI. 1. veterrimus Regiae Bibliothecae codex. Latino more. ſic *Agamemno*, *Amphitryo.* ſic & *Lado* ex veteri codice lib. V. 89. Faſt. *Milo* Ibide 609. ex MS. *Almo* Metam. XIV. ex MSS. HEINS. Francius volebat etiam, *irritat*, idque fortius credebat. & mox, *figere viſcera* ex Remed. 59. & ita erat in Moreti uno. ſed *viſcera* jam praeceſſerat vers. 27. *corpora* Marius interpretatur filios. De nominibus propriis, in *o* vel *on.* vide ad Quinctilian. Inſt. I. 5. *findere* Francofurt. non abſurde. BURMANNUS.

35. *Haec neque.*] *Hoc* meliores. Neapolitanus, *Hoc neque marmoreis.* Forte pro, *Marmaricis.* HEINSIUS.

36. *Perdere nec foetus.*] *Prodere* Excerpta Politiani. HEINSIUS.

36. *Auſa leaena.*] *Viſa* unus Heinſii.

39. *Ferturque rogo.*] *Toro* Sarravianus & unus ex meis. bene. in toro enim mortui efferebantur. quod & ab aliis jam animadverſum. Art. Am. I. 487.

Interea ſive illa toro reſupina feratur.

Quanquam de vivente illic agit. Statius Theb. VI. 76.

Ceu grande exequiis onus atque immenſa ferantur
Membra toro.

Ita ſcripti; ut & Epicedio Glauciae II. Silv. v. 160.

Quod tibi purpureo triſtis torus aggere crevit.

Ut doctiſſimus Gronovius jam monuit Diatribae Statianae cap. XVII. Virgil. VI. 220.

Tum membra toro defleta reponunt.

Noſter

Dicite, quis Tereus, quis vos irritet Iäſon
Figere ſollicitâ corpora veſtra manu?
Hoc neque in Armeniis tigres fecere latêbris:
Perdere nec foetus auſa leaena ſuos.
At tenerae faciunt, ſed non impune, puellae.
Saepe, ſuos utero quae necat, ipſa perit.
Ipſa perit, ferturque toro reſoluta capillos:
Et clamant, Merito, qui modo cumque vident.
Iſta ſed aethereas vaneſcant dicta per auras:
Et ſint ominibus pondera nulla meis.
Dî faciles, peccaſſe ſemel concedite tuto:
Id ſatis eſt. poenam culpa ſecunda ferat.

ELE-

Noſter Metam. IX. 502.

——*Toroque*
Mortua componar.

Et lib. VI. 288.

——*Stabant cum veſtibus atris*
Ante toros fratrum.

Faſt. VI. 668.

Ducit ſupremos naenia nulla toros.

In mortem Druſi, 254.

Flamma errat poſito lenta ſubire toro.

Et mox 316.

Quemque premat ſine te ſternitur ecce toro.

Pont. I. Eleg. VIII.

Cui nos & lacrymas ſupremum in munere funus,
Et dedimus medio ſcripta canenda toro.

Ita ſcribo. hunc *torum* etiam *lectum* vocabant. de quo Elegiâ in mortem Druſi dicetur. *ferri* pro *efferri*. Art. Am. III. 20.

Proque viri eſt uxor funere lata ſui.

Hinc *ferri* in *exequias*. Faſt. II. 847.

Fertur in exequias animi matrona virilis.

Ubi fruſtra magnus Scaliger, *exequias fertur* reponi cupiebat. HEINSIUS.

40. *Et merito.*] Scilicet, *iſta periit:* eſt enim vox clamantium. In vetuſtiſſimis tamen codicibus ita ſcriptum eſt hoc carmen:

Et clamat, merito, qui modo cunque videt.

Qui modo cunque, pro *quicunque:* carminis enim neceſſitate coactus interpoſuit, *modo*. MARIUS.

40. *Qui modo.*] *Quae modo* codex Douzae.

42. *Et ſint ominibus.*] Unus Vaticanus, *ſint & in ominibus*. ut Epiſt. VI. 65. *Nullum ſit in omine pondus*. Francof. *Et ſint in verbis*.

43. *Concedite tuto.*] *Tutae* Puteaneus a manu ſecunda. duo ſcripti, *voto*. quod fortaſſe rectè, ſi ita diſtinguas:

Di faciles, peccaſſe ſemel concedite. voto
Id ſatis. at poenam culpa ſecunda ferat.

Simile mendum inſedit Statio lib. I. Silv. II. 41.

Hanc propter votum Piſaea lege trementem
Currere.

Ut Heinſius legit. vulgo, *propter tutum*. apud Juſtinum quoque hae voces confuſae a librariis. lib. IX. cap. 2. *Ille ſi voto fungi vellet*. ubi MS. perperam, *ſi tuto fungi vellet*. III. Art. 603.

Quae venit ex tuto, minus eſt accepta voluptas.

Ubi etiam MSS. nonnulli, *ex voto*. ſed haud rectè. BURMANNUS.

44. *Et ſatis eſt.*] Clauſulam, *Et ſatis eſt*, ad praecedentia refero, non ad ſequentia. ut ſit ſenſus: Et ſatis eſt, ſemel peccaſſe: ſcilicet id quod in ſuperiore verſu ponitur. Nam & praecedentem Elegiam eadem ſententia concluſit, hoc verſu:

Hac tibi ſit pugna dimicuiſſe ſatis. MICYLLUS.

Scribo, *Id ſatis eſt*. lib. III. Eleg. II. ſub finem:

Hoc ſatis hic: alio cetera redde loco.

Quomodo & ibi eſt emendandum. & Triſt. lib. IV. Eleg. X.

Manibus hoc ſatis eſt. ad vos ſtudioſa revertor
Pectora.

Ut rectè vetus liber. Amor. lib. III. Eleg. VIII.

Tantum ne noſtros avidi liceantur amores,
Id ſatis eſt. aliquid pauperis eſſe ſinat.

Ita ſcribo. male ibi quoque legitur, *Et ſatis eſt*. HEINSIUS.

ELEGIA XV.

ANnule, formoſae digitum vincture puellae,
In quo cenſendum nil, niſi dantis amor;
Munus eas gratum. te laetâ mente receptum
Protinus articulis induat illa ſuis.
Tam bene convenias, quam mecum convenit illi;
Et digitum juſto commodus orbe teras.
Felix, à dominâ tractaberis, annule, noſtrâ.
Invideo donis jam miſer ipſe meis.
O utinam fieri ſubito mea munera poſſim
Artibus Aeaeis, Carpathiive ſenis!

Tunc

1. *Junctura.*] Male ſic legitur; Vetus autem & ſana lectio, *vincture*, ut ſit a verbo *vincire*, quod ligare eſt & circumdare. MARIUS. *Junctura* Junii & octo alii.

2. *Cenſendum.*] Spectandum, faciendum. CIOFAN.

4. *Induat.*] Imponat. Sic Plinius lib. XXXIII. 1. *Peſſimum vitae ſcelus fecit, qui annulum primus induit digitis.* MARIUS. Legendum eſſe, *qui id primus induit*, id eſt aurum, ex quo annulus, ex MSS. docet Harduinus. ſatis veroſimiliter, ita idem ſcriptor lib. XXXVII. 6. *Claudius Caeſar Zmaragdos induebat, & Sardonychas.* BURMANNUS.

5. *Convenit illa.*] Si ita legeris, *Convenit* verbum erit perſonale: ſi, ut ſcriptum eſt in vetuſto codice, *Illi*, impersonale. ut apud Catull. LVIII.

Pulchre convenit improbis cinaedis
Mamurrae pathicoque, Caeſarique.

Illi, Corinnae. Caſus eſt dativus. MARIUS. *Illa* Puteaneus. & alii multi. ſed *illi* ſcribendum. quod eſt in octo ſcriptis & antiquis editionibus, agit enim de domina. HEINSIUS. Recte: ita Terentius Adelph. I. I.

Haec fratri mecum non conveniunt.

Sed legerem etiam, *tam bene conveniat*, ſcilicet *tecum.*

6. *Juſto.*] *Recto* codex Douzae. vid. ad Eleg. Praeced. ỳſ. 14.

10. *Artibus Aeaeis.*] Id eſt magicis. ut libr. III. Amorum:

Aut te trajectis Aeaea venefica lanis Devovet.

Sed longe melius in manuſcripto codice legitur, *Aeaeae*, id eſt Circes, Solis ex Perſa nympha filiae: quae in feras varias homines mutabat, ut in Odyſſea canit Homerus. Unde in Bucol. Maro Eclog. VIII. 70.

Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis.

Sedem habuit haud longe à Cajeta Campaniae urbe, montem quendam, olim inſulam: qui ab ejus nomine Circaeus mons dicitur: & *Aeaeus* (ut Servius ait) ab aſpernantium voce, propter celebratas illic corporum mutationes. Unde Virgil. lib. III. 386. Aeneid. dixit:

Aeaeaeque inſula Circes.

Alii tamen volunt, Aeaeam dictam fuiſſe Circen ab inſula, ſive oppido, quod erat juxta Phaſin: de quo Apulejus in Magia. Hic igitur Naſo *Aeaeae* dixit ſubſtantive: in libro autem Metam. IV. 205. adjective ſic:

Nec tenet Aeaeae genitrix pulcherrima Circes.

MARIUS. Malim, *Aeaeis*, cum primis editionibus & Barberiniano. ſic ſupra lib. I. Eleg. VIII. *Aeaea carmina.* & infra, *Aeaea venefica.* HEINSIUS.

11. *Tunc ego te dominae.*] In Sarraviano, *tunc ego me.* in Regio, *tunc per te.* forte:

Tunc per te dominae cupiam tetigiſſe papillas,
Cum laevam tunicis inſerit illa manum.

Ego ter duae editiones priſcae. *Ego ſi cupiam* Francof. latet aliquid. BURMANNUS.

13. *Elabar digito.*] Imitatus Martial. XIV. 123.

Saepe gravis digitis elabitur annulus unctis.

14. *Lapſus ab arte.*] *Laxus* Puteaneus. bene. nam *elabar* praeceſſerat. HEINSIUS. *Multa laxus ab arte* Scriverii. *Mira calliditate* Moreti & Douzae. ut III. Faſt. 380.

Conſilium multae calliditatis init.

Ubi & codices aliquot, *mirae.* BURMANNUS.

15. *Idem ego.*] Sarravianus, Moreti, Palatinus & Douzae, *Inde ego.*

16. *Siccâve gemma.*] *Siccaque membra* Berſmanni editio.

18. *Tantum.*] Dummodo: ſolum hoc mihi dari velim, ne ſignem, &c. Modus hic eſt loquendi Naſoni praecipuè familiariſſimus: ſic enim & in Remediis ait:

Tantum

Tunc ego te dominae cupiam tetigiſſe papillas,
Et laevam tunicis inſeruiſſe manum.
Elabar digito, quamvis anguſtus & haerens;
Inque ſinum mirâ laxus ab arte cadam.
Idem ego, ut arcanas poſſim ſignare tabellas,
Neve tenax ceram ſiccave gemma trahat,
Humida formoſae tangam prius ora puellae.
Tantum ne ſignem ſcripta dolenda mihi.
Si dabor, ut condar loculis; exire negabo,
Adſtringens digitos orbe minore tuos.
Non ego dedecori tibi ſim, mea vita, futurus,
Quodve tener digitus ferre recuſet, onus.
Me gere, cum calidis perfunderis imbribus artus:
Damnaque ſub gemmâ perfer euntis aquae.

Sed

Tantum judicio ne tuus obſtet amor.
Et lib. III. Amorum:
Tantum ne noſtros avidi lucrentur amores.
MARIUS.

18. *Signem.*] *Signet* Moreti, Douzae & duo alii.
20. *Tuos.*] *Suos* Moreti primus.
21. *Non ego dedecori tibi ſum.*] *Sim* Puteaneus. HEINSIUS.
22. *Quodve tener digitus.*] Forte, *teres*; ut *teretes digiti* I. Art. Am. 622. *teres lectus* II. Art. Am. III. *teretes pilae* ex MS. III. 383. ſed & *tener pes* ex MS. II. Art. Am. 698. ubi vid. notata. BURMANNUS.
23. *Perfundes imbribus artus.*] *Perfundis* idem Puteaneus. Scribe, *perfunderis.* obvio apud Poëtas Latinos Graeciſmo. ſic lib. I. Metam. 484. ex antiquis codicibus:
Pulchra verecundo ſuffunditur ora rubore.
Ubi plura de hoc loquendi modo. HEINSIUS.
24. *Perfer euntis.*] Lege, transpoſitis ſyllabis, *fer pereuntis aquae.* Martial. XII. 5.
Et pereuntis aquae fluctus ubique ſonat. DOUZA.
Locus hic obſcurior, nec ab interpretibus ſatis explicatus, ſed illa verba *ſub gemma* nolim conſtrui cum *aquae euntis*; quaſi aqua ſub gemma iret, & inde damnum inferret illi, ut obſcurior fiat. ſed *ſub gemma*, dicitur eſſe puella, quae gemmam digito gerit. ut *ſub auro*, pro aurato, *ſub armis*, pro armato, de quibus vide Salmaſ. ad Pollionis Tyrann. cap. XXXII. quae locutio non modo ſcriptoribus Theodoſiani aevi, ut Illuſtris Spanhemius Diſſertat. XV. de Praeſt. & Uſu Numis. pag. 318. Edit. ſecundae cenſet, fuit frequentiſſima, ſed & prioris aevi. ſic enim & noſter Ovidius Epiſt. I. 17. Virg. III. Georg. 115. IV. Aeneid. 440. & V. 585. Stat. II. Theb. 552. IV. 116. & alii. ſi jam vulgata lectio ſervetur, *perfer euntis aquae*, debet intelligi lavatio in flumine vivo; illius enim aqua proprie *ire* dicitur. ut I. Metam. III.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.
Et ne in re nota pluribus verbis lectorem detineam, videat is Barth. ad Stat. IV. Theb. 778. & 832. & Broukh. ad Tibul. I. X. 36. ſi vero cum Douza legamus, *fer pereuntis*, capiendum de aqua, quam Ancillae aquariae portabant, & puellae ſumebant poſt coitum, de qua ad lib. III. Eleg. VII. 84. & quod egregie illuſtratur illis ex III. Art. Am. IX. 6.
Quid, niſi quam ſumes, dic mihi, perdis aquam?
Sed ego vulgatam ſervo, quia Ovidius perpetuo adhaerere puellae ſuae vovebat; ideoque recte *perfer*, id eſt numquam depone, ſive laveris in balneo, ſive te flumine viro prolueris, quod & fieri ſolitum poſt concubitum, notiſſimum eſt. moris autem fuiſſe tunc annulos ponere, docent illa Terentii Heaut. IV. I. 42. *Ea dum lavatum it, ſervandum mihi dedit annulum.* & Mart. XI. Ep. 60.
Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos,
Nec dum lavatur. BURMANNUS.
25. *Sed puto te viſa.*] *Te nuda* Puteaneus & duo alii cum Jureti Excerptis. quatuor ſcripti, *quod membra.* tres, *quia.* puto, *mihi membra.* HEINS.
26. *Et peraget.*] *Peragam* idem Puteaneus cum Barberiniano & uno Moreti. duo alii, *perages.* deinde, *anulus ille*, pro *ipſe* meliores. HEINSIUS.
27. *Quid moneo.*] Etſi referri poſſe videatur ad id, quod ſuprà monuit puellam, ne timeat ſe lavare cum annulo, & damna illa aquae perferat: tamen vel magno pignore contenderim, Poëtam ſcriptum reliquiſſe, *Voveo?* ita enim ſenſus eſt apertior, & ſic in horrendae vetuſtatis codice legitur. Expone igitur: *Voveo*, id eſt cupio. nam quae magnopere cupimus, ea à diis immortalibus

ſolemus

Sed puto te nudâ mea membra libidine ſurgent,
Et peragam partes annulus ille viri.
Irrita quid voveo? parvum proficiſcere munus.
Illa datam tecum ſentiat eſſe fidem.

ſolemus votis petere. Hinc quandoque *vovere* ſignificat deſiderare, & votum deſiderium. Marius. Uterque Maffeian. *voveo.* placet. Ciofanus. *Quid voveo* recte. quidam, *moneo*, & quatuor, *moveo.* vid. ſupr. Epiſt. vii. 4.

27. *Parvum.*] Mentelianus, *parcum*, bene. ita *parca crimina* MSS. Art. Am. iii. 32. *parcior libido.* ibid. 281. ex MSS. Epiſt. Cydipp. 80. *lintea parca. parcius pretium* i. Amor. viii. 69. *parcus ſuccus* i. Pont. ult. ita Art. 256. corrigendum puto:

Porrige fortunae munera parca tuae.

Et Faſt. iii. 828.

Munera de veſtris parca referte Deis.

Vid. infr. ad lib. iii. Eleg. vi. 9. Heinsius. Sed *parvum* praefero: *parcum* enim avaritiam indicaret, *parvum* vero bonam voluntatem, etſi deſint divitiae. vide iv. Pont. viii. 35. & Tibul. iii. i. 24. & alibi. Burmannus.

28. *Secum.*] Omnino ex veteris codicis auctoritate legendum eſt, *Tecum:* ut ad annulum, quem alloquitur, referatur. Sic enim ſenſus exigit: praeter quod vetuſtiſſima eſt lectio, ut diximus. Marius.

28. *Sentiat.*] Forte, *cenſeat. Sentiet* Gryph. & Berſman.

ELEGIA XVI.

PArs me Sulmo tenet Peligni tertia ruris;
Parva, ſed irriguis ora ſalubris aquis.
Sol licet admoto tellurem ſidere findat,
Et micet Icarii ſtella proterva canis;
Arva pererrantur Peligna liquentibus undis:
Et viret in tenero fertilis herba ſolo.
Terra ferax Cereris, multoque feracior uvae:
Dat quoque bacciferam Pallada rarus ager:

Perque

1. *Me pars Sulmo tenet Peligni tertia ruris.*] Cur hic Noſter Sulmonem tertiam Peligni ruris partem dixerit, diſſerui in Scholiis in lib. iv. De Ponto; à quo loco, quae hîc dicenda eſſent, repete. Ciofanus.

1. *Ruris.*] Palatinus unus, *juris.* non male. ita paſſim veteres, quod hodie elegantes, ſcilicet, homines *territorium* vocant. Juſt. ix. 5. *Initio veris tres duces in Aſiam Perſarum juris praemittit.* & millies alii. de ordine vero civitatum, quae ejusdem juris erant, vide Harduinum de nummis Popul. in ΜΑΓΝΗΤΩΝ. Burmannus.

2. *Ora ſalubris.*] *Obvia ſemper aquis* Moreti.

4. *Et micet Icarii ſtella proterva canis.*] Hunc locum Commentator de cane minore interpretatur, eumdemque etiam *Sirium* appellari dicit: fortaſſe quia canem majorem de ſolo Cephali cane intelligendum exiſtimat. Sed ita res habet. Confundunt fabulas autores, canemque majorem aliàs Cephali, aliàs Icari dicunt: ſtellamque, quae peculiari nomine *Siria* dicitur, in capite canis majoris conſtituunt. Quare & teſtimonia, quae hic citantur à Commentatore, ipſa quoque pleraque de cane majore accipienda. Vide Hyginum. Micyllus.

5. *Arva pererrantur Peligna liquentibus undis, Et viret, &c.*] Hunc locum in eo commentariolo, quem anno ſuperiore edidi, de Sulmonis antiquitate, declaravi. Ciofanus.

5. *Liquentibus.*] *Rigantibus* conjecerat Heinſius, & illuſtrare ſe hunc locum lib. iii. Adverſariorum 13. notaverat, quae ingenti veterum ſcriptorum damno periere. *Liquantibus* hic habet Francofurtenſis. forte, *liquacibus.* vid. ad Remed. 177. Burmannus.

6. *Herba ſolo.*] Tertius Vaticanus, *herba toro.* venuſte. ſic ſaepe, *gramineus torus.* Heinsius.

7. *Cerere.*] Notandum eſt, extremam ſyllabam hujus ablativi *Cerere*, cum natura ſit brevis, produci finalitatis gratia: cujus rei exempla plurima poſuimus ſuperius. Nam quod in quodam codice legitur, *Cereris*, id mihi minime placet: inepta enim eſſet varietas, ſi in eodem carmine Naſo dictionem *Ferax* junxiſſet genitivo & ablativo. nam melius

Perque resurgentes rivis labentibus herbas
Gramineus madidam cespes obumbrat humum.
At meus ignis abest. verbo peccavimus uno;
Quae movet ardores, est procul; ignis adest.
Non ego, si medius Polluce & Castore ponar,
In coeli sine te parte fuisse velim.

Solli-

melius dixisset, *Multoque feracior uvae.* quod ne diceret, quid obstitit? Non igitur vetustissima lectio est contemnenda, sed *Cerere* legendum. *Uvis.* Bene plurativo numero usus est: quia plura sunt uvarum genera. MARIUS.

7. *Multoque feracior uvae.*] Lege, *multaeque feracior uvae.* Seneca Hercule Furente:

Estne aliqua tellus Cereris & Bacchi ferax?

Cornelius Severus Aetna:

Fertilis haec segetisque feracior, altera vitis.

Guntherus Ligur. lib. II.

Tam Cereris Bacchique ferax, quam mitis olivae.

De Gallia Cisalpina. Florus lib. III. cap. XIX. de Sicilia: *Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana provincia.* sic Avieno, *Insula ferax olivi, & amnis ferax piscium.* ita Fast. v. 35. ex MSS. *Terra ferax partus.* Virgil. Georg. II. *Illa ferax olei est.* ita contra *sterilis* cum secundo casu Persius, *Sterilis veri.* HEINSIUS. Ita apud Quinctil. Decl. XIII. *Agellus, non vitibus consitus, non frumenti ferax.* ex MS. vulgo, *frumentis.* Gryphius edidit, *ferax Cereve*, quod Marius, & deinde Bersman. ex duobus libris probat, *e* produci censens propter incisum.

8. *Rarus ager.*] *Gratus* optime Puteaneus. Martialis notum illud, lib. X. 47.

Non ingratus ager, focus perennis.

Unus Vaticanus, *grajus ager.* duo, *parvus. nixus* est in Scriveriano. sed *rarus ager* spisso densoque, quem dicunt, opponi potest, atque is vini, ut plurimum, feracissimus. sic Maro Georg. II. 227. ubi de terrae cujusque agit natura & ingenio:

Rara sit, an supra morem si densa requiras,
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho.
Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo.

Densam terram minus oleae nutriendae convenientem, testis quoque Columella libro V. cap. VIII. & IX. HEINSIUS. Idem Virg. I. Georg. 409.

Et Jupiter uvidus austris
Densat, erant quae rara modo, & quae densa relaxat.

Contra in Fastis IV. 683.

Frigida Carseoli, nec olivis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.

Ita *mite solum* Horat. I. Od. XVIII. vide hic etiam Marium. totum vero hunc locum videtur expressisse Silius lib. I. 237.

Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho,
Nullaque Palladia sese magis arbore tollit.

BURMANNUS.

9. *Resurgentes.*] Crescentes exponit Marius; quod Crispino displicet, qui calcatas pedibus, & ex soli feracitate resurgentes explicat. sed quis ambulat, quaeso, per herbas, rivis labentibus madidas? melius alii *resurgentes*, quae vi & lapsu aquarum inclinatae erant, ut saepe videmus, capiunt. verum non video, qua ratione tunc dici posset, *resurgentes rivis*, cum contra rivos labentes, qui inclinant herbas, iterum resurgere melius dicerentur. quare *resurgentes* herbas intelligo, ante sectas & demessas, iterum aquae copia foecundante, resurgentes & crescentes; ut ita urbes excisae *resurgere* passim dicuntur. ut I. Fast. 523. Horat. III. Od. III. & quaecumque in veterem statum restituuntur. vid. VII. Metam. 81. apposite Plinius lib. XVI. 32. *Est in exemplis multas arbores cecidisse, ac sua sponte resurrexisse.* & cap. 36. *Arundo omnis ex una stirpe numerosa, atque etiam recisa foecundius resurgit.* Curt. IX. I. *Ut species non esset rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatae.* unde videmus *resurgere* arbores & plantas dici, quae novellis frondibus *repullescunt*, ut Columella loquitur. BURMANNUS.

9. *Rivis labentibus.*] *Currentibus* Politiani alter. quod glossema puto. Horat. Epod. II.

Labuntur altis interim ripis aquae.

Lib. I. Amor. VIII. 50.

Ut celer admissis labitur amnis aquis.

Mox Eleg. XVII. 31.

Sed neque diversi ripa labuntur eadem
Frigidus Eurotas, populiferque Padus.

Remed. 177.

Adspice jucundo labentes murmure rivos.

Similis varietas Remed. 618.

De prope currenti fluxine manat aqua.

Et ibi *labenti* MSS. vid. ad lib. I. VIII. 49. BURM.

12. *Ardor adest.*] Si ita scripsit, duobus verbis peccavit, non uno Poëta. quare cum quatuor scriptis & Douzae codice repone, *ignis adest.* peccavit in verbo *abest*, cum debuisset dicere *adest. quod movet* etiam Vaticanus. ut dictum esset, quemadmodum *quod amas* & similia. vide ad Epist. XVIII. 153. BURMANNUS.

13. *Non ego, si medius Polluce & Castore ponar.*] Pro, medius inter Pollucem & Castorem. Est autem *ἀντίπτωσις* quaedam. Sed grammatici fortassis regula defendent, ea videlicet, qua ablativo casu dicuntur poni, in quibus praepositio desideratur. Sed haec puerilia, ac levia. MICYLLUS.

Solliciti jaceant, terrâque premantur iniquâ,
In longas orbem qui fecuere vias.
Aut juvenum comites juſſiſſent ire puellas,
Si fuit in longas terra fecanda vias.
Tum mihi, ſi premerem ventoſas horridus Alpes,
(Dummodo cum dominâ) molle fuiſſet iter.
Cum dominâ Libycas auſim perrumpere Syrtes,
Et dare non aequis vela ferenda notis.
Non, quae virgineo portenta ſub inguine latrant;
Nec timeam veſtros, curva Malêa, ſinus:
Non quâ, ſubmerſis ratibus ſaturata, Charybdis
Fundit, & effuſas ore reſorbet aquas.

Quod

16. *In longas orbem.*] Aliter cenſebant T. Irdas & Vitalis, quicumque illi ſunt, *qui Deo, qui vias & ſemitas commentus eſt, votum ſolverunt*, apud Spon. Miſcell. Erud. Ant. pag. 114. ex Appendice ad Marm. Ox. n. IV. quarum commentor Mercurius habetur. BURMANNUS.

17. *Aut juvenum.*] Rectius in MSS. exemplaribus legitur, *At juvenum*. MARIUS. *At juvenum* Puteaneus & multi alii. HEINSIUS.

18. *Si fuit.*] Vetus lectio eſt, *ſic fuit*. expone igitur *ſic*, id eſt, hac lege, ut juvenum comites puellae irent. MARIUS. *Sic* Sarravianus.

19. *Si premerem ventoſas horridus Alpes.*] *Turbidus* prima editio. alii, *ventoſi turbine Ponti*, vel *venti*. atqui *horridus* pro frigido ponitur. Martialis lib. III. Epig. 36.

Horridus ut primo ſemper te mane ſalutem.

Apud Perſium Satyra prima:

Scis, comitem horridulum trita donare lacerna.

Sic *horrifer Boreas*. *horrere* quoque pro frigere. de quo dicemus Arte Amatoria lib. II. 213. Vide & Notas Faſt. I. ỹſ. 495. HEINSIUS. Vide ad Petron. cap. LXXXIII.

19. *Ventoſas alpes.*] Fortaſſe Rhipaeos montes dicit, unde flat boreas. nam alpes & Rhipaei montes iidem à quibusdam ponuntur: ſecundum quorum opinionem volunt Virgilium lib. IV. Aeneid. 442. *Alpinum boream appellaſſe*. Aut *Ventoſas* dixit, quia altiſſimi montes ſunt Alpes: & (ut etiam in Artibus dixit Naſo) *perflant altiſſima venti*. *Horridus*: horrens frigore propter aſſiduas nives, quibus teguntur Alpes: unde *alpinas nives* in Bucolicis dixit Maro, quaſi verbi etymologiam innuens. Dictae enim ſunt *Alpes* (ut nonnulli volunt) à nivium candore. nam Graeci ἄλφι candidum dicunt. MARIUS.

20. *Durum cum dominâ.*] Alioqui aſperum & difficile. In vetuſtiſſimis exemplaribus ſic ſcriptum legimus hoc carmen:

Dummodo cum domina molle fuiſſet iter. MARIUS. *Dummodo cum domina* ſcripti. recte. libro I. Eleg. VI.

Dummodo ſic, in me durae tranſite catenae.

Faſt. IV. 12.

Parva bonae Cereri, dummodo caſta, placent.

Lib. V. 242.

Et parere intacto, dummodo caſta, viro.

Epiſt. XVIII. 146.

Dummodo quas findam corpore dentur aquae.

Epiſt. XIX. 189.

Dummodo pervenias.

Metam. X. 478.

Dummodo tale nihil vigilans committere tentem.

Propert. lib. III. Eleg. XVI.

Dummodo purpureo ſpument mihi dolia muſto.

Tibul. lib. I. Eleg. I.

—— —— *Tecum*

Dummodo ſim, quaeſo, ſegnis inersque vocer.

Horat. I. Sat. IX. 43. in *quomodo* ultimam corripuit:

Maecenas quomodo tecum. HEINSIUS.

21. *Praerumpere.*] Rectius in quodam codice legitur, *perrumpere*, id eſt irrumpere. Horat. I. Od. III.

Perrupit Acheronta Herculeus labor. MARIUS.

Idem lib. III. Od. 16.

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa.

Prorumpere Moreti liber & duo alii. quo verbo magis in bello utuntur. ut *prorumpere vallum* Caeſ. III. Bel. Gall. 26. ubi vid. Davies. BURMANNUS.

25. *Saturata Charybdis.*] *Superata* Palatinus unus. *Furata* alter Mentelii. quod poſſet explicari non invenuſte. forte tamen eſt pro, *furiata*. ſed *ſaturata* melius τῷ *fundit* convenit, ut metaphora deſumatur ab illis, qui graves nimio potu & cibo, iterum evomunt. quae manifeſta in variis, quae adducit Heinſius, Poëtarum locis. BURMANNUS.

26. *Ore receptat aquas.*] *Reſorbet* bene Excerpta Douzae & unus Medicêus. *reportet* Barberinianus.

primus

Quod ſi Neptunum ventoſa potentia vincit,
Et ſubventuros auferet unda Deos;
Tu noſtris niveos humeris impone lacertos.
Corpore nos facili dulce feremus onus.
Saepe petens Hero juvenis tranaverat undas.
Tunc quoque tranaſſet; ſed via caeca fuit.
At ſine te, quamvis operoſi vitibus agri
Me teneant, quamvis amnibus arva natent,
Et vocet in rivos parentem ruſticus undam,
Frigidaque arboreas mulceat aura comas;
Non ego Pelignos videor celebrare ſalubres:
Non ego natalem, rura paterna, locum;

Sed

primus Palatinus, *reportat.* quod eſſet, *repotat.* Pont. lib. III. Eleg. x.

Nec potes infeſtis conferre Charybdin Achaeis,
Ter licet epotet, ter vomat illa fretum.

Sed *reſorbet* impenſe placet. Epiſt. Medeae, de Charybdi 125.

Quaeque vomit fluctus totidem, totidemque reſorbet,
Nos quoque Trinacriae ſuppoſuiſſet aquae.

Virgilius III. 421. Aeneid. de Charybdi:

——— *Imo Barathri ter gurgite vaſtos*
Sorbet in abruptum fluctus.

Noſter Metam. VII. 63.

Ratibusque inimica Charybdis
Nunc ſorbere fretum, nunc reddere.

Tibull. Panegyr. Meſſalae:

Nec Scyllae ſaevo conterruit impetus aeſtu,
Cum canibus raptas inter freta ſorberet undas,
Non violenta ſuo conſumpſit in ore Charybdis.

Sic ſcribendum, *ſorberet* pro *ſerperet* doctiſſimi Gujeti eſt. cetera ſunt mea. Silius lib. XIV. 255.

Et qui correptas ſorbentem vorticis hauſtu,
Atque iterum è fundo, jaculantem ad ſidera puppim
Tauromenitana cernunt de ſede Charybdin.

Hinc *torta Charybdis* Statio Propempt. Metii Celeris. Penelope Sabiniana:

Tumidis torta Charybdis aquis.

Apud Statium perperam *torva* nunc circumfertur. Seneca Medea 408.

Quae Scylla, quae Charybdis Auſonium mare
Siculumque ſorbens, ferveat tantis minis.

Dictys Cretenſis. lib. VI. 5. *Ad poſtremum inter Scyllam & Charybdim mare ſaeviſſimum, & illata ſorbere ſolitum, plurimas navium cum ſociis amiſit.* Heinsius.

27. *Quod ſi Neptuni ventoſa potentia.*] Plurimi, eique optimi, cum prima editione, *Neptunum.* quod non de nihilo. ut per *ventoſam potentiam* intelligat Aeolum, ventorum potentem, qui invito ſaepe Neptuno tempeſtates ciet, ut apud Maronem lib. I. Aeneidos. in principio, molitus exitium Aenea, inſcio & indignante Neptuno. ſic Martialis lib. x. 30.

Si quando Nereus ſentit Aeoli regnum.

Et ita *temperare* ventos Aeolus dicitur Epiſt. x. 66. per *Deos* vero *ſubventuros* intelligendi, quorum in tutela navis erat. *ventoſa* autem *potentia* quia *imperabat* ſaepe *triſtia*, ut Epiſt. XVIII. 46. ubi & Boreas *coërcere aquas* dicitur. Burmannus.

27. *Vincat.*] *Vincit*, & mox *auferet* meliores. Heinsius. *Vincet* decem ſcripti & prima editio. *auferet illa* Neapolitan. & Mentelii prior.

31. *Hero.*] *Heron* Puteaneus & omnes fere ſcripti cum prima editione. vid. Epiſt. VII. 133. Burmannus.

33. *Quamvis operoſi vitibus agri Me teneant.*] Oſtendit aetate ſua in agro Sulmonenſi vineas eſſe innumerabiles, ut ad hunc quoque diem videmus. Ciofanus. *Cultibus* editio prima & Palatinus alter. ita Epiſt. x. 59. *Vacat inſula cultu*; & *operoſi* ſunt agri, in quibus multum operis fit, ut colatur. vid. Broukh. ad Tibul. I. x. 8. ſic *operoſa colentibus arva.* I. Art. 399. Burmannus.

34. *Quamvis amnibus arva natent.*] Sic Maffeian. veré. Ciofanus. *Imbribus* editio prima, Gryph. & aliae.

35. *Currentem ruſticus uvam.*] Stultum eſt de muſto intelligere. Idcirco emaculanda eſt depravata lectio, & ex antiquiſſimi codicis auctoritate legendum *Amnem*, aut (quod melius eſt) *Undam.* ut interpretetur Poëta, quod ſupra dixerat, *Amnibus arva natent*: & de agrorum irrigatione intelligamus, de qua ſic loquitur in Georgicis Maro I. 106.

Deinde ſatis fluvium inducit, rivosque ſequentes?
Et cum exuſtus ager morientibus aeſtuat herbis,
Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, ſcatebrisque arentia temperat arva.

Marius. Excerpta Puteani, Scaligeri, & Politiani

Sed Scythiam, Cilicasque feros, viridesque Britannos,
Quaeque Promethêo saxa cruore rubent.
Ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum.
Separor à dominâ cur ego saepe meâ?
At mihi te comitem juraras usque futuram,
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.
Verba puellarum, foliis leviora caducis,
Irrita, quo visum est, ventus & unda ferunt.

Si

tiani venuste mehercules, *parentem undam.* Auctor Moreti:

—— Tectusque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos.

Horatius lib. I. Sat. I.

—— Ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.

Avienus Ora Maritima, *Qua colitur populis, qua tellus paret aratro. freta ventis parentia* habes apud Tibullum I. x. 9. HEINSIUS. Vide Gronov. Diatr. Stat. cap. 40. & Broukhus. ad Tibull. lib. I. Eleg. x. 9.

37. *Videor.*] *Videar* Moreti unus.

39. *Sed Scythiam, Cilicasque feros.*] Credo ego Poëtam ad propiora respexisse: utpote piraticam, quam Cilices passim per totum mare exercuerunt: donec à Pompejo devicti, & in ordinem redacti fuere. Quanquam & aliàs efferi iidem fuere, praesertim qui interiora Ciliciae ad Taurum montem habitarunt. MARIUS.

40. *Cruore madent.*] *Rubent* multi editi & Bersmanni libri, quod ille probat. *sanguine saxa rubent* duo Heinsiani. vid. IV. Metam. 481.

41. *Ulmus amat vites.*] Quaedam exemplaria scriptum habent, *vitem*, quae lectio magis placet; nam singulari numero sequitur, *vitis non deserit ulmum.* MARIUS. *Vitem* meliores. concinnius. deinde Excerpta Jureti, *vitis non desinit ulmum.* de qua locutione agemus lib. III. Artis ỳs. 726. HEINSIUS.

42. *Cur ego saepe mea.*] Alius dixisset, *cur mea ego toties?* vel, *cur tam ego saepe mea.* DOUZA.

43. *Jurabas.*] *Juraras* Puteaneus cum Scaligeri Excerptis. HEINSIUS.

44. *Perque oculos, qui rapuere.*] Supple me, id est, qui me ceperunt. Legitur tamen in exemplaribus manuscriptis non *Tuos*, sed *Meos.* Propertius:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

Naso etiam lib. III. Amorum:

Perque tuos oculos, qui rapuere meos.

Sed quoniam & duriusculum est subintelligere *Me*, & ut vitetur amphibologia, ex vetustissimi etiam manuscripti codicis auctoritate hoc carmen ita legendum omnino censeo:

Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.

Ut *sidera nostra* sit appositio. MARIUS. Iidem libri, *Perque oculos, sidera nostra, tuos.* libentius sequor. CIOFANUS. *Qui rapuere meos* alii. utrumque exemplis possit confirmari. HEINSIUS. *Sidera clara* Moreti.

46. *Irritaque ut visum.*] *Qua visum est* Puteaneus. recte; nisi quod *quo* malim. supr. Eleg. v. *Quo nunc mea gaudia defers?* HEINSIUS. *Quae ut visum* codex Douzae.

46. *Ventus & aura.*] Rectius in exemplaribus legitur, *Et unda.* Hic enim Naso Catullianam illam sententiam exprimit Epigr. 70.

—— Sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento & rapida scribere oportet aqua. MARIUS.

Junii & tredecim alii, *& aura.* & ita ediderunt Gryph. & Bersm. I. Amor. VIII. 106.

Nec tulerint voces ventus & aura meas.

Ibide 106.

Deneget adflatus ventus & aura suos.

Et sic alibi. BURMANNUS.

47. *Cura relicta.*] *Relicti* meliores. HEINSIUS.

49. *Esseda.*] Genus vehiculi Britannici, ut patet ex Propert. lib. II. I. 86. scribente:

Esseda caelatis siste Britanna jugis.

A quovis etiam, sive viro, sive adeo femina, quemadmodum hinc conflat, agi vehique solitum, absque opera mulionis, aut aurigae. quod novum alicui videri possit, nisi Propertius idem de Cynthia sua retulisset lib. IV. VIII. 15. huic non multum absimile fuisse covinum, vehiculi & ipsum Britannici genus, Martialis XII. 24. nobis testimonio esse potest, cum scribit:

Nusquam est mulio, mannuli tacebunt. DOUZA.

Hinc patet perperam Francium correxisse, *laxa per admissas.* credebat scilicet *ipsa* ad τὸ *lora* referri debere. *admissae jubae* vero aeque recte dicuntur, pro *effusis*, ut lib. III. Eleg. IV. 16. atque *admissae aquae, admissi equi* & similia. sic lib. VI. Metam. 237. *Per colla admissa jubasque.* sed *immensas vias* erat in Scriveriano. *admissas vias* in Sarraviano. *admissas manus* in Barberino. forte latet aliud quid. BURMANNUS.

51. *At vos, qua veniet, tumidi subsidite montes,*
Et faciles curvis vallibus este viae.] Prosopopoeia. describit autem optimè Pelignorum situm, ad quos

ex

Si qua mei tamen eſt in te pia cura relicti;
Incipe pollicitis addere facta tuis:
Parvaque quamprimum rapientibus eſſeda mannis,
Ipſa per admiſſas concute lora jubas.
At vos, quà veniet, tumidi ſubſidite montes:
Et faciles curvis vallibus eſte viae.

ex Urbe diſcedentibus, niſi montibus, ac vallibus peragratis, accedere non licet. CIOFANUS.

51. *Qua veniet.*] Legitur etiam in exemplaribus *cum*, utrumque recte. *Qua* adverbium eſt ſignificans per locum, *cum* adverbium temporis eſt. utraque lectio congruit ſenſui. MARIUS. *Qua veniet* meliores. II. Art. 344.

Quaque venit multas accipit amnis aquas. HEINSIUS.

51. *Montes.*] *Subſidite colles* Vaticanus unus.

ELEGIA XVII.

SI quis erit, qui turpe putet ſervire puellae;
Illo convincar judice turpis ego.
Sim licet infamis; dum me moderatius urat,
Quae Paphon, & fluctu pulſa Cythera tenet.
Atque utinam dominae miti quoque praeda fuiſſem;
Formoſae quoniam praeda futurus eram.
Dat facies animos. facie violenta Corinna eſt;
(Me miſerum! cur eſt tam bene nota ſibi?)
Scilicet a ſpeculi ſumuntur imagine faſtus;
Nec niſi compoſitam ſe prius illa videt.

Non

3. *Sim licet infamis.*] Hoc verbum *infamis* cum altero *turpis*, quod eſt in ſuperiori carmine, idem ſunt. CIOFANUS.

3. *Dum me moderatius urat.*] Sic cum melioribus ſcribendum. Perperam *moderantius* vulgati. Adi Notas Metam. lib. I. v. 510. HEINSIUS.

4. *Quae Paphon.*] Periphraſis Veneris. CIOFAN.

4. *Pulſa Cythera.*] *Cincta* unus Heinſii. *Fluctu culta* ſeptem alii. *Fluctus culta* Francof. Moreti & quatuor alii. *E fluctu nata* Vaticanus & prima editio. *Et fluctus aequore nata* Moreti tertius. latet aliquid. *Cythera* autem plurali numero dixiſſe docet Servius ad lib. I. Aeneid. 680. & X. 51. BURM.

5. *Atque utinam dominae mitis.*] *Miti* elegantius unus Moreti & Sarravianus cum tribus aliis. ut II. Triſt. 106.

Praeda fuit canibus num minus ille ſuis? HEINSIUS.

7. *Facie violenta Corinna eſt.*] *Facies violenta Corinnae eſt.* optimus Palatinus, Puteaneus & tres alii: unus Med. *τὸ eſt* non habet. Scribe:

—— *Facies violenta Corinnae*
(*Me miſerum!*) *cur eſt tam bene nota ſibi?*

HEINSIUS. Sed ſi ita legas, *ſibi* pro *illi* eſt capiendum, quod fieri ſolere non nego; ſed huic loco vix congruit. reſpexit forte Heinſius ad illa Epiſt. XVII. 37.

Aut mea ſit facies non bene nota mihi.

Sed ibi res eſt perſpicua, hic vero dubito etiam an *facies violenta* recte dicatur. quare ego veterem omnium editorum lectionem reduxi, & Pentametrum per Parentheſin interjectum diſtinguendum puto. *violenta eſt facie*, id eſt propter formam eſt arrogans, impotens. ita II. Art. 309. *Torvâ violentior Meduſâ.* & ſic *violenta Tragoedia* lib. III. Eleg. I. quam poſtea *animoſam* vocat, ut hic conjungit, *dat facies animos*, & *facie violenta eſt.* ita *animoſum* Achillem vocat Epiſt. VIII. 3. & Epiſt. XX. 93. *Nihil eſt violentius illa.* quam poſtea vers. 115. *animoſam* vocat. vid. & ad lib. I. Amor. XV. 19. BURMANNUS.

10. *Prius compoſitam.*] Prius ornatam. Sic omnino ex manuſcriptis codicibus legendum eſt hoc carmen:

Nec niſi compoſitam ſe prius illa videt. MARIUS.

Non tibi si facies nimium dat in omnia regni;
(O facies oculos nata tenere meos!)
Collatum idcirco tibi me contemnere debes.
Aptari magnis inferiora licet.
Creditur & Nymphe, mortalis amore, Calypso,
Capta, reluctantem detinuisse virum.
Creditur aequoream Phthio Nereïda Regi,
Egeriam justo concubuisse Numae;
Volcano Venerem: quamvis, incude relictâ,
Turpiter obliquo claudicet ille pede.
Carminis hoc ipsum genus impar: sed tamen apte
Jungitur herôus cum breviore modo.
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges.
Te deceat medio jura dedisse toro.
Non tibi crimen ero, nec quo laetere remoto.
Non erit hic nobis inficiandus amor.
Sint tibi pro magno felicia carmina censu:
Et multae per me nomen habere volunt.

Novi

11. *Nimium dat in omnia regnum.*] *Regni* venuste Puteaneus cum uno Vaticano & Barberiniano. Silius lib. XIV. 671.

Ingemuit nimium juris, tantumque licere
Horruit.

Ita illic scribendum, pessime vulgo, *nimiumque viris.* Heinsius.

12. *Docta tenere.*] Legitur, & fortasse rectius, *nata.* Marius. Exemplaria antiqua, *nata tenere. tenere* autem Graeco more positum est. Ciofanus.

15. *Creditur.*] *Traditur* Puteaneus & duo alii. pro *recusantem*, octo libri, *reluctantem.* Heinsius. *Relictantem* etiam Francofurt.

17. *Credimus.*] *Creditur* idem Puteaneus cum Neapolitano & uno Moreti ac Sarraviano. Heinsius.

18. *Nostro.*] Scilicet regi. Loquitur enim Naso ut Romanus. Sed veterem lectionem magis approbo, ut legatur *Justo.* nam justissimum fuisse Numam constat: ut non immeritò ei Poëta justi epitheton dederit. Dixit enim Livius libro primo ab urbe condita: *Inclyta justitia religioque ea tempestate Numae Pompilii erat, Curibus Sabinis habitabat consultissimus vir, ut in illa quisque aetate esse poterat, omnis divini atque humani juris.* Hinc (ut Plutarchus ait) honestius consortium degustavit, divinumque conjugium meruit. Marius. *Egeriam justo* in iisdem exemplaribus: sequor. Ciofanus. *Justo* meliores, quod convenientius Numae epitheton. Heinsius.

19. *Vulcano.*] Vulcanus fuit filius Jovis & Junonis: Hesiodus in Theogonia. Ciofanus. *Volcani Venus est* Puteaneus. & mox, *claudicat* quatuor libri.

21. *Sed tamen.*] Francius malebat, *Et tamen.* vide supr. ad Eleg. XIII. 5.

22. *Jungitur Herous.*] *Heroum* Sarravianus, ut sit Graecismus. *In versus* Puteaneus. Heinsius. *Cum breviore pede* Scriverianus. *Cum breviore, modus*, malebat Francius.

23. *Accipe leges.*] *Accipe partes* Junii codex.

24. *Te decet in medio.*] *Te deceat medio* Puteaneus cum tribus aliis. idem *foro* pro *toro.* sed perperam. Heinsius. *Te decet è medio* Farnesianus & Francof. ut sit torus ipsi quasi thronus, aut tribunal, è quo jus dicat. *signa dedisse* duo libri. *jussa* plurimi alii.

25. *Nec quo laedère remoto.*] Huic sensui cohaerere videtur illud superius, *In quaslibet accipe leges.* Nam puellae quandoque veteres amatores excludunt ad tempus, ut potiorem admittant, id est largiorem. quod priores amantes non facile aequo animo ferunt, & saepe numero insolenter obstant: unde puellis & damnum & dedecus paritur. Se talem fore negat Naso, qui alibi etiam ait:

Saepe fruar domina, saepe repulsus eâ.

In quodam tamen manuscripto codice legitur, *Nec quo laetere remoto.* quae lectio valde mihi placet: sensus enim etsi diversus à superiore, apertior tamen est. Marius. In uno Maffeian. *laetere.* superior lectio est probabilior. subdit enim, *Non erit hic noster inficiandus amor.* In altero Maffeian. *latere.* fortassis, *latitare* in eo erat scribendum. Ciofanus.

26. *Hic*

Novi aliquam, quae se circumferat esse Corinnam.
Ut fiat, quid non illa dedisse velit?
Sed neque diversi ripâ labuntur eâdem
Frigidus Eurotas, populiferque Padus:
Nec nisi tu, nostris cantabitur ulla libellis.
Ingenio caussas tu dabis una meo.

26. *Hic nobis.*] Alias legitur, *vobis*, id est tibi & aliis puellis. MARIUS. *Nobis* Puteaneus & multi alii. HEINSIUS. Et ita Micyllus, & priores ediderunt.

27. *Sunt mihi.*] Tres scripri, *sint tibi*, quod amplector. duo alii, *sunt tibi*, unus, *sint mihi*. HEINS. Non cepisse sensum emendationis Heinsianae videtur Crispinus, qui est, valeant apud te carmina felicia loco magni census, haec tu pluris facias, quam munera & divitias, quibus alii amatores puellas suas faciunt.

31. *Labuntur.*] Francius legebat, *labuntur*.

32. *Eurotas.*] *Eufrates* Francof. duo Moreti & octo alii.

ELEGIA XVIII.

CArmen ad iratum dum tu perducis Achillen,
Primaque juratis induis arma viris;
Nos, Macer, ignavae Veneris cessamus in umbrâ:
Et tener ausuros grandia frangit Amor.
Saepe meae, Tandem, dixi, discede, puellae:
In gremio sedit protinus illa meo.
Saepe, Pudet, dixi. lacrimis vix illa retentis,
Me miseram! jam te, dixit, amare pudet?
Implicuitque suos circum mea colla lacertos:
Et, quae me perdunt, oscula mille dedit.

Vin-

1. *Carmen.*] Videtur imitatus Propertium lib. I. 7. ad Ponticum:

Cum tibi Cadmeae dicantur Pontice Thebae, &c.

Quae sequuntur. BERSMAN.

1. *Achillem.*] *Achillen* Puteaneus. atque ita veteres enunciasse testatur in arte grammatica Probus. pari modo apud Senecam in optimo codice Troadibus exaratum offendi. v. 177. & in vetusto optimoque codice Tragoediarum Senecae, *Araxen*. HEINSIUS.

2. *Primaque juratis.*] Hinc est, quod eumdem lib. IV. de Ponto Eleg. 16. *Iliaci* cognomento insignem faciat; qui tamen diversus fuisse videtur ab eo, quem inter veteranos & quasi emeritos idem collocaverat lib. IV. Trist. X. 43.

Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo. &c.

Et mirum ni idem hic fuerit, de quo apud Tibullum mentio & querela lib. II. 6. *Castra Macer sequitur.* ad hunc Macrum est Epistola lib. II. de Pont. 10. DOUZA. Vide Broukhus. ad d. loc. Tibulli.

3. *Ignavae Veneris.*] In quibusdam, *ignava*. NAUGERIUS. Quidam codices *ignava* habent. mihi tamen mollius carmen currere videtur, si *ignavae* legatur, quae lectio etiam est vetustissima. MARIUS. *Ignavae*, quibus utor libri veteres. male quidam legit, *Nos Venus ignava*. CIOFANUS. Ego retinui *ignavae*, quod est in melioribus, duo enim tantum, *ignava*. ita XI. Metam. 593.

Ignavi domus & penetralia somni.

Neque tamen displicet, quod in uno Moreti erat:

Ignavi Veneris cessamus in umbra. BURMANNUS.

5. *Dixi tandem.*] *Tandem, dixi* meliores. HEINS.

8. *Me miseram, cur te, dixit, amare pudet.*] Gruterus è Palatino adscripserat, *Me miseram, jam te, dixit, amare pudet?* Etiam qui Scaligeri librum cum MSS. contulerat. Suavius & elegantius. DAN. HEINS. *Jam te dixit* meliores. sic Trist. IV. Eleg. VIII. 52.

Me miserum! si te jam pudet esse meam. HEINS. Mallem tamen cum Juniano, Scriverianо & duobus aliis, *Te jam*, ut vitetur concursus syllabarum earumdem in *miseram jam*.

11. *Vin-*

Vincor; & ingenium sumtis revocatur ab armis:
Resque domi gestas, & mea bella, cano.
Sceptra tamen sumsi; curàque Tragoedia nostrâ
Crevit: & huic operi quamlibet aptus eram.
Risit Amor, pallamque meam, pictosque cothurnos,
Sceptraque privata tam bene sumta manu.
Hinc quoque me dominae numen deduxit iniquae:
Deque cothurnato vate triumphat amor.
Quod licet, aut Artes teneri profitemur Amoris:
(Hei mihi! praeceptis urgeor ipse meis.)
Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
Scribimus: aut lacrimas, Phylli relicta, tuas.

Quod

11. *Vincor.*] Unus Moreti, *frangor.* ut Epist. Penelopes 85.

Ille tamen precibusque meis lacrimisque pudicis
Frangitur.

Propert. II. Eleg. 19.

Frangitur in tacito femina saepe viro.

Et Eleg. 20.

Frangitur & Juno, si qua puella perit.

Et sic saepe alibi. Heinsius. Sed praecessit modo, *frangit amor.* quare retineo vulgatam Terent. Eunuch. I. 1. *Eludet, ubi te victum senserit.* & Scen. 2. *Labascit, victus uno verbo quam cito.* & centies Nostet & alii. praeterea hoc melius convenit τῷ *triumphat amor*, quod mox sequitur. *Uror* erat in primo Moreti. in duobus aliis, *positis revocatur ab armis.* quae eadem varietas est Epist. v. 35. Burmannus.

12. *Et mea bel'a.*] *Mea facta* Francof.

13. *Curaque Tragoedia nostra.*] In nonnullis, *Versuque Tragoedia nostro.* Naugerius. *Cura nostra*, nostra diligentia. Sed mihi probabilior videtur antiquissimi codicis vetus lectio, quae est: *Versuque Tragoedia nostro Crevit.* Expone igitur: *Nostro versu*, id est, carmine Elegiaco, in quo se principatum tenere ipse non dubitavit dicere, cujus ex Remediis verba haec sunt:

Tantum se nobis Elegi debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet opus.

Quod autem Ovidii Medea Elegis carminibus scripta fuerit, praeter carmina, quae Seneca citat, ostendit ipse Eleg. I. libr. 3. Amorum, inducens Elegiae personam ad Tragoediam sic loquentem:

Imparibus tamen es numeris dignata moveri,
In me pugnasti versibus usa meis. Marius.

Haec lectio vulgaris est: altera autem sic habet, *Versuque Tragoedia nostro Crevit.* cujus sententia eodem redit. Sed hic notandum, id quod Commentator scribit, qui contendit, Tragoediam Medeae versibus Elegiacis scriptam fuisse: quod alibi neque scriptum, neque pictum legimus. Illud facile concedo, sparsim admistos fuisse pentametros: quemadmodum apud Euripidem, & ceteros videmus, varia metrorum genera passim admisceri. Sed ut tota Elegis constiterit, adduci non possum ut credam: est enim hoc genus tenerius ac mollius, quàm ut tragicae gravitati conveniat. Deinde & nomen ipsum repugnat. Elegiae enim magis quàm Tragoediae nomine appellandum tale scriptum fuisset. Micyllus. In uno Maffeian. *versuque Tragoedia nostro Crevit.* Verius, ut mihi quidem videtur. Intelligit autem Medeam Tragoediam. Ciofanus. In septem etiam libris invenit Heinsius, *versuque Tragoedia nostro.* in Neapolitano erat, *versuque Tragoedia primo*, an, ut saepe, *versuque Tragoedia privo*, id est sibi proprio. vide supr. I. VIII. 18. praeterea de Tragoedia Ovidii, an Elegiacis versibus fuerit conscripta, vide Micyllum iterum ad III. Amor. I. 37. Burmannus.

16. *Tam cito.*] *Tam bene* Francofurt. Sarravii, Scriverii & sex alii. non male: Medeam enim Ovidii omnes admirati fuere veteres, quibus eam legendi felicitas contigit. ita ut Ovidius potuisset dicere, quod bene ait Epist. v. 86.

Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.
Burmannus.

17. *Numen.*] Francius volebat, *lumen.* perperam. opponit enim amicam Tragoediae, quae ut Dea a Poëta inducetur. vide lib. III. Eleg. I.

19. *Quod licet, aut artes.*] *Partes* in omnibus. Nos *artes* legendum putavimus. Naugerius. *Et partes.* Ita quidem in omnibus exemplaribus, tam impressis quam manuscriptis, quae plurima vidi, legitur: sed mihi valde placeret, si legeretur, *Aut artes.* Item inferius: *Aut quod Penelopes, &c.* Cum tamen nulla adsit exemplaris auctoritas, non ausim quicquam immutare: ut est quorundam audacia, qui plerosque Latinos libros depravaverunt. *Profitemur*, proprie dixit. nam artium professores dicuntur, qui in eis eruditi sunt, aut eas publice docent;

Quod Paris, & Macareus, & quod male gratus Iäſon,
Hippolytique parens, Hippolytusque legant:
Quodque tenens ſtrictum Dido miſerabilis enſem
Dicat, & Aeoliae Lesbis amica lyrae.
Quam celer è toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diverſis retulit ille locis!
Candida Penelope ſignum cognovit Ulixis:
Legit ab Hippolyto ſcripta noverca ſuo.
Jam pius Aeneas miſerae reſcripſit Eliſſae:
Quodque legat Phyllis, ſi modo vivit, habet.
Triſtis ad Hypſipylen ab Iäſone litera venit:
Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Nec

docent: quemadmodum Naſo amandi artem. unde ipſe in II. de Arte ait:

Nos etiam veros parce profitemur amores.

Idcirco legendum exiſtimarem, *Artes*, non *Partes*. Intelligimus autem, tunc, quando haec componebat Ovidius, Amandi artem inchoatam, non abſolutam fuiſſe. nam de his tribus Elegiarum libellis tanquam editis meminit libro tertio de Arte, ſic inquiens:

Deve tribus libris, titulus quos ſignat Amorum,
Elige quod docili molliter ore legas. MARIUS.

Quod licet en partes Moreti primus pro varia lectione. *ad partes proficiſcor amoris* Puteaneus alter, Francof. & duo Moreti. *ad partes* etiam novem alii.

20. *Urgeor ipſe.*] In quibusdam melius legitur, *Torqueor*, id eſt excrucior: quia excluſus fuerat ab amica. ut Elegia ſequenti:

Hei mihi, ne monitis torquear ipſe meis. MARIUS. *Urgeor* in utroque Maffeian. CIOFANUS. *Urgeor* meliores. ſequenti Elegia habes:

Hei mihi, ne monitis torquear ipſe meis. HEINS. *Terreor* editio Micylli.

21. *Penelopes.*] *Penelopae* Puteaneus alter & Francofurt. *Penelope verboſo reddit* plurimi. *reddat* Francofurtenſis.

21. *Reddatur.*] Proprie dixit. nam *reddit* literas, qui eas perfert: *dat*, qui ferendas tabellariis tradit. Cicero ſaepiſſime: *Redditae*, inquit, *ſunt mihi literae tuae.* Et ipſa Penelope in Epiſt.

Quamque tibi reddat, ſi te modo viderit uſquam,
Traditur huic digitis charta notata meis. MARIUS.

23. *Iäſon.*] *Iäſo* Puteaneus. vid. ſupr. ad Eleg. XIV. 133.

24. *Legant.*] *Legat* duo ſcripti.

26. *Dictat.*] Ita olim editi. ſed Junii, Palatin. Francof. & ſeptem alii, *dicat.* unus vero, *mittat.*

26. *Aoniae Lesbis amica lyrae.*] Alii, *Aonio Lesbis amata viro.* Puteaneus, *Aeoliae Lesbis amata lyrae* & à manu ſecundâ, *amica.* recte. ſic Sappho ipſa apud Noſtrum, *Lesbides Aeoliâ nomina dicta lyrâ.* Inde & *Aeolia puella* Horatio IV. Od. 9. dicta. & apud eundem II. Od. 13. habes, *Aeoliis fidibus querentem Sappho.* In Anthologia, verſibus incerti Poëtae, Σαπφοὺς τ' Αἰολίδες χάριτες. & in Epigrammate Antipatri inedito:

Σαπφὼ τοὶ κευθεὶς, χθὼν Αἰολὶ, τὴν μετὰ μοῦσαν
Ἀθανάταν θνατὴν μοῦσαν ἀειδομένην.

Sic Pindarus Od. I. Olym. de ſe Αἰολήϊδι μολπῷ dixit. hinc *Aeolium carmen* Horat. III. Od. ult. & IV. III. ubi vid. Schol. pro Lyrico. & apud Propert. lib. II. Eleg. III.

Et quantum Aeolio tentat cum carmina plectro,
Par Aganippaeae ludere docta lyrae.

Ubi *Mytilenaeae lyrae* aliquando reponebam. Claudianus Epith. Honor. 235.

Quod Mytilenaeo modulatur pectine Sappho. HEINSIUS.

27. *Quam cito de toto rediit meus orbe.*] Legitur &, *celer.* MARIUS. *Celer* iidem libri. ſequor. CIOFANUS. *Meus Sabinus* repone cum vetuſtioribus. Recte praeterea Mentelianus:

Quam celer è toto rediit meus orbe Sabinus! HEINSIUS.

28. *Retulit ille.*] Francius volebat, *illa.*

29. *Candida Penelope.*] Candorem Penelopae, quae vafra, & luſiſſe procos paſſim legitur, vix agnoſco. & ideo Francius correxiſſe videtur, *Callida.* nam hae voces commutantur. vid. I. Am. X. 4. & III. Art. 607. & alibi. ſic ipſe Ulixes apud Sabinum Epiſt. I. 53.

Pacta quoque es thalamo, niſi mendax tela moretur,
Et coeptum revoces callida ſemper opus.

Et Noſter III. Am. 30.

Tardaque nocturno tela retexta dolo.

Vid. ad Sabini Epiſt. II. 82. in Catalectis tamen Pithoei pag. 35.

In terris vivet candida Penelope.

Niſi & ibi *callida* legendum. BURMANNUS.

31. *Jam pius Aeneas.*] *Impius* multi. unus Moreti, *Et pius*, lege, *En pius.* HEINSIUS.

Nec tibi (quâ tutum vati, Macer, arma canenti)
Aureus in medio Marte tacetur Amor.
Et Paris eſt illic, & adultera nobile crimen;
Et comes extincto Laodamia viro.
Si bene te novi; non bella libentius iſtis
Dicis: & à veſtris in mea caſtra redis.

32. *Si modo vivit.*] *Vivat* Junii & decem alii. nil muto. Epiſt. x. 75. *Si modo vivis, femina.*

34. *Lesbis amica.*] *Amata* meliores. HEINSIUS.

38. *Et comes extincto Laodameia viro.*] Hinc licet colligere, non tantum ea perſecutum Macrum, quae poſt occiſum Hectorem conſecuta ſunt: ſed & illa, quae ab initio belli geſta ſunt. Nam de Proteſilao & Laodamia quae dicuntur, longè ante iram Achillis acciderunt. Etiam illud ſciendum, non peculiari opere amorem ſive Laodamiae, ſive Paridis & Helenae tractaſſe Macrum: ſed inter cetera ſcripta obiter, aut per digreſſionem. Eoque pertinet, quod hic Poëta dicit:

Nec tibi, qua tutum, vati Macer, &c.

Tutum enim hic intelligit, id quod eſt commodum & licitum per leges heroici carminis, &c. MICYLLUS.

40. *In mea caſtra redis.*] Per hoc oſtendit, Macrum aliàs de amore ſcripſiſſe. Quaedam tamen exemplaria habent, *Venis*: quae lectio mihi non diſplicet. MARIUS. *Redis* eſt eorumdem librorum lectio, quae ſine ulla dubitatione vera eſt. CIOFAN. *Redis* prima editio, Sarravianus, & multi alii, recte. nam Macrum amatoria ſcripſiſſe jam ante, ex iſtis Tibullianis patet II. 64.

Caſtra Macer ſequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.

Redire in caſtra, ut Hero ſuprà:

In tua caſtra redi ſocii deſertor Amoris.

Atque ita ex ſuis libris Ciofanus. HEINSIUS.

ELEGIA XIX.

SI tibi non opus eſt ſervatâ, ſtulte, puellâ;
At mihi fac ſerves: quo magis ipſe velim.
Quod licet, ingratum eſt: quod non licet, acrius urit.
Ferreus eſt, ſi quis, quod ſinit alter, amat.
Speremus pariter, pariter metuamus amantes,
Et faciat voto rara repulſa locum.
Quo mihi fortunam, quae numquam fallere curet?
Nil ego, quod nullo tempore laedat, amo.
Viderat hoc in me vitium verſuta Corinna;
Quâque capi poſſem, callida norat opem.

Ah

1. *Servata puella.*] *Servatae puellae* Palatinus tertius.

4. *Amat.*] *Amet* Mentelii prior, Palat. tertius & Francofurt. *quod ſinat* etiam Scriverian. *ſinet* Palat. tertius.

5. *Speremus pariter.*] Vide quae dixi in Epiſtola Dianirae ad Herculem IX. vers. 42.

Speque timor dubia, ſpesque timore cadit. CIOFANUS.

6. *Rara repulſa.*] Sarravianus pro diverſa lectione, Barberinianus & Arondelianus codices, *grata repulſa.* Poteſt &, *cara repulſa* legi. quia *ingratum* paulo ante praeceſſerat. Sed nil mutandum. Art. Amat. III. 580.

Miſcenda eſt laetis rara repulſa jocis. HEINSIUS.

7. *Quid mihi fortuna, quae numquam fallere poſſit?*] Libri Vaticani, & Maffeiani, *Quid mihi fortuna eſt, quae &c.* CIOFANUS. Quidam codices, *Quid cum fortuna.* alii, *Quid fortuna mihi*, vel, *Quid mihi fortuna eſt.* Puteaneus cum Excerptis Scaligeri, *Quo mihi fortunam.* eleganter & vere. de quo loquendi modo copioſe egimus ad Epiſtolam II. ℣ſ. 53. Deinde *fallere curet* idem Puteaneus & unus Vatican. bene. ſeptem alii, *curat.* HEINS. De verbo *curare*, vide Broukh. ad Tibul. I. I. 57.

9. *Vitium.*] *Nimium verſuta* Moreti primus.

10. *Quaque capi poſſem.*] Unus Moreti & Douzac

Ah quoties ſani capitis mentita dolores,
Cunctantem tardo juſſit abire pede!
Ah quoties finxit culpam, quantumque libebat,
Inſontis ſpeciem praebuit eſſe, nocens!
Sic ubi vexarat, tepidosque refoverat ignes;
Rurſus erat votis comis & apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat!
Oſcula (Dî magni) qualia, quotque dabat!
Tu quoque, quae noſtros rapuiſti nuper ocellos,
Saepe time inſidias, ſaepe rogata nega:
Et ſine me, ante tuos projectum in limine poſtes,
Longa pruinoſâ frigora nocte pati.
Sic mihi durat amor, longosque adoleſcit in uſus:
Hoc juvat: haec animi ſunt alimenta mei.
Pinguis amor, nimiumque patens, in taedia nobis
Vertitur; & ſtomacho, dulcis ut eſca, nocet.

Si

zae codex, *trahi*, quod a librario profectum eſſe vix credo. I. Art. 631.

Nec timide promitte; trahunt promiſſa puellas. III. Art. 422.

Quem trahat, è multis forſitan unus erit. Et hoc addita vox *callida* requirere videtur. Lucan. IV. 122. *Trahimur ſub nomine pacis.* Valer. Flacc. I. 200.

Ne Peliae te vota trahant. Qui cum *ludere* conjungit lib. VI. 13.

Quos malus hoſpitio, junctaque ad foedera dextrâ
Luſerat Aeëtes, atque in ſua traxerat arma. Vid. Paſſerat. ad Propert. I. Eleg. 2. pag. 148. BURMANNUS.

10. *Norat opem.*] *Norat ope* Moreti tert. Jun. & ſex alii. ſic variant ſaepe in his locutionibus codices. vid. ad I. Art. 50.

11. *Dolorem.*] *Dolores* cum vetuſtioribus. HEINS. Vid. I. Amor. VIII. 73.

13. *Quantumque licebat.*] Imo, *libebat*, ut recte unus Moreti. dixi Epiſt. XV. ỹf. 134. HEINSIUS.

14. *Inſontis ſpeciem praebuit ipſa nocens.*] Puteaneus:

Inſonti ſpeciem praebuit eſſe nocens.

Eſſe etiam optimus Palatinus & Neapolitanus & Arondelianus cum Scaligeri Excerptis. quidam codices, *illa.* Latet aliquid. Forte:

Inſontis ſpeciem praetulit ore nocens. IDEM.

15. *Sic ubi vexarat.*] Forte, *verſarat.* vid. ſupr. Eleg. II. 29. pro *refoverat* varie admodum codices diverſa verba exhibent, *reſolverat* Palat. & Francofurt. *removerat* Sarravii & undecim alii, *revoverat* Politiani. *ignoverat*, & emendatum *renoverat* Moreti unus.

17. *Quam mihi.*] Omnino ex vetuſti codicis auctoritate legendum eſt, *Quas mihi blanditias:* id eſt, quales. ut apud Maronem in Bucol.

O quoties, & quae nobis Galatea locuta eſt? MARIUS.

17. *Quam dulcia.*] Francius malebat, *quae dulcia.* ut erat in Moreti primo.

20. *Saepe face inſidias.*] *Time* Puteaneus, & plures ex praeſtantioribus alii. recte. time me tibi inſidiari, nec ſerio amare. poſſet & *cave* pro *face* legi. HEINSIUS. Ego vero explicarem illud *time*, ſcilicet mariti, vel cuſtodis tui inſidias, ne te deprehendant: finge te id metuere. vide infr. III. Eleg. IV. 30. & III. Art. Am. 604. & ſeq. BURMANNUS.

22. *Frigora.*] *Tempora* Francofurt. & Moreti primus.

23. *Sic mihi durat.*] Malo, *duret* & *adoleſcat. juvet* etiam & *ſint* ſequenti verſu. certe *ſint* extat in Neapolitano codice. deinde, *longos in uſus*, non *annos* optimus Palatinus & duo alii. Art. Am. lib. III. 791.

Si qua fides arti, quam longo fecimus uſu. Am. I. Eleg. VIII.

Haec ſi praeſtiteris uſu mihi cognita longo. II. Art. Am. 339.

Vires ſibi colligat uſu. V. Triſt. II. 5.

Atque ipſo vexatum induruit uſu. Et ſic ſaepe Noſter, de quo Pont. III. Eleg. VI. ỹf. 53. HEINSIUS.

24. *Animi.*] *Animo meo* Palatinus alter, & ita Francius correxerat.

25. *Nimiumque potens.*] *Latens* Puteaneus. & emendatum manu ſecunda, *patens.* quomodo & optimus Palatinus & quinque alii. ut *patens amor*

Si numquam Danaën habuiſſet aënea turris;
Non eſſet Danäe de Jove facta parens.
Dum ſervat Juno ſinuatam cornibus Iö;
Facta eſt, quam fuerat, gratior illa Jovi.
Quod licet & facile eſt, quisquis cupit arbore frondes
Carpat, & è magno flumine ſumat aquam.
Si qua volet regnare diu; deludat amantem.
Hei mihi, quod monitis torqueor ipſe meis!
Cuilibet eveniat, nocet indulgentia nobis.
Quod ſequitur, fugio: quod fugit, usque ſequor.
At tu, formoſae nimium ſecure puellae,
Incipe jam primâ claudere nocte domum.
Incipe, quis toties furtim tua limina pulſet,
Quaerere: quid latrent nocte ſilente canes.

Quo

ſit expoſitus, ad quem aditus non intercluditur. Metam. XIV. 133.

Si mea virginitas Phoebo patuiſſet amanti.

Et lib. X. 488.

Numen confeſſis aliquod patet.

Sic *patens campus.* & ſimilia. tamen & in Arondeliano, *latens. juvenes tibi mille patebunt*, ex ſcriptis. Art. I. ŷſ. 64. Priapeis:

Licet querare, nec tibi tener puer
Patebit ullus.

Solinus cap. XXXI. *Feminas ſuas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt patere.* HEINSIUS. Ita & de amore Propert. I. IX. 29.

Qui non ante patet, donec manus attigit.

26. *Dulcis ut eſca.*] Horat. II. Sat. II. 75.

Dulcia ſe in bilem vertunt, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

27. *Ahenea turris.*] *Ferrea* Palatinus. ut infr. lib III. Eleg. IV. 21. *Thalamum ſaxo ferroque perennem.* ſed nihil muta. Horat. III. Od.

Incluſam Danaën turris aënea,
Robuſtaeque fores munierant ſatis.

Vid. hic Marium. *Clauſiſſet* etiam, ut Francius conjecerat, erat in primo Moreti pro diverſa lectione. BURMANNUS.

29. *Dum ſervat Juno mutatam cornibus Iö.*] *Decoratam* duo libri. unus, *munitam.* quinque, *ſinuatam*, quod arridet. nec male unus Moreti pro diversâ lectione:

Dum nimium ſervat cuſtos Junonius Iö.

HEINSIUS.

30. *Gratior illa.*] *Ipſa* Micylli & Berſmanni editiones.

32. *E medio flumine ſumat aquam.*] In antiquiſſimis legitur, *potet*, id eſt bibat, quod magis placet. MARIUS. *E magno* ſcripti meliores. quidam etiam, *ſumat aquam.* de quo dicendum Art. Am. III. ŷſ. 96. HEINSIUS. Sed *aquam ſumere* ibi aliud quid eſt. pro bibere poſuit Plaut. Mil. II. VI. 71. *Nam ex uno puteo ſimilior nunquam poteſt aqua aquae ſumi.* Horat. III. Od. 8.

Sume, Maccenas, cyathos amici
Soſpitis centum.

Et II. Sat. III. 155.

Sume hoc ptiſanarium oryzae.

Vide Scalig. ad Varr. lib. IV. de L. Latin. pag. 31. ubi deducit *ſimpulum* a *ſumendo*, id eſt bibendo. *E medio* videtur ſumptum ex lib. I. Art. Am. 748. & Remed. 534. BURMANNUS.

34. *De monitis torqueor.*] Vetus & melior lectio eſt, *ne monitis torquear.* MARIUS. *Torquear* Puteaneus & complures alii. Forte, *nae torqueor.* tres libri cum prima editione, *nam torqueor.* tres, *quod torqueor.* ſic ſupra:

Hei mihi, quod dominam nec vir nec foemina ſervas!

Arondelianus cum aliis compluribus, *nunc torqueor.* HEINSIUS.

34. *Torqueor ipſe.*] Tale quippiam in ſuperiori Elegia. CIOFANUS.

35. *Quodlibet eveniat.*] *Quid libet* Puteaneus & alii multi. Lege, *Cui libet* cum uno Moreti. HEINSIUS.

36. *Ipſe ſequor.*] *Usque* cum prima editione & duobus ſcriptis. HEINSIUS. Martialis lib. V. 84.

Inſequeris, fugio; fugis, inſequor.

DOUZA.

38. *Prima nocte.*] Ab eo tempore quo nocteſcit. CIOFANUS.

38. *Clau-*

Quo ferat, aut referat ſollers ancilla tabellas:
Cur toties vacuo ſecubet ipſa toro.
Mordeat iſta tuas aliquando cura medullas:
Daque locum noſtris materiamque dolis.
Ille poteſt vacuo furari litore arenas,
Uxorem ſtulti ſi quis amare poteſt.
Jamque ego praemoneo; niſi tu ſervare puellam
Incipis, incipiet deſinere eſſe mea.
Multa diuque tuli: ſperavi ſaepe futurum,
Cum bene ſervâſſes, ut bene verba darem.
Lentus es, & pateris nulli patienda marito;
At mihi conceſſi finis amoris erit.
Scilicet infelix numquam prohibebor adire?
Nox mihi ſub nullo vindice ſemper erit?

Nil

38. *Claudere nocte domum.*] *Forem* meliores, ut ſaepe alibi Noſter. multi, *fores.* HEINSIUS. Neſcio cur *domum*, quod eſt in editionibus antiquis & multis ſcriptis, ejiciendum ſit. ſic infr. III. Eleg. XI. 12.

Excubui clauſam, ſervus ut, ante domum.

Horat. III. Od. 7.

Prima nocte domum claude.

BURMANNUS.

39. *Lumina.*] Sic quidem in omnibus impreſſis exemplaribus legitur, ſed quis non videt *limina* legendum eſſe. MARIUS. Si antiqua lectio ſervanda eſſet, intelligendae, quae hodie feneſtrae vocantur, quas furtim pulſare etiam nocturni amatores ſolent. & hoc forte cogitans librarius, ex ſui ſeculi more, lectionem illam ſuppoſuit verae, quae eſt, *limina.*

40. *Quid latrent nocte ſilente canes.*] Forte, *cui latrent.* Triſt. lib. II. 459.

Scit cui latretur, cum ſolus obambulat ipſe.

HEINSIUS. Canes ſolemne fuiſſe mulierum impudicarum ſatellitium docuit Broukhuſ. ad Tibul. I. Eleg. VII. 32. appoſite ad hunc locum Horat. I. Sat. II. 126.

Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet.

BURMANNUS.

41. *Quas ferat.*] *Quo* multi. nonnulli, *quid.* HEINSIUS. *Aut referat* Politiani & Vaticanus. rectius. an ferat ab amatore, aut referat a puella ad eum. ut recte Marius. vid. III. Amor. XIV. 31. BURMANNUS.

42. *Vacuo.*] Quia mox, *vacuo litore*, ſequitur. hic malebat *viduo* Francius.

42. *Illa toro.*] *Ipſa* meliores. HEINSIUS.

44. *Detque locum.*] *Daque* meliores, qui & τὸ *in* tolli jubent in ſequenti verſu. HEINSIUS.

45. *Litore.*] In quodam codice erat, *in litore*, quod non diſplicet. MARIUS.

45. *Arenas.*] *Arenam* codex Douzae.

46. *Uxorem ſtulti.*] Malim, *incauti.* Nam Tibulli illa imitatus eſt, I. Eleg. VII. 15.

At tu fallacis conjunx incaute puellae,
Me quoque ſervato, peccet ut illa nihil.

Quemadmodum & Triſt. lib. II. 457.

Denique ab incauto nimium petit illa marito,
Se quoque uti ſervet, peccet ut illa minus.

Contra *cautus* & *vafer maritus.* de quo Epiſt. XVI. ℣ſ. 314. ſed nihil muta. II. Triſt. 500.

Verbaque dat ſtulto callida nupta viro. HEINS.

Et ita initio Elegiae *ſtultum* vocavit. *Fatuum* eo ſenſu Terentius Eun. Act. V. Sc. ult. dixit.

47. *Jamque ego.*] *Jam te praemoneo* Edit. prima, alter Puteaneus & duo Moreti. *Jam te ego* Palatinus primus.

49. *Multa, diuque tuli.*] Recte utrumque conjunxit: potuiſſet enim diu, ſed pauca ferre: & è contrario multa, & non diu. Sic Cicero in Rhetoricis, *Saepe & multum hoc mecum cogitavi.* Sic etiam Elegia undecima libri tertii Amorum Naſo:

Multa diuque tuli, vitiis patientia victa eſt.

MARIUS. Recte Marius. eſt enim quaſi ex formula dictum. vid. ad lib. III. Eleg. XI. ℣ſ. I. BURMANNUS.

54. *Sub nullo vindice.*] *Judice* tres libri. ſollemni errore. Remed. 145.

Immodici ſub nullo vindice ſomni.

Nil metuam? per nulla traham ſuſpiria ſomnos?
Nil facies, cur te jure periſſe velim?
Quid mihi cum facili, quid cum lenone marito?
Corrumpis vitio gaudia noſtra tuo.
Quin alium, quem tanta juvet patientia, quaeris?
Me tibi rivalem ſi juvat eſſe, veta.

55. *Per nulla.*] Sic ſupr. Epiſt. XII. 58.
Acta eſt per lacrimas nox mihi quanta fuit.
Propert. III. VI. 27.
Odi ego, quos numquam pungunt ſuſpiria, ſomnos.
Ubi cum Heinſio mallem, *rumpunt.* vide ad Juvenal. V. 19. Gangraeum. multi etiam hic codices, *traham noctem*, vel *noctes.* BURMANNUS.

58. *Gaudia noſtra.*] *Certa* Moreti alter.

59. *Quin alium, quem tanta juvet patientia, quaeras.*] Rectius in exemplaribus legitur, *quaere.* MARIUS. Multi, *quaeras.* Scaligeri Excerpta, *quaeres.* Puteaneus, *quaeris.* quod verum eſt. ſic infra ex optimis codicibus lib. III. Eleg. VII.
Quin iſtic pudibunda jaces pars peſſima noſtri.
Horatius Epod. VI.
Quin huc inanes, ſi potes, vertis minas,
Et me remorſurum petis?
Quod Cruquius perperam mutavit. & ſic paſſim terſae Latinitatis ſcriptores. HEINS. *Quaeris* etiam Douzae codex.

60. *Veta.*] Francofurt. *nega.*

P. OVIDII NASONIS AMORUM LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

STat vetus, & multos incaedua ſilva per annos.
Credibile eſt illi numen ineſſe loco.
Fons ſacer in medio, ſpeluncaque pumice pendens:
Et latere ex omni dulce queruntur aves.
Hic ego dum ſpatior tectus nemoralibus umbris,
Quod mea, quaerebam, Muſa moveret opus.
Venit odoratos Elegeïa nexa capillos:
Et, puto, pes illi longior alter erat.

Forma

Huic Elegiae aliqua ex parte ſimilis eſt illa Propertiana lib. III. 2.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbra. MARIUS.

1. *Stat vetus, & multos &c.*] Intermiſſa paullulum, quam aggreſſus erat, Tragoedia, Elegos ſcribere deliberat. CIOFANUS.

1. *Vetus, & multos incidua ſilva per annos.*] Simile quiddam lib. IV. Faſt.

Silva vetus, nullaque diu violata ſecuri
Stabat.

Eſt autem hoc loco venuſta admodum topotheſia. IDEM.

3. *In medio.*] Scil. ſylvae. Fortaſſe deſcribit Poëta Aricinum nemus, de quo ita ait lib. III. Faſt. 263.

Vallis Aricinae ſylva praecinctus opaca,
Eſt locus antiqua relligione ſacer.
Defluit incerto lapidoſus murmure rivus:
Saepe, ſed exiguis hauſtibus inde bibi.
Egeria eſt, quae praebet aquas, dea grata Camoenis.

Per *fontem ſacrum* Egeriam intelligere poſſumus. MARIUS.

3. *Pumice pendens.*] *Pumice ſplendens* Palatinus primus. nil muta. ſic Epiſt. XV. 141. *Antra pendentia topho.* vide Broukhuſ. ad Propert. III. 11. 28. egregie haec illuſtrantem. & notata ad Eleg. in Druſum 252. *Pumice vivo* Moreti primus a manu prima. quod repetitum ex II. Faſt. 315. BURMAN.

5. *Nemoralibus undis.*] Id eſt, frondibus, quae vento agitatae, undarum ſpeciem praebent. Sed quia hoc duriuſculum eſt, rectius (ut vidi in manuſcriptis exemplaribus) legetur, *Nemoralibus umbris.* MARIUS.

6. *Quod mea quaerebam Muſa moveret opus.*] *Movendi*, id eſt exordiendi, verbo etiam uſus eſt lib. III. Faſt. II. CIOFANUS.

7. *Venit odoratos Elegeïa nexa capillos, &c.*] Quod ad vocem *Elegeïa* hoc loco attinet, & quomodo eadem per diviſionem in ſcanſione legenda, alii tradiderunt. Illud autem notandum, videri Poëtam hic imitari contentionem, ſive conformationem eam, quae eſt apud Xenophontem II. Ἀπομνημονευμάτων· ubi coram Hercule Voluptas & Virtus eodem modo diſputant, utraque illum ad ſeſe pertrahere cupiente. Quo exemplo & Lucianus finxit παιδείαν & ſtatuarum artem circa ſe contendiſſe, dum utraque ipſum veluti ſuum ſibi vendicet. MICYLLUS. An myrto nexa? an lauro? an aliâ quavis coronâ? Hoc ſane additum oportuit. quomodo alibi, *Nectite comam myrto.* Sed ſcribe meo periculo, quicquid membranae veteres obniuntur, *pexa capillos.* Gratius de canibus:

Cauda

Forma decens: veſtis tenuiſſima, cultus amantis:
In pedibus vitium cauſſa decoris erat.
Venit & ingenti violenta Tragoedia paſſu:
Fronte comae torvâ, palla jacebat humi.
Laeva manus ſceptrum late regale tenebat:
Lydius alta pedum vincla cothurnus erat.
Et prior, Ecquis erit, dixit, tibi finis amandi?
O argumenti lente Poëta tui!
Nequitiam vinoſa tuam convivia narrant:
Narrant in multas compita ſecta vias.

Saepe

Cauda brevis, longumque latus, diſcretaque collo
Caeſaries, non pexa nimis.

Sammonicus, *pexum caput.* ſic *barba ſubpexa* Met. VI. 715. *depexi crinibus Indi* Faſt. III. 465. ita *propexa barba* Faſt. I. 259. *coma repexa* Art. Am. III. 154. de quo ad Claud. ſic Art. Am. III. 784. *colla repecte* ex MSS. & infr. Eleg. VI. 56. *Impexae comae* ex MSS. ut & II. Faſt. 772. MSS. habent. ſic *pexae comae* III. Art. Am. 238. male etiam plurimi ſcripti, *adornatos. odoratos* enim legendum. II. Art. Am. 734.

Sertaque odoratae myrtea ferte comae.

II. Faſt. 309.

Ibat odoratis humeros perfuſa capillis.

Avien. Phaenom. pag. 93. Edit. Grot.

Rurſus odorato quo vertex crine tumeſcit. HEINS.

Similis diverſitas apud Claud. Nupt. Hon. 19.

Theſſalicas roſeo pectebat pollice crines.

Ubi vid. Heinſ. *odoratos* multi ſcripti & olim editi. *adornatos* alii.

9. *Vultus.*] Rectius Moreti codex, *cultus.* quod ad veſtem tenuiſſimam refer. HEINSIUS. Recte. ut I. Amor. Eleg. 5. *Nec multum rara nocebat.* male hic Marius, & eum ducem ſequens Criſpinus, capiunt de tenui materia elegorum, quibus amatoria deſcribuntur.

10. *In pedibus.*] *Et pedibus* Puteaneus & Barberinus.

12. *Palla.*] Sive tunicam, ſive pallium intelligamus, non erraturos nos monet Ampl. Cuperus in Apotheos. Homer. pag. 182. ubi vide doctiſſime haec illuſtrantem.

13. *Laeva manus, &c.*] Siniſtra. Per quod oſtendit, in Tragoedia induci nobiles quidem perſonas & reges, ſed qui imperium amiſerint. aliter enim ſceptrum dextra tenetur. Virg. lib. XII.

Ut ſceptrum hoc (ſceptrum dextra nam forte gerebat.)

Hoc idem etiam lib. III. de Ponto facit Naſo, inquiens:

Stabat amor vultu, non quo prius eſſe ſolebat,
Sceptra tenens laeva triſtis acerna manu.

Unde (ut ſupra diximus) Tragoedia definitur, heroicae fortunae in adverſis comprehenſio. MARIUS. Commentator hoc loco dicit, perſonas deſignari, qui regna amiſerint, quoniam laevâ ſceptrum gerant: cum id geſtamen dextrae proprium ſit. Sed hoc alibi nusquam traditur. neque ſceptrum dextra tantum, ſed & laeva geritur, praeſertim ſi ipſa perſona otioſa fingitur. Et in Tragoediis multi introducuntur reges, qui regna adhuc tenent ſua, rebusque integris in ſcenam feruntur. MICYLLUS.

13. *Regale tenebat.*] *Movebat* meliores libri magno numero cum primâ editione. HEINSIUS. *Tenebat* retineo. Epiſt. XVI. 175. *Sceptra parens Aſiae tenet.* & melius convenit τῷ *late.* Claud. Conſ. Olybr. 59.

Italiae late cum frena teneret.

Vid. ad Petron. LXXXII. & ſup. Ep. VII. 119. De laeva manu quod Marius notat, nugae ſunt. Valer. Flacc. II. 590.

Jamque aurea laevâ
Sceptra tenens. BURMANNUS.

14. *Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.*] *Lydium* pro Hetruſco hic accipit Commentator, quaſi Graeci ab Hetruſcis Tragoediam & ejus ornatum accepiſſent. Ego verò propriè dictum *Lydius* accipere malim: propterea quòd multa, quae ad rem ludicram pertinent, à Lydis inventa fuere. Id quod & Herodotus teſtatur libro primo, cujus haec ſunt verba: Φασὶ δὲ αὐτεὶ Λυδοὶ καὶ τὰς παιγνίας τὰς νῦν σφίσι τε καὶ Ἕλλησι κατεσεώσας, ἑυρῶν ἐξεύρημα γένεσθαι, &c. Neque tamen anxiè pro hac re contenderim. MICYLLUS.

14. *Alta pedum.*] In manuſcriptis exemplaribus legitur, *apta*, quae lectio valde placet. MARIUS. *Alta vincla* prima editio cum Puteaneo, Sarraviano, optimo Palatino, Arondeliano, & ſeptem aliis. quomodo apud Virgilium I. Aeneid. 337.

Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Sidonius:

Laxo pes natet altus in cothurno.

Noſter quoque infra, *altum cothurnum* hac ipſa Elegia appellabit. *Altè gradi cothurno* Claud. Conſ. Mallii. Symmachus lib. I. Epiſt. LXXXIX. *At illi quos cothurnus altior vehit.* recte autem *alta pedum vincula* cothurnum vocat, ut a *calceamentis* diſtinguat,

Saepe aliquis digito vatem designat euntem:
Atque ait, Hic, hic est, quem ferus urit Amor.
Fabula (nec sentis) totâ jactaris in Urbe;
Dum tua praeterito facta pudore refers.
Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri.
Cessatum satis est: incipe majus opus.
Materiâ premis ingenium. cane facta virorum:
Haec animo, dices, area digna meo est.
Quod tenerae cantent, lusit tua Musa, puellae;
Primaque per numeros acta juventa suos.

Nunc

quat, quae etiam pedum vincula dicebantur. hinc *Tyrrhena pedum vincula* apud Maronem lib. VIII. 458. de calceamentis Thuscis. & Dido apud eundem lib. IV. 518. *Unum exuta pedem vinclis.* HEINSIUS.

14. *Cothurnus erat.*] *Erant* malebat Francius. *Cothurnus habet* codex Douzae.

15. *Haec prior, Ecquis erit finis tibi dixit amoris.*] Quaedam exemplaria scriptum habent sic hoc carmen:

Et prior haec dixit, Quis erit tibi finis amandi?

Mihi tamen magis placet altera lectio. MARIUS. *Et prior* iidem codices, *amandi* quoque, non *amoris*, nisi quod in optimo Palatino, *amator*. venuste. HEINSIUS. Moreti codex, *Et prior, Ecquis erit, vates, tibi finis amandi?* quo alludit & Puteaneus alter:

Et prior haec, vates, quis erit tibi finis amandi?

Ut *dixit* subintelligatur, quomodo saepe Noster. vid. ad Epist. X. 37. Scriverii, *Et prior heus, inquit, quis.* Douzae, *Et prior haec, Quis erit.*

20. *Atque ait, Hic, hic est.*] *Hic ille est* Sarravianus cum primâ editione. Adi Notas Metam. XI. fab. 6. HEINSIUS. Nihil muto. Claudian. Epith. Honor. 318.

Clamat quicumque videbit
Hic est, hic Stilicho.

Ut ibi recte Heinsius ex scriptis restituit. sic in alia affectione animi idem lib. I. in Eutrop. 66.

Haec erat, haec, Ptolemaee, fides?

Ubi vide etiam Heinsium. nec tamen nego, etiam saepe reperiri, *hic ille est*, vide exempla apud Ramirez. ad Martial. I. 1. quibus adde insignem locum Terent. Andr. IV. IV. 47. *Hic est ille.* ubi Donat. *Cum ἐμφάσει quasi vir magnus, sed hoc Chremetem ostendens dicit cum ἐιρωνείᾳ.* & ita apud Graecos ὗτος, ut Actor. XXI. 28. ubi plura Pricaeus. BURMANNUS.

20. *Urit amor.*] Legitur &, *urget*; sed rectius, *urit*. MARIUS.

21. *Fabula.*] *Fabula* est id, de quo omnes loquuntur; de quo apud omnes sermo est. sic alibi apud hunc Nostrum, bis apud Horatium, & apud alios probatos auctores. CIOFANUS. Ita Terentius, Propertius, & quis non? & omnibus notum. sed in primis huc facit locus Jobi cap. XXX. 9. ubi Jobus dicit, *se cantilenam factum impiorum.* ubi Graeci ψάλλημα, quod notat in omnium ore esse, ut Helena dicit Epist. XVII. 34. ita eleganter Quinctil. Decl. XIV. *Quod nos in fabulas sermonesque misisti.* vid. ad II. Art. 561.

22. *Dum tua postposito facta pudore refers.*] In quibusdam exemplaribus legitur, *praeterito*, utrumque recte. MARIUS. *Furta* scribendum. quomodo & alibi non uno loco est peccatum. ut lib. II. Trist. de Calvo 432.

Detexit variis qui sua furta modis.

Pro *praeterito pudore* male codices nonnulli, *postposito, praetento, neglecto* & similia. Trist. II. 409.

Est & in obscoenos deflexa Tragoedia risus,
Multaque praeteriti verba pudoris habet.

Quo loco nihil est mutandum. *praeteriti pudoris verba*, in quibus verecundiae ratio non habetur. HEINSIUS.

23. *Dudum.*] Pridem, jamdudum. Non solum, inquit, in praesentia tempus est, ut majora scribas: sed jampridem quoque erat. Manuscripti tamen codices complurimi habent, *Pulsum*, id est, percussum: quae lectio magis placet. Nam & Lucretius, unde hoc sumpsisse Naso videtur, lib. I. de Rerum natura dixit:

——— *Sed acri*
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suavem mi in pectus amorem
Musarum: quo nunc instinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca. MARIUS.

Ita *pulsus Deorum* pro instinctu Lucanus V. 119.

Compages humana labat, pulsusque Deorum
Concutiunt fragiles animos.

Graviore vero, ut Horat. II. Od. XIX. 8.

Liber gravi metuende thyrso.

Recte hic Marius. BURMANNUS.

25. *Facta virorum.*] Cur etiam non veteris aevi foeminarum, quae aeque Tragoediarum sunt argumenta, ac viri? egregie ergo Barberinianus &

Nunc habeam per te Romana Tragoedia nomen.
Implebit leges ſpiritus iſte meas.
Hactenus: & movit pictis innixa cothurnis
Denſum caeſarie terque quaterque caput.
Altera (ſi memini) limis ſubriſit ocellis.
Fallor, an in dextrâ myrtea virga fuit?
Quid gravibus verbis, animoſa Tragoedia, dixit;
Me premis? an numquam non gravis eſſe potes?
Imparibus tamen es numeris dignata moveri.
In me pugnaſti verſibus uſa meis.
Non ego contulerim ſublimia carmina noſtris;
Obruit exiguas regia veſtra fores.

Sum

Francofurtenſis, *priorum.* ita enim vocantur ſaepe ſeculi antiqui Heroes. vide Barth. ad Stat. I. Silv. 1. 8. & VI. Theb. 104. & Heinſ. ad Ovid. XV. Metam. 104. & nos plura ad Valer. Flac. IV. 351. dicemus. & ita paſſim Poëtae. *Facta potentum* habebat Scriverianus. BURMANNUS.

26. *Haec animo dices area digna meo eſt.*] Eadem metaphora lib. IV. Faſt.

Nunc teritur noſtris area major equis.

Elegia ult. hujus lib. I.

Pulſanda eſt magnis area major equis.

CIOFANUS.

26. *Digna.*] *Area facta tuo* Puteaneus. non invenuſte. *Grata* Junianus.

28. *Primaque per numeros apta.*] Rectius in exemplaribus legitur, *Acta.* ut ſit ſenſus & ordo: Prima juventa tua, ô Naſo, acta, ſupple eſt, per ſuos numeros: hoc eſt, amatoria carmina aetati tuae juvenili convenientia ſatis ſcripſiſti: nunc quando ex prima juventa exis, majora aggredere. Dixerat etiam Ovid. lib. IV. Faſt. 9.

Quae decuit, primis ſine crimine luſimus annis,
Nunc teritur noſtris area major equis.

Et lib. II. ejusdem operis ad elegos verba faciens, vers. 5.

Ipſe ego vos habui faciles in amore miniſtros,
Cum luſit numeris prima juventa ſuis. MARIUS.

29. *Nunc habeat per te Romana Tragoedia nomen, Implebit leges ſpiritus iſte meas.*] In correctioribus legitur, *habeam.* MARIUS. Ex his verbis, quam poſtea ſcripſit Medeam Tragoediam, omnes alias Latino ſermone ſcriptas, una excepta, quam edidit Varius, Thyeſte, ſuperare apertiſſimè colligitur. Idque & Corn. Tacitus, & Fab. Quinctilian. teſtantur. CIOFANUS. *Hinc habeam* eleganter Scriverianus, hoc eſt ab hoc tempore, dehinc.

30. *Implebit.*] Forte, *implerit.* vel, *impleat & leges.* HEINSIUS. Nil muta: ſpondet enim Tragoedia ſuffecturum Naſonis ſpiritum operi tam grandi. vide ad Petron. cap. XCIV.

31. *Innixa cothurnis.*] Prima editio cum Sarraviano & decem aliis, *innexa.* quomodo cothurnum *vincla* paulo ante nominavit, & Virgilio, Eclog. VII. 32.

——— *Suras evincta cothurno.*

Apud Horatium tamen Art. Poët.

Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Et Propert. II. Eleg. 29.

Proſilit in laxâ nixa pedem ſoleâ.

Et Catullus LXVIII. 72.

Innixa argutâ conſtitit in ſoleâ.

Et Noſter IV. Pont. ult. 29.

Muſaque Turrani Tragicis innixa cothurnis.

Quamvis & ibi quidam ſcripti, *innexa.* HEINSIUS.

33. *Nam memini.*] In quibusdam exemplaribus legitur, *ſi memini.* utrumque recte. MARIUS. *Nam memini* editiones veteres, & Sarravii codex cum duobus aliis. ſed rectius meliores, *ſi memini.* vid. ad Petron. cap. XXXI. & Paſſerat. ad Propert. II. Eleg. I. BURMANNUS.

33. *Subriſit.*] *Obriſit* editio Berſmanni. quo verbo neſcio an alii uſi fuerint.

34. *Fallar?*] Rectius in exemplaribus legitur, *Fallor?* ut ſit praeſens indicativi. quemadmodum apud Maronem in Bucolico ludicro:

Credimus? an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt? MARIUS.

35. *Gravibus.*] *Trucibus verbis* Franc. ſequitur enim, *gravis. Me petis* etiam Barberin. non invenuſte.

36. *Nunquam non.*] Semper. CIOFANUS.

36. *Gravis.*] Moleſta. IDEM.

37. *Imparibus tamen es numeris dignata moveri, &c.*] Multum fallitur hoc loco Commentator, qui Medeam Ovidii Elegiaco carmine ſcriptam fuiſſe putat. Nam quod hic Poëta dicit, *Imparibus numeris dignata es moveri*, non ad Medeam, ſed ad praeſentem contentionem Tragoediae & Elegiae referendum eſt: utraque enim Elegiaco metro ſuam cauſam agit. Et quod alibi idem dixit, *Verſuque*

Sum levis; & mecum levis eſt, mea cura, Cupido.
Non ſum materiâ fortior ipſa meâ.
Ruſtica fit ſine me laſcivi mater Amoris;
Huic ego proveni lena, comesque Deae.
Quam tu non poteris duro referare cothurno,
Haec eſt blanditiis janua laxa meis.
Et tamen emerui plus, quam tu, poſſe, ferendo
Multa, ſupercilio non patienda tuo.
Per me decepto didicit cuſtode Corinna
Liminis adſtricti ſollicitare fidem;
Delabique toro tunicâ velata recinctâ;
Atque impercuſſos nocte movere pedes.

Vel

ſuque Tragoedia noſtro Crevit: ibi pronomen *noſtro* non de Elegiaco (neque enim Elegiaca tantùm ſcripſit Poëta, ſed & heroica, ut in Metam.) ſed poſſeſſivè accipiendum eſt, de eo verſu quem ipſe fecit, ſive hujus, ſive illius metri fuerit. perinde ac ſi dicas: Hoc mea opera effectum eſt, illud meo Marte peregi, &c. Sed de hac re etiam ſuprà meminimus. MICYLLUS.

40. *Obruit.*] *Obruet* multi ex ſcriptis. *Obruat* duo. HEINSIUS.

40. *Vaſta.*] Apertior erit ſenſus, ſi (ut eſt in manuſcriptis) legatur, *Veſtra.* aut ſi legeris, *Vaſta*, ſit ſenſus: Quemadmodum parvulae fores ingenti palatio ſuppoſitae, quaſi obruuntur ab ipſius regiae magnitudine: ita ſi tragicis carminibus amatoriam materiam complecterer, carminis magnitudine levis materia obrueretur. ut hoc dixerit, objiciens Tragoediae, quòd Elegis carminibus uſa ſit. q. d. errorem tuum ego non admittam. MARIUS. Editiones etiam quaedam priſcae, ut & Gryph. & Berſmanni. & Vaticanus codex, *Regia vaſta.* eleganter: ut opponatur, exiguis foribus. ſic III. Pont. IV. 5.

Eſt opus exiguum, vaſtisque paratibus impar.

Ubi etiam codices nonnulli, *veſtrisque.* & Epiſt. XVIII. 61. pro *in noſtras officioſa vias*, erat *in vaſtas* in Balliolenſi. & ſaepe illa *noſter*, *veſter* librarios ſuppoſuiſſe aliis epithetis deprehendi. multus eſt in his oppoſitionibus Naſo. infra Eleg. IV. 46.

Gratia ſic minimo magna labore venit.

Tibull. I. 1. 26.

Nunc Agna exigui eſt hoſtia magna ſoli.

Ubi vide florem Poëtarum noſtrae patriae Broukhuſium. & ſupr. ad Epiſt. VIII. 72. ſed praeterea ſuſpicor ſcripſiſſe Naſonem:

Obruit exiguas regia valva fores.

Valvae enim palatiorum & templorum, quae obſcurant artas & exiguas humilium aedium fores; hoc enim *obruit* notat. ut ad Valer. Flac. I. 319. oſtendemus. & ita ſcripſiſſe Naſonem indicio eſſe poteſt diverſa duorum codicum lectio, in quibus eſt, *janua veſtra*, pro quo, *janua vaſta*, forte ſcriptum fuerat a gloſſatore, qui *regiam valvam* exponebat per *januam vaſtam.* unicum quod me cohibet, ne pro certa conjecturam hanc obtrudam, eſt, quod *valvam* ſingulari numero dictam eſſe nondum repererim. ſed uſitatum tamen numerum ſingularem fuiſſe conjicere liceret ex Propert. II. XXIII. 13. ubi cum de duabus valvis egiſſet, ſubjicit:

Altera dejectos Parnaſi vertice Gallos,
Altera moerebat funera Tantalidos.

Et *fores* etiam plurali tantum numero dici Grammatici veteres obſervant, cum in ſingulari non Comici modo, ſed & Naſo ſaepe uſurpaverit. ita *Carceres*, *Cervices* & ſimilia dici tantum volunt, quibus paſſim Poëtae etiam in ſingulari utuntur. BURM.

43. *Ruſtica fit.*] Legitur etiam, *ſit*, pro eſſet. MARIUS. Quidam, *Ruſtica fit ſine me:* ſenſu optimo. DAN. HEINSIUS. *Fit* multi ex ſcriptis cum prima editione. bene. HEINSIUS.

45. *Non poteris.*] Vetus lectio eſt, *poteras:* utrumque placet. MARIUS. *Non poteras* Puteaneus, & alius, & editi quidam, quod probant Naugerius & Berſmannus.

50. *Liminis obſtricti ſollicitare forem.*] *Adſtricti* meliores. Deinde & *fidem*, Puteaneus, optimus Palatinus & ſex alii. veriſſime. *reſignare fidem tabularum* Cicero Arch. & *mutare tabularum fidem* Firmicus. vidit & Gronovius Obſervat. lib. II. cap. XI. Appoſite Propertius de Tarpeja:

Prodiderat portaeque fidem, patriamque jacentem.

Remedio Amoris 233.

Sed tamen eſt artis ſtrictiſſima janua noſtrae.

Ita ſcribendum ex libris. ſic contra *janua laxa.* de quo lib. I. Faſt. dicemus. Ÿſ. 456. Art. Am. lib. I. *pectora dolore adſtricta* habes. HEINSIUS. *Obſtricti* editiones Gryph. & Berſm. *fidem* etiam Francof.

51. *Delabique toro tunica velata recincta.*] Sic in uno Maffeian. In altero, *ſoluta.* non magnum

Vel quoties foribus duris inciſa pependi,
Non verita à populo praetereunte legi!
Quin ego me memini, dum cuſtos ſaevus abiret,
Ancillae miſſam delituiſſe ſinu.
Quid? cum me munus natali mittis? at illa
Rumpit, & adpoſitâ barbara merſit aquâ?
Prima tuae movi felicia ſemina mentis.
Munus habet, quod te jam petit, iſta meum.

Deſie-

diſcrimen. Ciofanus. Legitur &, *ſoluta*, utrumque rectè, licet poſtremum hoc neſcio quid hiatûs adferat carmini, eſt tamen in manuſcriptis. Dan. Heinsius. *Recincta* multi ex ſcriptis. Quomodo ſupra lib. I. Eleg. V.

Ecce Corinna venit tunicâ velata recinctâ.

Infra lib. III. Eleg. VII.

Nec mora; deſiluit tunicâ velata recinctâ.

Artis I. 529.

Utque erat è ſomno tunicâ velata recinctâ.

Faſt. III. 645.

Quaque metu rapitur tunicâ velata recinctâ.

Sic & Zonam *recinctam* dixit Epiſtola II. Heins.

52. *Atque impercuſſos.*] Lego vel invitis libris, *imperculſos pedes*, hoc eſt intrepidos. Catalectis Petronianis:

Et modo nocturno pulſans mea limina ſigno,
Intrepidos tenebris ponere docta pedes.

Contra lib. II. Faſt. 342.

Turbatam viſo rettulit angue pedem. Heinsius.

Male: *impercuſſos* eſt non fauciatos. ut contra apud Petron. LXXIX. *Cruentos pedes* nocte per vias euntes faciebant. & cap. CXXXVIII. *Evaſi tamen, omnibus digitis* (ſcil. pedum) *inter praecipitem decurſum cruentatis.* ita ſupra I. Amor. 6. *Inoffenſos pedes.* & contra I. Amor. XII. 4. *Icta digitos.* amat autem Noſter illa decompoſita, ſic *imperjuratus* Ibide 76. *imperfoſſus* XII. Metam. 496. *imperceptus* IX. Metam. 710. *imperturbatus* Ibide 460. &c. Burmannus.

53. *Ah quoties foribus duris inciſa pependi!*] *Vel quoties* Puteaneus & optimus Palatinus. rectè. pro, *inciſa*, Sarravianus, & duo alii, *illiſa*. optimus Palatinus, Neapolitanus, & alii tres, *conciſa*. duo, *illuſa*. quod Politiano probabatur ex illo Virgilii, *Illuſaeque auro veſtes.* Sed quid hoc ad rem? unus, *infixa* alius, *concuſſa*. Excerpta Jureti, *conciſſa*. *Inciſa* non mutandum; inſcribebant enim amicarum foribus elegia & carmina. Plaut. Mercat. II. III. 34. *Impleantur meae fores elegiorum carbonibus.* niſi forte legendum eſſet, *irriſa pependi.* Heinsius.

55. *Quin ego me memini.*] *Quin etiam memini* codex Douzae. infr. Eleg. VII. 26. vid. ad Epiſt. II. 61.

56. *Ancillae miſſam delituiſſe ſinu.*] Hanc repperi lectionem in uno Maffeian. in altero verò, *Ancillae miſſae &c.* ſuperior magis probabilis. Ciofanus. In quibusdam ſcriptis & editis eſt, *miſeram.* forte, *merſam.* Heinsius.

57. *Quid cum me munus natali miſit.*] *Mittis* ſcribe cum Puteaneo & meo Chartaceo, & mox pro *Rupit* idem Puteaneus & unus Moreti, *Rumpit.* Heinsius.

58. *Merſit aqua.*] Id vero ſe feciſſe Gnathaena Diphili Poëtae verſibus profeſſa eſt, quae cum Diphilo poculum ex nive miſceret, & is diceret, quam frigidum puteum habes, reſpondit, huc ſoleo jacere exordia fabularum tuarum. Athenaeus. lib. XIII. cap. 5. vide Scip. Gentil. I. Parerg. 39. qui tamen male, ut puto, hic legit, *an illa &c.* per interrogationem, quaſi Naſo gloriaretur, ſibi id minime eveniſſe. Nam contra Elegia hic merita ſua jactat Poëtae, ex iis quae paſſa eſt, quod miſſa ad amicam, ab illa in vicinam fuerit projecta aquam: nam ita ſolitas fuiſſe vel igne vel flamma abolere carmina, docet etiam Horat. I. Od. 16.

Quem criminoſis cumque voles modum
Pones iambis; ſive flamma,
Sive mari libet Adriano.

Et eò refer illa Martialis lib. I. Epiſt. 6.

Do tibi Naumachiam, tu das Epigrammata nobis;
Vis, puto, cum libro, Marce, natare tuo.

Lib. IX. Epiſt. 59.

Nympharum templis quisquis ſua carmina donat;
Quid fieri libris debeat, ipſe monet.

Et XIV. 196.

Haec tibi, quae fontes & aquarum nomina dicit;
Ipſa ſuis melius charta nataret aquis.

Cur autem in aquam projicerentur erat cauſſa, ut delerentur ſcripta, quod aliter ſpongia humida fieri ſolebat; ut notum. vid. ejusdem Martialis lib. III. Epigr. ult. & IV. 10. & alibi ſaepe. Burm.

59. *Prima tuae movi felicia ſemina mentis.*] Hi duo verſus, converſa figura orationis, ad ipſum Poëtam dicuntur, per apoſtrophen. Atque ita accipiendi ſunt, alioqui ſententia non conſtat. Mycyl. Sed apoſtrophe jam priori diſticho incipit, ſi *mittis* legamus.

61. *Deſierat: coepi, Per vos utrasque rogamus.*] Primo *deſierant* ex quatuor libris reponendum. deinde, *per vos utramque* cum Puteaneo & multis aliis, Statius VII. Theb.

Hoc

Deſierant; coepi: Per vos utramque rogamus,
In vacuas aures verba timentis eant.
Altera me ſceptro decoras, altoque cothurno.
(Jam nunc contacto magnus in ore ſonor,)
Altera das noſtro victurum nomen amori.
Ergo ades, & longis verſibus adde breves,
Exiguum vati concede, Tragoedia, tempus.
Tu labor aeternus: quod petit illa, breve eſt.

Mota

Hos ubi viperio tactas ter utramque flagello
Impulit. HEINSIUS.
Ita & MSS. apud Sil. XI. 479.
Tulit ora revulſa
In pontum, ripis utraque ſequentibus, Hebrus.
Apud Calp. Decl. VII. in argumento, malebam: *Utrumque torquens pernegantes necavit.* Sic *uterque* cum verbo plurali, de quo vide ad lib. II. Art. Amat. 381. BURMANNUS.

62. *In vacuas auras.*] *Vacuas aures* Puteaneus, tertius Palatinus & prima editio. atque ita legit Tanaquillus Faber in Phaedrum lib. III. Prolog. Noſter Metam. IV. 41.

——— *Aliquid vacuas referamus ad aures.*
Quod non eſt mutandum. *vacivas aures* dixit Plautus. Metam. XII. 56.

E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures.
Ubi *auras* etiam nonnulli. & poſtea:

Verbaque tot fudit vacuas animoſus in aures.
Etſi *auras* ibi pertinaciter tam ſcripti, quam typis editi codices. Horat. lib. I. Epiſt. XVII.

Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, & his verbis vacuas permulceat aures.
In auras fundere verba dicuntur, quos nemo exaudit. ut *ventis verba profundere* Lucretio IV. 929.

——— *Tu fac ne ventis verba profundam.*
HEINSIUS.

64. *Jam nunc contacto.*] Omnino ex veteris exemplaris auctoritate legendum eſt, *canor*, id eſt cantor, ut ſit paſſivum verbum. MARIUS. Vulgo, *Jam nunc contacto magnus in orbe ſonor.* Scribe totum locum:

Altera me ſceptro decoras, altoque cothurno.
(Jam nunc contacto magnus in ore ſonor.)
Altera das noſtro victurum nomen amori.

Sonor, ut *honor*. DAN HEINSIUS. *Contacto magnus in ore ſonus* Puteaneus & optimus Palatinus cum Scaligeri Excerptis. recte. niſi quod *ſonor* non eſt mutandum. Propertius libro IV. Eleg. I.

Hei mihi! quod noſtro eſt parvus in ore ſonus.
Sic *tuor* pro *viſu* apud Apulejum de Deo Socratis, & *olor* ab olendo, & *pator* a patendo apud eundem. & *pator narium* apud Scribon. Larg. Comp. XLVI. & XLVII. ſic & *canor* ſaepe apud Noſtrum. ovi *albor* apud Scribon. Larg. Comp. XXIV. alii, *contacto orbe*, vel, *contracto orbe*. Prima editio, *cantato ore*. at fruſtra. Salmaſius libro de Coma pag. 311. & Epiſt. ad Gron. 105. reſtituit, *contecto ore*. perſonati nempe. Tragoedi. ſed *contacto ore* non eſt ſollicitandum. ponitur nempe pro adflato. Metam. XIV. 606.

——— *Ambroſiâ dulci cum nectare miſtâ*
Contigit os, fecitque deum.
Epiſtola IV. 50.

Ut quos ſemideae Dryades Faunique bicornes
Nomine contactos attonuere ſuo. HEINSIUS.
Sic & *contigit mea tempora myrto* lib. IV. Faſt. 15. quem locum attulit Marius. Vetus Poëta Chriſtianus in Codice S. Scripturae in Baſilica Pauli Romae ſub tempora Caroli M. ſcripto, quem vidit Heinſius, in argumento Eſaiae:

Os vatis tactum mandatur, & ulla revelat,
Concipiat veram mundi quod virgo ſalutem.
Non recte autem *ſonor*, Marius, & qui eum ſequitur Criſpinus, ceperunt pro dicor, celebror, & ita etiam Tan. Faber. lib. II. Epiſt. 58. qui legit:

Jam nunc contracto magnus in orbe ſonor.
Qui explicat, tanta mihi parta nobilitas, tanta gloria, ut coelum ipſum contractum videatur, anguſtiusque, quam ut famam videatur capere, deinde ad aliam conjecturam delabitur, quia ſentiebat *contractum* illum *orbem* ridiculum eſſe, & legit:

Jam nunc & toto magnus in orbe ſonor.
Sed ita graſſari in auctores nobis religio eſt, qui acquieſcimus Heinſianae emendationi, quae firmatur a Francofurtenſi, Moreti & Junii codicibus. variant autem reliqui vehementer codices, & editiones. prima habet, *cantato ore. contacto orbe* unus Vaticanus. *contractor m. in ore* alter Puteaneus & duo alii. *in toto multus ut orbe* alter Politiani. *orbe canor* Aproſii. *orbe ſonus* quatuordecim. *tota magnus in urbe ſonus* Scriverii. *in ore ſinus* Palat. tertius. BURMANNUS.

66. *Et longis verſibus adde breves.*] Hexametros & Pentametros verſus ſignificat, quibus Elegia conficitur. CIOFANUS.

66. *Longis verſibus.*] Hoc Ennii exemplo dicit, qui (Cicerone teſte lib. II. De legibus) heroicos verſus, *longos* appellabat. IDEM.

Mota dedit veniam. teneri properentur amores,
Dum vacat; à tergo grandius urget opus.

70. *A tergo grandius urget opus.*] Haec Marius de ſequentibus Elegiis capit, quae longiores & pulchriores. Criſpinus de Metamorphoſeon libris. uterque perperam, nam illud opus grandius, quod a tergo urget, opponit amoribus, quos ideo calente maxime juventa properare vult, dum Tragoedia, quae magis gravem & ſeverum Poëtam requirit, ipſi aliquod adhuc tempus concedit, mox ad Tragoediam aggreſſurus. de Metamorphoſeon libris forte nondum cogitabat; nam, niſi fallit calculus doctiſſimi Maſſonii, libri Amorum praeceſſerunt diu artem amandi, & primum conjunctim edidiſſe videtur libros Amorum circa A. U. C. DCCXXXIX. quo anno autem hanc Elegiam, quae certe primae editioni inſerta fuit, incertum puto: ſed Elegias plurimas ſcripſiſſe in prima juventute apparet ex vers. 59. hujus Elegiae. in exilium vero miſſus, quo tempore demum abſolverat Metamorphoſes, nondum vero emendaverat, anno aetatis LI. vel LII. U. C. DCCXLII. intelligimus ergo ipſam Tragoediam, quae inſtabat & urgebat, ut ſimul ac teneros properaſſet amores, ſibi manum admoveret, antequam omnis ejus ſpiritus deferveſceret. BURMANNUS.

ELEGIA II.

NOn ego nobilium ſedeo ſtudioſus equorum:
Cui tamen ipſa faves, vincat ut ille precor.
Ut loquerer tecum veni, tecumque ſederem:
Ne tibi non notus, quem facis, eſſet amor.
Tu curſus ſpectas, ego te. ſpectemus uterque
Quod juvat, atque oculos paſcat uterque ſuos.
O, cuicumque faves, felix agitator equorum!
Ergo illi curae contigit eſſe tuae;
Hoc mihi contingat; ſacro de carcere miſſis
Inſiſtam forti mente vehendus equis.
Et modo lora dabo; modo verbere terga notabo:
Nunc ſtringam metas interiore rota.

Si

1. *Non ego nobilium venio ſpectator equorum.*] Rectius fortaſſe in exemplaribus legitur, *ſedeo*, aſſidens enim loquebatur: ergo jam venerat. tamen & prior lectio defendi poteſt. MARIUS. Libri veteres, *ſedeo ſpectator*. ſequor. CIOFANUS. Omnes editi, *ſedeo ſpectator* ante Heinſium, qui recte tamen ex Puteaneo utroque, Barberin. & quatuor aliis repoſuit, *ſtudioſus*. quae vox propria in factionibus & ſtudiis Circenſibus. vid. ad I. Art. Am. 145. & infr. ad vers. 67. *nobiles* vero equi ſunt noti jam populo & ſpectatae celeritatis; qui palmas jam ſaepe retulerant. ita Virgilius, Horatius & alii paſſim. & ita *nobiles* gladiatores, Athletae &c. *ſpectator* librarii arripuerunt ex lib. X. Metam. 575. *venio ſpectator* ex Epiſt. XVI. 33. BURMANNUS.

5. *Curſum ſpectes, ego te.*] *Spectas* meliores cum Puteaneo, qui etiam, *curſus*; forte, *ſpectans*. HEINS.

6. *Quod juvet.*] Rectius in manuſcriptis legitur, *juvat*. MARIUS. *Quod juvat* Moreti tertius, Editio prima, Gryph. & Berſm.

8. *Contigit eſſe tuae.*] Neſcio an Latine, aut ſaltem perſpicue ſatis dicatur, *Illi contigit eſſe tuae curae*, id eſt, ut de eo ſis ſollicita. in Moreti & quatuor aliis & prima editione eſt, *eſſe meae*. rectius; illi contigit eſſe curae, amicae meae. ſic millies *mea* pro amica, *tuus*, *ſuus*, pro viro, conjuge, vel amatore. vid. ſupr. ad Epiſt. XIII. 7. *Ergo illum* Junii codex. BURMANNUS.

9. *Hoc mihi contingat.*] Subintellige, *ſi*. Auctor Eleg. in obitum Mecaenatis. pag. 72. Catal. Pith.

Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor,
Cum dicar ſubito voce fuiſſe tibi.
Hoc mihi contingat: jaceam tellure ſub aequa,
Nec tamen hoc ultra te doluiſſe velim.

Ita lego vel, *ſed meminiſſe velim*, vulgo, *ultra me potuiſſe velim*. HEINSIUS. Recte Heinſius. & ita etiam Marius. quod offendiſſe librarios videtur ignaros: nam in altero Moreti erat, *ſi mihi*, in tertio, *haec ſi*. vid. ad lib. I. Amor IV. 29.

12. *Nunc ſtringam metas interiore rota.*] Geſtum expri-

Si mihi currenti fueris conſpecta, morabor:
Deque meis manibus lora remiſſa fluent.
Ah quam pene Pelops Piſaeâ concidit haſtâ,
Dum ſpectat vultus, Hippodamia, tuos!
Nempe favore ſuae vicit tamen ille puellae.
Vincamus dominae quisque favore ſuae.
Quid fruſtra refugis? cogit nos linea jungi.
Haec in lege loci commoda Circus habet.

Tu

exprimit aurigae, ubi currum flectere neceſſe eſt. CIOFANUS. Vide Turneb. XIV. Adv. XXIV. 24. & Torrent. ad Horat. I. Od. I.

14. *Fluent.*] Legitur &, *cadent.* MARIUS. *Cadent* Palatinus unus & quidam alii. male. infr. Eleg. VII. 32.

Nullo poma movente fluunt.

Ubi in ſcriptis eadem diverſitas. ut & El. XIV. 38.

Perque meos artus frigida gutta fluit.

Et ibi *cadit* in nonnullis. vid. & Epiſt. VI. 63. & Gevart. Lect. Pap. lib. I. cap. 4. Silius VII. 632.

Membris demiſſa ſolutis Arma fluunt.

Qui ita ſaepe loquitur. ut IX. 52. 120. XV. 377. ita *defluit* VI. Metam. 219. ubi male *decidit* alii. praeterea unus Vaticanus, *eque meis manibus.* ut IX. Metam. 344.

Vidi guttas è flore cruentas Decidere. BURMANNUS.

15. *Ah quam pene Pelops Piſaeo concidit axe.*] Quomodo ex *axe Piſaeo* quaſi cecidiſſe Pelopem dicit? cum conſtet ex interpretibus Lycophronis & Pindari, item ex Apollonii carminibus, duos fuiſſe currus, in quorum altero Oenomaus, in altero, qui Pelopis proprius erat, ipſe Pelops cum Hippodamia veherentur? unde alieno curru vectam Hippodamiam certatim Poëtae dixere. ut Naſo in II. de Arte 8.

Talis erat, qui te curru victore ferebat,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

Idem in Epiſt. Hermiones 69.

Qua duo porrectus longe freta diſtinet Iſthmos,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

Hoc idem oſtendit lib. II. de Triſt. 385. inquiens:

Quid? num Tantalides, agitante Cupidine currus,
Piſaeam Phrygiis vexit eburnus equis?

Et Propertius libro primo Eleg. 2.

Nec Phrygium falſo traxit candore maritum,
Avecta externis Hippodamia rotis.

Sed ita exponendum eſt: *Concidit*, hoc eſt, interfectus fuit, *Axe Piſaeo:* id eſt, ab Oenomao, qui curru Piſaeo vectus ut ſupra ex Diodoro diximus) haſtam manu tenebat, qua procos perimebat, dum eos praecurrentes aſſequeretur. ut ſit ſenſus: Pelops, dum Hippodamiae, quam ſecum in ſuis quadrigis vehebat, faciem intentus nimium cum ſtupore conſpiceret, & propter hoc aliquantulum & ipſe moraretur, parum abfuit, quin ab inſequente Oenomao fuerit occiſus. Hunc ſenſum, ſi quidam advertiſſent, non tam audaces in alienis operibus fuiſſent, ut citra ullius codicis auctoritatem hoc carmen ita legerent:

O quam pene Pelops curru cecidiſſet eburno.

Piſaeo: à Piſa Arcadiae oppido, quod praeterfluit Alpheus amnis, ut Plinius ſcribit. *Axe*, curru. partem pro toto per ſynecdochen poſuit: & per currum intelligit ipſum Oenomaum Piſae regem, quadrigis inſidentem, ut dixi. MARIUS. *At quam pene* Puteaneus cum Menteliano & Neapolitano, idem cum Barberiniano & duobus aliis, *Piſaea haſta.* quod verum eſt. neque aliter Jureti & Scaligeri Excerpta. habes fabulam apud Pindarum Olymp. Od. I. qui Oenomao Pelopen inſequenti ἔγχος χάλκεον quoque dat. Apollonius lib. I. 755.

Τὸν δὲ μεταδρομάδην ἐπὶ Μυρτίλος ἤλασεν ἵππους,
Σὺν τῷ δ' Οἰνόμαος προτενὲς δόρυ χειρὶ μεμαρπώς.

Claudianus laude Serenae 166.

——— *Curru Piſaea marito*
Fugit tela Pelops. HEINSIUS.

Vid. & Tzetz. ad Lycoph. v. 157. & Parrhaſ. ad Claud. II. Rapt. 336.

19. *Cogit nos linea jungi.*] *Lineam* exponit hoc loco Commentator, ipſum ſedile: opinor, quòd ſedilia ipſa ordine, & quaſi ad lineam fabrilem conſtructa fuere. Sed tu vide, num re ipſa linea quaedam ſedentes coërcuerit, ne alius alio plus in hanc vel illam partem inclinaret: eoque pertineat & quod hic dicitur, *Cogit nos linea jungi*, &c. & quod in Arte:

Et bene te cogit, ſi nolit, linea jungi:
Qua tibi tangenda eſt lege puella loci. MICYLL.

Tranſenna dicitur funis ab uno extremo ad alterum protenſus, & ita haec *linea* vocabatur. Gloſſae; *Tranſenna*, βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τεταμένος. Item *Tranſenna*, ὕσπληξ, παλλαγὴ, μαππαρίου σημεῖον. quod a carceribus ad metas extenderetur ὕσπληξ declarat. quod παλλαγὴ oſtendit Caſſiodorus apud Scaligerum ad Manilium. Ad cuneos enim Theatri tunc diſcedendum erat loci capiundi cauſſa. *Cogit nos linea jungi*, id eſt cogit nos ſignum datum ἓεν καταλαβεῖν, & in cuneis nos denſare: denſabant enim ſe quantum poterant, ne confuſi & permiſti & ſibi & aliis ſpectaculum eriperent. DOUZA. Quid ſit *linea* hoc loco quaeritur

a

Tu tamen, à dextrâ quicumque es, parce puellae.
Contactu lateris laeditur ista tui.
Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura,
Si pudor est, rigido nec preme terga genu.

Sed

a viris summis; tum & Artis Amatoriae libro I. ℣. 141. in descriptione Circensium:

Et bene quod cogit, si nolis, linea jungi.

In quibus explicandis multum sudavit observatis ad Manilium lib. II. ℣. 190. magnus Scaliger. per lineam non designari funem, ut ille arbitrabatur, sed certum limitem spectatorum sedilibus praefixum Salmasius contendit. de *fune* enim si ageretur, *regulam* potius dicturum fuisse, quam *lineam*. ita Servium *limen* interpretatum, ubi agit de Circo Virgilius, quae aliis est, *Transenna*. Glossae veteres, *Transenna*, *βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τεταμένος*. Unicuique spectatorum certus erat & praefinitus locus, ne laxius constrictiusve, quam par esset, sederent. isque publicâ auctoritate distinctus ac disseptus. hoc nostro hic *legem loci* appellari, ut & Arte Amatoria versibus jam productis, pluribus hic ad Solinum ille pagina 645. & sequentibus est prosecutus. Haec illi. neuter recte, ut opinor. Nostra haec est sententia. Cum apud agrimensores vetustos lineae plurimis locis ponantur pro viis angustioribus, per quas agri disterminabantur, ac patebat transitus ultro citroque commeantibus, in certos ordines descriptae, simile quid in Circensibus observatum fuisse opinor. *Linea* & *limes* apud agrimensores passim confunduntur. hinc illud Nasonis, lib. I. Metam. 136.

Cautus humum longo signavit limite mensor.

Lineae tamen limites angustiores. Hyginum audi: *Omnis hujus recturae longitudo rationalis limes appellatur. nec interest quicquam, decumanum dicamus an limitem. Decumanus autem primus, maximus appellatur, item Cardo. nam latitudine ceteros praecedunt. Sunt alii limites actuarii, alii linearii. Actuarius est limes, qui primas actus est, & ab eo quintus quisque, quem si numeres cum primo, erit sextus. quoniam quinque centurias sex limites cludunt. Reliqui medii limites linearii appellantur, in Italia subruncivi. Actuarii autem extra maximos latitudinem pedum habent duodecim.* plura illic ad rem. *termini* & *lineae* passim apud eosdem scriptores conjunguntur, ut & *rigores*. apud eosdem frequenter *linea finitima*, *linea normalis*, *linea mensuralis*, *rationalis*, *consortalis*, *proportionalis*, atque his similia complura. *linearii* etiam *rigores*, & *linearii lapides*, & *linearii limites*. Sed & in lusu calculorum *lineae* appellabantur duodecim illa scriptula, per quae calculi decurrebant. quae *tramitem*, *iter*, *viam*, *stationem* veteres dicebant. ut libro III. Artis v. 363. demonstravimus. Prudentius Praefatione Psychom:

Haec ad figuram praenotata est linea;
Quam nostra recto vita resculpat pede.

Et aperte magis Hymno VII. de Johanne Baptista:

Curvas viarum qui retorsit tramites,
Et flexuosa corrigens dispendia
Dedit sequendam calle recto lineam.

Linea igitur haec Circensis nihil aliud, quam intervallum angustum, quod inter sedilia vacuum relinquebatur, ut transeuntibus commodior esset locus. Sedile unumquodque viginti aut plures fortasse capiebat spectatores: inde lineae, hinc inde interstitium. sedisse autem puella videtur in extrema sedilium parte ac lineae proxima, ut Nasoni latus sibi claudenti subtrahere sese non potuerit, si voluisset. alia ratio est dicti Terentiani Eunuch. Act. IV. Sc. II.

Certe extrema linea amare haud nihil.

Amatoribus amicae in circo proximae assidebant plerumque. nam circus rei amatoriae peropportunus, ut Noster passim testatur. amantes vero, quibus hoc non licebat, saltem operam dabant, ut in eodem, quo puellae, sedili locum occuparent. ita fiebat nonnumquam, ut abs se invicem longius removerentur, occupante puella unam sedilis extremitatem, amante altera. ita fiebat, ut intermediis viginti aut pluribus spectatoribus, puella ab amante vix, ac ne vix quidem posset conspici. Hoc amare *extrema linea* dixit Terentius, cum amans amicam intueri non potest, in loco ab interpretibus hactenus non intellecto. quem Salmasius sibi primo patuisse perperam gloriatur. & sic Petron. c. CXXVI. *Ex hac nota est domina mea, usque ab Orchestra quatuordecim transilit, & in extrema parte quaerit quod diligat.* hoc est in extrema graduum linea. neque aliter capiendum illud Martialis lib. VIII. Epist. 78. *Nec linea dives cessat.* per quam ferebantur munera; male Salmasius aliique interpretantur. Linea tam in Theatris, quam Circo, quod negavit Salmasius. vide Vitruvium de linea Theatrali libr. V. cap. 3. Lineam in Orchestra etiam ponit Hesychius: *Γραμμαὶ ἐν τῇ Ὀρχήστρᾳ ἦσαν, ὡς τὸν χορὸν ἐν ϛοιχῷ ἵϛασθαι.* Heins. Obscura esse haec, quae viri docti de lineis his in Circo disputant, satis constat. Heinsii vero sententiam, quam & tuetur Cl. Graevius Praefat. ad tom. IX. Thesaur. Antiq. Rom. puellam nempe sedisse in extrema sedilium parte, ideo probari vix puto; quia tunc facile potuisset refugere, & per viam illam intermediam, sive lineam, ut illi vocant, transire in alium sedilium ordinem. Deinde fingendum tunc Poëtam secundo a linea loco sedisse, & priorem venisse in Circum, cui se sponte

Sed nimium demiſſa jacent tibi pallia terrae.
Collige; vel digitis en ego tollo meis.
Invida veſtis eras, quae tam bona crura tegebas:
Quoque magis ſpectes, Invida veſtis eras.

Talia

te amica adjunxerit, in extremo & lineae proximo loco, quod aperte menti Poëtae repugnat, qui dicit ſe veniſſe, ut loqueretur, & ſederet cum illa, ipſam autem refugiſſe. praeterea tum fingi quoque deberet, ſedilia ad lineas fuiſſe repagulis quibusdam clauſa, ne quis poſſet vicinum ſpectatorem, qui ſecundo a linea loco ſedebat, refugere. Neque puellam ſediſſe in extremo ſedili patet, quod ab utraque parte habuerit ſpectatorem adſidentem: a laeva erat Ovidius, a dextra alius, ut vers. 21.

Tu tamen a dextra quicumque es, parce puellae,
Contactu lateris laeditur iſta tui.

Sedit ergo puella in eodem ſedilium ordine, ſed non in extremo loco, quia a dextra alium habebat. quare ego cum Salmaſio intelligerem perpetuum ordinem fuiſſe ſedilium ſive ſubſelliorum, quem tamen viis interſectum fuiſſe non negarem, ſed vias & ſemitas fuiſſe intermedias crediderim. poſt tergum vero fuiſſe lignum aliquod, quod terga ſpectatorum tangebat, & prohibebat, ne retrocedere poſſent. unde dixit, *quid fruſtra refugis, cogit nos linea jungi.* nam prona & ſtudioſe ſpectans, ubi Ovidius eam tangere volebat, reducebat corpus ad lineam, ſed non ultra aut in alium poterat poſt ſe ordinem refugere, quia linea prohibebat. *Linea* nempe illa eſt, quae cogebat ſpectatores intra ſuum quemque ordinem manere. hoc clare docet Quintiliani locus lib. XI. Inſtit. cap. 3. *Transire in diverſa ſubſellia parum verecundum eſt, nam & Caſſius Severus urbane adverſus hoc facientem lineam popoſcit.* agit ibi de ſubſelliis judiciorum, quae erant nuda ſcamna, ſine linea, cui inniti tergo poſſent inſidentes: a circo ergo peti Caſſius volebat lineam, contra tranſilientem ſubſelliorum ordinem. At illa linea non prohibebat, quo minus, qui poſt terga ſedebat, genubus & cruribus poſſet eſſe moleſtus. ut ex v. 23. & 1. Art. 157. apparet: non enim erat ſeptum aliquod ex ſolidis & continuis tabulis & aſſeribus, ſed ſimplex lignum ſive linea, quae interſtitia quaedam aperta relinquebat, & cui humero & ſcapulis inniti poterant, ut in hodiernis ſedilibus ſaepe videmus. quia vero vox *linea* de plurimis aliis rebus uſurpatur, non omnes locutiones proverbiales deducere ab hac linea circenſi vellem. ut illam Terentii, *extrema linea amare*, a ſtadii potius linea derivarem, quae extrema vix viſu & oculis poteſt percipi. unde *extrema linea amare*, explico de longinquo amare, ſolo viſu paſcere oculos. ita certe cepit Lutatius ad Stat. III. Theb. 383. ubi fabulam narrans Hymenaei dicit, eum adamaſſe virginem nobilem, ipſum mediocribus ortum parentibus, *& quia nuptias deſperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligentem, ſatisfeciſſe animo ſolo aſpectu.* & eo adludere puto Noſtrum lib. 1. Amor. IV. 3.

Ergo ego dilectam tantum conviva puellam
Adſpiciam, tangi quem juvet, alter erit.

Et ita in *extrema regula ſtantem aetatem* vocat Senec. Epiſt. XII. quae ad finem ſtadii pervenit. *regulam* vocans, quam Epiſt. XLIX. *lineam* appellat. vide ad utrumque locum Lipſium, & Fabr. Agoniſt. lib. II. cap. 7. Sediſſe praeterea in Circo non admodum laxe, ita ut ex lege loci ſe tangere cogerentur ſpectatores, apparet ex Macrob. II. 3. ubi *anguſte ſedere* occurrit. & hinc apud Claudian. VI. Conſ. Honor. 613.

Cum regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus.

Ubi nollem *convexum vulgus* legere cum Heinſio. BURMANNUS.

20. *Haec in lege.*] *Ex lege* editi multi & tres ſcripti. ut Petron. CXXXVI. *Tribus è lege potionibus ſiccatis.* ubi vide. ſed mollior eſt ſonus, *haec in.* BURMANNUS.

24. *Rigido nec preme terga genu.*] *Rigida manu* Puteaneus & Arondelianus. ſed male lib. 1. Art. 157.

Reſpice praeterea, poſt vos quicumque ſedebit,
Ne premat oppoſito mollia terga genu. HEINSIUS.

24. *Ne preme.*] Rectius in manuſcriptis legitur, *nec*, negatione. MARIUS. *Ne* edidit Gryphius & alii. vid. infr. Eleg. VI. 65.

25. *Demiſſa jacent tua pallia terrae.*] *Dimiſſa jacent tibi pallia terrâ* meliores. ſic & lib. 1. Artis Amat. 153. in iisdem:

Pallia ſi terrâ nimium demiſſa jacebunt.

Sic *terrâ deponere*, non *terrae* Amor. III. Eleg. V. ex optimo codice. Vulgatam tamen loco non auſim movere. *Terrae procumbere* Metam. II. Vſ. 347. ubi vide quae annotamus, & ad Maronem Aeneid. VI. 84. ubi meliores ſcripti, *ſeu terrae meliora manent.* HEINSIUS. Nec *demiſſa*, nec *terrae* mutem. ſic infr. Eleg. V. 20.

Cornigerum terrae depoſuiſſe caput.

Lib. V. Metam. 122.

Procubuit terrae mactati more juvenci.

VII. Metam. 578.

Aſpiceres flentes alios, terraeque jacentes.

Virgil. XI. Aeneid. 87.

Sternitur & toto projectus corpore terrae.

Ubi vid. Serv. quomodo & Homerus Iliad. A. 245. Ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ. ſic quoque multi codices lib. VI. Aeneid. 652.

Talia Milanion Atalantes crura fugacis
Optavit manibus fuſtinuiſſe ſuis.
Talia ſuccinctae pinguntur crura Dianae,
Cum ſequitur fortes, fortior ipſa, feras.
His ego non viſis arſi. quid fiet ab iſtis?
In flammam flammas, in mare fundis aquas.
Suſpicor ex iſtis & cetera poſſe placere,
Quae bene ſub tenui condita veſte latent.
Vis tamen interea faciles arceſſere ventos,
Quos faciat noſtrâ mota tabella manu?
An magis hic meus eſt animi, non aëris, aeſtus,
Captaque femineus pectora torret amor?
Dum loquor, alba nigro ſparſa eſt tibi pulvere veſtis.
Sordide de niveo corpore pulvis abi.
Sed jam pompa venit. linguis animisque favete.
Tempus adeſt plauſûs: aurea pompa venit.

Prima

Stant terrae defixae haſtae.
Ubi tam cum optimis malo, *terrâ*, ne toties idem ſonus repetatur. nam & hoc recte dicitur. Noſter XIII. 540.

Et adverſa figit modo lumina terra.
Apud Statium quoque lib. VII. 755. Aldus, Colineus & Gev. ediderunt ex MSS. *Sternuntur terrae.* vulgo, *terra.* ut apud Noſtrum IX. Metam. 84.

Cornua figit humo, neque alta ſternit arena.
Ita variant codices in *humi*, vel *humo jacere*, *figere* &c. de quibus vide ad IV. Metamorph. 121. BURMANNUS.

28. *Quoque magis ſpectes.*] *Pecces* in tribus libris, quod non invenuſtum, Heinſius notaverat. ſed *ſpectes* recte Marius, pro *aliquis ſpectaret*, capit. vid. ad Vellej. Paterc. II. cap. 118. *ſpectare* vero hic eſt aeſtimare, reputare, examinare. ſic Juſt. II. 10. *Ceterum ſi regem ſpectes, divitias, non ducem, laudes.* ita infr. Eleg. 6. 100. *Neſcio quem ſpectans.* & v. Triſt. VII. 43. *Sive locum ſpecto.* ita *ſpectare crimen* Amm. Marc. XVI. 7. & alibi. BURMANNUS.

29. *Melanion.*] Sic omnino ſcribi debet, non *Mimalion:* in Graecorum enim codicibus Μειλανίωνα legimus: ut vel hoc Muſaei carmine patet:

Ἦ ποτε Μειλανίωνος ἐρασσαμένου φύγεν ἐυνήν.

Tollendus igitur eſt error, qui in Latinis codicibus fere omnibus increbuit, in quibus pro *Melanion*, corrupte legitur, *Mimalion.* MARIUS.

29. *Atalantae crura fugacis.*] *Atalantis* ſcripti. Lege, *Atalantes.* pro *Melanion* Sarravianus, *Minalion.* lege, *Milanion*, & vide quae noto Art. Amat. II. ỳſ. 188. lib. III. Art. 775.

Milanion humeris Atalantes crura ferebat.
Sic & ibi ex optimis libris ſcribendum. HEINSIUS.

29. *Fugacis.*] Velocis, celeris. Vide quae ſuperius notavi. CIOFANUS.

31. *Pinguntur.*] *Finguntur* Sarravianus. rectius, ut puto.

37. *Vis tamen interea tenues arceſſere ventos.*] *Faciles ventos* libri meliores. probe. vide Notas Triſt. Eleg. II. lib. I. ỳſ. 81. HEINSIUS. Sed durius eſt *faciles*; quia *faciat* ſequitur. & rectius *faciles* venti dicuntur, cum de navigatione agitur. *tenues* vero ventos dixit etiam II. Art. 86. ſed neque hoc placet, quia modo praeceſſit, *tenuis veſtis.* quare ego cum Scriveriano codice, *teneros* praeferrem. ſic Lucret. lib. I. ỳſ. 208. *teneras auras* dixit; & Noſter III. Triſt. VIII. 7.

Ut tenera noſtris cedente volatibus aura.
Ita *tener aër* apud Noſtrum IV. Metam. 615. & V. Triſt. II. 26. & Virgil. IX. 699. ubi quidam codices, *aëra per tenuem. accedere ventos* etiam Palatinus primus & alius. BURMANNUS.

38. *Quos faciant noſtrâ mota flabella manu.*] In quodam manuſcripto codice hoc carmen ita legitur:

Quos faciet noſtrâ mota tabella manu.
Prior tamen lectio magis placet. MARIUS. *Facies tabella* Puteaneus. *faciat tabella* prima editio, cum Jureti Excerptis, Neapolitano, & ſex aliis. plures, *faciet tabella. tabella* hic legendum jam monui Notis ad lib. I. Artis V. 163. quae conſulantur. HEINSIUS. *Flagella* editio Berſmanni.

41. *Dum loquor.*] Ita legendum ex uno Maffeiano & Vaticano. CIOFANUS. *Dum tamen* alii.

41. *Alba nigro ſparſa eſt tibi pulvere veſtis.*] *Alba levi* Puteaneus cum Excerptis Scaligeri & Politiani. in multis aliis extat, *brevi.* HEINSIUS. Veteres omnes editiones & major pars ſcriptorum, *alba*

Prima loco fertur paſſis Victoria pennis:
Huc ades; & meus hic fac, Dea, vincat amor.
Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis.
Nil mihi cum pelago: me mea terra capit.
Plaude tuo, miles, Marti: nos odimus arma.
Pax juvat, & mediâ Pace repertus Amor.
Auguribus Phoebus, Phoebe venantibus adſit:
Artifices in te verte, Minerva, manus.
Ruricolae Cereri, teneroque adſurgite Baccho:
Pollucem pugiles, Caſtora placet eques.
Nos tibi, blanda Venus, puerisque potentibus arcu
Plaudimus, inceptis adnue, Diva, meis.
Daque novae mentem dominae, patiatur amari.
Adnuit; & motu ſigna ſecunda dedit.
Quod Dea promiſit, promittas ipſa rogamus.
Pace loquar Veneris: tu Dea major eris.

Per

alba nigro; ut ſit, ex more Naſonis, oppoſitio, tam hic quam ſequenti pentametro, & reſpondeant ſequentia, *ſordide*, & *niveo*, ut recte Marius adnotavit. vid. ſupr. Eleg. I. 40. de modo ſyllabae primae in *nigro*, vid. ad Epiſt. II. 72. *alba tibi reſperſa eſt* Palatinus alter. *iſta nigro* Scriverii. BURMANNUS.

43. *Sed.*] Particula haec comica ſemper novum aliquid demonſtrat. ut apud Terentium Andr. I. III. 41. *Sed Myſis ab ea egreditur.* MARIUS.

45. *Sparſis Victoria pennis.*] *Paſſis pennis* Puteaneus, Sarravianus, Arondelianus, & quinque alii. recte. Claudianus lib. III. in Stilic. 204.

Ipſa duci ſacras Victoria panderet alas.

Ut ibi legendum, non *aedes*. ſic & de Pavone Horatius II. Sat. II. 26.

——— *Pictâ pandet ſpectacula caudâ.*

Noſter ſuperiore libro Eleg. VI.

Ite piae volucres, & paſſis plangite pennis.

Ita enim Arondelianus liber inter optimos. vulgati, *pectora plangite pennis.* ita *paſſae palmae*, Germanic. Arat. pag. 180. HEINSIUS.

46. *Huc ades atque meus.*] *Et meus hic* meliores. IDEM.

47. *Neptuno.*] Cui ſorte obtigit maris imperium in diviſione orbis, ut neminem latet. Scribit Suetonius Aug. cap. XVI. Auguſtum die Circenſium, quod pridie ejus diei cum Pompejo navali certamine dimicans, mala tempeſtate uſus ſit, ſolenni pompae *ſimulacrum Neptuni detraxiſſe:* ex quo patet, inter reliquas deorum imagines Circenſibus Neptuni quoque ſimulachrum afferri ſolitum. quod nunc dicit Naſo. MARIUS.

48. *Mea terra tenet.*] *Capit* meliores. quamquam & vulgata recta ſit. ut Epiſt. XVII.

Neſcio quo tellus me tenet iſta modo. HEINSIUS. Supra lib. II. Eleg. XI. 30.

Et, Felix, dicas, quem ſua terra tenet.

Ubi vide.

51. *Adſit.*] *Adſis* Mentelii liber.

52. *Artifices.*] *Lanificas* volebat Francius. ex I. Amor. XIII. 24. ſed non ſolis lanam facientibus, ſed omnium artium ſtudioſis praeerat, *Dea mille operum*, ut Noſtro lib. III. Faſt. 833. dicitur. nec ſolae lanificae ſpectabant Circenſes, ſed varii artifices, qui omnes Minervae plaudere jubentur. BURMANNUS.

53. *Agricolae.*] Meliores, *ruricolae.* HEINSIUS.

53. *Teneroque.*] Francius malebat, *plenoque.* ſed tenerum & formoſum, non ventricoſum fuiſſe & deformem Bacchum docuit Broukh. ad Tibul. II. III. 30. ubi & *Tener* dicitur. BURMANNUS.

55. *Puerique potentibus armis.*] *Pueriſque potentibus arcu* Puteaneus. recte. hinc illa, *Armipotens, ignipotens, omnipotens* & ſimilia. HEINSIUS. Forte melius eſſet, *potentibus arcûs.* ut ita paſſim Deae Diique *potentes* illarum rerum, quibus valent & praeſunt dicuntur. ita diva *potens frugum*, inf. Eleg. X. 35. Horat. III. Od. 25. *Naïadum potens.* & ita paſſim Poëtae. antiquus lapis apud Spon. Miſcel. Erud. pag. 76. *Jupiter tempeſtatum potens.* & pag. 91. *Mercurius lucri potens.* & millia notae hujus. nec tamen *arcu* damnem. BURMANNUS.

56. *Pandimus.*] Sic quidem in omnibus impreſſis exemplaribus legitur, ſed corrupte: manuſcripta enim habent, *Plaudimus:* & ſic omnino legendum eſſe quis non videt? MARIUS.

57. *Daque novam mentem dominae, ut patiatur amari.*] Rectius in MSS. codicibus legitur, *novae*, id eſt, cui nuperrime ſervire coepi. illud *ut* etiam

Per tibi tot juro teſtes, pompamque Deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti.
Sed pendent tibi crura: potes, ſi forte juvabit,
Cancellis primos inſeruiſſe pedes.
Maxima jam vacuo Praetor ſpectacula Circo,
Quadrijuges aequo carcere miſit equos.
Cui ſtudeas video: vincet cuicumque favebis.
Quid cupias ipſi ſcire videntur equi.
Me miſerum! metam ſpatioſo circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe ſubit.

Quid

eſt in MSS. licet impreſſi codices non habeant. Marius. Libri praeſtantiores *ut* non agnoſcunt. Magna etiam pars codicum, *novam mentem. novam dominae mentem* Excerpta Douzae. Scribe:

Daque bonam dominae mentem.

Libro I. Eleg. II.

Mens bona ducetur manibus poſt terga revinctis.

Lib. II. Eleg. VIII.

Quid quod, in ancilla ſi quis delinquere poſſet,
Illum ego contendi mente carere bona. Heins.

Nihil muta. *novam dominam* vocat, quam in Circo viderat, & tum demum amare coeperat. forte tamen ſcripſerit, *Daque novae hanc mentem dominae, patiatur amari.* in Francof. erat, *Daque meam dominae mentem.* acute. ut aequa ipſi ſit pars amoris mecum. Burmannus.

60. *Pace loquor Veneris.*] *Loquar* vetuſtiores. ut Epiſt. XVIII.

Vera loqui liceat, quam ſequor, ipſa Dea eſt.

Malim etiam, *major eras.* Heinsius. Vid. Epiſt. XIV. 45. & VII. Metam. 549. *Tu mihi major eris* Francofurtenſis.

61. *Per ſuperos juro teſtes.*] *Per tibi tot juro teſtes. juro tibi*, eleganter. ſic lib. II. in Faſt. 841.

Per tibi ego hunc juro ſortem caſtumque cruorem.

Metam. III. 658.

Per tibi nunc ipſum (neque enim praeſentior illo
Eſt Deus) adjuro.

Epiſtola XV. 107.

Per tibi (qui nunquam longe diſcedat) Amorem,
Perque novem juro, numina noſtra, Deas.

Propertius libro II. Eleg. XX.

Oſſa tibi juro per matris & oſſa parentis.

Tibul. lib. IV. Eleg. XIII.

Per tibi ſancta tuae Junonis numina juro.

Sic ſcribe ex vetuſto codice; vulgati, *haec tibi*; vel, *haec per.* mox vetuſtiores codices, *tempus in omne peti*; non *fore.* Heinsius Solere in jurandi formulis praepoſitionem *per*, interjecta vocula, a ſuo caſu ſeparare veteres, docuerunt plurimi. vide Gronov. ad Liv. XXIX. 18. & Heinſ. ad Silii lib. I. ỳſ. 658. *teſtes* vero eſſe ſuperos, docent ea, quae diximus ad Epiſt. XXI. 234. Burmannus.

62. *Te dominam nobis tempus in omne fore.*] In lib. De Ponto IV. 5.

Se fore mancipium tempus in omne tibi.

Ciofanus.

64. *Cancellis primos inſeruiſſe pedes.*] Ad cancellos podii refer, quibus proximi ſpectabant Naſo & puella. qui remotiores a podio ſedebant ſcabellis imponebant pedem. hinc Noſter Artis Amatoriae primo, ỳſ. 162. ubi agit de Circenſibus:

Profuit & tenui vento moviſſe tabellam,
Et cava ſub tenerum ſcamna dediſſe pedem.

Heinsius. Haec ex Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 645. ſed ego *cancellos* fuiſſe aſſeres puto inferiores, (ut linea erat, ſuperior) quibus ſedili altiori inſidentes poterant pedes imponere. nam quae Marius ſomniat de foraminibus, per quae ſpectant, nugae ſunt. *impoſuiſſe pedes* Putean. Moreti & tredecim alii. Burmannus.

65. *Maxima jam vacuo praeco ſpectacula Circo.*] Carceres enim non removebantur, niſi prius a praecone ſignum datum erat: ergo ipſe praeco equos mittere videbatur. In quibusdam tamen manuſcriptis codicibus legitur, *Praetor*: quae lectio minime diſplicet. Siquidem apud Romanos praetores praeerant ludis exhibendis. unde Juvenalis Sat. VIII. 194.

Nec dubitant celſi Praetoris vendere ludis.

Idem X. 36.

Quid? ſi vidiſſet Praetorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere Circi?

Marius. *Praeco* in Maffeian. Ciofan. Inſulſe *praeco* in antiquioribus editis legebatur: agit enim de miſſione, cui ſignum dabat Praetor: vid. Juvenal. Sat. X. 36. Liv. VIII. cap. ult. Column. ad Enn. pag. 65. Heinsius.

65. *Vacuo.*] Male Marius a turba populi intelligit. *vacuo*, a pompa ſcilicet Circenſi, quae jam praeterierat.

66. *Quadrijuges.*] *Quadrijugos* Puteaneus, duo Moreti & alii multi.

67. *Cui faveas video.*] *Studeas* multi ex praeſtantioribus, quod probum. & forte pro, *favebis*, etiam *ſtudebis* reſcribendum. hinc, *ſtudia partium*

in

Quid facis, infelix? perdis bona vota puellae.
Tende precor validâ lora ſiniſtra manu.
Favimus ignavo. ſed enim revocate, Quirites;
Et date jactatis undique ſigna togis.
En revocant. at, ne turbet toga mota capillos,
In noſtros abdas te licet usque ſinus.
Jamque patent iterum reſerato carcere poſtes.
Evolat admiſſis diſcolor agmen equis.
Nunc ſaltem ſupera, ſpatioque inſurge patenti.
Sint mea, ſint dominae fac rata vota meae.

Sunt

in Circenſi certamine apud optimae latinitatis auctores. Terent. Prologo Hecyrae:

Comitum conventus, ſtudium, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.

Ita legit Donatus & interpretatur, *certamen diverſis faventium*, bene: nam in Terentio nunc *ſtrepitus*, pro *ſtudio* circumfertur. huc trahendum & illud Maronis in Georgic. de equo III. 498.

Studiorum atque immemor herbae. HEINSIUS.

Sed utrumque verbum *favere* & *ſtudere* in hac re aeque aptum. Martial. XIV. 131.

Si Veneto Praſinove faves.

Horat. III. Od. 24. *Turba faventium.* Valer. Flacc. IV. 228.

Nec ſonat Oebalius caveae favor.

Utrumque conjungit Horat. I. Epiſt. XVIII. 65.

Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Et Noſter III. Triſt. XII. 23.

Scena viget, ſtudiisque favor diſtantibus ardet.

Plin. IX. Epiſt. 6. *Nunc favent panno, pannum amant, & ſi in ipſo curſu medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium favorque tranſilit.* Suet. Calig. 30. *Infenſus turbae faventi adverſus ſtudium ſuum exclamavit. &c.* ita ut quocumque modo legas, nihil pecces. vide porro de hoc ſtudio, plauſu, acclamatione &c. Caſaub. ad Vopiſc. Aurelian. cap. XLVIII. & alios plures. BURM.

68. *Quod cupias.*] Immo, *Quid* cum Puteaneo & ſex aliis. HEINSIUS. *Quae* codex Douzae.

70. *Axe ſubi.*] *Subit* recte meliores. HEINSIUS. Si ita legatur per proximum debemus alterum agitatorem intelligere, qui flectente primo nimis ad dextram, ſubibat admoto curru metam. ſed & *ſubi*, recte, ut adhortantis ſit, poteſt retineri. BURM.

71. *Perdis.*] Malebam, *prodis.* HEINSIUS. Male. ſic Epiſt. VII. 6. *Perdere verba.* vid. & II. Amor. II. 53. & paſſim.

72. *Tende precor validâ lora ſiniſtra manu.*] Hic mirari licet inſignem Criſpini eruditionem, qui explicat, *ut equi, qui nimium in dextram partem & ad metam inclinant, ad ſiniſtram reducantur.* Quis umquam audivit metam ad dextram fuiſſe? *a meta declinant* debuiſſet dicere, ſi Circi aliquam cognitionem habuiſſet. ne in re protrita verba perdam, vide poſt Onuphrium & Bulengerum, Fabretti Syntagm. ad Column. Traj. cap. VI. pag. 146. & ſeq. clamat ergo Poëta, ut ad ſiniſtram, prope metam equos flecteret, qui ſpatioſo nimis orbe facto a meta longius abibant. rectius *Breviaria* huic homini pio dediſſent interpretanda, libris in uſum Delphini edendis praefecti, quam Naſonem, qui ſaepius interpreti ſuo minime intelligitur. in uno Mentelii erat, *Flecte.* BURMANNUS.

73. *Sed eum.*] *Sed enim* idem probe. ſic apud Virgilium lib. X. Aeneid. 16.

Aeneas agnovit enim.

Ex MS. reſcribendum pro, *eum.* HEINSIUS. Poſſet & diſtingui, *Favimus ignavo ſed enim; Revocate.* ut apud Virgil. II. 163.

Impius ex quo Tydides ſed enim.

Ubi Servius eſſe *hyſteron proteron* notat, pro *ſed enim ex quo impius.* ſuo loco has particulas poſuit Noſter lib. I. Metam. 530.

Sed enim non ſuſtinet ultra
Perdere blanditias.

Cicer. VI. ad Att. I. *Sed enim οἰκονομία ſi perturbatior eſt, tibi adſignato.* idem vero notat, quod certe, enimvero. Gellius XII. 2. *Sed enim, quoniam his primis ſenſibus doloris voluptatisque &c. imbutus eſt, &c. idcirco affectiones iſtas &c. exſtinguere vix poteſt.* illud *revocate* etiam non intellexit Criſpinus, qui per *repetite* exponit: ſed reſpicit morem, quo in Circenſibus, ſi lenti & ignavi fuiſſent currus, alios poſcebant. ſic hunc agitatorem revocatum fingit, ſed, ut puto, novos equos agitaturum: primi enim & feſſi & ignaviores viſi erant ſpectatoribus. hujus moris veſtigium deprehendiſſe me puto apud Plutarch. in Syll. pag. 463. ubi de proelio Sullae cum Archelao agens ait: *Primos currus ignaviter emiſſos & lente invectos Romani propellentes cum riſu & plauſu, ut ludis Circenſibus ſolent, alios poſcebant.* BURM.

74. *Date jactatis.*] Vide de hoc more Turneb. XXV. Adv. 28. & Ferrar. de Re Veſt. lib. I. cap. 34. & in Anal. II. 6.

78. *Et volat admiſſis.*] *Evolat* praeſtantiores. niſi

Sunt dominae rata vota meae: mea vota ſuperſunt.
Ille tenet palmam: palma petenda mihi eſt.
Riſit, & argutis quiddam promiſit ocellis.
Hoc ſatis hic. alio cetera redde loco.

malis cum Juniano & tribus aliis. *Et volat emiſſis. emiſſis*, ſcilicet carcere. optimus Palatinus, *Advolat amiſſis.* HEINSIUS.

78. *Diſcolor.*] De coloribus Circenſium agitatorum, & de pluribus ad Circum ſpectantibus, vid. Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 629. & ſeqq.

78. *Agmen.*] Proprie: nam Quintus Curt. lib. IV. 13. *In dextro, inquit, cornu locati ſunt equites, quos agmina appellant.* Autores tamen ſaepenumero confundunt. *Nunc ſaltem*, q. d. ſi antea ignavus fuiſti. MARIUS. In Curtii loco legitur, *agema*, Graeca ſcilicet appellatione, ἄγημα, de quo vide Freinsh. in Indice. ſed tamen vera eſt obſervatio Marii, etiam *agmen* de equitibus dictum olim. Idem Curt. III. 11. *Macedones cum rege in equitum agmen irrumpunt.* & lib. IV. 16. *Cum repente apparuit agmen equitum.* & alibi. BURMANNUS.

79. *Supera.*] *Propera* Palatinus unus.

80. *Sint mea fac dominae, ſint.*] Legitur etiam in manuſcriptis:

Sint mea, ſint dominae fac rata vota meae.

Quod magis placet. MARIUS.

82. *Petenda mea eſt.*] *Mihi eſt* prima editio; Arondelianus, & Sarravianus, cum ſex aliis. HEINS.

83. *Riſit.*] Hic verſus citatur a Scholiaſte Juvenalis MS. Voſſianae Bibliothecae ad Sat. VII. ỳſ. 241. ſub nomine Perſii, ubi *arguto ocello* legitur. HEINSIUS.

84. *Hoc ſatis eſt.*] Vetus lectio habet, *hoc ſatis hic.* ſubaudi *ſit*, & ſic legendum eſſe ſequentia oſtendunt. MARIUS. Excerpta Douzae, *Hoc ſatis hic.* quod & Naugerius in ſuis invenerat. ſequor. duo alii ex noſtris, *Haec ſatis hic.* etiam non male. HEINSIUS. Vid. ad lib. II. Eleg. XIV. 44.

84. *Cetera.*] Concubitum: dictum ut *omnia*, de quo ad Petron. cap. XI. ſic lib. I. Eleg. V. *Cetera quis neſcit?* & I. Art. 669.

Oſcula qui ſumſit, ſi non & cetera ſumet.

In illa vocula *quiddam*, quod promiſit, latet etiam Veneris & noctis promiſſio. vide Paſſerat. ad Tibull. I. 11. pag. 77. ad Propert. II. IV. pag. 262. & pag. 324. BURMANNUS.

ELEGIA III.

ESſe Deos, i, crede. fidem jurata fefellit:
Et facies illi, quae fuit ante, manet.

Quam

1. *Eſſe Deos credamne.*] Puteaneus & optimus Palatinus, *hic crede.* Scribe, *i, crede.* elegans loquendi modus, ſed non raro ab oſcitantibus librariis interverſus. de quo nonnihil jam ad Claudianum diximus, & ſupra ad Epiſt. IV. ỳſ. 127. Epiſt. IX. 105.

I nunc, tolle animos, & fortia facta recenſe.

Epicedio Druſi 363.

I nunc, & rebus tantâ impendente ruina,
In te unam oculos & tua damna refer.

Art. Am. I. 322.

Atque ait exta tenens, Ite, placete meo.

Remed. 213.

Tu tamen i, quamvis firmis retinebere vinclis.
I procul, & longas carpere perge vias.

Ita ex veſtigiis membranarum utroque loco ſcribendum. & poſtea 487.

Quaeris, ubi invenias? artes, i, perlege noſtras.

Sic veterrimus Regius. & denuo 423.

Tu tamen, i, numero pugna; praeceptaque in unum
Contrahe.

Et 537.

I fruere usque tua nullo prohibente puella.

Elegia de Nuce 135.

Scilicet ite, oleas diſtringite, caedite meſſes.

Ita & illic ex veſtigiis veteris ſcripturae emendo. Faſt. VI. 594.

Si vir es, i, dictas exige dotis opes.

Ubi perperam *indictas* nunc legitur. Pont. II. Eleg. III.

Nil niſi quod prodeſt, carum eſt. i, detrahe menti
Spem fructus avidae, nemo petendus erit.

Sic & ibi ex veſtigiis codicum refingo. Virgilius VII. Aeneid. 426.

Tyrrhenas, i, ſterne acies: tege pace Latinos.

Catalectis Pithoei, pag. 25.

I nunc, & vitae fugientis tempora vende
Divitibus coenis.

In iisdem pag. 33.

I nunc, & Reges tantum fuge, vivere doctus.
Uni vive tibi, ne moriare tibi.

Sic ſcribo. veterrimus enim codex Voſſii ſub finem,

nam

Quam longos habuit nondum jurata capillos,
Tam longos, poſtquam numina luſit, habet.
Candida candorem roſeo ſuffuſa rubore
Ante ſtetit: niveo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus: pedis eſt aptiſſima forma.
Longa decensque fuit: longa decensque manet.
Argutos habuit, radiant ut ſidus, ocellos;
Per quos mentita eſt perfida ſaepe mihi.
Scilicet aeterno falſum jurare puellis
Dî quoque concedunt; formaque numen habet.

Perque

nam moriare. eſt ironia. idem codex, *Nunc & Reges tantum fuge.* nimirum excidit Τὸ *I* initio verſus. alluſit ad illa Martialis lib. x. Epig. xcvi. *I, cole nunc reges.* ſic ſupra Amor. i. Eleg. vii.

I nunc magnificos victor molire triumphos.

Veterrimus Puteaneus *I* non agnoſcit. unde alii codices poſtea finxerunt, *Nunc jam, Nunc nunc, Nunc tibi* & ſimilia. Martialis lib. xi. Epigr. 71.

Vende ſenes ſervos, agros, i, vende paternos.

Sic & ibi lego. nam duo libri veteres, *ignoſcent vende.* nihil uſitatius hoc loquendi modo apud Poëtas. Apulejus Metam. viii. *Quin equos inſcendimus? quin ocius indipiſcimur? i, cape venabulum: en ego ſumo lanceam.* ita lego. nunc minus bene circumfertur, *& cape venabulum, & ego ſumo lanceam.* Noſter Metam. xii. 474.

——— ——— *Columque,*
I, cape cum calathis.

Sed illud minus obvium, pari modo *abi* illos dixiſſe. Lucretius libro iii. 967.

Auſer, abi, hinc lacrimas, balatro, & compeſce querelas.

Ita locus mendoſiſſimus fingendus. vulgati frigide:

Auſer abhinc lacrimas, barde & compeſce querelas.

Scripti plerique, quos inter duo Voſſiani veterrimi, *baratre.* unus Lambini, *baratro.* quod illi fruſtra arriſit. *balatronem* pro homine nihili aut nugaci veteres videntur ſumſiſſe. quo ſignificatu etiam apud Varronem occurrit libro ii. de Re Ruſtica cap. v. vide Feſtum in *Balatrones*, & Obſervationes parentis mei ad lib. ii. Sat. iii. Horatii. D. Hieronymus Epiſtola cxiii. *Ne me putes in modum ruſtici balatronis cuncta Origenis reprobare.* haec παρέργως. Heinsius. Opinionem hanc de perjurii poena illuſtrat Turneb. lib. xxvi. Adv. cap. 31. & Caſaub. Lect. Theocr. cap. 10. & Comm. ad Horat. ii. Od. 8.

1. *Credam?*] Omnino (ut eſt in manuſcriptis) apponenda eſt interrogativa particula, *ne:* ut ſtet verſus. nam *fides* corripit primam ſyllabam. Legendum igitur eſt, *Eſſe Deos credamne? Jurata*; quae juravit. Legitur etiam, *perjura.* Marius.

2. *Manet.*] Sic lib. iv. Triſt. Elegia x.

Et ſtudium nobis, quod fuit ante, manet.

Ciofanus.

3. *Nondum perjura capillos.*] Sic Maffeian. Probo. Ciofanus. Antiquae editiones & multi ſcripti, *nondum jurata*, quod repudiatum nollem. ita enim pro antequam juraſſet, ponebant. Epiſt. xx. 227.

Appeteres talem vel non jurata maritum;
Juratae vel non talis habendus erat.

Remed. Amor. 303.

Sic mihi juravit, ſic me jurata fefellit.

Et paſſim alii. Burmannus.

4. *Poſtquam numina laeſit.*] Rectius, *luſit*, quinque ſcripti, cum Excerptis Jureti. ſic infra 20.

Et mecum luſos ridet inulta Deos.

Fallere Deos Epiſtola ii. vſ. 37. ut illic obſervavi. Heinsius. *Laedere* praefert Janus Broukh. ad Tibul. i. Eleg. x. 6. quem vide. & certe mox 31. *Superos laeſos* vocat. ita *ludere* & *laedere* confundi vidimus ad Quinctil. vi. Inſt. 3. Burman.

6. *Ante ſtetit.*] Ita primus edidit Heinſius. monere autem neglexit, ſe ſecutum auctoritatem codicis Politiani. ante legebatur, *fuit.*

7. *Aptiſſima*] *Artiſſima* meliores. fruſtra. Heins. *Artiſſima forma* vitium eſſet, aeque ac maxima. vid. Gronov. Diatr. Stat. cap. 25. ſed *aptiſſima* eſt decens, juſta. ſic lib. i. Amor. 6.

Aptaque ſubducto pondere membra dedit.

Vide Junium de Pictura lib. iii. cap. ix. §. 35. Burmannus.

9. *Radiant ut ſidus.*] Divini hoc aliquid eſſe credebant: vide Suet. Aug. cap. lxxix. & ita Schol. Apoll. pag. 172. dicit ex Augeae oculis viſos fuiſſe radios effulgere. vid. Barth. ad Claud. iv. de Laud. Stilich. 458. praecipue in puellis, *fulgentes lucidum oculos*, ut ait Horat. ii. Od. xii. probabant. unde tot comparationes cum ſideribus, Lucifero, Luna &c. vide Jun. de Pictura lib. iii. cap. ix. §. 8. *Ocelli* multi editi & ſcripti. Burm.

11. *Scilicet aeterni.*] *Aeterno* prima editio cum Puteaneo, optimo Palatino & ſex aliis, quod eſſet

Perque ſuos illam nuper juraſſe recordor,
Perque meos oculos; & doluere mei.
Dicite, Dî; ſi vos impune fefellerit illa,
Alterius meritis cur ego damna tuli?
At non invidiae vobis Cepheïa virgo eſt,
Pro male formosâ juſſa parente mori.
Non ſatis eſt, quod vos habui ſine pondere teſtes,
Et mecum luſos ridet inulta Deos:
Ut ſua per noſtram redimat perjuria poenam,
Victima deceptus decipientis ero?
Aut ſine re nomen Deus eſt, fruſtraque timetur;
Et ſtultâ populos credulitate movet:
Aut, ſi quis Deus eſt, teneras amat ille puellas;
Et nimium ſolas omnia poſſe jubet.
Nobis fatifero Mavors adcingitur enſe:
Nos petit invictâ Palladis haſta manu.
Nobis flexibiles curvantur Apollinis arcus:
In nos alta Jovis dextera fulmen habet.

Formo-

eſſet pro, *aeternum*; ut habent duo alii. Plinius lib. II. cap. ult. *Viret aeterno hunc fontem igneum contegens fraxinus. Exit in Mutinenſi agro ſtatis Vulcano diebus.* Macrobius Saturnal. lib. VI. cap. I. *Virgilio etiam gratia habenda eſt, quod nonnulla ab illis in opus ſuum, quod aeterno manſurum eſt, transferendo fecit, ne omnino memoria veterum deleretur.* ſic Fl. Soſipater Carliſius ex Cicerone notat lib. II. *Arcano* & *tutiſſimo.* ex aliis, *conſulto*, *commodo*, *cotidio*, *heſterno.* ſic & *ſempiterno* Cato dierum dictarum de conſulatu ſuo apud eundem Cariſium. *Ego mihi monumenta haec ſempiterno poſui, quae poſui.* Solinus cap. XXXV. *Tenacibus foliis ſempiterno inumbrantur.* cap. XL. idem vocabulum denuo occurrit. HEINSIUS. Ita *tacito* Epiſt. XIII. 69. malebamus. Petron. cap. XLV. *Et ſempiterno nominabitur* ita dixerunt *matutino*, (vid. ad I. Art. 367.) *heſterno*, *cotidiano* & ſimilibus, de quibus ad Quinct. XII. Inſt. cap. 8. ita *verno* Amm. Marc. XV. 10. & XVIII. 4. ubi vide Valeſium. in quibus omnibus, *tempore*, vel ſimile quid ſubintelligi debet. BURMANNUS.

13. *Juraſſe recordor.*] Palatinus & ſex alii, *jurare*, quomodo veteres verbum *memini* ſemper conſtruxiſſe tradunt Grammatici. vide Agroet. de Orthogr. pag. 2268. qui ſemel modo Virgilium neceſſitate metri cum praeterito compoſuiſſe obſervat. Vide & Servium ad II. Aeneid. 12. IDEM.

14. *Et doluere mei.*] Puteaneus alter cum decem aliis & prima editione, *En doluere mei.* venuſte. vid. ad lib. I. Amor. Eleg. II. ỳſ. 10. IDEM.

15. *Dicite.*] Vid. ad Epiſt. XVI. 343.

15. *Fefellerit.*] *Fefellerat* meliores. HEINSIUS.

16. *Alterius meriti.*] *Meritis* optimus Palatinus & unus Moreti. HEINSIUS.

19. *Habui.*] E manuſcripti codicis auctoritate legendum eſt, *habuit:* ſequitur enim *ridet*, id eſt, irridet. MARIUS. *Habui* cum caſtigatioribus ſcribendum. HEINSIUS.

20. *Luſos.*] Et hic *laeſos* editiones priſcae & tres ſcripti. ſed quia *riſit* adjungitur, nihil muto. *Et mecum magnos* unus Palatinus. *riſit* Politiani. BURMANNUS.

24. *Et ſtulta.*] *Vana* Moreti alter. ut Virgil. VIII. 187.

Vana ſuperſtitio, veterumque ignara Deorum.

Sed infr. Eleg. XIV. 30.

Et liceat ſtulta credulitate frui.

BURMANNUS.

25. *Si quis Deus.*] *Si qui*, prima & aliae quaedam veteres editiones. vid. ad Phaedr. I. Fab. 13. vide tamen ad lib. II. Amor. IX. 25.

27. *Fatifero.*] *Peſtifero* Moreti tertius.

30. *Fulmen habet.*] Nihil quidem muto. dubito tamen, an non ſcripſerit, *agit* Naſo. quae verba ſaepe confuſa. ut Eleg. ſeq. ỳſ. 34.

Hic metus externae corpora gentis agat.

Ubi alii codices, *habet.* & ita paſſim. *agere* autem *fulmen* uſitata & electa locutio. Valer. Flacc. III. 353.

Hoc volucrumque minae, praeſagaque fulmina longo
Acta mari tulerant.

Statius

Formoſas Superi metuunt offendere laeſi:
Atque ultro, quae ſe non timuere, timent.
Et quisquam pia tura focis imponere curet?
Certe plus animi debet ineſſe viris.
Juppiter igne ſuo lucos jaculatur & arces.
Miſſaque perjuras tela ferire vetat.
Tot meruere peti. Semele miſerabilis arſit:
Officio eſt illi poena reperta ſuo.
At ſi venturo ſe ſubduxiſſet amanti,
Non pater in Baccho matris haberet onus.
Quid queror, & toti facio convicia coelo?
Dî quoque habent oculos: Dî quoque pectus habent.
Si Deus ipſe forem; numen ſine fraude liceret
Femina mendaci falleret ore meum.
Ipſe ego jurarem verum jurare puellas;
Et non de tetricis dicerer eſſe Deus.
Tu tamen illorum moderatius utere dono:
Aut oculis certè parce, puella, meis.

ELE-

Statius VI. Theb. 360.

Tunc aperit, quis fulmen agat, quis ſidera ducat Spiritus.

Et idem lib. I. 258. *Tonitrus agere* dixit. plura ad Valer. Flacc. II. 179. BURMANNUS.

33. *Curat?*] Non incommode fortaſſe in ſubjunctivo legeretur, *Curet?* ut eſt in exemplo Virgiliano lib. II. 48.

Et quisquam numen Junonis adoret.

Sed nullum ex multis exemplaribus, quae mihi ſunt, habeo, cujus auctoritate nitar. Idcirco non auſim immutare, cum praeſertim ſic quoque ſenſus optime procedat. Damnat enim Naſo tanquam dementem illum, qui diis ſacrificare curat. MARIUS. Virgiliana imitatio. vide quae notavi lib. II. Metamorph. CIOFANUS. *Curet* optimus Palatinus. ſed nil neceſſe. vide infra quae noto ad Eleg. VIII. ỳſ. I. HEINSIUS.

37. *Tot meruere peti.*] Id eſt, fulminibus feriri. Naſo in Remed. 370.

Summa petunt dextrâ fulmina miſſa Jovis.

Id eſt feriunt. in nonnullis tamen exemplaribus legitur, *Pati*: quae lectio valde placet. MARIUS. Elliptica locutio eſt: pro, Cum tot aliae meruerint pati, ſola Semele fulmine conflagravit. Sunt tamen codices, qui pro *Pati* habeant, *Peti*, quod ad fulmen propriè referendum: ut ſi dicas, *Meruere fulmine peti.* MICYLLUS. *Pati* in omnibus excuſis. In Maffeianis apertè legitur, *peti.* verè, ut puto. CIOFANUS. Melius, quod in aliis, *peti.* DAN. HEINSIUS. Imo, *peti.* fulmine nimirum. atque ita libri praeſtantiores. idque Ciofanus in uno ex ſuis invenerat. Elegia de Nuce 182.

Optavi valido fulminis igne peti.

Triſt. I. Eleg. I.

Me reor infeſto, cum tonat, igne peti.

In mortem Druſi 401.

Jupiter ante dedit fati mala ſigna cruenti,
Flammifera petiit cum tria templa manu.

Tibul. lib. I. Eleg. II.

Te Jovis imperio fulmina miſſa petant. HEINSIUS.

40. *Haberet onus.*] *Opus* Puteaneus & Barberinianus cum Scaligeri Excerptis. ſed *onus* rectum eſt. Adi Notas Faſt. III. ỳſ. 718. HEINSIUS.

41. *Toto facio convicia coelo.*] *Toti* magis arridet cum duobus ſcriptis. vide Notas Remed. Am. 507. IDEM.

45. *Juraſſe.*] *Jurare* Puteaneus, Arondelianus, & duo alii. HEINSIUS.

46. *Eſſe Deis.*] *Deus* idem cum prima editione & multis ſcriptis. HEINSIUS. Vid. ad VI. Faſt. 176. *Et non de duris* Puteaneus alter, Francofurtenſis & quinque alii.

ELEGIA IV.

Dure vir, impoſito tenerae cuſtode puellae,
Nil agis. ingenio quaeque tuenda ſuo.
Si qua metu demto caſta eſt; ea denique caſta eſt:
Quae, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam ſervaris bene corpus; adultera mens eſt:
Nec cuſtodiri, ni velit, illa poteſt.
Nec mentem ſervare potes, licet omnia claudas.
Omnibus occluſis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus. ipſa poteſtas
Semina nequitiae languidiora facit.
Deſine (crede mihi) vitia irritare vetando:
Obſequio vincas aptius illa tuo.
Vidi ego nuper equum, contra ſua vincla tenacem,
Ore reluctanti fulminis ire modo.
Conſtitit, ut primum conceſſas ſenſit habenas,
Frenaque in effuſâ laxa jacere jubâ.
Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.
Sic interdictis imminet aeger aquis.

Centum

1. *Impoſito cuſtode.*] *Appoſito* volebat Francius. ſed licet non obvia ſit locutio, pro praepoſito, praefecto regendae uxori; ita tamen verbum hoc ſumi docet Barth. ad Stat. VI. Theb. 321. Quinct. Decl. XIII. 9. de armentis, *ſed illa impoſitus cohibet magiſter.* & de *appoſito*, qua voce frequentius in hac re utuntur, vide Gebh. ad Nepot. Dion. IV. & Manut. ad Cicer. V. Verr. 41. Graev. ad VII. ad Fam. 2. Ceterum ejusdem fere ſententiae ſunt illa Menandri apud Stobaeum, quae nunc inter ejus fragmenta incerta n. 129. a Clerico ſunt relata. BURMANNUS.

8. *Omnibus excluſis.*] Prima editio & duo ſcripti, *occluſis.* venuſtâ repetitione. niſi ſuperiore verſu legas, *licet omnia ſerves.* quod eſt in quinque codicibus. HEINSIUS.

12. *Obſequio vinces aptius ipſe tuo.*] *Illa* meliores. quod ſequendum exiſtimo. *vincas* etiam unus Moreti. IDEM.

13. *Contra ſua frena tenacem.*] Legitur etiam, *ſua vincla.* MARIUS. *Vincla* meliores omnes recte. *frena* alterius interpretamentum eſt, quod & mox ſequitur. HEINS. Livius lib. XXXIX. 25. *Ut equum tenacem, non parentem, frenis aſperioribus caſtigandum eſſe.* ita & de hominibus. ut *tenax propoſiti* Horat. III. Od. ita *propoſitumque tene*, Noſter I. Art. 470. ubi & *difficiles juvencos* dixit & equis jungit. vide Pincier. Parerg. lib. II. 34. BURM.

16. *In effuſâ laxa jacere jubâ.*] Mollius erit carmen, ſi ut eſt in manuſcriptis, *effuſas jubas*, id eſt crines, legerimus. MARIUS. *In effuſâ jubâ* Puteaneus cum multis aliis. HEINSIUS. *In effuſis jubis* volebat Francius. *in effuſas comas* quidam ſcripti. *effuſa coma* quatuor. *lapſa* etiam quatuor.

20. *Et hos.*] *Ut hos* Francius. *Et hos omnes* Politiani alter & Palatinus primus.

21. *In thalamo Danaë ſaxo ferroque perenni.*] *In thalamum perennem* prima editio & caſtigatiores ſcripti. recte, *perennem.* Sidonius Apollinar. lib. X. Epiſt. ult. *Statuam perennem* pro aerea dixit:

Cum meam poni ſtatuam perennem,
Nerva Trajanus titulis videret.

Sic *perennem adamantem* Metam. XV. ℣ſ. 113. dixit. quem *invictum* vocavit Pont. IV. Eleg. XII. alludens ad Graecum *adamantis* nomen. Claudianus II. Stil. 39.

——— *Manſuroque adamante ligat.*

HEINSIUS.

22. *Quae fuerat virgo tradita, mater erat.*] Legitur etiam in manuſcriptis exemplaribus, *credita*, recte utrumque. MARIUS. Sic in altero Maffeian. In altero verò, *credita.* Quemadmodum in ſecundo

Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus: & hos unus saepe fefellit Amor.
In thalamum Danaë saxo ferroque perennem
Quae fuerat virgo tradita, mater erat.
Penelope mansit, quamvis custode carebat,
Inter tot juvenes intemerata procos.
Quidquid servatur, cupimus magis: ipsaque furem
Cura vocat. pauci, quod sinit alter, amant.
Nec facie placet illa suâ, sed amore mariti.
Nescio quid, quod te ceperit, esse putant.
Non proba sit, quam vir servat, sed adultera. cara est;
Ipse timor pretium corpore majus habet.
Indignere licet; juvat inconcessa voluptas.
Sola placet; Timeo, dicere si qua potest.
Nec tamen ingenuam jus est servare puellam.
Hic metus externae corpora gentis agat.
Scilicet ut possit custos, Ego, dicere, feci,
In laudem servi casta sit illa tui.
Rusticus est nimium, quem laedit adultera conjux;
Et notos mores non satis Urbis habet:
In quâ Martigenae non sunt sine crimine nati
Romulus Iliades, Iliadesque Remus.

Quo

do Fast. de Calisto. superiorem lectionem hic libentius sequor. CIOFANUS. Iidem meliores, *tradita*. HEINSIUS.

23. *Quamvis custode careret.*] *Carebat* meliores. Scriverianus, *vacaret*. sic lib. II. Metam. 422. *Jupiter ut vidit sessam & custode vacantem.* Epist. X. 59. *Vacat insula cultu.* HEINSIUS.

24. *Inter tam multos.*] *Inter tot juvenes* Puteaneus, quod sequor, quomodo & Scaligeri Excerpta & Arondelianus. HEINSIUS. Recte: *juvenis* enim adjective saepe ponitur. vid. ad Phaedr. II. Fab. 2.

26. *Praeda.*] Non quae est, sed futura sit. ut apud Virgilium lib. IV. 536. *Quos ego sum toties jam dedignata maritos.* Manuscripta tamen exemplaria habent, *Cura*, id est, servandi diligentia, & accurata custodia. & sic legendum esse, sequentia suadent. *Vocat*, provocat. Legitur etiam, *Cura facit*. MARIUS. *Praeda* multi editi & scripti. *Ipsa latronem praeda vocat* Moreti unus. *Ament* Palatinus.

27. *Amore mariti.*] *Amore magistri* Francofurtensis.

29. *Non proba sit.*] *Fit* Editio prima, Palatinus primus & septem alii. *sic* Bersman. Edit.

30. *Ipse timor.*] Ne scilicet custos sentiat furtum, & marito indicet. Propert. III. Eleg. X. 17. *Quid faciat nullo munita puella timore?* Et Eleg. XII. 23. *Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae.* Qui locus perperam ab interpretibus sollicitatur. HEINSIUS. Vide supr. II. XIX. 20.

31. *Indignere licet.*] Legitur etiam, *indulgere licet*, & sic *licet* erit verbum. inferius quoque ait, *si sapis, indulge dominae.* & supra, *obsequio vinces aptius ipse tuo.* MARIUS.

31. *Juvat inconcessa voluptas.*] Rectius in manuscriptis legitur, *juvet*, ut varies. nam sequitur, *sola placet*. MARIUS. *Juvat* in uno eorumdem librorum: placet. CIOFAN. *Placet* multi editi & scripti.

33. *Non tamen.*] Rectius in manuscriptis legitur, *nec tamen*, ut haec negativa sententiae sententiam copulet. MARIUS.

33. *Ingenuam.*] *Ingenuas puellas* Moreti. *fas est* Scriverii. *gentis habet* Moreti alter.

34. *Corpora.*] Id est ancillas. vid. ad Epist. III. 30.

35. *Ego dicere.*] *Tibi dicere* duo Heinsii. *per laudem* Junii. *in laudes* Sarravii & alter Puteaneus.

37. *Rusticus est.*] *Es* alter Medicêus. sed tunc *habes* mox legendum. HEINSIUS.

40. *Romulus Iliades, Iliadesque Remus.*] Iliae

Quo tibi formoſam, ſi non niſi caſta placebat?
Non poſſunt ullis iſta coïre modis.
Si ſapis, indulge dominae; vultusque ſeveros
Exſue: nec rigidi jura tuere viri.
Et cole, quos dederit (multos dabit) uxor amicos.
Gratia ſic minimo magna labore venit.
Sic poteris juvenum convivia ſemper inire:
Et, quae non dederis, multa videre domi.

alii ex Marte. Poſt hanc Elegiam in altero exemplari Maffeiano ſcripta eſt Elegia de ſomno; in altero poſt Elegiam, quae hujus libri octava numero eſt. Ego hic ponendam cenſui, ex qua eorumdem librorum ope, quas potero, mendas, auferam, ſive hic, ſive alibi eruditioribus collocanda videatur. CIOFANUS.

40. *Remus.*] *Remos* Puteaneus. HEINSIUS.

41. *Quid tibi formoſa.*] Alii, *Quid formoſa tibi.* prima editio & duo ſcripti, *Quid tibi formoſam.* Lege cum Puteaneo & optimo Palatino, *Quo tibi formoſam.* ut jam monuimus Epiſt. II. ℣ſ. 53. vid. & ad III. Amor. XIX. 7. Arondelianus, *Quo tibi formoſa.* vidit jam ad Senecam Gronovius. HEINS. Vide eumdem in omiſſis ad Statium. pag. 402. imperite Behotius II. Apoph. 4. defendit, *Quid tibi formoſa*, & *a* produci exiſtimabat.

41. *Si non tibi caſta placebit?*] Ita quidem, ſed corrupte in omnibus impreſſis exemplaribus legitur: ex hac enim lectione congruus ſenſus elici non poteſt. unde ex vetuſtiſſimi ac manuſcripti codicis auctoritate legendum eſt, *Si non niſi caſta placebat?* ut ſit ſenſus: Si caſta uxor tibi placebat, non formoſam ducere debebas. Juxta Biantis ſententiam illam, quae diſſuadet uxorem ducendam eſſe: Si deformem duxeris, poenam habebis: Si pulchram, communis erit. MARIUS.

46. *Magna.*] *Multa* quinque ex melioribus. *parta labore* tertius Moreti.

47. *Inire.*] *Adire* Politiani & Moreti. lib. I. Eleg. IV. 1.

Vir tuus eſt epulas nobis aditurus easdem.

Sic haec verba confuſa a librariis III. Art. Am. 712. & Remed. 578. de *inire*, vid. ad Epiſt. IV. 67. BURMANNUS.

48. *Et quae non dederis multa videre dari.*] Corruptiſſime ita legitur hoc carmen in impreſſis exemplaribus. Quaedam autem manuſcripta habent:

Et quae non tuleris, multa videre domi.

Et ſic omnino eſt legendum. ut ſit ſenſus: praeter quod ad convivia ſemper invitaberis, domi quoque tuae res creſcet: nam adulteri multa munera uxori tuae dabunt. *Non tuleris*, domum tuam non attuleris. *Videre*: ſubaudi à ſuperioribus, *poteris*. *Domi*, ſcilicet tuae. MARIUS. *Dederis*, codices meliores ad unum omnes. pro *domi* Barberinus, *dare*. Forte:

Et, quae non dederis, multa videre dari.

HEINSIUS.

ELEGIA V.

NOx erat: & ſomnus laſſos ſubmiſit ocellos.
Terruerunt animum talia viſa meum.

Colle

1. *Nox erat, & ſomnus laſſos ſummiſit ocellos.*] Elegiam hanc (ne quis miretur) in nullis adhuc impreſſis exemplaribus viſam, nos ex vetuſtiſſimorum codicum auctoritate curavimus in ſuo hoc loco reponendam: nec noſtra expoſitione indignam judicavimus. Ut enim non ſit in hac fortaſſe, quae in ceteris, limae perfectio: ſic non defraudanda videtur earum conſortio. Pulcherrimè enim Poëta hic narrat, ſe per quietem vidiſſe candidiſſimam juvencam in viridiſſimo prato paſcentem, huicque comitem taurum: eoque dormiente, cornicem advolaſſe, ac roſtro juvencae ipſius pectus inceſſiſſe, ita ut eam relicto tauro, abire ad alia taurorum armenta coëgerit. Poſt hanc ſomnii narrationem interrogat ſomniorum interpretem, quid haec ſibi viſa apportent. eumque inducit ita reſpondentem: taurum ſignificare Naſonem: juvencam autem, ejus amicam: cornicem verò, lenam: quae garrulitate ſua puellae animum pervertens, futura ſit cauſa, ut ab amica ſua Naſo deſeratur. MARIUS. Imo alieno loco hic ponitur. ſuo autem tum magis poneretur, ſi in primum librum transferretur, praecederetque vel ſequeretur octavam, cujus initium, *Eſt quaedam, quicunque*

volet

Colle ſub aprico celeberrimus iſice lucus
Stabat; & in ramis multa latebat avis.
Area gramineo ſuberat viridiſſima prato,
Uvida de guttis lene ſonantis aquae.
Ipſe ſub arboreis vitabam frondibus aeſtum;
Fronde ſub arboreâ ſed tamen aeſtus erat.

Ecce,

volet cognoſcere, lena, &c. Micyll. Haec Elegia, quae ſub finem operum Ovidianorum fragmenti nomine perperam hactenus legebatur, huc revocanda eſt ex fide optimorum ac veterrimorum codicum. uti parens meus jampridem monuit. Heins. Gryphius & Berſmannus, ut fragmentum ex Epigrammatis, ad calcem primi tomi rejecerunt. in prima editione eſt ſexta libri ſecundi, in Juniano codice legitur poſt Elegiam de Nuce, ubi & Aldus collocavit. in aliis poſt Elegiam in mortem Tibulli, in Francof. poſt Ibin. Burmannus.

1. *Laſſos ſubmiſit ocellos.*] *Lapſos* pro diverſâ lectione Sarravianus. utrumque probum eſt. ſic Seneca Epiſt. viii. *Oculos vigilia fatigatos cadentesque* dixit. Triſt. iii. Eleg. iii. 44. ex ſcriptis:

Labentes oculos condet amica manus.

Ubi plura. Propertius lib. i. Eleg. x.

Quamvis labentes premeret mihi ſomnus ocellos.

Et Eleg. iii. ejusdem libri:

Dum me jucundis lapſam ſopor impulit alis.

Ubi fruſtra *laſſam* Lipſius reponit. Noſter tamen Epiſtola Herus, *ſubit furtim lumina feſſa ſopor.* & Virgil. lib. v. in finem:

Feſſosque oculos furare quieti.

Idem Propertius lib. ii. Eleg. xv.

Illa meos ſomno lapſos patefecit ocellos.

Sic veteres libri. Quinctilianus in Prooemio lib. vi. de filio moriente: *Tuoſne, ô mea ſpes inanis, labentes oculos, tuum fugientem ſpiritum vidi?* Petronius cap. c. *Ego tremulis manibus Eumolpi, jam in ſoporem labentis, laciniam duxi.* Heinsius. Ita *laſſa lumina*, licet in alia re vii. Metam. 587.

2. *Terruerant.*] *Terruerunt* Puteaneus. recte. dixi Epiſt. vii. vſ. 166. Heinsius.

3. *Celeberrimus.*] Puteaneus, *Creberrimus.* ſic iv. Metam. 89. Heinſius ex libris ſcriptis reſtituit:

Arbor ibi, niveis celeberrima pomis.

Sic ii. Metam. 218.

Celeberrima fontibus Ide.

Ubi etiam MSS. eodem modo variant. ſic apud Sueton. Tib. 52. ex Torrenti & Salmaſii libris legendum: *Per noctes celeberrime acclamatum eſt, Redde Germanicum.* Quam lectionem firmat ſimilis noſtri locus lib. i. ex Pont. ix. 25.

Vox tamen illa fuit celeberrima, Reſpice, quantum
Debeat auxilii Maximus eſſe tibi.

Et ibi *creberrima* in nonnullis; & ipſius Suetonii altero loco in Neron. 40. *Unde illa vox ejus celeberrima, τὸ τέκνιον &c.* Noſter lib. vi. Met. 165.

Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba.

Et ibi *creberrima* quidam ſcripti. vide ad iv. Met. 48. & ii. Art. 705. Burmannus.

5. *Viridiſſima.*] Legitur in exemplaribus etiam *Nitidiſſima.* utrumque recte. Marius.

6. *Humida.*] Puteaneus, *Uvida.* Avienus Ora Maritima 522.

Uvetque ſemper dulcibus tellus aquis.

Apud Columellam initio libr. x. *Uvida natura habilis ſoli.* Valer. Flacc. lib. i. 288.

Illa quidem feſſis longe petit uvida palmis
Vellera.

Ita ſcribo, cum in vetuſtis codicibus legatur, *invida*; apud Plautum Rudente, i. iv. 31.

Siccine hic cum uvida veſte graſſabimur.

Sic *Uvida veſtimenta* apud Horatium lib. i. Od. v. ut eſt in libris antiquis. & *Uvidum Tibur* lib. iv. Od. ii. & lib. ii. Od. xix.

Tu ſeparatis uvidus in jugis.

Faſt. iv. 428.

Valle ſub umbroſâ locus eſt, aſpergine multâ
Uvidus ex alto deſilientis aquae.

Et 685.

Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam,
Parva, ſed aſſiduis uvida ſemper aquis.

Sic repono. nam libri veteres, *obvia.* Metam. lib. v. 390.

Frigora dant rami: varios humus uvida flores.

Sic & ibi lego. nam *humus humida* ingratum ſonat. Statio lib. iii. Sylv. Hercul. Surrent.

Loquitur pars uvida terrae.

Theb. vii. 331.

Quos uvida ſuſtinet Arna.

Quomodo ſcribendum reor, cum in vetuſtis nonnullis codicibus legatur, *vivida.* Virgilius lib. i. Georg. *& Jupiter uvidus Auſtris.* quomodo veterrimus Medicæus in Bucolicis dixerat:

Uvidus hybernâ venit de glande Menalcas.

Uveſcere apud Lucretium lib. primo 306.

Denique fluctifrago ſuſpenſae in littore veſtes
Uveſcunt.

Et *uvens*, de qua voce, ſaepius corrupta, videantur quae accurate diſputavit Gronovius Diatr. Stat. cap. xxiii. nos plura ad Silium iii. 522. Heins.

6. *Lene ſonantis.*] *Lene fluentis* Palatinus ſecundus.

Ecce, petens variis immixtas floribus herbas,
Conſtitit ante oculos candida vacca meos.
Candidior nivibus, tunc cum cecidere recentes;
In liquidas nondum quas mora vertit aquas.
Candidior, quod adhuc ſpumis ſtridentibus albet,
Et modo ſiccatam, lacte, relinquit ovem.
Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus:
Cumque ſuâ teneram conjuge preſſit humum.
Dum jacet, & lentè revocatas ruminat herbas,
Atque iterum paſto paſcitur ante cibo;
Viſus erat, ſomno vires adimente; ferenti
Cornigerum terrae depoſuiſſe caput.
Huc levibus cornix pennis delapſa per auras
Venit; & in viridi garrula ſedit humo.
Terque bovis niveae petulanti pectora roſtro
Fodit; & albentes abſtulit ore jubas.
Illa locum taurumque diu cunctata relinquit.
Sed niger in vaccae pectore livor erat.

Utque

9. *Ecce petens variis immiſtas floribus herbas.*] In uno Maffeian. *innexas*, non *immiſtas* legitur. CIOFANUS.

13. *Stridentibus albet.*] In eodem libro, *candentibus*. CIOFANUS. *Stridentibus ardet* Palatinus.

14. *Siccatam.*] Vide ad Quinctil. Decl. x. 3.

14. *Relinquit.*] In ambobus libris antiquis, *reliquit*, praeteriti temporis. placet. CIOFANUS. *Relinquit* Puteaneus & unus Vaticanus. HEINSIUS.

18. *Dum jacet & lentè.*] Hunc verſum citat Servius ad illa Virgilii Eclog. VI. ℣. 54.

——*Pallentes ruminat herbas.*

Removit (lege è MS. *revomit*) *atque iterum conſumit, atque iterum pacto paſcitur ante cibo.* Sic Ovidius. ubi etiam mendoſe legitur, *pacto*, quod tamen V. C. retinet. fruſtra autem hic Puteaneus, *facto cibo.* unus Palatinus etiam, *ruminat eſcas.* ut in Halieut.

Ut ſcarus epaſtas ſolus qui ruminat eſcas.

Paullinus ſexto Natali Felicis:

Armentum reduces dum gutture ruminat eſcas.

Sed *herbas* retinendum. nam & ita Seren. Sammonicus Compoſ. XXXIV.

Aut ovis in ſtabulis fractas cum ruminat herbas.

Et Virgilius loco adducto, quem imitatus Arnobius lib. v. contra gentes: *Contractis in ungulas greſſibus, ruminantem pallentes herbas.* HEINSIUS.

19. *Somno vires adimente ferendi.*] *Ferenti* Puteaneus, Arondelianus, & unus Moreti. ſcilicet, *terrae.* ſic Statius II. Theb. 178.

——*Quantâque ferentem*
Fortunam virtute domas!

Ita & *ferentes venti* Poëtis. fuit cum, *virenti terrae* ſcribendum cenſerem. quod confirmat Mentelianus. HEINSIUS.

20. *Cornigerum terrae.*] *Terrâ* Puteaneus & Arondelianus. IDEM. Vid. ad Eleg. II. hujus libri vers. 25.

23. *Terque bovis.*] In uno eorumdem, *atque bovis.* verius, ut puto. CIOFANUS.

24. *Fodit & albentes.*] *Caedit* Fragmentum Patavinum, quod placet. Scriverianus, *Rodit. Tundere* dixit Cicero Arateis:

Extremum nitens plumato corpore corvus
Roſtro tundit.

Julius Obſequens L. Sylla Q. Pompejo Coſſ. *Stratopedo, ubi Senatus haberi ſolet, corvi vulturem tundendo roſtris occiderunt.* & Virgil. de aquila Tityi VI. Aeneid. 598. *Immortale jecur tundit.* apud Plaut. Aſinar. II. I. 14. *Quid? quod picus ulmum tundit. haud temerarium eſt. Figere* de pico Noſter Metam. XIV. 392. *Duro ſera robora roſtro Figit.* Phaedr. Fab. III. de pavis graculum abigentibus, *Figuntque roſtro*, male illic nunc exſtat, *Fugantque.* HEINSIUS. Ego nihil mutem: nam *fodiebat* v. 39. repetitum, hic verbum illud ponendum eſſe jubet. ita VII. Metam. 314.

Marcentia guttura cultro Fodit.

Rodit erat in Juniano, ſed *roſtro rodere*, non eſt Ovidianum. BURMANNUS.

24. *Ore notas.*] In eodem Maffeian. *jubas.* in uno Vaticano, *comas.* mihi non liquet pronuntiare, ut legendum ſit. CIOFAN. *Jubas* aut *comas* de tauro dici non memini. quare ego legerem

cum

Utque procul vidit carpentes pabula tauros;
(Carpebant tauri pabula laeta procul)
Illuc se rapuit, gregibusque immiscuit illis;
Et petiit herbae fertilioris humum.
Dic, age, nocturnae, quicumque es, imaginis augur,
(Si quid habent veri) visa quid ista ferant.
Sic ego: nocturnae sic dixit imaginis augur,
Expendens animo singula visa suo:
Quem tu mobilibus foliis vitare volebas,
Sed male vitabas, aestus amoris erat.
Vacca puella tua est. aptus color ille puellae.
Tu vir, & in vaccâ compare taurus eras.
Pectora quod rostro cornix fodiebat acuto;
Ingenium dominae lena movebit anus.
Quod cunctata diu taurum sua vacca reliquit;
Frigidus in viduo destituere toro.
Livor, & adverso maculae sub pectore nigrae,
Pectus adulterii labe carere negant.

Dixe-

cum vulgatis, *notas.* &, cum Francof. qui pro *ore* habeat *inde*, refingerem, *albentes abstulit inde notas.* BURMANNUS.

25. *Reliquit.*] Rectius, *Relinquit* in Menteliano. HEINSIUS.

28. *Pabula lata.*] Legitur &, *pabula laeta*, quae lectio fortasse melior, quia inferius dicit, *& petiit herbae fertilioris opem.* MARIUS. *Lecta* Lincoln. & Moreti tertius; ego *laeta* retineo. Lucret. II. 317.

Nam saepe in colli tondentes pabula laeta
Lanigerae reptant pecudes.

Quinctilian. x. Instit. 5. *Alitur atque enitescit, velut pabulo laetiore, facundia.* BURMANNUS.

29. *Illic se rapuit.*] *Illuc* cum primâ editione & scriptis melioribus. sic alibi, *Quo te rapis?* HEINS. Vellej. II. 86. *Cum se Canidius praecipiti fuga rapuisset ad Antonium.* Francius malebat, *illo se rapuit.* vid. ad Epist. XVIII. 205.

30. *Et petiit herbae fertilioris opem.*] *Humum* Puteaneus & Sarravianus cum primâ editione, Jureti Excerptis, ac quatuor aliis scriptis. HEINSIUS.

32. *Ista valent.*] Legitur etiam, *ferant*, citra interrogationem. MARIUS. *Valent* editio Micylli. *Velint* Junii, & ita volebat Francius. ita IX. Metam. 273.

Me miseram! tacitae quid vult sibi noctis imago.

Anacreon. Od. XLIV. Τί βέλει ὄναρ τοῦ' εἶναι. BURMANNUS.

33. *Sic ego.*] *Sic mihi nocturnae respondit imaginis augur* Junianus.

34. *Excudens animo singula dicta meo.*] Legitur &, *Exponens*, in exemplaribus. MARIUS. In eodem lib. Maffeian. *Exponens.* In altero, *Expendens.* Non displicet. CIOFANUS. Quatuor, *Exponens.* totidem, *Expediens.* Quomodo Fast. IV. 669. in re simili:

Expedit errantem nemori gratissima conjux.

Unus, *Attendens.* duo, *Extendens.* unus, *Excedens.* unus Ambrosianus, *Excutiens*, non male. Vulgati quidam, *Excudens.* quod fortasse sit, *Excutiens.* ut lib. II. Trist. V.

Excutias oculis otia nostra tuis.

Excudere rarius Poëtis est usitatum; licet ita locutus sit Virgil. I. Aeneid. 174.

Ac primum silicis scintillam excudit Achates.

Sed ibi, ut ex suis MSS. annotat Pierius, legendum, *excussit.* & pro *silicis, silici.* sed tamen & lib. I. Georg. 133. quidam MSS. id verbum agnoscunt:

Ut varios usus meditando excuderet artis.

Sed rectius ibi, *extunderet.* nam v. 135. sequitur idem verbum, ubi mutari nequit:

Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.

Ita & v. 261. *Procudit.* Festus Avien. pag. 40. Edit. Grot. *Omne aevum studiis excuditis.* & pag. 115. *Elisos fulguris ignes Excudit.* sic legendum puto ad imitationem Virgilii. HEINSIUS. Mihi *excutiens*, quod Berlmanno se probabat, magis arridet, cujus alia verba sunt glossemata. vid. ad I. Eleg. VIII. BURMANNUS.

35. *Vitare solebas.*] Omnes libri scripti, *volebas.* perplacet. CIOFANUS.

40. *Ingenium dominae laeva movebat anus.*] In uno Maffeian. *laena movebat.* In altero, *perfida movebit*

45 Dixerat interpres. gelido mihi ſanguis ab ore
Fugit; & ante oculos nox ſtetit alta meos.

movit anus. In Vatican. *prona movebat.* Quî legendum ſit, alii videant. CIOFANUS. Scribe cum melioribus, ac primâ editione, *lena anus.* ſeptem alii, *prona. movebit* etiam rectius quatuor ſcripti. HEINSIUS.

45. *Gelido mihi ſanguis ab ore Fugit.*] In uno Maffeian. *gelidus.* CIOFANUS.

46. *Et ante oculos nox ſtetit alta meos.*] In eodem lib. *atra meos.* IDEM. Perpetuo librarii *atram* noctem pro *alta* repoſuere. vide Gronov. ad Senec. Thyeſte. 51. ita & apud Frontin. lib. II. Strat. CX. §. 1. legendum, *corpora alta nocte ſepelienda curavit.* Valer. Flac. II. 288. *Altae per opaca ſilentia noctis.* BURMANNUS.

ELEGIA VI.

AMnis, arundinibus limoſas obſite ripas,
Ad dominam propero; ſiſte parumper aquas.
Nec tibi ſunt pontes, nec quae ſine remigis ictu
Concava trajecto cymba rudente vehat.
5 Parvus eras, memini; nec te tranſire refugi;
Summaque vix talos contigit unda meos.
Nunc ruis oppoſito nivibus de monte ſolutis;
Et turpi craſſas gurgite volvis aquas.

Quid

1. *Amnis, arundinibus limoſas obſite ripas, Ad dominam propero; ſiſte parumper aquas.*] Amnis, de quo hic agit Poëta, is eſt, qui prope Sulmonis moenia labitur, quem noſtro idiomate *Vellam* dicimus. Vide quae jam notavi lib. IIX. in Metamorph. ỳſ. 555. Hic autem amnis adulto vere, liquefactis nivibus, & interdum ineunte autumno, imbribus mirandum in modum augeri ſolet, & alicubi priſtinum alveum relinquere, ita ut nemo hinc vel inde eum tranſire poſſit. Tale nactus impedimentum Ovidius, qui non longè ab Amoris fonte, ad Moroni montis radices, domum, cujus ingentia adhuc veſtigia ſuperſunt, quaeque *le botteghe d'Ovidio* vulgo vocantur, habuiſſe dicitur, Sulmonem ad amicam proficiſcens, hanc pulcherrimam & venuſtiſſimam indignatus ſcripſit Elegiam. CIOFANUS. Hic vero amnis ſive torrens ex eo genere fuit, quos Graeci ἀναύρους vocant & χειμάῤῥους. Homer. Iliad. Δ. 452. Apollon. Rh. I. Arg. 9. & ibi Schol. vid. & Stat. VIII. Theb. 460. & Serv. ad II. Aeneid. 305. Loenſ. v. Miſc. 21. & Alard. ad Val. Flac. I. 83. Noſtrum lib. VIII. Metam. 555. BURMANNUS.

2. *Propero.*] Dubium videri poteſt, an non *propero* ſit dativi caſus a *properus.* ut VII. Metam. 647.

Ecce venit Telamon properus.

Virgil. XII. Aeneid. 85. *Circumſtant properi aurigae.* vid. Serv. ad IX. Aeneid. 488. Mart. I. 47.

Cum dicis propero, fac ſi facis.

Aquam etiam meliores, ut mox ỳſ. 44. *Cedere juſſit aquam.* Virg. IV. Aeneid. 489. *Siſtere aquam fluviis.* inf. Eleg. XII. 34. eadem varietas & alibi. BURMANNUS.

3. *Non tibi ſunt pontes.*] Duo nunc ibi ſunt pontes; ſi qui alii fiunt, aquarum vi atque impulſu evelluntur, à quo verbo hic amnis nomen accepiſſe videtur. CIOFANUS. Sed unus Vaticanus, *Nec tibi ſunt lintres.*

3. *Remigis ictu.*] Septem libri, *uſu.* ut Eleg. VII.

Hanc tamen in nullos tenui mihi languidus uſus.

Faſt. IV. 657.

Uſus abeſt Veneris.

Duo Moreti, *ſine remigis arte.* HEINSIUS.

7. *Oppoſitis.*] Rectius in manuſcriptis legitur, *Oppoſito*, id eſt, adverſo monte: hic enim mons è regione & in conſpectu fluminis erat. Fortaſſe de Soracte intelligit, de quo Horat. lib. I. Od. 9. ait:

Vides, ut alta ſtet nive candidum Soracte.

Eſt autem hic mons (ut lib. V. ſcribit Strabo) juxta Flaminiam viam in Phaliſcis, unde oriunda erat uxor Naſonis, ut ipſe inferius oſtendet. MARIUS. Hunc montem jam dixi *Majellam* vocari, qui adeò altus & ſublimis eſt, ut cum altiſſimis quibusque Italiae montibus de ſublimitate certare poſſit, in quo nix perpetuo ſervatur. CIOFANUS.

7. *Oppoſito nivibus de monte ſolutis.*] *Adpoſito* Puteaneus & reliqui majori ex parte: niſi quod in plerisque eorum, *appoſitis. appoſito monte* recte. ſic ſupra Elegia primâ hujus libri *appoſitam aquam* pro vicinâ dixit. Valer. Flaccus lib. V. ỳſ. 556.

— *Longa*

Quid properaſſe juvat? quid parca dediſſe quieti
Tempora? quid nocti conſeruiſſe diem?
Si tamen hic ſtandum; ſi non datur artibus ullis
Ulterior noſtro ripa premenda pedi.
Nunc ego, quas habuit pennas Danaeïus heros,
Terribili denſum cum tulit angue caput;
Nunc optò currum; de quo Cerealia primum
Semina venerunt in rude miſſa ſolum.
Prodigioſa loquor veterum mendacia vatum;
Nec tulit haec; nec fert, nec feret ulla dies.
Tu potius, ripis effuſe capacibus amnis,
(Sic aeternus eas) labere fine tuo.

Non

—— Longo nam tuta receſſu
Puppis, & appoſita fluvius defenditur urbe.

Ubi pari modo in vulgatis libris peccatur. Plinius VI. 22. *Portus contra meridiem oppido appoſitus.* Seneca Troadibus 221. *Appoſita celſo parva Lyrneſſos jugo.* ubi perperam *impoſita* reponunt adverſus fidem meliorem codicum. apud Maronem ex antiquis membranis lib. III. Georg. 212.

Atque ideo tauros procul atque in ſola relegant
Paſcua, poſt montem appoſitum.

Pomponius Mela de antro Corycio lib. I. cap. 13. *Appoſitus litori mons.* Plinius lib. VI. 1. *Oppidum Heraclea Lyco flumini adpoſitum.* Solinus XLIII. *In quo oppidum Heraclea appoſitum Lyco flumini.* ſic utroque loco ſcribendum eſſe homines eruditi jam viderunt. Corippus:

Portus, quem geminae complexant brachia ripae
Moenibus appoſitis.

Propertius lib. II. Eleg. IX.

—— Dominum lavit captiva cruentum
Appoſitum flavis in Simoënta vadis.

Quomodo locus vexatiſſimus ſcribendus. ni mavis, *appoſito Simoënte.* de *fluviis vadis* nollem argutati eſſent viri eruditi. Amor. I. Eleg. XIV.

—— Appoſitas ſparſit in ora roſas.

Infra Eleg. XIV.

Appoſitâ populum ſubmovet ante ſerâ.

Ita codex optimus. plura qui cupit, adeat, quae notamus ad Epiſt. VII. 100. & IX. 60. HEINSIUS. *Appoſitos montes* etiam Plin. XXXI. 7. dixit, qui & paſſim hoc verbo utitur. nec nos negamus eleganter poni pro proquinquo. verum ego hic *oppoſito* retineo. vid. ad Epiſt. VI. 26. & IV. Metam. 601. Stabat enim Naſo contra montem. ut fingendus etiam eſt Horatius lib. I. Od. IX. *Sub monte* tertius Moreti. vid. I. Metam. 689. BURMANNUS.

8. *Turpi craſſas.*] Codex Moreti, *emiſſas*; forte, *ſpiſſas.* HEINSIUS.

9. *Quid parva dediſſe quieti Tempora.*] Alias legitur, *pauca*, recte utrumque. MARIUS. *Parva* libri quatuor. *Parca* Puteaneus cum Jureti & Scaligeri Excerptis. ſic lib. II. Eleg. XV. ſub finem ex codice Menteliano, *parcum proficiſcere munus*, *grana parca* ex antiquis libris Art. Am. lib. III. ℣ſ. 54. & Faſt. II. ℣ſ. 538. *venae parcae* Triſt. III. Eleg. ult. 34. ut ſcribendum puto. etiam Art. Am. III. 200. *parca aluta.* & *parca crimina* ex ſcriptis codicibus. HEINSIUS. Supra etiam vers. 5. in Scriveriano erat, *parcus eras*, unde apparet, non ubique id vocabulum, ubi librarii poſuerunt, eſſe adprehendendum. hic tamen probo. nam & Francofurt. conſpirat. *continuaſſe diem* etiam Palatin. ſecundus & Bernenſis. ſic lib. V. Faſt. 492.

Feſta inter ſe nullo continuata die.

Ita *latus lateri continuare* I. Art. 496. ubi & *conſeruiſſe* codices. ut II. Epiſt. 58. ſed paullum diverſa ſignificatione. BURMANNUS.

12. *Pede.*] *Pedi* rectius quinque libri. HEINSIUS.

15. *Opto.*] Malo, *optem.* Triſt. lib. III. VIII. 1.

Nunc ego Triptolemi cuperem conſcendere currum.

HEINSIUS.

16. *Venerunt.*] *Creverunt* Neapolitan. & quatuor alii.

18. *Nec tulit haec unquam.*] *Nec tulit haec, nec fert* duo Moreti, cum Neapolitano, Menteliano, ac uno Palatino, placet. ſic Homerus:

Ὃς ἤδη τὰ τ' ἐόντα, τὰ τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

De Calchante. Apollo apud Noſtrum Metam. I.

—— Per me quod eritque fuitque
Eſtque, patet. HEINSIUS.

19. *Effuſe capacibus.*] Hoc vix intelligo. ſi dixiſſet, *ripis ſuperfuſe*, id eſt qui egreſſus es alveum, redi ad fines tuos, ſenſus conſtaret; ſed neque *capacibus* placet conjungi cum *effuſe.* ſi enim ripae caperent, vel capaces eſſent aquae, nihil eſſet quod quereretur Poëta tranſiiſſe aquam fines ſuos: ripis enim, qui continetur fluvius, fine ſuo labitur. in Francofurtenſi optimo codice erat, *rapacibus.*

Non eris invidiae, torrens, (mihi crede) ferendae,
Si dicar per te forte retentus amans.
Flumina deberent juvenes in amore juvare?
Flumina ſenſerunt ipſa, quid eſſet amor.
Inachus in Melie Bithynide pallidus iſſe
Dicitur, & gelidis incaluiſſe vadis.
Nondum Troja fuit luſtris obſeſſa duobus,
Cum rapuit vultus, Xanthe, Neaera tuos.
Quid? non Alpheon diverſis currere terris
Virginis Arcadiae certus adegit amor?

Te

cibus. forte ſcripſerit, *rivis effuſe rapacibus.* ſic *rapaces undae* VII. Metam. 550. & *rapidae aquae* mox ỳſ. 80. & paſſim. *ripam* & *rivum* confundi vidimus ad Epiſt. v. 27. ſi vulgata ſervetur, poteſt votum intelligi, ut intra alveum, ſatis capacem, fluat. BURMANNUS.

21. *Non eris invidiae torrens (mihi crede) ferendae.*] Id eſt, non eris ſatis, ſive ſufficiens ad invidiam omnem ferendam ac ſuſtinendam. Sic & apud Livium: *Deûm benignitate remp. gratiae referendae eſſe.* Et rurſum: *Divites conferrent, qui oneri ferundo eſſent*, ſcilicet ſufficientes. κατ' ἔλλειψιν. MICYLLUS. Ita lib. x. Metam. 628.

Non erit invidiae victoria noſtra ferendae.

22. *Amor.*] Ex vetuſti codicis auctoritate omnino legendum eſt, *Amans*: licet parum bene pentametri verſus in participia hujusmodi deſinant. duriuſculi enim redduntur: ſed quando id parcius fit, tolerandum eſt. MARIUS.

25. *Inachus in Media.*] Fortaſſe *Melia* legendum, ut ſit Nymphae nomen. fit enim & ab Apollonio ſecundo libro mentio cujusdam Nymphae Bithynidis, quae Neptuno Amycum peperit:

Οὐ ποτε νύμφη
Τίκτε Ποσειδάωνι γενεθλίῳ ἐυνηθεῖσα
Βιθυνὶς Μελίη. NAUGERIUS.

Media quidem in omnibus impreſſis, & plerisque manuſcriptis exemplaribus legitur: nullus tamen ſenſus, qui mihi placeat, ex hac lectione elici poteſt. Idcirco diu animi nutavi, donec Franciſcus Mocenicus patricius Venetus, Magnifici Andreae filius, qui mihi & officiis & familiaritate eſt conjunctiſſimus, mihi horrendae vetuſtatis manuſcriptum codicem attulit, in quo ſcriptum legimus non *Media*, ſed *Melia*: & ſic omnino eſt legendum. Eſt enim nomen proprium nymphae, ex qua Neptunus Amycum ſuſcepit: ut refert Servius ſuper illud Virgilianum lib. v. Aeneid. 373.

Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat.

Et Apollonius lib. II. Argonaut. princip. de hac Melia Bithynide ita meminit, ὅν ποτε νύμφη τίκτε Ποσειδάωνι γενεθλίῳ ἐυνηθεῖσα Βιθυνὶς Μελίη. *Bithynide*: à provincia Bithynia, quae eſt in Ponti exordio, & Thraciam ab Oriente tangit: dicta à rege Bithyno. antea appellabatur *Bebrycia* & *Mygdonia.* MARIUS. Verbum *Inachus* & alterum *Media* de mendo mihi ſuſpecta ſunt: vel ſi cum Paganino corrigas atque emendes, *Melia.* Numquam enim reperias, ut quidem puto, Meliam Bithyniden ab Inacho fuiſſe amatam, niſi accipias Inachum, cùm fluvius ſit, pro Neptuno. Hujus Meliae (modò ita legi placeat) Bithynidis, quod & Paganinus vidit, mentio eſt apud Apollonium initio ipſo lib. II. Argonaut. De Neptuno & Bithynide, ex qua ille Amycum ſuſcepit, ita Hyginus Fab. 17. *Amycus fuit Neptuni & Melies filius, Bebryciae rex. In hujus regna qui venerant, caeſtibus cogebat ſecum contendere, & devictos perdebat. Hic cùm Argonautas provocaſſet ad caeſtus, Pollux cum eo contendit, & eum interfecit.* Mentio item eſt apud Apollodorum lib. I. Bibliothecae. Sed omnia, ut uno verbo concludam, ab hoc loco aliena eſſe mihi videntur. Locum diligentius examinent eruditiores. CIOFAN. Ad marginem codicis Scaligeri aſſcriptum erat, *Inachus in Melie.* & Parrhaſius, *Melia.* DAN. HEINS. Quidam, *in Nympha.* Excerpta Politiani, *Melia.* Puteaneus cum Excerptis Scaligeri, *Melie.* quomodo Parrhaſius Epiſt. VI. & Naugerius in Notis. qui videantur. Haec opinor Amici Bebrycis mater fuit. nam & illa Βιθυνὶς Μελίη Apollonio dicta initio libri II. Argonautic. hinc emenda Apollodorum libro primo, ubi Ἀμύκος Ποσειδᾶνος παῖς καὶ Βιθυνίδος dicitur. cum vox una excidiſſe videatur, & ſcribendum, καὶ Μελίης Βιθυνίδος. quamquam Scholiaſtes Apollonii ad illum locum incertum nomen apud nonnullos haberi matris Amyci teſtatur; uſus ad hoc Callimachi auctoritate. *Melien* quoque Valer. Flac. lib. IV. 118. appellat, & Hyginus. HEINSIUS. vide & Servium ad Virgil. v. Aeneid. 573. & Scholiaſten Statii ad lib. III. Theb. 353. ſed & *Melia* appellativum nomen pro Nympha arborum. vid. Friſch. ad Call. Hym in Del. 80 & Spanhem. BURM.

27. *Obſeſſa.*] *Oppreſſa* Moreti, Scriverii, Palatinus, Francofurt. & quatuor alii.

31. *Neae-*

Te quoque promiſſam Xantho, Penêe, Creüſam
Phthiotum terris occuluiſſe ferunt.
Quid referam Aſopon, quem cepit Martia Thebe,
Natarum Thebe quinque futura parens?
Cornua ſi tua nunc ubi ſint, Achelöe, requiram;
Herculis iratâ fracta querere manu.
Nec tanti Calydon, nec tota Aetolia tanti;
Una tamen tanti Deïanira fuit.
Ille fluens dives ſeptena per oſtia Nilus,
Qui patriam tantae tam bene celat aquae,

Fertur

31. *Neaeram.*] Sunt manuſcripta exemplaria, in quibus legitur, *Creüſam.* Verùm hanc fabulam apud nullum auctorem, neque Graecum neque Latinum, me legiſſe memini. & *Phitiadum* quidem in omnibus tam impreſſis quàm manuſcriptis exemplaribus legitur: ego verò legendum arbitror *Phthijadum*, à *Phthia*, quae Theſſaliae pars eſt auſtralis. MARIUS. Commentator hoc loco addit, in quibusdam exemplaribus ſcriptis, *Creüſam*, pro *Neaera* legi. quod non caret prorſus ratione: nam & Pindarus Ode IX. (ỳſ. 22.) Pythiorum, ex Creüſa Naïde & Peneo Hypſeam regem Lapitharum, patrem Cyrenes natum dicit. ipſam autem Creüſam γαίας θυγατέρα vocat. MICYLLUS. Libri veteres *Creüſam*, melius, ut puto. CIOFAN. Cave *Neaeram* pro *Creüſa* admittas, quae lectio non niſi in duobus vel tribus codicibus recentioris notae occurrit. Suſpicabar aliquando ſcribendum eſſe, *promiſſam Xutho Creüſam.* & intelligebam de Creüſa Erechtaei Athenarum Regis filia, quae Xutho Theſſalo Hellenis filio nupſit. rem narrat Pauſanias Achaïcorum initio: & Auctor de origine Gentis Romanae a Schotto editus cap. II. tum & alii, qui addunt ab Apolline compreſſam Iönem genuiſſe; atque hinc Apollinem πατρῷον ab Athenienſibus cultum. ſed cum Pindarus Pythiorum Ode IX. Creüſam Naïdem Terrae filiam, non Athenienſem illam, à Peneo amatam innuat, nunc muto ſententiam. de Xutho tamen placet conjectura, quod is Theſſalus fuerit. Xanthus toto orbe à Theſſalia remotus locum hic vix habet: praeſertim cum ejus amores paulo ante jam occurrerint. Nympham quoque Creüſam hanc facit Diodorus Siculus lib. IV. Bibliothecae: Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος, κατὰ τοὺς μύθους, παῖδες ἐγένοντο πλείους, ποταμῶν ἐπώνυμοι. ἐν οἷς καὶ Πηνειὸς, ἀφ' οὗ συνέβη τὸν ἐν Θετταλίᾳ Πηνειὸν ὠνομάσθαι. οὗτος δὲ, μιγεὶς Νυμφῇ τῇ προσαγορευομένῃ Κρεούσῃ, παῖδας ἐγέννησεν Ὕψέα καὶ Στίλβην. *Phthiotum* autem *terris* repoſuimus ex Puteaneo codice. in quo *Phiotum*, cum *Phthiiadum* ante legeretur. Certe Peneum Φθιῶταν Callimachus appellat Hymno in Delum, & Goltzius in Graecia nummum citat Φθιώτων. ſed quod codices plerique *Phitiadum* & *Phiciadum* agnoſcunt, opinor ſcribi debere:

——— *Creüſam*
Phthiada ſub terris occuluiſſe ferunt.

Creüſam Phtiada, ut ab Athenienſi altera Xuthi amica diſtinguat. De voce *Phthias* diximus ad Ep. VII. 165. HEINS. *Phtheiadum* Achil. Stat. ad Catul. comam Berenices, & *Maearam*, niſi vitioſa lectio librariis debetur.

34. *Natarum Thebe quinque futura parens.*] Has quinque recenſet interpres Pindari Ode VI. (ỳſ. 144.) Olympiorum, his nominibus: *Corcyra*, *Aegina*, *Salamis*, *Thebe*, & *Harpinna*: easque natas ex Metope dicit, quae filia Ladonis. Sed Ovidius alios ſecutus auctores videtur, qui matrem harum *Theben* facit, non *Metopen*: alii etiam plures Aſopi filias annumerant: ut *Cleonem*, à qua Cleonae oppidum juxta Nemeam: *Plataeam*, à qua Plateae oppidum Boeotiae: *Beroen*, à qua Beroe oppidum: item Euboiam, à qua inſulae nomen: & *Comben*, quae & *Chalcis* dicta. de quibus partim Pauſanias in Boeotia, partim Euſtathius in 2. Iliad. MICYLLUS. Rittershuſius notat ad Oppiani lib. I. ỳſ. 25. Herodotum duas nominare filias, *Theben* & *Aeginam*. quarum hanc, cum pater indicio Siſyphi cognoviſſet ab Jove raptam, perſequens fulmine tactus eſt. ut habet Callimachus, ejusque Scholiaſtes in Hymn. in Delum. 78. & repetit Schol. Apollonii lib. I. vid. & Lutat. ad Stat. VII. 317. & 424. Diodorus Siculus lib. IV. duodecim filias ei tribuit, quarum & nomina recenſet. Ceterum Scholiaſtes Pindari ad Od. VI. ỳſ. 144. ſex recenſet, illis, quas Micyllus enumerat, addens *Nemean.* BURMANNUS.

35. *Si tua ſunt ubi nunc.*] *Si tua nunc ubi ſint* meliores. recte. HEINSIUS.

40. *Tantae non bene celat.*] Tam magnus inquit fluvius non deberet fontem ſuum abſcondere; ſed manuſcripta exemplaria habent:

Qui patriam tantae tam bene celat aquae.

Quae lectio melior. MARIUS. In Neapolitano & Palatino primo erat, *tanta tam bene celat aqua.* forte pro *tacita aqua.* ut XIV. Metam. 601.

Tacitò deferre ſub aequora curſu.

Fertur in Euadne collectam Asopide flammam
Vincere gurgitibus non potuisse suis.
Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
Cedere jussit aquam: jussa recessit aqua.
Nec te praetereo, qui, per cava saxa volutans,
Tiburis Argei spumifer arva rigas.
Ilia cui placuit, quamvis erat horrida cultu,
Ungue notata comas, ungue notata genas.
Illa, gemens patruique nefas, delictaque Martis,
Errabat nudo per loca sola pede.

Hanc

Vid. ad xv. Metam. 275. Heinsius. Ego nihil mutem. *tanta* enim *aqua* convenit epitheto *divitis*, quo Nilum ornavit. unde mox ℣. 94. *divitias* vocat aquas copiosas, & II. Art. Am. 343. *opes. fractae aquae* Palatinus tert. *qui fontem tantae* Moreti, quae est glossa. vid. Epist. VI. 108. *Qui patriae tantas tam bene celat aquas.* Unus Heinsii. Burmannus.

41. *Evadne.*] *Evanne* duo libri: utrumque recte. Bersman.

43. *Siccus.*] Forte, *fictus.* Neptunus enim Enipei formam adsumserat. Propert. lib. I. Eleg. XIII. Heinsius.

45. *Nec te praetereo, qui per cava saxa volutas.*] *Volutans* Puteaneus & complures alii. ut apud Maronem III. 607.

Genibusque volutans Haerebat.

Deinde Sarravianus cum Menteliano, *Nec te praeteream.* Scribe, *Ne te praeteream.* cujusmodi errores plures in hoc opere deprehendimus. Idem.

46. *Spumifer arva rigas.*] Legitur &, *pomifer*, quod & Horatius lib. I. Od. 7.

Et praeceps Anio, & Tyburni lacus, & uda
Mobilibus pomaria ripis.

Utrumque recte. Naugerius. *Spumifer.* Necesse enim est, ut spumas faciat fluvius, qui volvitur per saxorum obices. Dixerat enim suprà, *Qui per cava saxa volutas.* Quaedam tamen exemplaria scriptum habent, *Pomifer*: quae lectio maximè placet. Nam & Propertius lib. IV. Eleg. 7. dixit:

Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis.

Et Flaccus lib. I. Carminum:

Et praeceps Anio, &c. Marius.

Spumifer iidem libri habent, male alii legunt, & in his Paganinus, *Pomifer.* Ciofanus. *Pomifer* Puteaneus & alii magno numero. optime. Tibur enim copia & praestantia pomorum laudatissimum antiquis. Propertius libro IV. Elegia septima:

Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis.

Sed & Silius Italicus *Pomifera Tiburis arva* dixit libro IV. 526.

Quosque sub Herculeis taciturno flumine muris,
Pomifera arva tenent Anienicolae Catilli.

Male illic circumfertur, *Anienicolaeque* contra auctoritatem veterum librorum. produxit enim & Virgilius primam in *Catillo* syllabam. de *Pomariis* Tiburis Horatius quoque, quem locum Naugerius jam vidit:

Et praeceps Anio, & Tiburni lacus, & uda
Mobilibus pomaria ripis.

Statius lib. I. Silv. III. 81.

Quid bifera Alcinoi laudem pomaria, vosque
Qui numquam vacui prodistis in aethera rami?

Symmachus libro VII. Epistola XIIX. *Num ego scire postulo, quid in Tiburtibus pomariis litterarum operis exerceas?* ubi *litterarii operis* scribendum. Columella in Horto:

Et Turni lacus & pomosi Tiburis arva.

Sed & recte Noster *Argeum Tibur* nuncupat. quomodo apud Horatium lib. II. Od. 6.

Tibur Argeo positum colono.

Martialis Epigrammate LVII. libro IV. de Tibure:

Tu colis Argei regnum, Faustine, coloni:
Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.

Ita optimae membranae. in vulgatis, *Argivi coloni.* Guntherus Ligurini libro IV. *Inter & Argeas pomosi Tiburis arces.* sic enim censeo castigandum. nunc circumfertur, *Argoas famosi Tiburis arces.* Heinsius. Quia hic Poëta agit de rapidis fluviis & magnis, recte censuit Broukhusius, optimus Poëtarum interpres, *Pomiferi* epitheton hoc loco valde esse debile, neque ad rem multum facere. vide eum ad Propert. lib. IV. Eleg. VII. ℣. 81. & certe melius *Spumifer* convenit fluvio, qui *per cava saxa volutat*, unde spuma oritur. & Dionys. Halicar. lib. V. cap. 37. de Aniene: Ὃς ἐκ πολέως μὲν Τιβύρων καθ' ὑψηλοῦ πολὺς ἐκχεῖται σκοπέλου, *qui ex oppido Tibure multus* (id est dives, copiosus) *effunditur de alto scopulo.* Statius quoque lib. I. Silv. 3. tribuit illi *tumidam rabiem*, & *spumosa murmura:* quod vero Silius eum *taciturnum* faciat, & lib. XII. 539. *Labi sine murmure* dicat, hoc suo jure facit. saepe enim Poëtae eosdem fluvios & placidos, & aliis locis rapidos fingunt. de quo plenius ad Valer. Flac. V. 180. agemus. Cl. Bentleius.

Hanc amnis rapidis animoſus vidit ab undis;
Raucaque de mediis ſuſtulit ora vadis:
Atque ita, Quid noſtras, inquit, teris anxia ripas,
Ilia, ab Idaeo Laomedonte genus?
Quo cultus abiere tui? quid ſola vagaris?
Vitta nec evinctas impedit alba comas?
Quid fles, & madidos lacrimis corrumpis ocellos?
Pectoraque inſanà plangis aperta manu?
Ille habet & ſilices, & vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.

Ilia,

jus vero ad Horat. I. Od. 7. legebat, *Pomifera arva rigas.* BURMANNUS.

47. *Quamvis erat horrida vultu.*] *Cultu* meliores cum prima editione. & hoc verum eſt. niſi quod Moreti unus, *horrida cultus.* ut ſit Graeciſmus. infra Tybris ad Iliam, *Quo cultus abiere tui?* HEINSIUS.

49. *Illa gemens patruique nefas.*] Exiſtimo ſcribendum, *patruumque nefas.* ſic & Noſter Metam. XI. 328.

Quem (miſera ô pietas!) ego tum patruoque dolorem
Corde tuli, fratrique pio ſolatia dixi.

Lib. XII. 598.

Annuit, atque animo pariter patruoque ſuoque
Delius indulgens.

Sic ſcribendum utroque loco ex optimis membranis. ut & Faſt. IV. 55. *Enſe cadit patruo Lauſus.* apud Maronem quoque in vetuſto codice Hamburgenſi exaratum offendi Aeneidos ſexto 402.

Caſta licet patruum ſervet Proſerpina limen.

Apud Horatium habes, *patruae verbera linguae.* Marcian. Capella lib. I. pag. 23. Edit. Grot.

Hic quoque ſic patruis ſervit honoribus.

Vide ad Claudian. Epith. Honor. V. 39. HEINSIUS. Ego contra codices nihil moveo, nec ſemper talia intrudenda invitis membranis puto.

50. *Per loca ſola.*] *Per loca ſicca* Politiani unus.

51. *Vidit ab undis.*] *In undis* Puteaneus alter, Francof. duo Moreti, & tredecim alii.

56. *Evinctas.*] *Incultas* Francof. Neapolit. Moreti duo, & Vaticanus unus. vid. II. Am. V. 45. alter Politiani, *impexas.* quod Heinſio non diſplicebat. vide ſupr. Eleg. I. 7. recte autem ſine vitta inducit Iliam, quia vitiata erat, virginitatemque, cujus inſigne vitta, perdiderat. pro *alba*, multi ſcripti, *ulla.* male. *albae* enim plerumque vittae, & praecipue ſacerdotum. vide Barth. ad Stat. Th. II. 738. IV. 218. & I. Achill. II. BURMANNUS.

57. *Madidos.*] *Teneros* editi olim, & unus Moreti a ſecunda manu. ſed mox ea vox repetitur, & ex lib. I. Art. 129. effictam lectionem puto, & *madidos* probat etiam Marius. IDEM.

58. *Plangis.*] Percutis. Legitur &, *Tundis*: utrumque bene. *Acerba*: aut, tu crudelis, aut pectora acerba, id eſt, aſpera & crudelia, quae ſuſtinent obtundi: ſed longe melior eſt antiqua lectio, *Aperta*, id eſt, nudata. MARIUS. *Tundis acerba*: unus Maff. alter, *Tundis aperta.* ſequor. CIOFAN. *Plangis* Puteaneus. parum refert. HEINSIUS. Inſr. Eleg. IX. ỳſ. 10.

Pectoraque infeſta tundit aperta manu.

Et Apulej. IV. Metam.

Tundere pectus infeſtis palmis.

Contra ſup. lib. II. Eleg. VI. 3.

Plangite pectora palmis.

Tundis inepta prior Medicêus. quod admodum placet, & *aperta* ex alio loco huc a librario intruſum puto. non eſt acerbum autem convicium *inepta*, cum & Deus dicat, & blanda additurus ſit verba. vid. Donat. ad Terent. Adel. VI. IV. 7. & ita ſaepe apud Noſtrum & comicos *inepti* dicuntur, qui aliquid rebus, perſonis aut tempori non congruens faciunt. vid. Terent. Eun. V. VII. 7. Andr. IV. V. 52. ſic & I. Art. 306.

Quid toties poſitas fingis, ineptà, comas.

Et I. Amor. XIV. 36.

Quid ſpeculum moeſta ponis, inepta, manu?

Remed. 472.

Officio natam laedis, inepte, tuo.

Et alibi. BURMANNUS.

59. *Et durum in pectore ferrum.*] *Vivum ferrum* Puteaneus cum Scaligeri Excerptis. optime. hoc eſt quod in Triſtibus dixit, lib. I. Eleg. 8.

Et rigidum ferri ſemina pectus habent.

Saepe autem ea vox ad res non animatas transfertur. ſic, *viva ſaxa* Ep. Hypſip. & lib. VII. Metam. *Vivum gramen, vivus ceſpes, vivi fontes, viva ſulphura, viva flamma.* & ſimilia paſſim apud Noſtrum aliosque veteres. Sulpitius Severus in Dialogis: *Donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in ſolo arente viviſceret.* Metam. VII. 77. *Extinctaque flamma revixit.* ita enim recte libri veteres. ubi plura. HEINSIUS.

60. *Laetus in ore videt.*] *Lentus* probe Puteaneus.

Ilia, pone metus; tibi regia noſtra patebit:
Teque colent amnes; Ilia, pone metus.
Tu centum, aut plures, inter dominabere Nymphas:
Nam centum, aut plures flumina noſtra tenent.
Ne me ſperne, precor, tantum, Trojana propago:
Munera promiſſis uberiora feres.
Dixerat. illa, oculos in humum dejecta modeſtos,
Spargebat tepidos flebilis imbre ſinus.
Ter molita fugam, ter ad altas reſtitit undas,
Currendi vires eripiente metu.
Sera tamen ſcindens inimico pollice crinem,
Edidit indignos ore tremente ſonos:
O utinam mea lecta forent, patrioque ſepulcro
Condita, dum poterant virginis oſſa legi!

Cur

neus. cum Scaligeri Excerptis. dixi ad Epiſt. xv. ℣ſ. 169. IDEM.

63. *Dominabere.*] Politiani liber, *celebrabere.* vid. ad IV. Metam. 46. & ad Eleg. praeced. ℣ſ. 3.

65. *Ne me ſperne.*] *Nec me* Edit. prima, Berſmanni & aliae. Bernenſis codex & ſex alii. ita & ſupr. Eleg. II. 24.

65. *Romana propago.*] *Trojana* Puteani & Scaligeri Excerpta & quatuor libri ex noſtris. ſupra dixit:

Ilia ab Idaeo Laomedonte genus.

Atque ita lib. III. Faſtor. initio, videtur legendum:

Tum quoque inermis eras, cum te Trojana ſacerdos
Cepit, ut huic urbi ſemina digna dares.

Et apud Statium lib. IV. Silv. II. 65.

——*Trojanae qualis ſub collibus Albae.*

Et confirmatur altero Statii loco lib. V. Silv. II. 168.

——*Trojanae collibus Albae.*

Quod doctiſſimus Gronovius jam vidit. Niſi Romanam propaginem accipis pro ea, unde Romani propagati. ut ita, *Romana Ilia* Horatio lib. III. Od. IX. HEINSIUS.

66. *Uberiora.*] *Ulteriora* Francofurtenſis. vid. ad lib. II. Eleg. IX. 10.

67. *Oculos humum.*] Et ſenſus & carminis ratio exigit, ut omnino legatur, *In humum*: & ſic eſt in manuſcriptis exemplaribus. *Dejecta*: pro, dejectos habens oculos modeſtos in terram. Eſt enim Synecdoche. ut apud Virgil. lib. I. 561.

Tum breviter Dido vultum demiſſa profatur.

MARIUS.

67. *Dejecta.*] *Defixa* alter Mentelii. vid. Epiſt. XXI. 113. *Dejecta parumper* Bernenſis.

68. *Tepido flebilis imbre ſinus.*] *Teneros* Puteaneus, optimus Palatinus, & unus Moreti cum Sarraviano, cui id pro diverſa lectione adſcriptum. alii multi cum prima editione, *tepidos ſinus.* Faſt. IV. 521.

Dixit, & ut lacrymae (neque enim lacrymare deorum)
Decidit in tepidos lucida gutta ſinus.

Art. Am. lib. II. 360.

Hoſpitis eſt tepido nocte recepta ſinu.

Lib. III. 622. ex auctoritate vetuſtorum codicum:

Quas tegat in tepido faſcia lata ſinu.

Epiſtola Briſeidis 116.

Te tenet in tepido mollis amica ſinu.

Martial. lib. IX. Epiſt. LIX.

Et latet in tepido plurima mappa ſinu.

Calpurnius Ecloga V.

——*Natosque tepenti*
Ferte ſinu tremulos.

Sed & *tepidas lacrymas* recte dici non inficior. HEINSIUS.

68. *Flebilis.*] Pro flente & moeſta poni videtur, ita Horat. IV. Od. 2. *Flebili ſponſae juvenem raptum.* Et ita poſſet capi Epiſt. XX. 106.

Nunc quoque Mygdonia flebilis extat humo.

Aliter eſt qui fletur; ut idem lib. I. Od. 34.

Multis ille flebilis occidit.

Et Noſter Epiſt. XIII. 48. & alibi. BURMANNUS.

70. *Currendi.*] Francius malebat, *currenti. Impediente metu* etiam plurimi ſcripti cum prima editione.

71. *Sera tamen.*] Tarda ad loquendum, quia ſcilicet diu tacuit. quaedam tamen exemplaria ſcriptum habent, *ſaeva.* quae lectio valde placet, quia ſequitur, *ſcindens inimico pollice crinem.* MARIUS.

Cur modo Veſtalis taedas invitor ad ullas
Turpis, & Iliacis inficianda focis?
Quid moror? en digitis deſignor adultera vulgi.
Deſit famoſis, qui notet ora, pudor.
Hactenus; & veſtem tumidis praetendit ocellis:
Atque ita ſe in rapidas perdita miſit aquas.
Suppoſuiſſe manus ad pectora lubricus amnis
Dicitur; & ſocii jura dediſſe tori.
Te quoque credibile eſt aliquâ caluiſſe puellâ:
Sed nemora & ſilvae crimina veſtra tegunt.
Dum loquor, increvit latis ſpatioſius undis,
Nec capit admiſſas alveus altus aquas.
Quid mecum, furioſe, tibi? quid mutua differs
Gaudia? quid coeptum, ruſtice, rumpis iter?

Quid,

Marius. Lege, *ſera*, cum Puteaneo & decem aliis. Nonnulli etiam, *ſero*. proxime verum. Triſt. IV. Eleg. IX.

Noſtraque vincetur lacrymis clementia ſeris.

Heinsius. Diverſitas illa lectionum venit inde, quia *ſera* ſaepe triſtia, adverſa notant. vide Stewech. ad Arnob. lib. VI. pag. 134.

73. *Mea tecta forent.*] Scribe, *mea lecta forent.* Nam Puteaneus ſequenti verſu optime, *dum poterant virginis oſſa legi*, non *tegi*, quod hactenus circumfertur. de oſſilegio dixi ad Epiſt. X. ỳſ. 150. & Paſſeratius ad Propert. lib. II. Eleg. 24. Heins.

73. *Patrioque ſepulchro.*] *Parvoque* Neapolit.

77. *Quid moror?*] Forte, *Quin morere.* Heins. Sed recte Marius haec illuſtrat illis Virgilii IV. 325.

Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
Deſtruat?

77. *Et digitis.*] Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *En digitis*, id eſt ecce. ut apud Virgil. lib. V.

En quatuor arae Neptuno.

Jam, inquit, infamis ſum, & fabula vulgi. Marius.

78. *Deſit famoſus.*] Palatinus, *famoſis.* locus corruptus. forte:

Deſine; damnoſus quid notat ora pudor?

Epiſt. XX.

Quid pudor ora ſubit?

Vel:

Ne ſit famoſus, qui notet ora, pudor. Heinsius. Legerem, *Deſit famoſis, qui notet ora, pudor;* adulteris notis, & jam criminibus ſe polluere adſuetis, deſit pudor; ſed mihi, Veſtali virgini, & intactae, pudor, quod digitis deſigner, ſubit, & prohibet plura loqui. & ideo veſtem pudore ſubeunte oculis praetendit. Burmannus.

79. *Tumidis.*] Turgidis propter fletum. ut apud Catullum:

——— *Meae puellae*
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Sed rectius in manuſcriptis codicibus legitur, *Timidis*: ut ſit cauſa, quam ob rem oculis veſtem Ilia praetenderit: quia timebat. ut ſupra:

Ter molita fugam, ter ad altas reſtitit undas,
Currendi vires eripiente metu. Marius.

Recte *tumidis* Puteaneus & quatuor alii, ex fletu tumentes intelligit. Tibullus lib. I. Eleg. VIII.

Et tua jam fletu lumina feſſa tument. Heinsius. Confirmat Heinſii, quae & Douzae fuit olim, correctionem Francofurtenſis. & ita capienda illa Suetonii, Tiber. cap. 7. *Semel ex occurſu viſam adeo contentis & tumentibus oculis proſecutus eſt.* ubi fruſtra corrigunt viri eruditi, & alii *tumentes* oculos, amatorios, exſtantes, & neſcio quos exponunt. & ſic *turgentes genas* Senecae Agamem. 760. vindicavit Gronovius. notat vero Douza obnuptam & velatam hic induci Iliam ex ritu priſco nuptiarum. Burmannus.

83. *Caluiſſe.*] Legitur &, *incaluiſſe.* Marius. *Incaluiſſe* alter Puteaneus & Excerpta Voſſ. ita Epiſt. XI. 25. *Ipſa quoque incalui.* & ſupr. vers. 26. *tepuiſſe* Francofurt. *tenera caluiſſe* Palatin. mox, *ſed nemus* Francofurtenſis.

85. *Vaſtis ſpatioſus in undis.*] Unum habeo exemplar, in quo ſcriptum eſt, *Latis ſpatioſius undis:* quae lectio vehementer mihi placet, ut *ſpatioſius* ſit adverbium. Marius. Iidem libri, *latis.* Ciofan. *Latis ſpatioſus in undis* noſtri. Naugerius ex ſuis malit, *latis ſpatioſius undis.* quod & Grutero arridebat, & jam editiones nonnullas occupavit. Heinsius. Mihi placet ſatis vulgata, *vaſtis ſpatioſus in undis.*

87. *Differs.*] *Perdis* Puteaneus alter & Excerpta Voſſii. ſed Epiſt. XVIII. 3. *Longa mora eſt omnis nobis, quae gaudia differt.*

89. *La-*

Quid? ſi legitimum flueres, ſi nobile flumen?
Si tibi per terras maxima fama foret?
Nomen habes nullum, rivis collecte caducis;
Nec tibi ſunt fontes, nec tibi certa domus.
Fontis habes inſtar pluviamque nivesque ſolutas;
Quas tibi divitias pigra miniſtrat hiems.
Aut lutulentus agis brumali tempore curſus:
Aut premis arentem pulverulentus humum.
Quis te tum potuit ſitiens haurire viator?
Quis gratâ dixit voce, Perennis eas?

Damno-

89. *Legitimum.*] Ita flumen dici, ut *legitima Hiſtoria*, *legitimum Poëma* Horatio, notavit Douza.

91. *Nivibus caducis.*] Quae de montibus cadunt. In quodam tamen vetuſtiſſimo codice legitur, *Rivis collecte caducis*: quae lectio magis placet. nam inferius paulo ait:

Fontis habes inſtar pluviasque nivesque ſolutas.

Marius. Libri potiores, *rivis.* & recte. de nivibus mox ſequetur. deinde Puteaneus. cum Scaligeri Excerptis *pluviamque* pro *pluviasque.* Heins. Aeque bene *nives caducas*, quam *rivos* dici puto. ita *caducas nives.* German. Prognoſt. ỳſ. 1.

Grandine permixtus Aries, nivibusque caducis &c.

Neque nives caducae, quae de montibus cadunt, ut Marius, ſed de coelo. ut *fulmen caducum* Horat. III. Od. 4. quod in *coruſcum* mutavit nuper Bentlejus. an feliciter, nunc non diſputo. incommode tamen mox *nives* repetuntur, quare *rivos caducos* interpretari per me licet cadentes per ſaxa, ut ſolent torrentes. Noſter II. Pont. VII. 39.

Jam dolor in morem venit meus; utque caducis
Percuſſu crebro ſaxa cavantur aquis.

Ita & *lacrimas caducas* Noſter VI. 396. & ita proprie *cadere* dicuntur torrentes & fluvii. Flor. III. 7. *Aoum amnem per abrupta cadentem*; ubi male *vadentem* edunt. Lucan. VIII. 255.

Jam Taurum, Tauroque videt Dipſanta cadentem.

Stat. I. Silv. III. 73. *Aut ingens in ſtagna cadit.* & ita millies. Burmannus.

97. *Quis te unquam potuit.*] *Quis te tum potuit* Puteaneus. probe. aeſtivo tempore nimirum, quando arentem humum pulverulentus premis. Heinsius.

97. *Viator.*] *Natator* Moreti tertius. quod non eſt de nihilo. ſic Epiſt. XIX. 90.

Magnus ubi eſt ſpretis ille natator aquis?

Burmannus.

99. *Damnoſus pecori curris, damnoſior agris.*] Comment. de potu nocivo, & quòd ex eo in morbos incidant pecora: ſed fortaſſe magis de inundatione ſtabulorum & paſcuorum intelligendum. In quibusdam etiam legitur:

Damnoſus pecori, cultis damnoſior agris. Micyl.

101. *Vae demens.*] Quidam legunt, *Nunc demens*: utrumque recte. Naugerius. *Vae demens*, valde demens. ut apud Virgil. in Buc.

Mantua vae miſerae nimium vicina Cremonae.

Vae enim particula (ut docet Gell. lib. v. Noctium Atticarum) interdum auget, interdum minuit: inde *vaehemens*, *vaegrande*, *vaeſanos*, & *vaecordes* dicimus. In quodam codice legitur, *Nunc demens*: in aliis manuſcriptis, *Nae demens*: quae lectio ſi tibi placet, expone: *Nae*, id eſt certè. ut apud Teren. *Nae ego homo infelix ſum.* Marius. *Vae* libri meliores magno numero cum prima editione. unus Medicêus, *ah demens.* Scriverianus, *vah demens.* Lege:

Huic egon' ah demens.

Sic Epiſtola XXI. 72.

Mentior ah demens! ille ſecundus erat.

Virgil. Eclog. II. 60.

Quem fugis, ah demens?

Deinde pro *fluminum amores*, quod praeter morem Naſonis durius, duo codices, *flumen.* unus, *flumini.* Optimus Palatinus, *flumis.* Latere mendum ſuſpicor. Heinsius. *Huic ego quas demens* Barberinus. *cur demens* Junii. Douza jam conjecerat, *huic egon' ah demens.*

103. *Neſcio quid ſpectans.*] Rectius fortaſſe in manuſcriptis legitur, *Neſcio quem*: id eſt, viliſſimum & ignobilem quendam torrentem aſpiciens. Cum contemptu enim dicimus, *Neſcio quis.* Sic infrà:

Ergo ego neſcio cui, quem tu complexa tenebas.

Scribendum etiam omnino eſt *Acheloon*: Latini enim vertunt ω mega Graecum in *o* longum, & Graecae literae figuram non admittunt. & *Inachon.* Omnes hi accuſativi ſunt Graeci. idcirco per *n* ſcribuntur, non per *m*: nulla enim dictio apud Graecos deſinit in *m.* Marius. Lego ex eorumdem lib. conſenſu: *Neſcio quem ſpectans.* Ciofan. Puteaneus cum Jureti Excerptis, *Neſcio quem huc ſpectas. hunc ſpectans* duo alii cum codice Neapolitano. *Neſcio quam ſpectas* Farneſianus. *amnem* etiam Puteaneus. Forte:

Neſcio cui ſpretos Acheloon & Inachon amnes.

Latet

Damnosus pecori curris, damnosior agris.
Forsitan haec alios; me mea damna movent.
Huic ego vae demens narrabam fluminum amores?
Jactasse indigno nomina tanta pudet.
Nescio quid spectans, Acheloon & Inachon amnes,
Et potui nomen, Nile, referre tuum.
At tibi pro meritis opto, non candide torrens,
Sint rapidi soles, siccaque semper hiems.

Latet certe mendum. forte, *Nescio cui jactans.* HEINSIUS. *Nescio quam* etiam Bernensis. Mihi nihil mutandum videtur. nam verbum *spectare* eleganter ponitur, ubi de comparatione inter diversos agitur. ut sensus sit, ego spectans nescio quid, componere potui cum vilissimo flumine, vel potius torrente, tot clara nomina fluviorum. Justin. II. 10. *Ceterum si regem spectes, divitias, non ducem laudes.* Virgil. Eclog. III. *Si ad vitulum spectes, nihil est quod poculo laudes.*

Douza, *quid spectans* explicabat *cogitans.* vid. supr. Eleg. II. 28. BURMANNUS.

106. *Rapidi soles.*] *Rabidi* Neapolitan. sed & *rapidus sol* potest dici, quia calore suo omnia rapit, ut ita Virgil. IV. Georg. 425. *rapidum sirium* dixit. & *rapidae flammae, rapidus ignis* passim dicuntur. vid. VII. Metam. 327. IDEM.

ELEGIA VII.

AT non formosa est, at non bene culta puella;
At, puto, non votis saepe petita meis!
Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus,
Sed jacui pigro crimen onusque toro.
Nec potui cupiens, pariter cupiente puellâ,
Inguinis effoeti parte juvante frui.

Illa

1. *Aut non formosa est, aut non &c.*] Multo rectior vetus lectio:

At non formosa est, at non bene culta puella,
At, puto, non votis saepe petita meis.

NAUGERIUS. *Aut non* quidem in Aldinis ceterisque impressis codicibus legitur. sed magis mihi placet vetustissimorum exemplarium lectio, in quibus scriptum legimus:

At non formosa est, at non bene culta puella:
At, puto, non votis saepe petita meis.

Ut ironicè loquatur, & sit sensus: Puella illa, cum qua consumere amoris opus non potui, & pulchra, & ornata, & à me saepe cupita fuit. Praecipuas enim causas removet, quibus id evenire potuerit: cum deformi enim foemina, aut inornata, aut non optata, non mirum est, si quis coire nequiverit. Quod autem haec puella formosa fuerit, ostendit inferius, dicens:

At qualem vidi, qualem tetigique puellam.

Et:

Illius attactu Pylius juvenescere posset.

Quod eam cupiverit, paulo inferius ita indicat:

Optabam recipi certè, sum nempe receptus:
Oscula ferre, tuli: proximus esse, fui.

Non igitur affirmative dixit, *At non formosa est*, sed ironice. Hoc eodem ironice loquendi modo usus est Naso lib. II. Metam. 566. cornice ita loquente:

At puto non ultro, nec quicquam tale volentem
Me petiit.

Idem in hac Elegia paulo inferius:

Sed, puto, non blanda, non optima perdidit in me
Oscula.

Minime autem legatur cum interrogatione. MARIUS. *At* pro *Aut* ter geminandum ex auctoritate Puteanei, Sarraviani & trium aliorum. quomodo & Naugerius ex suis. Vide Notas nostras initio Epist. XII. HEINSIUS. Sic & Barthius lib. XXXIV. Adv. 22. in Catalectis Scaliger. pag. 82. Priapeis:

At, non longa satis, non stat bene mentula crassa.

Ubi *ut* male Scaliger. BURMANNUS.

4. *Sed jacui.*] In quibusdam, *Sic jacui.* utrumque recte. NAUGERIUS. Alias, *Sic.* MARIUS. *Se jacui* optimus Palatinus. puto, *Et jacui.* HEINS.

Illa quidem noſtro ſubjecit eburnea collo
Brachia, Sithoniâ candidiora nive:
Oſculaque inſeruit cupidae luctantia linguae:
Laſcivum femori ſuppoſuitque femur.
Et mihi blanditias dixit, Dominumque vocavit:
Et quae praeterea publica verba juvant.
Tacta tamen veluti gelidâ mea membra cicutâ,
Segnia propoſitum deſtituere ſuum.
Truncus iners jacui, ſpecies, & inutile pondus:
Nec ſatis exactum eſt, corpus an umbra forem.
Quae mihi ventura eſt (ſiquidem ventura) ſenectus,
Cum deſit numeris ipſa juventa ſuis?

Ah

8. *Sithoniâ.*] Male Palatinus, *Sidonia.* ita apud Claud. I Laud. Stil. 123. *Sithonias hyemes* eſt in MS. Mediceo, pro *Edonas.* BURMANNUS.

9. *Cupide luctantia lingua.*] *Cupide* adverbium eſt. in quibusdam tamen exemplaribus legitur, *cupida luctantia lingua.* utrumque recte. MARIUS. Repone ex primâ editione & tribus ſcriptis, *cupidae linguae.* ſic *inſerere cancellis pedes* ſup. Eleg. II. 64. & I. Artis. 605. *Inſere te turbae.* Met. XIV. 33.

Inſeris Aeacidis alienae nomina gentis.

Et I. Art. 498. *Latus lateri conſerere.* ut quidam codices. niſi dativus ſit cum *luctantia* conſtruendus, ut *certare, pugnare alicui.* duo, *cupidis linguis.* Puteaneus & tres alii, *cupide linguis.* HEINS. Sine dubio cum *luctantia* debent conſtrui *lingua cupidâ*, ſive *linguae.* utrumque enim dici puto: ita *certare* cum dativo. vid. Lamb. ad Horat. II. Od. 6. dubium eſt apud Silium IV. 20. *Muris quibus eſt luctata vetuſtas.* BURMANNUS.

12. *Publica.*] Apprime huc facit Seneca Epiſt. III. *Itaque ſic priore verbo, quaſi publico uſus es: & ſic illum amicum vocaſti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obvios, ſi nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus.* & Epiſt. LIX. *Magnam ex epiſtola tua percepi voluptatem. permitte enim mihi uti verbis publicis, nec illa ad ſignificationem Stoïcorum revoca.* Ovid. I. Art. 144.

Et moveant primos publica verba ſonos. HEINSIUS.

Vide ad Petron. cap. XXXIX. & de his blanditiis Torr. & Caſaub. ad Sueton. Aug. 53. BURMAN.

14. *Propoſitum meum.*] *Suum* Excerpta Politiani & Barberinianus. concinne. nam Τὸ *mea membra* praeceſſerat. HEINSIUS. *Deſeruere* etiam Scriverii & duo alii.

15. *Truncus iners.*] *Taurus* citat Paſſerat. ad Propert. lib. III. Eleg. 6. pag. 448. niſi aberratio ſit operarum. vel *Taurum* obſcaeno ſenſu voluerit hic legi, de quo vide ad Petron. cap. XXV. & XLV. BURMANNUS.

15. *Inutile lignum.*] In omnibus fere MSS. exemplaribus legitur, *ſignum*, id eſt ſtatua. & ſic omnino legendum. MARIUS. *Et inutile lignum* Maffeian. alii legunt, *ſignum*, id eſt ſtatua. lib. I. Metamorphoſ. 405.

——*Sed ubi de marmore coepta*
Non exacta ſatis, rudibusque ſimillima ſignis. CIOF.

Pondus, ac ſequenti verſu, *Et non exactum corpus* Puteaneus cum aliis nonnullis & meliorum numero. Nil mutem temere. Forte tamen ſcribendum, *ſignumque & inutile pondus.* certe Arondelianus, *pondusque & inutile lignum.* HEINSIUS. *Signum* Barthius quoque praefert lib. XXXIV. Adv. cap. 22. ſed quia *ſpecies* & *ſignum* fere idem notat, *lignum* firmari poſſit illis Horatianis lib. I. Sat. VIII. I.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

Similis diverſitas in Priapej. Carm. IX.

Sed rude lignum villicus dolavit.

Ubi Scioppius, *ſignum.* nos *pondus* tamen praetulimus. quod & Francofurtenſis confirmavit. ita II. Am. X. 20.

Simque mei lecti non ego ſolus onus.

BURMANNUS.

17. *Siquidem eſt ventura ſenectus.*] *Siquidem ventura* Puteaneus cum quatuor aliis. complures, *ſi qua eſt ventura.* Faſt. IV. 603.

Hoc quoque tentemus; ſiquidem jejuna remanſit.

HEINSIUS. Ita, *ſi qua eſt modo corporis umbra*, infr. Eleg. IX. 65.

18. *Ipſa juventa.*] *Iſta* Bernenſis.

19. *Quod me juvenemque.*] *Quo me* Puteaneus. dictum alibi. HEINSIUS.

22. Poſt hunc verſum duo inferuntur in Bernenſi codice:

Factus ita imbellis, doleo, dolet ipſa puella,
Cum non humanis utimur officiis.

Quae a non imbelli monacho profecta ſunt.

23. *Chio.*

Ah pudet annorum! quo me juvenemque virumque,
Nec juvenem, nec me ſenſit amica virum.
Sic flammas aditura pias aeterna ſacerdos
Surgit, & à caro fratre verenda ſoror.
At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo.
Exigere à nobis anguſtâ nocte Corinnam,
Me memini numeros ſuſtinuiſſe novem.
Num mea Theſſalico languent devota veneno
Corpora? num miſero carmen & herba nocent?
Sagave poeniceâ defixit nomina cerâ,
Et medium tenues in jecur egit acus?

Carmine

23. *Chie.*] Nomen hoc meretricis aut tractum eſt à candore niveo: nam Graecè χιὼν nix dicitur. aut (quod magis placet) à Chio inſula: à locorum enim nominibus, ut plurimum, nominabantur meretrices. Sic apud Terentium, *Andriam*; apud Horatium, *Lydiam*, legimus. Inflectitur autem haec, *Chie*, *Chies*. MARIUS. Alii aliter. Puteaneus, *Clide*. hoc eſt, χλίδη. *Clyte* Barberinianus. forte, *Chloe*. quae & Horatianum ſcortum. Martial. IX. Epigr. 16.

Inſcripſit tumulo ſeptem ſcelerata virorum
Se feciſſe Chloe. quid pote ſimplicius.

HEINSIUS.

23. *Pitho.*] Fortaſſe haec meretrix credula erat, & cui facillimè aliquid perſuaderi poterat: unde nomen traxit. nam Πιθανότης à Graecis credulitas nuncupatur. *Pitho* etiam nomen eſt nymphae, apud Heſiodum in Theogonia. *Libas* nomen meretricis eſt, forſitan à Libano monte, qui eſt inter Arabes & Phoenices. unde etiam apud Plautum *Libanus* nomen eſt ſervi. MARIUS. *Pitho*, inquit Commentator, dicta eſt, quòd credula eſſet, & facile perſuaderi ei aliquid poſſet. *Libas* autem à Libano monte forſitan, &c. Haec quàm ſint frivola, alii judicent. *Pitho* à Graeco Πειθὼ ſumptum eſt, quod nomen ſuadelam, ut Latini verterunt, ſignificat. Quare non credula, ſed activè potius, ea quae facile perſuadeat aliis, accipienda eſt. *Libas* autem à Graeco Λιβεῖν derivari videtur, quod libare ac deguſtare ſignificat: ſive à libandis oſculis, ſive à libando vino appellatam dicas. Aut certè à Λιβάζω, quod ſtillare ſignificat: unde Λιβὰς, gutta, vel ſcaturigo. MICYLLUS.

26. *Et memini.*] *Me memini* in ſcriptis. HEINS. Suavitas quaedam in repetitione illius ſyllabae, *me*. I. Art. Am. 169.

Me memini iratum dominae turbaſſe capillos.

VI. Faſtor. 237.

Tunc ego me memini ludos in gramine Campi
Aſpicere.

Vid. Broukhuſ. ad Tibul. lib. I. Eleg. I. ℣. 3. & ſupr. ad Epiſt. II. 61. BURMANNUS.

26. *Numeros ſuſtinuiſſe novem.*] Eosdem promittit magnifice amicae ſuae, ſi ad eum meridiantem venire velit, Catullus Epigr. XXXIII. in Moreti codice erat, *numeros decem*. ſed Muſis ſuis, etiam in coitu, litaſſe Poëtas crediderim.

27. *Num.*] *Nunc*, vel, *Non* multi ſcripti. & ſeq. verſu etiam multi, *nunc* vel *non* exhibent.

28. *Carmen & herba.*] *Virus & herba* Excerpta Puteani & duo Moreti.

29. *Sagave Poenicea defixit nomina cera.*] Locus non ſatis intellectus ab interpretibus. Duplicem defixionis magicae modum a Naſone deſcribi obſervamus, qua abſentem devovebant ſagae quemcumque. Alterum habes Hypſipyles Epiſtola VI. 91. de Medea, *Devovet abſentes ſimulacraque cerea figit*. nam ita illic caſtigandum eſſe ex optimis membranis ſuo loco monuimus. Saeviebant nimirum ſtylis aeneis acubusve veneficae ac magae in ſimulacra ex cerâ formata ad ſimilitudinem illorum, quos devovendos ſibi proponebant, additis incantamentis. nonnumquam & igni admovebant haec ſimulacra, ſic ut paullatim liqueſcerent. qua de re habes nonnihil in Pharmaceutria Virgiliana. Alterum incantamenti ac devotionis genus, cum tabellis inſcribebant illorum nomina, quos defixos ac devotos cupiebant, eademque nomina pari, ut dictum eſt, modo confodiebant, aut imprecationibus adſcriptis devovebant, ut mox videbimus. Tabellas cerâ rubra plerumque oblitas fuiſſe diſcimus ex Amorum libro primo Elegia XII. ubi inter alia ad ceram tabellarem:

At, tamquam minio, penitus medicata rubebas,
Ille color vere ſanguinolentus erat.

Ut jam intelligamus cur, *cerâ Punicea defigi nomina* dixerit hic loci Naſo. recte autem *nomina*.

Carmine laesa Ceres sterilem vanescit in herbam:
Deficiunt laesi carmine fontis aquae;
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit; & nullo poma movente fluunt.
Quid vetat & nervos magicas torpere per artes?
Forsitan impatiens sit latus inde meum.

Huc

neque enim satis erat aut *Publii* solum, aut *Ovidii*, aut *Nasonis* nomen. sed haec tria conjungebantur, ne ad alium forte *Nasonem*, (erat enim id cognomen variis familiis Romanis in usu, ut alibi demonstravimus) neve ad alium quem Ovidium referri posset, atque ita errori locus esset. Frustra igitur est Claudius Salmasius, qui Solinianis Exercitationibus pagina 766. adversus auctoritatem membranarum omnium scribi debere contendit, *definxit numina cera. defingere* pro *fingere* dixisse Catonem & Horatium scio. sed ad defigendum Nasonem quid opus erat numinibus ex cerâ formatis? Deductam a magis frequenter Lunam, Solem obscuratum fuisse non me latet. etiam Proserpinam ab inferis evocatam. sed Deorum Dearumve imagines à sagis cera effictas non legi. Hic devovendi modus proprie *defixio*: quod vocabuli postea promiscue transiit ad quascumque magicas devotiones. Glossarium vetustum, *defixiones*, νεκυομαντίαι, καταδέσμοι. In herbario Apulei: *Si quis devotatus ac defixus in nuptiis suis fuerit, quomodo resolvatur.* hujuscemodi defixiones improprie sic dictae recte in Glossis καταδέσμοι appellantur. Orpheus de lapidibus, πηκτὸν ἀνάγκην dixit. cujus exemplum in Pharmaceutriis Theocriti & Virgilii habemus. ubi *vincula* hae defixiones appellantur, *Veneris dic vincula nectu.* apud Nostrum Fast. II.

Hostiles linguas inimicaque vinximus ora.

Unde apud Paulum Jurisconsultum & in Theodosiano codice, *animos defigere ad libidinem.* & in Ciri Virgiliana, *Regis Iölciacis animum defigere votis Destinat. defigere regis animum votis*, pro *devovere.* longe aliter intelligenda, *Stupore defigi, moerore defigi*, & similia; etsi in contraria eunte Salmasio. nam & *oculis defigi in aliquem*, & *cogitatione defigi*, pro *fixus haerere*, dicimus. Apud Valerium Flaccum, *Stantes defixerat horror.* quae nihil habent commune cum magicis defixionibus, de quibus egimus ubertim ad Epistolam Hypsipyles v. 91. *Defigere* igitur *nomina* illibatum illaesumque maneat hoc loco; praesertim cum simillimum de *defixis nominibus* locum in corpore vetustarum inscriptionum Gruteriano adverterim, quem ad magicas defixiones referri oportere vix dubito. Marmor, quia singulare est, integrum subjiciemus oculis legentium. Monet autem Tuderti id apud Umbros inventum Gruterus pag. XIX. magni operis.

PRO. SALUTE.
COLONIAE. ET. ORDINIS
DECURIONUM. ET. POPULI
TUDERTIS. JOVI. OPT. MAX.
CUSTODI. CONSERVATORI.
QUOD. IS. SCELEROSISSIMI. SERVI
PUBLICI. INFANDO. LATROCINIO
DEFIXA. MONUMENTIS. ORDINIS
DECURIONUM. NOMINA
NUMINE. SUO. ERUIT. AC. VINDICAVIT. ET. METU. PERICULORUM
COLONIAM. QUOQUE. LIBERAVIT.
L. CANCRIUS. CLEMENTIS. LIB.
PRIMIGENIUS
SEX. VIR. II. AUGUSTALIS. ET FLAVIALIS
PRIMUS. OMNIUM. HIS. HONORIBUS
AB. ORDINE. DONATUS.
VOTUM. SOLVIT.

Ab hisce igitur defixionibus seu fixionibus sagae *fictrices* videntur dictae, non a fingendo, quod volebat Salmasius ad Pallium Tertulliani, cui is *fictrices* duobus locis recte restituit, cum *fricatrices* illic circumferrentur. nam & a *figo*, *fictum* aeque ac *fixum* deducebatur. de quo Cujacius libro VII. Observ. *Ficta pedum vestigia* in Lucretii membranis, libr. III. 4. *Navis inficta* L. VII. D. de incendio, ruina & naufragio, in Indice Florentino. *Confictus sagitta* vetus auctor apud Diomedem. *Figere aliquem maledictis* Ciceroni libro primo de natura Deorum. quod a magicis devotionibus videtur translatum. ut & illud Apulei libro Metam. III. *At ego nullo decantatus carmine, praesentis tamen facti stupore defixus.* ubi *decantatus* & *defixus* ejusdem notionis sunt. & illud Quinctilian. Declamatione X. *Itaque carminibus praefigamus omne tumuli latus, & multo vinciamus saxa ferro.* ubi alia complura, quae ad rem magicam faciunt. de tabellis *defixis* Nasonem nostrum ac vetustum marmor a nobis modo prolatum egregie illustrat Dion Cassius libro LVII. ubi de Germanici morte agit: Ὀστᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ δικίᾳ, ἐν ᾗ ᾤκει, κατορωρυγμένα, καὶ ἐλασμοὶ μολιβδίνοι ἀρᾶς τινὰς μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες, ζῶντος ἔτ' εὑρέθη: vides tabellas plumbeas Germanici nomine & diris imprecationibus inscriptas: quae omnia mutuatus est Dion a Tacito. In Annalium primo de eodem Germanico: *Et reperiebantur solo ac parietibus eruta*

tae

Huc pudor acceſſit: facti pudor ipſe nocebat:
Ille fuit vitii cauſſa ſecunda mei.
At qualem vidi tantum tetigique puellam,
Sic etiam tunicâ tangitur ipſa ſuâ.
Illius ad tactum Pylius juveneſcere poſſit,
Tithonosque annis fortior eſſe ſuis.

Haec

tae humanorum corporum reliquiae, (τὰ ὀστᾶ Dioni) *carmina & devotiones & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres ac tabe obliti aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis ſacrari.* apud Petronium ſic & illa intelligenda de Enothea maga: *Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad uſum repoſita, & ſincipitis vetuſtiſſima particula mille plagis dolata.* ubi forte, *forata* legendum. de his etiam tabellis plumbeis videtur intelligendus Apulejus Mileſ. libro III. ubi *Laminarum litteratarum* meminit in deſcriptione ſimili apparatus magici. ad defixionem magicam, quae acu fiebat, etiam illud Noſtri refer, quod infra v. 79. hac Elegia:

Aut te trajectis Aeaea venefica lanis Devovet.

Quod ad laneam effigiem referendum. de qua Horatius libro I. Sat. VIII.

Lanea & effigies erat, altera cerea, major
Lanea, quae poenis compeſceret inferiorem.

In Pharmaceutria Virgilii imagines ex cera & ex limo in magicis adhibentur. In Pharmaceutria Theocriti cereae tantum. Fruſtra igitur ſunt qui, *trajectis ranis* in Naſone repoſitum eunt. Andreas Querneus Egregiorum cap. XI. *Trajectas lanas* perperam interpretatur de lanis connexis & in nodum conſtrictis, de quibus Theocritus agat in Pharmaceutria, ut & Virgilius. ſed quis Latine ſic umquam locutus eſt, ut *trajectas lanas* pro lanis connexis uſurparit? HEINSIUS.

29. *Poenicea, &c.*] Fortaſſis *Punicea* legendum: quandoquidem pro purpurea cera omnes exponunt. Neque video quid ſibi velit, *Poenicea cera*: cum *Poeniceus* de gente, non de colore uſurpetur. MICYLLUS. Sic Puteaneus & multi alii. quidam, *Punicea*. quomodo Noſter alibi. Sed *Poenicea* legendum Metam. lib. XII. ℣. 104. apud Senecam Medea 99.

Oſtro ſic nivcus Poeniceo color.

Ubi tamen Mediceus liber, *Punicea*. HEINSIUS. Vide A. Gell. Noct. Att. lib. II. cap. 26. ubi multis locis male, *Phaeniceus* ſcribitur. ut & lib. III. cap. 9. BURMANNUS.

30. *In jecur urget acus.*] *Egit* meliores. vulgata lectio ex Epiſtola Hypſip. promanavit:

Devovet abſentes, ſimulacraque cerea figit,
Et miſerum tenues in jecur urget acus.

Certe & hic loci *miſerum jecur* in nonnullis ſcriptis. HEINSIUS. Douza malebat, *urſit*, ut tempora ac modi convenirent.

31. *Steriles vaneſcit in herbas.*] *Sterilem herbam* libri meliores. & *laeſae aquae* ſequenti verſu. HEINSIUS. *Vaneſcit in auram* Junii codex. quod ex Epiſt. I. 79. promanavit. deinde Scriverii & Francof. *Tenuem vaneſcit in herbam.* mox Puteaneus & Palatinus optimus, *laeſi*, ut Ald. Gryph. & alii ediderunt, nec nos mutare voluimus, quia *laeſae Cereri* reſpondent. BURMANNUS.

32. *Deficiunt laeſi carmina fontis aquae.*] Iidem libri, *Deficiunt laeſae*. ſuperiorem lect. ſequendam puto. CIOFANUS.

34. *Fluunt.*] Male, *cadunt*, plurimi codices. vid. ſupr. ad Eleg. II. 14.

37. *Huic pudor.*] *Huic pudor acceſſit facto* Moreti unus. *Acceſſit, facto pudor ipſe nocebat* Neapolit. & ita legebat Francius. *Huc pudor acceſſit: facti pudor ipſe nocebat* Gryph. Micyllus & alii; atque ſic primus Moreti, quod nec mihi diſplicet. BURM.

39. *At qualem vidi, qualem.*] *Vidi tantum* Puteaneus ac Arondelianus, cum tribus Moreti & aliis duobus. HEINSIUS.

41. *Illius à tactu.*] Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *Attactu*: ut unum ſit verbum. Quemadmodum apud Maronem lib. VII. Aen. 349.

Ille inter veſtes & levia corpora lapſus,
Volvitur attactu nullo. MARIUS.

Ad tactum Puteaneus, & *poſſit*, & *Tithonosque* pro *Tithonusque*. HEINSIUS. *Ad tactus* Barberin. elegans ille uſus praepoſitionis *ad*; id eſt quam primum *tangeret*. ita *ad ventum* Horat. I. Od. 23. id eſt quam primum flaret. Petron. LXXXVIII. *Ad hoc votum Ephebus ultro ſe admovit.* Sueton. Caeſar. LXXXII. *Uno ad primum ictum gemitu edito.* vid. Tennul. ad Frontin. II. v. 31. BURMANNUS.

41. *Pylius.*] *Pelius* Palatinus, *Peleus* Francof. ſed legendum puto, *Pelias*. non enim nunc de ſene Neſtore agitur, ſed de talibus ſenibus, qui olim in juventutem rediiſſe dicuntur. quare & Peliae Tithonus jungitur, qui revera renovavit juventutem. Peliae autem eadem ſpes per Medeam facta fefellit. hinc efficaciorem hujus puellae tactum omnibus Medeae ſuccis innuit. ſic eodem modo variant MSS. apud Martial. lib. IX. Ep. 61.

Quodque ſenem Pylium non ſinat eſſe ſenem.

Ubi & *Peliam* codices habent. quamvis ibi non moverem *Pylium*, quia Priamo ſeni jungitur ſatis apte; ut centies Martialis ſolet eos jungere. vid. lib. IV. 64. v. 59. X. 67. & alibi. idem tamen lib. V. Ep. 71.

Haec mihi contigerat; ſed vir non contigit illi.
Quas nunc concipiam per nova vota preces?
Credo etiam magnos, quo ſum tam turpiter uſus,
Muneris oblati poenituiſſe Deos.
Optabam certè recipi; ſum nempe receptus:
Oſcula ferre; tuli: proximus eſſe; fui.
Quo mihi fortunae tantum? quo regna ſine uſu?
Quid, niſi poſſedi dives avarus, opes?
Sic aret mediis taciti vulgator in undis;
Pomaque, quae nullo tempore tangat, habet.
A tenerâ quisquam ſic ſurgit mane puellâ,
Protinus ut ſanctos poſſit adire Deos.
Sed non blanda, puto, non optima perdidit in me
Oſcula: non omni ſollicitavit ope.

Illa

Tendere quae tremulum Pelian, Hecubaeque maritum
Poſſet ad Hectoreos ſollicitare rogos.

Sed & ille locus confirmat, hic *Pelian* praeferri debere. non probo vero Barthii d. l. emendationem, *Tithonusque annis fortior eſſe, ſenes.* Burmannus.

43. *Haec mihi.*] Palatini duo, *Hoc mihi contigerat.* ſed fruſtra. Proprie contingit puella, cujus copia fit. Quinctil. Declam. xv. 2. *Quia nihil praeſtanti tam ſaepe meretrix contingeret.* vide ad Declam. x. 2. Idem.

45. *Quo ſum.*] Malo, *ſim.* Heinsius. *Quia ſum* quatuor libri.

49. *Quid mihi fortunae tantùm, quid regna ſine uſu?*] Eadem ſententia Horatii Epiſt. iv. lib. 1. *Quò mihi fortunas, ſi non conceditur uti?* Ciofan. *Quo* Puteaneus cum optimo Palatino. & mox, *quo regna.* vide Notas Epiſt. ii. ỳſ. 53. Heinsius. *Quid dona ſine uſu* Junii & quatuor alii. *Quo dona* Moreti tertius. deinde, *Quid mihi poſſedi* alter Puteaneus. ſed & ibi mallem, *Quo, niſi poſſedi dives avarus, opes.* Burmannus.

51. *Sic aret.*] Clariſſimo Barthio Adv. xxxiv. 22. diſplicet haec lectio, quare ſupponit, *ſic avet.* ſed non meminerat vir alias accuratus, contra rationem metri ac proſodiae hoc eſſe. praeterea ipſe Ovidius ſic locutus eſt. lib. ii. Art. 605.

Quam bene, quod fruſtra captatis arbore pomis
Tantalus in media garrulus aret aqua.

Nec aliter Seneca locutus Thyeſte initio, ubi Tantalus:

——*Pejus inventum eſt ſiti*
Arente in undis aliquid, & pejus fame
Hiante ſemper. Heinsius.

Vid. ad Epiſt. iv. 173. verum Barthius, non pro *aret* ſupponit *avet*, ſed pro *habet*, & legi vult, *Pomaque quae nullo tempore tangat, avet.* & Poëtam ludere per agnominationem in verbis *aret* & *avet* credit. perperam quidem, ſed non ideo accuſandus, quaſi modorum fuiſſet imperitus. Burm.

53. *A tenera quisquam ſic ſurgit manè puella; &c.*] Sic quidem omnes codices habent. *Quisquam* igitur pro quiſpiam, ſive aliquis accipiendum hoc loco. Micyllus. Tanaq. Fab. ad Lucret. lib. i. pag. 432. corrigit hunc locum ita:

A tenera quisquis ſic ſurgit mane puellâ,
Protinus is ſanctos poſſit adire Deos.

In qua nihil ego venuſti agnoſco, ſed meram ſcabritiem Ovidio indignam. & *quisquam* recte ſe habet. ſic Terent. Eun. ii. iii. 82. *Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque ſcit qui ſis.* ubi pro *aliqua* ponitur. vid. ad Eleg. ſeq. vers. 1. & vers. 17. in MS. Juniano legebatur, *qua quisquam periit*, pro, *qua periit aliquis.* & vers. 65. *quisquam Deus.* ſcripti vero hic nihil variant, niſi quod *magnos Deos* habeat Palatinus ſecundus. Burmannus.

55. *Sed puto non blanda.*] Praefero, quod eſt in nonnullis editionibus, *ſed non blanda puto.* Heinsius. *At non blanda ſatis, non optima* Douza legebat. *At non blanda, puto*, mallem. ut lib. ii. Metam. 566.

At, puto, non ultro, nec quicquam tale rogantem
Me petiit. Burmannus.

59. *Divosque virosque.*] *Vivosque* optime Puteaneus cum Jureti Excerptis. ſequentia confirmant. atque ita Lucas Fruterius in Veriſimilibus lib. i. cap. ii. conjecerat ſcribendum. idque G. Canterus in vetuſto quoque codice invenerat. Heinsius.

61. *Quid juvat ad ſurdas ſi cantet Phineus aures.*] Sic in omnibus; nos ex Homero, *Phemius.* Naugerius. *Phineus* quidem ſcriptum & impreſſum legitur in omnibus exemplaribus: ſed corruptam eſſe dictionem autumo, nam apud Homer. i. Odyſſ. inducitur *Phoemius* cithariſta in convivio procorum canere improſperam Graecorum à Troja pro-

Illa graves potuit quercus, adamantaque durum,
Surdaque blanditiis saxa movere suis.
Digna movere fuit certè vivosque virosque;
Sed neque tum vixi, nec vir, ut ante, fui.
Quid juvet, ad surdas si cantet Phemius aures?
Quid miserum Thamyran picta tabella juvet?
At quae non tacitâ formavi gaudia mente!
Quos ego non finxi dispositique modos!
Nostra tamen jacuere, velut praemortua, membra
Turpiter, hesternâ languidiora rosâ.
Quae nunc ecce rigent intempestiva, valentque:
Nunc opus expoſcunt militiamque suam.
Quin istic pudibunda jaces, pars pessima nostri;
Sic sum pollicitis captus & ante tuis.

Tu

profectionem. Sed Naſo pro quocumque optimo citharoedo *Phoemium* posuit. MARIUS. *Jubet* Puteaneus. Lege, *juvet*. & sic sequenti versu Palatinus. HEINSIUS. *Thracius aures* Francof. & quatuor alii. Phemium & Thamyrin conjungit etiam Lucianus de domo pag. 907. *Si clamet* Barberin.

62. *Quid miserum Thamyrin &c.*] Sic in uno Maffeian. in altero, *Thamyram*. quod aliis magis placere intelligo. Est & hujus Thamyrae mentio libro III. De Arte, nisi aliquem alium esse eum mavis. CIOFANUS. Excerpta Puteani, *caecum*. duo alii, *lippum*. quomodo Horatius I. Epist. 2.

Qui cupit & metuit, juvat illum sic domus aut res,
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram.

In Ovidio tamen nil mutem; non enim lippus Thamyris, sed caecus. De Thamyri a Musis caecato ex Mythologis nota fabula. Videantur Zenobius, & Apostolius, in Θάμυρις μάινεται. Pro *Thamyrin* optimus Puteaneus & duo alii, *Thamyran*. Utrumque dicitur. Hujus argumenti ac nominis Tragoediam Sophocles scripserat, quae cum Polluci lib. IV. cap. X. Θάμυρις fit, & Anonymo in vita Sophoclis, Athenaeo tamen libro IV. & XIV. non sub Θαμύριδος, sed Θαμύρου nomine laudatur. Etsi Homero Θάμυρις est. quem & Statius Theb. IV. Tzetzes in Chiliadibus, Zenobius, Apostolius, Hesychius, Phavorinus, Eustathius & Didymus in Homerum, Apollodorus & alii sequuntur. Noster tamen Artis Amat. lib. III. 399.

Tu licet & Thamyran superes & Amoebea cantu.

Et in Ibin, *Thamyrae Demodocique caput*. Quare fit, ut & hic Puteaneo codici accedam. Neque aliter Parthenius in Eroticis cap. XXIX. ut existimem dubiam olim in Homero fuisse nominis hujus lectionem. Ceterum *Amyris* quoque nonnullis dictus, omissa prima litera; ut patet ex Paroemiis Graecorum, in quibus tam Ἄμυρις μάινεται, quam Θάμυρις legitur, quod Eustathius quoque ad Iliad. B. 594. animadvertit. Hunc Philammonis & Argiopes filium Apollodorus in Bibliotheca facit, qui amore Hyacinthi flagravit, ac primus Veneris masculae sit inventor. De patre cum Apollodoro consentiunt Scholiastes Homeri & Phavorinus in Lexico. Sed apud utrumque male scribitur: Οὗτος παῖς ἦν Φιλάμμωνος καὶ Ἀρσίου τῆς νύμφης, pro Ἀργιόπης. HEINSIUS. Vide Conon. Narrat. VII. Barth. ad Stat. IV. Theb. 181. Broukh. ad Prop. II. XVIII. 19. *lippus* pro caeco posset capi. ut ὀφθαλμία pro caecitate apud Aristoph. Plut. I. 2. BURMANNUS.

63. *Formavi gaudia.*] Imitatus hunc videtur locum auctor Dialogi de Orator. cap. 3. *Hanc Tragoediam disposui jam, & intra me ipse formavi.* BURMANNUS.

64. *Modos.*] *Jocos* plurimi & editio prima. male. *modi* sunt *veneris mille figurae*, ut lib. II. Art. 679. & III. 787.

65. *Praemortua.*] Credo huc & ad vers. 74. respexisse Martialem lib. III. 75.

Sic quoque non vivit sollicitata Venus.

66. *Hesternâ languidora rosâ.*] Eleganter hesternae rosae comparat languida sua membra, & mortua: ita ἡμιθανεῖς στεφάνους dixit Poëta in Anthol. lib. III. cap. XII. pag. 340. & Ciceronem pro Gallio *coronas languidulas* dixisse, quas Plutarchus ἑώλους vocavit, observavit Victor. Var. Lect. XXII. cap. 5. vide ad Quinctil. VIII. 3. sic *languida virilia* Martial. XI. 30. BURMANNUS.

67. *Quae nunc ecce vigent.*] *Rigent* prima editio & sex scripti. optime. hinc & *arrigere* de illa parte. lib. II. Fast. 346. ex antiquis libiis:

Et rigidum cornu durius inguen erat.

Sic & *rigidae tentigo vulvae* Juvenali Sat. VI. 129. dicta. Horatius Epod. VIII.

Illiterati num magis nervi rigent,
Minusve languet fascinum?

Ira-

Tu dominam fallis: per te deprenſus inermis
Triſtia cum magno damna pudore tuli.
Hanc etiam non eſt mea dedignata puella
Molliter admotâ ſollicitare manu.
Sed poſtquam nullas conſurgere poſſe per artes,
Immemoremque ſui procubuiſſe videt;
Quid me ludis, ait? quis te, male ſane, jubebat
Invitum noſtro ponere membra toro?

Aut

ita locus ille ſcribendus. *languere* & *rigere* inter ſe opponuntur, cum contraria ſint. Vulgo, *num minus nervi rigent?* quod & veteres membranas perperam inſedit. Plinius lib. XVI. 34. ubi agit de hederis: *Eſt & rigens hedera, quae ſine adminiculo ſtat.* hinc &, *rigidus ruris cuſtos* Noſtro Priapus dictus lib. I. Faſt. 391. & *rigidus Deus* in Priapeis. Petronius cap. CXXXIV. *Tam rigidum tibi illud reddidero, quam cornu.* Appoſite Apulej. lib. II. Metam. in re obſcaena: *Arcum meum & ipſe vigor attendit, & oppido formido, ne nervus rigoris nimietate rumpatur.* ex quo loco & τὸ *vigent* apud Naſonem poſſet defendi. Tibull. in Priapejo: *Rigente nervus excitat libidine.* Contra: *Stuporem nervorum excitare* dixit Solinus cap. XXXII. In loco Horatiano Franciſcus Guietus ſcribi volebat, notis ad Andriam Terentii. Act. II. Sc. I.

Illiteratis num minus nervi rigent,
Magisve languet faſcinum.

Sed non perſuadet. alii alia commenti ſunt. HEINS.

69. *Quin iſtic pudibunda jace.*] *Jaces* meliores recte, dixi ſupra lib. II. Eleg. XIX. prima editio & Mediceus primus, *pars peſſima rerum* non invenuſte. HEINSIUS. Nihil mutem. vide ad Petron. cap. CXII. & CXXXII.

70. *Sic ſum.*] Rectius in MSS. exemplaribus legitur, *Sic ſim*, ut ſit ſenſus; nunc quoque velles me decipere, ut ante decepiſti, promittens te fortiter pugnaturum venereas pugnas. MARIUS. Libri fere omnes, *ſic ſum.* & Puteaneus, *captus es.* unde, *captus &* refinxi minimâ mutatione. atque ita unus Moreti:

Sic ſum pollicitis captus & ante tuis.

HEINSIUS.

71. *Tu dominum fallis.*] Malo, *dominam* cum quatuor ſcriptis, atque in iis Neapolitano. HEINS.

71. *Deprenſus inermis.*] *Deceptus* Francof. Scriverii & duo alii. quod admitti poſſet eo ſenſu, quo vidimus lib. II. Amor. X. 26. ſed tunc diſtinguendum: *Per te deceptus: inermis Triſtia &c. tuli.* & ita vulgata lectio videri poſſet formata ex ſimili loco II. Amor. X. 3. BURMANNUS.

75. *Conſurgere.*] Rectius forte in manuſcriptis exemplaribus legitur, *aſſurgere*, id eſt *arrigi.* MARIUS. *Conſurgere* meliores. HEINSIUS. *Exſurgere* Junii.

79. *Lanis.*] Sic in quibusdam, & in magicis quidem ſacris *lanis* utebantur. ut apud Theocritum: Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ ὀιὸς ἀωτῷ. ſed & *ranis* in nonnullis ſcriptum eſt, ut de rubetis intelligatur, quarum maximus in magicis uſus. NAUGERIUS. *Trajectis*, transfixis ex arte magica. Legitur etiam in manuſcriptis exemplaribus ita hoc carmen:

Aut terra lectis Aeaea venefica ramis
Devovet.

Ut ſubintelligendum ſit, te: & per *ramos* collectos, in terra caducos intelligas, quibus veneficae in coitu homines ligant. *Ramis* in impreſſis omnibus exemplaribus & nonnullis manuſcriptis legimus: ſed ex hac lectione nullus ſenſus, qui mihi placeat, elici poteſt. Manuſcriptorum autem exemplarium quaedam ſcriptum habent, *Ranis*: quae lectio ſi tibi placet, de ranis rubetis intellige, quae maximè ad veneficia faciunt: ut Juvenalis, Plinius, ac reliqui ſcriptores tradiderunt. unde Propert. lib. III. dixit:

Illum turgentis ranae portenta rubetae,
Et lecta ex ſectis anguibus oſſa trahunt.

Ex ranae rubetae enim viſceribus, inquit Plin. id eſt lingua, officulo, liene, jecore, & corde, mira fieri poſſe conſtat: ſunt enim plurimis refertae medicaminibus. Acron ſuper Horatianum illud in Epod.

Et uncta turpis ova ranae ſanguine:

Rana, inquit, *infernum & venenoſum animal eſt.* Unde Juvenalis:

Et Stygio ranas in gurgite nigras.

Non igitur mirum, ſi magicis ſacris & ranae adhibentur. In aliis autem exemplaribus rectius fortaſſe ſcriptum legitur, *Lanis*, id eſt, lanea imagine. Excantatores enim duas imagines, ex lana alteram, alteram ex cera fingebant: lanea major ceream urgebat, cerea autem tota acubus infixa ad ignem liquefcebat, in ejus, qui devovebatur, poenam. ut Flac. lib. I. Serm. docet, cujus haec ſunt verba:

Lanea & effigies erat, altera cerea: major
Lanea, quae poenis compeſceret inferiorem:
Cerea ſuppliciter ſtabat, ſervilibus utque
Jam peritura modis.

Et paulo inferius:

Et imagine cerea largior arſerit ignis.

Quod

Aut te trajectis Aeaea venefica lanis
Devovet: aut alio laſſus amore venis.
Nec mora: deſiluit tunicâ velata recinctâ:
Et decuit nudos proripuiſſe pedes.
Neve ſuae poſſent intactam ſcire miniſtrae;
Dedecus hoc ſumtâ diſſimulavit aquâ.

Quod autem in hujuſcemodi Cocytiis ſacris lana uterentur, oſtendit & Theocritus in Pharmaceutria illo hexametro: Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ ἰυὶς ἀώτῳ. MARIUS. In Puteaneo, *Aut terra lectis ramis*, & pro diverſa lectione, *lanis. trajectis ramis* in quinque aliis. *delectis ramis* in Sarraviano praeſtantis notae. *ſelectis ramis* editio prima & quatuor ſcripti; alii ſeptem, *collectis ramis*. In Neapolitano, *Aut terra electis ramis. jactatis ramis* in Scriveriano bonae notae. in tertio Palatino etiam laudando, *transjectis ramis*. in aliis duobus, *transjectis lanis*. in uno, *trajectis venis*. in uno, *delectis ramis*. Τὸ *lanis* non eſſe mutandum, & capi debere de laneis imaginibus, quas acu transſuebant ſagae, ſupra diximus hac ipſa Elegia ad v. 29. Fortaſſis tamen, *trajectis lamnis* reponendum. ut de laminis litteratis ſeu tabellis plumbeis intelligatur, de quibus paullo ante agebamus. D. Hieronymus de vita Hilarionis, ubi agit de juvene perditum in modum puellam quandam amante: *Igitur poſt annum doctus ab Aeſculapii vatibus non remediantis animas, ſed perdentis, venit praeſumptum animo ſtuprum geſtiens, & ſubter limen domus puellae tormenta quaedam verborum & portentoſas figuras ſculptas in aeris Cyprii lamina defodit.* Perperam multi codices, *Eoa venefica*. ſed *Aeaea* pro Colchica bene ſe habet. Κίρκη Αἰαίη Homero Odyſſ. XII. HEINSIUS. *Lethaeis ramnis* erat in Francof. quod Heinſianae conjecturae ſpeciem addere poſſet. *Convectis ramis* Bernenſis. *Circea* etiam Junianus & Palatinus tertius.

81. *Nec mora: diſſiluit.*] Imo, *deſiluit*, ut eſt in melioribus. de lecto videlicet. ſic ſupra Elegiâ primâ, de Corinna itidem:

Delabique toro tunicâ velata recinctâ. HEINSIUS. *Proſiluit* Scriverianus.

82. *Praeripuiſſe.*] Legitur &, *proripuiſſe*. utrumque recte. MARIUS.

84. *Sumpta aqua.*] Sic Naſo lib. III. de Arte 95:

Et tamen ulla viro mulier, non expedit, inquit.
Quid, niſi quam ſumis, dic mihi, perdis aquam?

Ubi ſtultè Merula commentator per *aquam* genitale ſemen intelligit, ductus exemplo obſcoeni carminis illius:

Vade per has vites, quarum ſi carpſeris uvas.
Quas aliter ſumas, hoſpes habebis aquas.

Quae carmina parum intellexit: ibi enim Priapus puerum quendam alloquitur, qui cum urna in Mecoenatis hortum ad aquas hauriendas ſe contulit: & cum neſciret putei locum, à Priapo horti cuſtode petiit, ut ſibi oſtenderet viam, quae ad aquas ducit. Hunc igitur Priapus viam docens monet, ne per tranſitum ex vitibus uvam carpat, minitans ſe furem paedicaturum. Quando igitur *aquas* dicit, alludit ad cauſam, qua puer ille in hortum venerat. Aliter nunquam viſum eſt, ut aqua pro ſpermate ponatur. Nec minus idem commentator ignoravit ejusdem libri duo illa carmina inferius poſita. vers. 619.

Scilicet obſtabit cuſtos, ne ſcribere poſſis,
Sumendae dabitur cum tibi tempus aquae.

Ubi eſt ſenſus: Puellam ad amatorem tutò ſcribere tunc poſſe, cum in ſecretum cubiculum ſola ſe confert ad ſumendam aquam, ubi amotis arbitris pudenda ſibi lavet. MARIUS. Eumdem Merulae errorem erravit Keuchen. ad Ser. Samm. Comp. XXXIII. Druſius Quaeſt. Ebraic. I. 35. *Sumere aquam* capit pro ad neceſſarium naturae ire. vid. ad III. Art. 620.

ELEGIA VIII.

ET quisquam ingenuas etiamnum ſuſpicit artes,
Aut tenerum dotes carmen habere putat?

Inge-

1. *En quisquam ingenuas etiamnum ſuſcipit artes?*] *Suſpicit* rectius alii. bene etiam Puteaneus, *Et quiſquam*. ſic ſupra Eleg. III.

Et quisquam pia tura ſocis imponere curat?

In obitum Druſi 7.

Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?

Et 467.

Et cuiquam miſerandus ero?

Ingenium quondam fuerat pretioſius auro:
At nunc barbaries grandis, habere nihil.
Cum pulchrè noſtri dominae placuere libelli;
Quo licuit libris, non licet ire mihi.
Cum bene laudavit, laudato janua clauſa eſt.
Turpiter huc illuc ingenioſus eo.
Ecce recens dives, parto per vulnera cenſu,
Praefertur nobis, ſanguine paſtus eques.
Hunc potes amplecti formoſis, vita, lacertis?
Hujus in amplexus, vita, venire potes?
Si neſcis, galeam caput hoc portare ſolebat:
Enſe latus cinctum, quod tibi ſervit, erat.
Laeva manus, cui nunc ſerum male convenit aurum,
Scuta tulit. dextram tange, cruenta fuit.

Qua

Remed. Amor. 523.

Et quisquam praecepta poteſt mea dura vocare?

Virgil. lib. 1. 48. ex optimo Medicêo:

——— Et quisquam numen Junonis adorat
Praeterea, aut ſupplex aris imponit honorem?

Non *adoret* & *imponat*. quod eſt in vulgatis. Noſter infra Eleg. x. cum optimis libris:

Hanc quisquam lacrymis laetari credit amantum?

Heinsius. *En* retinet etiam Fruter. 1. Veriſim. cap. 12. ſed Acidal. ad Plaut. Ciſtell. cap. 2. *Et quisquam* propugnat, ut & τὸ *ſuſpicit*. Antiquae editiones tamen pertinaciter retinent, *ſuſcipit*. quod Marius exponit addiſcendas ſuſcipit. ſed Puteaneus, Francofurtenſis & quatuor alii, *ſuſpicit*. ut Epiſt. xvii. 59. *Quos ego ſuſpicio*. in Neapolitano erat, *ſuſtinet*. Burmannus.

3. *Pretioſius.*] *Specioſius* Palatinus alter. quae eadem varietas lib. 1. Eleg. xiv. 3.

4. *At nunc barbaria eſt grandis.*] Lege, *barbariae eſt grandis*, ſecundo caſu. niſi malis cum quinque ſcriptis, *barbaries grandis*. idque ſequor. Heins. Vid. Epiſt. xvii. 29.

5. *Pulchrae.*] Rectius ſine diphthongo legitur, *pulchre*, ut ſit adverbium, & ſignificet bene. Marius. *Pulchrae* prima editio & Putean. cum undecim aliis. ſed male. ita ſaepe Plautus & Terentius hoc adverbio utuntur.

6. *Quo licuit.*] *Quod* Puteaneus. *quo licuit noſtris* Scriverianus. forte, *quo licet ire libris, non licet ire mihi*. ſic τὸ *ire* repetit 1. Triſt. 1. 1.

Parve (nec invideo) ſine me liber ibis in urbem,
(Hei mihi) quo domino non licet ire tuo.

Burmannus.

7. *Cum bene laudavit.*] *Cum bene laudavi, laudanti janua clauſa eſt* Medicêus alter, Palatin. pr. Vatican. & Politiani pr. & ita conjecerat Francius.

9. *Ecce recens dives parto per vulnera cenſu Praefertur nobis, ſanguine factus eques.*] Ariſtoteles lib. II. Rhetoricorum tradit eos, qui nobili, & illuſtri loco nati ſunt, indignari, cùm aliquem vident, qui nuper ad divitias pervenerit, ſibi praeferri. Merito igitur Ovidius ejusmodi homini indignatur, quòd ſibi ab amica praelatus ſit. Ciofanus.

10. *Sanguine factus eques.*] Unus Moreti cum Jureti Excerptis, *ſanguinolentus*. alter Puteani, *ſanguine ſparſus*. quomodo & Voſſii Excerpta. optimus Palatinus, *ſanguine partus*. ſed fruſtra; cum id verbi jam praeceſſerit ſuperiore verſu. proximè tamen veram lectionem, quam prae ſe fert Puteaneus ille optimus, *ſanguine paſtus*. Metamorph. viii. 170.

Actaeo bis paſtum ſanguine monſtrum.

Silius Ital. xv. 520.

Paſtos per proſpera bella
Sanguine ductores Italos.

Claudian. ii. Laud. Stilicon. 14.

Sanguine paſci
Turpe ferumque putes.

Petronius cap. cxxi.

——— Eſt mihi cordi
Quippe cremare viros, & ſanguine paſcere luxum.

Sic *pavit flumina ſanguis* Claudiano iii. Conſulatu Honorii ex membranis. ỳſ. 101. ubi vide quae noto. Prudentius Cathemerin. Hymn. iii.

Tu mihi, Chriſte, columba potens,
Sanguine paſta cui cedit avis.

Et paſſione Eulaliae:

Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine paſcitur innocuo.

Et paſſione Fructuoſi:

Inde ad carceream viros catenam,
Paſtus ſanguine carnifex trahebat.

Sic in Triſtibus codex praeſtantiſſimus, lib. iv. Eleg. iv.

Caedi

Qua periit aliquis, potes hanc contingere dextram?
Heu! ubi mollities pectoris illa tui?
Cerne cicatrices, veteris vestigia pugnae.
Quaesitum est illi corpore, quidquid habet.
Forsitan &, quoties hominem jugulaverit, ille
Indicet. hoc fassas tangis, avara, manus?
Ille ego Musarum purus, Phoebique sacerdos
Ad rigidas canto carmen inane fores.
Discite, qui sapitis, non quae nos scimus inertes,
Sed trepidas acies, & fera castra sequi:
Proque bono versu primum deducite pilum.
Hoc tibi, si velles, possit, Homere, dari.
Juppiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptae pretium virginis ipse fuit.

Dum

Caede pharetratae pascitur ara Deae.
Ubi plura. Valer. Flaccus lib. VII. 4.

——— *Vobisne domos, vobisne parentes*
Esse putem, ratis infandis quos sola rapinis
Saevaque pascit hyems?

Gunther. Ligur. lib. IX.

Ferrum gentili sanguine pavit.
Et ibid.

Attonitosque necant, & ferrum sanguine pascunt.
Barthius Adv. x. cap. 27. *Sanguine Parthus eques*, ex vetusto codice malit. qui multa illic congessit parum tempestiva, & ad rem minus facientia. HEINSIUS.

11. *Hunc potes amplecti formosis stulta lacertis? Hujus in amplexu &c.*] Invehitur in amicam interrogationibus, quae hominem, qui humana caede pollutus ac contaminatus erat, amplecteretur, cumque eo rem haberet. CIOFANUS.

11. *Formosis stulta lacertis.*] Pro *stulta* tam hic, quam sequenti versu Puteaneus, *vita: mea vita, mea lux*, blanditiae amatorum. Propertius lib. I. Eleg. 11.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?
Atque ita ille passim alibi. optimus Palatinus utroque loco, *sulta*; sequenti versu quidam:

Hujus in amplexus, stulta, venire potes?
Etiam bene. ut Fast. IV. 171.

Seu quod in amplexus sex hinc venere Deorum.
Remed. 668.

Venit in amplexus: atque ita vincis, ais.
Sic *ire in amplexus* Epist. XVI. 86. & I. Art. Am. 770. & II. Fast. 180. *In amplexus jacere*, non *amplexu* unus Moreti cum Puteaneo. HEINSIUS. *In amplexus sola venire* Bernensis.

17. *Qua periit aliquis.*] Egregie Lucianus tom. II. pag. 551. in Dialogo Meretricum, Leontichi & Hymnidis, exprimit horrorem puellae, quae cum sanguinolento milite concumbere fastidiebat. ubi plura hanc Elegiam illustrantia videbis. BURMANNUS.

18. *Heus ubi.*] Lege, *Heu*, cum melioribus. Vide Notas Epist. IV. vs. 150. *Tò eſt* etiam meliores non agnoscunt. HEINSIUS. *En ubi* Palatini.

20. *Corpore.*] Unus Heinsii, *sanguine.* ut Epist. I. 94.

Ipse tuo partis sanguine rebus alis.

21. *Quoties hominem jugulaverit, ille Indicet.*] Rectius in MSS. exemplaribus legitur, *ipse.* MARIUS. *Ille* meliores. *hostem jugulaverit* etiam Sarravianus. probe. pro, *Indicet* Puteaneus, *Et dicet.* Arondelianus, *Dicat & hoc fassas.* Lego, *Praedicet.* HEINSIUS. Forte, *iste*, per contemtum, ut saepe apud Nostrum & alios. *hominem* non muto: nam *hostem* jugulare laudi foret. sed ambigue loquens etiam innocentium sanguine foedatum indicare potest. BURMANNUS.

24. *Carmen inane.*] *Nomen inane* unus Moreti & Junii. ut de se ipso loquatur. HEINSIUS.

25. *Non haec quae scimus inertes.*] *Non quae non scimus* Puteaneus. Lege, *non quae nos scimus.* atque ita unus Moreti & unus meus, Arondelianus quoque pro diversa lectione. at Neapolitanus, *non quod nos scimus.* HEINSIUS. Francofurtensis & Moreti primus, *non hoc quod scimus.*

26. *Et fera bella sequi.*] *Castra sequi* Puteaneus cum Sarraviano & uno Moreti. sic Tibull. II. VI. 1. *Castra Macer sequitur.* Arondelianus, *lustra*: mendose. Lucanus x. 407.

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.
HEINSIUS.

27. *Deducite.*] *Deducère* Moreti secundus, ut a *discite* regatur.

28. *Posset, Homere.*] *Possit* Puteaneus. HEINSIUS.

Dum merces aberat; durus pater, ipſa ſevera,
Aerati poſtes, ferrea turris erat:
Sed poſtquam ſapiens in munera venit adulter;
Praebuit ipſa ſinus: & dare juſſa dedit.
At cum regna ſenex coeli Saturnus haberet;
Omne lucrum tenebris alta premebat humus.
Aeraque & argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admôrat: nullaque maſſa fuit.
At meliora dabat; curvo ſine vomere fruges,
Pomaque, & in quercu mella reperta cavâ.
Nec valido quisquam terras findebat aratro:
Signabat nullo limite menſor humum.
Non freta demiſſi verrebant eruta remi.
Ultima mortali tum via litus erat.

Contra

31. *Ipſa ſevera.*] *Ipſaque dura* Francofurt.

32. *Turris erat.*] Lege, *erant.* HEINSIUS.

33. *In munera.*] *Ad munera* Sarravii & Palatin. ſecundus. *In munere* volebat Francius.

35. *At cum regna ſenex coeli.*] *Jura* Scriverianus. Metam. xv. 39.

O cui jus coeli bis ſex fecere labores!

HEINSIUS.

41. *Terram ſcindebat aratro.*] *Findebat* quidam codices. *terras aperibat* Excerpta Jureti; venuſte. *terras findebat* Excerpta Politiani. Palatinus primus & Vaticanus:

Nec terram valido cultor ſcindebat aratro.

Ut *cultor* pro aratore ponatur. Epiſt. XII. 18.

Ut caderet cultu cultor ab ipſe ſuo. HEINSIUS.

Et certe melius inter ſe duo illa, *cultor* & *menſor*, reſpondent. quod autem venuſte dictum notat Heinſius, *terras aperibat*, ego unice verum eſſe puto, alia vero verba a gloſſatoribus manaſſe. ſic & apud Quinctil. Decl. CCXCVIII *Durum deſidia ſolum ſulcis aperiam*, legendum eſſe oſtendimus. BURMAN.

42. *Foſſor humum.*] *Menſor* recte Puteaneus cum aliis ſex. ſic Metam. libro I. 136.

Cautus humum longo ſignavit limite menſor.

Ubi pari modo in quibusdam libris peccatur. Horatius lib. I. Od. XXVIII.

Et maris & terrae numeroque carentis arenae
Menſorem

vocat Archytam. Hinc *agrimenſura*, & *agrimenſores.* HEINSIUS.

43. *Non freta.*] Rectius in nonnullis legitur, *nec.* MARIUS.

43. *Demiſſi verrebant eruta remi.*] Legitur in quodam manuſcripto, *demiſſo remo*, quae lectio ſi placet, ſubaudi *mortales.* MARIUS. *Dimiſſi verrebant eruta remo* Puteaneus. *Demiſſi remi* quatuor alii. recte. HEINSIUS. *Demiſſi* illi *remi* poſſunt intelligi ex navi in mare. ſed tamen forte ſcripſerit:

Non freta demiſſi verrebant eruta rami.

Ut ad primam & adhuc rudem navigandi originem adludat, cum ramos deformes & infabricatos adhiberent. Virgil. IV. Aeneid. 399.

Frondentesque ferunt ramos, & robora ſilvis
Infabricata, fugae ſtudio.

Ut ibi optimi codices. non *remi*: nam *rami* ad remorum uſus, *robora* ad malos & alios uſus adhibita: eadem varietas eſt apud Noſtrum lib. III. Metam. 662.

Illi admirantes remorum in verbere perſtant.

Ubi *ramorum* quidam codices. ſed ibi nihil mutandum puto. *Demiſſi* vero rami poſſunt capi dejecti, amputati ex arboribus. Valer. Flac. I. 94.

Moliri hanc puppim jubet, & demittere ferro
Robora.

Quod *depellere* vocat idem lib. III. 566. neque inelegans lectio Juniani codicis:

Non freta demiſſo verrebat navita remo.

Si modo *ramo* legatur. & ita ut ſupra *cultor*, & *menſor*, hic *navita* apte ſubjungetur. & vulgata etiam *verrebant* poteſt retineri. ut I. Metam. 132. *Vela dabant ventis.* vid. ad Epiſt. XIV. 42. & *remo* ſingulari numero. ut II. Epiſt. 87. & hoc magis Poëticum cenſet Broukhuſ. ad Propert. I. XI. 9. BURMANNUS.

45. *Solers hominum natura*] Forte, *Solers nimium.* HEINSIUS.

47. *Quid tibi turritis.*] Scribe tam hic, quam ſequenti verſu, *Quo* ex auctoritate optimorum codicum, & vide notas noſtras Artis Amatoriae lib. I. VI. 303. IDEM.

48. *In*

Contra te ſollers, hominum Natura, fuiſti;
Et nimium damnis ingenioſa tuis.
Quo tibi, turritis incingere moenibus urbes?
Quo tibi, diſcordes addere in arma manus?
Quid tibi cum pelago? terrâ contenta fuiſſes.
Cur non & coelum, tertia regna, petis?
Quà licet, adfectas coelum quoque. templa Quirinus,
Liber, & Alcides, & modo Caeſar, habent.
Eruimus terrâ ſolidum pro frugibus aurum.
Poſſidet inventas ſanguine miles opes.
Curia pauperibus clauſa eſt: dat cenſus honores;
Inde gravis judex; inde ſeverus eques.
Omnia poſſideant: illis Campusque Forumque
Serviat: hi pacem crudaque bella gerant.

Tantum

48. *In arma viros.*] Quaedam exemplaria ſcriptum habent, *manus*. Marius. Libri veteres, *in arma manus*. ſequor. Ciofanus. Sic etiam II. Art. 672. & lib. I. Eleg. VII. 1. & III. Faſt. 306. *Addere manus in vincla. Addere ſe in florem* X. Metamorph. 208. *Addere canos in tempora*, VI. Metam. 27.

50. *Tertia regna petis.*] *Tertia dona facis* Puteaneus. *regna facis* Excerpta Scaligeri. Heinsius.

52. *Liber & Alcides.*] Non damno hanc lectionem; cum tamen optimus Palatinus, *Viribus & Alcides*. Forte ſcribendum, *Virbius*, *Alcides*. Bacchus enim inter vetuſtiſſimos Deos, cui nihil cum his recentioribus: hi autem Romulus, Hercules, Caeſar ſunt omnes a Latinis culti. Certe in antiquis inſcriptionibus, *Virbialis Flaminis* occurrit mentio. Heinsius. Non perſuadet hoc loco Heinſius. Bacchum enim hic praeteriri nefas eſſet, qui fere ſemper cum Hercule, Dioſcuris, & aliis Heroibus, qui virtute coelum meruerunt, a Poëtis memoratur, quibus Romulum & Caeſarem adulatores Romani addere ſolebant. Horat. III. Od. 3.

Hac arte Pollux & vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas,
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit.

Idem lib. II. Epiſt. I. 5. ad Auguſtum ſcribens:

Romulus & Liber pater, & cum Caſtore Pollux,
Poſt ingentia facta Deorum in templa recepti.

Ubi mox etiam Herculem adjungit. Auguſto quoque adulans Virgilius VI. Aeneid. 802.

Nec vero Alcides tantum telluris obivit. &c.
Nec qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber agens celſo Nyſae de vertice tigres:
Et dubitamus adhuc virtute extendere vires.

Valer. Flac. I. 565. ita Jovem inducit, Herculem & Dioſcuros tuentem:

Durum vobis iter & grave coeli
Inſtitui. ſic ecce meus, ſic orbe peracto
Liber, & expertus terras remeavit Apollo.

Cicero quoque II. de Natur. Deor. 24. *Suſcepit vita hominum conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor & Pollux, hinc Aeſculapius, hinc Liber etiam.* & paullo poſt: *Hinc etiam Romulus, quem quidem eundem eſſe Quirinum putant.* & II. de Leg. 8. *Divos, & eos qui coeleſtes ſemper habiti, colunto, & ollos, quos endo coelo merita vocaverint, Herculem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.* Curtius VIII. 5. *Hi tum coelum illi aperiebant, Herculemque & patrem Liberum, & cum Polluce Caſtorem novo numini ceſſuros eſſe jactabant.* Philo legatione ad Cajum pag. 776. *Primo aemulabatur ſemideos, quos vocant, Liberum, Herculem, Caſtorem, Trophonium, Amphiaraum, Amphilochum & ſimiles.* & poſtea oſtendit illos omnes virtute meruiſſe divinos honores. ex formula ergo quaſi Noſter ſollemni & omnibus uſitata hos ſemideos conjungit, quos veteres eodem numero habuiſſe vidimus. Aeſculapium quidem his a nonnullis accenſeri fatemur, ſed ab omnibus Bacchum, ut principem quaſi, huic Deorum novorum turbae inſeri videmus. Burmannus.

57. *Campusque Forumque.*] Ita Epiced. Druſi 49.

Nec vires erraſſe tuas campoque foroque.

Ubi ineptientem Gorallum videbimus. Burm.

58. *Saevaque bella.*] Legitur &, *cruda*. Marius. Idem libri, *crudaque bella*. Ciofanus.

Tantum ne noſtros avidi praedentur amores;
Et ſatis eſt, aliquid pauperis eſſe ſinant.
At nunc, exaequet tetricas licet illa Sabinas,
Imperat ut captae, qui dare multa poteſt.
Me prohibet cuſtos: in me timet illa maritum.
Si dederim, totâ cedet uterque domo.
O, ſi neglecti quisquam Deus ultor amantis,
Tam male quaeſitas pulvere mutet opes!

59. *Noſtros avidi lucrentur amores.*] *Liciantur* Puteaneus. quo & optimus Palatinus alludit, in quo, *ejiciantur*. Arondelianus etiam, *ejiciantur*. cum diverſa lectione, *velliciantur*. Scribe, *liceantur*. *Liceri* & *licitari* pretium offerre pro re venali. Feſtus, *Licitati, in mercando ſive pugnando contendentes*. Vide & Nonium in eodem verbo. In aliis codicibus eſt, *venentur*, *praedentur*, *precientur*, *lanientur*, *luctentur*, & ſimilia. Verbum *liceri* minus notum loco corrumpendo anſam dedit. quod tamen & apud Martialem exſtat. & apud Horat. I. Sat. VI. 13.

Unius aſſis
Nonnumquam pretio pluris licuiſſe.

Caeſar lib. I. Bell. Gall. 18. *Quia eo licente contra liceri nemo audebat*. Perſius Sat. V.

Et centum Graecos curto centuſſe licetur.

Apulej. lib. II. Metam. *Si qui mortuum ſervare vellet, de pretio liceretur*. reddendum id Phaedro quoque lib. IV. Fab. IV.

Agros addicet moecha, ut ornatum paret:
At illa gaudens pecore & lanae dedita
Quacumque ſumma tradet licituro domum.

Ubi *luxuriae domum*, inſulſe legebatur, *& agros abjiciet*; *addicere* & *vendere* conjungit frequenter Tullius. poteſt tamen *abjiciet* quoque ferri. HEINS. *Liceantur* jam Berſmannus in margine notavit, & explicuit, pretium in auctione offerant pro mea puella. ſed non agitur hic de ancillis, quae venales eſſe ſolebant, quare mihi praeplacet lectio Palatini & Francofurtenſis, *venentur:* vel *praedentur*. quod habet idem Francof. a manu ſecunda & unus Heinſii. Cicer. III. de Off. 17. *Neminem id agere, ut ex alterius praedetur inſcientia*. & Noſter lib. I. Am. III. 1. *Quae me nuper praedata puella eſt*. tamquam venatu eum conſecuta eſſet. & hoc militi convenientius & ditibus, quia hoc verbum & bello & venatui convenit. vide ſupra ad Epiſt. IV. 170. ideoque cum *τῷ venari* confuſum. BURMANNUS.

60. *Et ſatis eſt, aliquid pauperis eſſe ſinant.*] Quidam codices ſcriptum habent, *aliquam*, ſcilicet puellam. MARIUS. *Aliquid* libri meliores. Praeterea legebam, *Id ſatis eſt*. ſic apud Martial. lib. III. Epigr. 5. pro, *Hoc ſatis eſt* libri veteres, *Et ſatis eſt*. Lege, *Id*. Vide Notas ſupra Amor. II. Eleg. XIV. ỳſ. 44. Hoc tamen loco nihil mutandum praeter diſtinctionem. Satis eſt ſinant aliquid eſſe pauperis. HEINSIUS. *Queis ſatis eſt* Douza legebat, id eſt, qui amore & opibus abundant. vid. & ſupr. Eleg. II. vers. ult. eſt vero hic ellipſis *τοῦ ſi*, ut ſaepe alibi notavimus. vid. ad I. Am. IV. 29. & ſatis eſt, ſi ſinant aliquid eſſe pauperis. BURM.

61. *Tetricas licet illa Sabinas.*] *Rigidas* unus Mediceus. ut lib. II. Amor. Eleg. IV.

Aſpera ſi viſa eſt, rigidasque imitata Sabinas.

Alii codices, *duras*, *fortes*, *tetras*. unus Farneſianus, *tacitas Sabinas*. Puto, *Tatias*. vide quae noto Faſt. I. ỳſ. 261. HEINSIUS.

65. *Si neglecti.*] Forte, *rejecti*. vid. ad IX. Met. 512. HEINSIUS. Sed nihil muta. *Negliguntur* enim proprie pauperes a divitibus. Terent. Adel. IV. Sc. 3. *Propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi*. BURMANNUS.

66. *Pulvere mutet.*] Id eſt ad nihilum redigat. Tibul. I. X. 12.

At Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.

MARIUS. *Vertat* primus Palatinus.

ELEGIA IX.

MEmnona ſi mater, mater ploravit Achillen,
Et tangunt magnas triſtia fata Deas;

Flebi-

Hanc Elegiam illuſtrat & emendat Barthius lib. VII. Adv. 14.

1. *Mater ploravit.*] Elegans lectio Puteanei alterius & Menteliani: *Si mater flevit Achillen.*

Quo

Flebilis indignos, Elegeïa, ſolve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
Ardet in extructo, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert everſamque pharetram,
Et fractos arcus, & ſine luce facem.
Adſpice, demiſſis ut eat miſerabilis alis;
Pectoraque infeſtâ tundat aperta manu.
Excipiunt ſparſi lacrimas per colla capilli,
Oraque ſingultu concutiente ſonant.
Fratris in Aeneae ſic illum funere dicunt
Egreſſum tectis, pulcher Iüle, tuis.
Nec minus eſt confuſa Venus, moriente Tibullo,
Quam juveni rupit cum ferus inguen aper.
At ſacri vates, & Divûm cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat:
Omnibus obſcuras injicit illa manus.

Quid

Quo alludunt tres alii inter meliores, qui habent, *ſic mater flevit.* & ſequenti quoque verſu Politiani codex, *ſi tangunt.* ſic repetit hanc voculam ter quaterque Claudianus Bell. Gildon. 404. ex MSS.

Si flentibus aram,
Si proprium miſeris numen ſtatuiſtis, Athenae,
Si Pandionias planctu traxere phalanges
Inachides, &c.

Noſter lib. 1. Metam. 697.

Si non
Corneus huic arcus, ſi non foret aureus illi.

Et ita Phaedro lib. III. Prolog. hanc elegantiam reſtituit ſummus Gronovius:

Si Phryx Aeſopus potuit, ſi Anacharſis Scytha &c.

BURMANNUS.

4. *Ah nimium.*] Legitur &, *nimis.* MARIUS.

4. *Nomen erit.*] Legitur in MSS. etiam, *tibi nomen ineſt.* MARIUS. Quidam, *ineſt.* HEINSIUS.

5. *Tui vates operis.*] Id eſt ſacrorum tuorum antiſtes. ut *opus* & *operari* proprie de ſacris. ita XI. Metam. 68.

Amiſſoque dolens ſacrorum vate ſuorum.

Sic Propert. III. XV. 20.

Virtutisque tuae Bacche Poëta ferar.

Noſter ſupr. Eleg. 1. 16.

O argumenti lente Poëta tui.

BURMANNUS.

7. *Everſamque.*] Francius malebat, *inverſamque.* vid. Serv. ad Virg. XI. Aeneid. 93.

9. *Aſpice demiſſis.*] *Dejectis* Barthius; qui literarum ſonum quodammodo referre celerem alarum plauſum putat.

14. *Egreſſum caſtris.*] Sic libri Maffeiani. CIOFAN. *Tectis* meliores. quamquam & *caſtris* bene ſe habet, ut cum Barthio intelligatur, *Caſtrum Laurens.* Tibull. II. v. 51.

Ante oculos Laurens Caſtrum murusque Lavini eſt,
Albaque ab Aſcanio condita longa duce.

Eadem varietas in libris ſcriptis eſt apud Virgil. X. Aeneid. 635.

Iliacamque aciem, & Laurentia caſtra petivit.

Ubi quidam, *tecta.* HEINSIUS. Ita *tecta* & *caſtra* confuſa XII. Metam. 99. ubi vide.

15. *Confuſa.*] Duo ſcripti, *concuſſa.* ſed fruſtra, *confuſus* pro triſti paſſim ponitur. vid. Epiſt. XIX. 193. & VI. Faſt. 582. apud Petronium ſaepius. *concuti* gravioris adfectionis verbum. vid. Perizon. ad Liv. XXXIII. 19. & Valer. Flac. VI. 479.

Quascumque libet nunc concute mentes.

Senec. 1. de Ira 7. *Commota ſemel & concuſſa mens ei ſervit, a quo impellitur.* BURMANNUS.

16. *Quam juvenis.*] Legitur &, *juveni.* MARIUS. Adoni. vide quae notavi in obſervationibus in Metamorphoſin. CIOFANUS. *Rapuit* Palatinus ſecundus.

19. *Profanat.*] *Fatigat* Neapolitanus.

20. *Omnibus obſcuras.*] Heinſius conjecerat olim, *obſcaenas*; ſi addicerent MSS. laudarem. ſed poſtea cum Mario *nigras* explicandas cenſuit. & recte: nam omnia inferis & morti adſcripta *nigra* dicuntur. ut mox vers. 27. *Niger Avernus.* ſic Stat. IV. Theb. 495. *Velleris obſcuri pecudes.* & VIII. 339.

Nigrantes terra pecudes, obſcuraque mergit
Armenta.

Sic

Quid pater Iſmario, quid mater, profuit Orpheo?
Carmine quid victas obſtupuiſſe feras?
Aelinon in ſilvis idem pater, Aelinon, altis
Dicitur invitâ concinuiſſe lyrâ.
Adjice Maeoniden, à quo, ceu fonte perenni,
Vatum Piëriis ora rigantur aquis;

Hunc

Sic ad imitationem Catulli Noſter, *obſcuram ferruginem* dixit v. Metam. 404. & XI. 48. *Obſcura carbaſa pullo.* & *obſcurae fores* Ibide 78. Claudian. II. Eutr. 230.

Turpis, & infernis tenebris obſcurior ales.

Ubi quidam codices etiam, *obſcoenior.* male hic Barthius *obſcuras* manus interpretatur. quia latebant omnes, quo colore manus mortiferae eſſent. BURMANNUS.

22. *Obſtupuiſſe.*] Palatinus optimus, *obripuiſſe.* forte pro, *obriguiſſe.* HEINSIUS.

23. *Et Linon in ſilvis idem pater editus altis,*
Dicitur invicta conticuiſſe lyrâ.]

Sic in omnibus. quidam tamen:

Et Linon in ſilvis idem pater abditus altis,
Dicitur invicta concinuiſſe lyrâ.

Quae lectio ſit fortaſſe rectior. NAUGERIUS. *Conticuiſſe:* quia & ipſe periit, licet antea ejus lyra invicta fuerit. Nullus enim erat, qui eum citharae modulationibus vinceret. Haec tamen carmina disjuncta, & ſine bono ordine ſunt: unde & ſenſus obſcurior fit. Quamobrem ex manuſcripti codicis auctoritate potius ita legerem:

Et Linon in ſylvis idem pater abditus altis,
Dicitur invitâ concinuiſſe lyrâ.

Ut ſit ſenſus: Apollo Lini filii mortem ad lyram deflevit. *In ſylvis abditus*, quia dolentes latebras quaerunt. Sic in Conſolatione ad Liviam 105.

Talis in umbroſis mitis nunc denique ſylvis,
Deflet Threſicium Daulias ales Ityn.

Invita, dolente & moeſta. *Concinuiſſe*, carminibus Linum mortuum deploraſſe. Sic inferius Eleg. XII.

Concinit Odryſium Cecropis ales Itym. MARIUS.

Scaliger *Aelinon* legebat. ac tum melius, *invita:*

Aelinon in ſilvis idem pater abditus altis,
Dicitur invitâ concinuiſſe lyrâ.

Nam *Aelinon* hymnus, quem exſtincto Lino cecinit Apollo. Notum illud, Αἰλινά μοι ϙοναχεῖτε νάπαι. Sed de hoc loco videnda, quae in Variis lectionibus notavit Vir Nobiliſſimus Janus Rutgerſius. DAN HEINSIUS. *Et Linon altis* Puteaneus cum optimo Palatino, Arondeliano, & tribus aliis. venuſtâ mehercules repetitione. pro quo alii, *edidit*, *abditum in*, vel, *expoſitum.* & ſimilia. Ceterum Puteaneus à manu primâ, *Elinon.* ut utroque forſan loco ſit ſcribendum, *Aelinon.* priori certe. ſic unus Vaticanus atque unus Mediceus. quomodo cantus ille vocatus, quo Linum Apollo deflevit. atque ita Scaliger in margine codicis ſui emendarat. Nota illa Moſchi: Αἰλινά μοι ϙοναχεῖτε νάπαι. ut & Callimachi Hymn. Apoll. 20.

Οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα κινύρεται αἴλινα μήτηρ.

Heſychius, Αἴλινος, ὕμνος, θρῆνος. Suidas, Αἴλινος αὐδὴ adjective. Vide Athenaeum & Sophoclis Scholiaſten in Ajace. ſed nec αἴλινος ſemper carmen lugubre. Athenaeus lib. XIV. Λίνος δὲ καὶ αἴλινος οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' ἐυτυχεῖ μολπῷ κατὰ τὴν Εὐριπίδην. Avunculus meus Janus Rutgerſius praeterea Venuſinis Lectionibus necdum editis cap. v. *In ſilvis Idae* legendum contendit. quomodo unus Vaticanus. Apollo nimirum tutelaris Troadi deus. quamquam ſunt, qui Linum Mercurii & Uraniae Muſae, non Apollinis faciant, eumque in Euboea periiſſe ab Apolline ſagittis confixum aſſeverent, ut videre eſt apud Diogenem Laertium prolegomenis ad vitas Philoſophorum. Idem ibidem Orpheum a nonnullis credi fulmine interfectum teſtatur. Ceterum ut a Lino Αἴλινος θρῆνος derivatur, ſic a Jalemo Calliopes filio θρῆνος Ἰάλεμος· Scholiaſt. Apoll. Rhodii ad illum verſum lib. IV. 1304.

Παννύχιαι ἐλεεινὸν Ἰάλεμον ὠδύροντο.

Ἰάλεμον, ἀντὶ τοῦ θρῆνον. εἴρηται ἀπὸ Ἰαλέμου, τῆς Μούσης παιδός. Suidas Calliopes filium facit. Athenaeus lib. XIV. Ἐν δὲ γάμοις Τμέναιος, ἐν δὲ πένθεσιν Ἰάλεμος. Hinc Ἰαλεμίζειν τὸ θρηνεῖν Heſychius interpretatur. ſumitur & Ἰάλεμος pro carmine frigido & inepto, & Ἰαλεμώδη τὰ ψύχρὰ καὶ οὐδενὸς ἀξία. apud Suidam. quomodo apud ſcriptores Latinos *naenia* & *mortualia.* nec αἴλινος ſolummodo, ſed & λίνος carmen lugubre, ſecundum Athenaeum & Euſtathium in Homerum. non recte vero Zinzerlingius Promulſidis cap. XXXI.

Et Linus in ſilvis (idem pater edidit) altis
Dicitur invitâ concinuiſſe lyrâ.

Cujus tamen membranae, & *Linon altis.* HEINS. *Aelinon* ego cum Scaligero & Heinſio veram eſſe lectio-

Hunc quoque ſumma dies nigro ſubmerſit Averno;
Diffugiunt avidos carmina ſola rogos.
Durat opus vatum, Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemeſis longum, ſic Delia, nomen habebunt;
Altera, cura recens, altera, primus amor.

Quid

lectionem puto; de quo vide Euripid. Suppl. 281. ibique Barneſium, & Scholiaſten Apollonii lib. I. ỳſ. 862. vid. & Zinzerl. Promulſ. cap. XXXI. & Barth. Adv. XXIII. 20. BURMANNUS.

24. *Invicta.*] Lege cum eodem Rutgerſio, & quibusdam codicibus, *invita lyra.* HEINSIUS. Haec vocabula confundi vidimus ad Quinctilian. Declam. CCCLXXVII.

25. *Aſpice.*] In quibusdam, *adjice.* NAUGER. Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *Adjice:* id eſt, adde ſuperioribus Poëtis etiam Homerum: qui licet optimus fuerit Poëta, periit tamen. Sic in Conſolatione ad Liviam 283. inquit:

Adjice Ledaeos, concordia ſidera, fratres. MARIUS.

Adjice meliores. & recte. HEINSIUS.

25. *Ceu fonte perenni.*] Ita paſſim Homerus praedicatur: Plin. lib. XVII. cap. 5. *Terra poſt vomerem niteſcens, qualem fons ingeniorum Homerus in armis a Deo caelatis dixit, addiditque miraculum nigreſcentis, quamvis fieret in auro.* & eleganter huc facit quod narrat Aelianus lib. XIII. Var. cap. 22. de Galathone pictore, qui dicitur Homerum vomentem depinxiſſe, cujus vomitum alii Poëtae adſtantes abſorbent. ut autem hic *perennem* fontem dicit, ita Ammian. lib. XXVII. 4. *Perennem Homeri auctoritatem* dixit. & hinc *Maeonium fontem* Petron. cap. v. Francius hic malebat, *è quo, ceu fonte perenni.* BURMANNUS.

27. *Hunc quoque ſumma dies.*] Zinzerlingius cap. XXXI. Promulſ. Criticae ex veteri libro, *magna dies.* noſtri omnes pro vulgatâ lectione ſtant. quibus accedo. ille Taciti auctoritatem advocavit. HEINSIUS. Sic & ἡμέρην μεγάλην dixit Lucas Actor. Apoſt. cap. II. ỳſ. 20. & alii ſacri ſcriptores. & Johannes VII. 37. Ἐσχάτην ἡμέραν τὴν μεγάλην τῆς ἑορτῆς. vocat ultimum diem feſti magnum, quia is maxime ſollemnis. aliter *ſummam diem* Virgilius quoque dixit lib. II. Aeneid. 322. & Valer. Flac. I. 542.

Accelerat ſed ſumma dies.

Et Noſter Epiſt. XI. 114.

Haec tibi prima dies, haec tibi ſumma fuit.

Et III. Faſt. 849. *Summa dies è quinque.* & *ſummos annos* dixit Remed. Amor. 457. ſic & Quinctil. Decl. CCCXXXII. *Nec enim ſenectutem adfert ſummus dies, ſed longus ordo vitae.* & ita Lucan. I. 73. *Suprema hora. Summus* autem & *magnus* in MSS. confundi videmus Epiſt. XVI. 307. & XVII. 132. BURMANNUS.

27. *Demerſit.*] Francofurt. & alius Heinſii, *dimiſit.* cujus *demerſit* gloſſema eſſe puto. ſed legendum, *demiſit.* Horat. I. Od. 28.

Panthoiden iterum orco demiſſum.

Ubi vid. Acron. ita *demittere leto, neci.* & ſimilia, non *dimittere;* quod plures codices occupavit apud Poëtas. *Submerſit* Sarravii & tres alii. ſic Lampr. Elegab. 33. *In Tibrim ſubmiſſus,* ubi mallem, *ſubmerſus.* & paſſim *mittere* & *mergere,* & eorum compoſita a librariis permutata deprehendi. BURMANNUS.

28. *Effugiunt avidos carmina ſola rogos.*] Suprà lib. I. Eleg. XV. *Carmina morte carent.* CIOFANUS. *Diffugiunt* vetuſtiores cum primâ editione. HEINS. *Defugiunt* unus Moreti, quod non diſplicet. Sil. IX. 427. *Quod Sidonium defugeris enſem.* vide de hujus verbi & *diffugere* differentia Davies. ad Jul. Caeſ. I. de Bell. Civ. 82. BURMANNUS.

29. *Durat opus Vatum, Trojani fama laboris, Tardaque nocturno tela retexta dolo.*] Eos Poëtas intelligit, qui de bello Trojano & de Penelopa ſcripſerunt. CIOFANUS. Repone vel invitis libris, *vatis. Vates* per excellentiam Homerus. HEINSIUS. Ita & Francius conjecerat, & intelligit Iliada & Odyſſeam.

30. *Tardaque nocturno tela retexta dolo.*] *Retexere telam* etiam apud Statium occurrit Sylv. lib. III. v. 8.

——*Tu mille procos intacta fugares,*
Non intertextas commenta retexere telas.

Sed tamen cum in duodecim codicibus invenerim, *retenta*, in octo aliis, *retecta*; fors ſit, ut ſcripſerit Naſo, *relecta.* Claudianus Laude Serenae 31.

Penelope trahat arte procos fallatque furentes,
Stamina nocturnae relegens ſollertia telae.

Pro *retenta* olim placebat reponi, *reneta.* de quo verbo adeantur quae ad Epicedium Druſi notamus ỳſ. 444. ſed *telam nere* an Latinis dicatur dubito. HEINSIUS.

31. *Habebunt.*] *Habebit* Sarravii & decem alii, cum quibusdam editis.

32. *Altera cura recens, altera primus amor.*] Huc reſpexit Pontanus ad Ariadnen uxorem:

Et ſis cura recens, amorque primus.
CIOFANUS.

Quid vos ſacra juvant? quid nunc Aegyptia proſunt
Siſtra? quid in vacuo ſecubuiſſe toro?
Cum rapiant mala fata bonos, (ignoſcite faſſo)
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.
Vive pius; moriere pius. cole ſacra; colentem
Mors gravis à templis in cava buſta trahet.
Carminibus confide bonis. jacet ecce Tibullus.
Vix manet è tanto parva quod urna capit.
Tene, ſacer Vates, flammae rapuere rogales;
Pectoribus paſci nec timuere tuis?
Aurea ſanctorum potuiſſent templa Deorum
Urere, quae tantum ſuſtinuere nefas.
Avertit vultus, Erycis quae poſſidet arces.
Sunt quoque, qui lacrimas continuiſſe negent.

Sed

33. *Quid nos ſacra juvant.*] In quibusdam, *Quid nunc ſacra juvant.* NAUGERIUS. Legitur &, *nunc.* MARIUS. Bene *vos* Puteaneus & quinque alii. ut ad Nemeſin & Deliam referatur. niſi *nunc* praeferas cum aliis codicibus. Reſpexit illa Tibulli III. I. ubi *mihi* pro *tibi* repono:

Quid tua nunc Iſis mihi, Delia, quid mihi proſunt
Illa tuâ toties aera repulſa manu?

HEINSIUS.

33. *Quid nunc Aegyptia.*] *Quid vos Aegyptia proſunt* unus codex. & ita citat Bernard. Cyllenius ad Tibulli lib. I. Eleg. 3. Barthius tuebatur, *quid nos.* Adverſ. VII. cap. 14. ut & erat in uno. ſed procul abſit talis ſtribligo a cultiſſimo Naſone. BURMANNUS.

35. *Cum rapiant.*] *Rapiunt* meliores. HEINSIUS. *Cum mala fata bonos perdant* Regius. quae de voce *bonus* Barthius obſervat, neſcio an huc quadrent. ſed reſpicere videtur ad ſollemnem formulam, qua, cum obiiſſet aliquis, incuſabant fatum, quod tam bonum virum rapuiſſet. quo adludit Petron. cap. XLI. *Homo bellus, tam bonus Chryſantus animam ebulliit.* & ita ſaepe in titulis ſepulchralibus laudari oſtenderunt ibi interpretes. quibus adde Fabret. pag. 712. & 716. & pag. 203. *Bonus homo & pius*; ut mox apud Noſtrum, *vive pius.* Reineſ. XI. I. & paſſim. BURMANNUS.

37. *Vive tamen moriture pius.*] Vetus & ſana lectio eſt: *Vive pius, moriere tamen.* Pietas, inquit, te à morte non liberabit. Sic Horat. Ode XIV. lib. II. Carm.

Nec pietas moram rugis & inſtanti ſenectae
Afferet, indomitaeque morti. MARIUS.

Vive tamen moriere pius unus Vatican. & Maffeian. alter Vatican. & alter Maffeian. *Vive pius, moriere pius:* non diſplicet. CIOFANUS. *Moriere pius* iidem cum Puteaneo. recte. niſi quod Neapolitani codices lectio omnino arridet, in quo, *Vive pius, moriture pius.* quomodo legendum jam pridem conjeceram. ſic Eleg. in Mort. Druſi 373.

Quaque ruit, furibunda ruit. HEINSIUS.

38. *Mors tamen à templis.*] *Mors gravis* codices caſtigatiores magno numero & prima editio. IDEM. *Sors gravis* Moreti.

38. *In cava.*] *Ad cava* Junii. *In ſua* margo Berſman. & unus Heinſii.

39. *Confide bonis.*] In Neapolitano erat, *infide*: unde Heinſius faciebat, *i fide*, ut amabat facere. vid. ſupr. ad Eleg. III. I. ſed mihi plurium codicum conſenſus placet. Senec. Medea 221.

Confide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat & illuc caſus.

Noſter II. Art. 143.

Fallaci timide confide figurae.

Et ita paſſim, ubi confidentiam vult exprimere. vid. Epiſt. IX. 99. X. Metam. 69. BURMANNUS.

39. *Jacet ecce Tibullus.*] *Ille Tibullus* Excerpta Jureti. Vide Notas ad Epiſt. XIV. V. 95. ſupra:

Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
Ardet. HEINSIUS.

Latet ecce Tibullus Bernenſis.

40. *Vix manet è toto parva quod urna capit.*] *E tanto* rectius unus Palatinus, & unus Vaticanus. Praeterea in uno Moreti & Menteliano, *curva urna.* vid. ad Faſt. II. 408. Putem, *curta.* Met. XIII. 615.

Jam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille
Neſcio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

Propert. lib. II. Eleg. IX.

—— Et tanti corpus Achillis
Maximaque in parva ſuſtulit oſſa manu. HEINS.

Parva recte ſe habet. offendit enim ſonus ille in *curva*, vel *curta urna.* aliter ex *curva*, quod & Francof. habebat, poſſet & *furva* refingi. ſed nihil mutandum. III. Triſt. III. 65.

Oſſa tamen facito parva referantur in urna.

arctam dixit Epiſt. XI. 124. & *brevis urna* in Epitaphio

Sed tamen hoc melius, quam ſi Phaeacia tellus
Ignotum vili ſuppoſuiſſet humo.
Hinc certè madidos fugientis preſſit ocellos
Mater; & in cineres ultima dona tulit:
Hinc ſoror in partem miſerâ cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis ſua junxerunt Nemeſisque priorque
Oſcula: nec ſolos deſtituêre rogos.
Delia diſcedens, Felicius, inquit, amata
Sum tibi: vixiſti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemeſis, Quid ais? tibi ſint mea damna dolori,
Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen è nobis aliquid, niſi nomen & umbra,
Reſtat; in Elyſiâ valle Tibullus erit.

Obvius

taphio Scipionis Africani, apud Pithoeum in Catalectis lib. III. pag. 87. occurrit:

Cui non Europa, non obſtitit Africa quondam,
(Reſpice res hominum) tam brevis urna premit.

Ita vetus codex Moroni, quem Heinſius vidit. vulgo, *Europe*, & *quam brevis urna tegit.* iisdem Catalectis pag. 91. Epitaphio Ciceronis:

Marcus erat Cicero, toto notiſſimus orbe,
Cujus relliquias occulit urna brevis.

Ubi cum Barthio lib. XXXII. cap. 19. malo, *Marcus eram.* ibidem pag. 101. in tumulo Antenoris:

Tranſtulit huc Henetos, Patavinam condidit urbem,
Cujus & oſſa ducis nunc brevis urna tegit.

Et ita paſſim in Epitaphiis, *parvus tumulus.* vid. ibid. pag. 88. 99. *Exigua urna* pag. III. BURM.

45. *Avertit vultus.*] Superſtitionem illam non reſpiciendi ad ſacra funebria egregie illuſtrat Dan. Heinſius ad Sil. III. 180.

46. *Negant.*] *Negent* codex Commelini. ut ſupr. vers. 18. *Putent.*

49. *Hic certe manibus.*] Puteaneus & optime Palatinus, *Hinc* tam hic, quam ſequenti hexametro. alii tres, *Huic* cum Jureti Excerptis. At idem Puteaneus cum Sarraviano & Farneſiano, *madidos fugientes.* ſeptem, *madidos fugientis.* Forte, *madidos fugienti preſſit ocellos*, ut ſint *madidi ocelli*, quos Metam. IV. vocat, *oculos jam morte natantes.* & Epicedio Druſi 93.

Lumina caeruleâ jam jamque natantia morte.

Et apud Virgilium v. 856.

Cunctantique natantia lumina ſolvit.

Sed opinor ſcribendum, *gravidos fugienti preſſit ocellos.* quomodo Metam. IV. 145.

—— *Oculos jam morte gravatos*
Pyramus erexit.

Et apud Virgilium Dido moritura IV. 688.

Illa graves oculos conata attollere.

Et Statius Theb. XI.

Cerno graves oculos, atque ora natantia leto.

Poſſet & *patulos* legi, quos *hiantes* dixit Propertius lib. IV. Eleg. VII. ut illic caſtigamus. HEINS. *Hic* retinet Marius, & explicat in Italia. lib. V. Met. 71. dixit, *oculis ſub morte natantibus atra.* ſed lib. IV. non invenire potui, ut laudat Heinſius, qui *gravatos* confudit. vid. ad Silii lib. II. 122.

50. *Mater.*] Vid. Paſſeratium ad Prop. lib. III. Eleg. V. 18.

50. *Dona dedit.*] Legitur &, *tulit.* MARIUS. Ut eſſet dictum, ut *inferre* lib. VI. Metam. 569. ſed parum refert. Epiſtola VII. 77. *Dona feram templis.* ſed ibidem 192.

Jam dabis in cineres ultima dona meos.

Sic variant & codices lib. XII. Metam. 3.

Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.

Ubi *tulerat* quidam. & ita paſſim. BURMANNUS.

51. *Dolori.*] Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *Doloris.* ut ſit ordo: Soror venit in partem doloris cum matre miſera. MARIUS. *Mixti cum matre dolorum* in antiqua editione eſſe Barthius notat. *Dolori* Aldus edidit. *In partes* alter Puteaneus.

52. *Dilacerata.*] Legitur etiam, *Dilaniata.* utrumque recte. MARIUS. *Dilaniata* cum prima editione, & ſcriptis compluribus. HEINSIUS. Vid. ad Epiſt. I. 90. & XII. 157.

53. *Cumque tuis.*] Marius ſubintelligi, *oſculis* vult. ſed Barthius rectius cognatis & agnatis, ne Tibullum etiam oſculantem poſt mortem faciat. Cicer. IV. ad Fam. 7. *A tuis reliquis non adhibemur*, & Noſter Epiſt. I. 41. *Nimium oblite tuorum.* ita paſſim, *mei*, *tui*, *ſui*, dicuntur. ſed in Scriveriano erat, *cumque tuis oculis Nemeſis junxere priorque oſcula.* BURMANNUS.

57. *Tibi ſunt mea.*] *Sint* Moreti. HEINSIUS. Ego in vulgata vix ſenſum video, ideoque malo cum Junii & Palatino tertio:

Obvius huic venias, hederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque (si falsum est temerati crimen amici)
Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
His comes umbra tua est; si quid modo corporis umbra est.
Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.

Ossa

Cui Nemesis, quid ais? tibi sint mea damna dolori. Ut sit oratio vehementior & objurgantis. ita centies apud comicos, *quid ais?* vid. Terent. Andr. II. I. I. & III. II. 36. & Cicer. III. de Offic. 72. *Quid ais? Tu cum hominibus consulere debeas &c. celabis homines?* quid me Delia tangis & perstringis, quasi non fuisset felix dum me amaret, te posthabita. imo ut etiam meis damnis doleas, scias illum aliter sensisse: nam moriens tenuit adhuc me manu deficiente, quod tibi dolet; & licet mihi mors illa damnosissima exstiterit, non est tamen quod tu exsultes, & putes illum te mihi praetulisse, aut me non amasse ad extremum vitae halitum. Burmannus.

59. *Nisi nomen & umbra.*] *Nisi corpus & umbra* Scriverii & alius. *Nisi corporis umbra* Bernensis. *Illud nisi nomen & umbra* Mediceus.

60. *Tibullus, erit.*] *Eat* Francofurtensis. forte, *eas.*

61. *Venies.*] *Venias* Puteaneus & alius Moreti. Heinsius. *Myrto juvenilia* Palatinus secundus. *Vinctus* etiam quatuor libri.

63. *Tu quoque si verum est.*] Mirum est quam diversa de hujus Poëtae morte tradant veteres. Noster lib. II. Tristium 496. caussam ait fuisse, quod *linguam nimio mero non tenuerit.* quod Marius ad lib. I. Amor. Eleg. 15. explicat, quod male de Augusto fuerit locutus. alii narrant caussam fuisse, quod Aegypto praefectus, nomen suum & res gestas Pyramidibus inscripserit, vel quod Aegyptum, & praecipue Thebas, rapinis exhauserit. vid. Amm. Marc. XVII. cap. IV. ubi recte Valesius docet a Vossio confundi Cornelium Gallum Poëtam cum Aelio Gallo, qui postea etiam Aegypto praefuit. Chronicon Eusebianum numero MDCCCCXC. *Cornelium Gallum Forojulienſem Poëtam quadragesimo aetatis anno propria se manu interfeciſſe* memorat. Barthius Adv. lib. XLI. 26. mortuum ob Lycorida ex Propertii lib. II. Eleg. XXV. in fine etiam colligit. sed perperam: Passeratius ad Propert. lib. I. pag. 241. distinguit tres Gallos, quorum unus periit Bello Perusino, ubi tamen ipse hunc a Gallo Praefecto Aegypti non satis discernere videtur. ille vero Gallus, Propertio saepe memoratus, nobilis fuit, ut apparet ex lib. I. Eleg. V. 23.

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti,
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Gallus vero Praefectus Aegypti ex humili loco ab Augusto ad honores est provectus, teste Suetonio Aug. 66. hunc quoque ab Asinio Pollione memorari apud Ciceronem lib. X. ad Fam. 32. putat Manutius; sed dubium facit, quod Epistola illa scripta sit anno DCCX. quo anno Gallus tantum XXII. annos fuit natus, si quadragesimo aetatis anno sit mortuus. nam periit anno DCCXXVIII. & an familiarem suum, juvenem aetate non admodum adhuc provecta, habuerit Pollio dubitem. nisi antiquiorem Gallum statuamus & natum anno U. C. DCCLXXXI. ut Douza in Schediasmate succidaneo, in quo in aetatem Tibulli inquirit, qui Servium & Eusebium auctores laudat, apud quos tamen id reperire nequii, & qui mortem sibi consciviſſe anno aetatis quadragesimo & octavo statuitur. sed haec incerta: forte ille Pollionis familiaris Cornelius Gallus fuit, quem Praetorium invenere obiisse Plinius lib. VII. 53. & Val. Max. IX. 12. §. 8. narrant. quod verò haec Poëtae verba capiant de Augusto, quem *amici* nomine Poëta *temerati* designaret, non persuadent. neque tam familiari appellatione Nasonem designavisse Augustum credibile est. sed recte aliquid inimicitiarum inter Gallum & Tibullum intercessisse suspicatur Scaliger ad Eusebii Chron. n. MDCCCCXC. quem recte cepisse putamus. quod si crimen falsum est, tum, Naso dicit, eum inter Poëtarum umbras etiam Tibullo occursurum. si vero verum sit crimen, eum removeri vult a Tibulli adspectu. Burmannus.

64. *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.*] Horatius lib. I. carm. Oda XII.

——— *Animaeque magnae*
Prodigum Paullum.

Et Statius lib. IIX. Thebaid.

——— *Et vitae prodiga virtus*
Emisere animos.

Hoc est, ut Lutatius exponit, *mortem non curans.* Silius de Hispanis militibus lib. I. 225.

Prodiga gens animae, & properare facillima mortem. Ciofanus.

Vid. Cl. Drakenb. ad Silii verba.

65. *Si qua est modo corporis umbra.*] *Si quae modo* Puteaneus à manu emendatrice. Excerpta Jureti & tres alii codices, *siquid modo corporis umbra est.* recte. Pont. IV. Eleg. I.

Da mihi (si quid ea est) hebetantem pectora Lethen.

Eleg.

Ossa quieta, precor, tutâ requiescite in urnâ:
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Eleg. XIII.

Styx quoque (si quid ea est) bene commutabitur Istro.

Prudentius Prooemio Cathem. *Cum jam, quicquid id est, quod fueram, mors aboleverit.* HEINSIUS. Vide supr. ad lib. 1. Eleg. XII. 3. *Omina sunt aliquid.* Vulgata defendi potest ex Elegia VII. vs. 17. *Si qua est ventura senectus.* ut vulgo legitur.

ELEGIA X.

ANnua venerunt Cerealis tempora sacri.
Secubat in vacuo sola puella toro.
Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda nostra tuis?
Te, Dea, munificam gentes ubicumque loquuntur:
Nec minus humanis invidet ulla bonis.
Ante nec hirsuti torrebant farra coloni:
Nec notum terris area nomen erat.
Sed glandem quercus, oracula prima, ferebant.
Haec erat, & teneri cespitis herba, cibus.

Prima

1. *Annua venerunt Cerealis tempora sacri, &c.*] Elegia haec argumento similis est illi Propertianae libro secundo 24. quae ita incipit:

Tristia jam redeunt iterum solennia nobis.

MARIUS.

2. *In vacuo.*] Et hic MSS. variant; quidam, *viduo*, alii *medio*. vid. ad Epist. XIX. 158.

3. *Tenues spicis.*] *Tenuem capillum* Regius & Farnesianus. mox alter Puteaneus & alius, *cur prohibes.*

5. *Gentes ubicumque.*] Puteaneus, *ubi quaeque.* quod hic approbabat olim Hensius. sed ad II. Art. Am. 627. ubi eadem est varietas, praetulit *ubicumque.* Farnesianus hic habet, *gentes quaecumque.* sic apud Virgilium lib. VII. Aeneid. 400.

Iö matres audite ubicumque Latinae.

Pierius ex Prisciano, *ubi quaeque* adserit. & ita etiam codices multi. quamquam Barthius ad Statii XI. Theb. 182. *ubicumque* praeferat. plenius se ad Virgilii locum de hac locutione acturum adscripserat Heinsius. Plinius lib. XXVIII. 8. *Eodem tactis postibus, ubicumque magorum infestari artes, non elici Deos, nec colloqui.* BURMANNUS.

6. *Nec minus humanis invidet illa bonis.*] Omnino ex manuscripti codicis auctoritate legendum est, *Invidet ulla* ut sit sensus idem, qui & in superiori carmine: nullam esse Deam, quae magis cupiat mortalium commoda, quàm Ceres: idcirco penè incredibile esse, ut amantum tormentis & lachrymis gaudeat. MARIUS. *Invidiosa bonis* Sarravii & duo alii.

8. *Nec notum terris.*] *In terris* unus Moreti & Bernensis.

10. *Haec cibus, & teneri cespitis herba torus.*] Puteaneus cum multis aliis melioris notae:

Haec erat, & teneri cespitis herba cibus.

Quod amplector. neque aliter Jureti & Scaligeri Excerpta. similis locus Fast. IV. 395.

Panis erant primis virides mortalibus herbae,
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modo carpebant vivax è cespite gramen,
Nunc epulae tenerâ fronde cacumen erant.
Postmodo glans nata est: bene erat jam glande repertâ:
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.

Nihil ibi de toro gramineo. lib. II. Artis tamen 473.

Tum genus humanum solis errabat in arvis:
Idque merae vires & rude corpus erat.
Sylva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.

Juvenal. Sat. VI. initio:

Silvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus. HEINSIUS.

Vid. Epist. V. 14.

Prima Ceres docuit turgeſcere ſemen in agris;
Falce coloratas ſubſecuitque comas.
Prima jugo tauros ſupponere colla coëgit;
Et veterem curvo dente revellit humum.
Hanc quisquam lacrimis laetari credit amantum,
Et bene tormentis ſecubituque coli?
Nec tamen eſt (quamvis agros amet illa feraces)
Ruſtica: nec viduum pectus amoris habet.
Cretes erunt teſtes; nec fingunt omnia Cretes:
Cretes, nutrito terra ſuperba Jove.
Illic, ſidéream mundi qui temperat arcem,
Exiguus tenero lac bibit ore puer.
Magna fides teſti: teſtis laudatur alumno.
Faſſuram Cererem crimina nota puto.
Viderat Iäſium Cretaeâ Diva ſub Idâ
Figentem certâ terga ferina manu.

Vidit,

13. *Prima jugis.*] *Jugo* Excerpta Politiani. quod mollius. HEINSIUS.

15. *Ridet.*] Vetus lectio eſt, *Credat*: & ſic omnino legendum. ut ſit ſenſus: Credibile non eſſe, tam liberalem & mitem Deam laetari cruciatibus & tormentis amantum. MARIUS. *Credit* meliores cum primâ editione. dixi ſupra El. VIII. HEINS.

16. *Tormentis.*] Ἐν διὰ δυοῖν, cruciatibus ſecubitus. Quid ſi *tomentis* legendum eſt: iis enim incubabant tanquam ſtraminibus. BERSMAN. Inepte. nam & tomenta erant pretioſa, ut & vilia. & an minus, ſi concumberent, incubabant tomentis, quam cum ſecubarent. praeterea quis umquam dixit colere Deos tomentis, ut *ture*, *vino* & ſimilibus? tormenta dixit ſimili fere ratione Propert. III. Eleg. VI. 17.

His ego tormentis animi ſum verus aruſpex.

Sic *torqueri* ſe ſaepe Noſter dicit. vid. II. Am. XVIII. 20. & XIX. 34. BURMANNUS.

17. *Nec tamen.*] *Haec* marg. Berſmanni, quod ille recte repudiat.

17. *Feraces.*] Francius conjiciebat, *Feroces*, ut conveniret τῷ *ruſtica*. ſed nihil moveo, niſi quis cum Scriverii codice mallet, *agros colat illa feraces*. quod optime reſpondet τῷ *ruſtica*. licet colat agros ut ruſtici, tamen non eſt ruſtica. *habet illa* Vatic. & Palatin. primus. BURMANNUS.

18. *Viduum.*] Rectius in MSS. *Vacuum*. MARIUS. *Viduum* uterque liber Maffeian. CIOFAN. *Viduum* libri caſtigatiores magna copia, cum vetuſtis editionibus. HEINSIUS.

19. *Nec fingunt.*] Tale quippiam, niſi falſus ſum, apud Callimachum me legiſſe memini. nec facile locus ſubit. CIOFANUS. Eſt in Hymno in Jovem vers. 8. ubi vide interpretes.

20. *Cretes nutrito.*] *Crete* Puteaneus. *Crete eſt* Palatinus. ſed nihil neceſſe. credebant enim librarii, *Cretes* non recte poſſe per appoſitionem *terram* dici. ſed ita & IV. Metam. 668.

Aethiopum populos, Cepheïa conſpicit arva.

Ut recte Heinſius conſtituit, & ubi plura. ſic & VI. Met. 710. meliores codices:

Quam Ciconum tenuit populos, ſua moenia, raptor.

v. Faſt. 89.

Arcades hunc, Ladonque rapax, & Maenalos ingens
Rite colunt, Luna credita terra prior.

Ita & Heinſius hanc elegantiam reddidit Claudiano I. in Eutr. 427.

Auroram ſane, quae talia ferre
Gaudeat, aſſuetas ſeeperis muliebribus urbes
Poſſideant.

Ita & regionis nomen genti per appoſitionem jungitur Juſt. XXXVIII. 5. *Cum ſibi pupillo Phrygiam ademerunt, gentem, quam &c.* Noſter XIV. Met. 48.

Rhegion ingreditur, ferventes aeſtibus undas.

Et talia paſſim occurrunt. vide & ad Vellej. Paterc. II. 15. BURMANNUS.

21. *Sidereum arcem.*] *Sidereum axem* Palatinus prior, Moreti alter & Francofurt. eadem varietas apud Claud. Praef. lib. II. de Raptu 35.

Non Leo ſidereos coeli redituras in axes.

Ubi Junii & Voſſii codices, *ſidereas arces*. & apud Statium VIII. 409.

Cum Juppiter omni
Arce tonet.

Ubi male codices, *axe*. nam paſſim *arcem* coelum vocant Poëtae. Valer. Flac. I. 498.

Siderea tunc arce pater pulcherrima Grajum
Coepta tuens.

Igneas arces Horat. dixit lib. III. Od. I. hoc leve eſt,

Vidit, & ut tenerae flammam rapuere medullae;
Hinc pudor, ex alià parte trahebat amor.
Victus amore pudor. ſulcos arere videres,
Et ſata cum minimâ parte redire ſui.
Cum bene jactati pulſarant arva ligones,
Ruperat & duram vomer aduncus humum,
Seminaque in latos iërant aequaliter agros;
Irrita decepti vota colentis erant.
Diva, potens frugum, ſilvis ceſſabat in altis:
Deciderant longae ſpicea ſerta comae.
Sola fuit Crete fecundo fertilis anno.
Omnia, quâ tulerat ſe Dea, meſſis erant.
Ipſe locus nemorum canebat frugibus Ide,
Et ferus in ſilvâ farra metebat aper.
Optavit Minos ſimiles ſibi legifer annos:
Optavit Cereris longus ut eſſet amor.

Quod

eſt, ſed tamen ignoravit ille Gorallus, nulla bonarum literarum parte tinctus, ut videbimus ad Epiced. in Druſum 61. BURMANNUS.

24. *Crimina nota.*] *Noſtra* quinque ex melioribus. ſequenti verſu *Iäſion*, unus Vaticanus. HEINS.

25. *Viderat Iäſium Cretaeâ Diva ſub Idâ.*] Hunc Iäſium alii quidam *Iäſionem* vocant: adduntque, à Jove poſtremò fulmine percuſſum, eo quòd cum Cerere concubuiſſet. MICYLLUS. Locum hunc adduxi lib. IX. Metam. & ſimul illuſtravi. CIOFANUS.

27. *Tenerae flammam rapuere medullae.*] Mihi venuſtior & verior videtur lectio, quam in quatuor codicibus MSS. & editione prima deprehendi, *teneras flammae rapuere medullas. Rapere* enim proprie ignis & flammae dicuntur. Elegia praecedenti 41.

Tene, ſacer vates, flammae rapuere rogales.

Et ita paſſim *rapax* ignis, *rapidae* flammae, Noſtro & aliis. vulgata tamen defendi poteſt ex III. Metam. 374.

Admotam rapiunt vivacia ſulfura flammam.

BURMANNUS.

28. *Ex illa parte.*] Vetus lectio, *ex aliâ parte trahebat amor.* NAUGERIUS. Rectius multo ex MSS. exemplaribus legitur, *ex aliâ parte.* MARIUS. Libri ſcripti, *ex aliâ parte.* Aeque bene. CIOFANUS. Multi libri, *ex alia.* Sarravianus, *aſt aliâ parte.* HEINSIUS.

31. *Pulſarunt.*] Legitur &, *pulſarant*, quae lectio magis placet, quia ſequitur *ruperat*, & *ierant.* MARIUS. Malebat Heinſius, *verſarant.* ut alibi dixit, *verſare ligonibus arva.* ſed cum in Junii codice ſit, *purgarunt*; mallem, *purgârant.* ut I. Pont. VIII. 59.

Nec dubitem longis purgare ligonibus arva.

Et huic uſui proprie ligo adhibebatur. cujus figuram ex numnis antiquis exhibent Triſtanus tom. II. Comm. Hiſtor. pag. 46. & Begerus Spicileg. Antiq. pag. 71. & 72. *Jactatos* autem dicit, quia manibus ſumma vi terrae infigebantur, ut evellerentur herbae malae & nocentes. BURMANNUS.

33. *Ierant.*] *Steterant* Francofurtenſis, Sarravii, Bernenſis & quatuordecim alii. *Ierant aequalia campos* tertius Moreti.

35. *Errabat in altis.*] Iidem libri, *Ceſſabat.* CIOFANUS. *Ceſſabat* meliores, quo modo ſupra II. XVIII. 3.

Nos, Macer, ignava Veneris ceſſamus in umbra.

Sic *ceſſare* agri dicuntur, qui inculti jacent. Manil. lib. I. 74.

Terraque ſub rudibus ceſſabat vaſta colonis.

HEINSIUS.

36. *Longè.*] Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *Longae*, cum diphthongo: ut ſit nomen, non adverbium. MARIUS. *Longa coma* alter Moreti. ſed & *longe* pro procul poteſt capi, ut in illo Virgilii:

Serta procul tantum capiti delapſa jacebant. HEINS.

Longa coma non diſplicet. ut Epiſt. XX. 208.

Deciderint humero pallia lapſa meo.

Et III. Amor. VII. 33.

Ilicibus glandes cantataque vitibus uva
Decidit.

Et ita alibi. BURMANNUS.

38. *Omnia quâ tulerat.*] Palatinus:

Optima, quâ tulerat ſe Dea, meſſis erat.

Erat multi ex ſcriptis habent.

39. *Ipſe locus.*] Melius, *ille*, cum Haſnienſi. vid. ad Epiſt. XIV. 95.

39. *Idae.*

Quod tibi secubitus tristes, Dea flava, fuissent;
Hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis.
Cur ego sim tristis, cum sit tibi nata reperta;
Regnaque, quam Juno, sorte minora regat?
Festa dies, Veneremque vocat, cantusque merumque.
Haec decet ad dominos munera ferre Deos.

39. *Idae.*] Manuscripta exemplaria citra diphthongum habent, *Ide.* & rectius ita legitur, ut sit rectus, quemadmodum suprà: *Vivet Maeonides, Tenedos dum stabit & Ide.* Marius.

40. *Metebat aper.*] Nimis forte luxuriat hic contra veritatem Poëta. nam Plinius lib. VIII. cap. 58. cum dixisset, nec lupos, nec vulpes, nec ursas, neque ullum maleficum animal in Creta esse. addit mirabilius esse, neque apros reperiri, nisi in regione Cydoniatarum. Statuendum ergo est, nunc irâ Cereris excessisse apros fines suos, & vastasse omnem Cretam. Burmannus.

42. *Cereris.*] Malim, *Cereri* Heinsius.

43. *Qui tibi secubitus.*] Alii codices, *Quid.* concinne unus Palatinus, *Quod*, & sequenti versu, *Hoc*, pro *Hos.* vid. ad Epist. XII. 25. Heinsius. *Quid tibi* Edit. Bersman. & unus Moreti.

45. *Cur ego sum tristis.*] *Sim* meliores. Heins.

46. *Quae Juno.*] Rectius in manuscripris legitur, *Quàm Juno.* ut sit sensus: Proserpina tertiam mundi partem, quemadmodum Juno, regit: sed Junonis regna sorte majora sunt. quia (ut suprà diximus) in orbis divisione Jovi coelum obtigit. Marius. *Quam* legitur in iisdem exemplaribus. Ciofan. *Sorte minora* plerique libri. & recte. *sorte minore* Puteaneus & sex alii. Posset etiam legi, *Regnaque Junonis sorte minora regat.* De hac sorte inter tres fratres ductâ plena Poëtarum ubique scripta. Heinsius.

47. *Festa dies Veneremque vocat.*] Alii codices, *Cereremque colat. vocat*, ut lib. IV. Fast. 187.

Scena sonat, ludique vocant, spectate, Quirites. Heinsius.

48. *Haec decet.*] Moreti primus, *docet*, venuste. ut ipse dies admoneat sacrificii. eadem varietas XIV. Metam. 598.

Et sonus, & macies, & pallor & omnia, captam
Quae deceant urbem.

Ubi eleganter *doceant* Leidensis codex cum duobus aliis. vid. & I. Art. Am. 236. sic Manilius lib. I. ỳs. 700. de Circulo lacteo:

Sponte sua, seque ipse docet, cogitque notari.

Et similiter fere Noster lib. I. Amor. XIV. 30.

Erudit admotas ipse capillus acus.

Burmannus.

ELEGIA XI.

MUlta diuque tuli: vitiis patientia victa est.
Cede fatigato pectore, turpis Amor.
Scilicet adserui jam me, rupique catenas:
Et quae depuduit ferre, tulisse pudet.

Vici-

1. *Diu tuli.*] Omnino ex omnium ferè manuscriptorum codicum auctoritate legendum est, *Diuque tuli.* aliter enim versus claudicaret: nam dictio *tuli* corripit primam syllabam. Sic Naso Elegia ultima libri secundi:

Multa diuque tuli, speravi saepe futurum, &c. Marius.

In multis codicibus est, *multa diu tulimus.* sed frustra: formula enim est ordinaria, quam in prosa, *multum diuque* efferunt. Flor. II. 3. *Itaque cum diu multumque eluderent Salyi.* Sallust. Jug. 94. *Igitur diu multumque fatigati.* vide ad Petron. cap. XXIII. sic *saepe diuque* dixit Horat. lib. I. Epist. XIII. I. Burmannus.

2. *Turpis amor.*] *Tristis* Vaticanus. *Dulcis* unus Mediceus.

3. *Fugique.*] *Rupique* Scriverianus. quomodo apud Persium Satyr. V. 157.

Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, rupi jam vincula, dicas. Heins.

Virg. II. Aeneid. 134.

Eripui fateor leto me, & vincula rupi.

4. *Et quae non puduit ferre.*] *Depuduit* bene Juretì Excerpta. Epist. IV. 155.

Depuduit, profugusque rubor sua signa reliquit. Heinsius.

5. *Vici-*

Vicimus; & domitum pedibus calcamus Amorem.
Venerunt capiti cornua fera meo.
Perfer, & obdura: dolor hic tibi proderit olim.
Saepe tulit laſſis ſuccus amarus opem.
Ergo ego ſuſtinui, foribus tam ſaepe repulſus,
Ingenuum durâ ponere corpus humo.
Ergo ego neſcio cui, quem tu complexa tenebas,
Excubui clauſam, ſervus ut, ante domum.
Vidi ego, cum foribus laſſus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus.
Hoc tamen eſt levius, quam quod ſum viſus ab illo.
Eveniat noſtris hoſtibus ille pudor.
Quando ego non fixus lateri ſpatiantis adhaeſi,
Ipſe tuus cuſtos, ipſe vir, ipſe comes?
Scilicet & populo per me cantata placebas.
Cauſſa fuit multis noſter amoris amor.

Turpia

5. *Vicimus.*] *Vincimus* Neapolitanus & alii. vide lib. II. Eleg. XII. ℣. 2. & IV. Metam. 356. pro *domitum* alter Mediceus, *dominum*. ſic *domini Dei* Eleg. praecedenti, verſu ultimo & Epiſt. Phaedr. *Venus dominae*. I. Art. Am. 148. HEINSIUS. Utraque lectio habet quo ſe tueatur, & *adſervi* praecedens, *dominum* videri poſſet exigere: ab illis enim in libertatem ſe adſerebant. Remed. 73.

Publicus adſertor dominis oppreſſa levabo
Pectora.

Sed quia *vincimus* quoque praecedit, *domitum* aptius congruit. vide Paſſer. & Broukh. ad Propert. I. 1. 4. Barth. ad Stat. II. 713. & Demſter. ad Coripp. Praefat. BURMANNUS.

6. *Venerunt capiti cornua ſera meo.*] Id eſt: Serò tandem coepi indignari, & me velle contrà opponere. Sic dixit, lib. I. Art. Amat. 219. *Tunc pauper cornua ſumit:* hoc eſt, incipit rebellare & recalcitrare. Sumpta metaphora à tauris, cum ſe cornibus mutuò petunt. MICYLLUS.

7. *Olim.*] Aliquando, poſthac. CIOFANUS.

8. *Laſſis.*] *Lapſis* Sarravii & tres alii, & ita volebat Francius. perperam. vid. ad lib. II. XIII. 2.

10. *Ingenium.*] Ita quidem in impreſſis exemplaribus legitur: ſed quis non videt, legendum eſſe, *Ingenuum?* Hoc ad amplificationem dixit. Si enim ignominioſum eſt, ſervos humi jacere: multo magis ingenuos. MARIUS.

11. *Neſcio cui.*] *Neſcio quem dum tu complexa* Junii. *Neſcio quem tu nunc* Palatinus primus.

12. *Clauſam ſervus ut ante domum.*] Excerpta Scaligeri, Puteani, & Jureti, cum ſex aliis, *forem.* quod probarem, niſi *foribus* mox ſequeretur. HEINSIUS. Sed vide ad II. Amor. Eleg. XIX. 38.

13. *Vidi ego cum foribus.*] Meliores ſcripti *vidi ego* non agnoſcunt. quare licet tollatur. HEINSIUS. Sed vide ad III. Epiſt. 47. *Foribus laſſus prodiret apertis* Moreti unus & alius.

17. *Lateri ſpatiantis adhaeſi.*] In nonnullis, *patienter adhaeſi.* NAUGERIUS. In quodam manuſcripto legitur, *patienter*, quae lectio valde placet. MARIUS. *Patienter* Puteaneus cum duobus aliis. HEINSIUS.

19. *Scilicet ut populo per me comitata placebat.*] Rectius hoc carmen in manuſcriptis exemplaribus ita legitur:

Scilicet & populo per me comitata placebat.

MARIUS. *Comitata per me* poteſt quidem tolerari, ut Epiſt. III. 29. *Per quos comitata redirem.* ſed jam praecedenti diſticho de hoc egerat. Francof. & Palatinus, *cantata*, quod magis placet. ut I. Amor. III. 25.

Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem,

Supr. II. Amor. XVII. 33.

Nec niſi tu noſtris cantabitur ulla libellis.

II. Triſt. 427.

Sic ſua laſcivo cantata eſt ſaepe Catullo
Femina.

IV. Triſt. 10.

Moverat ingenium totam cantata per urbem,
Nomine non vero dicta Corinna mihi.

Sic Eleg. ſeq. v. 7. dicit, *ſuis libellis innotuiſſe.* & notum eſt, quanti Poëtae faciant & jactent operam ſuam, qua puellas carminibus celebres faciant. Prop. III. 1. 55.

Fortunata meo ſi qua es celebrata libello,
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.

BURMANNUS.

Turpia quid referam vanae mendacia linguae,
Et perjuratos in mea damna Deos?
Quid juvenum tacitos inter convivia nutus;
Verbaque compositis dissimulata notis?
Dicta erat aegra mihi: praeceps amensque cucurri.
Veni; & rivali non erat aegra meo.
His, & quae taceo, duravi saepe ferendis.
Quaere alium pro me, qui queat ista pati.
Jam mea, votivâ puppis redimita coronâ,
Lenta tumescentes aequoris audit aquas.
Desine blanditias, & verba potentia quondam,
Perdere. non ego sum stultus, ut ante fui.
Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt,
Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor.
[Odero, si potero: si non, invitus amabo.
Nec juga taurus amat: quae tamen odit, habet.]
Nequitiam fugio: fugientem forma reducit.
Averfor morum crimina: corpus amo.
Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum:
Et videor voti nescius esse mei.
Aut formosa fores minus, aut minus improba, vellem.
Non facit ad mores tam bona forma malos.
Facta movent odium; facies exorat amorem.
Me miserum! vitiis plus valet illa suis.
Parce, per ô lecti socialia jura, per omnes
(Qui dent fallendos se tibi saepe) Deos,

Perque

26. *Veni; & rivali.*] Haec copula *&* non est in MSS. exemplaribus. Marius. *Veni; & rivali* scripti plerique cum prima editione. forte, *at rivali.* Heinsius.

27. *His, & quae taceo, duravi saepe ferendis.*] Pro, Obdurui: est enim hic absolutum *Durare*, eodem modo positum, ut apud Virg. lib. I. 207.

Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Micyllus. Vid. ad Quinctil. IX. 2.

28. *Qui velit ista pati.*] *Qui queat* Medic. & Editio prima.

29. *Jam mea votiva puppis redimita corona Laeta tumescentes aequoris audit aquas.*] Solebant veteres nautae, ubi in portum pervenerant, naves coronare. Virgil. lib. IV. Aeneid. 418.

Puppibus & laeti nautae imposuere coronas.

Ciofanus.

30. *Laeta tumescentes.*] *Lenta* scribendum, quicquid libri veteres dissentiunt. dixi Epist. XIX. ℣s. 81. at nunc eam conjecturam invenio confirmatam in codice Arondeliano. Heinsius.

32. *Non ego sum.*] *Non ego nunc* Scriverianus. rectius. Heinsius.

33. *Pectusque leve in contraria ducunt.*] Unus Maffeianus, *vertunt.* alter verò, *tendunt.* Ciofan. *Tendunt* meliores. nonnulli, *vertunt.* lib. I. Trist. III.

Tunc cum in contraria versis.

Sequenti versu *vincit*, pro *vincet* iidem praestantiores. Heinsius. *Pectusque meum* Bernensis.

35. *Odero, si potero.*] Distichon hoc Ovidianum non videtur esse. Heinsius.

37. *Reducit.*] *Reducet* Puteaneus. Idem.

39. *Sic ego nec sine te.*] Imitatus Martialis XII. 47.

Nec tecum possum vivere nec sine te.

Idem VIII. 53.

O quam te fieri Catulla, mallem
Formosam minus, aut magis pudicam.

Douza.

43. *Facta merent odium.*] *Movent* quidam codices.

Perque tuam faciem, magni mihi numinis inſtar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos;
Quidquid eris, mea ſemper eris. tu ſelige tantum,
Me quoque velle velis, anne coactus amem?
Lintea dem potius, ventisque ferentibus utar;
Ut quamvis nolim, cogar amare tamen.

ces. *merent* pro merentur. Medicamine Faciei, *mundicie crimina nulla merent.* ſi tamen locus iſte eſt ſanus. HEINSIUS.

44. *Plus valet.*] *Plus placet illa* Mentelii alter.

46. *Qui dant.*] *Qui dent* legendum cum codice Neapolitano. vide notas ad Epiſtolam XV. ℣ſ. 107. HEINSIUS.

47. *Magni mihi numinis inſtar.*] Martialis VII. 11.

Perque tuas aures, magni mihi numinis inſtar.

ELEGIA XII.

QUis fuit ille dies, quo triſtia ſemper amanti
Omina non albae concinuiſtis aves?
Quodve putem ſidus noſtris occurrere fatis?
Quosve Deos in me bella movere querar?
Quae modo dicta mea eſt, quam coepi ſolus amare,
Cum multis vereor ne ſit habenda mihi.
Fallimur? an noſtris innotuit illa libellis?
Sic erat: ingenio proſtitit illa meo.
Et merito. quid enim formae praeconia feci?
Vendibilis culpâ facta puella meâ eſt.
Me lenone placet. duce me perductus amator.
Janua per noſtras eſt adaperta manus.

An

1. *Quis fuit ille dies.*] Imitatus auctor Elegiae de ſpe in Catal. Pith. pag. 38. *O Superi! quis fuit ille dies?*

3. *Quodve putem ſidus noſtris occurrere votis.*] *Fatis* Puteaneus & multi alii. Epiſtola Oenones vulgatam tuetur:

Quis Deus oppoſuit noſtris ſua numina votis?
HEINSIUS.

4. *Bella movere.*] *Parare* Francof. a m. s. vid. III. Epiſt. 123.

5. *Quae modo dicta mea eſt.*] Propertius II. VII. 6.

Nec mea dicetur, quae modo dicta mea eſt.
DOUZA.

5. *Quam coepi ſolus amare.*] De Corinna exponit hanc Elegiam Commentator: ſed quod de hac proprie intelligendum ſit, certe nusquam docet. Poteſt autem & de altera intelligi, quando ſupra ad Graecinum Elegia decima libri ſecundi, ſe duas amare coepiſſe dicit. Et de Corinna, quam dixit, ſedulo ſemper cavit, ne quae eſſet, vulgo innoteſceret. Itaque ne hodie quidem verum ejus nomen certo ſcitur. MICYLLUS.

6. *Ne ſit habenda.*] Junii, *amanda*, ut ſit repetitio. ſed vulgata recte ſe habet. & capio, ut apud Terent. Andr. I. 1. *Quis heri habuit Chryſidem.* Virgil. Eclog. III. 107. *Phyllida ſolus habeto.* & ita paſſim alii. vid. & ad Epiſt. XX. 228. BURM.

8. *Sic eſt.*] *Sic erat* meliores. niſi quod Sarravianus cum duobus aliis, *Sic erit.* lib. I. Eleg. II.

Sic erat. haeſerunt molles in corde ſagittae.
HEINSIUS.

11. *Duce me productus.*] In nonnullis, *perductus amator.* NAUGERIUS. Legitur etiam, *perductus.* utrumque recte. MARIUS. *Perductus* Puteaneus & quatuor alii. hinc *perductores* pro lenonibus apud Comicos. Apulej. Metam. IX. *Jamque nocte promota ſolum perducit ad domum, probeque capite contectum amatorem ſtrenue infert aduſque dominae cubiculum.* A. Gell. Noct. Att. lib. VI. cap. 8. de Scipione: *Virginem tempeſtivam forma egregia captam perductamque ad ſe, patri inviolatam reddidit.*

An prosint, dubium; nocuerunt carmina certè.
Invidiae nostris illa fuere bonis.
Cum Thebe, cum Troja forent, cum Caesaris acta;
Ingenium movit sola Corinna meum.
Aversis utinam tetigissem carmina Musis;
Phoebus & inceptum destituisset opus!
Nec tamen, ut testes mos est audire Poëtas,
Malueram verbis pondus abesse meis.

Per

mox de Alexandro Magno: *Darii uxorem proelio magno captam, videre noluit, perducique ad se prohibuit.* idem & *deducere* dicebant. HEINSIUS. Quibus tamen in locis etiam proprie de captivis potest capi, de quo vide Gronov. ad Liv. XXX. 12. *productus* hic maluit Douza, ut patet ex ejus adnotatis ad lib. I. Art. Am. 126. de *deducere*, vid. ad Epist. IX. 121. & XVI. 313. *conductus* habebant Bernensis, Junii, Moreti unus & quatuor alii. *adulter* etiam Moreti primus. BURMANNUS.

13. *Docuerunt carmina semper.*] Etsi in omnibus impressis exemplaribus ita legitur, tamen, quia id sensus exigit, legendum ex manuscripti codicis auctoritate omnino est, *Nocuerunt carmina certè.* Dubium id, inquit, minimè est, carmina mihi obfuisse. MARIUS. Uterque liber Maffeian. *semper.* CIOFAN. *Semper* editio prima & octodecim scripti.

15. *Cum Thebae, cum Troja foret.*] *Forent* prima editio cum quinque scriptis. eadem *Thebe* quoque agnoscit. atque ita Puteaneus. neque aliter Statius pluresque ex antiquis singulari numero. HEINSIUS. Vid. ad Metam. XII. 108. conjungit autem haec duo bella, Thebanum & Trojanum, ut celeberrimam Epici carminis materiam. ita & II. Trist. 317. & Anacreon Od. I.

Θέλω λέγειν Ἀτρείδας,
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν.

Et Od. XVI.

Σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης,
Ὁ δ' ἂν Φρυγῶν ἀὐτάς. BURMANNUS.

17. *Adversis.*] *Aversis* in iisdem libris. CIOFAN. *Aversis* Puteaneus & complures alii. Propertius lib. IV. Eleg. I.

Aversis Musis cantas, aversus Apollo est.

Ita enim in vetustis nonnullis codicibus scribitur; in aliis, *accersis lachrymis cantus.* sed de vera ejus loci scriptura dicetur III. Art. Am. 672. vid. initio Epistolae VI. HEINSIUS. *O utinam adversis* Editio prima, Bersmanni, & codex Bernensis. *tetigissem* autem eleganter, quod verbum puto reddendum. Martiali lib. III. Epig. 38.

Si nihil hinc venient, tangentur carmina nobis.

Ita in tribus Vossianis codicibus inveni. vulgo *pangentur*, quod obvium in hac re librarii arripuerunt. apud eumdem lib. XI. 4.

At quam victuras poteramus pangere chartas.

Ubi quatuor Vossiani codices habent, *tangere.* BURMANNUS.

19. *Nec tamen.*] Scripsisse credo Nasonem, *nunc tamen*, ut respondeat ultimo districho hujus Elegiae. vel, si vulgata retinenda, cum Francofurt. legendum esset, *pondus adesse*, vel cum tribus aliis, *inesse.* IDEM.

20. *Maluerim.*] *Malucram* scripti. HEINSIUS.

21. *Per nos.*] Post hunc versum interserit primus Palatinus:

Nunc hostem patitur cum reliquis avibus
Altera Scylla maris monstrum medicamine Circes
Pube premit &c.

21. *Canos furata capillos.*] *Caros* Puteaneus & quinque alii, quod sit, pretiosos. sed male. Metam. VIII. 9. de Niso:

Inter honoratos medio de vertice canos,
Crinis inhaerebat magni fiducia regni.

HEINSIUS.

22. *Rapidos.*] In manuscriptis exemplaribus ferè omnibus, *Rabidos* legitur, & rectius. Sic etiam lib. XVI. 66. Metam. de Scylla inquit:

Statque canum rabies, subjectaque terga ferarum
Inguinibus truncis uteroque extante coërcet.

MARIUS.

24. *Abantiades.*] Malè quidam Perseum Abantis nepotem intelligunt: licet Naso etiam lib. V. Metam. de ipso Perseo dicat 236.

Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat.

Nusquam enim lectum est, ut Perseus à Pegaso equo vectus fuerit. Hic igitur Abantiades significat Bellerophontem Glauci regis Ephyrae filium, & alterius Abantis nepotem: qui usus esse dicitur Pegaso alato equo, cum devicit Chimaeram: quod monstrum (ut in Theogonia scribit Hesiodus) tria habebat capita, unum leonis, alterum ipsius Chimaerae, tertium draconis. Naso lib. X. Met. 646.

Quoque Chimaera jugo mediis in partibus hircum,
Pectus & ora leae, caudam serpentis habebat.

Singula autem ejus capita (ut idem Hesiodus est auctor) ignem efflabant. Sed re vera mons est Lyciae, cujus cacumen flammas evomebat, juxta quod erant leones: media autem pascua, ima verò montis serpentibus plena. Hunc Bellerophon habitabilem fecit: unde Chimaeram dicitur domuisse,

Per nos Scylla, patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Nos pedibus pennas dedimus, nos crinibus angues.
Victor Abantiades alite fertur equo.
Idem per ſpatium Tityon porreximus ingens:
Et tria vipereo fecimus ora cani.
Fecimus Enceladon jaculantem mille lacertis;
Ambiguae captos virginis ore viros.

Aeolios

muiſſe, ut Servius ait. MARIUS. Multis hoc loco contendit Commentator, non de Perſeo, ſed de Bellerophonte hunc verſum accipiendum: ipſumque Bellerophontem nepotem vocat Abantis cujusdam, qui ſit diverſus ab eo, ex cujus genere deſcendit Perſeus. Ego verò, ut maximè concedam, Perſeum Pegaſo equo nusquam vectum (quanquam diverſum huic etiam ex noſtris quidam tradidere) Bellerophontem tamen *Abantiadem* dici, non facile dederim: quando ejus genealogiae, quae hic à Commentatore affertur, nullum certum extat teſtimonium. Et contrà Homerus eundem Bellerophontem, Glauci Corinthii filium, Siſyphi nepotem dicit: praeſertim quando Perſeus Meduſam occidit, ex cujus ſanguine Pegaſus natus à quibusdam traditur. Quod ſi autem coactam & anxiè quaeſitam expoſitionem admittere velimus, hic locus etiam ita exponi poteſt: Abantiades victor fertur, id eſt tractatur, ſive celebratur, equo alite, hoc eſt, quia ex ea caede, quam ipſe perpetravit, equus ales ſive alatus procreatus fuerit. Sed quis ſcit, an alibi apud Graecos (ut fuerunt varia ejus gentis ingenia) lectum fuerit à Poëta, Perſeum alato equo ſive Pegaſo vectum eſſe? Nam & Boccatius de Perſeo idem annotavit: niſi quod certum autorem ejus rei non allegat. MICYLLUS. Huetius in notis ad Epigrammata Graeca lib. 1. pag. 3. putat Ovidium hic memoria lapſum, *Abantiadem* vocare Bellerophontem, cum nullus Abas inter ejus majores referatur, ſed inter Perſei. quia nullus Poëtarum Pegaſum dat Perſeo, ſed omnes uno ore Bellerophonti. Hinc quia Pegaſum Poëtae fingunt natum ex ſanguine Meduſae, cum ipſi caput a Perſeo eſſet reſectum. (vide late Tzetz. ad Lycophr. Alexand. v. 17.) recte dicit eum victorem Pegaſo vectum remeaſſe in patriam. Pegaſum Neptuni & Meduſae filium facit Statii Scholiaſtes ad VII. Theb. 338. vide ad VI. Metamorph. 119. poſtea inſerviit hic equus, a Diis miſſus, Bellerophonti. altera interpretatio Micylli, quam & Marius habet, qua *fertur* capitur pro celebratur a nobis Poëtis, coacta & dura eſt, neque puto Poëtam tam ambigue locutum. nam quis haec legens non conjungeret, *fertur equo*, & intelligeret, *portatur?* & non in eo mirum illud quaereret, quod a Poëtis canatur, quod alite equo per aëra ſit vectus. quare ſtatuendum eſt, Perſea reducem a Meduſae caede, Pegaſo remeaſſe, qui poſtea a Diis miſſus eſt Bellerophonti. BURMANNUS.

27. *Fecimus Enceladum.*] *Enceladon* Moreti unus. Puteaneus deficiebat hoc loco. HEINSIUS. Francof. etiam, *Enceladon.*

28. *Ambiguae captos virginis ore viros.*] Haec ſeorſim accipio dicta, non cum ſuperioribus jungenda. Intelligo autem per viros captos, ſive deceptos, ſocios Ulyſſis: per os virginis ambiguae, cantum Sirenum, quae ſuperiore ſui parte virgines erant, inferiore piſces referebant. Ponitur autem ſingularis numerus pro plurali, per ἐνικλλαγήν. Quamquam ſi quis omnino pugnet, Circen per ambiguam virginem intelligendam, & *ambiguam* pro vafram & doloſam, os autem pro incantatione magica accipienda eſſe, cum eo non anxiè contenderim. De Sirenibus autem Homerum vide Odyſſ. XII. MICYLLUS. Dubito valde, an hic vel Sirenes vel Circe intelligi debeant. Certe Circen virginem dici poſſe non puto, quae teſte Diod. ſic lib. IV. pag. 173. nupta antea fuerat Regi Sarmatarum, quo occiſo in Italiam demum venit. nec tam captos ejus ore viros, quam veneficiis verſos in porcos Poëtae canunt. major ſpecies eſt in Sirenibus, ſed dura haec enallage, ut una virgo ponatur pro plurimis. Quare forte Sphinga intellexerit Naſo, quae cepit revera viros. neque movere quemquam debet, quod fabula Spinghis non referatur in libris Metamorphoſeon: nam plures hic recenſentur, quam quas ex profeſſo tractavit Poëta: ſic Tityi, Enceladi, Atrei, Tantali & aliorum fabulas non integras inſeruit operi ſuo mythico, quamquam eorum aliquoties in tranſitu meminerit. & perierunt etiam quaedam ſcripta Poëtae noſtri, quibus haec contineri potuerunt. Quod ſi non placeat, aliam hic fabulam latere crediderim de virgine quadam, quae nunc a me reperiri nequit, quae mutando formam ſuam, vel reſponſis dubiis & ambiguis deceperit viros. nam id videtur epitheton *ambiguae* notare. ita enim *ambiguus Proteus* lib. II. Met. 8. & Val. Flac. II 118. & Sil. VII. 436. pro vafra autem *ambiguam* dici non placet, quamvis eo ſenſu etiam Sphinx *ambigua* fuiſſet. BURMANNUS.

Aeolios Ithacis incluſimus utribus Euros:
Proditor in medio Tantalus amne ſitit.
De Niobe ſilicem, de virgine fecimus urſam:
Concinit Odryſium Cecropis ales Ityn.
Juppiter aut in aves, aut ſe transformat in aurum:
Aut ſecat impoſità virgine taurus aquas.
Protea quid referam, Thebanaque femina, dentes?
Qui vomerent flammas ore, fuiſſe boves?
Flere genis electra tuas, Auriga, ſorores?
Quaeque rates fuerint, nunc maris eſſe Deas?
Averſumque diem menſis furialibus Atrei?
Duraque percuſſam ſaxa ſecuta lyram?

Exit

29. *Incluſimus.*] *Induximus* Francofurtenſis.

30. *Proditor Tantalus.*] Quòd, ut puto, Deorum arcana cum mortalibus communicaſſet. Idque oſtendit Euripides initio Oreſtis, ubi ita eſt:

———Ὅτι θεοῖς, ἄνθρωπος ὢν,
Καινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον
Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχέσιν νόσον.

Id eſt:

Quòd cùm eſſet homo (Tantalus) cum Diis
Habens aequalem dignitatem communis menſae,
Habuit effrenem linguam, turpiſſimum morbum.

Hoc idem apertiſſimè innuit hic Noſter ſuprà Elegia & lib. II. hujus operis:

Quaerit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.

Et lib II. De Arte:

Tantalus in media garrulus aret aqua.

Vide & Hyginum cap. LXXII. CIOFANUS.

34. *Aquas.*] *Aquam* Scriverii & alter Puteaneus. vid. ſupr. Eleg. VI. 2.

37. *Flere genis Auriga ſuis electra ſorores?*] Ita quidem in omnibus impreſſis exemplaribus adhuc lectitatum eſt, ſed mendoſe: nullus enim ſenſus, qui quidem apertus ſit, ex hac lectione poteſt elici. Legendum igitur, ut eſt in manuſcriptis:

Flere genis electra tuas, Auriga, ſorores.

Ut ſit apoſtrophe ad Phaëtontem, qui cum in Solis curru auriga eſſe voluiſſet, nec equos ferociſſimos inhibere potuiſſet, quo minus illi temerè in quamcunque partem ruentes, omnia incendio vaſtarent, à Jove fulmine ictus, in Padum decidit. ejus autem ſorores fraternam mortem inconſolabiliter dolentes, die noctuque collachrymabantur: unde Jovis miſeratione in arbores ipſae, earum lachrymae in electra mutatae ſunt. fabula narratur a Naſone lib. II. Metam. ordo eſt, ô Auriga, ſubaudi a ſuperioribus *Quid referam*, tuas ſorores flere electra genis. *Flere genis*, ut lachrymas emittere. Ovid. in Metam. 364.

Inde fluunt lachrymae, ſtillataque rore rigeſcunt
De ramis electra novis, quae lucidus amnis
Excipit, & auribus mittit geſtanda Latinis.

Flere in hoc loco verbum eſt tranſitivum. *Genas* hic accipe partes, quae ſuprà & infrà oculos ambiunt. Plinius in fine lib. 10. de Natur. Hiſt. *Dormire tamen exiſtimant, non oculorum argumento, quia non habent genas.* MARIUS. Sic in altero Maff. rectius in altero:

Flere genis electra tuas, auriga, ſorores?

Qua de re ſic Hyginus cap. CLIV. *Phaëton Clymeni Solis filii, & Meropes Nymphae filius, quam Occanitidem accepimus, cùm indicio patris avum Solem cognoviſſet, impetratis curribus malè uſus eſt: nam cùm eſſet propius terram vectus, vicino igni omnia conflagrarunt; & fulmine ictus, in flumen Padum cecidit. Hic amnis à Graecis Eridanus dicitur, quem Pherecydes primus vocavit. Indi autem quòd calore vicini ignis, ſanguis in atrum colorem verſus eſt, nigri ſunt facti. Sorores autem Phaëthontis dum interitum deflent fratris, in arbores populos ſunt verſae. Harum lacrymae, ut Heſiodus indicat, in Electrum ſunt duratae: Heliades tamen nominantur. Sunt autem Merope, Helie, Aegle, Lampetie, Phoebea, Etherie, Dioxippe.* Vide & lib. II. Metamorphoſeos. CIOFANUS.

38. *Quaeque rates fuerant.*] *Fuerint* legendum cum octo libris. poſſit & *fuerunt* reſcribi. HEINS.

39. *Averſumque diem menſis furialibus Atrei.*] Vide Senecam in Thyeſte, ubi loquitur Nuncius cum Choro. Hyginus ad hiſtoriam refert. ejus verba ſunt cap. CCLIIX. *Atreus & Thyeſtes germani, cùm in diſſenſione ſibi nocere non poſſent, in ſimulatam gratiam redierunt; qua occaſione Thyeſtes cum fratris uxore concubuit. Atreus verò ei filium epulando appoſuit: quare Sol ne pollueretur, aufugit. Sed veritatis hoc eſt: Atreum apud Mycenas primum Solis Eclipſim inveniſſe: cui invidens frater ex urbe diſceſſit.* CIOFANUS. *Feralibus* malebat Francius.

40. *Per-*

Exit in immenſum fecunda licentia vatum:
Obligat hiſtoricâ nec ſua verba fide.
Et mea debuerat falſo laudata videri
Femina. credulitas nunc mihi veſtra nocet.

40. *Percuſſam lyram.*] *Percuſſas lyras* Francof. Bern. Sarravii & multi alii, ut & ad Orphei & Amphionis fabulas reſpiciatur.

41. *Exit in immenſum fecunda licentia vatum.*] Duo Maffeian. *jucunda licentia vatum.* CIOFANUS. *Facunda* Francofurt. Scriveri duo Palatini, Bernenſis & octo alii. *jocunda* quindecim, *jucunda* tres codices.

44. *Noſtra.*] Mendoſe ſic. Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *Veſtra:* alloquitur enim rivales ſuos Poëta. Quod, inquit, meis carminibus nimium creduli fuiſtis, id mihi nocet. MARIUS.

ELEGIA XIII.

CUm mihi pomiferis conjux foret orta Faliſcis;
Moenia contigimus victa, Camille, tibi.
Caſta ſacerdotes Junoni feſta parabant
Per celebres ludos, indigenamque bovem.
Grande morae pretium, ritus cognoſcere: quamvis
Difficilis clivis huc via praebet iter.

Stat

1. *Pomiferis Faliſcis.*] Duplices Faliſci in Italia a Geographis conſtituuntur. alter Etruriae populus, alter prope Soracte montem, quos *Aequos Faliſcos* Virgilius, Strabo, & Diodorus Siculus dixerunt, etſi locis nonnihil apud duos poſteriores depravatis. Hi via Flaminia inter Ocriculos & Romam poſiti teſte Strabone. Ego autem unicos tantum Faliſcos agnoſco, quorum limites nunc latius ſe extenderint, nunc arctiore termino ſint circumſcripti. quique foederatis ſibi Etruſcis quandoque ſint accenſiti. hos Frontinus *Coloniam Junoniam* appellat, ob Junonem impenſe illic cultam, *Colonia Junonia, quae appellatur Faliſcos.* ſic & Noſtro in Faſtis, *Junonicolae Faliſci* dicuntur. & ſane Faliſcos Coloniae Junoniae nomen Naſonis aetate ſortitos ex eo liquet, quod hanc a triumviris Coloniam aſſignatam fuiſſe ex Frontino conſtet. qui alio loco eandem nomine *Coloniae Junoniae*, non additis *Faliſcis*, deſignat: pari modo C. Gracchus Carthaginem inſtauratam *Coloniam Junoniam* nuncupavit, teſte Solino, ac aliis. *Monte Fiaſcone* contendunt eſſe *Faleriam* Geographi noſtrorum temporum. ſed in eo quoque falluntur. recte autem, *pomiferis Faliſcis.* colles enim agri Galleſini (nam oppidum Galleſium Faleriae vicinum) aetate noſtra *Pomarios* adhuc dici eſt in comperto, qua Tiberim verſus excurrunt, etſi nihil praeter quercus arborum in illo tractu ſit invenire. HEINSIUS. *Piniferis* editio prima, Palatinus tertius & duo alii. vide Cluver. lib. II. Ital. cap. 3.

2. *Moenia contigimus victa, Camille, tibi.*] Apoſtrophe ad M. Furium Camillum, qui Vejentes vicit. Vide quae notavi in Scholiis in lib. I. Faſt. CIOFAN. Excerpta Puteanei & Jureti tamen cum octo ſcriptis, *culta tibi.* ut Vejos deſignet. multi ex ſcriptis, *juncta tibi*, vel, *juncta tuis.* HEINSIUS.

3. *Junoni.*] Editio prima, & tertius Moreti, *Junonia.* ut & XI. Metam. 578. legendum:

Ante tamen cunctos Junonia templa frequentat.

Et Triſt. II. 291.

Proxima adoranti Junonia templa ſubibit.

IDEM.

4. *Per celebres ludos indigenamque bovem.*] *Et celebres* ſcripti plerique cum primâ editione. Jureti Excerpta, *indigenaeque Jovi.* fruſtra. Faliſcus enim ager victimis paſcendis dicatus. HEINSIUS. Sic Columella VI. 2. *Indigena bos melior, quam peregrinus. Indigenam potionem* Florus lib. II. dixit. *Indigenam Deum* Naſo VI. Metam. 330. *Indigenas apros* XIV. 343. BURMANNUS.

5. *Grande morae pretium.*] *Voco meritum* ſex codices. Forte, *Grande loco meritum.* Martialis lib. VIII. Epig. LXIV.

Grande loci meritum teſtantur & altera dona.

Sed vulgata ſcriptura bene ſe habet. Epiſtola VI. 76.

Grande morae pretium tuta futura via eſt.

HEINSIUS.

6. *Quamvis Difficilis clivis huc via praebet iter.*] In uno Maffeian. *clivus huc mihi praebet iter.* In altero, *clivus ſed via praebet iter.* Utra melior ſit lectio, mihi adhuc non liquet: ſatis enim fuit & hîc,

Stat vetus, & densâ praenubilus arbore lucus.
Adſpice; concedas numen ineſſe loco.
Accipit ara preces, votivaque tura piorum;
Ara per antiquas facta ſine arte manus.
Hinc ubi praeſonuit ſollemni tibia cantu;
It per velatas annua pompa vias.
Ducuntur niveae, populo plaudente, juvencae,
Quas aluit campis herba Faliſca ſuis:
Et vituli, nondum metuendâ fronte minaces;
Et minor ex humili victima porcus harâ:
Duxque gregis cornu per tempora dura recurvo.
Inviſa eſt dominae ſola capella Deae.

Illius

hic, & alibi librorum fidem repraeſentare. Interea volo judicium mihi ampliari, quod cum annis & ſtudiorum aſſiduitate creſcet, quamvis hoc litterarum genus penitus omittere, & ad juris civilis diſciplinam abhinc anno animum appellere decreverim. Itaque doctiorum, & provectiori aetate hominum judicio quamplurima permiſi. ad inſtitutum revertor. Ciofanus. In uno Mediceo & Politiani erat minime contemnenda lectio:

Grande morae pretium, ritus cognoſcere Grajos,
Difficilis quamvis huc via praebet iter.

Sacra enim haec Junonia ex Graecia translata minime dubium. vid. infr. ℣ſ. 27. *Via fecit iter* Bernenſis & unus Heinſii. quod deſumtum ex lib. II. Ait. 332. *Ducit iter* alius codex. Burmannus.

8. *Concedes numinis eſſe locum.*] *Numen ineſſe loco* Excerpta Scaligeri, Puteani, ac Jureti, cum noſtrorum multis. Faſt. III. 295.

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra,
Quo poſſis viſo dicere, numen ineſt. Heinsius.

9. *Aſpicit.*] Mendoſe ſic. *Accipit* eſt vetus & ſana lectio. Marius. Hanc (*Accipit*) habent lectionem iidem libri. vere. Ciofanus.

11. *Hic ubi perſonuit.*] *Praeſonuit* ſex ſcripti. pro *Hic*, *Hae* Sarravianus, tres alii, *Hinc*. Lege, *Huc*. Heinsius.

12. *Annua pompa.*] *Aurea* Palatinus unus, quod repetitum ex vers. 29. & ſupr. Eleg. II. 44. puto. *Candida pompa* Moreti primus & Francof. a manu ſecunda. *Per vallatas vias* idem Francof. & Palatin. primus. *Vulgatas* Scriverianus.

13. *Ducuntur niveae populo plaudente juvencae.*] Et ex hoc loco & ex multis aliorum auctorum locis perſpicuè conſtat veteres in ſacrificiis boves candidos interficere conſueviſſe. Ciofanus.

14. *Quas aluit campis herba Faliſca ſuis.*] Plinius lib. IX. cap. 103. *In Faliſco*, inquit, *Clitumni amnis potata aqua, candidos boves facit.* Cum igitur dixiſſet Poëta:

Ducuntur niveae populo plaudente juvencae,

Statim ſubjungit:

Quas aluit campis herba Faliſca ſuis.

Perinde ac ſi dicat: Quales peculiariter in agro Faliſco habentur, propter amnem Clitumnum, cujus aqua candidas facit. De Clitumno autem meminit & Virgil. in Georg. lib. I. 146.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, &c.

Solebant enim ex eodem agro, propter candorem, etiam Romam accerſiri victimae: ut idem Poëta I. Faſt. 81. indicat, ubi ait:

Jamque novi praeeunt faſces, nova purpura fulget,
Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operum praebent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis. Micyl.

Repetit hunc verſum lib. I. Faſt. & lib. IV. De Ponto. Ciofanus. *Terra Faliſca* Regius Bernenſis & ſex alii.

15. *Metuendâ fronte minaces.*] Alter Puteaneus, *metuendi fronte minaci.* ut Metam. XI. 37.

Cornuque minaci
Divellere boves. Burmannus.

17. *Duxque gregis.*] *Virque gregis* Scriverii. deinde, *dura retorvo*, vel, *retorto* Francofurtenſis. vid. ad Epiſt. IV. 79.

19. *Illius indicio ſylvis inventa ſub altis, Dicitur inceptam deſtituiſſe fugam.*] Obſcura fabula eſt, quam hic tangit Poëta: neque alibi apud eos autores, qui extant, tradita. Bis autem fugiſſe Juno traditur. Semel, quando virgo adhuc exiſtens, Jovem amoris impulſu illam perſequentem fugiebat: quo tempore Jupiter ſe etiam in cuculum convertiſſe dicitur, ut fugientem ea ſpecie falleret. Quam avem illa poſtea cepit, & inter ludicra ſua habuit: ut in Corinthiacis meminit Pauſanias. Et iterum, quando Dii communiter omnes fugerunt in Aegyptum, metu gigantum. Sed hic de priore fuga intelligere malim: tametſi nihil certi pronuntiare poſſum. Porrò ut hoc quoque addamus, meminit Poëta lib. I. de Ponto, Eleg. 8. hortorum

quorum-

Illius indicio ſilvis inventa ſub altis
Dicitur inceptam deſtituiſſe fugam.
Nunc quoque per pueros jaculis inceſſitur index;
Et pretium auctori vulneris ipſa datur.
Quà ventura Dea eſt, juvenes timidaeque puellae
Praeverrunt latas veſte jacente vias.
Virginei crines auro gemmâque premuntur:
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.
More patrum Grajo velatae veſtibus albis
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.
Ore favent populi, tunc cum venit aurea pompa:
Ipſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas.

Argiva

quorumdam, quos circa Flaminiam viam aliquando habuerit, his verſibus:

Nec quos pomiferis poſitos in collibus hortos,
Spectat Flamineae Claudia juncta viae.

Hos igitur ex hac Elegia colligimus in Faliſcis fuiſſe: ſive eas ab uxore hac Faliſca, ſive aliunde acquiſivit. Quod eo hic addo, ut quae illic in eundem locum annotavimus, ex his magis eluceſcant. MICYLLUS.

20. *Detinuiſſe.*] Repreſſiſſe. alias legitur, *deſtituiſſe*, id eſt deſeruiſſe. utrumque recte. MARIUS. *Deſtituiſſe* in uno Miffeian. placet. CIOFANUS. *Deſtituiſſe viam* Francof. pro diverſa lectione. *Indiciis* quoque Palatinus primus, ut ita *judiciis*. de quo vide ad Epiſt. III. Vſ. 104.

24. *Praebuerant latas veſte jacente vias.*] *Praeverrunt* optime Excerpta Scaligeri, Puteani, ac Jureti: etiam Arondelianus liber pro diverſa lectione. Auctor Moreti:

Et cinctus villoſae tergora caprae,
Praeverrit caudâ ſilices gremiumque molarum.

Ubi inſolenter *gremium molarum* dixit. ſed ſcribe:

Praeverrit caudâ ſilices, gremioque molares.

Gremio, id eſt caprae tergore, quo cinctus erat. ſic *togae gremium* Florus dixit. unus tamen Mediceus, *velarant*. unus Vaticanus, *Praebuerunt*. Junianus, *Praevertunt*. alius Vaticanus, *Straverunt*. Forte, *Praeſternunt*. Statius Propempt. Metii Celeris:

Quae ſibi praeſternat vivax altaria Phoenix.

Idem Pietate Abaſcantii v. Silv. I.

Egreſſasque jubet veteres heroidas antris
Lumine purpureo triſtes laxare tenebras,
Sertaque & Elyſios animae praeſternere flores.

Ita ſcribendum: *laxare* pro aperire repoſuimus ex veteri editione Parmenſi. B. Paulinus lib. I. de vita B. Martini:

Ergo iter adgreſſo pietas comes ibat, & omnes
A domino miſſus praeſtraverat Angelus oras.

Ita vetuſtus codex, quod immerito mutatum. HEINS. *Praeſternunt* non diſplicet, quia *jacente veſte* quî potuerint vias verrere non video. Francius conjiciebat, *praetexunt*. de quo verbo vid. ad I. Art. 255.

25. *Gemmaque premuntur.*] Puteaneus alter, Regius unus, duo Moreti, & tres alii, *teguntur*. quod ex lib. I. Remed. 343. repetitum arbitror:

Auro gemmisque teguntur
Omnia.

Sed ibi recte; hic *premuntur* praeferendum, tantam enim auri & gemmarum copiam indicat, ut vix ferendo ſufficiant. & ita IV. Faſt. 517.

Mitrâque capillos preſſerat.

Epiſt. XIII. 39.

Galeâ caput ille prematur.

I. Eleg. X. 6.

Cum premeret ſummi verticis urna caput.

Virgil. V. 556.

Tonſa coma preſſa corona.

Et ita paſſim, ubi de aliquo onere capiti impoſito agitur. praeterea mox ſequitur, *& tegit*. ubi tamen Mediceus, *terit*. ſed male. I. Art. Am. 32.

Quaeque tegis medios inſtita longa pedes.

Similis confuſio eſt lib. IV. Faſt. 656.

Bis ſua faginea tempora fronde premit.

Ubi multi codices quoque, *tegit*. Statius IV. Theb. 130.

Latus omne ſub armis,
Ferrea ſuta tegunt humeros.

Ubi MSS. Lindenbrochii, *premunt*. Behotii vero *terunt*, quod pene praeferrem, quia ſuta erant ferrea. BURMANNUS.

27. *More patrum ſancte.*] *Sancte* adverbium eſt, licet etiam *ſanctae* legatur cum diphthongo, non male fortaſſe. MARIUS. *Grato* Excerpta Puteani, Scaligeri ac Jureti. Lege, *Grajo*. atque ita Arondelianus, & pro diverſa lectione Sarravianus & Barberinianus. optimus Palatinus, *Grajum*. mox dicet, *Argiva eſt pompae facies*. Statius Theb. IX. 609.

Argiva eſt pompae facies. Agamemnone caeſo,
Et ſcelus & patrias fugit Haleſus opes.
Jamque pererratis profugus terrâque, fretoque,
Moenia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Junonia ſacra Faliſcos.
Sint mihi, ſint populo ſemper amica ſuo.

Militiamque trucem, ſexum indignata frequento
More nihil Grajo.
HEINSIUS.

28. *Tradita ſacra.*] Sarravianus, *Condita.* ut Arte Amatoria II. 609.

Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis.

In Faſtis tamen III. 280.

Coeptaque ſunt purè tradita ſacra coli.

Metam. lib. XI. 92.

——— *Cui Thracius Orpheus,*
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo. HEINS.

Tradita retinerem, ſed exponerem a ſacerdotibus tradita ferenda virginibus. ut fere Remed. 4.

Tradita qui toties, te duce, ſigna tuli.

Vel eo ſenſu, ut in ſacris aliis ſaepe *tradiderunt* in antiquis inſcriptionibus occurrit. vid. Gruter. CCCIII. 1. & 2. MLXXXVII. 4. & illuſtravit Philippus a Turre de Mithra cap. v. de ritu autem ferendi ſacra vertice vide Turneb. XIII. Adv. 1. ita & in Palladis ſacris II. Met. 711. & Iſidis & Anubidis Lamprid. Commod. IX. vel *tradita* poſſet etiam explicari a majoribus. ut ita I. Pont. II. 102.

Perque manus hujus traditâ gentis eat.

Tibul. II. Eleg. 12.

Ritus ut a priſcis traditus extat avis.

Sed prior expoſitio melior. BURMANNUS.

29. *Ore favent populi.*] *Favet populus* unus Politiani & Moreti. Puto, *favent populus.* HEINSIUS.

29. *Aurea pompa.*] Francius malebat, *annua.* ſed hoc praeceſſerat vers. 12. vide ſupr. Eleg. II. 44.

30. *Suos.*] Manuſcripta ferè omnia exemplaria habent, *ſuas.* & ſic legendum eſſe arbitror: nam foeminas ferè Junoni ſacrificare legimus. MARIUS. *Suas* iidem libri. ſequor. CIOFAN. *Conſequiturque* Francof. Junii, Scriverii & plures alii.

34. *Condidit alta.*] *Apta* Francofurt. Bernenſis & quatuordecim alii, cum prima editione. *aucta* Politian. ſed recte ex vers. 6. Marius in monte poſitam urbem docuit.

36. *Sint mihi.*] Francius legebat, *ſit mihi, ſit populo*; quare & praecedenti verſu *Iunonis* corrigebat. *amata* Francof. & Puteaneus alter pro varia lectione.

ELEGIA XIV.

NOn ego, ne pecces, cum ſis formoſa, recuſo;
Sed ne ſit miſero ſcire neceſſe mihi.
Nec te noſtra jubet fieri cenſura pudicam:
Sed, tantum tentes diſſimulare, rogat.
Non peccat quaecumque poteſt peccaſſe negare:
Solaque deformem culpa profeſſa facit.

Quis

1. *Recuſo.*] *Recuſem* Scriverii.

4. *Sed tamen ut tentes.*] *Sed tantum ut* Mentelianus. Excerpta Jureti, *Sed tantum tentes.* recte. HEINSIUS. *Sed tantum ut* Bernenſis. *Hoc tamen ut* Palatinus.

4. *Rogo.*] In MSS. legitur, *rogat.* ſcil. cenſura noſtra. MARIUS. Utrumque exemplar Maffeianum, *rogo.* CIOFAN. *Rogo* Francof. Bernenſis & plurimi alii.

6. *Deformem.*] Vetus & vera lectio eſt, *famoſam*, id eſt infamem. MARIUS. Unum eorumdem *deformem* habet: Alterum vero, *Solaque peccatum &c.* non malè. CIOFAN. Cum vero editiones antiquiores & Palatinus cum octo aliis, *deformem* exhibeant, eam vocem ab Ovidio promanaſſe, *famoſam* a gloſſatoribus, arbitror. *deformis* enim turpem & famoſam notat. ita Suetonius Aug. 35. *Inconditam & deformem turbam Senatorum* vocat. per *incondidos* Barbaros & Gallos, per *deformes*, notatos a

Cenſo-

Quis furor eſt, quae nocte latent, ſub luce fateri?
Et quae clam facias, facta referre palam?
Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti
Adpoſitâ populum ſubmovet ante ſerâ.
Tu tua proſtitues famae peccata ſiniſtrae;
Commiſſi perages indiciumque tui?
Sit tibi mens melior, ſaltemve imitere pudicas;
Teque probam, quamvis non eris, eſſe putem:

Quae

Cenſoribus, quos Caeſar in Senatum allegerat, (vid. Caeſ. 41.) innuens. Claud. 40. *Multa talia etiam privatis deformia.* & Veſpaſ. 23. *Deformia lucra.* Juſtin. VII. 3. *Darius turpi ab Scythia fuga ſummotus, ne ubique deformis militiae damnis haberetur.* Lucan. VIII. 81.

Deformis adhuc vivente marito,
Summus & augeri vetitus dolor.

Horat. Epod. XIII.

Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis.

Auctor Dialog. de Orat. 36. *Diſertum haberi pulchrum & glorioſum, ſed contra mutum & elinguem deforme habebatur. deforme nomen* in Halieut. v. Penult. & ita paſſim. eadem vero varietas apud Claudian. I. in Rufin. 326.

Quo non famoſius ullum
Arctos alit.

Ita edidit Heinſius. ſed ante eum *deformius* erat editum. & recte, ut puto; ſequitur enim, *turpis habitus &c.* ſic II. Ruf. 83.

Sumere deformes ritus, veſtemque Getarum.
BURMANNUS.

7. *In luce.*] *Sub luce* duo ex melioribus. HEINS. Mentelianus vero, *cum luce.* quod majorem in profitendo crimine feſtinationem & impudentiam notat. *Cum luce* eſt enim, ſimul ac lux orta eſt. Terent. Adel. v. III. 55. *Cum prima luce ibo hinc. S. De nocte cenſeo.* Plaut. Ciſtel. II. I. 49. *Poſtea autem cum primo luci cras niſi ambo occidero.* & ita forte apud Sueton. Claud. 34. legendum, *Beſtiariis Meridianisque adeo delectabatur, ut & cum prima luce ad ſpectaculum deſcenderet.* vulgo, *ut etiam.* in codice Salmaſ. *ut & prima.* ſed & *cum* in *etiam* coaluit. nam eodem modo *jam* pro *cum* librarii obtruſerunt Lucano lib. v. 678.

Sed non tam remeans Caeſar jam luce propinqua.

Ubi Langermanni codex habet, *cum luce.* illas vero praepoſitiones *cum, in,* & *ſub* ſaepe deprehendi commutatas. ita III. Metam. 362. pro *ſub Jove,* alii *cum Jove.* & v. 328. pro *in cornibus,* alii *cum cornibus.* vid. ad I. Met. 689. BURMANNUS.

9. *Meretrix.*] Martialis I. 35.

At meretrix abigit teſtem veloque ſeraque,
Raraque ſummoeni fornice rima patet.
DOUZA.

10. *Oppoſita ſera.*] *Appoſita* Puteaneus cum Jureti Excerptis. vide quae ſupra ad Elegiam VI. hujus libri notamus. lib. II. 243. Artis, quomodo & illic in membranis:

Atque erit appoſita janua firma ſera.

Ut & Faſtor. lib. I. 265.

Et jam contigerant portam. Saturnia cuſtos
Demſerat appoſitas inſidioſa feras.

Emenda Tibullum lib. I. Eleg. IX. ỳſ. 80.

Nunc diſplicet illi,
Quaecumque appoſita eſt janua dura ſera.

Ubi pari modo peccatur. *ponere ſeram* pro apponere dixit Juvenalis Sat. VI. ỳſ. 345. *Pone ſeram: cohibe.* idem Sat. IX. *Candelam apponere valvis.* Neque aliter apud Feſtum in *Adſerere* antiqui codices. *unde etiam ſerae appellantur, quia foribus admotae apponuntur.* pari modo *admovere ſeram* Propertius quoque dixit lib. IV. Eleg. IX.

Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quae ſeſe admota vindicat ara ſera.

Perperam nunc legitur, *quae ſe ſummota vindicae ara caſa,* ſenſu minus commodo. erat enim occluſum fanum, nam in ſequentibus dicit:

Nec tulit iratam janua clauſa ſitim.

Addere poſtibus ſeram Noſter in Arte dixit:

——*Et centum duris poſtibus adde ſeras.*

Apud Apulejum, *adducta fore peſſulis firmatis.* HEINSIUS.

11. *Fama peccata ſiniſtra.*] In manuſcriptis legitur, *famae ſiniſtrae.* & rectius. MARIUS.

13. *Saltemque.*] In uno eorumdem libro, *ſaltemve.* magis probo. CIOFANUS. *Saltemve* meliores. rectius. *imitere* etiam Junianus. probe. tres alii

Quae facis, haec facito; tantum feciſſe negato:
Nec pudeat coram verba modeſta loqui.
Eſt qui nequitiam locus exigat. omnibus illum
Deliciis imple. ſtet procul inde pudor.
Hinc ſimul exieris; laſcivia protinus omnis
Abſit: & in lecto crimina pone tuo.
Illic nec tunicam tibi ſit poſuiſſe rubori;
Nec femori impoſitum ſuſtinuiſſe femur:
Illic purpureis condatur lingua labellis;
Inque modos Venerem mille figuret amor.
Illic nec voces, nec verba juvantia ceſſent:
Spondaque laſcivâ mobilitate tremat.
Indue cum tunicis metuentem crimina vultum:
Et pudor obſcaenum diffiteatur opus.
Da populo, da verba mihi: ſine neſcius errem;
Et liceat ſtultâ credulitate frui.
Cur toties video mitti recipique tabellas?
Cur preſſus prior eſt interiorque torus?
Cur plus, quam ſomno, turbatos eſſe capillos;
Collaque, conſpicio, dentis habere notam?
Tantùm non oculos crimen deducis ad ipſos.
Si dubitas famae parcere; parce mihi.
Mens abit, & morior; quoties peccaſſe fateris:
Perque meos artus frigida gutta fluit.
Tunc amo: tunc odi fruſtra, quod amare neceſſe eſt.
Tunc ego, ſed tecum, mortuus eſſe velim.

Nil

cum Arondeliano, *pudicam*. quomodo libri veteres. Arte Amatoria 1. 439.

—— *Imitataque amantum*
Verba. HEINSIUS.

Imitere Sabinas Regius a manu prima.

16. *Verba modeſta.*] *Verba pudica* Moreti tertius & tres alii.

18. *Sit procul.*] *Stet procul* Puteaneus. ſic alibi, *Stat pudor ante genas*. HEINSIUS. Vid. II. Art. Am. 151.

21. *Tunicam tibi ſit poſuiſſe pudori.*] *Rubori* rectius Sarravianus. nam *pudor* praeceſſerat. Vide quae obſervavi ad Epiſt. XX. Vſ. 202. HEINSIUS.

25. *Ceſſent.*] *Deſint* tres libri. IDEM.

29. *Da populo, da verba mihi.*] Illuſtrat haec Douza filius ad Propertii lib. 1. Eleg. XVI. 12.

32. *Prior eſt.*] Ad Liviam 328. *Quaeris & in vacui parte priore tori*. DOUZA.

34. *Collaque conſpicio.*] *Compoſiti dentis* Haſnienſis. *Conſpicuo* Neapolitanus. Lege, *conſpicui dentis*. HEINSIUS.

37. *Mens abit.*] *Fugit* Sarravianus. ut lib. II. Artis, *miſerae menſque colorque fugit*. ita libri veteres. Epiſtola Deïanirae 135.

Mens fugit admonitu; frigusque perambulat artus:

Barberinianus vero & Arondelianus, *Mens hebet*: ut & in Triſtibus lib. IV. 1.

Temporis adverſi ſic mihi ſenſus hebet:

Vulgata tamen lectio proba eſt. Faſt. II. 753.

Mens abit & morior, quoties pugnantis imago
Me ſubit. IDEM.

38. *Fluit.*] *Cadit* Palatinus alter. vid. VI. Epiſt. 63.

39. *Nunc amo, nunc odi.*] Ex manuſcripti codicis auctoritate legendum eſt, *tunc amo, tunc odi fruſtra*, ne ineptus videatur Poëta. MARIUS. Tè

ami-

Nil equidem inquiram; nec, quae celare parabis,
Insequar: & falsi criminis instar erit.
Si tamen in medià deprensa tenebere culpâ,
Et fuerint oculis probra videnda meis;
Quae bene visa mihi fuerint, bene visa negato.
Concedent verbis lumina nostra tuis.
Prona tibi vinci cupientem vincere palma est.
Sit modo, Non feci, dicere lingua memor.
Cum tibi contingat verbis superare duobus;
Et si non causâ, judice vince tuo.

amo huic loco minime convenit. scribendum fortasse:

Tunc amens odi frustra, quod amare necesse est.

Tanaquil. Faber ad Lucret. lib. II. tentabat, *Tunc ah, tunc odi frustra. amans* pro *amens* exaratum erat aberrantis culpa librarii. quod cum literator nonnemo sentiebat ferri non posse, & peccare in leges metricas, *amo tunc* reposuit. HEINSIUS.

42. *Falsi criminis instar erit.*] *Facti muneris* optimus Palatinus. at in Puteaneo, Sarraviano & quinque aliis, *falsi muneris.* Nil muto. nisi quod scribendum puto, *falsi criminis instar erunt.* nimirum, *quae parabis celare.* IDEM.

45. *Negato.*] *Negabo* Sarravianus & Moreti primus.

48. *Non feci.*] Hanc formulam illustravit Scriverius ad Martial. IX. Epigr. 15.

49. *Cum bene contingat.*] Lege ex ambobus libris veteribus, *Cum tibi.* CIOFANUS.

ELEGIA XV.

QUaere novum vatem, tenerorum mater Amorum:
Raditur hîc Elegis ultima meta meis.

Quos

1. *Ultima charta.*] In manuscriptis ferè omnibus exemplaribus legitur, *Ultima meta*, id est, ultimus terminus. Sumpta enim est metaphora ab aurigis. ut in Artibus lib. I. 40.

Haec erit admissa meta terenda rota.

Et alibi saepius. MARIUS. Libri scripti, *meta:* verius. CIOFANUS. Rectius, *hic Elegis* unus Moreti. Scriverianus, *his.* alius, *hoc.* pro *meta*, quidam codices tam scripti quam editi, *charta.* optimus Palatinus, *nota.* Mentelianus, *cura.* ad Symmachum Juretus, *creta* legendum contendit. Sed perperam. quamquam non ignorem apud Propertium lib. IV. Eleg. II.

Haec spatiis ultima creta meis.

In vetustis codicibus legi, & probare Lipsium lib. V. Antiq. Lect. cap. 10. Scribe minimâ mutatione vel invitis membranis:

Raditur hic Elegis ultima meta meis.

Elegos enim tanquam curru vectos designat passim Noster. sic Art. Am. I. 264. *Imparibus vecta Thalia rotis. radere metam* quid sit, non est ut multis explicem. Nihil aptius aut elegantius dici potuit. *Terere metam* id ipsum alibi vocat, & *stringere.* quomodo Silius initio libri V. & libro VIII. apud Propert. II. XIX. 66. habes:

Septima quam metam triverit ante rota.

Sic de cursu Statius VI. Thebaid. 638. utitur *radere:*

Vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis intervenit aër,
Rasaque non fracto vestigia pulvere perdent.

Perperam *raraque* illic scribitur. *vomere terras radere* Silius lib. VIII. Sidonius Apollinaris carm. XV.

Sed premit adjecto radentis pondere conchae
Semiferi Galatea latus, quod pollice fixo
Vellit, & occulto spondet connubia tactu.

Sic scribo, non *radiantis.* testâ conchae radebat ac pungebat Tritoni latus Galatea. sequentia confirmant, *subsidit amator vulnere.* Apud Persium Satyr. II.

Quos ego compoſui, Peligni ruris alumnus:
Nec me deliciae dedecuere meae.
Si quid id eſt, usque à proavis vetus ordinis heres,
Non modo militiae turbine factus eques.
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignae dicar gloria gentis ego.
Quam ſua libertas ad honeſta coëgerat arma,
Cum timuit ſocias anxia Roma manus.

Atque

Haec baccam conchae raſiſſe, & ſtringere venas,
Ferventis maſſae crudo de pulvere juſſit.

Pro corraſiſſe. ſic *raſa* literarum *veſtigia* apud Quintilianum lib. I. cap. I. *Et celerius ac ſaepius ſequendo raſa veſtigia firmabit articulos.* quomodo illic è veſtigiis veterum librorum eruditi homines. ſic *raſa litera* apud Noſtrum I. Amor. Eleg. XI. *radere* cum *veſtigiis* conjungit quoque Paullinus lib. IV. de vita Martini; de curru:

Sed ſummae vix dorſa viae vertigo rotarum
Raderet, haud ullo ſignans veſtigia ſulco.

Simile mendum ex Propertio ſuſtuli lib. II. El. I.

Hoc ſi quis vitium poterit mihi demere, ſolus
Tantalcâ poterit radere poma manu.

Sic enim ſcribendum cenſeo. *Radere* pro *corradere* poſuit Noſter Metam. lib. XIV. 416.

Raſerat Occiduus Tarteſſia littora Phoebus.

Sic & ibi opinor eſſe reponendum. Nam libri vetuſtiores, *Sparſerat.* vulgati, *Preſſerat. radere litora* Virgilius quoque dixit, etſi alio ſenſu, lib. VII. 10.

Proxima Circaeae raduntur litora terrae.

Et lib. V. 169.

Ille inter navemque Gyae ſcopulosque ſonantes,
Raſit iter laevum interior.

Valer. Flaccus lib. V. 109. *alba Carambis Raditur* ab Argo videlicet. *jam raditur alta Leucas* apud Statium lib. II. Achill. pari modo. *ripas radentia flumina* Lucretius ſimiliter dixit lib. V. 257. Noſter, *ſicco freta radere paſſu* Metamorph. X. 654. Medic. Faciei 85. *radenti tubera nitro* eſt legendum, pro eradenti. ſic *radere nomen faſtis* apud Ciceronem pro eradere. ſic apud Claud. II. de Laud. Stilic. 306.

Propriam labem raſiſſe laborent.

E faſtis nim. ut illic corrigendum monuimus. *radere cultros* Martial. lib. IX. Epig. LXXVIII.

Delibata ſemel ſummos modo purpura cultros
Raſerat.

Sic ſcribendum puto. quod mollitiem capillorum optime exprimit. vulgo, *ſparſerat*, & *Et libata. lima radere librum* Noſter II. ex Pont. IV. 17. & Martial. X. Epigr. 2. *Tybridis unda radit latus* Faſt. I. 242. *Aquoſus Eurus arva radit imbribus* Horatio Epod. XVI. & *aquilo radit terras* eidem lib. II. Sat. VI. HEINSIUS.

4. *Dedecuere meae.*] Malim, *tuae*, cum uno Moreti. nam *meis* ſub finem proximi pentametri jam praeceſſerat. HEINSIUS. *Nequitiae* etiam olim maluerat. ſed *deliciae* hic idem fere notant, ut lib. III. Art. 649.

6. *Non modò militiae turbine factus eques.*] *Turbine* puto dixit, pro turbulentia & inquietudine: aut certè pro rotatione equorum, quos in gyrum circumagere ſolebant. Quo nomine Sequanos laudat Lucanus, cum inquit libro I.

Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis, &c.

Metaphora ſumpta vel à vento tempeſtuoſo, vel ab inſtrumento luſorio. Quaſi dicat: Non bello, aut arte aliqua militari equeſtrem dignitatem conſecutus ſum: ſed à majoribus accepi, &c. MYCIL. Sententiam hujus carminis pete è lib. IV. & Eleg. ult. Triſt. CIOFANUS. Quidam, *Non modo fortunae munere*, ut IV. Triſt. X. 8. HEINSIUS. Unus etiam, *non ego fortunae munere.*

7. *Mantua.*] Hoc diſtichon ponendum eſſe, poſt ſequens, *Quem tua*, cenſebat Douza.

8. *Pelignae dicar gloria gentis ego.*] Sic prorſus legendum ex veteribus exemplaribus, & carminis ſuavitate. CIOFANUS.

9. *Quem ſua libertas.*] Ita quidem in omnibus tam impreſſis, quàm manuſcripris exemplaribus legitur: praeterquam in vetuſtiſſimo illo, quod olim Franciſcus Mocenicus (quem propter ejus egregios animi mores, & ingenii dotes, chariſſimum habeo) mihi attulit. Id exemplar ſcriptum habet, *Quam ſua libertas:* & hanc veram eſſe lectionem, vel magno pignore contenderim. Nam ſi *Quem* legeris, neceſſe eſt ut ad Naſonem referas: de quo nusquam legitur, ut militarit, niſi in Amoris caſtris. Praeterea hic per *ſocias manus*, bella ſocialia intelligimus, quibus Ovidius minimè intereſſe potuit: multo enim ante ejus tempora geſta ſunt. Omnino igitur legendum eſt, *Quam*, ſcilicet

Atque aliquis ſpectans hoſpes Sulmonis aquoſi
Moenia, quà campi jugera pauca tenent?
Quae tantum, dicet, potuiſtis ferre Poëtam,
Quantulacumque eſtis, vos ego magna voco.
Culte puer, puerique parens Amathuſia culti,
Aurea de campo vellite ſigna meo.
Corniger increpuit thyrſo graviore Lyaeus:
Pulſanda eſt magnis area major equis.

Imbel-

ſcilicet Pelignam gentem: laus enim haec patriae Naſonis in ipſum quoque redundat. MARIUS. Optime, exquiſitiſſimae eruditionis juvenis Jacobus Roverius, *Quam* legebat. ut ad gentem referatur, non ad Poëtam, qui ubique militaſſe ſe negat. Amor. I. Eleg. 15.

Non me more patrum, dum ſtrenua ſuſtinet aetas,
Praemia militiae pulverulenta ſequi.

Triſtium IV. 1.

Aſpera militiae juvenis certamina fugi.

Et alibi. DAN. HEINSIUS. *Quam* legendum cum quatuor ſcriptis; atque ita Scaliger in ora libri ſui emendarat. mox, *Martia Roma* unus Moreti. HEINSIUS.

10. *Cum timuit ſocias anxia Roma manus.*] Bellum Italicum, quod & *Sociale* dixerunt, intelligit: cujus cauſa maxima ex parte Livius Druſus Trib. pleb. extitit, qui ſocias hactenus urbes ad ſpem libertatis, cupidine dominationis, erexerat, ut Florus ait. MICYL. *Tenuit* Junii: forte, *Quum tremuit*, quod melius convenit τῷ *anxia*.

11. *Aquoſi.*] Eodem modo dixit, *aquoſos Pelignos*. vide Elegiam 1. lib. II. hujus operis. CIOFANUS.

12. *Quà campi.*] Legendum omnino, *quae*, ſcilicet moenia. ut legitur in omnibus fere ſcriptis exemplaribus. MARIUS. *Quâ*, id eſt ubi. CIOFAN. *Quâ* rectius duo ſcripti. nam *quae* ſequitur. HEINS. Recte. I. Triſt. IX. 31.

Quaque tenent Ponti Byzantia litora fauces,

Epiſt. XII. 28.

Ponti qua plaga laeva jacet.

Propert. IV. 1. 1.

Hoc quodcumque vides hoſpes, qua maxima Roma eſt.

Ubi vide Broukhuſ. deinde *jugera parva* Palatinus primus & duo alii. vid. ad Tibull. I. 1. vulgata poſſet tamen defendi ex illis VI. Faſt. 40.

Hoc, ubi nunc fora ſunt, udae tenuere paludes.
BURMANNUS.

13. *Dicet.*] *Dicat* Francofurt. Moreti unus & quatuor alii.

14. *Vos ego magna.*] *Vel ego magna* Bernenſis.

15. *Puerique parens mihi tempore longo.*] *Tempora in omni* Excerpta Jureti & unus Moreti. Scriverianus, *parens amat hoſtia cultus*. Arondelianus pro diverſa lectione, *amat hoſtia cultu*. Optimus Palatinus, *parens Amathuntia culta*. Scribe, *Amathuſia culti*. ab *Amathunte*, *Amathuſia*, ut à *Rhamnunte*, *Rhamnuſia*, ab *Acherunte*, *Acheruſia*, à *Selinunte*, *Selinuſia*. hinc *creta Selinuſia* apud Plinium. ſic *Amathuſiacas bidentes* Noſter dixit lib. X. Metam. 227. Amathuntem enim ab Amathuſa Cinyrae matre appellatam volunt. quomodo & apud Catullum LXVIII. 51. lego:

Nam, mihi quam dederit duplex Amathuſia curam,
Scitis.

Et in Ciri Virgiliana:

Nam te jactari, non eſt Amathuſia noſtri
Tam rudis, ut nullo poſſim cognoſcere ſigno.

Ubi & *noſtra* male legitur. Catulli illa reſpiciebat LXVIII. 18.

——— *Non eſt Dea neſcia noſtri,*
Quae dulcem curis miſcet amaritiem.

Non eſt Amathuſia tam rudis noſtri, pro nos non ſumus tam rudes Amathuſiae aut Veneris. Symmachus lib. I. Epiſt. VIII. *Amathuſias renidens*. ſic in iis verſibus ſcribendum eſſe alibi monemus. non *Amathuſiam*, ut nunc legitur. ſi quis *Amathuntia* praefracte tuetur, non omnino me oppono. nam & *Selinuntii* apud Ciceronem occurrunt, & *Hydruntii* apud Plinium. praeſtat tamen alterum. HEINSIUS.

17. *Corniger increpuit thyrſo graviore Lyaeus: Pulſanda eſt magnis area major equis.*] Hoc dicit propter Tragoediam, quam erat aggreſſus, atque intermiſerat. CIOFANUS. *Inſonuit* Politiani liber.

17. *Graviore thyrſo.*] Sublimiori ſtilo. ſic in Elegia 1. hujus libri:

Tempus erat thyrſo pulſum graviore moveri.
CIOFANUS.

17. *Lyaeus.*] Hinc apparet Tragoediam Medeam Amorum libros eſſe ſubſecutam: in Bacchi enim fide Tragoediae. Firmat conjecturam noſtram locus Elegiae primae hujus libri:

Exiguum

Imbelles Elegi, genialis Muſa, valete;
Poſt mea manſurum fata ſuperſtes opus.

Exiguum vati concede Tragoedia tempus. &c. Douza.

20. *Poſt mea fata.*] Poſt meam mortem. ſic libro ſuperiore ſub finem:

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

Et lib. XIII. Metamorphoſeos.

Illis haec armis, quibus eſt inventus Achilles;
Arma peto: vivo dederam, poſt fata repoſco.

Ciofanus. In Palatino ſecundo adjiciebatur diſtichon:

Hic ego, qui jaceo, tenerorum luſor amorum,
Ingenio perii Naſo Poëta meo.

P. OVIDII NASONIS

ARTIS

AMATORIAE

LIBRI TRES.

P. OVIDII NASONIS ARTIS AMATORIAE

LIBER PRIMUS.

SI quis in hoc artem populo non novit amandi;
Me legat; & lecto carmine doctus amet.
Arte citae, veloque rates, remoque moventur:
Arte leves currus, arte regendus Amor.

Curri-

P. Ovidii Nasonis De Arte Amandi.] Josephus Scaliger *Artem Amatoriam* putabat inscribendum. Ut inscriptio sit, *P. Ovidii Nasonis Artis Amatoriae Liber Primus.* Dan. Heinsius. De Arte Amandi hactenus inscripti sunt in vulgatis editionibus hi libri. nos veram inscriptionem revocavimus; quam veterrimus Codex Gallicus Bibliothecae Regiae, Franciſci Jureti, Josephi Scaligeri ac Claudii Puteani Excerpta, cum fragmento Oxonienſi Bodlejanae Bibliothecae, itidem antiquissimo, agnoscunt. Nec aliter in vetustissimis exemplaribus offenderat Claudius Salmasius, ut testatur is ipse libro de Usuris cap. x. Seneca Excerptis Controversiarum lib. iii. cap. vii. *Iste sensus est ejus, qui hoc saeculum Amatoriis non Artibus tantum, sed sententiis implevit. Ovidius enim in libris Metamorphoseon dicit: Ipse suos artus, &c.* Aurelius Victor vulgatus, in vita Augusti Caesaris: *Nam & Poëtam Ovidium, qui & Naso, pro eo quod tres libellos Artis Amatoriae conscripserat, exilio damnavit.* Freculphus lib. viii. cap. x. Chronici: *Quibus diebus Ovidius Poëta in exilio diem obiit, qui ab Augusto sene damnatus fuerat, propter libros Amatoriae Artis, quos composuerat.* Neque alio nomine ab Eutyche Grammatico hi libri citantur, aut à Scholiastis MSS. in hos ipsos libros, & Metamorphoseis, ac cetera ejusdem opera. idque passim. Vocat quidem Artem Amandi ipse Ovidius primo hujus operis versu, sed legi carminis id dedit, quae verum Poëmatis hujus titulum non admittebat. unde & errorem natum existimo. Πρωταγορίδου ἀκροάσεις ἐρωτικὰς laudat Athenaeus lib. iv. non dissimilis argumenti scriptum. sed & Zenon Stoicus τέχνην ἐρωτικὴν composuisse dictus est Diogeni Laërtio. laudatur & τέχνη ἐρωτικὴ Ephodrii Cynici, ut omittam ἐρωτικὰ Theophrasti, Clearchi, Aristonis, Demosthenis, Plutarchi & id genus complurium gravissimorum hominum. Heinsius.

2. *Me legat.*] *Hoc legat* codex Regius & Bodlejanus cum duobus aliis. sed nil muto. tres etiam, *doctus eat*, non *amet.* & placet. quo alii alludunt nonnulli, in quibus, *erat* vel *erit.* Heinsius. Noster in Amoribus ii. 2.

Me legat in facie sponsi non frigida virgo.

Epist. xv. 41.

At me cum legeres, etiam formosa videbar.

Ad quem locum vide plura. Catalect. Pithoei p. 69.

Maeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, & lectum credat utrumque sibi.

Sic lib. ii. Trist. 369. de Menandro:

Et solet hic pueris virginibusque legi.

Ubi etiam *hoc* alii codices. Burmannus.

3. *Remoque rates veloque reguntur.*] *Moventur* Regius, Bodlejanus, & alii nonnulli cum Excerptis Scaligeri & Puteani. probo. Epist. xiii. 101.

Cum venies veloque move remoque carinam.

Apud Maronem lib. v. Aeneid. 280.

Tali remigio navis se tarda movebat.

Curribus Automedon, lentisque erat aptus habenis:
Tiphys in Haemoniâ puppe magiſter erat.
Me Venus artificem tenero praefecit Amori.
Tiphys & Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus eſt, & qui mihi ſaepe repugnet.
Sed puer eſt; aetas mollis & apta regi.
Phillyrides puerum citharâ perfecit Achillen;
Atque animos placidâ contudit arte feros.
Qui toties ſocios, toties exterruit hoſtes,
Creditur annoſum pertimuiſſe ſenem.
Quas Hector ſenſurus erat, poſcente magiſtro,
Verberibus juſſas praebuit ille manus.
Aeacidae Chiron, ego ſum praeceptor Amoris.
Saevus uterque puer: natus uterque Deâ.

Sed

Viro clariſſimo mihique conjunctiſſimo Jano Vlitio legendum videbatur:

Arte citae remique ratis velique reguntur.

Nec obnitor, dummodo *moventur* admittamus. Heinsius. Valer. Flacc. II. 110.

—— Plenasque movebat
Armentis nuribusque rates.

Et eodem ſenſu dixit Noſter lib. I. Amor. II. 26. *Adjunctas arte movebis aves.* ubi nihil novandum. Burm.

4. *Leves currus.*] Omnes fere ſcripti, *levis.*

8. *Tiphys & Automedon.*] Hoc carmen citat Marius Victorinus libro II. Ciofanus.

9. *Et qui mihi ſaepe repugnat.*] *Repugnet* Excerpta Puteani & Scaligeri, cum optimo Regio & Bodlejano. recte omnino. proximo verſu malim:

Sed pueris aetas mollis & apta regi.

Ne τὸ *eſt* bis repetatur inconcinne. Heins. Nihil omnino mutandum: genus loquendi eſt elegans & venuſtum, *puer eſt aetas mollis.* ſic Juſt. XVIII. 6. *Quippe homines ut victimas immolabant, & impuberes (quae aetas etiam hoſtium miſericordiam provocat) aris admovebant.* Livius XXIV. 26. *Puellis ut ſaltem parcerent orare inſtitit, a qua aetate etiam hoſtes iratos abſtinere.* ſimilis locutio: *Magiſter equitum, quae conſularis poteſtas.* quam egregie vindicavit Livii Soſpitator Gronov. ad lib. XXIII. 11. hanc elegantiam male Suetonio eripuerunt editores, in Caeſar. cap. V. *Tribunus militum, qui primus Romam reverſo per ſuffragia Populi honor obtigit, auctores reſtituendae Tribunitiae poteſtatis, enixiſſime juvit.* male ibi *tribunatu militum* legitur. vide Torrentii notas; quem Gronovius cum ad Livii lib. VIII. 22. olim reprehendiſſet, ſecundis curis ſecutus eſſe videtur, quia illa verba, quibus ejus ſententiam olim refutaverat, omiſſa fuerunt. male hic etiam quidam codices, *aetas mobilis, apta regi.* alii, *mollius apta.* vel, *arte regi. mollis* enim proprie aetas, quae facile flectitur, ut equi nondum duri oris, ſed qui frena patiuntur. ſic Remed. 23.

Et puer es, nec te quicquam niſi ludere oportet;
Lude, decent annos mollia regna tuos.

Valer. Flac. VII. 295.

Horror molles invaſerat annos.

Noſter Epiſt. I. ῾Υſ. III.

Eſt tibi, ſitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.

Et ita eleganter Horat. lib. IV. Od. I. de ſe jam duri oris & refractario, ad Venerem:

Deſine dulcium
Mater ſaeva cupidinum,
Circa luſtra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis.

Ubi errant viri docti, qui *mollia imperia* explicant, quae faciunt homines molles. cum a re equeſtri ſit deſumpta locutio, ut τὸ *flectere* notat. quo refer illa Virgilii lib. XI. 622. De equis, *mollia colla reflectunt.* & ita *mollia juſſa* Sil. XIV. 152. & Propertius III. VII. 57.

Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae.

Ubi videndus Broukhuſius. ita Venus juvenes facile in amoris obſequium flectit, ſed veteranos & duros debet acrius urguere. ut loquitur lib. I. Amor. II. 17. ſic idem Horat. II. Sat. II. 85.

Tractari mollius aetas imbecilla volet.

Idem vero eſt quod mox dicit, *placida contudit arte.* ubi etiam codices quidam & editiones, *molli* perperam repetunt. nam & ita lib. III. 545. *Ingenium placida mollimur ab arte.* Burmannus.

11. *Cithara perfecit Achillem.*] Sic nos legendum putavimus, ut ſit *perfecit*, exacte erudivit. ut II. Amor. 8.

Ponendis in mille modis perfecta capillis. Nauger. *Perfecit* a manu prima codex Regius, & quatuor alii. quomodo Naugerius monuit legendum, non *praefecit.* ſic Amor. lib. II. 8.

Ponen-

Sed tamen & tauri cervix oneratur aratro:
Frenaque magnanimi dente teruntur equi.
Et mihi cedet Amor: quamvis mea vulneret arcu
Pectora, jactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me violentius uſſit;
Hoc melior facti vulneris ultor ero.
Non ego, Phoebe, datas à te mihi mentior artes:
Nec nos aëriae voce monemur avis:
Nec mihi ſunt viſae Clio Cliûsque ſorores,
Servanti pecudes vallibus, Aſcra, tuis.
Uſus opus movet hoc. vati parete perito.
Vera canam. coeptis, mater Amoris, ades.
Eſte procul vittae tenues, inſigne pudoris;
Quaeque tegis medios, inſtita longa, pedes.

Nos

Ponendis in mille modis perfecta Cypaſſi. HEINS. *Perfecit* etiam Bernenſis unus & Francofurtenſis.

13. *Perterruit hoſtes.*] *Exterruit* Libri meliores conſtanter. nam ſequitur, *pertimuiſſe*; qui concurſus τοῦ *per* duriuſculus. ut Horat. lib. I. Epiſt. VI.

Improviſa ſimul ſpecies exterret utrumque.

Noſter Metam. I. 638.

Propriaque exterrita voce eſt.

Lib. II. Triſt. 35. de Jove:

Strepituque exterruit orbem.

Deinde lege, *hoſtem.* HEINSIUS. Lib. XIII. Metam. 709.

Strophadumque receptos,
Portubus in fidis exterruit ales Aëllo.

I. Amor. III. 21. *Exterrita cornibus Iö.* BURM.

14. *Creditur.*] *Dicitur* Palatinus unus & duo alii.

16. *Juſſas.*] *Juſſis* Palatinus. *Caeſas* Hafnienſis, quod non diſplicebat Heinſio olim.

17. *Amoris.*] Lege, *amori.* ſed vide lib. II. ℣ſ. 161. HEINSIUS. *Amori* etiam Francius.

18. *Saevus uterque.*] Douza explicabat, *iracundus.* nam Homero Achilles iracundus animique impotentis & pertinacis fingitur. recte: centies enim ita *ſaevus* & *ſaevire* Terentio, Virgilio & aliis dicitur. vid. ad Virgil. VI. 544. Serv. & Donat. & *iram Achillis* pro ipſa Iliade dici notum eſt. haec ſciſſe decebat Criſpinum; quae hodie tirones non ignorant. BURMANNUS.

19. *Tauri cervix oneratur aratro.*] *Tauri curvis onerantur aratris* unus Ambroſianus & unus Vaticanus. *aratra* paſſim *curva* Noſtro aliisque Poëtis dicuntur. HEINSIUS.

21. *Vulneret.*] *Sauciet* codex Regius. infra III. Art. 239.

Tuta ſit ornatrix; odi quae ſauciet ora.

Lib. III. 708.

Indignas ſauciat ungue genas.

Remed. 172. HEINSIUS.

22. *Excutiatque.*] *Excutietque* malebat Douza.

25. *Mentiar.*] *Mentior* optimi quique codices.

27. *Nec mihi ſunt viſae Clio Cliuſque ſorores, Servanti pecudes vallibus Aſcra tuis.*] Sic propè lib. VI. Faſt. 13.

Ecce Deas vidi, non quas praeceptor arandi
Viderat, Aſcraeas cùm ſequeretur oves. CIOFAN.

Cliuſque ſcripti. ſic in Priapeis Epigramm. LXVII. cum in priſcis codicibus:

Penelopes primam Dido fac prima ſequatur,

exſtet, facile apparet *Didus* eſſe reponendum. vulgati, *Didonis prima.* praeter uſum cultioris aevi. in argumentis Aeneidos Maronianae, quae in antiquis membranis Naſonis nomen nequicquam praeferunt, & ſatis mendoſa exhibentur, lib. III.

Inde fugam & dirae enarrat praecepta Celaenus.

Ita ſcripti vetuſtiores. vulgata exemplaria:

Inde fugam atque iterum enarrat praecepta Celaeno.

In priſcis Marciani Capellae exemplaribus lib. VIII. pro *Argonis puppis*, legitur, *Argous*, vel *Argos.* nec dubito quin apud Apulejum Metam. I. *Calypſus* pro *Calypſonis* reponi debeat: graeciſſat enim libenter: *At ego ſcilicet Ulyſſi aeſtu deſerta, vice Calypſus aeternam ſolitudinem flebo.* HEINSIUS. Sic in argumento Lactantii Fab. V. lib. II. pro *Caliſtus*, quaedam editiones, *Caliſtos*, aliae *Caliſtonis.*

29. *Uſus opus movet hoc.*] Quidam legunt, *uſus opus monet hoc*, ut ſit, utilitatis cauſſa hoc ſcribo. ſed placet prior lectio. id eſt uſu & experientia doctus haec ſcribo. MERULA. Janus Gebhardus lib. I. Ant. Lect. 3. cum in uno codice Palatino τὸ *hoc* non exſtare animadverteret, in altero legi, *movit*; ſcribendum eſſe contendebat, *Uſus opus movit.* Codices noſtri nihil variant, niſi quod quatuordecim aut quindecim, *monet* exhibent pro *movet.* nihil auſim immutare. HEINSIUS.

31. *Eſte procul vittae tenues, inſigne pudoris.*]

Nos Venerem tutam, conceſſaque furta, canemus:
Inque meo nullum carmine crimen erit.
Principio, quod amare velis, reperire labora,
Qui nova nunc primum miles in arma venis.
Proximus huic labor eſt, placitam exorare puellam.
Tertius, ut longo tempore duret amor.
Hic modus; haec noſtro ſignabitur area curru:
Haec erit admiſſâ meta terenda rotâ.
Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis;
Elige, cui dicas, Tu mihi ſola places.
Haec tibi non tenues veniet delapſa per auras.
Quaerenda eſt oculis apta puella tuis.
Scit bene venator, cervis ubi retia tendat:
Scit bene, quà frendens valle moretur aper.

Aucu-

Vitta tegmen capitis erat muliebre, quo Veſtales, & item matronae utebantur. Ac de Veſtalibus dubium non eſt. De matronis autem ſunt qui diverſum diſputant: quorum tamen opinio facile convincitur Virgilii autoritate. nam ille VII. Aeneidos 351. Amatae reginae, Latini uxori, *vittam* tribuit: eo loco ſcilicet, ubi fingit furiam Alecto ſerpentem in illam conjicere, qui omnes illius ſinus, omnemque veſtitum pererraret. Inquit enim:

——— *Fit tortile collo*
Aurum, ingens coluber, ſit longae taenia vittae:
Innectitque comas, & membris lubricus errat.

Haudquaquam igitur rejiciendi illi ſunt, qui hunc locum de matronis exponunt. nam etſi de Veſtalibus exponi poteſt, idem tamen etiam de matronis rectè accipitur: praeſertim quando ſtatim de *inſita* mentio fit, quae veluti limbus ambibat ſtolam, quod veſtimentum propriè matronarum erat. Et idem Poëta II. Triſt. 241. vittam ac ſtolam eodem verſu conjunxit, puta quòd iisdem utramque attribueret. ut cum ait:

Ecquid ab hac omnes rigida ſummovimus arte,
Quas ſtola contingi, ſumptaque vitta vetat?

Micyllus. Hoc quid ſit, dicit ipſe ſub finem lib. I. De remedio his verbis:

Thais in arte mea eſt, laſcivia libera noſtra eſt:
Nil mihi cum vitta: Thais in arte mea eſt.

Attigi & hunc locum in Scholiis in lib. Faſtorum & Triſtium. Ciofanus. Vid. Turneb. lib. XXIX. Adv. 31.

33. *Nos Venerem tutam.*] Libro Triſtium ſecundo 249. ubi quatuor hi verſus repetuntur, legere eſt:

Nil niſi legitimum conceſſaque furta canemus.

Heinsius.

36. *Primum.*] *Primus* Bartholini codex. vid. ad Epiſt. VII. 189. *ad arma* etiam Bernenſis unus. vid. ad III. Epiſt. 136.

37. *Proximus huic labor eſt, placidam.*] Joſephus Scaliger ex veteri codice, *placitam*, ſcribebat. Et quidem recte. Dan. Heinsius. *Placitam* ex melioribus libris omnino eſt caſtigandum. & mox 55.

Tot tibi tamque dabit formoſas Roma puellas.
Non, *namque dabit.* Epiſtola XX. 37.
Per gladios alii placitas rapuêre puellas.
Amor. I. Eleg. X.
Non aries placitam munere captat ovem.
Lib. II. Eleg. IV.
Sive rudis, placita es ſimplicitate tua.
Art. III. 386.
Nec Thuſcus placitis devehit amnis aquis.
Et mox 535.
Nos facimus placitae late praeconia formae.
Ut illis locis reſtituendum. ita Virgil. lib. IV. 38.
Placitone etiam pugnabis amori.
Ita enim MSS. vetuſtiores Piërii, nec aliter in antiquiſſimo exemplari Leidenſi; ubi Servius integer quoque habetur. Stat. lib. VII. Theb. 190.
Placitusque vagae Nycteidos ardor.
Ita lege ex MSS. vulgo, *placidus.* ita *placita Pax* Silio lib. I. Vſ. II. ex MSS. ubi vide. Plura vide Notis ad Epiſtolam XIX. Vſ. 208. Heinsius. *Placitam* etiam Douza legebat.

39. *Haec noſtro.*] *Hic nobis* Bernenſis. *Hic noſtro* alii quidam.

40. *Meta terenda rota.*] Memini illorum Propertii lib. II. Eleg. XIX. 66.
Septima quam metam triverit ante rota.
Memini & a Noſtro lib. II. 426. mox dici:
Interior curru meta terenda meo eſt.
Libri tamen meliores hoc loco, *meta premenda.* nec male. unus Vaticanus cum Ambroſiano, *tenenda.* quomodo Triſt. lib. IV. Eleg. VIII. 35.
Nec procul à metis, quas pene tenere videbar.
Virgilius lib. V. 159.

Jamque

Aucupibus noti frutices. qui ſuſtinet hamos,
Novit quae multo piſce natentur aquae.
Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,
Ante frequens quo ſit diſce puella loco.
Non ego quaerentem vento dare vela jubebo:
Nec tibi, ut invenias, longa terenda via eſt.
Andromedan Perſeus nigris portarit ab Indis,
Raptaque ſit Phrygio Graja puella viro.
Tot tibi tamque dabit formoſas Roma puellas;
Haec habet, ut dicas, quidquid in orbe fuit.
Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos;
Aequore quot piſces, fronde teguntur aves;
[Quot coelum ſtellas, tot habet tua Roma puellas:
Mater & Aeneae conſtat in urbe ſui.]

Seu

Jamque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant. Paulo poſt etiam nonnulli codices, *meta tenenda.* non *terenda.* HEINSIUS.

41. *Loris ſolutis.*] Douza legebat, *collo licet ire ſoluto.*

43. *Veniet tenues.*] *Tenues veniet* ſcripti potiores. HEINSIUS.

45. *Ubi retia tendat.*] *Ponat* Argentinenſis liber. etiam non male. ſic & infra ỳſ. 263. libri meliores:

Hactenus unde legas quod ames, ubi retia ponas.

Virgilius Georg. lib. 1. 307.

Tunc gruibus pedicas & retia ponere cervis.

Noſter quoque Metam. VII. 773.

——— *Poſitarum lina plagarum.*

Et infr. 645.

In laqueos, quos poſuere, cadant. HEINSIUS.

Ita apud Martial. II. Epig. 27.

Laudantem Selium coenae cum retia tendit.

Ubi codex Voſſianus unus, qui nunc eſt in Bibliotheca Leidenſi, *ponit.* ſed parum referre arbitror, & utroque verbo ſaepe Noſter utitur. vid. infr. ad v. 263. BURMANNUS.

47. *Suſtinet hamos.*] *Continet* fragmentum Bodlejanum & tres quatuorve alii codices. ſic infra 544. *Preſſas continet arte jubas.* Petron. Satyrico cap. 2. *Nondum juvenes declamationibus continebantur.* Priſcianus Periegeſi: *Naturae genitor, quae mundum continet omnem.* Noſter Faſtor. 1. 504.

Continuitque manum ſaeva regentis iter.

Pont. I. IX. 22.

Continuit promtas in mea fata manus.

HEINSIUS.

48. *Quae multo.*] *Qua* Bernenſis unus & duo alii. *Quam multo* Barthol. ut II. ex Pont. VII. 26.

Altaque quam multis floreat Hybla thymis.

50. *Diſce puella loco.*] *Locum* unus Heinſii. ita II. Am. XIX. 10.

Quaque capi poſſim callida norat, opem.

Ubi *ope* alii codices. VI. Faſt. 176.

Nec Latium nôrat, quam praebet Ionia dives;
Nec quae Pygmaeo ſanguine gaudet, avem.

Ubi *avis* in nonnullis eſt. I. Art. Am. 553.

Horruit, ut ſteriles, agitat quas ventus, ariſtas;

ubi quidam, *ariſtas.* vid. Pierii notas ad Virgil. I. Aeneid. 72. BURMANNUS.

53. *Nigris portarit ab Indis, Raptaque ſit.*] Nobis haec elegantior viſa eſt lectio. cum in omnibus, *portavit ab Indis, Raptaque ſic*, legeretur. Neque tamen prior illa non recta. NAUGERIUS. *Andromedan* lege, ut meliores libri. quod jam monui notis ad Epiſt. XVIII. ỳſ. 149. in ceteris Naugerii conjecturam expreſſimus. Nam ſcripti codices cum vulgatis, *portavit*, &, *Raptaque ſic.* HEINSIUS. In Vaticano erat, *Andromedan alius Perſeus*; forte pro, *ales Perſeus portarit.* ſic *ales* Mercurius Epiſt. XVI. 68. *ales equus*, Pegaſus III. Am. XII. 24. & paſſim. BURMANNUS.

53. *Ab Indis.*] Ex Urbe Joppe deportavit, ut docet Mela lib. I. II. & Plin. lib. V. 13. ſed *Indiam* olim latiſſime dictam multis oſtendit Ampl. Cuper. IV. Obſ. 7.

55. *Tot tibi namque dabit.*] Optime ex veteri codice annotaverat Scaliger, *tamque.* Ut ſit:

Tot tibi, tamque dabit formoſas Roma puellas;
Haec habet, ut dicas, quicquid in orbe fuit.

DAN. HEINSIUS.

56. *In orbe fuit.*] *In orbe manet* Bernenſis unus.

59. *Quot coelum ſtellas.*] Diſtichon hoc non eſſe Ovidianae notae contendo. Pentameter ex illis Noſtri adumbratus eſt Amor. lib. I. Eleg. VIII.

Nunc Mars externis animos exercet in armis:
At Venus Aeneae regnat in urbe ſui.

In Oxonienſi fragmento legebatur:

Mater in Aeneae conſtitit urbe ſui.

Conſtitit etiam Regius. HEINSIUS.

61. *Prae-*

Seu caperis primis & adhuc crescentibus annis;
Ante oculos veniet vera puella tuos:
Sive cupis juvenem; juvenes tibi mille placebunt.
Cogêris voti nescius esse tui.
Seu te forte juvat fera & sapientior aetas;
Hoc quoque (crede mihi) plenius agmen erit.
Tu modo Pompejâ lentus spatiare sub umbrâ,
Cum sol Herculei terga leonis adit:

Aut

61. *Primis & adhuc.*] Adscripserat Douza illa Statii II. Achil. 382.

Dicor & in teneris & adhuc crescentibus annis.

Et Horatii III. Od. XI.

Nuptiarum expers, & adhuc protervo
Cruda marito.

62. *Vera puella.*] *Grata* unus Heinsii. Francius conjecerat, *verna*: sed frustra. *vera* est, juvencula in primo flore, ut *veri anni* infr. III. 61. Terent. Eunuch. II. 3. *verus color* & talia sexcenta. posset & capi *vera puella*, non fucata, quae non mentitur annos & celat, ut *verae gemmae* Trebel. Gallien. 12. *Vera Glaniana* Martial. IV. 39. *Electra* VIII. 51. *Verum opimianum* Petron. c. 34. vid. Broukh. ad Prop. lib. II. Eleg. VII. 55. & supr. ad Epist. XIX. 65. Burmannus.

64. *Cogéris voti.*] Scripti plerique, *Cogeris &*. Puto, *Cogére &*. Comelinianus codex superiori versu non male, *juvenes tibi mille patebunt.* patebit tibi aditus ad mille juvenes. dictum Notis ad lib. II. Amor. Eleg. XIX. ℣. 25. Heinsius. Ita Mart. XI. 105.

At mihi nuda satis nulla puella patet.

Ubi etiam *placet* est in Thuaneo codice.

66. *Crebrius agmen erit.*] *Plenius* meliora exemplaria. idque constanter, & recte. sic *plenum filum* pro denso aut crasso, libro III. 267.

——— *Pleno velamina filo*
Sumat.

Quibus opponit in Amoribus, *raram tunicam.* denuo infra libro II. 661.

Dic habilem, quaecunque brevem, quae turgida, plenam.

Ita *plenior unda* Eleg. in Drusum 117. *pleni Zephyri* II. Am. XI. 41. ubi vide. Heinsius. Recte; *plenum agmen* enim idem est, quod *densum* dixit Epist. XVI. 183. ita *plenum convivium* Suetonio Caes. 49. & alibi. quod nescio an recte copiosum exponant viri docti, cum melius de convivarum frequentia capiendum videatur. vid. ad Petron. cap. XLIII. Propert. II. Eleg. XIII.

Nunc sine me plenâ fiunt convivia mensa.

Sic & *plenae* legiones & cohortes Ciceroni & aliis passim dicuntur: *plenam* vero puellam II. Art. 661. pinguem vocat. ita Plinius lib. XI. cap. 37. *Homo crescit in longitudinem ad annos usque ter septenos, tum deinde in plenitudinem.* sic *maciem* & *plenitudinem aquarum* opponit Solinus. Donatus *plenam* & *pinguem* interpretatur, quam Terent. Eunuch. II. 3. *habitiorem* vocavit. vid. ad Quinctil. Decl. VII. 8. in uno Palatino erat, *lenius agmen*, ut dicat, provectas aetate mulieres multo leniores & faciliores fore. Burmannus.

67. *Tu modo Pompejâ lentus spatiare sub umbra, Cùm Sol Herculei terga leonis habet.*] Meminit hujus porticus lib. III. hujus operis 387.

At licet, & prodest Pompeias ire per umbras,
Virginis aethereis cùm caput ardet equis.

Ciofanus. Vid. Mercurial. Art. Gymn. III. 2. Prop. IV. VIII. 75.

Tu neque Pompejâ spatiabere cultus in umbra.

Imitatus hos, ut saepe aliàs, Martialis lib. XI. 48.

Cur nec Pompejâ lentus spatiatur in umbra.

Umbra autem recte, unde Propert. II. XXIII. 45. *Umbrosis Pompeja columnis Porticus.* quidam codices hic *laetus*, ut aliàs has voces commutarunt. mox, pro *terga leonis* Vaticanus, *colla.* Palatin. *membra*, duo alii, *signa.* Patavinus etiam, *leonis habet.* Burmannus.

69. *Aut ubi muneribus nati sua munera mater Addidit.*] Theatrum Marcelli, & juxta hoc porticum Octaviae, aut certè Bibliothecam ejusdem nomine celebratam, intelligere videtur: quorum priora duo aedificia, (ut & Suetonius testatur) Augustus sub illorum nominibus erexit (erat enim altera soror, alter sororis ejusdem filius) Bibliothecam autem ipsa Octavia instituit, defuncto filio Marcello. Autores, qui de antiquitatibus urbis Romae scripserunt. Micyllus.

70. *Externo.*] Palatinus & quinque alii, *aeterno*, quod quidem explicari posset, ut *aeterna basis* Phaedr. II. Epilog. sed praefero tamen vulgatam, quia intelligit marmor ex Graecia, vel Libya adlatum. ut III. Trist. I. 61.

Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis.

Tibul. II. VI. 25.

Quid lapis externus curae est.

Ubi vide Broukhusium. & in hac porticu columnas, signa & cetera ornamenta ex Graecia & Macedonia translata esse omnes praedicant. *Munera* vero pro aedificiis poni Heinsius & alii ad Vellej. Paterc. II. 48. & 130. docuere. Burmannus.

71. *Nec*

Aut ubi muneribus nati ſua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.
Nec tibi vitetur, quae, priſcis ſparſa tabellis,
Porticus auctoris Livia nomen habet.
Quâque parare necem miſeris patruelibus auſae
Belides, & ſtricto ſtat ferus enſe pater.
Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis;
Cultaque Judaeo ſeptima ſacra Syro.

Neu

71. *Nec tibi vitetur quae priſcis ſparſa tabellis Porticus, auctoris Livia nomen habet.*] Porticus Livia, teſte P. Victore, erat in III. Urbis regione, prope Suburram. CIOFANUS. Similis Poecilae apud Athenienſes porticui; erant ibi ambulationes amoeniſſimae. vide Pancirol. Deſcr. Urbis Romae regione III. & praecipue Meurſ. Athen. Attic. lib. I. cap. 5. ubi etiam docet inde multas tabulas Romam translatas. *quae pictis* duo. *quae preſſis* Voſſianus. BURMANNUS.

73. *Quaque parare necem.*] Porticum Apollinis Palatini intellige. Scholiaſtes Perſii antiquus ad illa Satyrae ſecundae, *fratres inter ahenos: Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas ſub divo totidem equeſtres filiorum Aegiſthi.* (lege *Aegypti*) *Ex iis autem ſtatuis quaedam dicebantur poſtulantibus per ſomnum dare oracula.* Noſter Triſtium libro III. Elegia prima:

Inde tenore pari gradibus ſublimia celſis
Ducor ad intonſi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi ſunt alterna columnis
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater.

Ut jam liqueat de Apollinis Palatini porticu etiam illa eſſe intelligenda Amor. II. Eleg. II.

Heſterna vidi ſpatiantem luce puellam
Illâ, quae Danai porticus agmen habet.

Celebravit hanc Apollinis Palatini porticum Propertius eleganti Elegia, quae eſt triceſima prima libri ſecundi apud illum, cujus initium:

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
Porticus a magno Caeſare aperta fuit.
Tota erat in ſpatium Poenis digeſta columnis.
Inter quas Danai foemina turba ſenis.

Ita enim ſcribendum eſſe, non *Tota erat in ſpeciem*, pluribus ad Faſtos monui libro III. ỳſ. 529. ex depravato loco in errorem inducti magnus Scaliger & Paſſeratius ſunt opinati picturam Danaidum in porticu fuiſſe ſuſpenſam. Illuſtrat autem is Propertii locus unice Naſonianum ex Triſtibus modo prolatum: cum hinc conſtet *columnas*, & alternatim, inter unamquamque columnarum, ſignum aliquod Danaidum fuiſſe collocatum. Nam Scaliger, *Inter quas* referebat perperam ad *ſpecies*. *ſpecies* enim corrigi debere opinabatur. Quinquaginta igitur in hac porticu columnae, qui Danaidum numerus. At vero, ſi Scholiaſtae Perſii aut potius Acroni credimus; etiam maritis Danaidum tandem locus ibi fuerit. quas ego ſtatuas poſtea a Nerone aut alio quocumque additas fuiſſe opinor, ac proinde numerum quoque columnarum duplicatum, cum Naſo & Propertius ſolarum Danaidum in deſcriptione hujus porticus meminerint. Quare & perſuadeor ut credam, huc trahenda eſſe Martialis illa libro II. Epigr. XIV.

Inde petit centum pendentia tecta columnis:
Illinc Pompeji dona, nemusque duplex.

Quod de porticu Octavia aut Vipſania perperam interpretantur. ut & illa libri III. Epigr. XVII.

Proxima centenis pendentia tecta columnis.

Ita idem Martialis in Pompeja porticu duplex agnoſcit nemus, ut jam vidimus, cum ſcriptores priorum temporum non niſi ſilvam unicam illic agnoſcant. nimirum alteram ſilvam Domitianus inſtaurata porticu adjecit. quomodo & Palatini hanc Apollinis porticum poſt exceſſum Divi Auguſti fuiſſe auctam fit veriſimile. unde *hecatoſtylon* dicta, a centum columnis. Certe B. Hieronymus in Chronico Euſebiano ad ann. MMCCLXI. *Theatrum Pompeji incenſum & hecatoſtylon.* Solere autem porticibus, ſeu Xyſtis ſtadiisque, ſylvas adjici & ordines arborum ex Vitruvio colligas libro V. cap. XI. *Facienda autem Xyſta ſic videntur, ut ſint inter duas porticus ſilvae, aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes.* unde intelligitur illud Martialis libro III. Epigram. XIX.

Proxima centenis oſtenditur urſa columnis,
Exornant fictae qua platanona ferae.

Ut de Palatina porticu contra ſententiam interpretum intelligi oportere contendam, facit, quod Propertius loco jam deſignato quatuor Myronis buculas aeneas ornatui porticus hujus ab Auguſto fuiſſe datas aſſeverat:

Atque aram circum ſteterant armenta Myronis,
Quattuor artificis vivida ſigna boves.

Quibus alia ferarum ſimulacra poſtmodum acceſſerint. Sed cum Euſebius una cum theatro Pompeji id conflagraſſe innuat, vide ne porticus intelligatur Pompeja, theatro vicina. vide Scaligerum Chron. Euſebii ad ann. MMCCLXI. qui non ſemel illic erravit. HEINSIUS.

74. *Et ſtricto barbarus enſe pater.*] Sic legendum

Neu fuge linigerae Memphitica templa juvencae:
Multas illa facit, quod fuit ipſa Jovi.
Et fora conveniunt (quis credere poſſit?) amori;
Flammaque in arguto ſaepe reperta foro.
Subdita quâ Veneris facto de marmore templo
Appias expreſſis aëra pulſat aquis.
Illo ſaepe loco capitur conſultus Amori:
Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.

Illo

ex ſuperioribus. CIOFANUS. *Stat ferus* omnes fere ſcripti.

76. *Cultaque Judaeo ſeptima ſacra viro.*] Sic infrà:

Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis,
Culta Palaeſtino ſeptima feſta viro. CIOFANUS.

Syro optime Bodlejanum fragmentum pro diverſa lectione. Niſi quod *Idumaeo Syro* reponi malim. quod magis poëticum. Juvenal. Sat. VIII. 159.

Obvius aſſiduo Syrophoenix udus amomo
Currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae.

Ubi *unctus amomo* in Voſſiano codice. Ammonius Grammaticus de Differentia vocum: Ἰδυμαῖοι καὶ Ἰουδαῖοι διαφέρουσιν, ὡς φησὶ Πτολεμαῖος Ἀσκαλονίτας ἐν πρώτῳ περὶ Ἡρώδου τοῦ βασιλέως· Ἰουδαῖοι μὲν γάρ εἰσιν οἱ ἐξ ἀρχῆς φυσικοί. Ἰδυμαῖοι δὲ τὸ μὲν ἄρχηθεν οὐκ Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ Φοινίκες καὶ Σύροι. Ubi plura ad rem. vides Idumaeos eſſe Syros Ammonio, quomodo & Naſoni. Stephanus Byzant. Ἰδουμαῖοι ἔθνος Ἑβραίων, ex Joſephi libro XIII. cap. XVII. etiam conſtat Idumaeos ab Hyrcano ſubactos, ritibus ac religione Judaeorum imbutos fuiſſe, quos reſpexit Noſter. Vide magnum Scaligerum ad annum Euſebii MDCCCCXXXIII. ſed & Judaeos Syris fuiſſe adſcriptos ex Strabone liquet. Ptolemaeus: Παλαιστίνης Συρίας, ἥτις καὶ Ἰουδαία καλεῖται, θέσις. Infra v. 418. ſimiliter ex Puteaneis Excerptis ſcribendum:

Culta Palaeſtino ſeptima ſacra Syro.

Nam & illic *viro* legebatur. In fragmento Bodlejano tam illic, quam hic *Deo*. Tibullus lib. I. VIII. 18.

Alba Palaeſtino ſancta columba Syro.

Ubi minime ferendum, *ſuo*, quod Scaligeri codex exhibebat, in editione ſua male illo amplexo. Syria enim triplex apud veteres Geographos, Συρία Κοίλη, Φοινίκη, καὶ Παλαιστίνη. Poſteriori tempore nonnihil mutarunt, Marcian. Capell. lib. VI. pag. 219. *Juxta eſt Syria multis diſtincta nominibus. Nam & Palaeſtina eſt, qua contingit Arabiam, & Judaea, & Phoenicia, & quantum interior habetur, Damaſcene.* Victor alter in Veſpaſiano: *Syria, cui Palaeſtina nomen eſt.* ſic ſcripti, quam cum provinciis additam ſub Veſpaſiano dicat, mox & Judaeae ſubactae meminit. ita IV. Metam. 46. Palaeſtinis adſcribit, quae alii Syris. vide quae ibi notamus. & II. Faſt. 464. *Palaeſtinam* aquam Euphratem, Syriae ſive potius Aſſyriae flumen vocat. HEINSIUS. Ita Philargyrus ad Virgil. III. Georg. 12. Idumaeam eſſe *gentem Syriam* notat, & *Idumaeam* eſſe *Syriae Judaeae civitatem*. & Probus: *Idumaea eſt regio in Syria Palaeſtina*, qui etiam Idumaeos & Judaeos eosdem facit. ita ut utraque lectio, *Judaeo*, vel *Idumaeo Syro*, probabiliter ſatis poſſet defendi. Tertull. Apolog. v. *Annuntiata ſibi ex Syria Palaeſtina.* ubi male alii, *Palaeſtinaque. Septima feſta* etiam Palat. codex. ut infr. 416. unde forte petitum eſt. BURMANNUS.

77. *Nec fuge Niligenae.*] Gruterus è codice Palatino, *lanigerae*, in margine notaverat: Scaliger, *linigenae* legebat. DAN. HEINSIUS. Ad Nilum Iō cum non ſit genita, perperam *Niligena* dicatur. Scripti plerique, *lanigerae*. ſed, *linigerae* verum eſt. quod in optimo Regio, Puteani Excerptis, & duobus tribusve aliis extat. lib. I. Pont. Eleg. I.

Vidi ego linigerae numen violaſſe fatentem,
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.

Et Amor. II. Eleg. II.

Nec tu linigeram fieri quid poſſit ad Iſin
Quaeſieris.

Quibus locis pari modo turbant libri veteres. *Linigera* quemadmodum Iſis, ſic ejus quoque ſacerdotes *Linigeri* Poëtis paſſim dicti. Noſter Metam. I. 747.

Nunc dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.

Linigeri calvi Martiali iidem lib. XII. Epigr. 29. & Juvenali VI. Sat. 533.

Qui grege linigero circumdatus & grege calvo,
Plangentis populi currit deriſor Oſiris.

Quo loco nollem, vir optime meritus de antiquitate omni, Petrus Pithoeus ex ſcriptis exemplaribus reponeret, *grege lanigero*. Lucanus lib. IX. 159.

Et tectum lino ſpargam per vulgus Oſirim.

Et libro X. 175.

Linigerum placidis compellat Achorea dictis.

Ubi etiam male tres codices, quos inſpexi, & quidam Pulmanni, *lanigerum*. Claudian. IV. Conſ. Honor. 572.

——— *Plurimus infra*
Liniger impoſito ſuſpirat veſte ſacerdos.

Sed hac de re jam copioſe egerunt viri eruditi. HEINSIUS. *Niliacae* unus codex, & ita Fabricium legere

Illo ſaepe loco deſunt ſua verba diſerto:
Resque novae veniunt, cauſſaque agenda ſui eſt.
Hunc Venus è templis, quae ſunt confinia, ridet.
Qui modo patronus, nunc cupit eſſe cliens.
Sed tu praecipue curvis venare theatris.
Haec loca ſunt voto fertiliora tuo.
Illic invenies, quod ames, quod ludere poſſis,
Quodque ſemel tangas, quodque tenere velis.

Ut

legere Berſmannus notavit. *templa juvencae* margo Berſman. *tecta* Neapolitan. Vatican. & duo alii. *ſacra* alii.

78. *Quod fuit ipſa Jovi.*] Gebhard. lib. I. Antiq. 13. legit ex duobus Palatinis, *quod fuit ante Jovi*; quod & in Ambroſiano & Bernenſi codicibus exſtat. alii, *ipſa*, vel *illa*. parum refert. intelligit vero in Iſidis templo multis puellis condici locum ad coitum, quia ibi frequenter Lenae & Meretrices verſabantur. hinc Juven. Satyr. VI. 489.

Aut apud Iſiacae potius ſacraria lenae.

Idem in Serapidis templo factum docet Voſſius ad Catull. carm. X. BURMANNUS.

79. *Et fora conveniunt.*] *Ad fora* ſex libri. at Bernenſis quoque:

Ad fora conveniunt (qui credere poſſet) amoris Flammaque.

Amoris etiam ſexdecim alii libri. quod ſi recipiatur, *conveniunt* capiendum de puellis, quae ibi ad coitum conveniunt, ut ſaepe apud Plautum, Terentium, Apulejum & Noſtrum quoque. vide Taubm. ad Plaut. Milit. I. I. 61. ſimili modo dixit Plinius lib. XI 24. *Araneae conveniunt claſſibus.* & ita συνέρχεσθαι Graecis. vid. Comment. ad Matth. Euang. I. 18. & ad I. Metam. 41. BURMANNUS.

79. *Quis credere poſſet.*] *Poſſit* meliores. HEINS.

80. *Arguto.*] Clamoſo, ſeu vocali explicat Douza, & ita Gloſſa Leidenſis codicis. pro *reperta*, duo, *referta*. alius, *repleta*.

81. *Subdita quâ Veneris.*] Forum Caeſaris intelligit, in quo templum Veneris Genetricis fuit, quod ipſe Caeſar extruxit, votum bello Pharſalico. Item aqua Appia, quam hic *Appiada* Patronymica forma appellat. MICYLLUS. Vid. infr. lib. III. 451. & Remed. 660.

81. *Quae.*] *Quâ* legendum, id eſt, ubi. CIOFANUS.

82. *Expreſſis.*] Propria in hac re vox, cum aqua per fiſtulas ducitur. vid. Voſſ. ad Caeſar. Bell. Gall. lib. VII. cap. 22. & Bell. Civil. lib. II. cap. 9. BURMANNUS.

83. *Capitur conſultus amore.*] *Amoris* vetuſtiores libri. Lege, *Amori*, id eſt, Cupidini. atque ita fragmentum Bodlejanum, cum alio codice, quem Andreas Cavalcantes Patricius Florentinus, vir ad comitatem & elegantias factus, mihi dono obtulit. *Conſultus* pro juriſconſulto. ut Noſter Amorum lib. I. Eleg. XIII.

Nec tu conſulto, nec tu jucunda diſerto es.

Et mox:

Haec eadem ſponſum conſulti ante atria mittit.

Horatius I. Sat. I. 17.

—— Eris tu, qui modo miles,
Mercator, tu conſultus modo.

Et *conſultor* apud eundem, vers. 10.

Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.

HEINSIUS.

86. *Cauſaque agenda ſua eſt.*] Unus Vatican. & Palatinus, *ſubit*. Rottendorphianus, *ſubeſt*. Scribe cum Politiani codice, *cauſaque agenda ſui eſt*. ſui ipſius cauſa, non aliena. IDEM.

88. *Nunc cupit.*] *Jam* Aldin. & Berſman.

90. *Votis fertiliora tuis.*] *Voto tuo* meliores. HEINSIUS.

91. *Quod ludere.*] Cum quo ludere ἐναλλαγμένως. Catullus carm. 2.

Qui cum ludere, quem ſinu tenere. BERSMAN.

Francius malebat, *quo ludere. ludere in puella* dixit Propert. II. ℣ſ. 4. ſed nulla mutatione opus. infr. vers. 643.

Ludite, ſi ſapitis, ſolas impune puellas.

III. Metam. 104.

Luſerat hic Nymphas.

VI. Metam. 113.

Aureus ut Danaën, Aeſopida luſerit igneus.

& paſſim. BURMANNUS.

92. *Quodque tenere.*] Moreti, Commelini & alii, *quod retinere*. nonnulli, *& retinere*. Mentelii prior, *quamque ſemel tangas hanc retinere velis*. ſed puto vulgatam praeſtare, & hunc habere ſenſum; in theatris duplicis generis mulieres offendi, & quas velis ſemel modo tangere, deinde iterum miſſas facere, ut ſunt libertinae & meretrices; ſed praeterea reperiri, quas conſtanter velis amare, & quibus dicere poſſis, *tu mihi ſola places*. ut idem ſit ſenſus praecedentium, inveniri illic, quas *amare* velis, & quas *ludere*, ſive poſt impetratam ſemel noctem deſerere, & fallere. Douza adſcripſerat illa Martialis lib. XI. 41. *Et ſolus tenet, imperatque ſolus*; ut *tenere* hic eſſet poſitum eo ſenſu, quo ad Phaedr. lib. II. Fab. 2. abunde explicuere viri docti. BURMANNUS.

Ut redit itque frequens longum formica per agmen,
Granifero ſolitum cum vehit ore cibum;
Aut ut apes, ſaltusque ſuos & olentia nactae
Paſcua, per flores & thyma ſumma volant;
Sic ruit in celebres cultiſſima femina ludos;
Copia judicium ſaepe morata meum.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſae.
Ille locus caſti damna pudoris habet.
Primus ſollicitos feciſti, Romule, ludos:
Cum juvit viduos rapta Sabina viros.
Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro:
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemoroſa Palatia, frondes
Simpliciter poſitae; ſcena ſine arte fuit.

In

94. *Solitum.*] *Solidum* Oxonien. & quinque alii: quod forte rectum; ut intelligat grana nondum trita aut comminuta in pila. ita in Ibide 572.

Ictaque pro ſolidis frugibus oſſa ſonent.

Ut ibi legendum eſſe oſtendemus. aliter *ſolidae fruges* etiam illibatae, integrae poſſent capi, ut apud Apulej. lib. x. Metam. *Menſaque poſita omne genus eduliorum ſolidorum, & illibata fercula juſſit apponi.* ubi plura Colvius notat, pag. 140. IDEM.

95. *Et olentia nactae Paſcua.*] Non damno penitus hanc lectionem, quam codices ſcripti tuentur. minimum tamen abeſt, quin *Hymettia paſcua* reponendum cenſeam. ſic infra pro *Hymettia mella*, plurimae membranae, *humentia.* Laudatiſſimum mel Atticum ex Hymetto monte. ut & Hyblaeum favi Siculi. Noſter Met. x. 284. *Ut Hymettia ſole Cera remolleſcit. Hymettia* quoque *mella* habes apud Horatium; & ſane frequenter in hiſce propriis nominibus peccatur. ſic in Triſtibus v. 2. pro *Paeſtana roſaria* nunc legitur, *& amoena.* ut ſuo loco dicetur. Statius 1. Achill. 555.

Quales jam nocte propinqua
E paſtis referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.

HEINSIUS.

96. *Et thyma.*] *Per thyma* duo Palatini & Regius unus, non invenuſta repetitione. ut VIII. Metam. 76.

Ire per ignes,
Per gladios auſim.

Ubi etiam ante Heinſium, *& gladios* legebatur. ita & infr. 381.

Non ego per praeceps, per acuta cacumina ducam.

Ut in Francof. exſtat. vid. lib. v. Met. 462. 613. lib. VI. 97. & alibi. BURMANNUS.

97. *Ruit ad celebres*] Editiones priſcae uſque ad Aldinam poſteriorem omnes habent, *in.* & merito id Micyllus & Berſmannus ex ſcriptis reduxerant. porro pro, *cultiſſima*, quidam, *gratiſſima*; alii, *promptiſſima*, alius etiam, *pulcherrima*, quae omnia a librariis profecta. *cultiſſima* recte: ut enim placeant, colunt ſe ſtudioſe puellae, antequam in theatra ſpectatum, & ut ſpectentur, eant, quod hic Ovidius ſubdit. Illuſtrat haec egregie dictum Socratis, cujus uxor Xantippe, cum nollet viri pallio induta ad pompam ſpectandam prodire, ille ipſi oggeſſit: Ὁρᾷς ὡς οὐ θεωρήσουσα, θεωρησομένη δὲ μᾶλλον βαδίζεις. *viden' quam non ut ſpectes, ſed ut ſpecteris eas.* Aelian. VII. Var. Hiſt. cap. 10. ex quo dicto haec Naſoni ſententia nata fuit. BURMANNUS.

100. *Pudoris habet.*] *Pudoris erat* Junianus. quod Heinſio olim non diſplicebat.

104. *Pulpita rubra.*] *Pulpita tincta* Francof. & alius Heinſii. *rubrum crocum* Noſter 1. Faſt. 342. dixit.

108. *Qualibet.*] Et hic *quamlibet* Vaticanus habet. ſed male. *qualibet* eſt obvia, etiam vili. Epiſt. IV. 98.

Suſtinuit poſitos quaelibet herba duos.

Ubi vide, & ad Epiſt. XII. 110. ſic & lib. 1. Metam. 451.

Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.

Vide an hinc poſſet Horatius lucem accipere 1. Od. 7.

Undique decerptae frondi praeponere olivam.

Id eſt ſacram oleam carminibus extollere ſupra quamlibet herbam. ſed conſulendae doctiſſimi Bentlei notae, cui haec lectio minus placebat. BURM.

109. *Reſpiciunt oculisque notant.*] Gunther. Ligur. lib. 11. 420. imitatus:

Diſcurrunt, oculisque notant & mente ſagaci.

Et ita ſaepe *notare* apud Petronium & alios. *notat* & mox *movet* plurimi ſcripti & editi priores. & certe *quam velit*, id videtur poſtulare. BURMAN.

110. *Multa movent.*] Conjecerat olim Heinſius, *vovent.* ut infr. 327.

Multa

In gradibus ſedit populus de ceſpite factis;
Quâlibet hirſutas fronde tegente comas.
Reſpiciunt, oculisque notant ſibi quisque puellam,
Quam velit: & tacito pectore multa movent.
Dumque, rudem praebente modum tibicine Thuſco,
Ludius aequatam ter pede pulſat humum;
In medio plauſu (plauſus tunc arte carebat)
Rex populo praedae ſigna petenda dedit.
Protinus exſiliunt, animum clamore fatentes,
Virginibus cupidas injiciuntque manus.
Ut fugiunt aquilas, timidiſſima turba, columbae,
Utque fugit viſos agna novella lupos;
Sic illae timuere viros ſine more ruentes.
Conſtitit in nullâ, qui fuit ante, color.

Nam

Multa vove, ſed cuncta palam.

111. *Praebente modos.*] Margo Berſmanni, *praeeunte.* quod elegans. ut ita ſacerdotes, *praeire preces*, jusjurandum & ſimilia dicuntur. appoſite Gell. I. cap. 11. *Ecce autem tibiae quoque illius concionatoriae in mentem venit, quam C. Graccho, cum populo agenti, praeiſſe ac praemonſtraſſe modulos ferunt.* BURMANNUS.

112. *Lydius aequatam.*] *Ludius* Scaliger & Politianus. nec aliter pro diverſa lectione in Moreti libro. *Ludii* iidem qui hiſtriones. de quibus cum alii jam abunde ex profeſſo egerint, quod addam non habeo. Ad rem tamen facit Livii locus lib. VII. cap. 11. *Ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motus more Thuſco dabant.* Optimus Regius, *Ludis* à manu primâ, ſed emendatum poſtea, *Lydius.* Varro apud Nonium, *Ludios* vult eſſe dictos, quod ludis pueri praeſules eſſent glabri ac depiles, propter aetatem, atque huc trahendum illud Plautinum Aululariae:

Tu iſtum gallum, ſi ſapis, glabriorem
Reddes mihi quam vulſus ludiu'ſt. HEINSIUS.

Vid. Salmaſ. ad Hiſtoriae Auguſtae multa loca, praecipuè ad Vopiſc. Carin. cap. XIX. qui *Lydius* ſcribendum eſſe contendit. vid. & Herald. ad Arnob. lib. IV. pag. 178. Sanctii Minerv. lib. IV. cap. 6. Taubm. ad Plaut. Curc. I. II. 63. BURMANNUS.

113. *In medio plauſu.*] *Plauſus* unus Heinſii. ſic variant codices, *in medio campo*, vel *campi.* vid. lib. VII. Metam. 790. & III. Faſt. 219. *medio orbe*, vel *orbis* x Metam. 167. vid. & VI. Metam. 325. ſic *medio diei* dixit Livius XXXVII. 29. IDEM.

113. *Plauſus tunc arte carebat.*] Reſpicit ad ſua tempora, quibus varia plauſuum genera, quae condiſcebantur, erant in uſu. vid. Caſaub. ad Sueton. Neron. cap. XX. *carebant* quatuor ſcripti, cum Francofurtenſi. IDEM.

114. *Signa petenda dedit.*] An hoc Latine dicatur vehementer dubito: debuiſſet, *petendae praedae* dicere. quare, ſi codex ullus addiceret, libenter legerem, *ſigna repente dedit.* vel, *Rex, populo praedae ſigna petente, dedit.* BURMANNUS.

117. *Ut fugiunt aquilas timidiſſima turba.*] *Aquilam* unus Vaticanus. *trepidiſſima* alter. utrumque confirmat locus lib. I. Metam. 506.

Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae.

Sed & *timidae columbae* infr. lib. II. 363. IDEM.

118. *Utque fugit viſos.*] *Ut fugit viſos* Regius & Bodlejanus. in quinque aliis, *ut fugit inviſos.* ſed nulla opus mutatione. Pont. II. Eleg. VII.

Saepe canem longe viſum fugit agna, lupumque
Credit: & ipſa ſuam neſcia vitat opem. HEINS.

Utque fugit rapidos unus Patavinus.

119. *Sine lege.*] *Sine more* Schefferi codex. & *furentes* Oxonienſis & duo alii. Virgil. V. Aeneid. 694.

Tempeſtas ſine more furit.

Minucius Felix cap. XXV. in hac ipſa hiſtoria: *Mox alienas virgines jam deſponſatas, jam deſtinatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas ſine more rapuit, violavit, illuſit.* quae Elmenhorſtius recte ex illo Virgilii VIII. 635.

Raptas ſine more Sabinas.

illuſtravit. ubi male alii, *de more.* vide Serv. & Pier. idem lib. VII. 377. *Sine more furit.* & alibi. Claudian. II. in Eutr. 45. *Tum vates ſine more rapi.* & 437. *Sine more ruentes*, imitatione noſtri manifeſta. vid. Gruter. ad Senec. III. de Ira cap. 2. & Barth. ad Stat. XI. Theb. 524. & ita dicunt, *nullo more.* Flor. IV. 6. *Nullo more Triumviratus invaditur.* ubi male Salmaſius, *nullo bono more.* Stat. VII. Theb. 135. *Ignotaque nullo More rapit.* nam ut dicebant, *contra bonos mores*, ita & *contra mores* dixit Propert. II. XXIII. 100. BURMANNUS.

120. *Conſtitit in nullâ.*] Vaticanus, *conſtitit & nulli*,

Nam timor unus erat; facies non una timoris.
Pars laniat crines: pars ſine mente ſedet:
Altera moeſta ſilet; fruſtra vocat altera matrem:
Haec queritur; ſtupet haec: haec manet; illa fugit.
Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae:
Et potuit multas ipſe decere pudor.
Si qua repugnârat nimium, comitemque negârat;
Sublatam cupido vir tulit ipſe ſinu.
Atque ita, Quid teneros lacrimis corrumpis ocellos?
Quod matri pater eſt, hoc tibi, dixit, ero.
Romule, militibus ſciſti dare commoda ſolus.
Haec mihi ſi dederis commoda, miles ero.
Scilicet ex illo ſollemnia more theatra
Nunc quoque formoſis inſidioſa manent.

Nec

nulli, etiam bene. Livius xxxix. 34. *Adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei conſtiterit.* Propert. iv. viii. 43.

Sed neque ſuppletis conſtabat flamma lucernis.

Burmannus.

122. *Pars laniat.*] *Laniant* Vaticanus unus cum codice Patritii Junii. & tum *ſedent* lege. Heins.

122. *Sine mente ſedet.*] *Ruit* Regius & Moreti. & *ruere* eſt proprie temere & ſine mente ferri. ſed praeceſſit *ruentes*, niſi ibi *furentes* malumus. *jacet* Bernenſis, Junii & tres alii. *manet* unus.

124. *Haec fugit, illa manet.*] *Haec manet, illa fugit* ſcripti fere omnes. Heinsius.

125. *Genialis praeda.*] Merula explicat generandis liberis parata. & adducit *geniales toros* ex Virgilii vi. 603. ſed ibi ſunt, quibus genio indulgetur; licet Servius dictos velit, quia ſternuntur puellis nubentibus, dicti a generandis liberis. ſed male. a Genio, cui ſacri, dicti illi lecti. Criſpinus, *cupidiſſime ad indulgendum genio expedita.* quis vero hic in tanta perturbatione & raptu locus *geniali turbae?* certe *genitalis praeda* ab Ovidio ſcriptum quovis contenderem pignore. ita *Dii Genitales* (de quibus abunde ad Horatii Carmen Seculare Bentlejus egit) ex quibus reliqui Dii creati ſunt. vide & de hac voce Lambin. ad Lucretii lib. i. vii. ita *genitalia corpora* Noſter vocat elementa lib. xv. Metam. 239 *genitalia foedera* Auſonius Epigr. lxxi. & Noſter paſſim hac voce utitur. Columella iii. 6. *Ut ex his partibus trunci ſumantur, quae & genitales ſunt, & maxime fertiles.* in uno codice MS. erat Gloſſa adjecta, *apta ad generandum.* qualem vidiſſe Merulam credo. ſed & hoc ipſum eſt *genitalis*; minime vero *genialis. genialis turba* hîc duo libri. Burmannus.

126. *Ipſe decere pudor.*] In nonnullis rectius fortaſſe, *timor*, non *pudor*. Naugerius. Vetuſtiores, *timor*. Heinsius. Adſcripſerat Douza, huc facere exemplum ex Curtii lib. iii. 2. *Inter quas unam rex ipſe conſpexit moeſtiorem quam ceteras, & producentibus eam verecunde reluctantem. Excellens erat forma, & formam pudor honeſtabat.* ibique notat verbum *producere*, unde *productores* & *adductores*, pro conciliatoribus & ſequeſtris ſtupri. ut Noſter iii. Amor. 12.

Duce me productus amator.

Et Tibull. i. vii. 65.

Haec mihi te adducit tenebris.

Pudori autem hic non tam aptus locus, quam *timori*, quae vocabula paſſim confuderunt librarii; ut Epiſt. xvii. 259. ubi vid. *& poterat* etiam Junianus. Burmannus.

127. *Si qua repugnabat nimium, comitemque negabat.*] *Repugnarat* & *negarat:* melioris notae libri. ſed, *comitem negarat* non placet, ut *ſe* ſubintelligatur. Nimirum huic loco accidit, quod aliis multis, ut repetitio ejusdem vocis neglecta à ſupinis librariis cauſam errori dederit. Lege:

Si qua repugnarat nimium, nimiumque negarat.

Plures hujusmodi errores deteximus à librariis commiſſos Notis ad Epiſt. vi. ỳſ. 29. Heinsius. Douza Tibulli locum ex lib. iii. Eleg. vi. 10. adſcripſerat:

Neve neget quisquam me duce ſe comitem.

128. *Ipſe ſinu.*] Heinſius conjecerat, *inde.*

131. *Dare commoda.*] *Munera* multi etiam ex optimis. alii, *praemia.* ſed fruſtra: proprie in re militari *commoda*, quae ſupra ſtipendium militibus emeritis adjiciebantur, ut ſaepe Suetonius & alii. Burmannus.

135. *Nec te nobilium, &c.*] Nonnulla, quae hic praecepta ponit, invenies in Elegia ii. lib. iii. Amor. *Non ego nobilium.* Ciofanus.

138. *Per nutus.*] *Per nictus* unus Vaticanus, de quo agemus ad iii. Metam. 460.

139. *Proximus à dominâ.*] *Ad dominam* multi

ex

Nec te nobilium fugiat certamen equorum:
Multa capax populi commoda Circus habet.
Nil opus eſt digitis, per quos arcana loquaris:
Nec tibi per nutus accipienda nota eſt.
Proximus à dominâ, nullo prohibente, ſedeto:
Junge tuum lateri, quàm potes, usque latus:
Et bene, quod cogit, ſi nolit, linea jungi;
Quod tibi tangenda eſt lege puella loci.
Hîc tibi quaeratur ſocii ſermonis origo:
Et moveant primos publica verba ſonos.
Cujus equi veniant, facito, ſtudioſe, requiras.
Nec mora; quisquis erit, cui favet illa, fave.
At cum pompa frequens coeleſtibus ibit eburnis?
Tu Veneri dominae plaude favente manu.

Utque

ex ſcriptis. Forte, *Proximus at dominam.* ut apud Ciceronem lib. I. Epiſt. IX. ad Atticum, *Proximus Pompejum ſedebam.* HEINSIUS. Non diſplicet Heinſii conjectura. Gratius Cyneg. ℣ſ. 96.

Deus ille an proxima divos
Mens fuit.

Vid. Gronov. ad Livii libr. VIII. cap. 32. Quinct. VIII. 6. *Sublimitas, quae audaci & proxima periculum translatione tolluntur*, ut ibi legendum cenſuimus. ſic etiam apud Tacitum lib. XV. Annal. 15. recte viri docti repoſuerunt, *proximus quisque regem vi equorum perrumpere.* apud Obſequentem quoque cap. CXIX. rectius legitur, *proxime Pompejum in caſtris ſedenti accipiter ſuper caput acceſſit.* nam & ita conſtrui ſolere docuit idem Gronovius ad Liv. I. 21. & II. 41. & imitatio Ciceroniana eſt manifeſta. & eodem modo veteres *prope* conſtruxiſſe docet Manutius ad Salluſtii Catil. cap. XI. *à dominâ* autem deberet capi pro *poſt dominam*, quod menti noſtri Poëtae non tam apte convenire videtur, quia latus vult eſſe lateri junctum, & mox, *poſt vos quicumque ſedebit. a* vero *poſt* notat. ſic Remed. 404.

A prima proxima ſegnis erit.

Et Juvenal. X. Sat. 126.

Volveris a prima quae proxima.

Vid. ad II. Faſt. 685. & ad Epiſt. V. 152. & alibi. quamvis & pro juxta intelligi poſſet. BURMANNUS.

140. *Quam potes.*] Scripti majori ex parte, *qua.* ſed nihil mutandum. vide quae noto ad lib. III. ℣ſ. 262. HEINSIUS.

141. *Et bene, quod cogit, ſi nolit linea jungi.*] *Si nolis* caſtigatiores libri. quamquam *ſi nolit* ad Puellam referri debere videatur. Amor. lib. III. El. II.

Quid fruſtra refugis? cogit nos linea jungi.
Haec ex lege loci commoda Circus habet.

Hinc apparet infra v. 497. ſcribendum eſſe:

Nec ſine te curvo ſedeat ſpatioſa theatro,
Idque cum melioribus libris. HEINSIUS. Graevius Praef. ad tom. IX. Theſ. Ant. legebat, *ſi nolit.* de *linea* ſatis egimus ad lib. III. Amor. 2.

141. *Linea jungi.*] Per lineam funiculum aut ſimile aliquid intelligo, quo ſedilia alia ab aliis in circo diſtincta fuere. non ſedendi longum ordinem, ut Commentator. ſed de hac re etiam in libris Amorum tractavimus. MICYLLUS.

142. *Qua tibi tangenda eſt.*] *Quod* Regius, & unus Palatinus, ut referantur haec ad *Tò Et bene.* Oxonienſis, *Quid.* primus Vaticanus, *Quo.* proxime verum. HEINSIUS. *Jungenda eſt* Bernenſis. ut II. Triſt. 284.

Hic ſedet ignoto juncta puella viro.
Sed praeceſſit, *junge.*

143. *Hic tibi quaeratur.*] *Hinc* Palatinus. non male: ab ipſa illa lege loci, quae cogit te tangere puellam, oriatur ſermo; quo excuſes te premere nimis anguſte ſedentem. eleganter autem *quaerere ſermonem*, de illis, qui occaſionem colloquendi captant, ut Terent. Eunuch. Act. III. Sc. 3. quem *arceſſitum ſermonem* vocat Petronius cap. CXXXIX. vide ad ejusdem cap. XXXVII. BURMANNUS.

144. *Publica verba.*] Vid. ad III. Am. VII. 12.

145. *Studioſe.*] Tanquam huic vel illi factioni faveas. vid. ad III. Amor. 2.

147. *At cum pompa frequens certantibus ibit ephebis.*] De ea pompa intellige, quae ipſum certamen praeibat, in qua deorum imagines per circum & circa metam geſtabantur. de qua idem Ovidius meminit in Amoribus, lib. III. Eleg. 2. circa verſum: *Sed jam pompa venit, linguis animisque favete, &c.* quo loco in eandem ut hic ſententiam, de Venere meminit, cum inquit:

Nos tibi blanda Venus, puerique potentibus armis
Plaudimus, incoeptis annue diva meis, &c.

MICYLLUS. Notat Gruterus in Comeliniano MS. reperiſſe ſe, *coeleſtibus ibit eburnis.* cum gloſſa,

Utque fit, in gremium pulvis si forte puellae
Deciderit, digitis excutiendus erit.
Et, si nullus erit pulvis, tamen excute nullum.
Quaelibet officio causſa sit apta tuo.
Pallia si terrae nimium demiſſa jacebunt;
Collige, & immundâ ſedulus effer humo.
Protinus officii pretium, patiente puella,
Contingent oculis crura videnda tuis.
Reſpice praeterea, poſt vos quicumque ſedebit,
Ne premat oppoſito mollia terga genu.

Parva

De Deis eburneis intelligendum. DAN. HEINSIUS. *Caeleſtibus eburnis* Jureti liber & fragmentum Oxonienſe. quomodo & Comelini codex pro diverſa lectione. optime. idque ipſum quoque Grutero arriſiſſe ex notis ad Thyeſten Senecae vers. 701. poſtea cognovi. Vide de hac Deorum pompa per Circum ferri ſolita ipſum Ovidium copioſe agentem Amor. lib. III. Elegia II. quibus totus hic locus mire illuſtratur. HEINSIUS. Inſignis hujus loci eſt varietas in ſcriptis. *citantibus ephebis* Bernenſis unus. *cantantibus* Ambroſianus. *plaudentibus* Moreti. *gaudentibus* alius, *currentibus* alius. quae omnes lectiones explicari poſſent. nec videtur facile *Epheborum* vox librariis imperitis in mentem veniſſe, contra *eburnos coeleſtes* facilius ſupponere potuiſſe mihi videntur. ſi quis vero diligenter legat Dionyſ. Halic. lib. VII. cap. LXXII. ubi totam pompae faciem, & πρόσωπους primo ordine inceſſiſſe, &c. videat, ille non facile vulgatam lectionem repudiandam eſſe cenſebit. certabant vero illi, id eſt, unusquisque pro ſe ſedulo, id quod erat agendum, ut ſaltare, cantare &c. agebat. ut Epiced. Druſi 207.

Certat onus lecti generoſa ſubire juventus.

Et alibi. BURMANNUS.

151. *Excutiendus erit.*] Hoc officium inter characteres τῆς κολακείας etiam Theophraſtus numerat. ubi vide Caſaub. pag. 122. & uſos fuiſſe veteres periculo, & caudis bubulis ad excutiendas ſordes docet Scaliger ad Moretum pag. 162. perperam autem hic quidam codices, *diſcutiendus*, vel, *rejiciendus*. vid. ſupr. ad lib. I. Amor. VIII. 45. IDEM.

153. *Terrae nimium demiſſa.*] *Terra dimiſſa* Regius & Oxonienſis cum aliis nonnullis. monui Amor. III. Eleg. II. ỹſ. 25. HEINSIUS.

154. *In munda ſedulus effer humo.*] *Immunda humo* bene libri veteres. nonnulli, *auſer*. IDEM.

155. *Protinus officii pretium.*] *Officio* Regius, Oxonienſis, & unus ex meis, quo vir optimus Angelus Aproſius Intimelius me donavit. HEINS. Ego ſequor lectionem editorum olim & plurimorum ſcriptorum, qui *officii pretium* habent. vide ad II. Amor. VI. 31. *praeſtante puella* etiam Ambroſianus. *contigerint* quoque mox Bernenſis & quinque ſcripti. *crura nitenda* unus Mentelii. unde Heinſius conjiciebat olim, *notanda*; ut ſupr. v. 109. BURMANNUS.

160. *Pulvinum facili compoſuiſſe manu.*] Scaliger ſcribebat, *ſuppoſuiſſe*.

Pulvinum facili ſuppoſuiſſe manu. DAN. HEINS. *Pulvinar* multi ex ſcriptis. ſed male. quamquam & hac ſignificatione apud Apulejum Met. VII. me legiſſe meminerim. Pulvinaria enim proprie in ſacris locum habent. Epiſtola XIX. 198.

Collaque pulvino noſtra ferenda dedi.

Ubi pro *cervicali*, *pulvinum* ponitur, quomodo & apud Graecos πρόσκεφάλαια, geminum uſum praeſtant, tam ſedentibus, quam decumbentibus inſervientia. ceterum pulvinorum uſum in theatralibus ſpectaculis tam inter viros, quam foeminas fuiſſe etiam ex Theophraſti characteribus diſcimus. qui hujusmodi officium, quale hoc loco tangit Naſo, inter adulatoria & ſervilia obſequia recenſet. Appoſite is ergo περὶ Κολακείας. Καὶ τοῦ παιδὸς ἐκ τῷ θεάτρῳ ἀφελόμενος τὰ προσκεφάλαια αὐτὸς ὑποστρῶσαι. HEINSIUS. *Suppoſuiſſe* etiam tredecim libri & duo Bernenſes. ſed *compoſuiſſe* minime mutandum. Juſtin. lib. XX cap. 2. *Litatis hoſtiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant, haud ſecus laeti, quam ſi Deos ipſos ſecum avecturi eſſent, pulvinaria eis in navi componunt.* eſt enim *componere* decenti & eleganti ordine diſponere. vide quae notavimus ad Petronii cap. LXVII. & ad I. Metam. 32. *pulvinar* vero etiam in privata ſupellectile dici docet Petron. cap. CXXXIV. *Obſcuratum dextra caput ſuper pulvinar inclinavi.* vid. Lipſ. ad Senec. de Ira. cap. 37. ubi itidem variant codices. pro *facili* vero *manu* Voſſii codex, *molli*. ſed perperam: eſt enim idem quod habili, apta, agili, alacri, & artifici. Propert. II. I. 10.

Miramur faciles ut premat arte manus.

Tibul. I. I. 8.

Et facili grandia poma manu.

Apulej. lib. VIII. Met. *Nec non tamen ipſam quoque beſtiam facili manu tranſadigit.* ſic II. Am. XVI. 30.

Corpore

Parva leves capiunt animos. fuit utile multis,
Pulvinum facili composuisse manu.
Profuit & tenui ventum movisse tabellâ;
Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.
Hos aditus Circusque novo praebebit amori,
Sparsaque sollicito tristis arena foro.
Illâ saepe puer Veneris pugnavit arenâ:
Et qui spectavit vulnera, vulnus habet.
Dum loquitur, tangitque manum, poscitque libellum;
Et quaerit, posito pignore, vincat uter;

Saucius

Corpore nos facili dulce feremus onus.
Et Martial. Spect. 23.
Ille tulit geminos facili cervice juvencos.
Vid. Passerat. ad Propert. lib. II. Eleg. I. pag. 245. glossa est ergo τὸ *molli. mollem manum*, *articulum*, ut & *levem manum*, *leve brachium* explicuimus ad Quinct. IV. Inst. 4. & 12. sed in statuario opere & similibus artificiis *facilis* & *mollis* idem notant. vide Virgil. Eclog. III. ỷs. 38. & 45. BURMANNUS.

161. *Profuit & tenues ventos.*] Melius Palatinus, *Profuit & ventos tenui movisse flabello.* DAN. HEINS. *Tenui ventos*, scripti plerique. Regius tamen & Oxoniensis, *tenui vento movisse tabellam.* optime. Intimelii codex, *ventos movisse tabello.* in uno Vaticano, *tenui ventum movisse tabella.* quod maxime placet. neque aliter Arondelianus. In Farnesiano, *scabella.* duo alii, *flagello.* Amorum lib. III. Eleg. II.

Vis tamen interea tenues arcessere ventos,
Quos faciat nostrâ mota tabella manu.

Ita & illo loco vetustiores libri, ut Salmasius in suis quoque invenerat. quod testatur ad Pallium Tertulliani. apud Propertium lib. IV. Eleg. IX. 49. Hercules de se:

Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta tabella fuit.

Ita scribo. vulgo inepte legitur, *apta puella fui.* Miror, ut qui maxime, nihil nec magno Scaligero, nec ipsi Salmasio de mendo Propertiani hujus loci suboluisse. scriptum fuerat antiquitus, *apta vella* pro *tavella*, cum posteriorem in *apta* syllabam neglexisset geminare librarius. *vella* pro *bella* in vetustis codicibus est frequentissimum. sic de umbraculis non dissimile prorsus est, quod mox libro secundo vers. 209. dicturus est Noster, ubi etiam servilem operam puellis esse praestandam innuit ab amatore:

Ipse tene distenta suis umbracula virgis.
Ipse face in turba, qua venit illa, locum.

Et Fast. II. 311. de eodem Hercule:

Aurea pellebant rapidos umbracula soles,
Quae tamen Herculeae sustinuere manus.

Flabellum Latine dici haud ignoro, cum Terentius ac Martialis ea voce sint usi, sed primam ejus vocis syllabam non posse corripi habeo persuasum. Producunt certe Propertius, & Martialis. Fiebant autem flabella ex tabulis tenuioribus, unde & tabellae dictae. Graecis haec tabella ῥίπις & ῥιπίδιον, ἀπὸ ῥιπίζω *ventilo.* Puto pari modo corrigendum esse carmen de Mensibus, quod in Catalectis Pithoeanis extat:

Augustum penitus torret Phaëtontius ardor:
Quem recreant fessum, gillo, fabilla, melo.

Ita enim legitur posterior versus in codice longe vetustissimo, quem Petrus Scriverius mihi aliquando utendum dedit. Nec in diversum abit alter, qui penes multae eruditionis virum Isaacum Vossium extat. in quo *gillo*, *faula.* Eliae Vineti codex, *gillo*, *saula.* Scripserat auctor, nisi fallor, *gillo tabella.* unde *tavella*, & mox *taula*, *saula*, *faula* factum. Nisi *flabella* ab eo relictum fuisse credimus, non habita metri ratione. Esse enim carmen posteriorum temporum vox *gello* abunde evincit, cum *gellonem* Isidorus in Glossis *baucalem* interpretetur, vas nempe vitreum. de quo videndus Scaliger ad illa Propertii lib. IV. VIII. 37. *Vitrique aestiva supellex. Aestivo te prolue vitro* apud Auctorem Copae. nam quod idem Scaliger *facilla* pro *fabella* agnoscit in illo carmine, non persuadet, nec probo. aliter tamen *gillonem*, seu *gellonem* interpretantur Glossae optimae MSS. in quibus, *Aquale*, *gello*, ποδόκοιλον. de *gellone* vide Onomasticon Rosweidi ad vitas patrum. HEINSIUS.

167. *Tangitque manum, poscitque libellum.*] Haec Merula de sortilegiis & divinationibus, quae in circo fieri solebant, explicat. & eum secutus est egregius ille Crispinus Interpretum Regiorum Coryphaeus; admodum imperite. hae enim vacuo circo ibi celebrabantur. vide Horat. I. Sat. VI. 113. sed sequentia evincunt apertissime agi de sponsione, utrum vinceret, Prasinus an Venetus, &c. Juvenal. Sat. XI. 199.

Spectent juvenes, quos clamor & audax
Sponsio, quos cultae decet adsedisse puellae.

Ubi vide interpretes, & qui de Circo scripserunt hoc plenissime illustrantes. Recte vero Douza ad-

 notavit,

Saucius ingemuit, telumque volatile ſenſit:
Et pars ſpectati muneris ipſe fuit.
Quid? modo cum belli navalis imagine Caeſar
Perſidas induxit Cecropidasque rates?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellae
Venêre: atque ingens orbis in Urbe fuit.
Quis non invênit, turbâ quod amaret in illâ?
Eheu, quàm multos advena torſit Amor!
Ecce parat Caeſar domito, quod defuit, orbi
Addere. nunc, Oriens ultime, noſter eris.
Parthe, dabis poenas: Craſſi gaudete ſepulti,
Signaque barbaricas non bene paſſa manus.

Ultor

notavit, ſolere manus tangi inter concertationes, quibus ſponſiones ratae eſſe indicantur. ut & in aliis actibus, quibus fides interponebatur. ita Terent. Heaut. III. 1. *cedo dextram.* ſic *dextram tangere* Virgil. VII. 266. in foedere faciendo & ita paſſim. quare male *tangitque manu* quidam ſcripti & editi, quod aliam ſententiam efficeret. *poſcit libellum* explico ſponſionis chirographum, quo formula ſponſionis ſcripto conſignabatur, ut ex eo agi deinde poſſet. idem eſt infr. 428. *litera poſcetur.* BURMANNUS.

170. *Et pars ſpectati vulneris ipſe fuit.*] Regius & Oxonienſis cum Excerptis Scaligeri ac Puteani, *ſpectati muneris.* egregie, ut jam monui ad Claudianum, lib. II. in Rufin. ỳſ. 396. intelligit enim munus gladiatorium. ſic *ſpectare munus* Martiali IV. 2.

Spectabat modo ſolus inter omnes,
Nigris munus Horatius lacernis.

Spectare munera Apulejus quoque dixit Florid. I. occurrit ea vox hac ſignificatione frequenter apud Apulejum eundem. lib. IV. Met. ubi Democharis apparatum Theatralem deſcribit. & lib. X. ubi Thyaſi impenſas recenſet ſimiles. apud Manilium lib. IV. 225.

Nunc caput in mortem vendunt & munus arenae.

Sic enim ſcribo: perperam *funus* circumfertur. Cur autem *munera* dicta, cauſam adfert Servius lib. III. Aeneid. 66. *Apud veteres etiam homines interficiebantur, ſed mortuo Junio Bruto cum multae gentes ad ejus funus captivos miſiſſent, nepos illius eos, qui miſſi erant, inter ſe compoſuit, & ſic pugnaverunt: & quod muneri miſſi erant, inde munus appellatum.* Quanquam munus vocatum, quicquid ſpectaculi aut in theatris aut in circis exhiberetur. *Circi munus* dixit Noſter lib. V. Faſtorum 190. HEINSIUS.

172. *Perſidas indixit Cecropiaſque rates.*] *Cecropidaſque* lege cum prima editione & multis ſcriptis. Schedae Oxonienſes, *Cecropetaſque.* ſic *Dardanides rates* ex veteri libro, & *Argolides puppes* Remediis Amoris. & *Paraetonides rates* lib. infra III. & *Dardanides pinus* lib. I. Faſt. & *Haemonides aquae* ex veteri libro Faſt. II. *Biſtonides aquae* Triſt. I. Eleg. IX. itidem ex veteri codice. *Pegaſides undae* Triſt. III. Eleg. VII. quod male mutant libri veteres. Plura à me hujus generis obſervata ad Epiſt. IX. ỳſ. 73. IDEM.

173. *Ab utroque mari.*] Orientali & Occidentali explicat Merula, ut ſaepe Poetae. vid. Paſſer. ad Prop. III. IX. pag. 461. Criſpinus de ſupero & infero capit, meliores interpretes ſecutus. vel ſi latius extendere placet, ab interno ſive Mediterraneo, & Oceano poſſet intelligi. ſed priorem interpretationem praefero.

176. *Eheu quam multa.*] *Heu mihi quam* Bernenſis unus. *Hei mihi* Editio prima & novem ſcripti.

177. *Ecce parat Caeſar, domito quod defuit orbi, &c.*] De Cajo magis, quàm de Tiberio intelligendum hoc loco & ſequentibus videtur: propterea quòd Tiberius, Lucio & Cajo jam mortuis, in Caeſarum familiam adoptatus demum fuit: ut per id tempus, quando ipſe in Armeniam profectus eſt, id quod longè ante mortem Caji & Lucii factum eſt, *Caeſar* dici nondum potuerit. Deinde, quòd & puerum vocat: quo nomine immeritò, ut puto, Tiberius vocaretur, qui jam ſupra viginti aetatis annos impleverat, cum expeditio Syriaca ſuſciperetur. Porrò eodem anno, ut quidam tradidere, natus fuit Tiberius, quo ipſe Ovidius: aut uno tantum poſteriore, autore Suetonio. Poſtremò & illud repugnat, quo minus de Tiberio hunc locum accipiamus, quod ſequitur: *Cum tibi ſint fratres, &c.* Neque enim fratrem aliquem, praeterquam unum Druſum, habuit Tiberius, qui in Germanis periit. At Cajus Lucium & Agrippam habuit: de quibus Merula in Commentariis. Accedit huc & Senecae authoritas, qui principem juventutis Cajum vocat, quod idem

&

Ultor adeſt; primisque ducem profitetur in armis:
Bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales, timidi, numerare Deorum:
Caeſaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium coeleſte ſuis velocius annis
Surgit; & ignavae fert male damna morae.
Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
Preſſit: & in cunis jam Jove dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuiſti,
Cum timuit thyrſos India victa tuos!
Auſpiciis animisque patris, puer, arma movebis:
Et vinces animis auſpiciisque patris.

Tale

& Poëta hic facit: fratremque Lucium in apparatu Parthici belli dicit amiſiſſe: quod ipſum quoque nobiſcum conſentit. vide Commentaria. MYCILL. Vid. Cl. Maſſonii vitam Ovidii ad A. U. C. DCCLII. §. 3. & Noriſ. ad Cenotaph. Piſana Diſſ. II. pag. 187. & ſeqq.

179. *Craſſi gaudete ſepulti.*] Videndum an veritati conveniat, & an non Craſſi, a Parthis caeſi, ſepulchro caruerint. certe Valer. Max. I. VI. II. *Corpus imperatoris inter promiſcuas cadaverum ſtrues, avium ferarumque laniatibus objectum.* Senec. II. Contr. IX. *Tu Craſſe, qui nunc apud Parthos eges ſepulchro quoque.* & ita *umbra inulta errare* dicitur Lucan. I. II. quod inſepultorum eſt. niſi ergo capiamus, illos a Parthis abjectos, nunc metu belli, a Caeſare parati, ſepulturae fingi tradendos, collectis eorum reliquiis, non video qua ratione Ovidius defendi poſſet. nihil tamen variant codices, niſi quod in Lincolnienſi eſt, *ſepulchra*, quod eodem redit. forte, *Craſſi gaudete bis ulti.* ut primum a Ventidio, qui clades intulit Parthis, nunc ab Auguſto vindictam ſumtam indicet. & ita recte ſubdit, *ultor adeſt. ultus* vero paſſive dici docuit Heinſius ad VII. Met. 3. & ſupr. Epiſt. VIII. 120.

Quod ſe ſub tumulo fortiter ulta jacent.

Qui locus etiam huc facere poteſt: ſed & vulgatam hac ſpecie defendas, ſi *ſepultos* Craſſos, & *ſepulchra* Craſſorum capias, pro quocumque modo reliquiis abjectis in loco, ubi caeſi fuerunt. quomodo & Propertius lib. IV. Eleg. 6. *buſta* eorum vocat, quae non legitima intelligenda. haec enim nunc demum conſequentur, expiata per Caeſarem illa clade; & ita manibus placatis. BURM.

181. *Primisque ducem profitetur in annis.*] *Armis* ſex libri. nam *annis* mox ỳſ. 185. ſequitur. ſic lib. VIII. Metam. 313.

—— *Et primis etiamnum Neſtor in armis.*

Ut quidem illic complures membranae ex melioribus. Silius lib. V. 580.

Nec minus Herminium primis obtruncat in armis.

Intelligenda autem haec de Cajo Caeſare Agrippae filio, qui ab Auguſto adoptatus expeditionem Parthicam ſuſcepit. Rem narrant Dio & Paterculus. Adi Notas lib. VIII. Met. ỳſ. 313. HEINSIUS. *Ab annis* Francof. cum duobus aliis & editione una veteri. *ab armis* unus codex. confuſa vero *arma* & *annos* vid. ad Epiſt. I. 105. *victor adeſt* etiam Bernenſis & quinque alii. BURMANNUS.

183. *Parcite natales.*] Magiſtrum exquiſitae adulationis habuit Naſo Ciceronem Philipp. V. cap. 17. *C. Caeſar ineunte aetate docuit, ab excellenti eximiaque virtute progreſſum aetatis exſpectari non oportere.* & quae ibi plura. ſed uterque gratiam non ſatis dignam ab Auguſto retulerunt. Ovidius vero, dum Cajo adulatur, ipſi etiam Auguſto blanditur & univerſae ejus familiae, addens:

Caeſaribus virtus contigit ante diem.

Ad maturam ejus virtutem militarem, quam bello jam Mutinenſi, & ſequentibus prodidit, adludens. ſimile de Parthenopaeo, ſed cui cruda & feſtina virtus exitio fuit, Statius lib. IX. Th. 718.

Scilicet anguſtum, jamdudum urgentibus annis,
Maenalium tibi parve nemus. &c.

Numerare vero *annos*, eleganter dictum. Silius lib. XV. 137.

Et numerat favor anxius annos.

BURMANNUS.

187. *Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues Preſſit.*] Sic legendum ex lib. Vaticano, & ratione. Vide quae notavi in Epiſt. ad Herculem. CIOFANUS.

189. *Quantus tum, Bacche.*] Haec eſt vera lectio ex eodem libro. IDEM.

191. *Auſpiciis animisque patris puer arma movebis, Et vinces animis, auſpiciisque patris.*] Quidam legunt, *animis.* magis placet *Annis* legi, quibus moderandum eſſe puerile ingenium vult Poëta, aut in puerili aetate ſperandam eſſe victoriam. MERULA. Iidem lib. verè, *animis*: Eſt autem Apoſtrophe ad Germanicum, vel potius ad Tiberium;

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes;
Nunc juvenum princeps, deinde future ſenum.
Cum tibi ſint fratres; fratres ulciſcere laeſos:
Cumque pater tibi ſit; jura tuere patris.
Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque:
Hoſtis ab invito regna parente rapit.
Tu pia tela feres, ſceleratas ille ſagittas:
Stabunt pro ſignis jusque piumque tuis.
Vincuntur cauſsâ Parthi; vincantur & armis.
Eöas Latio dux meus addat opes.
Marsque pater, Caeſarque pater, date numen eunti.
Nam Deus è vobis alter es, alter eris.
Auguror en; vinces: votivaque carmina reddam:
Et magno nobis ore ſonandus eris.
Conſiſtes; aciemque meis hortabere verbis.
O deſint animis ne mea verba tuis!
Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam;
Telaque, ab averſo quae jacit hoſtis equo.

Qui

rium; qui adoptione erat Auguſti filius. Vide quae notavi in Scholiis in lib. I. Faſt. quae jam edita ſunt. Crofanus. Ita caſtigatiores libri. ante perperam, *annis* in utroque verſu legebatur. Heinsius.

194. *Nunc juvenum princeps.*] Haec egregie illuſtrat vir Eminentiſſimus Noriſius ad Cenot. Piſana pag. 107.

197. *Induit.*] Ita recte. perperam editiones quaedam Venetae, Aldi & Berſmanni, *praebuit.* vid. ad Epiſt. VIII. 50. mox, *hoſtis ab invicto* plurimi libri. *Ha puer invicto regna parente tulit* Bernenſis. *Capit* duo libri.

200. *Stabit.*] Placet cum uno Vaticano legi, *Stabunt.* Heinsius.

202. *Latio.*] Conjecerat olim Heinſius, *Latiis.* ut Epiſt. III.

Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?

202. *Dux meus.*] *Dux novus* Ambroſian. ut ita *novi Dei* dicuntur. vid. Epiſt. XVI. 332. *meus* autem & *novus* confundi ſolent. vid. Epiſt. VII. 11. Burmannus.

203. *Date numen.*] Alios legere, *lumen*, notavit Douza.

204. *Eſt Deus in vobis alter, & alter erit.*] In Aldinis legitur: *Nam Deus è vobis alter es, alter eris.* Intelligit autem Martem & Auguſtum, de quibus praecedenti verſu mentio fit: quorum alter, hoc eſt Mars, jam Deus erat: alter autem, Auguſtus ſcilicet, futurus erat. Id quod ex eo colligebat Poëta, quòd etiam tum vivo divini honores decernebantur. Non autem de Cajo Tiberiove intelligendum: quorum neutri, neque vivo, neque mortuo, divini honores conſtituti fuere. Micyllus.

207. *Conſiſtes.*] In acie accinctus praelio. vid. ad Petron. 19. & ſupr. Epiſt. XXI. 117. male Merula, *in concione ſtabis. conſiſtes & quemque* Excerpta Voſſiana. *etiamque meis* duo alii. *aciesque* quinque. *tuis verbis* etiam tres. Burmannus.

208. *O deſint.*] *Fac deſint* unus Vaticanus. Heinsius.

211. *Quid fugis ut vincas? quid victos, Parthe, relinquis?*] Itane? ut victos Ovidius Romanos appellarit, ob exercitum Craſſi à Parthis deletum? abſit omen. Indignum ſane id fuerit majeſtate nominis Romani. Quid ergo? Libri ſex, *quid victo, Parthe, relinquis?* Nec aliter fragmentum Bodlejanum, niſi quod *relinques* in eo. Arondelianus:

Quod fugis ut vincas, quid te victo parte relinques?

Scribe meo periculo:

Qui fugis ut vincas, quid victo, Parthe, relinques?

Hoc eſt, quid tibi ipſi victo relinques. Quid aliud victus facias? In Vintimeliano certe codice, *Que fugis.* ita apud Martialem lib. X. Epiſt. 10.

Quid nobis Paulle relinquis? Heinsius.

213. *Ergo erit illa.*] Ita Stat. III. Silv. II. 127.

Ergo erit illa dies, qua te majora daturus
Caeſar ab emerito jubeat diſcedere bello.

Non tamen invenuſtum, quod habet codex Regius, *Quando erit illa dies.* quod vehemens deſiderium exprimit. ut Epiſt. XIII. 117.

Quando erit, ut lecto mecum bene junctus in uno.

Sed retineo vulgatam, qua ſe certum jam Poëta

&c

Qui fugis, ut vincas, quid victo, Parthe, relinquis?
Parthe, malum jam nunc Mars tuus omen habet.
Ergo erit illa dies, quâ tu, pulcherrime rerum,
Quattuor in niveis aureus ibis equis?
Ibunt ante duces, onerati colla catenis;
Ne possint tuti, quâ prius, esse fugâ.
Spectabunt laeti juvenes, mixtaeque puellae:
Diffundetque animos omnibus ista dies.
Atque aliqua ex illis cum Regum nomina quaeret,
Quae loca, qui montes, quaeve ferantur aquae;
Omnia responde: nec tantum si qua rogabit;
Et quae nescieris, ut bene nota refer.
Hic est Euphrates, praecinctus arundine frontem:
Cui coma dependet caerula, Tigris erit.
Hos facito Armenios: haec est Danaëia Persis:
Urbs in Achaemeniis vallibus ista fuit.
Ille, vel ille, duces. & erunt, quae nomina dicas:
Si poteris, verè: si minus, apta tamen.

Dant

& divinum ostendit. similis locutio, *jamque erit illa dies.* de qua ad lib. III. Metam. 519. *pulcherrime regum* Bernensis & unus Heinsii. male. sic & IV. Epist. 125. & alibi. BURMANNUS.

214. *Aureus ibis equis.*] Vide quae notamus in Scholiis in libros Tristium. CIOFANUS. *Candidus* Mentelii liber. nihil muto. I. Amor. II. 42.

Ibis in auratis aureus ipse rotis.

Notandum vero hic *ire in equis* poni pro curru vehi, cum aliter pro equitare sumi soleat. lib. V. Trist. VII. 14.

Per medias in equis itque reditque vias.

Ire equis dixit Noster Epist. I. 46. sic *venire in equis* Florus lib. IV. cap. 2. *Super equos ire* Justin. XLI. 3. Qui & *plaustro ire* dixit lib. XI. cap. 7. Livius lib. XXVIII. 9. *Itaque iret alter consul sublimis curru, multijugis, si vellet, equis.* Sophocles Oedip. Colon. 303. similiter: Γύναιχ' ὁρῶ

Στειχούσαν ἔσσον ἡμῶν, ἀιτναίας ἔπι
Πῶλον Εεβῶσαν.

Ubi de curru agitur. *In equis* autem dictum pro *cum equis*, ut *in hastis*, *in jaculo* & similia a viris doctis satis superque animadversa. BURMANNUS.

217. *Mixtaeque puellae.*] *Laetaeque puellae* Palatinus. *pariterque* tres. *nuptaeque* Vaticanus, *timidaeque* unus.

218. *Illa dies.*] *Ista* meliores omnes, & superiori versu, *laeti juvenes.* & sequenti, *cum regum nomina quaeret.* HEINSIUS. *Una dies* duo libri.

224. *Dependet.*] *Respondet* Commelinianus. unde *resplendet* faciebat Heinsius. ceterum Glossator aliquis in codice uno adscripserat: *Euphratem arundine praecinctum frontem, id est extremitatem riparum. Tigridi comam dependere propter arbores, quae sunt circa ripam. Arundine crinem* Bernensis.

225. *Hos fac Armenios.*] Regius, *facis* cum duobus aliis, totidem cum fragmento Bodlejano, *facit.* Scribe, *Hos facito Armenios.* Simile mendum tollendum ex Ponticorum lib. I. Eleg. III.

Non petis ut bene sit, sed uti male tutius.

Ubi Vaticanus unus, *petit.* alius, *pete quod.* cum vera lectio sit:

Non petito ut bene sit, sed uti male tutius.

Et lib. II. Metamorph. 131. fabula Phaëthontis:

——*Polumque*
Effugit Australem.

Cum *Effugito* sit refingendum. Remed. Amor. 333.

——*Exige quod cantet.*

Vetustissimi libri, *Exige ut.* pro, *Exigito ut.* Epist. IV. sub finem:

Perlegis, & lacrymas finge videre meas.

Pro, *perlegito.* HEINSIUS. Sed & *facis* retineri potest, ut mox *est*, & *fuit.*

225. *Danaëia Persis.*] *Danaëia* legendum est, a Danaë deducto possessivo. sic enim & versus postulat. vocat autem Persidem sive Persiam Danaëiam, eo quod Perses filius Persei & Andromedae, is a quo Persis nomen factum, nepos Danaës fuerit. MICYLLUS. *Danaëia* legendum. CIOFANUS. Ita multi Persarum nomen deducunt a Perse Andromedae & Persei filio. vide viros doctos ad Stephanum de Urbibus in *Persis.* sed omnes falli, & a vocabulo, quod eorum lingua *equum* notat, (unde & in nostrum *Paerdt* venit)

Dant etiam positis aditum convivia mensis:
Est aliquid, praeter vina, quod inde petas.
Saepe illic positi teneris adducta lacertis
Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.
Vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas,
Permanet, & capto stat gravis ille loco.
Ille quidem pennas velociter excutit udas:
Sed tamen & spargi pectus amore nocet.
Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
Cura fugit multo diluiturque mero.

Tunc

dictos; eosdemque & Parthos esse, viri eruditi diu demonstrarunt. *Danaëia proles* in margine Bersmanni. BURMANNUS.

226. *In Achaemeniis.*] *Achaemenia*, inquit Stephanus, *pars est Persiae*, *ab Achaemene filio Aegei* (sive *Persei* potius legendum) *appellata.* hinc *Achaemenius*, *a*, *um.* MICYLLUS.

229. *Dant etiam positis.*] Quin recte, *positae mensae* dicantur nullum dubium. sed quia mox sequitur iterum, *positi Bacchi.* hic mallem aliud verbum: forte, *sociis mensis.* ut ita *socius torus*, *lectus*, *socii penates* & similia passim apud Nostrum. ita *socia mensa* Claudian. Conf. Olybr. 253. Stat. Theb. VIII. 240. *sociae dapes* Nostro II. Fast. 618. BURMANNUS.

231. *Saepe illic positis.*] Lege, *positi*, cum codice Regio. & intellige, *Bacchi*, quod sequitur. infra hoc libro 567.

Ergo ubi contigerint positi tibi munera Bacchi.

Lib. III. Artis 350.

Et moveat posito brachia jussa mero.

Epist. XIX. 14.

Diluitur posito serior hora mero.

Epist. XVI. 217.

Hostibus eveniant convivia talia nostris;
Experior posito qualia saepe mero.

Libro VI. Metam. 488. fabula Philomelae:

Regales epulae mensis, & Bacchus in auro
Ponitur.

Fastorum lib. II. 739.

Ecce nurum regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.

Lib. III. ỳs. 301.

Plenaque adorati Dîs ponit pocula Bacchi.

Sic emendo. cum hactenus legatur, *disponit.* eodem libro 537.

Et ducunt posito duras cratere choreas.

Lib. V. 531.

Nunc dape, nunc posito mensae nituêre Lyaeo.

Amor. lib. I. IV. 8.

——*Posito quod candida vino*
Atracis ambiguos traxit in arma viros.

Lib. II. Eleg. XI.

Illic appositio narrabis multa Lyaeo.

Propertius lib. II. Eleg. III.

Quantum quod posito formose saltat Iaccho!

In Copa, quam Maroni perperam tribuunt: *Pone merum & talos.* quomodo *ponere forum* Manilio dici de foro aleatorio, observat Gronovius de Pecunia Veter. lib. IV. cap. III. & hinc intelligendus Horatius lib. I. Epist. XVIII. III.

Sed satis est orare Jovem, qui ponit & aufert.

Sic enim plerique libri veteres. quod miror praeteritum a Lambino & Torrentio. sed exemplorum jam satis est. sic & *posita mensa* & *appositia* passim, ut paulo ante Noster. HEINSIUS. *Ponere vinum* etiam Petronius dixit cap. XXXIV. vid. & ad cap. XX. sed si *positi* hic scribendum, interpretarer, accumbentis & vino indulgentis. ut *cubitum ponere* apud Petron. XXVII. ita XIII. Metam. 638.

Positique taperibus altis.

Petron. XXXII. *Positusque inter cervicalia minutissima.* & CI. *Giton super pectus meum positus.* exemplo ergo Bacchi positi & accumbentis, cujus cornua Amor pressit, utitur, ut mox Cupidinis mentionem injicit. In Heinsii interpretatione Bacchus pro ipso vino esset capiendus, quod vix quadrat. *positus* si cum quibusdam editis, & Palatino codice legeretur, ad Amorem esset referendum accumbentem. ita pro jacentibus IV. Epist. 98. *positi.* BURMANNUS.

234. *Et capto stat gravis ille loco.*] Libri veteres, *coepto*, vel *cepto.* sic Calpurnius Eclog. IV. 146.

——*Sit tibi coeli*
Vilis amor, coeptamque pater ne desere terram.

In Catalectis Pithoei:

Occidit infelix coepto modo flore juventae.

Sic *coeptum carmen* Lucanus initio Panegyrici ad Pisonem. *coeptus furor* Seneca Hercule furente, & *coepta verba* Hippolyto. *iter coeptum annus peragit* Nostro Fast. lib. I. & lib. IV. *coeptum perficere opus.* atque his similia plura, quae passim occurrunt. nisi quis *certo loco* malit. ut lib. III. 530. *certo ponite quemque loco.* HEINS. In exemplis ab Heinsio adductis nullum video, unde *coeptus locus* adstruatur: & facile alias res *coeptas* dici patior; sed *locum*

Tunc veniunt risus; tunc pauper cornua sumit:
Tunc dolor & curae, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes, aevo rarissima nostro,
Simplicitas; artes excutiente Deo.
Illic saepe animos juvenum rapuere puellae:
Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.
Hic tu fallaci nimium ne crede lucernae.
Judicio formae noxque merumque nocent.
Luce deas coeloque Paris spectavit aperto;
Cum dixit Veneri, Vincis utramque, Venus.

Nocte

eum captum a Nasone dictum vere & eleganter arbitror: est enim locutio a re militari desumta. ubi *locum capere* dicitur Imperator, qui aptum, sive aciei, sive castris eligit. Livius lib. XXXIV. 14. *Media nocte cum auspicio operam dedisset, profectus ut locum quem vellet, priusquam hostes sentirent, caperet.* lib. XXXV. 14. de Pyrrho dicit, *neminem elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse.* & cap. 28. *Erat Philopoemenes praecipuae in ducendo agmine, locisque capiendis solertiae atque usus.* Justinus lib. XXXI. 5. *Aliis bellis plurimum momenti habere priorem aliquem cepisse occasionem loci, temporisque.* Suetonius Aug. cap. XCIV. *Apud Mundam castris locum capiens.* Dict. Cretens. lib. II. cap. 46. *Duces, ut quisque locum ceperat, cedere singulos.* Virgil. II. Georg. 230.

Ante locum capies oculis.

Sic & in sacris *captus locus*, legitime ad sacrificandum constitutus dicebatur, teste Festo. & hoc *eligere locum* Cicer. X. ad Fam. 23. dixit. sic in ipsa acie Flor. IV. 1. *Quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima, corpore tegebat.* ita *captam semel sedem tenuit* dixit Livius VII. cap. 26. & huic convenit verbum *stare*, cujus usus in eadem re, & *stare loco* dicitur miles, qui locum captum tuetur, ut contra *cedere* & *moveri loco*, cum retro dat terga. vid. Serv. ad Virg. VII. Aeneid. 333. *gravis* vero, ut miles statarius & gravis armaturae; licet enim videatur levior esse Cupido, stat tamen loco capto. sic etiam in alia re, *locum capere*; ut Scaliger in antiquo lapide apud Gruterum CCCXLVI. 6. L. S. M. C. explicat *locum sibi monumento cepit.* multo rectius quam Ursatus, qui *locum sui monumenti curavit*, vel *constituit*, inde effingit in monum. Patavinis pag. 44. sic *sidera infixa ac cohaerentia, perpetua semelque capta sede collucere* dicit Quinctil. Decl. IV. si haec intellexisset Crispinus. ille, *captum locum* non interpretatus esset, *obsessum*, Calepino scilicet suo usus. BURMANNUS.

236. *Sed tamen & spargi.*] Melius in Palatino, *Sed tamen aspergi pectus amore nocet.* DAN. HEINS. An vero *nocet?* cur ergo Naso artem noxiam doces? immo vero puto; *pectus amore docet.* ille quidem vini vim velociter excutere potest; sed docet tamen amorem penetrare in pectus. ideoque amatoribus quaerenda convivia sunt, ubi cum Baccho Cupido etiam dominatur. *solet* est in uno Heinsii, etiam non male. vid. ad lib. III. Amor. X. ult. de *sed tamen &*. vid. ad Epist. III. 4. BURM.

240. *Dolor & curae.*] Suspectus locus, quia mox praecessit, *cura*: sed nihil juvant scripti codices. nisi quod pro *dolor, pavor.* in uno Regio, in altero & Bodlejano, *color.* in Commeliniano, *tunc etiam curae.* forte, *tunc dolor & poenae*, nam *poena* & *cura* passim confunduntur in scriptis libris. IDEM.

242. *Artes.*] Glossa scripti codicis, *dolos.* recte. *Excutiente mero* Junii codex.

244. *Venus in venis.*] Aldina editio habet, *Et Venus in vinis*, a vino, facie plurali. Neque adeo insolens nomen est, nam & in Fastis idem Poëta eodem casu plurali usus est. lib. VI. 675. ut:

Nox erat, & vinis oculique animique natabant.

Atque etiam illud quod sequitur, *ignis in igne* scilicet, hanc lectionem postulare videtur. cum enim posterior clausula prioris epexegesis quaedam sit, *vinum* & *ignis* propius inter se convenient, quam *vena & ignis.* MICYLLUS. *Et Venus in vinis* vera lectio. ne dubita. Epistola XVI. 229.

Saepe mero volui flammam compescere, at illa
Crevit: & ebrietas ignis in igne fuit.

Claudianus de Bello Gildon. 182.

Ut vino calefacta Venus, tum saevior ardet
Luxuries.

Hinc natum apud Graecos proverbium πῦρ ἐπὶ πῦρ, de quo Zenobius & Apostolius videndi. Perperam alii, *Venus in venis.* Callimachus apud Athenaeum lib. II.

Οἶνος μὲν πυρὶ ἶσον ἔσχει μένος.

Posset & legi:

Ut Venus in vinis, ignis in igne subit.

Ut infra, *blanda tum subit arte Venus.* HEINSIUS.

245. *Hic tu fallaci.*] Illustrat exemplis. CIOFANUS unus Palatinus, *Ne tu fallaci nimium te crede Lucernae.* vid. lib. II. Art. V. 143.

246. *Nocet.*] *Nocent* meliores. HEINSIUS.

248. *Utram-*

Nocte latent mendae, vitioque ignoscitur omni:
Horaque formosam quamlibet illa facit.
Consule de gemmis, de tinctâ murice lanâ;
Consule de facie corporibusque diem.
Quid tibi femineos coetus, venatibus aptos,
Enumerem? numero cedet arena meo.
Quid referam Bajas, praetextaque litora velis,
Et, quae de calido sulfure fumat, aquam?
Hinc aliquis vulnus referens in pectore, dixit;
Non haec (ut fama est) unda salubris erat.
Ecce suburbanae templum nemorale Dianae,
Partaque per gladios regna nocente manu.
Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit;
Multa dedit populo vulnera, multa dabit.

Hacte-

248. *Utramque Venus.*] *Utramque Deam* Intimelii & Commelini liber. Heinsius.

249. *Mendae.*] Hoc versu utuntur antiqui Grammatici, ut doceant differentiam *mendae* & *mendi.* vid. Charis. pag. 55. Eutych. pag. 21. 74. & Incertum pag. 2791. Burmannus.

253. *Quid tibi foemineos coetus venatibus aptos.*] Non loquitur hic Poëta de sylvis, & venantibus mulieribus, ut Merula putat, locumque Juvenalis ineptè allegat: sed, Quid, inquit, enumerem tibi coetus & congregationes mulierum omnes, in quibus, aut ubi liceat eas aptè ac commodè venari? hoc est, circumspicere atque eligere quas ames: plures enim sunt, quàm ut numerari possint, &c. Estque haec velut transitio quaedam. Nam ut hactenus enumeravit loca intra urbem, ubi puellae congregari solent: ita deinceps ea, quibus extra urbem idem fieri solet, recenset: ceu sunt Bajae, nemus Aricinum, & similia. Micyl.

254. *Cedet.*] *Cedat* Moreti. *Cedit* plurimi.

255. *Praetextaque littora velis.*] *Bais* fragmentum Oxonienſe. Puto, *Baulis. Bauli* enim *Bajis* vicini, & quidem in ipso littore. Vide Cluverii Italiam. utrumque locum conjunxit quoque Martialis, lib. iv. 63.

Dum petit à Baulis mater Cerellia Bajas,
Occidit insani crimine mersa freti.

Potest & ferri, *praetexta Bajis littora*, ut totum illum tractum littoralem designet, qui à Puteolis Misenum usque promontorium incurvus tenditur, ac sinuosus. Sed & *praetexta velis littora* ita intelligi possunt, ut apud Virgil. lib. vi. *littora curvae Praetexunt puppes.* Lucan. lib. x. 537. *Densae praetexunt litora classes.* & intellige de lintribus, quae in sinu Bajano frequentissimae. ut ex Propertio & Martiale fit manifestum. Fast. iv. 953.

——— *Praetextaque quercu*
Stet domus.

v. 567.

Spectat & Augusto praetextum nomine templum.

Praetextaque littora villis Gronovius etiam eleganter conjiciebat. cui conjecturae illustrandae facit locus Statianus Sylvarum lib. iv. Silv. iv. 6.

Lydia qua penitus stagnum navale coërcet
Ripa, suburbanisque vadum praetexitur hortis.

Bajanae villae apud scriptores antiquos frequentissime laudantur ob amoenitatem tractus illius. Martial. iv. 25.

Aemula Bajanis Altini littora villis.

Et passim apud eundem. sequenti versu multi libri, *manat aquam.* Trist. iii. ii. 20. *De verna quam nive manat aqua.* & i. Amor. 7.

Qualiter abjecta de nive manat aqua.

Heinsius.

256. *Fumat.*] Vossianus & quatuordecim alii, *manat. aqua* etiam nonnulli.

260. *Partaque per gladios regna nocente manu.*] Hunc locum non satis explicat Interpres. nam Poëta historiam & morem tangit, quo sacerdotes apud Ariciam alii aliis succedebant. Non enim ingenui hoc munus obibant, sed servi, iidemque fugitivi. Qui singulari certamine inter sese dimicantes, cum victoria etiam sacerdotium adipiscebantur: semperque victor idem, & successor alterius erat. Quem morem Pausanias in Corinthiacis, etiamnum suis temporibus durasse scribit. Per regnum ergo sacerdotium intellige. nam & ipse sacerdos rex nemoralis, à nemore Scil. Aricino, ubi templum deae erat, vocabatur. Micyllus.

263. *Retia tendas.*] Vera lectio. Ciofanus. *Ponas* scripti meliores. nisi quod in Oxonienſi, *pones. tendi retia* usitatum optimis auctoribus non ignoro. sed & alterum elegans, pro quo librorum pugnat auctoritas. idque eo magis arridet, quod *plagas tendere* paulo post sequatur. dixi supra vſ. 45. sequenti versu, *imparibus rotis*, non *modis* reponendum

Hactenus, unde legas quod amas, ubi retia ponas,
Praecipit imparibus vecta Thalia rotis.
Nunc tibi, quae placuit, quas sit capienda per artes,
Dicere praecipuae molior artis opus.
Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes;
Pollicitisque favens, vulgus, adeste meis.
Prima tuae menti veniat fiducia, cunctas
Posse capi; capies: tu modo tende plagas.
Vere prius volucres taceant, aestate cicadae;
Maenalius lepori det sua terga canis:
Femina quam juveni, blandè tentata, repugnet.
Haec quoque, quam poteris credere nolle, volet.
Utque viro furtiva Venus, sic grata puellae.
Vir male dissimulat: tectius illa cupit.

Conve-

nendum ex eorundem codicum auctoritate. Ponticorum lib. III. Eleg. IV. 86.

Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.

Atque ita legendum jam vidit Zinzerlingius in Promulside Critica, qui adeundus cap. XVIII. Jureti codex, *notis.* proxime verum. HEINSIUS.

264. *Praecipit.*] Vir non indoctus in Histor. Critica Reipub. Literar. tom. XII. 137. per Ironiam Clerici ineptias perstringens, hic Nasonem sibi contraria tradere initio hujus Artis 25. finxerat, utque nodum illum solveret, quaestionem animi gratia posuerat. Clerici vero sui partes agens Rosellius quidam, in eadem Histor. Critic. tom. XIV. pag. 157. putat se hunc nodum Gordium facile solvisse, si Thalia hic imparibus vecta rotis pro ipso genere carminis, hexametris & pentametris constante, capiatur. Quis neget ita capi posse? nec Anonymus, credo, hunc nodum acerrimo scilicet Critico Clerico ponens, multo aliter sensisse, sed stupori Clericano illudere voluisse videtur, qui Poëtarum formas loquendi ad Philosophicas enuntiationes exigere solet. Certum tamen est, ipsam Thaliam, sive Musam, quae carmini Elegiaco praeest, Poëtae dictasse carmina illa imparia, quibus ipse usu edoctus artem amandi tradat: distinguenda ergo carmina ab ipsa arte, hanc usu habet, illa a Musa magistra, & ita Thalia suis versibus etiam recte dicitur *praecipere.* sed quid in re levi moramur? non intellexit bonus ille Rosellius ironiam. BURMANNUS.

267. *Quisquis ubique viri.*] Videtur legendum, *Quotquot ubique viri*, vel, *Quicquid ubique virûm.* HEINSIUS. Nihil muta. passim enim *quisquis*, & *quisque*, cum plurali conjunguntur. vid. supr. ℣. 109. & Gronov. ad Liv. VII. 19. & non verba tantum, sed nomina plurali numero adjungi solent. sic Sueton. Aug. LX. *Reges amici & socii & singuli, in suo quisque regno Caesareas urbes condiderunt.* LXVI. *Reliqui potentia atque opibus ad finem vitae suae quisque ordinis principes floruerunt.* Insolentius Salust. Jug. XVIII. *Amisso duce, ac passim multis sibi quisque imperium petentibus.* Dict. Cret. II. 14. *Chryses utriusque exercitus offensam metuens, quisquis partium ad eum venerant, cum his se adjunctum esse simulabat.* ita antiquae editiones, recentiores *venerat.* idem cap. XXIII. *Quum se quisque minus idoneum auctorem crederent.* ita codex, quem vidit Heinsius. vulgo, *crederet.* eadem ratio in illa locutione, *gentes ubi quaeque.* de qua vide ad III. Amor. X. 5. BURMANNUS.

267. *Dociles advertite mentes.*] E bonis libris ita legendum, & mox, *adeste meis.* CIOFANUS. *Faciles* antiquae editiones, usque ad Aldinam, & ita unus Heinsii. eadem varietas supr. I. Amor. XIV. 13. *Faciles* sunt credulae. ut Fast. II. 45. *O nimium faciles.* vid. ad Valer. Flacc. I. 151. apud quem & lib. V. 25.

Quin & facili sibi mente receptum
Jam Phrixum dolet.

Apud Claudian. II. in Eutron. 340.

Saltandi dociles, aurigandique periti.

In MSS. *faciles* etiam reperitur. *adesto* multi scripti & editi. BURMANNUS.

268. *Veniat fiducia, cunctas.*] *Fiducia formae* Regius & Oxonienses. Lego, *formâ posse capi*; puellas tua forma capi posse. idem Oxonienses, *capias* sequenti versu. HEINSIUS.

273. *Tentata repugnet.*] *Captata* Vaticanus unus, infra 403.

Nec teneras semper tutum captare puellas.

Epistola XX. 43.

Sit dubium possisne capi, captabere certe.

Lib. II. 346. *Quam tu dum captas.* Nihil tamen temere hîc mutandum. HEINSIUS. *Tentata* praestat, & blanditiis melius convenit. Horatius III. Od. 7.

Conveniat maribus, nè quam nos ante rogemus;
Femina jam partes victa rogantis agat.
Mollibus in pratis admugit femina tauro:
Femina cornipedi ſemper adhinnit equo.
Fortior in nobis, nec tam furioſa libido.
Legitimum finem flamma virilis habet.
Byblida quid referam, vetito quae fratris amore
Arſit; & eſt laqueo fortiter ulta nefas?
Myrrha patrem, ſed non quò filia debet, amavit:
Et nunc obducto cortice preſſa latet.
Illius & lacrimis, quas arbore fundit odorâ,
Unguimur; & dominae nomina gutta tenet.

Forte

Et miſeram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

Sic *tentator Dianae Orion* eidem lib. III. Od. IV. Tibul. lib. I. Eleg. III. ỷſ. 73.

Illic Junonem tentare Ixionis auſi,
Verſatur celeri noxia membra rota.

Ubi videndus Gebhardus, qui docet eodem ſenſu Graecos πειρᾷν & πειράζειν uti. & Broukhuſius adeundus. Noſter infr. 365.

Tunc quoque tentanda eſt, cum pellice laeſa dolebit.

Et centies alibi. eadem varietas XIV. Metam. 37. *captare* vero aliud quid notare, quam *tentare* putem. *captat puellam* qui obſervat, inſidiatur ejus pudicitiae. *Tentat*, qui de ſtupro ſollicitat & appellat. ita VI. Faſt. 339.

At ruber hortorum cuſtos Nymphasque, Deasque
Captat, & errantes fertque refertque pedes.

Id eſt obſervat. ita & illa Epiſt. XX. 43. cape:

Sit dubium poſſiſne capi, captabere certe.

BURMANNUS.

275. *Furtiva Venus.*] Tibul. I. 9. *Nota Venus furtiva mihi.*

276. *Tectius illa cupit.*] Turbant codices, qui, *rectius*, *tutius*, *fortius* habent. ſed omnes fruſtra. Tibul. lib. IV. Eleg. 5.

Optat idem juvenis quod nos, ſed tectius optat,
Nam pudet haec illum dicere verba palam.

Ubi etiam *tutius* quidam libri. ſententia vero eſt ab Euripide accepta, qui Androm. V. 219.

Αἰσχρόν γε καὶ τοι χείρον' ἀρσένων νόσον
Ταύτην νομοῦμεν, ἀλλὰ προὔςημεν καλῶς.

BURMANNUS.

277. *Conveniat maribus.*] Explicat Merula, *ſi mares concordes ſint.* ut ſit ellipſis τοῦ *ſi.* vid. ad I. Amor. IV. 29. de verbo *convenire*, ad Remed. 473.

278. *Rogantis aget.*] *Agat* meliores libri. *blanda rogansque cogat*, pro *blanda rogantis agat* Oxonienſis. HEINSIUS.

281. *Parcior in nobis.*] Sic in veteribus & recte. ſed & *fortior* legi poteſt. ut in Epiſt. XIX. 6.

Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.

Et in Metam. VII. 7.

Et jam fortis erat, pulſusque reſederat ardor.

NAUGERIUS. *Parcior* melius legitur, quam *fortior*. CIOFANUS. *Fortior* primae editiones, & Intimelianus codex pro diverſa lectione. eleganter. quomodo & Naugerius conjiciebat. qui propterea reprehendi ab Andrea Querneo in libello Egregiorum cap. XV. non debuit, nec ad rem facit, quod ex ſequentibus producit de Byblide, *eſt laqueo fortiter ulta nefas. Fortior* etiam in margine Gryphianae legitur editionis. *Fortis* enim Ovidio pro eo, qui moderatur adfectibus, ſaepe ponitur. Remed. Am. 463.

Fortius è multis mater deſiderat unum,
Quam quae flens clamat, Tu mihi ſolus eras.

Ita enim illic legit optimus liber Regius. Paulo ante dixerat:

Hortor & ut pariter binas habeatis amicas.
Fortior eſt, plures ſi quis habere poteſt.

Lib. II. 553. ut & illic ſcribendum puto:

——— *Fortior ille eſt,*
Quo veniant alii conciliante viro.

Lib. VII. Metam. Fabula Medeae 76.

Et jam fortis erat, fractusque reſederat ardor.

Pont. lib. I. Eleg. IV.

Sic ego mente jacens & acerbo ſaucius ictu,
Admonitu coepi fortior eſſe tuo.

Epiſtola XIX. 5.

Urimur igne pari, ſed ſum tibi viribus impar;
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.

Auctor Elegiae in obitum Druſi II.

Scilicet exiguo percuſſa es fulminis ictu,
Fortior ut poſſis cladibus eſſe tuis.

Et mox 156.

Omnia jam metuo. fortior ante fui.

Plura vide Notis ad Remed. Amor. ỷſ. 463. aliud eſt.

Forte ſub umbroſis nemoroſae vallibus Idae
Candidus, armenti gloria, taurus erat;
Signatus tenui media inter cornua nigro.
Una fuit labes; cetera lactis erant.
Illum Gnoſiadesque Cydoneaeque juvencae
Optarunt tergo ſuſtinuiſſe ſuo.
Paſiphaë fieri gaudebat adultera tauri:
Invida formoſas oderat illa boves.
Nota cano. non hoc, centum quae ſuſtinet urbes,
Quamvis ſit mendax, Creta negare poteſt.
Ipſa novas frondes, & prata tenerrima, tauro
Fertur inadſuetâ ſubſecuiſſe manu.

eſt apud Juvenalem de Criſpino Sat. IV. 3. *Solaque libidine fortis.* HEINSIUS.

282. *Legitimum finem.*] *Legitimam* Mentelii liber. adi notas ad Amor. lib. II. Eleg. XII. Propertius lib. I. Eleg. XVI. *Nullane finis erit.* Virgilius lib. II. 554. *Haec finis Priami fatorum.* lib. III. 145. *Quam feſſis finem rebus dabis?* & lib. V. ſ. 327. *ſub ipſam finem.* & v. 384. *quae finis ſtandi.* quomodo illis locis Grammatici veteres & praeſtantiores membranae agnoſcunt. Noſter in Ibide 312.

Quam finem vitae Sardanapalus habet.

Ita optimus codex. apud Livium lib. IV. Decad. primae, *Finem ergo non fieri, nec futuram,* in optimis membranis legi teſtatur Fiërius Valerianus. HEINSIUS. Varro lib. IV. de L. L. pag. 8. *Quae radices egerit extra fines ſuas perſequemur.* vid. Lambin. ad Lucret. I. 108.

284. *Arſit, & eſt laqueo fortiter ulta nefas.*] Hanc fabulam tractat idem Poëta lib. IX. Metam. Sed vide diverſitatem traditionum: illic delicuiſſe in fontem dicit, hic laqueo finiſſe vitam Bybliden. Quae varietas à Graecis ſumpta, apud quos Tragici, ut cujusque argumento commodiſſima, hoc aut illud affingunt. Quod eò hic addo, ne nimis curioſi atque anxii ſimus, ſi quando eandem fabulam aliter atque aliter traditam viderimus. MICYLLUS. Expoſui hunc locum in obſervationibus ad IX. Metam. 663. CIOFANUS.

285. *Non ut.*] *Quo* meliores. HEINSIUS. *Qua* margo Gryph. & Berſm. neſcio an melius, ut dictum ſit quomodo, *qua poſſum.* vid. ad Epiſt. XIII. 41. & infr. 745.

286. *Obducto cortice.*] *Abducto* tres libri. Commelinianus cum uno Palatino, *adducto.* placet. *conducto cortice* dixit libro IV. Metam. 375. *conductus dies* pro brevi & contracto apud Solinum cap. XXII. *Brumali ſolſtitio dies adeo conductus, ut ortus junctus ſit occaſui.* HEINSIUS.

287. *Illius lacrymis.*] *Illius &* ſcripti nonnulli. haud male. *Illius* è Oxonienſis. Puto, *Illis & lacrymis, quas arbore fundit odora, Ungimur.* HEINS.

287. *Quas arbore fundit odora.*] Ita omnino rectius. CIOFANUS.

291. *Tenui media inter cornua nigro.*] Alii, *tenui virga.* unus Vaticanus, *gyro.* Sed nil mutandum. *nigro*, ut *albo* apud Virgilium lib. III. Georg. 56.

Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo,
Aut juga detrectans.

Noſter Metam. III. 221.

Et nigram medio frontem diſtinctus ab albo
Harpalos.

Ubi plura. *purpureas* tamen *virgas* dixit III. Art. 269. HEINSIUS.

293. *Gnoſiades, Cydoniadeſque.*] Ex duabus Cretae urbibus. CIOFANUS. Mire variant hic libri. meliores tamen, *Gnoſiades Cydoneaeque.* quod ſequendum duxi. niſi quod, *Gnoſiadesque* lego vel invitis ſcriptis. cum prior in *Cydon* ſyllaba corripiatur ab antiquis ſcriptoribus. apud Maronem tamen *Cydon* nomen viri productum exſtat. HEINS. *Cydoneas pharetras*, dixit Noſter VIII. Metam. 22. Statius ſaepe, ut lib. IV. 269. VII. 339. Silius II. 109. X. 260.

295. *Paſiphaë fieri &c.*] Apud Atilium Fortunatianum Arte Grammatica legitur:

Paſiphaë niveo gaudebat adultera tauro.

Quomodo & apud Maronem Eclog. VI.

Paſiphaën nivei ſolatur amore juvenci.

Et apud Auſonium Cupidine crucifixo.

Paſiphaë nivei ſequitur veſtigia tauri. HEINSIUS. In Aproſiano erat:

Paſiphaë fieri gaudebat adultera tauro.

Sic X. Met. 347. *adultera patri*, quidam codices. & *pellex ſorori.* Ibide 537. & VI. Met. 535. & alibi. BURMANNUS.

296. *Invida formoſas.*] *Formoſos* Commelin. *deformes* Bernenſis unus.

299. *Ipſa novas frondes & prata tenerrima.*] *Per prata* libri nonnulli. ſed male. frondes & herbas

It comes armentis; nec ituram cura moratur
Conjugis: & Minos à bove victus erat.
Quò tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere vestes?
Iste tuus nullas sentit adulter opes.
Quid tibi cum speculo montana armena petenti?
Quid toties positas fingis, inepta, comas?
Crede tamen speculo, quod te negat esse juvencam.
Quam cuperes fronti cornua nata tuae!
Sive placet Minos; nullus quaeratur adulter;
Sive virum mavis fallere, falle viro.
In nemus & saltus thalamo regina relicto
Fertur, ut Aönio concita Baccha Deo.
Ah quoties vaccam vultu spectavit iniquo,
Et dixit, Domino cur placet ista meo!
Adspice, ut ante ipsum teneris exsultet in herbis:
Nec dubito, quin se stulta decere putet.

Dixit;

sic quoque conjunxit lib. I. Metam. 632. de Iö:

Frondibus arboreis & amarâ pascitur herbâ.

Eleganter autem *prata tenerrima.* similiter fere *pubentes herbas* Virgil. III. Georg. 126. ubi vulgo male *pendentes.* & apud Pomp. Melam lib. I. cap. XIII. *pubentes luci*, ubi tamen *pendentes* MSS. *teneras* quoque *herbas* dixit Varro lib. II. de Re Rust. de agnis adhuc lactentibus: *Diebus post paucis abjicere bis viciam molitam, aut herbam teneram, antequam exeunt pastum, & cum reverterunt.* HEINS. *Tenera* hic idem quod nova & recens nata significat. sic *tenerum gramen* Horat. IV. Od. 12. Virg. I. Georg. 112.

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Ovidius II. Met. 850.

Mixtusque juvencis
Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis.

III. Fast. 711.

Postera cum teneras aurora refecerit herbas.

Ita et mox v. 315. & *tenerae coronae.* v. Fast. 261. *teneri rami.* II. Met. 359. BURMANNUS.

301. *It comes.*] Francof. & duo alii, *fit*; non male: nam & ita Propert. III. XV. 20.

Excluſis fit comes ipsa Venus:

Sed nihil muto. inf. lib. III. 17.

Et quae comes isse marito.

X. Met. 173.

Non per juga montis iniquè
Isse comes.

II. Amor. 16.

Aut juvenum comites jussissent ire puellas.

BURMANNUS.

302. *Et Minos.*] Francius malebat, *ut.*

303. *Quid tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere vestes?*] Omnino scribendum, vel contra libros, *Quo tibi?* eleganter enim id cum infinitivo jungitur. Certe in codice Regio, *Quod tibi.* sic apud Persium Sat. I. *Quo didicisse.* ubi veterrimus codex Puteaneorum fratrum, *quod* similiter scriptum exhibebat lib. III. Amor. El. VIII.

Quo tibi turritis incingere moenibus urbes?
Quo fera discordes addere in arma manus?

Ut recte meliores libri. Horatius lib. I. Sat. VI.

——— *Quo tibi Tulli*
Sumere depositum clavum, fierique tribuno.

Noster Fastor. lib. V. 591. ex vestigiis veteris libri:

Quo tibi nunc solitas mitti post terga sagittas?

Pont. lib. I. El. V. ex antiquis itidem libris:

Quo mihi diversum famâ contendere in orbem?

Similiter dicebant, *Quo tibi, si contendas.* eadem elegia, ut ex vestigiis veterum librorum est legendum:

Quo tibi, si calidâ positus laudere Syene? HEINS. Vid. ad Epist. IV. 157.

304. *Ille tuus.*] *Iste* Oxonienſis recte. vid. ad I. Amor. 8. 57.

313. *Spectavit.*] *Speculatur* Patavinus unus.

315. *Exultat.*] *Exultet* meliora exemplaria. & mox, *quin se stulta decere putet*, non *placere.* ita in Metam. IV. 312.

Et quid se deceat spectatas consulit undas.

Remedio Amorum 410.

Et nihil est quod se dedecuisse putent.

Codex tamen Regius & Oxonienſis, *quin est ulta decere.* Forte, *quin & stulta decere putet.* HEINS.

318. *Sub juga curva trahi.*] *Juga panda* prima editio cum quatuor scriptis. quae vox in deliciis est Nostro. Epistola VI. 10.

Isse sacros Marti sub juga panda boves.

Amor.

Dixit; & ingenti jamdudum de grege duci
Juſſit; & immeritam ſub juga panda trahi:
Aut cadere ante aras commentaque ſacra coëgit:
Et tenuit laetâ pellicis exta manu.
Pellicibus quoties placavit numina caeſis:
Atque ait, exta tenens, Ite, placete meo!
Et modo ſe Europen fieri, modo poſtulat Iö:
Altera quod bos eſt; altera vecta bove.
Hanc tamen implevit, vaccâ deceptus acernâ,
Dux gregis: & partu proditus auctor erat.
Creſſa Thyeſteo ſi ſe abſtinuiſſet amore;
(O quantum eſt, uni poſſe placere viro!)
Non medium rupiſſet iter, curruque retorto
Auroram verſis Phoebus adiſſet equis.
Filia purpureos Niſo furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.

Qui

Amor. lib. I. Eleg. XIII.
Prima vocas tardos ſub juga panda boves.
Pont. lib. I. El. IX.
Ducam ruricolas ſub juga panda boves.
Sic & *pandus aſellus*, *panda carina*, *pandum roſtrum* & ſimilia apud Noſtrum paſſim. Vide Notas Metamorph. lib. X. ỳs. 270. Orientius Commonitorio:
Ad juga panda boves cogis, ad mulctra capellas.
Diſtillant criſpis dulcia mella favis.
Tibull. tamen lib. I. eleg. X. dixit, *juga curva*. HEINSIUS. & ſupr. ỳs. 19. *curvum aratrum* in quibuſdam ſcriptis. & III. Met. 11.

319. *Commentaque ſacra.*] *Mentita* Palatinus unus & Aproſii pro diverſa lectione. vid. Ep. XI. 73. & IV. Met. 36. Douza explicat, ut indictivas ferias, quas ipſa ſibi commenta erat.

322. *Exta tenens.*] Repreſſit Graecum, κρατεῖν τὰ σπλάγχνα. de quo vid. Scipion. Gentil. ad Apulej. Apol. N°. 506. *placete viro* duo ſcripti.

323. *Se fieri Europam.*] *Se Europen fieri* caſtigatiores libri. HEINSIUS. vid. ad. Epiſt. IV. 55.

325. *Acerna.*] *Ahena* unus Vaticanus.

327. *Creſſa.*] Aerope: Apollodorus & Ovidius in Triſtibus, (lib. II. 391.) & Seneca in Thyeſte. CIOFANUS.

327. *Si ſe abſtinuiſſet.*] Verſus paullo durior. unus Palatinus, *ſi ſe tenuiſſet.* cogitabam aliquando, *ſi ſe renuiſſet amori*, id eſt negaſſet, ut Metamorph. IX. 506.
At non Aeolidae thalamos renuere ſororum.
Sed nunc nihil muto. Plinius lib. XXVIII. cap. 4. *abſtinere ſe cibo omni aut potu, in praeſentiſſimis remediis habetur.* ſic vetuſtiſſimus Chifletianus liber, τὸ *ſe* a vulgatis abeſt. mox. capite VII. *efficacius, ſi cibo vinoque ſe pridie ea abſtinuerit.* HEINSIUS. Petron. cap. XC. *toto die me ab hoc cibo abſtinebo.* vide quae notavi ad cap. CXII. ejuſdem ſcriptoris, & ad Quinct. Decl. XII. cap. 10. BURMANNUS.

328. *O quantum eſt.*] *Et quantum* Regius cum tribus aliis. Puto, *At quantum eſt. Ha quantum* decem alii. Oxonienſis:
Et quantum eſt uno poſſe carere viro. HEINSIUS.

329. *Rupiſſet iter.*] *Rapuiſſet* ediderunt olim Veneti, deinde Micyllus, Berſmannus, Vincentius & Plantin. quod & in quinque codicibus exſtat. Sed *rapere iter* aliud notat, ac Poëta voluit. *rupit iter* ſol, id eſt a medio curſu ad ortum rediit. bene vero addit *medium*, quia *iter rumpere* etiam dicitur de difficili via, cum obſtantia perrumpimus, de quo ad Val. Flac. I. 3. pluribus agemus. BURM.

330. *Auroram verſis.*] *Adverſis* Lincoln. unde Heinſius conjecerat, *averſis.* Ita certe Auctor Aetnae. 20. *Averſumque diem.* & Claud. Bell. Gild. 400. *Avertitque diem.* vid. Lutat. ad Stat. IV. Theb. 306. Sed nihil opus. Epiſt. XVI. 206.
Qui trepidos a dape vertat equos.
Et, licet in alio argumento, Tibul. II. IV. 18. *verſis luna recurrit equis. curruque rotato* etiam eſt in uno Heinſii. BURM.

331. *Niſo.*] *Niſi* plurimi ſcripti; ſed ita & Plinius lib. XII. 14. dixit, *nemo furatur alteri.* BURM.

332. *Puppe cadens celſa facta refertur avis.*] Multi codices:
Hunc hoſtem patitur cum reliquis avibus.
At in Oxonienſi nec hic, nec ſequens verſus ille:
Altera Scylla maris monſtrum medicamine Circes,
exſtabat, ut nec in Regio ſecundae notae. At

Qui Martem terrâ, Neptunum effugit in undis,
Conjugis Atrides victima dira fuit.
Cui non defleta eſt Ephyraeae flamma Creüſae?
Et nece natorum ſanguinolenta parens?
Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix:
Hippolytum pavidi diripuiſtis equi.
Quid fodis immeritis, Phineu, ſua lumina natis?
Poena reverſura eſt in caput iſta tuum.
Omnia femineâ ſunt iſta libidine mota;
Acrior eſt noſtrâ, plusque furoris habet.
Ergo age, ne dubita cunctas ſuperare puellas;
Vix erit è multis quae neget una tibi.
Quae dant, quaeque negant, gaudent tamen eſſe rogatae.
Ut jam fallaris, tuta repulſa tua eſt.

Sed

optimus manu recentiori margini adſcriptos agnoſcebat, alterum legebat hoc modo:

Altera Scylla novum Circes medicamine monſtrum.

Patavinus Treviſani:

Filia ſed Phorci correpta cupidine Glauci.

Alii codices aliter legunt hos verſus. Quae Grammaticorum commentata ſunt. Utrumque autem delendum eſſe pluribus docui ad Sabini Penelopen. HEINSIUS.

333. *Qui martem terris.*] *Terra* meliores. IDEM. *Neptunumque effugit undis* unus Heinſ. ego Heinſium ſequor. & capio *terra*, pro *in terra*; nam praepoſitiones in priori membro ſaepe omittit Noſter. vid. Epiſt. VI. 107. & XVI. 141. XVIII. 157. & alibi. BURM.

335. *Ephyraeae.*] Corinthiae ab Ephyre. vide quae notavi in Epiſtola Medeae ad Jaſonem. CIOFANUS.

537. *Per inania lumina Phoenix.*] *Perinania* quidam. ut apud Martialem, I. 77. *magnum ſed perinane ſophos.* unica voce. ut Epiſtol. IX. 97. *pergrave onus.* HEINSIUS.

338. *Rapidi diripuiſtis equi.*] *Pavidi* eſt in nonnullis. ut Remedio Amoris 743.

Perdat opes Phaedra, parces, Neptune, nepoti,
Nec faciet pavidos taurus avitus equos.

Virgil. VII. 780.

Cornipedes arcentur equi, quod litore currum
Et juvenem monſtris pavidi effudere marinis.

Et Senec. Hippol. 1054.

Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidoſque notae vocis hortatu ciet.

Et ÿſ. 1070.

Quacumque pavidos rapidus evexit furor.

Et ÿs. 1082.

Tum vero pavida ſonipedes mente exciti
Imperia ſolvunt.

Met. XV. 517.

Monſtrique metu turbantur.

Eoſdem equos *conſternatos* lib. V. Faſt. 310. & *attonitos* ibidem 578. vocat. Regius, Oxonienſis & quatuor alii, *rabidi equi.* HEINSIUS.

339. *Quid fodis immeritis.*] Sextus Empiricus adverſus diſciplinarum ſectatores cap. XII. ex Plutarcho narrat, Aeſculapium a Jove fulmine ictum, quod Phinei filiis viſum reſtituerit. vide de hac fabula Apollodorum. Hygin. fab. XIX. Scholiaſt. Apollon. Rhod. & Serv. ad Virg. III. Aneïd. 210. Timocles apud Athen. VI. 1. ὀφθαλμιᾷ τις· ἐισὶ Φινεῖδαι τυφλοί. qui verſus male apud Stobaeum Ecl. Eth. lib. II. cap. 125. legitur. Noſter in Ibin. 271.

Ut duo Phinidae, quibus idem lumen ademit
Qui dedit.

Sophocles Antigone. *Phinidas* Tragoediam ſcripſerat Pacuvius, ut docet Scaliger ad Feſtum. etiam Accius. *Phineus* Aeſchyli & Sophoclis citantur. HEINSIUS.

341. *Libidine mota.*] *Cupidine plena* Oxonienſis. HEINSIUS.

343. *Ne dubita.*] Nonnulli, *nec* vel *ne dubites:* eodem modo variant codices lib. II. Metam. 101. ÿſ. 335. IX. 697. ſed imitatio videtur Tibulli III. IV. 75.

Ergo ne dubita blandas adhibere querelas.

Latinius autem *ne dubita*, quam *dubites.* vide ad III. Amor. VI. 65. Heinſius volebat, *neu.* notanda praeterea vis particulae *ergo*, quae hic non modo adhortantis eſt; ſed qua utimur, ubi tarde aliquem conſen-

Sed cur fallaris, cum ſit nova grata voluptas?
Et capiant animos plus aliena ſuos?
Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet.
Sed prius ancillam captandae noſſe puellae
Cura ſit: acceſſus molliat illa tuos.
Proxima conſiliis dominae ſit ut illa videto;
Neve parum tacitis conſcia fida jocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando;
Quod petis, è facili, ſi volet illa, feres.
Illa legat tempus (medici quoque tempora ſervant)
Quo facilis dominae mens ſit, & apta capi.
Mens erit apta capi tunc, cum laetiſſima rerum,
Ut ſeges in pingui luxuriabit humo.

Pectora

ſentientem convincimus quaſi & reprehendimus, ut didici ex Donato ad Terent. Hecyr. I. 1. *ergo propterea teiſedulo & moneo & hortor.* ubi ex Virg. II. Aeneïd. 707. affert:

Ergo age, care pater, cervici imponere noſtrae.

vid. infr. lib. II. 143. & alibi. BURMANNUS.

343. *Cunctas ſuperare puellas.*] Imo, *ſperare.* quod emendatiores membranae agnoſcunt, quanquam *ſuperare* pro *expugnare* poſſit capi. ut in iſto Virgil. III. 438.

——— *Dominamque potentem*
Supplicibus ſupera votis.

Ubi male *donis* vulgati habent; ut & lib. VIII. 61.

Junoni ſer rite preces, iramque minaſque
Supplicibus ſupera votis.

Ubi eadem varietas in MSS. HEINSIUS.

344. *E multis.*] *In multis* Politiani liber. vid. I. Am. VIII. 55. eadem varietas II. Pont. III. 11.

Nec facile invenias multis è millibus unum.

Ubi *in* quidam codices. Faſt. III. 156.

Caeſaris in multis haec quoque cura fuit.

Ubi *e* etiam nonnulli. vide ad lib. IV. Triſt. X. 34. BURMANNUS.

346. *Tuta repulſa tua eſt.*] Ita & III. ex Ponto I. 88.

Utque ea non teneas, tuta repulſa tua eſt.

Stulta repulſa hic habebat unus Bernenſis.

347. *Cum ſit nova.*] *Cum ſit ſibi grata voluptas* Argent. *tibi* Mentelii. *jam grata* Patavinus.

348. *Et capiant animos plus aliena ſuis.*] *Suos* Jureti & Politiani codex cum aliis quibuſdam. Oxonienſis, *animis plus aliena ſuis.* Metuo ne diſtichon ſit ab interpolatrici manu confictum, cum ad rem non ſatis faciat: idque eo magis, quod *alienis* mox denuo ſequatur, inconcinna repetitione. HEINSIUS. Mallem *ſuis* retinere; ut ſit ſententia ex medio petita, omnes magis cupere aliena, quia credunt illa pleniora, ita puellam majorem voluptatem ſperare ex novo amante, quam ex eo, qui jam diu eam coluit, & ideo facile ad amandum deduci. nam quod de marito & uxore haec capit Criſpinus, Ovidius ſerio deprecatur lib. II. Triſtium, ſe nulla adulteria, ſed conceſſa furta docuiſſe obteſtans. BURM.

349. *Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris, Vicinumque pecus grandius uber habet.*] Ad hunc locum reſpexit Juvenalis Satyr. XIV. 143.

——— *Majorque videtur,*
Et melior vicina ſeges. CIOFANUS.

Ubi plura Gangraeus.

351. *Captatae.*] *Captandae* Intimelianus. HEINS.

352. *Molliat iſta.*] *Molliet illa* Oxonienſis & plerique alii: *molliet* multi.

353. *Proxima conſiliis dominae ſit ut illa videto.*] Tò *ut* libri quidam non agnoſcunt. Oxonienſis & Petavianus, *ſit an illa.* Forte, *Conſcia conſiliis. conciliis* etiam eſt in Commeliniano. de qua voce lib. I. Met. ℣s. 711 actum eſt. ſic Ep. XVII. 268. legendum videtur:

Quae mihi ſunt comites conciliumque duae.

Non *conſilium.* HEINSIUS.

354. *Conſcia fida.*] Francius malebat, *conſcia facta.* certe alterutrum, *fida*, vel *conſcia* credo gloſſatoris eſſe. *miſſa* habebat Hafnienſis. Heinſius olim conjecerat, *cognita fida.* forte:

Neve parum tacitis nuntia fida jocis.

Ita *Conſcia & nuntia* apud Claud. bell. Get. 98. confuſa in MSS. vid. & infra ℣s. 438. BURM.

357. *Leget tempus.*] *Legat* Regius & Aproſii.

360. *Luxuriabit humo.*] *Luxuriavit* Regius & Oxonienſis cum aliis nonnullis. Jureti, *luxuriatur.* Lege, *luxuriarit.* & ſic unus Vaticanus. HEINSIUS.

361. *Nec*

Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent: blandà tum subit arte Venus.
Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis:
Militibus gravidum laeta recepit equum.
Tum quoque tentanda est, cum pellice laesa dolebit:
Tum facias operà, ne sit inulta, tuâ.
Hanc matutinos pectens ancilla capillos
Incitet: & velo remigis addat opem.
Et, secum tenui suspirans murmure, dicat;
Ut puto, non poteris ipsa referre vicem.
Tum de te narret: tum persuadentia verba
Addat; & insano juret amore mori.
Sed propera, ne vela cadant, auraeque resident.
Ut fragilis glacies, interit ira morâ.
Quaeris, an hanc ipsam profit vitiare ministram?
Talibus admissis alea grandis inest.
Haec à concubitu fit sedula; tardior illa:
Haec dominae munus te parat, illa sibi.

Casus

361. *Nec sunt adstricta dolore.*] Plurimi inter meliores, *attrita*, sed frustra. ita enim contra *diffusa* in gaudio. & respondet *τῷ patent.* sic *solvi gaudio*, & similia vidimus ad Ep. XIII. 116. *Ita adstrictum gelido frigore pectus* Epist. XV. 112. *abstracta* unus codex. *labore* etiam Vatican. mallem vero cum Moreti, *ipsa patet:* dum laeta mente erit, ipsa tibi patebit facile. BURMANNUS.

363. *Defensa est Ilion armis.*] *Ilios* Regius, Oxonienses, aliique non pauci ex melioribus. Vide notas ad Epistolam primam ỳs. 48. HEINSIUS.

366. *Tunc facies.*] *Tum facias* tres scripti. IDEM.

367. *Hanc matutinos.*] In nonnullis *matutino.* NAUGERIUS. forte recte. vide que notavimus ad lib. III. Amor. Eleg. III. II. *pectentem* etiam Neapolitanus & Oxon. quasi ipsae puellae pecterent. ita Ep. XIII. 39. olim legebatur, *ipsa comas pectam*, sed ibi Heinsius *pectar* legit, & ornatricum fuisse has partes docet. BURM.

370. *Ut puto, non poteris ipsa referre vicem.*] Hoc est, compensare id, quod conjux in te peccavit, te ulcisci: non, referre gratiam, ut Merula hic exponit. Et quod mox sequitur, *Sed propera, ne vela cadant.* De occupanda puella intelligendum est, cujus animus antea devinciendus, quam ira resident. MICYLLUS. *Poteras ipse* Regius. alius, *poteras ipsa.* nihil videtur mutandum. Non poteris vicem illi in amando referre. HEINSIUS. Apulej. Met. III. *Ad haec dicta sermonis vicem refero.* ita *reddr e vicem* I. Amor. 6. vid. ad Epist. XII. 194. (ub *referre auxilium.*) & ad Petron. cap. LVIII. si in Micylli explicationem descendere velimus, per interrogationem legenda haec essent, & tum maliem:

At puto, non poteris laesa referre vicem?

Ut ironice sit dictum, quomodo lib. III. Am. 7.

At non blanda, puto, non optima perdidit in me Oscula.

Et alibi saepe. vid. ad II. Met. 566. BURMANNUS.

373. *Sed propera, ne vela cadant, iraeque resident.*] *Properet* Oxonienses, ut ad ancillam referatur. deinde, *auraeque resident* unus Palatinus. ut in metaphora persistat. quo alludunt duo alii, in quibus, *viresque.* Virgil. Aen. VII. 27.

——— *Omnisque repente resedit*
Flatus. HEINSIUS.

Recedant unus codex. *resistant* Bernensis. in Commeliniano erat glossa, *sed propera.* id est, *vindictam sume de pellice:* ut verba sint ancillae ad dominam. & ita cum Micyllo, *referre vicem* erit, ulciscì amantis veteris perfidiam, qui pellicem, id est aliam amicam praefert. malo tamen ad Poëtam referre, qui monet properandum esse, dum puella, laesa pellice, iram conceperit contra amantem, quo tempore apta capi ejus mens est. *ira* & *aura* etiam in MSS. confunduntur lib. IV. Trist. V. 20. BURMANNUS.

375. *Violare ministram.*] Duo codices, *vitiare.* unus, *mollire. temerare* opinor legendum Nasoniano verbo. Vide Notas Amor. lib. I. El. VIII. ỳs. 19. HEINSIUS. & *violare*, & *temerare* gravia nimis verba sunt, nec humilitati ancillae convenientia; ideoque ego *vitiare* praeferrem. BURM.

377. *Haec*

Casus in eventu est. licet haec indulgeat ausis;
Consilium tamen est abstinuisse meum.
Non ego per praeceps & acuta cacumina vadam:
Nec juvenum quisquam, me duce, captus erit.
Si tamen illa tibi, dum dat, recipitque tabellas,
Corpore, non tantum sedulitate, placet;
Fac dominâ potiare prius; comes illa sequatur.
Non tibi ab ancillâ est incipienda Venus.
Hoc unum moneo (si quid modo creditur arti;
Nec mea dicta rapax per mare ventus agit.)
Aut non tentâris, aut perfice. tollitur index;
Cum semel in partem criminis ipsa venit.
Non avis utiliter viscatis effugit alis:
Non bene de laxis cassibus exit aper.
Saucius arrepto piscis teneatur ab hamo.
Perprime tentatam: nec, nisi victor, abi.
Tum neque te prodet communi obnoxia culpae:
Factaque erunt dominae dictaque nota tibi.

Sed

377. *Haec ad concubitum.*] *A concubitu* Regius à manu prima, cum Scaligeri & Puteani excerptis. Sequenti etiam versu, *te parat*, pro *temperat* ex auctoritate optimorum codicum scribendum. quod in Observationibus jam monuit accuratissimus Gronovius lib. I. cap. 10. HEINSIUS. Recte: *a concubitu*, id est post concubitum. vide ad II. Fast. 685. & Epist. v. 152. & supr. 139.

379. *Casus in eventu est, licet hic indulgeat ausis.*] Expone: Licet hic eventus, sive casus, hoc est fortuna, indulgeat ausis, id est faveat audentibus, &c. secundum illud, *Audentes fortuna juvat.* Non enim pro aliquis sumi potest hoc loco *Hic*, ut Merula exponit: sed relativè accipiendum est, ut saepe alias solet. MICYLLUS. scripti plurimi, *haec*; nimirum Ancilla. & recte. HEINSIUS.

381. *Acuta cacumina.*] Albertus Rubenius, magno rei literariae damno nuper extinctus, retulit mihi aliquando vidisse se codicem, in quo *acuta Ceraunia* legeretur. nostri omnes cum vulgatis sentiunt. HEINSIUS. Pro *vadam*, melius, mea sententia, duo libri, *ducam:* profitetur enim se magistrum & ducem juventuti Naso. Francof. quoque eleganti repetitione, *per praeceps, per acuta cacumina.* vid. Sup. ỳs. 96. BURMANNUS.

388. *Per mare ventus agat.*] Scribe, *agit* cum melioribus. HEINSIUS.

389. *Aut nunquam tentes, aut perfice.*] *Aut non tentasses*, Regius & multi alii. Jureti codex, nec pauci alii, *Aut non tentabis.* Oxonienses, *tentares.* Lego, *Aut non tentaris.* Mutarunt id scioli, quod nescirent ultimam syllabam saepe produci in hujusmodi verbis. quâ de re diximus ad Epistolam VII. ỳs. 53. Noster infra hoc ipso libro ỳs. 447.

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui. Cum vulgo legatur, *si dederis quicquam.* sequenti versu, *ipsa venit*, pro *illa* iidem libri. HEINS.

389. *Tollitur index, Cum semel in partem criminis illa venit.*] Non tantum de indicio, quod ad dominam deferri potest, accipiendum: sed magis de eo, quod ad virum, sive maritum. quasi diceret, nunquam illa de domina indicabit marito, postquam ipsa quoque in eadem culpa erit, & in societatem criminis venit. MICYLLUS. *Pellitur index* Francof. pro varia lectione. ego puto sensum esse, si quis tentarit modo ancillam, non perfecerit & plenum coitum ab ea tulerit, illum perdere ancillam, quae index est, & omnia dicta & facta dominae amatori refert, ut mox dicit. ideo autem illa *tollitur*, quia cum cogi posset, & non tacta recessit, tristis erit, & irata amatori, quod non pleno voto ejus satisfecerit, sed oculis & blanditiis tentatam, deinde in medio cursu destituerit. BURMANNUS.

393. *Piscis retinetur ab hamo.*] *Teneatur* scripti. HEINSIUS.

394. *Opprime tentatam.*] Scripti fere omnes, *Perprime*, id est, usque preme. *sic interprimere* apud Minucium Felicem in Octavio me legisse memini. Horat. Epod. XVI. *inominata perprimat cubilia.* vid. quae notamus Fast. IV. ỳs. 628. HEINS. *oppressam* etiam in argumento lib. VIII. Met. fab. 6. ubi *compressam* reposuit Munckerus.

Sed bene celetur, bene ſi celabitur index,
Notitiae ſuberit ſemper amica tuae.
Tempora qui ſolis operoſa colentibus arva,
Fallitur, & nautis adſpicienda putat.
Nec ſemper credenda Ceres fallacibus arvis:
Nec ſemper viridi concava puppis aquae.
Nec teneras ſemper tutum captare puellas.
Saepe dato melius tempore fiet idem.
Sive dies aderit natalis; ſive Kalendae,
Quas Venerem Marti continuaſſe juvat:

Sive

395. *Communi noxia culpa.*] Alii, *conſcia culpa:* duo, *noxia culpae.* Patavinus unus, *obnoxia culpa.* Scribe, *communi obnoxia culpae. conſcia culpae* alterius interpretamentum eſt, uti liquidum fit ex A. Gellio, qui Noctibus Atticis libro. VII. cap. XVII. multa de hoc verbo diſputat. Ubi inter alia: *obnoxius, qui habet aliquem noxae, id eſt culpae ſuae conſcium.* Accius apud Feſtum in *Noxa*, *Te eſſe huic noxae obnoxium.* Auſonius Cupidine Cruci adfixo:

Ipſa etiam ſimili genitrix obnoxia culpae
Alma Venus.

Ammian. Marcel. XX. 8. *utque ſe nulli culpae obnoxium monſtraret, Julianum, ut perduellem, multis criminibus appetebat.* Phaedrus libro I. Fab. X.

Lepus arguebat vulpem furti crimine:
Negabat illa ſe eſſe culpae obnoxiam.

Ita ſcribo: non quod ignorem, *culpae proximum* & *affinem* Latine dici: ſed quia id minus huic loco convenire cenſeam, ubi de ipſa culpa agitur. oportunum vero *Tò proximus culpae* apud Val. Flaccum lib. III. in oratione Mopſi, ỳſ. 391.

At quibus invito maduerunt ſanguine dextrae;
Si ſors laeva tulit miſeros & proxima culpae.

Sic emenda. perperam nunc circumfertur:

Si ſors ſaeva tulit miſeros, ſed proxima culpa.

Agit enim de iis, qui nolentes caedem admiſerunt. apud eundem Valerium ex eadem Mopſi oratione aliud mendum tollatur, ỳs. 397.

——— *Sed noſtra requiret*
Cura viam, memori jampridem cognita vittae.

Sic enim reſtituo, cum *memori vate* nunc occupet ſcriptos ac vulgatos, quos vidi, codices. atque ita libro IV. 427. quoque reſtituendum puto in oratione Phinei:

——— *Salve ô mihi longum*
Expectata manus, noſtriſque, ait, agnita vittis.

Quod ſequentia confirmant. *votis* nunc legitur. *vittas* pro vaticinio poſuit. *communi noxia culpae* pro *obnoxia* apud Noſtrum abſorpta una ſyllaba, cujuſmodi mendas non paucas alibi caſtigavimus. ſic apud eundem Valerium hoc ipſo tertio libro vers. 213.

——— *Graviorque oculos jam luce propinqua*
Umbra premit.

Scribendum, cum *locos* inepte legatur. idem Valerius libro IV. 496.

Saevit inops Amycus, nullo diſcrimine ſeſe
Praecipitans aviduſque viri (reſpectat ovantes
Quippe procul Minyas) caeſtu velatus utroque
Irruit.

Tò *velatus* otioſum. jam enim *caeſtu velatum* ſatis deſcripſerat, ſi tamen id recte dicitur. Legendum, *caeſtuque elatus utroque.* Sublato utroque caeſtu, quod improvidum, & contra regulam artis. opinor etiam reponendum, *aviduſque irae.* nam ſequitur mox, *trucis ultro Advolat ora viri. Elatus mediis aquis Alcides* eidem Valerio libro II. 532. & lib. I. 107. *elatis cornibus amnes.* & *elata dextra* libro III. 139. & lib. VIII. 359. & *elata ſecuri* libro V. 614. pro ſublata. apud Gratium 69.

Ipſe deus cultorque feri Tirynthius orbis
Hinc decus & famae primum impetravit honorem.

Perperam *primus patravit* nunc legitur. *impetrare* ſecunda producta apud Gratium bis alibi, ſemel apud Propertium occurrit. & apud Statium Epicedio Glauciae. HEINSIUS. *Obnoxia culpae* etiam Douza legebat: *conſciam Lemnon culpae* dixit Stat. I. Silv. II. 59. ſed paullum alio ſenſu. *innoxium culpae* dixit Lutat. Arg. Fab. III. lib. IX. Metamorph. BURMANNUS.

397. *Bene celetur.*] Male interpretes capiunt, quidquid tibi ancilla dixerit de amica: cum ſenſus ſit, tuus cum ancilla coitus celetur, ne domina reſciſcat, & Douza adſcripſerat recte, *ne domina reſciſcat cautio eſt.* BURMANNUS.

399. *Operoſa arva.*] Sunt in quibus ſemper opus aliquod fieri debet. vide Broukh. ad Tibul. I. eleg. X. v. 8. & ſupr. II. Amor. XVI. 33.

400. *Aſpicienda.*] *Accipienda* Palatinus unus & alius. Heinſius olim volebat, *arripienda.* non male. ita Virg. XI. Aneid. 455.

Immo ait, o cives, arrepto tempore Turnus,
Cogite concilium.

Cicer. v. ad Fam. 12. *cauſſam & tempus arripere.* Claud. II. in Eutr. 192.

Et-

Sive erit ornatus, non ut fuit ante, ſigillis,
Sed regum expoſitas Circus habebit opes;
Differ opus. tunc triſtis hiems, tunc Pliades inſtant:
Tunc tener aequoreâ mergitur Hoedus aquâ.
Tunc bene deſinitur: tunc, ſi quis creditur alto
Vix tenuit lacerae naufraga membra ratis.
Tu licet incipias, quâ flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis ſanguinolenta fuit:
Quâque die redeunt, rebus minus apta gerendis,
Culta Palaeſtino ſeptima feſta Syro.

Magna

Et tempore pandit
Arrepto gemitus.

Sulp. Sever. I. 28. *tum ille tempore arrepto, columnas disjecit.* ſic & *rapere tempus.* de quo vid. Heinſ. ad Epiſt. XIX. 74. & Drakenb. ad Sil. I. 569. BURMANNUS.

401. *Credenda Ceres.*] *Tradenda* Palatinus. *Seges* etiam alius codex, ſollemni permutatione. vid. I. Amor. XV. 12. de τῷ *credere* vid. Heinſii notas ad Valer. Flac. I. 69. & Brouk. ad Tibul. II. VII. 3. BURMANNUS.

402. *Viridi.*] *Liquidae* Commelinianus.

403. *Nec teneras ſemper tutum eſt.*] Potiores ſcripti:

Nec teneras ſemper tutum captare. HEINS.

tentare iterum duo libri.

405. *Sive dies ſuberit.*] Τὸ *ſuberit* paulo ante praeceſſerat. Quare malim, *ſive dies aderit.* quod eſt in duobus. totidem, *fuerit.* Aut forte, *veniet* ſcribendum. HEINSIUS Virg. II. Aen. 132.

Jamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari.

vid. ad III. Met. 519. & II. Amor. VI. 45.

405. *Kalendae.*] Martial V. 85.

Scis certe, puto, veſtra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.

Unde & *Femineae* dictae Kalendae. DOUZA.

408. *Sed regum poſitas circus habebit opes.*] Metula hoc loco multa de obeliſcis Aegyptiis affert, quos dicit intelligendos eſſe. Ego vero ſimpliciter accipio de quibuſcunque regum opibus ac ſpoliis, Romam per imperatores allatis, quibus Circus & theatra exornari tamen ſolebant. Neque enim magna oblectatio fuiſſet, ſolos illos lapides ſpectare: cum eodem modo etiam antiquis figillis ſpectandis oblectari puella potuiſſet. Sed hoc innuit Poëta, cum varie ac ſpecioſis rebus Circus exornatus erit, ita ut puellae illis contemplandis vacare magis quam amatori velint, tunc abſtinendum eſſe: tunc enim operam in illis conciliandis fruſtra ſumi. MICYLLUS. Duo libri, *expoſitas*, quod neſcio an rectius: proprium enim in hac re verbum, cum apparatus lautus oculis ſpectatorum exponitur. Livius lib. III. 10. *Expoſita omni in campo Martio praeda.* lib. XLV. 33. *Praeda Macedonica omnis, ut viſeretur, expoſita.* Sueton. Caeſare cap. X. *porticibus ad tempus exſtructis, in quibus abundante rerum copia pars apparatus exponeretur.* & in abaco argentum *expoſitum* proprie dictum, Cicer. IV. Verr. 27. inf. lib. III. 209.

Nec tamen expoſitas menſa deprendat amator
Pyxidas.

Ita & venalia *exponi* dicuntur. Cicer. III. de Offic. 12. & alii paſſim. *regum vero opes* pro immenſis & ditiſſimis dixit. Tibul. lib. I. Eleg. IX. 34. *Et regum magnae deſpiciuntur opes. regales opes* dixit Phaedr. I. 27. BURMAN.

409. *Differ opus: tunc triſtis hiems, tunc Pleiades inſtant.*] Supra dixit Poëta, *Nec ſemper viridi concava puppis aquae:* credenda ſcilicet. Ad hanc ſententiam metaphoricôs hoc loco alludit, dicens opus eſſe differendum, quia hiems, & Pleiades, & hoedi inſtant: hoc eſt, non eſſe tentandum puellae animum tunc, quia periclitaturus ſit amator, perinde ut nauta, qui ſub ortum aut occaſum Pleiadum & Hoedorum navigationem inſtituit. MICYLLUS. Libri veterrimi, *Pliades*; ut & alibi in iiſdem ſcribi videas apud Virgilium Mediceum & Germanicum Caeſarem Voſſii literis majoribus Romanis exaratos. atque ita ſemper ſcribendum cenſeo, quoties ea vox triſyllaba occurrit. Ceterum legendum videtur:

— *dum triſtis hyems, dum Pliades inſtant,*
Dum tener aequorea mergitur Hoedus aqua.

Ut metaphorice haec omnia dicantur. HEINSIUS. *Tunc & in aequorea* vulgo legebatur, ſed optimi *tunc tener.* pro *mergitur*, etiam tres codices *jungitur*; puto pro *tingitur.* Triſt. I. 14.

Tingitur oceano cuſtos Erymanthidos Urſae.

Vide plura ad Metam. II. 172. BURM.

411. *Tunc bene deſinitur.*] *Differtur* Cantabr. & Lincol *definit* Pal. *defluitur* alius. *diſpicitur* alius.

411. *Si quis creditur.*] *Qui* Oxon. ſed valde blanditur codicis Menteliani ſcriptura, *tunc ſe qui credidit alto.* cui proxime accedit Regius, qui habet, *te qui credidit.* & Patav. *ſi quis credidit.* Ita *ſe credere coelo*, de quo vide ad Quinctil. Decl. XIII. 17. BURMANNUS.

413. *Tunc licet incipias.*] Oxonienſis, *tu licet.* & ſequor. ſic infra:

Magna ſuperſtitio tibi ſit natalis amicae:
Quâque aliquid dandum eſt, illa ſit atra dies.
Cum bene vitaris; tamen auferet. invenit artem
Femina, quâ cupidi carpat amantis opes.
Inſtitor ad dominam veniet diſcinctus emacem:
Expediet merces, teque ſedente, ſuas.
Quas illa, inſpicias, ſapere ut videare, rogabit.
Oſcula deinde dabit: deinde rogabit, emas.
Hoc fore contentam multos jurabit in annos.
Nunc opus eſſe ſibi, nunc bene dicet emi.

Si

Tu licet & Tamyran ſuperes & Amoebea cantu.
Et lib. III. Pont. El. IV.
Tu licet erroris ſub imagine crimen obumbres.

HEINSIUS,

413. *Flebilis Allia.*] Sane *Alia* ſimplici *l* ſcribitur. Lucanus VI. 633. *Quas Aliae clades.* Virgilius autem duplici *ll* protulit, propter metrum; ut lib. VIII. 646. quoque dicit *rejectum Porſenna jubebat accipere.* MERULA. Sane falſus eſt hic Merula, qui adjectivum nomen pro proprio apud Lucanum legit: eſt enim ſententia verſum illorum, Pugna ad Pharſaliam non habuit eaſdem partes, quas aliae, pugnae ſcilicet. nam illic Roma per fata virorum, hic per populum periit. &c. MICYLLUS. Hic dies, quo Romani ingentem acceperunt cladem, Allienſis dictus eſt. Oroſius & alii. Accepta autem eſt ea clades XV. Kal. Sext. anno V. C. CCCLXVII. Livius ſub principium lib. VI. eam ipſam diem *funeſtam* vocat Cicero ad Atticum lib. IX. epiſt. V. CIOFANUS.

415. *Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis, Culta Palaeſtino ſeptima feſta viro.*] Hunc locum Merula de Saturnalibus interpretatur. Sed quia ſupra monuit Poëta, neque natali die, neque calendis Martii, neque Circo ſpecioſius ſolito exornato, puellam tentandam eſſe, videlicet quod tunc aliis ac propriis gaudiis occupata ſit: verum Allienſi die, quando caetera moeſta ac luctuoſa. Eam ob rem adducor, ut de Saturnalibus hunc locum accipere haud quaquam poſſim. Propterea quod ii quoque inter laetos ac feſtos, non inter atros ac luctuoſos referantur. expone igitur diem, qua ſeptima feſta Judaeorum redeunt pro ſabbato: ut ſit κατ' ὑπαλλαγὴν dictum, ſeptima feſta, pro, feſta, quae die ſeptimo redire ſolent. Atque haec mea expoſitio eſt. Liberum autem eſt cuique, hanc vel illam ſequi. MICYLLUS.

416. *Viro.*] *Syro* legendum eſſe ex Puteani & Scaligeri excerptis jam ſupra monui. vers 76. HEINS. *Grata Palaeſtino* Voſſianus.

417. *Natalis amicae.*] Refer ad illud Horatii EE. Epiſt. II. 210.

Natales grate numeres.

Vide commentariolum noſtrum cap. XI. DOUZA. *multa ſuperſtitio* Palatin. duo, & duo alii. *vana* prior Mentelii.

421. *Veniet diſcinctus.*] Oxonienſis, *veniat*, & ſequenti verſu, *Expediat.* quomodo & duo alii. recte. modo pro *quas illa*, reponas, *has illa.* HEINS. *diſtinctus* in prima editione & tredecim ſcriptis exſtat. ſed *diſcinctus* eſt, ut recte Merula, *in tunicis demiſſis*, ſicut Propertius lib. IV. eleg. II. 38. ubi haec egregie illuſtrat Broukhuſius. *diſcretus* Bernenſis unus.

422. *Expediet.*] Exponet oculis tuis. vid. ad Petron. XXXIX. & LXII. ita Quinctil. VIII. 3. eleganter oratorem, velut *inſtitorem eloquentiae, quidquid erit ſententiis populare, verbis nitidum &c. intuendum & pene pertractandum daturum*, dicit. BURMANNUS.

423. *Sapere ut.*] *Scire ut* Neapolitanus. ſed *ſapere* retineo: idem vero hic eſt, quod alii dicunt *intelligere*, peritum eſſe mercium. vid. ad Petron. cap. LII. *capere* Bernenſis. BURMANNUS.

428. *Litera poſcetur, nec didiciſſe juvat.*] *Ne didiciſſe juvet* Regius, Oxonienſis, aliique nonnulli. ne profit forte, quod didiciſti literas. ſic Triſt. II.

Hei mihi cur didici? cur me docuere parentes?
Literaque eſt oculos ulla morata meos?

HEINSIUS. Locus obſcurior, quem ita capio, ut ſi cauſſetur amator, ſibi domi in arca non eſſe praeſentes nummos, poſcatur ab eo litera, ſive ſcriptura ad tabernarios, qua de menſa jubeat ſolvi Inſtitori. ut paſſim in comoediis illae perſcriptiones in foro celebrantur. & ita *poſcere libellum* ſupra v. 167. explicuimus. *ne didiciſſe juvet* addit, quia puella illa vicem ludimagiſtri quaſi obit, & docet amatorem ſcribere, formulam literae praeſcribens; vel poteſt etiam referri ad Inſtitorem, qui cum puella colludit, & nihil ſibi opus nummis praeſentibus eſſe dicet, ſed literam poſcet ad menſarios. egregie haec illuſtrat locus Apuleji in Apolog. *Hinc jam illa inter virum & uxorem nota-*

col-

Si non esse domi, quos des, causabere nummos;
Litera poscetur; ne didicisse juvet.
Quid? quasi natali cum poscit munera libo;
Et, quoties opus est, nascitur ipsa sibi?
Quid? cum mendaci damno moestissima plorat;
Elapsusque cavâ fingitur aure lapis?
Multa rogant utenda dari: data reddere nolunt.
Perdis; & in damno gratia nulla tuo.
Non mihi, sacrilegas meretricum ut prosequar artes,
Cum totidem linguis, sint satis ora decem.

Ce-

colluſio; qui amplam ſtipem mulieri detulerunt, nemo eos obſervat, ſuo arbitratu diſcedunt. Qui inaniores venere, ſigno dato, pro adulteris deprehenduntur, & quaſi ad diſcendum venerint, non prius abeunt, quam aliquid ſcripſerint. ubi Scipio Gentilis in notis num. 741. adducit jocum Ciceronis de meretrice quadam, qui refertur etiam a Quinct. Decl. lib. IV. Inſtit. Orat. 3. *Quae dum viveret ludum habuit, poſt mortem coepit habere magiſtrum. diſcere vero* ſimpliciter poni docuimus ad Petronii cap. LVIII. *Litera* vero pro ſcriptura, cautione vel ſyngrapha poni docet Grot. ad Euangelium Lucae cap. XVI. 7. videndum & an huc pertineant illa Plauti Truc. Act. IV. Sc. II. 20. *Plus enim es intromiſſus, cum dabas, ſine viciſſim, qui dant operam, ob id, quod dant, operis utier. Literas didiciſti, quando ſcis, ſine alios diſcere.* in Commeliniano hic erat gloſſa, *ſi enim non didiciſſet, nemo poſſet a te petere ſigillationem*, id eſt Chirographum. Douza, qui retinebat, *nec didiciſſe juvat*, explicabat utile eſt, ut apud Martial. I. Epig. 108.

Pingue ſolum laſſat, ſed juvat ipſe labor.

& alibi:

Sed juvat hoc facere.

Et Noſter in Ibin 620.

Nec te non meruiſſe juvet.

Sed, *ne didiciſſe juvet*, eſt, ne proſit tibi, ſi dicas te jam olim didiciſſe, ideoque non opus eſſe, ut nunc demum ſcribere diſcas. BURMANNUS.

429. *Quid quaſi natali.*] Arbitror ab Ovidio fuiſſe ſcriptum:

Quid ſua natali cum poſcit munera libo.

Mox libri nonnulli pro *illa*, *ipſa ſibi*. HEINSIUS: ego nihil mutem, *quaſi natali* eſt ficto & falſo, cum mentitur ſibi diem illum natalem eſſe, qui minime eſt. ſic *quaſi teſtamenta* Plinio. lib. VIII. Epiſt. 16. *Quaſi crimina* Tacit. XII. ann. 41. Ubi alii *tamquam crimina*: etiam non male: idem enim notat. vid. Manut. ad Ciceron. VII. ad Famil. 3. ſic in l. 5. §. 7. ff. *de negot. geſt. quaſi debitor.* & ita paſſim. BURMANNUS.

431. *Quid cum mendaci damno.*] *Mordaci damno* Bernenſis unus. *Quid quo mendaci damno* Micylli Edit. nihil muta. Has ſacrilegas meretricum artes tangit etiam Horat. I. Epiſt. XVII. 55.

Nota refert meretricis acumina, ſaepe catellam,
Saepe periſcelidem raptam ſibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis, veriſque doloribus adſit.

Martialis lib. X. Ep. 50.

Nunc plorat ſpeculo fallax ancilla relicto,
Gemma vel a digitis, vel cadit aure lapis.

Quem locum etiam Douza adſcripſerat ſuo codici, Plautus Truc. Act. I. Sc. I. 32.

Aut aurum periit, aut conſciſſa pallula eſt,
Aut empta ancilla &c. BURMANNUS.

433. *Multa rogant reddenda dari.*] Commodus his ineſt ſenſus. Libri tamen uno conſenſu meliores, *utenda dari*. niſi quod Jureti codex pro vulgatâ ſtat lectione. quidam etiam, *tradenda ſibi*: unus, *optanda dari*: Sic lena inſtruebat puellam Amor. I. VIII. 102.

Quod numquam reddas commodet uſque roga.

Et in Menaechmis Plautinis Act. IV. Sc. II. vers. 54. Menaechmus cum uxori pallium ſubduxiſſet, & ad meretricem Erotium deduxiſſet, uxorque id ex paraſito cognoviſſet, ita excuſat ſe apud illam, quaſi non donaverit meretrici pallium, ſed utendum tantum tradiderit. HEINSIUS. Helmaeſtadienſis, *credenda dari*, ut de mutuo ageretur. Sed alter locus ab Heinſio adductus docet hic agi de commodato. quare retineo, *utenda dari*: ſic *utenda accipere* Cicer. I. Offic. 15. Plaut. Aul. I. II. 18. *Quae utenda vaſa ſemper vicini rogant.* Trinum V. II. 7. *Nam beneficium homini proprium quod datur proprium ſumſerit. Quod datum utendum eſt, id repetundi copia eſt, quando velis.* Et ita paſſim ille. Epicedio in Druſum, *vita data eſt utenda, data eſt ſine foenore nobis.* Similem meretriciae rapacitatem Verris exagitat Cicer. II. Verr. 14. *Illo ſuo leviore artificio Heraclium aggredi conatur, ut eum roget inſpicienda, quae non reddat.* BURMANNUS.

435. *Ut proſequar.*] Multi ſcripti & editi, *perſequar*.

Cera vadum tentet, rasis infusa tabellis:
Cera tuae primum nuntia mentis eat.
Blanditias ferat illa tuas: imitataque amantum
Verba, nec exiguas, quisquis es, adde preces.
Hectora donavit Priamo, prece motus, Achilles:
Flectitur iratus voce rogante Deus.
Promittas facito: quid enim promittere laedit?
Pollicitis dives quilibet esse potest.
Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum:
Illa quidem fallax, sed tamen apta Dea est.
Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui.
Praeteritum tulerit, perdideritque nihil.
At quod non dederis, semper videare daturus.
Sic dominum sterilis saepe fefellit ager.

Sic,

437. *Rasis infusa tabellis.*] *Raris* Oxon. *roseis* Palatin. sed *rasae* tabellae sunt politae, aequato & levigato ligno, ut ita *rasile argentum*, *buxum* & similia obvia. *rasilis fibula* VIII. Met. 318. & Stat. VII. 658. *calathus* Ep. IX. 76. *radere* enim esse tornatorum & caelatorum docuit Salmasius Exercit. Plin. pag. 736. Martial. I. 118. dixit, paullum diverso sensu:

Rasum pumice, purpuraque cultum.

Hoc enim non, tabellas, sed chartas, aut membranas spectat, quae pumice poliebantur, ut ipse Noster lib. I. Trist. I. II. & de quo obvia omnia sunt. Denique *radi* dicuntur omnia, quibus asperitas demitur, ut sint levia & aequa BURM.

438. *Cera tuae primum conscia mentis eat.*] *Nuncia* Oxonienses, Sarravianus & unus Palatinus. bene. Noster Epist. Hypsip. VI. 9.

Cur mihi fama prior, quam nuntia litera venit?

Epist. XVII. 265. ut quidem illic scribendum videtur:

Hactenus arcanum furtivae nuntia mentis
Littera jam lasso pollice sistat opus.

Pont. lib. IV. El. XI.

Nuntia nam luctûs mihi nuper epistola venit.

Epistola XVI. 10.

Uror: habes animi nuntia verba mei.

Statius Sylv. lib. IV. VIII. 36. ad Julium Menecratem:

Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera.

Sic & *vultûs nuntia fama* Epistola Paridis. ita forte lib. III. 62. legendum:

Nuntia cum possit scriptas portare tabellas.

Ubi vulgo, *conscia* HEINSIUS vid. supr. 354.

439. *Imitataque amantum Verba.*] Neapolitanus. *mentem.* Lego, *amantem.* vel, *amorem.* nam *amorum* est in Oxonienses. infra 611.

Est tibi agendus amans, imitandaque vulnera verbis.

Sic Amor. lib. III. El. XIV. *imitare pudicam.* ut veteres libri, non *pudicas* cum vulgatis. HEINSIUS.

447. *Si dederis quicquam.*] *Dederis aliquid* libri plerique meliores. & recte. diximus supra ŷs. 389. infra. II. 337.

Sed non, quo dederis, à littore carbasa, vento
Utendum est.

Ita & illic veteres libri. ut & in Remedio Amoris, ŷs. 671.

Munera, quae dederis, habeat sine lite jubeto.

Amor. II. El. II.

Quod dederis illi, reddat ut ille tibi.

Trist. V. El. V.

Terga vapor dederis, Ausoniamque petas.

Horatius IV. Od. VII. 19.

Cuncta manus avidas fugient haeredis, amico
Quae dederis animo.

Libro I. Fastorum 17.

Da mihi te placidum: dederis in carmina vires.

Ubi *dederisque* insulse reponunt. l. VII. Met. 357. *vitam dederitis in undis* Vide quae noto ad Epistolam Didûs. ŷs. 51. ubi plura hujus notae. IDEM.

448. *Praeteritum tulerit perdideritque nihil.*] *Tuleris* unus Patavinus. tertius Regius, *perdiderisque.* nil muta. Videbitur accepisse, quod promiseras, nec quicquam perdet. HEINSIUS. Faber Epist. lib. I. Ep. 52. legit:

Nam pretium tulerit, reddideritque nihil.

Quam correctionem carpit Clericus Part. III. Art. Critic. Sect. X. cap. 16. sed defendit Heumannus in Parergis Criticis pag. 171. qui tamen mallet, *tum pretium tulerit.* & recte stultam esse Theologi, qui ab hujus libri lectione avocandus esset, explicationem ostendit. mihi, ut ingenue fateor, nondum plane horum versuum sententia patet.

puto

Sic, ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor:
Et revocat cupidas alea blanda manus.
Hoc opus, hic labor eſt: primo ſine munere jungi,
Ne dederit gratis, quae dedit, usque dabit.
Ergo eat; & blandis peraretur litera verbis:
Exploretque animos, primaque tentet iter.
Litera Cydippen, pomo perlata, fefellit:
Inſciaque eſt verbis capta puella ſuis.
Diſce bonas artes, (moneo) Romana juventus;
Non tantum, trepidos ut tueare reos.
Quam populus, judexque gravis, lectusque ſenatus;
Tam dabit eloquio victa puella manus.
Sed lateant vires; nec ſis in fronte diſertus,
Effugiant cerae verba moleſta tuae.

Quis,

puto tamen hoc velle Poëtam. ſi *aliquid*, id eſt exiguum munus, dederis avidiſſimae meretrici, rationem inveniet, qua te relinquet, quia captat magna munera, & ita videtur perdere, ſi exigua capiat; tu vero *praeteritum tuleris* (ita enim lego ex MSS.) id eſt quidquid ab ea jam ante impetraviſti, & *nihil perdideris*, quia nihil dederis. praeceptum continetur ultimo verſu amatori datum, ut quidquid poſſit blanditiis & pollicitis auferat, ſed nihil det. aliae interpretationes verbis non reſpondere mihi videntur, ut vero hic monet, ne quid perdat amator, ita ſimiliter lib. II. 292. *perde nihil.* Criſpinus vero hic ſupra omnes nugatur, qui explicat, *ſi tradideris aliquid poteris ratione carere. praeteritum ſuſtulerit & nihil amiſerit.* ad quae intelligenda novo Oedipo opus eſt. certe non cepit ille verbum *relinqui.* cujus vim ex lib. II. III. *nec te mirere relictum*, & infinitis aliis locis potuiſſet diſcere. *pretio* hic nullus locus, non enim illa pretium tuliſſe poteſt dici, quae *aliquid* modo accepit, & care vendere amplexus ſolet. ſi quis meliora attulerit, libentes a noſtra expoſitione diſcedemus, ſed a Criſpini ſimilibus vix exſpectanda lux obſcuris locis. ſi vulgatam quis ſervare velit, lucem forte poſſet adferre Epigramma Catulli CXI. ad Auſilenam, qui capiebat pretium & munera, nec tamen coitum dabat. monet ergo Poëta amatorem, ut nihil det, nam ſi aliquid, id eſt vel minimum dederit ante coitum, relinqui poterit a puella, quae quidem munus captat & aufert, ſed nihil viciſſim dat; nam illa praeteritum, id eſt olim datum mutus abſtulerit, & nihil ipſa, nihil reddendo, perdiderit. facinus ergo facit, ut Catulliana Auſilena *quod nec det, & ferat* tamen, vel auferat munera. BURMANNUS.

449. *Et quae non dederis.*] *At quod* meliores libri. niſi quod Oxonienſis, *At quae non dederas.* HEINSIUS. in uno codice erat, *at ſi non dederis.* non male, ut praeceptum contineat; ita ſemper prae te feras, ſimules te daturum, & ſis ſimilis agro fallaci. *Ut quod* Bernenſis unus, *ſed quod* Neapolit. *& ſi* tres. BURM.

452. *Revocat cupidas alea ſaepe manus.*] *Alea blanda* ex ſuo codice Zinzerling. Promuliide Critica. quod & in Commeliniano & quatuor aliis ipſe offendi. Pont. I. I. El. VI.

Nec tenet incertas alea blanda manus.

Sic & Martiali. *Blandâ vagus aleâ December.* l. IV. Ep. XIV. & apud eundem l. IV. 66.

Suppoſita eſt blando nunquam tibi teſſera talo.

Sequenti verſu, *primo*, pro *primum* meliores libri. HEINSIUS.

454. *Si dederit gratis.*] Regius & Oxonienſis, *ne dederit.* argute. Sperat enim ſe impoſterum non daturam gratis. ſuperiora hanc lectionem confirmant. Ambroſianus, *ne dederit.* alius, *nec dederit.* IDEM.

455. *Peraretur.*] *Portetur* duo. *tractetur* unus. *paretur* tres. ſed *properetur*, quod in alio eſt codice, mihi non diſplicet; quia τῷ *eat* melius reſpondet. vid. ad lib. I. Amor. eleg. XI. 7. & Broukh. ad Tibull. IV. I. 205. BURMANNUS.

457. *Perlata.*] *Perlecta* Bernenſ. & quinque alii. *praelata* octo. *prelata* quatuor. *delata* totidem.

463. *Nec ſis.*] *Ne ſis* octodecim libri. *in fronte ſeverus* duo. *lateant artes* etiam duo Palatini.

464. *Effugiant voces.*] *Cerae* libri tres. probe. *verba magiſtra* Argentinenſis. vide Notas in Epiſtolam Sapphûs ỳs. 83. ſed Τὸ *magiſtra* hic minus placet. HEINSIUS. *Moleſta verba* probum eſt; ea ſunt nimis erudita, & remota a vulgari & quotidiano uſu. ſic divinum illud Auguſti praeceptum Agrippinae Nepti datum, apud Sueton. cap. LXXXVI, *ſed opus eſt dare te operam, ne moleſte ſcribas aut loquaris.* vide Vavaſſ. de vi & uſu quorumdam verborum.

Quis, niſi mentis inops, tenerae declamet amicae?
Saepe valens odii litera cauſſa fuit.
Sit tibi credibilis ſermo, conſuetaque verba:
Blanda tamen, praeſens ut videare loqui.
Si non accipiet ſcriptum, illectumque remittet;
Lecturam ſpera: propoſitumque tene.
Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci:
Tempore lenta pati frena docentur equi:
Ferreus adſiduo conſumitur annulus uſu:
Interit adſiduâ vomer aduncus humo.
Quid magis eſt ſaxo durum? quid mollius undâ?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aquâ.
Penelopen ipſam (perſta modo) tempore vinces.
Capta vides ſero Pergama; capta tamen:
Legerit, & nolit reſcribere; cogere noli.
Tu modo blanditias fac legat usque tuas.
Quae voluit legiſſe, volet reſcribere lectis.
Per numeros venient iſta gradusque ſuos.
Forſitan & primo veniet tibi litera triſtis;
Quaeque roget, ne ſe ſollicitare velis.

Quod

borum. pag. 7. inepte Merula expoſuit, minus amicam delectantia. BURMANNUS.

465. *Declamat.*] *Declamet* verius meliores. HEINSIUS.

466. *Valens odii litera.*] Inepte Merula *valens* cum *litera* conjungit, & exponit dicendi efficacem, cum jungenda illa vox ſit cum *cauſſa* lib. v. Met. 174.

Non tamen ad letum cauſſas ſatis illa valentes
Plaga dedit.

1. Pont. ult. 35.

Unda locuſque nocent. & cauſſa valentior iſtis
Anxietas animi, quae mihi ſemper adeſt.

Et eodem libro Epiſt. III. 29.

Rurſus amor patriae, ratione valentior omni.

BURMANNUS.

467. *Credibilis.*] Douza interpretabatur, intellectu facilis, perſpicuus, &, ut ita dicat, intelligibilis.

467. *Conſuetaque verba.*] Alii, *conſultaque.* hoc eſt cauta, prudentia. ſed alterum praeſtat. Noſter lib. XI. Metam. 637.

Addidit his voces & conſuetiſſima cuique
Verba.

& infra libro III. Artis 479.

Munda, ſed è medio conſuetaque verba puellae
Scribite. ſermonis publica forma placet. HEINS.

Sic apud Petron. cap. LXXXVIII. *conſuetiſſimam viam*; pro *conſultiſſimam* reſcribendum conjecimus.

468. *Praeſens ut videare.*] *Praeſens ſic videare* Bernenſis unus.

469. *Illectumque.*] *Intactumque* ſex libri.

470. *Propoſitumque tene.*] *Tege* Herculan. male: vid. ad II. Met. 104.

472. *Lenta.*] Francius malebat, *dura.* male *lentae habenae* ſupr. ys. 5. & alibi.

474. *Interit aſſiduo.*] Junianus, *& perit*, cogitabam olim, *Aſſiduo teritur.* ut III. 91.

Conteritur ferrum, ſilices tenuantur ab uſu.

Sed nihil opus. Amor. I. XV. 31.

Ergo cum ſilices, cum dens patientis aratri
Depereant aevo. HEINSIUS.

475. *Quid magis.*] Hoc diſtichon adfert Senec. lib. IV. Natur. Quaeſt. 3.

477. *Perſtes modo.*] *Perſta* libri plerique. HEINSIUS.

480. *Legat ipſa tuas.*] *Legat uſque.* IDEM.

482. *Per numeros veniunt.*] *Venient* Oxonienſis, & quatuor alii. duo, *veniant.* HEINSIUS. huc pertinet Epigramma Mart. lib. II. 9.

Scripſi, reſcripſit nil Naevia; non dabit ergo:
Sed, puto, quod ſcripſi legerat, ergo dabit.

484. *Quaeque roget.*] Legendum vel invitis libris, *quaque roget.* de epiſtola intellige. HEINS. ita & Douza correxerat.

487. *Sive illa toro reſupina feratur.*] *Feretur* ſcripti. IDEM.

488. *Diſſi-*

Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat, ut inſtes.
Inſequere; & voti poſtmodo compos eris.
Interea, ſive illa toro reſupina feretur;
Lecticam dominae diſſimulanter adi:
Neve aliquis verbis odioſas adferat aures,
Quàm potes, ambiguis callidus abde notis.
Seu pedibus vacuis illi ſpatioſa teretur
Porticus: hic ſocias tu quoque junge moras.
Et modo praecedas facito; modo terga ſequaris:
Et modo feſtines, & modo lentus eas.
Nec tibi de mediis aliquot tranſire columnas
Sit pudor, aut lateri continuaſſe latus.
Nec ſine te curvo ſedeat ſpatioſa theatro:
Quod ſpectes, humeris adferet illa ſuis.
Illam reſpicias, illam mirere licebit;
Multa ſupercilio, multa loquare notis.
Et plaudas, aliquam mimo ſaltante puellam;
Et faveas illi, quisquis agatur amans.
Cum ſurget, ſurges; donec ſedet illa, ſedebis.
Arbitrio dominae tempora perde tuae.

Sed

488. *Diſſimulanter.*] *Diſſimulator* unus Heinſii. vid. ad. Epiſt. xx. 130.

489. *Afferat.*] *Offerat* Regius & Oxonienſis cum uno Vaticano. dixi Epiſt. xx. 192. Heinsius. Non facile ſtatim arripiendum verbum vicinum puto, ubi aeque ſenſui & elegantiae ſatisfacit vulgatum. Ita contra Broukh. in Tibul. I. IV. 49.

Rapta dabit primo, mox adferet ipſe roganti.

Praetulit vulgato *offeret.* Lucan. VII. 374.

Credite qui nunc eſt populum, populumque futurum,
Permixtas adferre preces.

Et ita hic rectum puto, *adferre aures*, quia *odioſas* additur, ut ita *odium adferre* Cicer. pro Sulla cap. 1. & alibi dixit. agit vero de auſcultatore moleſto, qui non *offert* aures, ſed *adfert* odioſas. *adhibere aures*, Noſter alibi dixit, & Plaut. Caſin. II. VII. 39. *conferat* hic Vaticanus & duo alii. Burm.

491. *Spatioſa.*] Recte. longae enim & porrectae porticus: unde apud Propert. lib. II. eleg. 23. praeferrem:

Tota erat in ſpatium Poenis digeſta columnis.

De quo Heinſ. ad III. Faſt. 529. & Brouk. ad. d. l. ſic contra *breves porticus* Suetonio Aug. 172. Pompejam porticum intelligebat Douza. de qua ſupr. vers. 67. ante oculos habuit haec Ovidii Martialis lib. III. 20.

Hinc ſi receſſit, porticum terit templi. Burm.

492. *Hic ſocias.*] *Huic* Junian. & quinque alii. *ſocias manus* Voſſian. *tu modo* quinque codices.

495. *Nec tibi de mediis aliquam tranſire columnis.*] *Aliquot tranſire columnas* Oxonienſis & decem alii. quae vera lectio. *aliquod columnas* Regius. quidam, *aliquot columnis.* quos inter Arondelianus. etiam non male. Lapides autem milliares intelligit. Heinsius.

497. *Sedeat ſpecioſa theatro.*] *Spatioſa* libri majori ex parte. idque vere. vide ſupra ꝟs. 141. Heins.

498. *Afferat.*] In Aproſii & Commelin, *auferat.* in quo etiam gloſſa. id eſt, *humeris ſuis pulchris auferat tibi ſpectaculum Theatri.* in Voſſiano erat, *oculis afferat illa ſuis.* ego legerem, *quod ſpectes oculis, afferat illa, tuis.* ne videa, quae in theatro exhiberi, & alios ſpectatores intentos habere ſolent; ſed adferat illa, quae ſpectes oculis tuis: eam ſolam ſpecta, illam mirere, &c. Burm.

501. *Et plaudas aliquo mimo ſaltante puellae.*] *Aliquam mimo ſaltante puellam* optime Scaligeri excerpta cum codice Oxonienſi. neque aliter veterrimus Regius à manu prima. Remedio Amoris 755. ubi agit de theatris:

Illic aſſidue ficti ſaltantur amantes.

Quae vera illic lectio eſt. Juvenalis VI. 63.

Chironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo.

Vellejus Paterculus lib. II. 83. *Cum Glaucum ſaltaſſet in convivio.* hoc *moveri* dixit Horatius. lib. II. Epiſt. ad Florum.

——— *Ut qui*
Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos:
Nec tua mordaci pumice crura teras.
Iſta jube faciant, quorum Cybeleïa mater
Concinitur Phrygiis exululata modis.
Forma viros neglecta decet. Minoïda Theſeus
Abſtulit, à nullâ tempora comtus acu.
Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amavit.
Cura Deae, ſilvis aptus, Adonis erat.
Munditiae placeant: fuſcentur corpora Campo:
Sit bene conveniens, & ſine labe toga.
Linguaque ne rigeat: careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxâ pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit doctâ barba reſecta manu.

Et

Nam & *motus* pro ſaltationibus, ut *motus Jonicos* idem Horatius dixit. in Perſio quoque Satyra v. Iſaacus Caſaubonus contendebat ſcribendum eſſe:

— *Ad numeros Satyrum moveare Bathylli.*

Non *Satyri*, quod nunc circumfertur, inductus Horatiano loco. *Aedipodem ſaltare* Macrobio Saturnal. II. cap. VII. *Cum Hylas Aedipodem ſaltaviſſet.* ubi plura ad rem idem Macrobius congeſſit. HEINSIUS.

502. *Et faveas.*] *Ut faveas* potiores ſcripti IDEM.

503. *Cum ſurgit ſurgas, donec ſedet illa ſedeto.*] *Surges* & *ſedebis* iidem ſcripti. *ſurget* etiam quidam. IDEM.

506. *Nec tua.*] *Nec tibi* Patavinus.

510. *Comtus.*] *Cultus* Aldina poſterior, Micylli, & aliae. ſcripti plerique tamen, *comptus.*

513. *Fuſcentur corpora Campo.*] Ad campum Martium refer, ubi ſeſe exercebant luctando, aliiſque ludicris & quidem nudi ut plurimum. Recte haec exercitia palaeſtrica atque athletica inter munditias refert Ovidius. illi enim, qui denudabant frequenter corpus, ei curando aſſidui incumbebant, ſordem omnem ac ſqualorem inde amoliti. ſed & ſole oleoque inbibitis corpora vegeta ac colorata reddebantur. Hoc *fuſcare corpora* dixit Noſter. Videatur Salmaſius contra Cercoetium pag. 182. *hinc nitida palaeſtra* paſſim poëtis. Unde Apulejo, *adoleſcens decorus & ſucci palaeſtrici plenus. munditias xyſticas* apud Tertullianum de Pallio cap. IV. habes; ut reſte caſtigarunt illic viri eruditi. Hoc eſt athleticas, palaeſtricas. ubi multa ad rem Tertullianus ipſe. *Xyſticas* autem *mundicias* dixit, quod porticibus jungebantur hypaethrae ambulationes, quas Graeci παραδρομίδας, Latini *xyſta* dicebant, in quas per hyemem ex xyſto ſereno caelo athletae prodeuntes exercebantur, teſte Vitruvio lib. V. HEINSIUS. *Fuſcentur corpora ſole* Hafnienſis, ut ad apricationem reſpiciat. ſed Stat. VI. 576. *pinguique cutem fuſcatur olivo.* qui locus docet ad exercitationes reſpici. *ſplendeſcere olivo* hoc vocat Noſter lib. X. Met. 176. & *niteſcere* ibidem Statius. vide & Cl. Graev. ad Cicer. I. de Offic. 36. BURMANNUS.

514. *Sit bene conveniens.*] *Sit tibi* Palatinus & Vaticanus. ut Ep. V. 77.

Nunc tibi conveniunt, quae te per aperta ſequuntur
Aequora.

Poſſet & legi, *ſit ſibi conveniens.* ceterum haec eadem praecipit Horat. lib. I. Sat. III. & lib. I. Epiſt. I. vide Caſaub. ad Theoph. Caract. περὶ ἀγροικίας, p. 135. & ſeq BURMANNUS.

514. *Et ſine labe togae.*] *Sit ſine labe* Arondeliano. HEINSIUS.

515. *Linguaque nec rigeat.*] *Ne rigeat* plerique libri veteres. IDEM.

516. *Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.*] Imitatus eſt Orientius Commonitorio:

Qui nunc in laxa tremulus tibi pelle vacillat,
Vix dederat tenui ſigna notata ſolo.

Ubi perperam, *tremulo ſolle* Rivinus reponit, & de caligis interpretatur, cum de calceis vulgata ſcriptura ſit intelligenda. Horat. I. Sat. III. 31. *Male laxus in pede calceus haeret.* eleganter autem *natat.* ſic νεῖν ἐν τοῖς ἐμβάσι, Ariſtoph. Equitib. ὑς. 321. Sidon. Apollinaris VII. Ep. 11.

Laxo pes natet altus in cothurno.

Apud Statium VI. Theb. 838.

Luxuriant artus, effuſaque ſanguine laxo
Membra natant.

De calceo D. Hieronymus ad Euſtachium, *ſi pes laxa pelle non fallat.* de quo Salmaſius ad Tertull. pallium. pag. 194. HEINSIUS. vid. Caſaubon. ad Theoph. Car. pag. 136. tentari forte poſſet locus Martialis lib. XIV. Epigr. 140. cujus lemma, *udones Cilicii.*

Non

Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus ungues:
Inque cavâ nullus ſtet tibi nare pilus.
Nec male odorati ſit triſtis anhelitus oris:
Nec laedant nares virque paterque gregis.
Cetera laſcivae faciant, concede, puellae:
Et ſi quis male vir quaerit habere virum.
Ecce ſuum vatem Liber vocat. hic quoque amantes
Adjuvat; & flammae, quâ calet ipſe, favet.
Gnoſis in ignotis amens errabat arenis,
Quâ brevis aequoreis Dia feritur aquis.
Utque erat a ſomno tunicâ velata recinctâ,
Nuda pedem, croceas irreligata comas;
Theſea crudelem ſurdas clamabat ad undas,
Indigno teneras imbre rigante genas.

Clama-

Non hos lana dedit, ſed olentis barba mariti,
Cinyphio poterit planta latere ſinu.

Ubi *natare* legendum eſſe veroſimile ideo fieri poſſet, quia in uno Voſſiano codice reperi, *latare*: ſed nihil temere muto. BURMANNUS.

517. *Nec male.*] Heinſius maluerat olim, *nec mala.*

518. *Sit docta barba reſecta manu.*] *Sit tuta* Oxonienſis & Regius. quod non capio. niſi legendum, *ſcita manu.* idque verum arbitror. ſic in Faſtis v. 54. *curvae ſcita Thalia lyrae.* & *ſcitus vadorum* libro IX. 108. Metamorph. *ſcite & literate praeſcriptae literae* Ciceroni oratione in Piſonem. Multi ſunt in ea voce Plautus ac Terentius: tum & Tullius. apud Tibullum tamen lib. I. Eleg. VIII.

Quid fuco ſplendente genas ornare? quid ungues
Artifici docta ſubſecuiſſe manu?

Et lib. II. Eleg. I. de Amore:

Hei mihi! quam doctas nunc habet ille manus?

Sequenti verſu, *ut nihil emineant* pro & veteres fere omnes, certe praecipui. HEINSIUS. Tu nihil move. *docta manus*, eſt perita, apta. vide ad Epiſt. XX. 210. & II. Amor. VIII. 24. & hoc eſt quod Juvenal. Sat. VI. 26. ait *jamque a tonſore magiſtro Pecteris.* BURM.

522. *Nec laedat nares.*] *Laedant* iidem. duo praeterea libri, *duxque paterque gregis*, non *virque*, quod mox ſequitur. *dux gregis*, ut in Faſt. IV. 715. *E duce lanigeri pecoris.* & 780. *cum duce purgat oves.* & Met. VII. 312. *Dux gregis inter oves.* Met. tamen II. 660.

De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus habendus.

Et Severus Carmine Bucolico, in Catalectis:

Hinc taurus ſolidi vir gregis & pater
Prato concidit herbido.

Et Virgil. Ecl. VII. 7.

Vir gregis ipſe caper deerraverat. HEINSIUS.

524. *Vel ſi quis.*] *Et ſi quis* ſcripti. *male vir*, Cinaedus. *virum*, amatorem, paediconem. Notum illud Varronis in Pompeium:

Faſciola qui crura tegit, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle? virum.

Hujuſcemodi homines cinaedos eleganter, *viroſos* apellat, quomodo *viroſae* mulieres virorum appetentes Lucilio & Afranio dicuntur, P. Scipio Africanus oratione in P. Sulpicium Gallum apud A. Gellium Noct. Attic. libro VII. cap. XII. *Qui quotidie unguentatur, adverſum ſpeculum ornetur, cujus ſupercilia radantur, qui barba volſa feminibuſque ſubvolſis ambulet, qui non modo vinoſus, ſed viroſus quoque ſit, eumne quiſquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinaedi facere ſolent.* Juvenalis Sat. II.

Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir.

HEINSIUS. Catullus Epig. XVI. *male me marem putatis.* DOUZA.

527. *Gnoſis in ignotis.*] Duo libri, *Gnoſias.* Moreti etiam, *in arvis.* unde legendum puto:

Gnoſias ignotis amens errabat in arvis.

Vel, *arenis.* nam & *arenam* dixit Epiſt. X. 20. Ita mox Ys. 556. *Bacchi, Gnoſias, uxor eris.* & ſupr. 293. vid. ad Epiſt. XV. 164. *demens errabat* etiam duo. BURMANNUS.

528. *Dia feritur.*] Variant admodum codices. *India fertur* alii. quidam, *inſula.* nonnulli, *unda refertur.* duo, *Chia feritur.* ſed veram lectionem jam Domitius olim ad Stat. lib. I. Silv. II. 141. vidit. vid. ad III. Met. 690. BURMANNUS.

529. *E ſomno.*] *A ſomno* Commelini. duo Palatini, & undecim alii. recte. vide ad Ep. X. 16.

532. *Indigno teneras.*] Palatinus unus, *croceas.* in Commeliniano vox exciderat.

Clamabat, flebatque ſimul; ſed utrumque decebat:
Nec facta eſt lacrimis turpior illa ſuis.
Jamque iterum tundens molliſſima pectora palmis,
Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait. ſonuerunt cymbala toto
Litore, & attonitâ tympana pulſa manu.
Excidit illa metu, rupitque noviſſima verba:
Nullus in exanimi corpore ſanguis erat.
Ecce Mimallonides ſparſis in terga capillis:
Ecce leves Satyri, praevia turba Dei:
Ebrius ecce ſenex pando Silenus aſello,
Vix ſedet; & preſſas continet arte jubas.
Dum ſequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque;
Quadrupedem ferulâ dum malus urguet eques;
In caput aurito cecidit delapſus aſello.
Clamarunt Satyri, Surge age, ſurge, Pater.

Jam

533. *Utrumque decebat.*] *Utroque* unus Heinſii; *placebat* Aproſii.

539. *Excidit illa metu, &c.*] Intelligendum eſt, ſermone, ſive verbis: hoc eſt, deſiit loqui, & conqueri de Theſeo, metu correpta. Mycill. male: de mente intelligendum. vid. ad Remed. 348. ſequentia, *rupitque noviſſima verba*, ſermonem interruptum notant. eſſe imitationem Virgiliani iſtius; *dixitque noviſſima verba* Douza adnotaverat.

540. *In exanimi.*] *In exanimo.* Bernenſ.

541. *Ecce Mimallonides ſparſis in terga capillis.*] *Mimallones*, à quo *Mimallonides*, à Mimante vulgo dictas volunt: quod in eo monte ſacra Bacchi celebrata fuerint. Suidas autem, & Graeci alii, ἀπὸ τῆς μιμήσεως nomen hoc deductum tradunt, eo quod foeminae iſtae virorum facta imitarentur. Eaſdemque antea etiam κλαδῶνας dictas ajunt: puta quod ramos, ſive thyrſos geſtarent. Micyll.

544. *Preſſas.*] Malim, *prenſas.* Heinsius. & tunc mox eleganter Palatinus, *fugiuntque premuntque.* ut ludicrum indicet, quo Bacchae ſenem ebrium & vacillantem nunc fugiunt, nunc iterum tangunt & premunt, *comprimit* etiam unus Patavinus. vid. ad ỳs. 47. nihil tamen muto. Burmannus.

546. *Dum malus urget.*] *Male ſedit* Regius; forte, pro *ſedat* a *ſedare.* Vexatus enim a Bacchis & ſenex & aſinus, qui cauda & jubis prehenſus exultabat, & male ſedabatur a Sileno. omnia enim de ludo, quem Bacchae faciebant Sileno, capienda: vel *urget*, eſt impellit, ut progrediatur tardum animal, & effugiat mulierum manus. Burmannus.

547. *Aurito aſello.*] *Auritae aſellae* unus Mentelii. *arrepto cecidit delapſus aſello*, Bernenſis unus. vide II. Amor. VII. 15.

548. *Surge Pater.*] *Senex* Oxonienſis & Sarravianus. ſequenti verſu, *è curru* quinque libri. Heinsius. *in curru* defendi poteſt ſimili loco lib. II. Art. 433.

Adſpice ut in curru modo det fluitantia rector
Lora.

551. *Et color & Theſeus.*] Politiani liber & Hafnienſis, *Et color & ſenſus.* ut lib. III. 730.

Et mens, & rediit verus in ora color.

Niſi *Theſeus* ferri poſſet, ut in illo Statii Theb. I.

Attonitas ut nuntius aures
Matris adit, pulſi ex animo genitorque pudorque
Et metus. Heinsius.

Jam color & ſenſus nonnulli alii; *jam color & timidae vires abiere puellae* Bernenſis unus. *& nox* Palatin.

553. *Steriles agitat quas ventus ariſtae.*] Putabam aliquando legendum, *ſteriles avenae;* quod ſic Virgilium quoque locutum meminiſſem. nunc nihil mutandum cenſeo. intelligit ariſtas ſole aduſtas, ac proinde ſteriles. Epiſt. V. III.

Et minus eſt in te, quam ſumma pondus ariſta,
Quae levis aſſiduis ſolibus uſta riget.

Adi Notas ad Epiſt. XIV. ỳs. 39. Heins. *Ariſtas* Francofurtenſis, duo Regii & ſex alii.

554. *In madida.*] Nullum dubium, quin omnis palus ſit *madida*, itaque otioſum epitheton videri jure poteſt. Ambroſianus & Voſſianus, *media.* ut inf. 748.

In medio flumine mella petat.

II. Art. 482.

Invenit in media femina piſcis aqua.

Remed. 534.

In medio jam licet amne bibas.

Ita *madidum* & *medium* confuderunt librarii apud Claud.

Jam Deus è curru, quem ſummum texerat uvis,
Tigribus adjunctis aurea lora dabat.
Et color, & Theſeus, & vox abiêre puellae:
Terque fugam petiit: terque retenta metu.
Horruit, ut ſteriles, agitat quas ventus, ariſtae:
Ut levis in madidâ canna palude tremit.
Cui deus, En adſum tibi cura fidelior, inquit:
Pone metum, Bacchi, Gnoſias, uxor eris.
Munus habe coelum: coelo ſpectabile ſidus
Saepe reges dubiam Creſſa Corona ratem.
Dixit; & è curru, ne tigres illa timeret,
Deſilit: (impoſito ceſſit arena pedi.)
Implicitamque ſinu (neque enim pugnare valebat)
Abſtulit: ut facile eſt omnia poſſe Deo.
Pars, Hymenaee, canunt: pars clamant, Evie, evoë!
Sic coëunt ſacro nupta Deusque toro.

Ergo,

Claud. II. Rapt. 91. *Utque levis madida* Vaticanus. BURMANNUS.

557. *Coelo ſpectabere ſidus.*] *Spectabile* Arondelianus. ut ex eo monuit legendum praeſtantiſſimus Gronovius Obſervat. lib. II. cap. XXI. cui ſubſcribo. quanquam reliqui noſtri vulgatam ſequantur. ſequenti verſu ſcripti plerique, *Creſſa Corona*, non *puella*. De Ariadnes Corona in coelum relata fuſe Noſter l. III. Faſtorum aliique jam egerunt. Triſt. lib. X. Eleg. III.

Sic micet aeternum vicinaque ſidera vincat
Conjugis in coelo Creſſa Corona tuae.

Ut vere illic Zulichemianus liber, cum in vulgatis ſit, *clara Corona. Gnoſſida Coronam* vocat in Faſtis Noſter, *Gnoſiam Coronam* Virgilius, Statius, *Coronam Gnoſiacam. & Minoam Coronam* in Silv. Claud. lib. III. in Stilich. *Dictaeam coronam.* de Creſſa Corona etiam vidit Gronovius. HEINS. *coeli ſpectabere* multi ſcripti & editi olim. *coeli ſpectabile* etiam Bernenſis unus. amat Noſter illud verbum *ſpectabile*, quamquam apud ejus aevi ſcriptores non admodum fuerit in uſu. Epiſt. VI. 47. & XII. 201. *Aries villo ſpectabilis aureo.* ſic in Amor. I. Am. 8.

Palla ſpectabilis aurea.

III. Met. 709. *Spectabilis undique campus.* III. Triſt. 8. 35. *Veluti ſpectabile corpus.* & alibi. BURM.

559. *Ne tigres.*] *Ne tigrides* Patavinus, unde Heinſius, *tigridas.* vid. Ep. X. 86.

560. *Arena pede.*] *Pedi* ſex libri. bene. HEINS. *deſiluit poſito c. a. pede* Bernenſ. & Palatinus.

562. *Ut facile eſt.*] *In facili eſt* Regius & unus Patavinus. Oxonienſis & Vaticanus unus, *en facile eſt.* ſic, *ex facili.* Remed. Amor. 522. *ex facili gaudia ferre licet.* & ſupra. 356. *Quod licet, ex facili, ſi volet illa, feres.* & in Faſtis. VS. 350. *Non ex difficili cauſa petenda ſubeſt.* HEINSIUS. *Abſtulerat. facile eſt.* Bernenſ. ego nihil muto, licet illud *in facili* elegans ſit, & illuſtratum Gronov. ad Liv. III. 8. BURMANNUS.

563. *Hymenaee canunt.*] Sic eſt in Vaticano. non male. CIOFANUS. Mire variant hic veteres libri. Regius cum Excerptis Scaligeri & Puteani, aliiſque nonnullis, atque eos inter Arondeliano:

Pars Hymenaee canunt, pars clamant Evion evoë.

Nec abludit Oxonienſis, in quo, *Evio evoë.* fortè pro, *Evie evoë.* Poſſet & legi, *Evan evoë.* ut verſus ſit ſpondaicus. Jureti liber:

Pars Hymenaea vocat, pars altera clamat ehohe.

Helmaeſt. *Pars altera clamat echion.* Alii codices, *pars Evion Evie clamat*, & his ſimilia, quae recenſere odioſum foret. Quare ſcribi etiam poſſet:

Hymen pars Hymenaee canunt, pars Evie evoë.

Vel, *Evan evoë*, vel *Evie Evan.* ut Lucretio vers. 722. *graditur ſimul Evius Evan.* Columella libro X. 220.

Exſtimulet vatem per Dindyma caſta Cybebes,
Perque Cithaeronem, Nyſeïa per juga Bacchi,
Per ſua Parnaſi, per amica ſilentia Muſis
Pierii nemoris Baccheâ voce frementem
Delie iö Paean, teque Evie Evoë Evan.

Sic verſus mendoſiſſimi ſcribendi. denique *τὸ clamant* mendi ſuſpectum eſt, cum ad *τὸ canunt* referri omnia concinne poſſint, quare perſuadeor, ut credam Naſonem ſcripſiſſe:

Pars hymenaee canunt, pars Evan Evie Evoë.

Nam haec tria Ennius Athamante etiam conjunxit:

Ergo, ubi contigerint poſiti tibi munera Bacchi,
Atque erit in ſocii femina parte tori;
Nycteliumque patrem, nocturnaque ſacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.
Hic tibi multa licet ſermone licentia tecto
Dicere, quae dici ſentiat illa ſibi:
Blanditiasque leves tenui perſcribere vino;
Ut dominam in menſa ſe legat illa tuam:
Atque oculos oculis ſpectare fatentibus ignem.
Saepe tacens vocem verbaque vultus habet.
Fac primus rapias illius tacta labellis
Pocula; quàque bibet parte puella, bibas.

Et

His erat in ore Bromius, his Bacchus pater;
Illis Lyaeus, vitis inventor ſacrae,
Tum pariter Evan Evoë, Evoë Evius.
Ubi forſan ſcribendum, *vitis inventor ſatae*; hoc eſt *vitiſator*, quod inter cognomina Bacchi apud Poëtas. ſed & *ſacra vitis* Horatio lib. I. Od. 18. Paulo ante apud Columellam etiam reponendum, *Iſta canat majore Deo.* non *majora.* HEINSIUS.

Pars Hymenaea vocat, pars altera clamat Eohe.
Bernenſ. unus. & *Hymenaea* multi codices. de quo vide ad Ep. XII. 143. & XIV. 127. opportuna autem hic, ſi quando, mentio Hymenaei, utpote qui primus his nuptiis ceciniſſe narratur. vid. Servium ad Virgil. eclog. VIII. 29. BURMANNUS.

565. *Ergo ubi contigerint.*] *Contingent* Moreti & tres alii; *contigerit* alius. forte, *contigerunt.* lib. III. 1 Triſt. IX. 19.

Ergo ubi proſpexit venientia vela.

568. *Ne jubeant capiti vina nocere tuo.*] Scaliger ſcribebat:

Ne ſubeant capiti vina nociva tuo. DAN. HEINS. Scaliger ad Propert. lib. IV. Eleg. II. 30. conjiciebat, *Ne ſubeant capiti vina nociva tuo.* Lego, *Ne ſubeant nocere*, uſitato Graeciſmo. Noſter in Triſt. l. I. El. VI.

Quae quoties ſpectas, ſubeat tibi dicere forſan.
Statius Theb. VI. 408.

Sunt & qui nudo ſubeant concurrere ferro.
Propertius lib. IV. El. II.

Clamabis capiti vina ſubiſſe tuo.
Quae vera lectio. Idem l. II. El. XXVII.

Ne ſubeant labris pocula nigra tuis.
Propert. II. El. XI. 5.

Et quid cura ſubit memores ah ducere noctes.
Sic lego; vulgo, *abducere.* Virgil. II. Aen. 575.

Subit ira cadentem Ulciſci patriam.
Claudian. conſ. Mall. 46.

Mox clarum, totamque ſubit torquere carinam.
Stat. lib. V. Silv. II. 105.

Defenſare metus adverſaque tela ſubiſti
Pellere inermis adhuc.
Theb. VII. 381.

Urbem ſocia de gente ſubiſtis, Tutari. HEINSIUS. In Propertii loco mendum eſſe ſuſpicatur Typographicum Broukhuſius, & legendum, *Clamabis capiti vina ſubiſſe meo.* & recte. pro *ſubeſſe* enim *ſubiſſe* tantum volebat corrigi Heinſius. Paſſeratius hic vulgatam tuetur.

569. *Latentia ficto.*] *Tecto* iidem Vaticani. verè. CIOFANUS. *Tecto* ſcripti noſtri. HEINSIUS. *Ficto* Berſmanni tres libri. Gebhardus vero *ſermone licentia tecto.* Et ita in duobus Palatinis & Commeliniano exſtare ait. quod placet. Quint. lib. I. Inſt. 2. *gaudemus ſi quid licentius dixerint.* ſic *licente turba* Senec. Hipp. 780. Claud. Feſcen. 129.

Permiſſiſque jocis turba licentior
Exultet tetricis libera legibus.
Ita Frontin. I. Strat. I. 5. *licentiora convivia.* & *licentia vina* Epiſtola Sabini I. ỳs. 49. ubi vide Heinſ. & hoc eſt quod dicit Epiſtol. XVI. 245.

Quin etiam ut poſſem verbis petulantibus uti,
Non ſemel ebrietas eſt ſimulata mihi.
Tecto vero rectum eſt. ut eadem Epiſtola. 256.

Et modo per nutum ſigna tegenda dabam.
Epiſtola XVII. 81.

Quoties ego tecta notavi
Signa, ſupercilio pene loquente, dari. BURM.

571. *Perſcribere.*] *Praeſcribere* Regius cum quatuor aliis. nil muto. HEINSIUS.

573. *Fatentibus ignem.*] *Foventibus* tres libri. ſed vulgata non eſt ſollicitanda. IDEM.

575. *Fac primus.*] Lucian. Dial. Deor. ex perſona Junonis, iſtiusmodi delicias amantibus ſolitas marito ſuo objectantis, ita loquitur de Ganymede: Ἐνίοτε δὲ καὶ ἀπογευσάμενος μόνος, ἔδωκας ἐκείνῳ, καὶ πίνοντος ἀπολαβὼν τὴν κύλικα, ὅσον ὑπόλοιπον ἐν αὐτῇ πίνεις, ὅθεν καὶ αὐτὸς ἔπιε, καὶ ἔνθα προσήρμοσε τὰ χείλη ἵνα καὶ πίνῃς ἅμα καὶ φιλῇς. quod ipſum planius etiam habes in Apulejo lib. X. Met. *Arripit*

Et quodcumque cibi digitis libaverit illa,
Tu pete: dumque petes, ſit tibi tacta manus.
Sint etiam tua vota viro placuiſſe puellae.
Utilior votis factus amicus erit.
Huic, ſi ſorte bibes, ſortem concede priorem:
Huic detur capiti dempta corona tuo.
Sive ſit inferior, ſeu par, prior omnia ſumat:
Neu dubites illi verba ſecunda loqui.
Tuta frequensque via eſt, per amicum fallere nomen.
Tuta frequensque licet ſit via; crimen habet.
Inde procurator nimium quoque multa procurat,
Et ſibi mandatis plura videnda putat.

Certa

pit poculum, ac deſuper aqua calida infuſa porrigit ut bibam, idque modico prius, quam totum exſorberem clementer invadit, ac relictum paulatim labellis minuens, meque reſpiciens ſorbillat dulciter. vide Epigr. Graecum in Anthol. quod ego verti, & cui titulus eſt, *Haud meri ego cupidus.* DOUZA.

576. *Quâque bibit.*] *Bibet* potiores. & Jureti codex cum quibuſdam aliis, *tu quoque parte bibas.* ut Epiſtola Helenae:

——— *Modo pocula proxima nobis*
Sumis, quaque bibi, tu quoque parte bibis.

HEINSIUS.

577. *Et quemcunque cibum.*] Probe in uno Vaticano, *Et quodcunque cibi.* ſic Remedio Amoris ex antiquis libris 514.

—— *Quodcunque in corpore mendae eſt.* IDEM.

578. *Sit tibi tacta manus.*] Hoc ſub ſpecie aliqua ſolent amatores facere. Tibul. I. Eleg. VII. 25.

Saepe velut gemmas ejus ſignumve probarem,
Per cauſſam memini me tetigiſſe manum.

580. *Utilior votis.*] *Vobis* Regius aliique multi. HEINSIUS. ſed cum omnia praecedentia & ſequentia tertiam perſonam ſingularis numeri exhibeant, hinc non ſatis eleganter *vobis* interjicitur. *votis* vero eleganter repetitur. *verbis* Regius codex; quae ſi quem offendant, legere poſſet, *utilior furtis.* Ita *furta* & *vota* confuderunt ſcribae lib. IX. Met. 557. & Heinſ. infr. vers. 671. pro *voto* conjiciebat *furto*, ſed illi loco non ſatis accommodate. BURM.

581. *Huic ſi forte bibas.*] *Si forte* Puteani & Scaligeri excerpta. vere. notum illud, *Nec regna vini ſortiere talis.* tum & hoc, *Quem Venus arbitrum dicet bibendi.* De lege Talaria conviviorum jam abunde diſſeruerunt homines eruditi. HEINS.

582. *Capiti miſſa corona tuo.*] *Demta corona* Jureti codex, Ambroſianus unus & Neapolitanus. infra l. II. 528.

Et capiti demtas in fore pone roſas.

Met. XV. 610. fabula Cipi:

Et demta capiti, populo prohibente, corona,

Epiſtola XII. 20.

Demta forent capiti quam mala multa meo.

Livius lib. XXVII. cap. 33. *demtum capiti inſigne.* Noſter Epiſt. XII. 156.

Sertaque compoſitis demere rapta comis.

Pro vulgata tamen lectione faciunt, quae notavi Faſt. II. ℣s. 634. HEINS. Douza retinebat *miſſa*, & explicabat, coronam tuo capiti paratam deſtinatamque illi impone, tanquam meliorem ac digniorem demereri cuperes. *miſſa corona* etiam lib. II. Art. 269.

583. *Prior omnia ſumat.*] *Omina* Scaliger. cujus ut & Jureti codex ſequenti verſu, *Neu dubites.* pro *ſive erit inferior* Regius mendoſe: *ſi velit.* Lege, *ſive ſit.* atque ita decem ſcripti. HEINSIUS.

584. *Verba ſecunda loqui.*] *Proxima verba* Palatinus. male: eſt idem quod Terentius Heaut. IV. VI. 22. & Adelph. V. IX. 37. dixit *obſecundare in loco*, non contradicere, nec adverſari; ſed aſſentari & ejus ſententiae accedere. Ita II. Art. 64. dixit, *vela ſecunda.* alio ſenſu *verba ſecunda* Propert. III. XII. 42. & recte Douza a *ſequor* deduxit verba *ſecunda*, prima enim dignioribus concedi ac tribui ſolent. quod ſcriba ille, qui *proxima* ſuppoſuit, ignoravit, male etiam Francius tentabat, *verba minora.* quae huc nihil faciunt. BURMANNUS.

585. *Tuta frequenſque via eſt per amici fallere nomen.*] Fuit cum, *Trita frequenſque via eſt* opinarer legendum. Nunc nihil muto. nili quod *amicum nomen* cum codice Patricii Junii & uno Vaticano amplector. Manilius l. II. 634.

— *Illis (ſaepe eſt nam ſubdolus aſtus)*
Scorpios aſpergit noxas ſub nomine amico.

Ubi perperam vir magnus, *nomine amici* reponit ex codice Gemblacenſi. pro *ſubdoluſ actus* emendavi, *aſtus.* ſic *ungues amicos* dixit Juvenalis Sat. V. ut in Leidenſi codice legitur:

—— *Cuſtos adfixus ibidem*
Qui numeret gemmas, ungueſque obſervet amicos.

Pectus amicum. Art. 737. *ventus amicus* Noſtro Met.

Certa tibi à nobis dabitur menſura bibendi:
Officium praeſtent mensque pedesque ſuum.
Jurgia praecipuè, vino ſtimulata, caveto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion ſtultè data vina bibendo.
Aptior eſt dulci menſa merumque joco.
Si vox eſt, canta: ſi mollia brachia, ſalta:
Et, quacumque potes dote placere, place.
Ebrietas ut vera nocet, ſic ficta juvabit.
Fac titubet blaeſo ſubdola lingua ſono:

Ut,

Met. XIII. vers. 440. *amica cauſſa* Triſt. I. Eleg. VIII. vers. 65. *amica lima* Pont. II. El. IV. vers. 17. quomodo iſta ex codicibus vetuſtis caſtigavi. ſic *alumnum numen* in Metam. & *cognatum nomen* in Faſtis, aliaque his ſimilia. HEINSIUS. mihi maxime *trita* placet, ut ad Quinct. I. Inſt. 6. profeſſus ſum. nam *tutus* & *tritus* paſſim confuderunt. vid. I. Faſt. 449. Apud Senecam de Vita Beata cap. I. eodem modo. *Tritiſſima quoque via & celeberrima maxime decepit.* & ibi *tutiſſima* codices habere Gruterus teſtatur. *trita* autem & *celeberrima*, ut hic *trita* & *frequens.* ſupr. vers. 52. *longa terenda via eſt.* Remed. 601. *Nona terebatur miſerae via.* Plin. praef. lib. I. *iter eſt, non trita auctoribus via.* Prop. III. XVI. 22.

Eſt mala, ſed cunctis illa terenda via.

BURMANNUS.

287. *Inde Propinator nimium quoque multa propinet. Et ſibi.*] Recta fit fortaſſe haec lectio, & congruus etiam ſane ſenſus elicitur, & ab omnibus hactenus probata eſt. mihi tamen neſcio quo pacto id ſubblanditur magis, quod in veteribus prope omnibus libris legi:

Inde procurator nimium quoque multa procurat,
Ut ſibi mandatis plura videnda putet.

Ut ſcilicet id perſequatur Ovidius, quod proximis carminibus coeperat. ac de iis loquatur, qui ſub amici nomine obrepentes maritos fallunt, atque illis abſentibus procuratores relicti (quod perſaepe inter amicos ac familiares evenit) uxoris etiam curam habentes plura curent, quam illis mandatum ſit. hoc ſenſu verba illa *procurare*, & *mandata*, & *videre* maxime proprio ſignificatu proferrentur. NAUGERIUS. idem liber, *inde Propinator nimium quoque multa propinet.* CIOFANUS. De *propinatore propinante*, quod viri eruditi, depravatos codices ſecuti, hic produnt, à vero alienum eſt. Libri certe meliores nihil variant. Agit de procuratoribus, quos domini abſentes rebus ſuis conſtituebant, quique iſta occaſione eorum auctoritate, quorum res curabant, nonnunquam abutebantur. Ita cum Naugerio etiam doctiſſimus Gronovius locum capit. qui illud *videnda* ſequenti verſu interpretatur pro providenda & curanda. ut apud Terentium: *Aliud ſodes lenius vide: &* Ciceronem: *Mandavi ei, ut prandium nobis videret:* & ſaepe apud eundem. Neque aliter magnus Cujacius Obſervat. l. XII. cap. XXXIV. qui addidit locum Varronis: *Tu domi videbis.* & Plauti: *Qui herilem rem procurat, videt.* perperam igitur tres codices cum Jureti libro, qui *jubenda*, & Rottendorphian. qui *bibenda* exhibent. quod poſtremum tamen Scaligero quoque conjectanti in mentem venerat. HEINSIUS. Certe nugae de Propinatore. de tali procuratore cape Epigr. vetus inter Catalecta Pithoei. pag. 137.

Procurator eram Lepidae, moreſque regebam. BURM.

589. *Certa tibi à nobis.*] Regius Tò *à* non agnoſcit. HEINSIUS.

590. *Officium praeſtent, mensque pedesque ſuum.*] Videtur reſpexiſſe ad illud Terent. in Eunucho:

Neque pes neque mens ſatis ſuum officium facit.

CIOFANUS. *faciat* etiam unus Junii. *fervent* Patavinus.

591. *Stimulata.*] Neſcio an non Latinius, quod in Junii & decem aliis eſt, *vino ſtimulante.*

592. *Faciles ad fera bella manus.*] Regius, & ſex alii, *fera verba.* hoc eſt, manus cavete inter jurgia nimium paratas & promtas, per quas ad verbera à verbis veniatur. HEINSIUS. *Verba* etiam Francofurtenſis. *ad fera tela* unus Heinſii: nil muto.

595. *Si vox eſt, canta.*] *Si tibi vox, canta.* Francof.

596. *Dote.*] *Arte* Commelin. & quindecim alii. *parte* unus Vaticanus. ut Ep. XV. 40.

Omnique a parte placebam.

Sed nihil muto. eadem varietas lib. VI. Faſt. 81.

Hic male defenſus flammis & dote paterna.

Ubi, *arte paterna.* Nazarinianus. BURM.

599. *Et quicquid dicesfacieſve.*] *Ut quicquid facias dicaſve* ſcripti meliores. Sed vere Neapolitanus. *Ut, quicquid facies diceſve.* Tò *Ut* refer ad *Credatur.* HEINSIUS.

601. *Et bene, dic, Dominae.*] *Dominam* ſcribendum

Ut, quidquid facies dicesve protervius aequo,
Credatur nimium cauſſa fuiſſe merum.
Et, Bene, dic, dominae; bene, cum quo dormiat illa:
Sed male ſit tacitâ mente precare viro.
At, cum diſcedet mensâ conviva remotâ;
(Ipſa tibi acceſſus turba locumque dabit)
Inſere te turbae: leviterque admotus eunti,
Velle latus digitis; & pede tange pedem.
Colloquio jam tempus adeſt. fuge ruſtice longe
Hinc pudor: audentem Forsque Venusque juvant.

Non

dum exiſtimo vel contra libros. Plautus Sticho Act. v. Sc. IV.

Tibi propino decumâ fonte. tibi tute inde, ſi ſapis.

S A. *Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium.* ut *precor valere* ſubintelligatur. Noſter in Faſtis l. II. 637.

Et, bene nos, bene te, patriae pater optime, Caeſar, Dicite.

Ubi *bene tu* perperam hactenus legebatur. Tibullus, II. I. 31.

Et bene Meſſalam, ſua quiſque ad pocula dicat.

Quod mutari à Scaligero nolim. etſi non ignorem iſta Plauti Perſa Act. v. Sc. I.

Bene mihi, bene vobis, bene amicae meae.

Et mox:

Bene omnibus nobis! hoc mea manus tuae poculum donat,

Bene ei, qui invidet mihi, & ei, qui hoc gaudio gaudet.

Unde liquet utrumque in uſu fuiſſe. ſic *benedicere* & *maledicere aliquem* & *alicui*, de quo nos ad Petronii Fragmentum Tragurianum cap. LXXIV. *dormiat* etiam pro *dormiet*, recte veteres libri. & *diſcedat* ſequenti verſu *pro diſcedit*. HEINS. Ego contra libros nihil moveo. vid. ſupr. ad lib. I. Amor. eleg. VIII.

Saepe mihi dices vivae bene.

Et Broukhuſ. ad Tibulli verba producta.

601. *Bene cum quo dormiat illa.*] Id eſt amatori: dubiè enim dictum, ut & de viro poſſit capi, idque dici ſibi callidus maritus credat, ita *dormire cum aliquo*, ſumi docuit diligentiſſimus Paſſeratius ad Propertii lib. v. eleg. v. pag. 269. Noſter Epiſt. XXVII. 179.

Et tu ſine conjuge dormis.

Remed. Am. 481.

Nam ſi Rex ego ſum; nec mecum dormiat illa.

Et 563. ex MSS.

Hic male dotata pauper cum conjuge dormit.

Hinc apud Quinctil. VIII. 3. librarii verba Ciceronis; *Puſio, qui cum majore ſorore cubitabat*, mutarunt in *dormitabat*. niſi Fabius memoria lapſus ſtatuatur. & ita Hebraeos dixiſſe *ſomnum* pro coitu, & *dormire* pro coire docuit Illuſtris Huetius in diſſertatione I. pag. 48. quam nuper Tilladetius vulgavit. eodem modo *jacere cum aliquo*, de quo vid. ad III. Met. 363. BURMANNUS.

603. *Menſa conviva remota.*] Sic legendum videtur. CIOFANUS. *relicta* Voſſian. vid. ad II. Amor. v. 25. 21.

604. *Turba locumque dabit.*] *Locuſque dabunt.* unus Vatic. Lege, *locumque dabunt.* & ſic Jureti liber. ſic *Turba ruunt* & ſimilia paſſim. HEINSIUS.

605. *Leviterque admotus.*] *Pariterque* Palatinus. ſed *leviter* eſt ſine multo ſtrepitu. ut *levius ſtrepere* Sall. Bel. Jug. 44. ut ita *leviter dicere*, de quo ad Epiſt. III. 80. *leviter accedere* Quinct. Decl. I. 3. in voce *admotus* etiam aliquid nequius latet. Petron. cap. LXXXVI. *ad hoc votum ephebus ultro ſe admovit.* Propert. I. 3.

Oſculaque admota ſumere ad ora manu.

Catul. Ep. XVI.

Si manus veſtras
Non horrebitis admovere nobis. BURM.

606. *Velle latus.*] *Pelle* multi ſcripti. *Molle latus* Voſſii & tres alii, *tange* Voſſian. & duo alii.

607. *Colloquio.*] Ita duo libri; editi olim, *colloquii. colloquiis* unus.

608. *Audacem Forſque Venuſque juvant.*] *Audentes* Sarravianus. ſed *audentem* Editio prima & triginta ſex ſcripti. idque verum eſſe, ex communi dicto & imitatione Virgiliana eſſe arbitror. ita enim Maro. X. Aeneïd. 284.

Audentes Fortuna juvat.

Ubi vid. Cerd. & Noſter. II. Faſt. 783.

Audentes Forſne Deuſne juvet.

Et X. Met. 586.

Audentes Deus ipſe juvat.

Claudian. Epiſt. ad Probin. 9.

Fors juvat audentes.

Et id ipſa ratio ſuadet. *Audax* enim eſt temerarius, quem a Deo juvari ſtultum eſſet dicere. ſed *Audens* eſt fortis, animoſus, conſtans, qui intrepido animo omnia adgreditur. *Audentem* eſſe laudi ducitur, *audacem* vitio. & id ex oppoſitione cla-

Non tua ſub noſtras veniat facundia leges.
Fac tantum incipias, ſponte diſertus eris.
Eſt tibi agendus amans, imitandaque vulnera verbis.
Hinc tibi quaeratur qualibet arte fides.
Nec credi labor eſt: ſibi quaeque videtur amanda.
Peſſima ſit, nulli non ſua forma placet.
Saepe tamen verè coepit ſimulator amare:
Saepe, quod incipiens finxerat eſſe, fuit.
Quo magis ô faciles imitantibus eſte, puellae.
Fiet amor verus, qui modo falſus erat.
Blanditiis animum furtim deprendere nunc ſit:
Ut pendens liquidà ripa ſubitur aquà.
Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos;
Et teretes digitos, exiguumque pedem.
Delectant etiam caſtas praeconia formae.
Virginibus curae grataque forma ſua eſt.
Nam cur in Phrygiis Junonem & Pallada ſilvis
Nunc quoque judicium non tenuiſſe pudet?

Lau-

rius eluceſcit: *Audenti* enim *ignavus* contrarius; ita lib. VIII. Met. 73.

Ignavis precibus fortuna repugnat.

Et ita apud Virgilium VI. Aen. 95.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quam tua te Fortuna ſinit.

Et lib. IX. 291.

Audentior ibo
In caſus omnes.

Stat. II. Theb. 175.

Cunctis Tydeus audentior actis.

XI. 698.

Caecumque audentius hoſtem
Increpat.

Utrobique *audacior* & *audacius* etiam codices. Suet. Caeſ. 58. *In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior. Audaces* vero proprie, qui ſe temere in pericula conjiciunt, ut confectores beſtiarum, & perditi & deſperati gladiatores, ut ex Cicerone II. Catil. 5. & pro Muraen. cap. 24. & aliis locis viri docti adnotarunt. & hinc recte Heinſius lib. VIII. Met. 399. reſtituit, *occupat audacem*: nam *temerarium* poſtea vocat Ancaeum. & Servius ad Virgil. XII. Aeneïd. 783. notat Poëtam, ubicumque inducit nitentem aliquem ſine effectu, *audacem* dicere, vide & Torrent. ad Horat. I. Od. 1. denique *Audentes* eſſe fortes docet Terentius, qui Phorm. I. IV. 26. hoc dictum ita effert, *Fortes fortuna adjuvat.* Praeterea non decet praeceptorem cautum haec de audacibus adfirmare, qui nunquam temeritatis Auctor eſt in his libris, & ut ipſe profitetur ſupr. vers. 381. *Non ducit per praeceps & acuta cacumina.* & hoc ſequentia jubent praecepta, quibus docet amatores non debere irruere in puellas, ſed blanda arte & ſermone ſubire & ſe inſinuare. ruſticum tantum pudorem jubet procul fugere. haec operoſius, quam forte requirerent eruditiores, ſed quia hic verſus omnium fere ore celebratur, retenta voce *audaces*, non alienum putavi, monere. BURMANNUS.

609. *Veniet.*] *Veniat* meliores libri. ſcribo, *ne veniat.* HEINSIUS.

610. *Fac tantum cupias.*] Imo, *incipias.* quod in multis codicibus extat, & in Erfurtano Zinzerlingus invenit. notum illud, *Dimidium facti qui bene coepit, habet.* & adagium Graecum Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός. HEINSIUS.

611. *Eſt & agendus amans.*] Vetuſtiores, *Eſt tibi agendus.* HEINSIUS.

612. *Hinc tibi quaeratur.*] Regius, Excerpta Scaligeri, prima editio, & decem libri ſcripti, *Haec tibi.* Lege:

Hac tibi quaeratur quamlibet arte fides.

De voce *quamlibet*, quae Ovidio in deliciis eſt, jam egi Notis ad Ep. VI. v. 140. IDEM.

613. *Sibi quaeque videtur amanda.*] *Videntur* unus meus. venuſte. vide quae noto Amor. II. El. XI. ℣s. 21. IDEM.

616. *Saepe quod.*] Bernenſis:

Seque quod incipiens finxerat eſſe, fuit.

Non inelegantter.

617. *Imitantibus.*] *Jurantibus* Junii. *ſimulantibus* volebat Francius.

618. *Qui*

Laudatas oſtentat avis Junonia pennas:
Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.
Quadrupedes, inter rapidi certamina curſus,
Depexaeque jubae, plauſaque colla, juvant.
Nec timide promitte: trahunt promiſſa puellas.
Pollicito teſtes quoslibet adde Deos.
Juppiter ex alto perjuria ridet amantum;
Et jubet Aeolios irrita ferre Notos.
Per Styga Junoni falſum jurare ſolebat
Juppiter: exemplo nunc favet ipſe ſuo.
Expedit eſſe Deos: &, ut expedit, eſſe putemus.
Dentur in antiquos tura merumque focos.
Nec ſecura quies illos ſimilisque ſopori
Detinet. innocuè vivite; numen adeſt.
Reddite depoſitum: pietas ſua foedera ſervet:
Fraus abſit: vacuas caedis habete manus.
Ludite, ſi ſapitis, ſolas impune puellas.
Hac minus eſt unà fraude tuenda fides.

Fal-

618. *Qui modo fictus erat.*] *Falſus* libri meliores. & ſane *finxerat* jam praeceſſit. HEINSIUS.

619. *Furtim deprendere nunc ſit.*] Eſt Graeciſmus, de quo infra lib. II. ỳs. 28. male igitur potior librorum pars, *fas ſit*, at Regius & Oxonienſis, cum Excerptis Scaligeri, & alio codice, *non ſit*. proximo verſu pro, *ripa ſubitur*, Lincolnienſis, *ſalitur*. Arondelianus, *cavatur*. HEINSIUS. *Cavatur* etiam Bernenſis. *bibula aqua* etiam Junianus.

621. *Laudare capillos.*] Conjecerat olim *papillos* Heinſius, nam in uno codice erat, *puellae*.

622. *Exiguumque pedem.*] Commendatur in mulieribus pes brevis, lib. & elegia III. Amor. CIOFANUS.

627. *Laudatas oſtendit avis.*] Malo, *oſtentat*. quod in Sarraviano eſt, & quatuor aliis. Helmaeſt. *Oſtendat*. Virgil. XII. Aeneïd. 479. de Juturna:

Jamque hic Germanum, jamque hic oſtentat ovantem.

Quomodo legi in horrendae vetuſtatis codice illo Vaticano monet Pierius, quae veriſſima lectio. vulgo ibi etiam, ut hic, *oſtendit*. vide & Aeneïd. III. vers. 703. VII. 656. ubi eadem varietas. Arondelianus & Aproſianus, *extendit*. an, *diſtendit? picta pandit ſpectacula cauda* de Pavone Horatius. *diſtenta umbracula* mox habebimus. HEINSIUS.

632. *Pollicitis teſtes.*] *Pollicito* libri. *quolibet adde* etiam in nonnullis. Forte, *quamlibet adde*, ut paulo ante. HEINSIUS.

633. *Juppiter ex alto perjuria ridet amantum, Et jubet Aeolios irrita ferre Notos.*] Tibulli imitatio ex lib. IV.

——— *Perjuria ridet amantum*
Juppiter, & ventos irrita ferre jubet. CIOFANUS.

635. *Falſo.*] Ita olim editi, ſed Aldus, Dan. Heinſius aliique *Falſum* expreſſerunt; idque confirmant fere omnes ſcripti. neque capio adverbialiter, ut lib III. Amor. III. 11. ſed *Falſum ſtyga*, fictum, qui a Poëtis eſſe falſo jactatur. vide ad Epiſt. II. 37. & hoc confirmat editio prima. ubi erat:

Per falſum ſtyga Junoni jurare ſolebat. BURM.

636. *Nunc favet ille.*] *Ipſe* libri. & ſuperiori verſu quidam, *falſo jurare* cum Regio. male. Amor. III. III. 11.

Scilicet aeterni falſum jurare puellis
Dii quoque concedunt. HEINSIUS.

637. *Expedit eſſe Deos.*] Ita vulgo Philoſophi & Athei jactabant. Tertullian. ad Nationes 2. *Diogenes conſultus an Dii eſſent, Neſcio, inquit, niſi ut ſint, expedire.* BURM.

640. *Innocui vivite.*] *Innocuè* ſcripti. HEINS.

641. *Reddite depoſitum.*] Cicer. I. de Offic. 10. ubi vid.

641. *Sua foedera.*] *Sua pignora* Voſſian.

644. *Hac minus eſt una fraude pudenda fides.*] In nonnullis, *tuenda fides*, & fortaſſe rectius. NAUGERIUS. *Haec magis eſt* Regius & alii quidam. Sed probe Oxonienſis & Scaligeri excerpta cum potioribus, *Hac magis eſt una fraude*. Jureti codex aliique tres, *Hac magis eſt una parte*. HEINSIUS. Mihi Naugerii lectio magis placet, *hac minus eſt unâ fraude tuenda fides*. ut ſit ſenſus; in ceteris rebus fidem ſervandam eſſe, ſed in amore licere puellas fallere, eodem modo, ut reges ex praecepto

Fallite fallentes: ex magnâ parte profanum
Sunt genus. in laqueos, quos posuere, cadant.
Dicitur Aegyptos caruisse juvantibus arva
Imbribus; atque annos sicca fuisse novem.
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris, Fies Jovis hostia primus,
Inquit, & Aegypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit. infelix imbuit auctor opus.

Justus

Tyrannorum, & Caesaris jactant, *si jusjurandum est violandum, regni caussa est, ceteris rebus pietatem colas.* tuenda ita amatoribus fides, hac una parte minus, scilicet ubi per fallaciam coitum auferre a puellis possunt. sic *minus* cum ablativo pro *praeter* ponere amant Latini. Cicer. 1. Verr. 57. *tametsi quid poterat esse apertius, quam nunc est, ut uno minus teste haberet Rabonio.* ubi vide quae Gronovius adduxit ex ipso nostro Ovidio exempla. Ita Manilius lib. 1. 776.

Tarquinioque minus reges.

Id est reges omnes praeter Tarquinium. ubi male Barth. Adv. XXIV. 10. vult legendum esse, *Tarquinioque nimis reges.* Suet. Tiber. 39. *quod paullo minus evenit.* quam formulam Casaubonus ad cap. 26. non accurate satis explicat. Stat. 1. Theb. 535.

Pallados armisonae, Pharetrataeque ora Dianae
Aequa ferunt, terrore minus.

Et imitator veterum diligentissimus Joseph. Iscanus de Bello Trojano lib. II. 161.

Inclyta sceptrigeri proles Jovis, & minus uno
In natum perducte gradu.

Ita *minus multo*, pro *paucioribus* IV. Fast. 765. ubi vide. & ut *minus parte*, hic quidam codices, etiam non male, ita contra *plus parte* dicunt. ut v. Trist. X. 30.

Et tecti plus quoque parte tenet.

Et alibi. vide etiam quae ad Quinct. Declam. XII. 18. notavimus. BURMANNUS.

645. *Fallite fallentes*] Et hic *fallaces* Patavinus. sed eadem ratio, quam mox v. 608. in *audentes* vidimus.

647. *Dicitur Aegyptus caruisse juvantibus undis, &c.*] Idem tradit Hyginus in fabulis cap. LVI. CIOFANUS. *Aegyptos* Regius. pro *juvantibus* Ramirezius in Martialem lib. 1. 62. *rigantibus* reponit. sed perperam. Noster Pont. l. II. El. 1.

Jupiter utilibus quoties juvat imbribus agros,
Mixta tenax segeti crescere lappa solet.

Ut vere illic membranae meliores. Plinius libro XVII. cap. 2. *Quapropter iisdem imbribus quaedam laedi videas, quaedam juvari.* & lib. XXXI. cap. 7. de sale: *Vulgaris plurimusque in salinis, mari adfuso, non sine aquae dulcis riguis, sed imbre maxime juvante* Tibullus El. 1. 1. 42.

Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
Securum somnos imbre juvante sequi.

Sic recte ex scriptis Scaliger. in vulgatis *igne.* Plinius Epistola IX. l. VII.

Utque sacri fontes non solum incendia sistunt,
Saepe etiam flores vernaque prata juvant.

Ita scriptum offendi in veterrimo libro Mediceo: neque aliter edidit in Catalectis Pithoeus. Nam vulgati codices *rigant* agnoscunt. Seneca Natural. Quaest. l. IV. cap. 11. de Nilo, *aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis caelestibus terram non adjuvent.* Sic & Rei Rusticae scriptores nonnunquam locutos memini. ut Columella lib. V. cap. 5. de vineis: *Ubi vero jam corroboratae fuerint, nihil dubium est, quin caelestibus aquis plurimum juvantur.* Tertullianus ad Nationes lib. II. cap. 1. *Quid sterculinus meruit ad divinitatem? si agros stercoribus juvando diligens fuit, plus simi Augeas conferebat.* Sequenti versu, *annos novem* libri plerique, non *annis.* HEINSIUS. In Tibulli loco, ad quem vide Broukhusium, est alia vocis *juvare* significatio. vera tamen sunt, quae observat Heinsius. *annos* vero *novem* praefero, quia Servius ad Virgil. 1. Aen. 47. notat esse honestiorem locutionem. & *tot annos* significare continuationem, *tot annis* intervallum. Livius XL. 29. *Sex menses numquam pluisse memoriae proditum est.* Claudian. Bel. Gild. 76.

Idoone tot annos
Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi.

Ubi male *tot annis* codices quidam; ut &. ys. 157.

Regnumque sibi tot vindicat annos.

Ubi vid. Heins. & ita ex codicibus lege libr. II. in Laud. Stil. 192.

Quod clausa tot annos
Oppida laxatis ausus jam tandere portis.

Vid. ad Quinct. v. Inst. Or. 13. Ita & Heinsius notavit in suo codice, qui olim Petri Danielis fuit, legi apud Ciceron. de Senect. cap. v. *Annum enim undevicesimum post ejus mortem hi consules facti sunt*, cum vulgo sit, *anno undevicesimo.* & idem Cicer.

Justus uterque fuit. neque enim lex aequior ulla,
Quam necis artifices arte perire suâ.
Ergo, (ut perjuras merito perjuria fallunt,)
Exemplo doleat femina lusa suo.
Et lacrimae prosunt: lacrimis adamanta movebis.
Fac madidas videat, si potes, illa genas.
Si lacrimae (neque enim veniunt in tempore semper)
Deficient; udâ lumina tange manu.
Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?
Illa licet non det; non data sume tamen.

Pugna-

Cicer. v. ad Fam. 3. *Aulo Trebonio multos annos utor valde familiariter.* sic & recte Schegkius apud Vellej. Paterc. lib. II. 47. rescribit, *septimum jam annum Caesar in Galliis morabatur.* quod firmatur simili loco Cicer. III. de Offic. 20. *Cum jam septimum annum post praeturam jaceret.* apud Nostrum tamen Epist. III. 21. *tot noctibus absum* occurrit. an quia noctes non continuae sunt, ut anni, sed diebus interrumpuntur? an vero usurpare etiam illam locutionem aliquando solent? ut Propert. I. VI. 7.

Illa mihi totis argutat noctibus ignes.

Apud Virgil. I. Ecl. 80.

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem.

Recte Pierius praefert τῷ *hac nocte.* Ita enim & Tibull. III. VI. 53.

Quam vellem tecum longas requiescere noctes.

Quidam vero codices hic *decem* habent; male: nam & *novem* agnoscit Senec. IV. Natur. Quaest. 2. vide Broukh. ad Tibul. I. VIII. 25. de hoc loco & Buiride agentem. BURMANNUS.

650. *Hospitis effuso sanguine.*] *Adfuso* Regius, ut ad aram Jovis respiciat. Epist. XIII. 114.

Ut solet adfuso surgere flamma mero.

Libr. I. Pont. El. III. ex veteri codice:

Ut solet affuso vena rodire mero.

Sic & apud Martial. scribendum l. IX. Ep. LXII.

Crevit & adfuso laetior umbra mero.

Ubi de platano agit. sed plura de eo loco ad Remed. Amor. vs. 141. & Med. fac. 95. Plinius lib. XVI. Nat. Hist. cap. XLIV. *Est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianae sacratus à Latio: velut arte tonsili comâ, sagei nemoris. In hoc arborem eximiam aetate nostra adamavit Passienus Crispus, bis consul, orator, Agrippinae matrimonio & Nerone privigno clarior postea; osculari complectique eam solitus, non modo cubare sub ea, vinumque illi affundere.* ubi scribendum, *sacratus à Tatio.* ut in Priapeis ipso initio Petrus Scriverius recte castigabat:

Conveniens Tatio pone supercilium.

Cum *Latio* perperam legatur. Apud Propertium quoque libro II. Eleg. XXXIII. Passeratius scribendum censebat:

Largius affuso madeat tibi mensa Falerno.

Pro *effuso.* sed vide ne *infuso* vel, *& fuso* illic reponendum sit, cum de potatione agat potius, quam de libatione. HEINSIUS.

651. *Fies Jovis hostia primus.*] *Jovis insula* castigabat ex Palatino codice Janus Gebhardus lib. I. Antiq. lect. cap. 3. sed non persuadet. Nostri certe omnes vulgatam amplectuntur, nisi quod in Farnesiano, *Ille Jovis pinus Busiris conscia fiet.* mendose. HEINSIUS.

653. *Perilli.*] *Perilaum* vocat Lucianus in Phalari primo pag. 467. ubi tota historia.

655. *Justus uterque.*] In Aprosii codice, *dignus uterque fuit*, cum Glossa, *scilicet laude.*

657. *Ergo & perjuras merito perjuria fallant.*] *Ut fallant* scripti plerique, sed Regius & Oxonienses, *ut fallent.* quinque alii: *ut perjuras merito perjuria fallunt.* quod verum puto, ut parenthesi haec includantur. sequenti versu, *femina lusa*, non *laesa* codex meus; & placet. HEINSIUS.

661. *In tempore.*] Opportune. sic Plautus & Terentius. CIOFANUS.

662. *Deficiunt, udâ lumina tange manu.*] Primo, *Deficient* est in melioribus, deinde, *uncta manu* Regii cum Politiani codice & quinque aliis. Oxonienses, *cuncta.* tres, *tincta.* duo, *unda.* sed *unctae* verum est, quo alludit Helmaestadienses, in quo *inita* vel *tincta.* Columella lib. V. cap. VI. *si dolor permanet, ungulas circum secare, & uncta manu per anum inserta fimum extrahere.* ubi etiam veterrimus codex, *cuncta manu.* cap. 30. *manus uncta, inseritur alvo, & obsessi naturales aditus adaperiuntur.* ubi malim, *obsepti aditus.* sic & *unctas comas* pro unguento delibutis lib. V. Fastorum dixit. *oliva ungi* passim apud scriptores occurrit. *clivo tangere* apud Persium Satyra III. quomodo hic *lumina unctâ manu tangere:*

Saepe oculos memini tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere, & insano multum laudanda magistro.

Ita ista corrigenda. ad quae Scholiastes antiquus;

Pugnabit primo fortaſſis; &, Improbe, dicet.
Pugnando vinci ſed tamen illa volet.
Tantum, ne noceant teneris male rapta labellis,
Neve queri poſſit dura fuiſſe, cave.
Oſcula qui ſumſit, ſi non & cetera ſumet;
Haec quoque, quae data ſunt, perdere dignus erit.
Quantum defuerat pleno poſt oſcula voto;
Hei mihi! ruſticitas, non pudor ille fuit.
Vim licet adpelles; grata eſt vis iſta puellis:
Quod juvat, invitae ſaepe dediſſe volunt.
Quaecumque eſt ſubitâ Veneris violata rapinâ,
Gaudet: & improbitas muneris inſtar habet.
At quae, cum cogi poſſet, non tacta receſſit,
Ut ſimulet vultu gaudia, triſtis erit.
Vim paſſa eſt Phoebe; vis eſt adlata ſorori:
Et gratus raptae raptor uterque fuit.

Fabu-

qui ſub Cornuti nomine circumfertur. *Merito, inquit, mihi lippitudinem accerſebam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem. oculi autem oleo tacti perturbantur ad tempus.* Ergo apparet, quò ſpectant illa Noſtri Naſonis, *uncta lumina tange manu.* nimirum ad elicendas lachrymas, ſi ſponte non provenirent. In codicibus tamen Perſii nonnullis, *diſcere*, non *dicere*. idque rectius fortaſſe: primo enim alienas declamationes memoriae mandabant pueri, deinde ipſi incipiebant marte proprio commentari nonnihil ejuſcemodi. *diſcere* igitur τῷ *parvus* optime quadrat, quod puerorum proprium. ſed ad rem. ut *uncta manus* oleo delibuta, ſic & *unguen* dicebant pro oleo. apud eundem:

Foeniſecae ſacro vitiarunt unguine pultes.

Et Valer. Flacc. lib. VI. 360.

Pingui fluit unguine tellus.

Hinc *unguilla* pro vaſe oleario a Solino cap. XXVII. Heinsius. *tangere* de oleo & ſimilibus dici vidimus ad Epiſt. XIX. 44. ſed hoc loco nec haec ſignificatio, nec *uncta* illa *manus* (de qua ad Petron. cap. XLIII. vide) admodum placent. quia non puto inde lacrimas poſſe vel provenire, vel ſimulari ſaltem; quare ſimpliciter *uda manu tangere*, explico, ut madefacta antea manu oculos contingat, ut videantur guttae illae, tanquam lacrimae ex oculis cadere. Sic lib. I. Am. VIII. 83.

Quin etiam diſcant oculi lacrimare coacti,
Et faciant udas illa vel illa genas.

Ubi *illa* vel *illa*, poſſunt capi, quaecumque apta ſunt ad fingendas lacrimas. ſic *udae* etiam *genae*. II. Faſt. 406. *uda lacrimis janua* I. Am. VI. 18. *pes udus aqua* Ep. XVIII. 100. *oculi udi* XII. Epiſt. 55. Burmannus.

666. *Pugnando vinci ſe tamen illa volet.*] *Sed tamen* ſcripti nonnulli. dictum lib. I. Amor. El. V. Heinsius.

670. *Haec quoque.*] Senec. Hippol. 441.

At ſi quis ultro ſe malis offert volens,
Seque ipſe torquet, perdere eſt dignus bona
Queis neſcit uti. Douza.

670. *Perdere dignus erat.*] *Erit* meliores. & ſuperiori verſu, *ſi non & cetera ſumet*, vel, *ſumit*. Heinsius. & *erat* poteſt retineri. vid. ad Epiſt. I. 108. *cetera* dictum, ut III. Amor. II. ult.

671. *Pleno poſt oſcula voto.*] *Facto* Jureti & Intimelii liber. Forte, *furto*. Heinsius. Nihil mutarem. licet enim *facto* explicare poſſemus, ut apud Petron. cap. XI. *nec adhuc erant omnia facta*; ubi vide; idem notat *votum*, quod etiam in hac re proprium. inf. 712.

Da cauſſam voti principiumque tui.

IX. Met. 463.

Nullumque ſub illo
Igne facit votum.

Et millies: vide quae congeſſimus ad Petron. LXXXVI. ubi etiam *coitum plenum & optabilem* illuſtravit Pithoeus. *Plenum* autem *votum*, licet in alia re, v. Triſt. IX. 22.

Non potuit votum plenius eſſe meum.

Ita *pleniorem ſpem* dixit Petronius XCIX. Burm.

673. *Appellent.*] *Appelles*, & *vis iſta* Jureti & Intimelii liber. Heinsius.

678. *Triſtis erit.*] Francius conjecerat, *triſtis abit. cum ſimulet* editiones antiquiores.

679. *Vis eſt illata ſorori.*] *Allata* Regius & Oxonienſis cum ſex aliis. bene. dictum epiſtola XVII.

Fabula nota quidem, ſed non indigna referri,
Scyrias Haemonio juncta puella viro.
Jam Dea laudatae dederat ſua praemia formae,
Colle ſub Idaeo vincere digna duas.
Jam nurus ad Priamum diverſo venerat orbe;
Grajaque in Iliacis moenibus uxor erat.
Jurabant omnes in laeſi verba mariti:
Nam dolor unius, publica cauſſa fuit.
Turpe, niſi hoc matris precibus tribuiſſet, Achilles
Veſte virum longâ diſſimulatus erat.
Quid facis, Aeacida? non ſunt tua munera lanae.
Tu titulos aliâ Palladis arte petas.
Quid tibi cum calathis? clypeo manus apta tenendo eſt.
Penſa quid in dextrâ, quâ cadet Hector, habes?
Rejice ſuccinctos operoſo ſtamine fuſos.
Quaſſanda eſt iſtâ Pelias haſta manu.

Forte

ỳs. 21. HEINSIUS. *Oblata* Francof. ut Terentius bis terve, *vitium oblatum per vim* dixit.

680. *Gratus raptis.*] *Raptae* meliores. HEINS.

682. *Victa puella viro.*] *Juncta* iidem, forte legendum, *Haemonio juncta puella toro.* Frequenter enim inter ſe confunduntur *viro* & *toro.* ut monui Epiſt. XIX. ỳs. 100. Propertius, II. VII. 54. *Sciria non viduo Deidamia toro.* ita enim vetus codex. vulgati, & illic, *viro.* HEINSIUS.

683. *Mala praemia formae.*] *Sua* iidem. Unus Vaticanus & pr. Mediceus, *male.* ut Faſt. II. 721.

Tu quoque Thebanae male praeda tacebere matri.

Ut ibi legendum. & lib. III. 461.

Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum.

HEINSIUS. Si *ſua* reſcribendum eſt, debent exponi debita, promiſſa. niſi *mala*, id eſt pernicioſa malis. unde Trojae exitium ortum. ita Epiſt. XIII. 43. *damno ſuorum formoſus*, & *malus hoſpes* dicitur Paris. BURM.

684. *Vincere digna Venus.*] *Duas* pro diverſa lectione Oxonienſis. quomodo & prima editio & tres ſcripti. *Venus* ex Gloſſa videtur natum. Epiſt. XVI. 69.

Arbiter es formae, certamina ſiſte dearum,
Vincere quae formâ digna ſit una duas.

HEINSIUS.

686. *Grataque in Iliacis.*] Sic in omnibus. ego *Graja* legendum puto. NAUGERIUS. Lege, *Grajaque* cum Jureti codice & aliis nonnullis. atque ita prima editio. ſupra 54.

Raptaque ſit Phrygio Graja puella viro.

Simile mendum ex Metamorph. lib. IV. 538. ſuſtulimus. Metam. XII. 609. de Achille.

Victus es a timido Grajae raptore maritae.

Et Faſt. I. 330.

Nomina de ludis Graja tuliſſe diem.

Sic & Triſt. III. XII. 39. pro *grata*, quod quidam codices exhibent, legendum *Graja.* Sic & in Epigrammate in Pantomimum lib. IV. pag. 157. *Graja cantica*, pro *grata* ſcribendum. HEINSIUS.

687. *Jurabunt omnes in laeſi verba mariti.*] Hunc locum interpretatus ſum lib. XIII. Metamorphoſ. CIOFANUS.

690. *Diſſimulatus.*] Salmaſius ad Tertul. Pall. pag. 316. citat, *veſte vir in longa diſſimulatus erat*, male vide ad Vellej. Paterc. II. 109.

691. *Tua munera.*] Mentelii, *munia.* forte rectius, ut ad *munia* militaria adludat. ſic eadem varietas. XIII. Met. 296.

Duri fugientem munia belli.

Ubi & alii, *munera.* mox, *pete* quidam editi & ſcripti, *feres* Politiani, *tene* Neapolit. BURMANNUS.

693. *Clypeo manus apta terendo.*] *Tenenda eſt* Oxonienſis. *terenda eſt* alii nonnulli. Puto, *terendo eſt.* & ſic unus Vaticanus. Stat. Triſt. III. 196. ubi ſimili modo variant codices, ſcribendum puto:

Aut exciſa levi pelta terenda manu.

Ferendo tamen non ablegem. HEINSIUS. *Tenendo* rectum eſt. ſic XIII. Met. 352.

Cum ſocia clypeum pro claſſe tenebas.

Clypeis ferendis Bernenſ. & unus Heinſii. ut III. Am. VIII. 15.

Laeva manus, cui nunc ferum male convenit aurum,
Scuta tulit.

Clypeis tenendis alius. ſic *tenere ferrum*, citharam, calamum, & ſimilia. BURMANNUS.

694. *Qua cadat. Cadet* Editiones primae, Francof. & multi ſcripti, ut ſit vaticinantis, non incertum optantis.

Forte erat in thalamo virgo regalis eodem:
Haec illum ſtupro comperit eſſe virum.
Viribus illa quidem victa eſt, ita credere oportet:
Sed voluit vinci viribus illa tamen.
Saepe, Mane, dixit, cum jam properaret Achilles:
Fortia nam poſitâ ſumſerat arma colo.
Vis ubi nunc illa eſt? quid blandâ voce moraris
Auctorem ſtupri, Deïdamia, tui?
Scilicet, ut pudor eſt quondam coepiſſe priorem,
Sic alio gratum eſt incipiente pati.
Ah nimia eſt juveni propriae fiducia formae,
Exſpectat ſi quis, dum prior illa roget!
Vir prior accedat: vir verba precantia dicat.
Excipiet blandas comiter illa preces.
Ut potiare, roga: tantum cupit illa rogari.
Da cauſſam voti principiumque tui.
Juppiter ad veteres ſupplex Heroïdas ibat:
Corripuit magnum nulla puella Jovem.

Si

702. *Fortia jam poſita ſumpſerat arma colo.*] Hunc verſum impudicè exponit Merula, cum tamen ſimpliciter accipiendus ſit. Eſt enim ſententia: Achilles jam depoſita colo, & muliebribus exercitiis relictis, induerat arma bellica, ut cum Graecis ad Trojam arbiret: nihilominus tamen Deïdamia inſtabat illi, rogando ut maneret, &c. Micyllus.

705. *Quiddam coepiſſe priorem.*] Meliores libri, *quadam*, vel *quandam*. Scribe, *quondam* cum prima editione & tribus ſcriptis. vide Notas Epiſtola xvii. ŷs. 71. Heinsius.

708. *Expectet.*] *Expectat* meliores libri. & mox, *Excipiet* pro *Excipiat* Heinsius.

710. *Comiter illa.*] Ita legere magis placet, quam ut in aliis libris eſt. Ciofanus. perperam multi, *molliter*. lib. ii. Faſt. 788. *Comiter excipitur: ſanguine junctus erat.* & ſic ſaepe Livius. Heins. Pro *comiter molliter* alii. vid. iii. Art. 510.

714. *Corripuit.*] Fruſtra, *increpuit*, & *corrupit* hic quidam codices. Faſt. i. 625.

Corripuiſſe patres auſas immitia nuptas.

vi. 606.

Hunc tali corripit illa ſono.

Et ita Met. xiii. 560. videtur intelligendum:

Atque ita correptum captivarum agmine matrum
Involat.

Pont. ii. vi. 5.

Corripis, ut debes, ſtulti peccata ſodalis. Heins.

715. *Tumidos accedere faſtus.*] *Flatus* Oxonienſis. vetuſte. lib. iii. ŷs. 511.

Odimus immodicos (expertae credite) flatus.

Sic videtur legendum. nam vetus liber illic, *fatus*. Propertius lib. ii El. xxv.

Mendaces ludunt flatus in amore ſecundo.

Non *ſecundi*, quod nunc legitur. Statius Theb. iii. 192.

—— *Cum magniloquos luit impia flatus*
Tantalis.

& lib. i. 321.

Attollit flatus ducis, & ſediſſe ſuperbum
Dejecto ſe fratre putat.

Drances de Turno, apud Poëtarum principem lib. xi. 346.

Det libertatem fandi, flatuſque remittat.

Seneca Agamemnone 247.

Tamen ſuperba & impotens flatu nimis
Fortuna magno ſpiritus tumidos daret.

Idem Thyeſte, 609.

Ponite inflatos tumidoſque vultus.

Valerius Flaccus libro iii. 699.

Non hi tum flatus, non iſta ſuperbia dictis.

Et paulo ante 631.

—— *Tali mentem pars maxima flatu*
Erigit, & vana gliſcunt praecordia lingua.

Corrippus Africanus libro iii.

Quod tua ventoſis inflata ſuperbia verbis
Jactitat.

Tumentes flatus in re ſimili dixit Ammianus Marcellinus. Memini & apud Silium id occurrere lib. xvii. 120.

Jactarat talia vecors,
Sed jam claudebant flatus, nec plura ſinebat
Atropos.

Ad

Si tamen a precibus tumidos accedere flatus
Senseris? incepto parce, referque pedem.
Quod refugit, multae cupiunt: odêre, quod instat.
Lenius instando taedia tolle tui.
Nec semper Veneris spes est profitenda roganti:
Intret amicitiae nomine tectus amor.
Hoc aditu vidi tetricae data verba puellae:
Qui fuerat cultor, factus amator erat.
Candidus in nautâ turpis color: aequoris undâ
Debet & à radiis sideris esse niger.
Turpis & agricolae, qui vomere semper adunco,
Et gravibus rastris sub Jove versat humum.
Et tibi, Palladiae petitur cui palma coronae,
Candida si fuerint corpora; turpis eris.
Palleat omnis amans: hic est color aptus amanti.
Hic decet: hoc vultu non valuisse putent.
Pallidus in Lyrice sylvis errabat Orion:
Pallidus in lentâ Naïde Daphnis erat.

Ar-

Ad Claudianum plura. vid. ad Epist. IV. 150. Ceterum Regius, Oxonienſis, Jureti codex & alii nonnulli, *abscedere*, non *accedere*, contrario plane sensu. sed male. HEINSIUS.

722. *Qui fuerat cultor, factus amator erat.*] In quibusdam codd. legitur, *Qui fuerat cultor victus.* Ex quo eruditissimus Rouerius optime fecerat, *Qui fuerat cultor dictus, amator erat.* DAN. HEINS. Puto:

Qui fuerat cultor fictus, amator erat. HEINSIUS. Ego nihil muto. verus enim cultor, non fictus fuerat; sed de cultore factus erat amator. quid *cultor* & *amator* differant docui ad Petronii cap. CXXVII. Cicer. IX. ad Fam. 16. *Sic color, sic observor ab omnibus his, qui a Caesare diliguntur, ut ab his me amari putem.* BURMANNUS.

725. *Turpis in agricola.*] *Et agricolae* libri veteres. HEINSIUS. pro *quia* omnes fere scripti, *qui*, ut saepe. vid. lib. II. Art. 147. & 165.

727. *Et tu Palladiae.*] *Et tua* Regius, Oxonienſis, Jureti codex, & tres alii. bene, ut ad *Corpora* referatur. *palma coronae* pro *fama* quatuor libri. nec damno. II. Amor. 5.

Ferreus est, nimiumque suo favet ille dolori,
Cui petitur victâ palma cruenta reâ.

Et III. II. 82.

Ille tenet palmam, palma petenda mihi. HEINS. Similis diversitas apud Martial. XII. 96.

Hinc etiam petitur jam mea fama tibi.

Ubi in aliis codicibus est, *palma. at tibi* Neapolit.

729. *Palleat.*] Gloſſator MSS. in libro Heinſii ad Remed. Amor. hunc versum sic citat:

Palleat omnis amans, talis color aptus amanti.

730. *Hoc decet: hoc multi non voluisse putant.*] *Hic decet* bene nonnulli codices: nimirum *color. Hic decet, hunc multi* Excerpta Scaligeri & Puteani cum aliis quibusdam. *putent* etiam Regius & duo alii. pro *multi* unus meus, *vultu.* Forte:

Hic decet, hoc vultu non valuisse putent.

Ex hoc vultu colligant ac persuadeantur puellae te non valere, & aegrum esse prae nimio sui amore. *Tῶ putent* sic etiam usus est lib. II. 558.

Quo magis ô juvenes deprendere parcite vestras.
Peccent: peccantes verba dedisse putent.

Hic multi non valuisse putent, prima editio. HEINS.

731. *Pallidus in Lyricen sylvis errabat Orion.*] Ita quidem in Aldinis legitur, ut *Lyrice* proprium sit puellae ejus, quam Orion amavit. Merula autem *Lyncem* legendum esse contendit: quasi Poëta hoc innuat, Orionem agitasse in sylvis lyncas, ut amoris aestum eo pacto restingueret. Sed hoc verba Poëtae non ferunt: non enim pallidus in lyncas fuit Orion, sed in eam, quam amabat. Deinde errabat, inquit Poëta, in sylvis: non, sectabatur lyncas. Ego itaque priorem lectionem magis probo, nisi quod de Lyrice nihil certi habeo quod afferam. Amavit autem Orion & Meropen Oenopionis filiam, quam Parthenius Aëro vocat: cujus gratia Chium insulam, in qua Oenopion habitabat, idem purgavit. Sed cum pater nuptias illius subinde prorogaret, Orion moram aegre ferens, vi amatam compressit, &c. Quod hic adjiciendum putavi, si quis forte pro *Lyrice*, *Meropen*, aut de eadem utrunque nomen, id quod & alias

Arguat & macies animum: nec turpe putaris,
Palliolum nitidis impoſuiſſe comis.
Attenuent juvenum vigilatae corpora noctes;
Curaque, & è magno qui fit amore, dolor.
Ut voto potiare tuo, miſerabilis eſto:
Ut, qui te videat, dicere poſſit, Amas.
Conquerar, an moneam, mixtum fas omne nefasque?
Nomen amicitia eſt, nomen inane fides.
Hei mihi! non tutum eſt; quod ames, laudare ſodali.
Cum tibi laudanti credidit, ipſe ſubit.
At non Actorides lectum temeravit Achillis:
Quantum ad Pirithoum, Phaedra pudica fuit.
Hermionen Pylades, quo Pallada Phoebus, amabat:
Quodque tibi geminus, Tyndari, Caſtor erat.
Si quis idem ſperat; jacturas poma myricas
Speret: & in medio flumine mella petat.

Nil,

ſaepe fit, intelligendum exiſtimet. Micyllus. Noti ſunt Amores Orionis, qui Oenopionis filiam perdite amarit, quam Meropen alii, Parthenius in Eroticis cap. xx. Haero appellat. ſed & *Side* Danai filia ab antiquis commemoratur, quae Orioni nupſerit, & Sidae civitati Boeotiae nomen dederit. De *Lyrice* nihil legiſſe me memini. Nec conſtant ſibi veteres membranae. Jureti codex, *Pallidus in Licea. in Linces* unus ex meis. ut & Regius. niſi quod à manu ſecunda, *Linea.* quomodo in multis aliis. Arondelianus, *in ſilvis Lincea*, vel, *Liceae*, vel, *Linces.* Ceteri, *Lincam*, *Lincem*, *Licie*, *Litie*, *Lineie*, *Licita*, *in Linceis*, *illincis*, & ſimilia. Nam codex Oxonienſis hunc verſum non habebat. Lege, *in Dirces ſylvis.* Nam Orion Thebanus. hinc *Boeotus* ſaepe poëtis dicitur, & Dirce fons Thebani agri, quem inter alios Statius in Thebaïde ſua luculentis verſibus deſcripſit. Regius etiam, *Arion* pro *Orion.* De Daphnidis Amoribus, ex Parthenio, Scholiaſte Theocriti, Junio Philargyro, & Servio res eſt non plane ignota. Heinsius. Parrhaſius ad Claudiani lib. II. de Rapt. Ver. 191. legit:

Pallidus in lyncem ſilvis errabat Orion.

Et exponit, cum Dianae comes venaretur, ipſius Deae cura carpebatur. de Daphnide quoque fabulam explicat. Burm.

734. *Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.*] *Palliolum* melioris notae libri. nec dubium, quin recte. Qui enim infirmae valetudinis erant, palliolis obnubebant caput. Quintilianus: XI. 3. *Palliolum, ſicut faſcias, quibus cura veſtiuntur, & focalia, ſola poteſt excuſare valetudo.* Monuit jam ad Hiſtoriam Auguſtam Salmaſius, & ad Tertulliani Pallium, quae ſecutus Octavius Ferrarius, elegantiſſimi vir ingenii, partis ſecundae lib. IV. cap. XXIII. de Re Veſtiaria. Sic Maecenas apud Senecam Epiſtola CXIV. *Pallio velatus caput.* & Trimalcio apud Petronium. cap. 32. *pallio coccineo adraſum incluſerat caput.* rurſus Senec. Natur. Quaeſt. IV. *Videbis quosdam graciles, & Palliolo focalique circumdatos.* apud Plinium quoque lib. XXVI. 8. codices veteſti: *Quidam aliter Epithymum tradunt naſci ſine radice, tenue, ſimilitudine pallioli, rubens.* Sequenti verſu, *Attenuent* etiam bene tres libri. vulgo, *Attenuant.* &, *è magno qui ſit amore* nonnulli, non, *in magno.* Heinsius Memoriae vitio Salmaſius ad Vopisc. Bonoſ. c. ult. citat hoc diſtichon hoc modo:

Saepe fac aegrotum ſimules, nec turpe putaris &c.
Praepoſuiſſe. hic habet Palatinus; quod facere poſſet Horatianis illis lib. I. Od. 7. *Undique decerptam fronti praeponere olivam*, ſi quis cum Cl. Bentleio ita legendum putet. Burmannus.

736. *Curaque & in magno.*] Sic in probatis exemplaribus. Ciofanus. dictum foret ut, *dolorem capere in re* quod Latinum negavit. Steph. in Schedias. lib. II. 29. ita tamen Cicer. I. ad Fam. 6. *in dolore, quem in tuis rebus capit. &c.* Terent. Heaut. V. I. 59. *Quot incommoda in hac re capies.* Claud. I. Eut. 126. *Et nihil exhauſto caperent in ſtipite lucri. Immenſo amore* duo ſcripti, & cum editis antiquitus Micyllus. Burmannus.

738. *Amas.*] *Amat* Bernenſ.

739. *Conquerar, an moneam miſtum fas eſſe nefasque.*] Libri meliores, *fas omne nefasque.* Deinde Regius, *Cum querar admoneam. Admoneam* etiam eſt in Oxonienſi. Scribe:

Num querar, ac moneam miſtum fas omne nefasque,
Nomen amicitias, nomen inane fidem?

Ut *eſſe* ſubintelligatur. Niſi quis malit, *Conquerar*, *an taceam*, quod eſt in excerptis Politiani, & tribus à me inſpectis. Heinsius. Mihi placet lectio unius codicis Heinſiani, *conquerar, an ſileam*, vel

ta-

Nil, niſi turpe juvat: curae eſt ſua cuique voluptas.
Haec quoque ab alterius grata dolore venit.
Heu facinus! non eſt hoſtis metuendus amanti.
Quos credis fidos, effuge; tutus eris.
Cognatum fratremque cave, carumque ſodalem:
Praebebit veros haec tibi turba metus.
Finiturus eram: ſed ſunt diverſa puellis
Pectora. mille animos excipe mille modis.
Nec tellus eadem parit omnia. vitibus illa
Convenit; haec oleis; hac bene farra virent.
Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figurae:
Qui ſapit, innumeris moribus aptus erit.
Utque leves Proteus modo ſe tenuabit in undas;
Nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper.
Hi jaculo piſces, illi capiuntur ab hamis:
Hos cava contento retia fune trahunt.

Nec

taceam, ut eſt in Bernenſi uno. Ita Virg. III. Aeneïd. 39.

Eloquar, an ſileam.

Deinde *nomen amicitia eſt* editio Veneta & Aldi prior. & Dan. Heinſii & Micyllus & Berſmannus in margine, quod praetuli. *nomen* pro re vana, III. Am. III. 23. vide Cl. Graev. ad Cicer. Epiſt. ad Att. IV. 15. & Paradox. 4. & alios paſſim. BURM.

741. *Quod amas.*] *Ames* meliores. HEINS.

741. *Laudare.*] *Jactare* Patavinus.

743. *Lectum temeravit Achillis.*] *Achilles* Regius, Oxonienſis, & alii quidam. Scribe *Achilli.* ſic *Ulixi* pro *Ulixis* paſſim quoque tam apud Virgilium, & apud Apulejum non ſemel, quam Noſtrum. Remed. Amor. ŷs. 473. *ope tutus Acoilli.* ex veſtigiis veteris codicis. in veterrimo exemplari Virgilii Mediceo ſemper *Achilli* & *Ulyſſi* ſcribitur in ſecundo caſu. quomodo Probus quoque in Catholico ſcribendum monet. quomodo & *Oronti.* & ſane *Achillei* & *Ulixei* apud Horatium quadriſyllaba ſunt. pluribus de his accurate diſputavit ex antiquis Grammaticis Piërius Valerianus ad ŷs. 30. libri primi Aeneïdos. & lib. III. ŷs. 613. *Perſei ala* apud Propertium; & *Perſei uxor.* Vide Notas Gronovii ad Livium lib. XLII. cap. XXV. nos plura ad Metamorphoſes lib. XIII. 304. & ad Maronem. Multus eſt in his A. Gellius. *Ariſtoteli* pari modo ſecundus caſus eſt apud Apulejum in Apologia. HEINSIUS.

745. *Qua Pallada Phoebus.*] *Quod* Regius. reliqui plerique, *quo.* ut ſupra 285.

Myrrha patrem, ſed non quo filia debet, amavit. HEINSIUS.

747. *Laturas poma myricas.*] *Jacturas* Regius: Oxonienſis & ſex alii. quomodo in Obſervationibus ex Arondeliano codice reſtituit praeclare Gronovius lib. III. cap. XXI. ſecundis curis, qui videatur omnino. Frontinus de limitibus agrorum: *Eſt & controverſiae genus, quod ad ſolum non pertinet, de arborum fructibus, earum quae in fine ſunt, ſive intra, nec ullam ad radicem habent controverſiam, quoties inclinatae in alterutram partem fructum jactaverint, inter affines movent diſputationem. Cornua jacta* Art. III. 78.

Nec faciunt cervos cornua jacta ſenes.

Sic & alibi, *nix jacta.* mox *è medio flumine* libri meliores. Remed. Amor. 533.

Cedimus, è medio jam licet amne bibas. HEINS. Francof. & multi alii, *in medio.* quomodo & in loco Remediorum. vide ad Phaedr. I. Fab. 25. *è medio* defendi poteſt ex lib. II. Amor. eleg. XIX. 32. *& è magno* (vel *medio*) *flumine potet aquam.* vid. ſupr. 554. BURMANNUS.

752. *Quos credis ſtultos.*] *Quos credis fidos* Bernenſ. *tutos* Polit. & ſex alii.

753. *Fidumque ſodalem.*] *Carumque* caſtigatiores. nam *fidos* praeceſſerat ſuperiori verſu. HEINSIUS.

756. *Excipe mille modis.*] *Decipe* Palatinus & alius. Heinſius conjecerat, *exige mille modis*, vel, *excipe mille dolis. accipe* Bernen.

761. *Utque levis Proteus modo ſe tenuabat in undas.*] Primo *leves undas* reponendum eſt ex auctoritate optimi Regii, fragmenti veterrimi Oxonienſis, & octo vel novem aliorum codicum. *leves aquas* Noſter alibi non uno loco dixit. ut in Faſtis, IV. 662. *leves curſum ſuſtinuiſtis aquae.* Pro *tenuabat*, deinde idem Regius, & duo alii, *tenuavit.* ſed probe prima editio, & unus Vaticanus, *tenuabit.* & ſequenti verſu pro, *erat*, fragmentum Oxonienſe, Codex Regius, & duo alii, *erit.* veriſſime. Inſtar Protei, inquit, modo in leves undas, nunc in leonem, aut aprum, aut arborem ſe

Nec tibi conveniat cunctos modus unus ad annos.
Longius insidias cerva videbit anus.
Si doctus videare rudi, petulansve pudenti;
Diffidet miserae protinus illa sibi.
Inde fit, ut, quae se timuit committere honesto,
Vilis in amplexus inferioris eat.
Pars superat coepti, pars est exhausta, laboris.
Hic teneat nostras anchora jacta rates.

mutabit. De Proteo Nostor pluribus libro Met. VII. & res est ceteroquin nota. Porro Horatii ista, Satyrâ III. lib. II. respexit hoc loco Nostor, ubi is agit de malo debitore.

Scribe decem à Nerio. non est satis. adde Cicutae
Nodosi tabulas centum: mille adde catenas.
Effugiet tamen has sceleratus vincula Proteus,
Cum rapiens in jus malis ridentem alienis:
Fiet aper, modo avis, modo saxum, & cum volet, arbor.

Nam proverbii locum obtinuisse videtur, ut qui urgentes eludebant, Protei dicerentur. Idem Horatius libro I. Epist. I.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

HEINSIUS. In *undis* Bernensis unus & quatuor alii.

763. *Ab hamis.*] *Ab hamo* quinque codices. *retinentur* Patavinus. *hic* & *illic* etiam multi, cum quibusdam editis.

764. *Contento.*] *Contenta* duo libri. vid. Gifan. Indic. Lucret.

766. *Longius insidias curva videbit anus.*] Ridicule profecto. Causae scilicet multum est, cur anus jam curvata prae senio insidias amatorum metuat. Quis credat optimo poëtae tale quid excidisse? Tollit scrupulum codex Regius, in quo à manu prima legebatur, *cerva anus.* Nec aliter in Oxoniensi pro diversa lectione. *cervum senem* pari modo Lucretius dixit lib. III. & Nostor infra lib. III. 78.

Nec faciunt cervum cornua jacta senem.

Cervina Senectus Juven. XIV. 251. *Cycni senes* apud Martialem, lib. V. Epig. 38.

Puella senibus dulcior mihi cycnis.

Senes porci apud Juvenalem Sat. VI. 160.

Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Similes autem metaphorae familiares sunt Nostro, quoties de puellis agit. sic supra:

Saucius arrepto piscis teneatur ab hamo.

Et postea:

——— *Lepus hic aliis exagitandus erit.*

Et, initio sequentis libri:

Decidit in casses praeda petita meos.

Sed nihil opus est, ut elegantissimam lectionem pluribus adstruamus. HEINSIUS.

771. *Est exhausta.*] *Exacta* tres libri. etiam bene; I Fast. 723.

Sed jam prima mei pars est exacta laboris.

Et lib. II. 387. *Venerat Alcides exacta parte laborum;* In fine Met. *Jamque opus exegi.* Horat. III. Od. 30. *Exegi monumentum aere perennius.* BURMANNUS.

772. *Teneat nostras.*] Codex Regius, *fessas*, ut lib. III. 748. *Ut tangat portus fessa carina suos.* Remed. 811.

Hoc opus exegi, fessae date serta carinae.

I Trist. IX. 20.

Threiciam tetigit fessa carina Samon.

IV. Fast. 300. ex MS.

Sedit limoso fessa carina vado.

Vide ad Claud. I. in Ruf. 278. BURMANNUS.



P. OVIDII NASONIS ARTIS AMATORIAE LIBER SECUNDUS.

Dicite, Iö Paean: &, iö, bis dicite, Paean:
Decidit in caſſes praeda petita meos.
Laetus amans donet viridi mea carmina palmâ:
Praeferar Aſcraeo Maeonioque ſeni.
Talis ab armiferis Priameïus hoſpes Amyclis
Candida cum raptâ conjuge vela dedit.
Talis erat, qui te curru victore ferebat,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Quid properas, juvenis? mediis tua pinus in undis
Navigat: & longè, quem peto, portus abeſt.
Non ſatis eſt veniſſe tibi me vate puellam.
Arte meâ capta eſt: arte tenenda meâ eſt.

Nec

1. *Iö Paean.*] In Balliolenſi erat Gloſſa. *Iö* eſt vox exultantium venatorum, qui capta fera *Iö Paean* inclamabant, eo quod is ſit Deus venatoriae artis; cujus ſoror Diana venatrix quoque eſſe dicitur. In Metamorphoſeon (IV. 513.) autem legitur de Athamante furente: *Clamat, iö comites, his retia tendite ſilvis.* vid. ad III. Met. 713. & Cuper. I. Obſ. I. BURMANNUS.

3. *Laetus amans donet.*] *Donat* optimus Regius cum aliis nonnullis & primâ editione. Forte, *dona*. Ita & Met. VI. 133. *& tu quoque charus Olympe.* pro *chare.* HEINSIUS. vid. ad Epiſt. XVII. 100.

3. *Amans donet viridi mea carmina palmâ.*] Variant admodum codices. *amans ornet* Palatinus. *mea tempora palmâ* quatuordecim. *mea tempora myrto* Aproſii, Bernenſ. & duo alii. *lauro* Commelini, tres Palatini, & quatuor alii. *pari mea tempora* Neapol. Unde legendum conjicere liceret:

Laetus amans ornet Paphia mea tempora myrto.

Myrtus enim Poëtae, qui erotica canit, convenit. ſic inf. III. 18.

Hic Paphias myrtos.

Et ita inf. 734.

Sertaque odoratae myrtea ferte comae.

Mox *praeferar* volebat Faber. lib. I. Epiſt. 54. Nec repugno; & ita jam olim Heinſius margini adſcripſerat. BURMANNUS.

4. *Praeferor Aſcraeo, Maeonioque ſeni.*] Homerus ante Romam conditam fuit. Exhiſtoria igitur *ſeni*: Heſiodus etiam. Auctor M. Tullius in prooemio lib. I. Tuſcul. Diſputat. CIOFANUS.

6. *Vela dabat.*] *Dedit* meliores HEINS.

8. *Vecta peregrinis Hippodamia rotis.*] Uſus eſt hoc carmine in epiſt. Hermiones ad Oreſten. 70. quam omnium optimè expoſuit Parrhaſius lib. III. in Claud. CIOFANUS. vid. ad III. Amor. II. 15.

11. *Non ſatis inveniſſe tibi eſt me vate puellam.*] Regius cum reliquis pleriſque,

Non ſatis eſt veniſſe tibi. optime. Epiſtola XV. 51.

Jam tibi Sicelides veniunt nova praeda puellae.

Amor. I. El. X.

Nec minor eſt virtus, quam quaerere, parta tueri.
Caſus ineſt illic: hic erit artis opus.
Nunc mihi, ſi quando, Puer & Cytherêa, favete:
Nunc Erato: nam tu nomen amoris habes.
Magna paro; quas poſſit Amor remanere per artes
Dicere, tam vaſto pervagus orbe puer.
Et levis eſt, & habet geminas, quibus evolet, alas.
Difficile eſt illis impoſuiſſe modum.

Ho-

Quae Venus ex aequo ventura eſt grata duobus,
Altera cur illam vendit, & alter emit?
El. XI.
Saepe venire mihi dubitantem hortata Corinnam.
Ut illic ſcribendum videtur. Martial. lib. I. Ep. LXXI.
Omnis ab infuſo numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi, ſomne, veni.
In Apophoretis XIV. 6.
Tunc triplices noſtros non vilia dona putabis,
Venturam cum ſe ſcribet amica tibi.
Propertius lib. II. El. XIV.
Sic veniet hodie, ſi qua negavit heri.
El. XVIII.
Mi formoſa ſat es, ſi modo ſaepe venis.
Ita ſcribo. Ubi Τὸ *venis* perperam interpretatur magnus Scaliger. El. XX.
Speranti ſubito ſi qua venire negat.
Noſter infra 553.
——— *Fortior ille eſt,*
Quo veniunt alii conciliante viro.
Uxores nimirum. ita corrigendum. Modus loquendi Propertio admodum familiaris. & ita *convenire* puellam pro rem habere cum puella, de quo loquendi modo nonnihil infra agemus. Apulej. IV. Mileſ. *Convenire in voluptatem Veneream dixit.* & ita Graeci fere *συνέρχεσθαι* de re Venerea honeſto vocabulo utuntur. Heins. vid. ad lib. I. 79.

16. *Amoris.*] *Amantis* maluerat Heinſius olim.

18. *Orbe puer.*] *Tam*, ad *pervagus*, an ad *vaſto orbe* referendum? Douza.

19. *Quibus evolet, alas.*] *Avolet* Regius & alii complures cum primâ editione. quod ſequor. ſed & multi, *advolat.* proxime verum. in Halieutic. tamen *ὑς.* 6.
Concuſſisque levis pennis ſic evolat ales.
Et Epigr. Pith. pag. 2.
Cur ita complicitis alis? numquam evolat. Heins. Non movendam puto vocem, *evolat*, quae notat evadere manus prendere cupientium. & in altum, vel ex conſpectu volare. ita apud Sueton. Aug. XCIV. Torrentius notat in tribus libris fuiſſe, de aquila, *cum altiſſime evolaſſet.* & ita edidit Aldus. Cicero I. de legib. I. *quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit nuntia fulva Jovis.* & hinc puto apud Obſequentem cap. 126. legendum, *aquilae viſae in ſublime evolare*, nunc *avolare* legitur. ſcriptum fuerat *ſublime volare*, neglexerat enim librarius *e* repetere, hinc poſtea *avolare* fecerunt. Manil. v. 361.
Plumeus in coelum nitidis olor evolat alis.
Et Noſter I. Met. 264.
Madidis notus evolat alis.
Et ita paſſim alii ſcriptores. Burmannus.

21. *Praecluſerat omnia Minos.*] *Praeſtruxerat* meliores libri magno numero. rectius. nam *clauſit* mox ſequitur. Daedalus ipſe lib. VIII. Met. 185. de Minotauro:
——— *Terras licet, inquit, & undas*
Obſtruat: at coelum certe patet. ibimus illac:
Omnia poſſideat, non poſſidet aëra Minos.
Faſt. I. de Caco 563.
Ille aditum fracti praeſtruxerat objice montis.
Statius Achilleïd. I. 480.
Quemve alium ad ſtygios tulerit ſecreta per amnes
Nereis? & pulchros ferro praeſtruxerit artus?
Quomodo vere vetuſti codices nonnulli a me inſpecti; ferro enim impenetrabile corpus Achillis. in vulgatis *praeſtrinxerit*; perperam. Heinsius.

23. *Daedalus ut clauſit &c.*] Hanc quoque fabulam narrat copioſiſſimè lib. IIX. Metam. Utrumque locum quam diligentiſſimè potui ibi contuli. Itaque hic nihil immorabor. Ciofan.

28. *Da mihi poſſe mori.*] *Sit mihi* Jureti excerpta: eleganti Graeciſmo, *γένοιτο, ἔϛω, ἐνδέχοιτο.* ſic contra, *Non eſt, οὐκ ἔϛι. Non ſit, Ne ſit, μὴ γένοιτο, μὴ δ' ἔϛω. οὐκ ἔϛι*, pro non licet, non datur. Aruſianus Meſſius ineditus. *Eſt cernere*, Virgilius VI. Aeneïd. 595.
——— *Terrae omnipotentis alumnum*
Cernere erat.
Georg. IV. 447. *Nunc eſt te fallere quicquam.* Bucol. X. 46. *Nec ſit mihi credere tantum.* imitatus hunc Naſonis locum Maximianus in Elegiis:
Nunc, quia longa mihi gravis eſt & inutilis aetas,
Vivere cum nequeam, ſit mihi poſſe mori.
Libet paulum exſpatiari, ut modum loquendi elegantem illuſtremus. Tibullus lib. I. El. VI.
Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.
Noſter ſuperiori libro 619. quod non eſt mutandum:
Blanditiis animum furtim deprendere nunc ſit.
Lib. III. Art. 151.

Nec

Hoſpitis effugio praeſtruxerat omnia Minos.
Audacem pennis reperit ille viam.
Daedalus ut clauſit conceptum crimine matris
Semibovemque virum, ſemivirumque bovem;
Sit modus exſilio, dixit, juſtiſſime Minos:
Accipiat cineres terra paterna meos.
Et quoniam in patriâ, fatis agitatus iniquis,
Vivere non potui, ſit mihi poſſe mori.

Da

Nec mihi tot poſitus numero comprendere nunc ſit.
Ita ſcribo, vel invitis ſcriptis codicibus. Vulgo nunc legitur, *fas eſt.* & hoc ipſo libro, 447.
O quater & quoties numero comprendere non eſt,
Felicem!
Sic lego ex ſcriptis. vulgo, *O quantum.* unde emendandus in itineratio Rutilius. I. 5.
O quater & quoties non eſt numerare beatos,
Naſci felici qui meruere ſolo!
Ita enim ſcribo, cum perperam ibi extet:
O quantum & quoties poſſem numerare beatos!
Reſpexit illa Rutilius Triſt. III. El. XII.
O quater, & quoties non eſt numerare beatum,
Non interdictâ cui licet urbe frui.
Ubi etiam codices plurimi, *O quantum.* fruſtra. lib. V. Triſt. El. XI.
Utque aliis, quorum numerum comprendere non eſt,
Caeſareum numen, ſic mihi mite fuit.
Noſter libro III. infra 429.
Quid minus Andromedae fuerat ſperare revinctae,
Quam dotes ulli poſſe placere ſuas?
Ita praeſtantiores libri. rectè. vulgati:
Quid minus Andromede poterat ſperare relictâ.
Lib. II. Met. 189.
Et modo, quos illi fatò contingere non eſt,
Proſpicit occaſus.
Quomodo & ille locus corrigendus. ubi plura. lib. II. Faſt. 765. *& quod corrumpere non eſt.* pro quam non datur corrumpere. lib. III. Met. 478. fabula Narciſſi:
——— *Liceat, quod tangere non eſt,*
Aſpicere.
Triſt. lib. I. El. I. ad Deos:
Fallere quos non eſt, hanc mihi fertis opem.
Pont. IV. El. XII.
Quid mandem, quaeris? peream, niſi dicere vix eſt.
Virgilius praefatione Aeneïdos:
Si mihi ſuſceptum fuerit decurrere munus.
Silius lib. VI. 488.
Sed mihi ſit Stygios ante intraviſſe penates,
Talia quam videam ferientes pacta Latinos.
Lib. VIII. 64.
——— *Nec longius uti*
His opibus Battoque fuit.
Noſter Triſt. lib. III. El. IV. 55.
Sic tamen haec abſunt, ut qua contingere non eſt
Corpore, ſint oculis cuncta videnda meis.
Horat. lib. I. Sat. ỳs. 87.
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt.
Propert. lib. II. El. X.
Ut caput in magnis ubi non eſt tangere ſignis,
Ponitur his imos ante corona pedes.
Idem lib. I. El. XX.
Nec tibi ſit duros montes & frigida faxa,
Galle, nec expertos ſemper adire lacus.
Ita codices, quos conſului, ex ſcriptis meliores. *duri montes*, uſitato poëtis Epitheto. Noſter Met. XIV. 557.
——— *Durisque in montibus ortae*
Molle fretum celebrant.
Sic & Tibull. lib. IV. Eleg. II. I.
Nec tibi ſit duros acuiſſe in proelia dentes.
Idem Propertius lib. III. El. III.
Nec tibi ſit rauco praetoria claſſica cornu
Flare.
Germanicus Arateis:
Eſt etiam propiore deum cognoſcere motu.
Ἐ̓ςι γινώσκειν. Avienus Prognoſticis:
Nec minus ex aliis aderit cognoſcere motus
Aequoris, & magnos coeli callere tumultus.
Πάρεξαι γινώσκειν. Graeciſmus & ille. Seneca Hercule Oetaeo. ỳs. 728. pro eo quod eſt in vulgatis exemplaribus, *Vix queo monſtrum eloqui*, codex Etruſcus optimae notae exhibebat:
Vix quoque eſt monſtrum eloqui.
Martialis lib. XII. Epiſt. XI.
Et ſi forte (ſed hoc vix eſt ſperare) vacabit.
Et Ep. LXXXII. ejuſdem libri:
Effugere è thermis & circa balnea non eſt
Hermogenen, omni tu licet arte velis.
Et lib. XI. 99.
Effugere non eſt, Baſſe, baſiatores.
Ex quibus duobus poſtremis locis liquet & apud Noſtrum infra. 531. loco vexatiſſimo ſcribendum eſſe:
Effugere hunc non eſt, cave ne tibi poſſit amica
Dicere.
Met. IX. 385.
Et quoniam non eſt ad vos incumbere nobis.
Ita enim ex veſtigiis ſcriptorum codicum reponendum videtur. vulgati:

— *Mihi*

Da reditum puero, ſenis eſt ſi gratia vilis:
Si non vis puero parcere, parce ſeni.
Dixerat haec. ſed & haec, & multo plura licebat
Dicere: regreſſus non dabat ille viro.
Quod ſimul ac ſenſit, Nunc, ô nunc, Daedale, dixit,
Materiam, quâ ſis ingenioſus, habes.
Poſſidet en terras, & poſſidet aequora Minos:
Nec tellus noſtrae, nec patet unda fugae.
Reſtat iter coelo: coelo tentabimus ire.
Da veniam coepto, Juppiter alte, meo.
Non ego ſidereas adfecto tangere ſedes.
Quâ fugiam dominum nulla, niſi iſta, via eſt.
Per Styga detur iter: Stygias tranabimus undas.
Sint mihi naturae jura novanda meae.

In-

—— *Mihi fas ad vos incumbere non eſt.* Heins. *Sit* etiam habet Francofurtenſis codex.

32. *Dicere, at egreſſus.*] *Et egreſſus* ſcripti plerique. Regius, *dicere egreſſus.* prima editio & ſex ſcripti, *regreſſus.* Lege, *regreſſus nec dabat ille.* Heinsius.

33. *Quod ſimul ac.*] *Simul ut* Regius cum Scaligeri & Jureti excerptis & octo aliis. ſed fruſtra. Met. II. 167. *Quod ſimul ac ſenſere, ruunt.* quatuor libri, *nunc ô nunc Daedale.* concinnius. *ſentit* etiam recte Comelinianus. Heinsius.

34. *Habes.*] *Habe* Francofurtenſis.

35. *Poſſidet & terras.*] Argentinus & unus Vaticanus, & pro diverſa lectione Arondelianus, *Poſſidet en.* Lego:

Poſſidet en terras, en poſſidet aequora Minos.

Heinsius.

37. *Reſtat iter coeli.*] *Coelo* Politiani excerpta, & duo alii: non male. Heinsius. vid. Broukh. ad Propert. II. I. 20.

37. *Coelo tentabimus ire.*] *Coelum* Sarravianus & duo alii. vide Notas ad Epiſt. VII. ỷs. 40. Heinsius.

38. *Jupiter alte.*] *Alme* Editiones Venetae, Micylli & Berſmanni.

39. *Tangere.*] *Scandere* Vaticanus & alius.

41. *Tranabimus.*] *Tranſibimus* Bernenſis & ſex ſcripti, & multi editi. *tentabimus* Ambroſianus.

42. *Sunt mihi.*] *Sint mihi* Regius & Puteani excerpta. Heinsius. Francius volebat, *ſint modo naturae jura novanda mihi. movenda* Regius, & emendatum *negata.*

45. *In ordine pennas.*] Alas remigium quoque Graeci vocant nonnunquam. ſic Aeſchylus Agamemnone, de Avibus, ϛροφοδινοῦνται πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι. εἰρεσίαν πτερῶν Lucianus dixit in Timone de Mercurio: ὁ μὲν ἀπελήλυθεν, ὡς δοκεῖ. Τεκμαίρομαι γὰρ τῇ εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν. ſic & *alarum remigium* Virgilius in hac eadem de Daedalo Fabula. & *Daedaleum remigium* auctor ſupplementi ad Plautinam Amphitryonem:

—— *Non ocyus quivi, ſi me*
Daedaleis tuliſſem remigiis.

Noſter *alarum remos.* Met. lib. V. ỷs. 558.

—— *Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis*
Optaſtis.

Silius lib. XII. 97. de Daedalo:

—— *Natumque ſolutis*
Pennarum remis, & non felicibus alis
Turbida plaudentem vidit freta.

Lucret. VI. 743.

Remigii oblitae pennarum vela remittunt.

Ubi *remigium* ſimpliciter habes. quomodo & apud Avienum in Phaenomenis, de Cygno:

—— *Dextro latè Cepheïda dextram*
Radens remigio.

Pennarum quoque *vela* Lucretianum imitatus Apulejus in Floridis, de Aquila, *Velificatas alas quo libuit advertens modico caudae gubernaculo.* & libello de Deo Socratis, *Attio Navio avem velificat.* & Noſter infra 164.

Quaque ferent aurae, vela ſecunda dato.

De alis. *Pedum remigium* dixit Statius Theb. IX. hinc *tranare nubila* obvium, tanquam de mari. Apulejus Met. V. *Remigio plumae raptum maritum* dixit libro VI. de Aquila, *Remigium dextra laevaque porrigens.* Sed totum locum adſcribam, ut obiter emendem, de Aquila ſermo eſt: *Libratis pinnarum natantium molibus inter genas ſaevientium dentium remigium dextra laevaque porrigens nolentes aquas excepit.* Scribendum enim, *libratis pinnarum natantium motibus. pinnas natantes* vocat, quae paulo poſt *remigia* appellabit. Plenus eſt horum

Ingenium mala saepe movent. quis crederet umquam,
Aërias hominem carpere posse vias?
Remigium volucres disponit in ordine pennas:
Et leve per lini vincula nectit opus:
Imaque pars ceris adstringitur igne solutis:
Finitusque novae jam labor artis erat.
Tractabat ceramque puer pennasque renidens,
Nescius haec humeris arma parata suis.
Cui pater, His, inquit, patria est adeunda carinis:
Hac nobis Minos effugiendus ope.
Aëra non potuit Minos; alia omnia clausit.
Quem licet, inventis aëra rumpe meis.
Sed tibi nec virgo Tegeaea, comesque Bootae
Ensiger Orion adspiciendus erit.

Me

horum poëticorum Apulejus. in Floridis quoque, ubi agit de Aquila, puto scribendum, *natatu clementi labitur, velificatas alas quo libuit advertens.* male illic, *nutu clementi.* Sic *clementem clivulum* idem Met. IV. *clivum clementer assurgentem* Tacitus dixit. *cum illis fessa sunt remigia pennarum*, de avibus libello de Deo Socratis. Marcianus Capella lib. VIII. *Verum alae cum pennis hyalinis, & volitandi per mundum remigia crebrius aurata crispantur.* D. Paulinus carmine ad Cythenium:

Defueta longo remigia pennarum senio
Natis magistris inchoant.

De aquilis. ceterum in quinque scriptis *Remigium volucris* legitur. sed *volucres pennas*, ut unus habet Palatinus, probum est. eleganti appositione. sic *volucer Cupido*, & similia. *volucris turba* pro avibus Met. v. 301. ex optimis libris:

——— *Nuper & istae*
Auxerunt volucrem victae certamine turbam.

Non *volucrum.* Fast. I. 449. ex antiquis itidem libris:

Tuta diu volucris proles tum denique caesa est.

HEINSIUS. Plura vide apud Cl. Drakenborch. ad Sil. Ital. XII. 98.

49. *Pennasque renidens.*] *Renitens* sex. *remittens.* duo. *recudens* Palatinus & Vaticanus. *recentes* duo libri. *renectit* Regius. omnes frustra. vid. Heins. ad x. Met. 558. & quae nos ad Val. Flacc. IV. 234. dabimus aliquando. *pinnas* etiam Regius. BURMANNUS.

50. *Arma parata.*] Francius malebat, *vincla*, ut bis terve vocat. vel, *dona.* sed perperam, adludit enim ad navium *arma* vel *armamenta*, ut vocabantur. nam mox *carinam* vocat & *remigium* supra, & vers. 64. *vela.* ita *arma* vocat Virgilius *vela* lib. V. Aeneïd. 14. interprete Servio, & lib. VI. 353. Noster. XI. Met. 513. aliique Poëtae, ut Graeci ὅπλα Hesiod. ἔργ. 627. Apollon. I. 369. & ceteri passim. unde *armare* & *exarmare* classem & similia obvia, de quibus vid. Cl. Schult. ad Senec. III. Contr. 16. pag. 211. BURMANNUS.

51. *His inquit.*] *Hac carina, hac nobis m. e. erit.* Regius. *ope est* Aldus & recentiores.

54. *Qua licet.*] In nonnullis, *quam licet.* utrumque recte. NAUGERIUS. *Quem licet* meliores cum prima editione. nonnulli *Quem libet* Commelinianus & tres alii, *Quamlibet*, etiam non male. Vide Notas Ep. VI. ŷs. 140. HEINS. Sed & *qua licet* probum est. vid. Epist. XVI. 235. *aëra carpe*, Junii.

55. *Comesque Bootes.*] Novi illa Hesychii, Βοώτης, ὁ Ὠρίων. & Βοωτεῖν, ἀροτριᾶν. ὅτε ὁ Ὠρίων δύνῃ Λάκωνες. Ubi Orion cum *Bootâ* confunditur. quomodo alii cum Icario unum faciunt. unde *Actaeus Bootes* Valerio Flacco dictus lib. II. ŷs. 69. qui locus non est sollicitandus. Propertio quoque lib. II. El. XXXIII.

Flectunt Icarii sidera tarda boves.

Hic tamen scribe, *Bootae* cum optimo Regio & uno Patavino. Neque obstat, sidera haec minus sibi vicina esse, cum & Catullus, *proximum Hydrochoo Orionem* ponat, carmine de Comâ Berenices, nisi pro *Hydrochoo* scribendum illic, *Heniocho.* HEINSIUS.

56. *Ensifer Orion.*] *Ensiger* Regius cum quinque aliis & prima editione. sic & meliores libri quarto Fastorum 388.

Ensiger Orion aequore mersus erat.

apud Lucanum tamen libr. I. 665.

Ensiferi nimium fulget latus Orionis.

HEINSIUS.

Me pennis sectare datis. ego praevius ibo.
Sit tua cura sequi: me duce tutus eris.
Nam sive aetherias vicino sole per auras
Ibimus: impatiens cera caloris erit.
Sive humiles propiore freto jactabimus alas;
Mobilis aequoreis penna madescet aquis.
Inter utrumque vola: ventos quoque, nate, timeto;
Quàque ferent aurae, vela secunda dato.
Dum monet; aptat opus puero, monstratque moveri:
Erudit infirmas ut sua mater aves.
Inde sibi factas humeris adcommodat alas:
Inque novum timidè corpora librat iter.
Jamque volaturus parvo dedit oscula nato:
Nec patriae lacrimas continuere genae.

Monte

58. *Sit tibi cura sequi.*] *Tua cura* prima editio cum melioribus scriptis, & mox *timeto* pro *caveto*, & *sibi factas* pro *suis*; & *timide*, pro *timidus*. HEINS.

59. *Per auras.*] *Sub auras* Leidensis. vide III. Met. 296.

66. *Ut sua mater.*] Malebat olim Heins. *ut pia*; sed nil opus. Terent. Hecyr. IV. IV. 38. *Mater quod suasit sua.* ita *vir suus* infr. 551. ipsa comparatione hac quoque utitur Val. Flac. VII. 375. paullo aliter Senec. in Oedipo 898. & seq. BURM.

68. *Perque novum.*] Mentelianus, *inque novum*, ut notet initium itineris, in quod se dabat, vel tentamen itineris, ut solent aves tenerae pennas quatere, & leviter corpus tollere & librare. & ita Francius conjecerat. BURMANNUS.

78. *Inceptum dextra reliquit opus.*] *Relinquit* nonnulli. unus Vaticanus, *remisit.* alter Regius, *remittit.* sic Fast. II.

Desinit in lacrymas, inceptaque fila remisit. Met. VI. 34.

Aspicit hanc torvis, inceptaque fila remisit.

Ita & illic quidam ex antiquis libris. quomodo & *remissa ambages*, de quo ad Epist. VII. ỳs. 149. HEINS. Ego nihil muto. vid. ad lib. VI Met. 34. *relinquere* enim τῷ *inceptum* optime respondet. Donatus ad illa Terentii Andr. II. V. I. *Herus me relictis rebus jussit Pamphilum observare. Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod coeperit. relinquuntur vero res, cum imperfectae relinquuntur.* ut Virgil. III. Georg. 519. *Atque opere in medio defixa reliquit aratra.* VI. Met. 202.

Infectaque sacra relinquunt. BURMANNUS.

79. *A laeva fuerat.*] *Fuerant* cum melioribus. HEINSIUS.

81. *Dextra Lebynthos erat, silvisque umbrosa Pachynne.*] Nulla usquam insula *Pachynne*: ideo *Calymna* non Strabone solum, sed ipso etiam eodem Ovidio authore legendum, qui octavo Metamor. de eodem Icaro verba faciens cum aliis nonnullis carminibus, quibus hic utitur, tum hoc prope totum sumit:

Dextra Lebynthos erat, foecundaque melle Calymna.

NAUGERIUS. *Dextra Lebinthos erat, silvisque umbrosa Pachynne*, vulgò legitur, etiam in Aldina editione. Sed quia *Pachynnes* nomen alibi de insula non legitur, substituerunt alii pro *Pachynne*, *Calydne:* quod nomen unius est ex iis, quae Sporades dicuntur, ut & Strabo docet in fine decimi. Ceterum si cum hac descriptione Poëtae, descriptiones ac tabulas Geographorum nostrorum conferas, non facile dixeris, *Calydne*, an aliud aliquod nomen rectius substituatur. Ita discrepant illorum διατυπώσεις ab eo itinere, quod hic Poëta describit. MICYLLUS. Pro *Calydna* Regius veterrimus, *Palismne.* prima editio cum nonnullis scriptis, *Palymne.* Forte pro *Calymne.* tam enim Calymnam, quam Calydnam inter insulas recenset Stephanus. Certe lib. VIII. Met.

Dextra Lebinthos erat, foecundaque melle Calymna.

Occurrit in eadem hac narratione, sive, *Calymne*, ut libri meliores agnoscunt constanter, nisi quod *Calydne* in uno Regio illic offendi. alii, *Calynne* & *Calyne.* apud Strabonem quoque sub finem lib. X. non constant sibi codices, qui modo hanc, modo illam lectionem agnoscunt. De melle tamen Calymnio subscribit Ovidianae lectioni in Metamorphosi: Ἅπαν μὲν οὖν τὸ νησιωτικὸν μέλι, ὡς ἐπιτοπολὺ ἀγρεῖόν ἐστι, καὶ ἐναμίλλιον τῷ Ἀττικῷ. τὸ δὲ ἐν ταῖς νήσοις, διαφερόντως. μάλιστα δὲ τὸ Καλύμνιον. At Plinius lib. XI. cap. XIII. de melle. *Ibi optimum semper, ubi optimorum caliculis florum conditur. Atticae regionis hic & Siculae Hymetto & Hybla ab locis, mox Calydnâ insulâ;* Eustathius ad illa Homeri Iliad. β. νήσους τε Καλύδνας, inter alia, νῆσοι μί Καλύδναι εἰσιν, ὡς ἕτεροι διὰ τοῦ μ γράφουσι.

Monte minor collis, campis erat altior aequis:
Hinc data sunt miserae corpora bina fugae.
Et movet ipse suas, & nati respicit alas
Daedalus; & cursus sustinet usque suos.
Jamque novum delectat iter: positoque timore
Icarus audaci fortius arte volat.
Hos aliquis, tremulâ dum captat arundine pisces,
Vidit; & inceptum dextra reliquit opus.
Jam Samos à laevâ fuerant Naxosque relictae,
Et Paros, & Clario Delos amata Deo.
Dextra Lebynthos erant, silvisque umbrosa Calymne,
Cinctaque piscosis Astypalaea vadis:
Cum puer, incautis nimium temerarius ausis,
Altius egit iter, deseruitque ducem.

Vin-

Φουσι Καλύμνας. ὅτι δὲ ἀγαθὸν μέλι τὸ Καλύδνιον. Deinde ubi diversas sententias retulit de his insulis, Καλύδναι νῆσοι κατὰ τίνας αἱ Σποράδες, ὧν μία Καλύμνα. de melle praestantissimo Cycladum dicemus plura ad lib. VII. Metam. ỳs. 464. *Calydnas* numero plurali efferunt. ut apud Senecam Troadibus 838. ex fide optimi Medicei:

Semper Euripo properante Chalcis,
Quolibet vento faciles Calydnae.

Nam vulgatum *Echydnae* nihil est. nisi *Echinae* reponas, quomodo Echinadas esse dictas ἀπὸ Ἐχίνου μάντεως testatur Stephanus Byzantinus, cujus etiam nominis oppidum fuerit in Acarnania. HEINSIUS.

81. *Erat.*] Unus meus cum Vaticano uno, *erant*. Ita & Fastor. III. 37.

Martia Picus avis gemina pro stipite pugnant,
Et Lupa.

Virgil. Eleg. VI.

Nec tantum Rhodope mirantur & Ismarus Orphea.

Ut ibi optimi codices: vulgo, *miratur*. Sil. XVI. 106.

Et Libys occubuere, & amantes Martis Iberi.

Stat. Achil. II. 8.

Hinc spretae Myconos humilisque Seriphos.

Claudian. lib. II. Rapt. Prof. 185.

Redduntur fluviusque mari tellusque colonis.

Ut ibi MSti codices habent. vulgo *fluviique*, & lib. III 209.

Hinc Phaeben comites, hinc Pallada junxit.

Prudent. Psychomachia vers. 704.

Conscius audacis facti dat signa reatûs,
Et deprensa tremunt languens manus & dolor albens.

Sic Bodlejanus codex: vulgo, *tremit*. HEINSIUS. Recte *erant* Heinsius: nam eleganter in his & similibus plurali numero utuntur Poëtae. Claud. I. in Eut. 214. ex MS.

Ut Eunucho fluerent Pactolus & Hermus.

II. 128.

—— *Quo se pulsata referrent*
Majestas Latii, deformataeque secures.

I. Rapt. 133.

Pariter pro virgine certant,
Mars clypeo melior, Phoebus praestantior arcu.

Idem I. in Rufin. 199. ex MSS.

Jungantur solium Croesi, Cyrique tiarae.

Horat. II. III. 10.

Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant.

III. XVI. 6.

Jupiter & Venus risissent.

II. Sat. I. 72.

In secreta remôrant
Virtus Scipiadae, & mitis sapientia Laeli.

Quamvis & aliter facere Horatium solere recte notavit Cl. Bentlejus ad lib. I. Od. 13. & certe pro arbitrio, haec variasse aliquando veteres credo. vid. ad VIII. Met. 790. Epist. XVI. 336. sic Lucanus, qui lib. I. 282. dixit:

Par labor atque metus pretio majore petuntur.

Eodem libro 422. dicit:

Gaudetque amoto Santonus hoste,
Et Biturix, longisque leves Suessones in armis.

Ubi etiam Heinsius tentabat, *gaudentque Santones*: sed ne offendat, quod duobus singularibus, plurali etiam addito, jungatur verbum singularis numeri, ita idem Poëta lib. VII. 846.

Quam Sol, nimbique, diesque,
Longior Aemathiis resolutim miscuit arvis.

Alio modo Noster praecedente plurali, singulari vero sequente, verbum tamen pluralis numeri subjicit. lib. V. Met. 12.

Nec mihi te pennae, nec falsum versus in aurum
Jupiter eripient.

Infinita addi possent, quae docerent temere omnia

Vincla labant; & cera Deo propiore liquescit:
Nec tenues ventos brachia mota tenent.
Territus è summo despexit in aequora coelo:
Nox oculis pavido venit oborta metu.
Tabuerant cerae; nudos quatit ille lacertos:
Et trepidat; nec, quo sustineatur, habet.
Decidit; atque cadens, Pater, ô pater, auferor, inquit.
Clausérunt virides ora loquentis aquae.
At pater infelix, jam non pater, Icare, clamat,
Icare, clamat, ubi es? quove sub axe volas?
Icare, clamabat: pennas adspexit in undis.
Ossa tegit tellus; aequora nomen habent.

Non

loca ad unum exigi; cum his locutionibus promiscue usi fuerint; ideoque semper tutius optimos codices sequi. Burmannus.

83. *Incautis nimium temerarius annis.*] *Armis* prima editio cum primo Mediceo. unus Vaticanus & unus Ambrosianus, *alis.* alius Vaticanus, *ausis.* quod placet. Heinsius.

84. *Deseruitque patrem.*] *Ducem* malo cum Moreti. & Mentelii codice. sic Daedalus ad Icarum Met. VIII.

Me duce carpe viam.

Fast. lib. IV. 528.

Dux comiti narrat, quam sit sibi filius aeger.

lib. VI. 122.

Nympha jubet quaeri de more remotius antrum:
Utque comes sequitur, deflituitque ducem.

Heinsius.

86. *Nec tenues venti.*] *Ventos* potiores scripti. Heinsius. *Nec tenues aurae.* Neapol.

87. *E summo.*] *A summo* omnes fere editi, sed e repositi Heinsius è Vaticano & uno ex suis; qui & conjecerat, *territus ut summo &c.*

92. *Clausérunt virides.*] Imitatio Propertiana ex lib. III. Eleg. V. 10.

Cum moribunda niger claudcret ora liquor.

Burmannus.

93. *Non jam pater.*] Ex Metam. VIII. *nec jam pater.* Naugerius. *Nec jam* iidem, cum prima editione. Heinsius. *Jam non pater*, Ego non temere repudiem. lib. IV. Met. 382. Virg. IV. Georg. 497.

Feror ingenti circumdata nocte

Invalidâsque tibi tendens, jam non tua, palmas.

Horat. Epod. V.

Sub haec puer, jam non, ut ante mollibus
Lenire verbis impius.

Quinct. VI. praef. *quam etiam deficiens, jamque non noster.* vid. ad Phaedr. lib. I. fab. 7. Burm.

95. *Icare clamabat.*] *Dum clamat* Lincolniensis. Heinsius.

96. *Tegit.*] *Tenet* Aprosii & octo alii.

100. *Revellit.*] *Revellet* Regius. alii tres, *revellat.* Heinsius.

101. *Ut vivat.*] *Ut duret amor* Mentelii & quatuor alii. sic lib. II. Amor. 19.

Sic mihi durat amor, longosque adolescit in usus.

102. *Mistaque cum magicis mersa venena sonis.*] Scaliger, *Mistaque cum magicis naenia Marsa sonis* scribebat. De quo alibi. Gruterus ex Palatinis *Marsa venena* scribebat. Dan. Heinsius. *Marsa* legendum omnino cum prima editione & scriptis quamplurimis. Sed necdum sanum praestiterim locum, nisi cum optimo Regio & excerptis Scaligeri ac Puteani reponas, *naenia Marsa.* Cantus enim magicus Marsorum serpentibus fatalis creditus. Atque ita lib. VI. Fastorum 141. optimi codices, de strigibus:

Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt,
Naeniaque in volucres Marsa figurat anus.

Ubi *Naenia falsa* vulgo legebatur. Horat. Ep. XVI.

—— *Vincor, ut credam miser*
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsâ dissilire naeniâ.

Et Ep. V.

Ad me recurres; nec vocata mens tua
—— *Marsis redibit vocibus.*

Noster Medicamine faciei 39.

Nec mediae Marsis finduntur cantibus angues.

Lucilius lib. Sat. XX. apud Nonium in *Coluber*:

Jam disrumpetur medius, jam ut Marsu' colubras
Disrumpit cantu' venas cum extenderit omnes.

Pomponius Pistoribus:

Mirum est, ni haec Marsa est, in colubros calles
Cantiunculam.

Alcimus Avitus lib. II. Poëmatum:

Hinc est laudato quod possunt carmine Marsi,
Cum tacita saevos producunt arte dracones
Absentes, & saepe jubent confligere secum.

Plura ad rem facientia illic subjunguntur. Silius lib. VIII. 497.

Hae-

Non potuit Minos hominis compescere pennas:
Ipse Deum volucrem detinuisse paro.
Fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes;
Datque, quod à teneri fronte revellet equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeïdes herbae;
Mixtaque cum magicis naenia Marsa sonis.
Phasias Aesoniden, Circe tenuisset Ulixen,
Si modo servari carmine posset amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis.
Philtra nocent animis; vimque furoris habent.
Sit procul omne nefas. ut ameris, amabilis esto:
Quod tibi non facies, solave forma dabit.

Sis

Hae bellare acies norant. at Marsica pubes
Et bellare manu. & chelydris cantare soporem;
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem.
Ubi quod secundam Syllabam in *Chelydris* corripit sine exemplo est. sed legendum, *atque hydris cantare soporem.* Virgilii nimirum sui, a cujus imitatione numquam deflectit, respiciebat illa Aeneïd. VII. 753.

Vipereo generi & graviter spirantibus Hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat.

Hinc *serpentum domitores Marsos* appellant Plinius ac Gellius. eosque originem à Marso Circes filio ducere testantur, ut artis magicae peritia, qua vulgo male audiebant, in iis nequaquam sit miranda. Glossae Isidori, *Marsus, incantator serpentum.* Papias. *Marsus pro incantatore ponitur*, apud eundem quod sequitur *Marsus, Romanus*, mendosum est, scribendum enim, *Martius, Romanus.* Arnobius lib. II. *Adversus ictus noxios, & venenatos colubrarum morsus remedia saepe conquirimus, & protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis vendentibus*, (scribe, *Marsisve vendentibus*) *aliisque institoribus atque planis.* Ubi vide Elmenhorstium, & de *Lamiis* vid. Bulling. de Magia pag. 594. Marsos ob artis cognationem cum Psyllis frequenter veteres conjungebant, quo modo Plinius lib. XV. cap. II. & Gellius lib. XVI. cap. XI. locis jam citatis. Marcianus Capella initio libr. IV. loco insigniter depravato, quare totum adscribam: *Hanc igitur fraudulenta semper argumentatione versutam, ac de circumventis pluribus gloriantem, cum Cyllenius κηρυκείῳ* (caduceo, vulgati, *Ceryceo*) *geminus anguis assurgens allambere foeminam crebis linguarum micatibus attentaret, tunc etiam Tritonia Gorgo cognoscentis quodam* (vulgo, *quoniam*) *gaudio sibilaret: nimirum inquit, Bromius, qui facetior est Deorum, eamque penitus perspiciebat* (vulgo *nesciebat*) *haec aut* (non *autem*) *ex arenis Libyae anhelantis adducitur* (Psyllas innuit) *quod & capillitium inflexum docet* (non *inplexum*, supra, *crines decenti inflexione crispatos* ei dederat) *& amicitia venenorum: aut fidendum est Pharmacopolam* (vulgati insulse *formia copulam*) *esse Marsicae nationis. Ita namque agnitione viperea & blanda anguium adulatione delinitur* (vel *delinitur*, vulgo, *diligitur*) *quod ni est, ex illius hami fraude colligitur, quod circulatrix pellacissima & petrarum* (vulgo *metarum*) *Marsicarum incola comprobatur.* vulgo *comprobat.* apud eundem Marcianum sub finem libri IV. *Marsica praestigiatrix.* nec scribendum ejus loco jam adducto cum viro maximo, *cognoscens gaudio sibilaret*, pro *cognoscentis.* Sic idem initio libri VII. *quodam aspectu promittentis illexit; quam Saturnia de propinquo velut deprehendentis castigabat obtutibus.* Julius Firmicus, *sub angue nati Marsi erunt, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare.* similia his & idem alibi. Virgil. lib. VII. 757.

—— *Neque ejus juvere in vulnera cantus*
Somniferi, & Marsis quaesitae montibus herbae.

Naeniae vox apud eundem Capellam etiamnum in mendo cubat, lib. IX. *Psaltas, Chordacistas, Sambucos, Hydraulas per totum orbem ad commodum humanae utilitatis inveni. per me quippe vestrum homines illexere succursum, iraque inferas per naenias sedavere.* ita enim vetus codex Bibliothecae Leidensis, cum vulgo legatur, *per me etiam sedavere.* D. Hieronymus in praefatione Mosaici Pentateuchi, & in XII. quaestionibus, *Iberas naenias* simili modo dixit, quod Iberia venenorum ferax, teste Horatio. HEINSIUS.

104. *Posset amor.*] *Possit* meliores. HEINS.

105. *Nec data profuerint.*] Alii, *profuerant.* Lego, *profuerunt.* quod postea confirmavit codex Helmaestadiensis. sic supra l. I. 161.

Profuit & tenui ventos movisse tabella.

Et Medicamine Faciei:

Profuit & marathos bene olentibus addere myrrhis.

HEINSIUS. *Proficiunt* quatuor scripti.

105. *Pallentia.*] *Pollentia* est in uno Palatino.

Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero ;
Naïadumque tener crimine raptus Hylas;
Ut dominam teneas, nec te mirere relictum,
Ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile eſt; quantumque accedit ad annos
Fit minor ; & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec violae ſemper, nec hiantia lilia florent,
Et riget amiſſâ ſpina relicta rosâ.

Et

eadem varietas erat apud Tibullum lib. I. Eleg. IX. 17.

Num te carminibus, num te pollentibus herbis,
Devovit tacito tempore noctis anus?

Ut recte viri docti pro *pallentibus*, reſtituerunt, & ex divite penu egregie illuſtravit Broukhuſius. ſed quia hic culpat, non commendat philtra, vulgatam lectionem retinendam exiſtimo. *pallere* enim de Venenis paſſim dicitur. vid. VII. Met. 209. Philtra vero venena ſunt. BURMANNUS.

107. *Ut ameris, amabilis eſto.*] Ex communi uſu & ſermore repetitum. P. Syrus, *ſi vis amari, ama.* quod Seneca in ſententiam Ovidii egregie docet Epiſt. IX. *Ego tibi monſtrabo amatorium, ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficae carmine. ſi vis amari, ama.* quod & Plin. Paneg. 85. Martialis lib. VI. II. & Auſon. Ep. XCI. & alii expreſſerunt. Lucan. Panegyr. Piſonis, *amorem quaeris amando.* BURMANNUS.

109. *Sic licet antiquo Nireus adamatus Homero.*] *Scilicet* quinque libri. unus, *ſi licet*, alius, *ſic licet.* Scribe, *ſis lic t*, atque ita Moreti codex. Licet, inquit, Nireum ab Homero tantopere laudatum aeques pulchritudine, aut Hylan. reſpexit illa:

Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν.

Quare Therſiten Lucianus apud inferos cum Nireo colloquentem ſic inducit, ἓν μὲν ἥδε τοῦτ' ἔχω, ὅτι ὅμοιος εἰμί σοι, καὶ οὐδὲν τηλικοῦτον διαφέρεις, ἠλίκον σε Ὅμηρος ἐκεῖνος ὁ τυφλὸς ἐπήνεσεν, ἁπάντων ἐνμορφώτατον προσειπών. hinc Νιρέως ἐνμορφότερος adagium apud Graecos, & Νιρέως καλλίων. ſic in priore editione jam caſtigaram, quod alius ſibi poſtea vindicavit. apud Apulejum quoque in Floridis id nomen reſtituendum, ubi nunc legitur. *Eo genitus Marſyas fertur, pro nefas! cum Apolline certaviſſe, Therſites cum decoro, agreſtis cum erudito, bellica cum Deo.* legendum enim, *Therſites cum Nireo*, vel, cum in nonnullis membranis ſit pro *Therſites*, *teter*, *Therſites teter cum decoro Nireo.* alioqui claudicabit oppoſitio, uterque Homero decantatiſſimus, alter ob ſummam deformitatem, alter ob praecipuam formae venuſtatem. hinc proverbium, cujus Suidas meminit, Θερσίτειον βλέμμα. Τὸ *adamatus* cave mutes, in *laudatus.* confirmant hujus loci reſtitutionem illa apud Horatium. Epod. XV.

Sis pecore & multa dives tellure licebit
Formaque vincas Nirea. HEINSIUS.

Tanaq Fabrum, qui lib. I. Epiſt. 54. ſibi hanc emendationem vindicat, reſpicit hic Heinſius.

110. *Crimine raptus Hylas.*] *Crimina* primus Vaticanus, ut Epiſt. XVI. 294.

Et tua ſim, quaeſo, crimina ſolus ego.

Et in Amor. II. XI. 35.

Veſtrum crimen erit talis jactura puellae.

Propert. II. XXI. 2.

Tam formoſa tuum mortua crimen erit.

Atque ita paſſim Poëtae. HEINSIUS.

115. *Nec ſemper violae, nec ſemper lilia florent.*] Mire turbatur verſus hic in vetuſtis libris. alii codices, *mollia lilia*, vel *candida.* optimus Regius, *Nec violae ſemper, nec hyacinthia lilia florent.* cum gloſſa adſcripta, *id eſt, Apollinea*, ſed Τὸ *hyac* linea ſubductum erat, quo id delendum eſſe ſignificabatur. certe *cinthia lilia* in ſex aliis quoque inveni. Unde fuit cum legendum cenſerem:

Nec violae, aut ſemper hyacinthia lilia florent.

Lilia enim & *hyacinthus* ſolo colore diſtinguuntur. niſi malis, *hyacinthina.* quomodo *florem hyacinthinum* Catullus dixit. Haec olim. nunc ſcribo:

Nec violae ſemper, nec hiantia lilia florent.

Atque id confirmat cum Palatinus unus, tum codex probae notae, quo Andreas Cavalcantes, Patricius Florentinus, vir eleganter eruditus, me donavit. praeterea in uno Ambroſiano id ipſum quoque offendi, & in Hafnienſi ac Menteliano. idque Gebhardo etiam ex membranis fuit monitum, II. Antiq. lect. 9. duo alii, *olentia.* proximè verum. *lilia* optimè *hiantia* dicuntur, quod omnium florum maxime patula ſint. De floribus Columella libro X.

Pangite tunc varios terreſtria ſidera flores,
Candida leucoia, & flaventia lumina calthae
Narciſſique comas, & hiantes apta leones
Hora ſeri.

Sic ſcribendos puto mendoſiſſimos verſus Leontopetalum florem intelligit, de quo Dioſcorides. vulgo peſſime legitur, *Pingit & in varios, & hiantis ſaeva leonis Ora feri.* Vetuſtus codex, *Pingit & unc varios. Pangere* non ſemel alibi in eodem Columellae

Et tibi jam cani venient, formoſe, capilli:
Jam venient rugae, quae tibi corpus arent.
Jam molire animum, qui duret, & adſtrue formae:
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec levis, ingenuas pectus coluiſſe per artes,
Cura ſit; & linguas edidiciſſe duas.
Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulixes:
Et tamen aequoreas torſit amore Deas.

O quo-

lumeliae carmine occurrit. *cava vallis hiat*, in Lactantii carmine de Phoenice. Idem in horto:

Terra bibat fontes, & hiantia compleat ora.

Propert. l. IV. El. II.

Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante meae.

Servius ad illud Virgilii: *Ridenti acantho*; *Suavi, jucundo vel quod hians & patens naſcitur.* Sic idem, *calamum hiantem* alicubi vocat pro fiſtula. *Capripedes calamo Panes hiante canent*, quae ex illis Lucretii eſt imitatus lib. IV. 591.

——— *Cum Pan*
Unco ſaepe labro calamos percurrit hiantes.

Oculos quoque *hiantes* dixit Propertius, ſi per librarios licuiſſet, lib. IV. El. VII.

At mihi non oculos quisquam inclinavit hiantes.

Ubi *euntes* inconcinne prorſus legitur. Plautus Mercatore Act. I. Scen. 2. *Qui potuit videre?* Ac. *oculis.* H. *quo pacto?* Ac. *hiantibus.* id eſt apertis patentibusque, non occluſis. ſic *nares hiare* canibus dicuntur Apulejo lib. II. Metam. *Oſcula hiantia* eidem Met. IV. *Hietare* veteres dixiſſe Diomedes monet, ut ab *halare*, *halitare.* hinc Laberii illud, *hietantur fores*, pro patent. emendandus & Columella iterum lib. V. cap. IX. ex optimis membranis, quibus Lutetiae ſum uſus, *mala punica, ne in arbore hient, remedio erit lapides tres ſi, cum ſeres arborem, ad radicem ipſam collocaveris.* Ita membranae, niſi quod *arborient* in iis. vulgati codices, *in arbore rumpantur.* idem lib. XII. cap. 44. *Quidam pediculos punicorum, ſicuti ſunt, in arborem torquent* (puto, *in arbore intorquent*) *ne pluviis mala rumpantur, & hiantia diſpereant.* HEINSIUS. *Cincia lilia* Bernenſ. unus, *nec ſemper lilia florent* alter, *hiantia* habebat & Francof. pro varia lectione. quam confirmat & Martial. XI. Epiſt. 19.

Nec Boletus hiare, non mariſcae,
Ridere, aut violae patere poſſunt. BURM.

116. *Et riget amiſſa.*] *Aret & amiſſa*, ex Palatino Gebhard. lib. II. antiq. lect. 9. & ita unus Heinſ. *& caret.* Francof.

119. *Jam molire animum, qui duret, & adſtrue formam.*] Recte, *adſtrue formae* optimus Regius cum Scaligeri excerptis & ſeptem aliis. hoc eſt, *ſuperadde.* ſic *novum veteri aedificio adſtruere* dixit Columella. neque aliter optimi Latinitatis auctores. in Maecenatis verſibus apud Senecam:

Debilem facito manu, debilem pede, coxa:
Tuberi adſtrue gibberem. Sic ſcribo. quod tantundem eſt, ac ſi dixiſſet, *Tuberi tuber adſtrue. Attritus gibbere naſus* apud Juvenalem. ſed ad rem. Tertullianus de Cultu foeminarum: *Adſtrue ſcutorum umbilicos cervicibus*, de ornatu capitis. *moliri animum* eleganter dixit pro colere & exercere: eſt enim *moliri* magno conatu & magno molimine aliquid agere. ſic *moliri terram*, & *moliri carmina* lib. XIV. Met. 345. ex veteri codice. ubi plura. nonnunquam & ad ornatum refertur. quomodo hoc loco, & in illis Terentii:

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. HEINS.

Adſtrue formae, nihil certius hac lectione, eodem modo apud Juſtin. lib. XXIII. 3. *Sicut ante ſecunda fortuna, rebus ſupra vota fluentibus, Italiae Siciliaeque imperium & tot de Romanis victorias adſtruxerat, ita nunc adverſa, velut in oſtentationem fragilitatis humanae, deſtruens quae cumulaverat, Sicilienſi ruinae naufragium maris & foedam adverſus Romanos pugnam, turpemque ab Italia diſceſſum adjecit.* ut recte Berneggerus & Vorſtius reſtituerunt & illuſtrarunt; niſi quod ego mallem, *Italiae Siciliaeque Imperio tot de Romanis victorias adſtruxerat*: ut ultimo membro oppoſitio recte inſtituatur, ubi, *Sicilienſi ruinae adjectum naufragium* &c. dicit. iterum Juſtino reddidit vocem hanc Vorſtius lib. XXX. cap. 1. *Regno parricidio parto, & ad necem utriuſque parentis caede etiam fratris adſtructa*, & ita omnes MSS. habere teſtatur Bongarſius. Apud Frontinum quoque praefatione legendum puto: *Cum ad adſtruendam rei militaris ſcientiam unus ex numero ſtudioſorum ejus acceſſerim.* Vell. Paterc. II. 155. *Nam Victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriae ejus adſtruxit.* Saepe etiam Plinius hoc verbo eleganter utitur, & nos reddidimus Noſtro lib. V. Met. 88. BURM.

120. *Permanet.*] *Pertinet* unus Bernenſis. de quo cogitandum, nam pro *pertingere*, quo hodie perperam utuntur, veteres uſos hoc verbo docuimus ad Quinctil. II. de Inſt. Orat. 4. BURM.

122. *Edidiciſſe.*] *Addidiciſſe* Aproſii, magisque mihi placet. vid. ad II. Met. 639.

124. *Aequo-*

O quoties illum doluit properare Calypſo;
Remigioque aptas eſſe negavit aquas!
Haec Trojae caſus iterumque iterumque rogabat.
Ille referre aliter ſaepe ſolebat idem.
Litore conſtiterant: illic quoque pulchra Calypſo
Exigit Odryſii fata cruenta ducis.
Ille levi virgâ, (virgam nam forte tenebat)
Quod rogat, in ſpiſſo litore pingit opus.
Haec, inquit, Troja eſt: (muros in litore fecit:)
Hic tibi ſit Simoïs: haec mea caſtra puta.
Campus erat, (campumque facit) quem caede Dolonis
Sparſimus, Haemonios dum vigil optat equos.
Illic Sithonii fuerant tentoria Rheſi:
Hac ego ſum raptis parte revectus equis.
Pluraque pingebat: ſubitus cum Pergama fluctus
Abſtulit, & Rheſi cum duce caſtra ſuo.
Tum Dea, Quas, inquit, fidas tibi credis ituro,
Perdiderint undae nomina quanta, vides?
Ergo age, fallaci timidè confide figurae,
Quisquis es: aut aliquid corpore pluris habe.

Dexte-

124. *Aequoreas torſit amore deas.*] Scribe, *aequoream Deam.* niſi & Circe deabus aequoreis accenſenda. HEINSIUS. *traxit amore* Vatican.

125. *Ah quoties.*] *O quoties* meliores. malim etiam, *illo properante.* HEINSIUS. Douza notaverat alios legere:

O quotes illo doluit properante Calipſo.

127. *Haec Trojae caſus iterumque iterumque rogabat.*] *Hic* prima editio cum Cavalcantiano. Puto, *Hac rogante*, vel, *Huic roganti.* ſic & infra pro *muros in littore fecit*, idem codex, *muros factos* habet. quare placet reponi:

Haec, inquit, Troja eſt, muris in litore factis,
HEINSIUS.

130. *Fata cruenta.*] *Facta* multi editi & ſcripti, *caſtra* Mentelii unus.

132. *Pingit opus.*] *Verſat* Thuaneus.

135. *Campus erat, campum fecit.*] *Campumque facit*, emendatioris notae libri magno numero. IV. Faſt. 691.

Hoc, ait, in campo (campumque oſtendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona vivo.

HEINSIUS.

138. *Captis nocte reverſus equis.*] *Revectus* potiores ſcripti. probe. Ulyſſes in Sabiniana reſponſione:

Evaſi & Thracum caeſo duce proelia Rheſo,
In mea captivis caſtra revectus equis.

Corruptos etiam in hac hiſtoria Virgil. Culice. vs. 320. ubi vulgo:

Huic gerit averſos proles Laërtia vultus.

Lege:

Hinc regit averſos proles Laërtia currus.

Ut Silius II. 172.

Averſo rapitur ſinuata per aequora curru.

Niſi quis *avectos* malit. τὸ *currus* in veteribus edd. eſt, reliqua ſunt ex conjectura noſtra. HEINSIUS. *Revectus* etiam Bernenſis, & probat locus lib. XIII. Met. 252. ubi ſe *ingreſſum curru* dicit. ſed vox illa *nocte* non placet, quia ambiguam ſententiam facit, & cum *hac* conſtrui non debet. non enim noctem poterat praeſentem pingere & oſtendere. quare cum Hafnienſi malim,

Hac ego ſum captis parte reverſus equis.

Raptis etiam omnes fere ſcripti. *rapti* enim erant, & celeritate uti debuit Ulixes, ut antequam nox abiret, reveheretur. BURMANNUS.

143. *Ergo age.*] Vid. lib. I. 343.

143. *Fallaci timide confide figurae.*] Duo codices, *timide ne crede.* Forte, *fallaci timide te crede figurae*, duo etiam libri, *nimium ne crede.* ſic ſupr. I. 245.

Hic tu fallaci nimium ne crede lucernae.

Virgil. Eclog. II. 17.

Formoſe puer nimium ne crede colori. HEINSIUS.

Nihil muto. vid. ad III. Amor. IX. 39.

144. *At-*

Dextera praecipuè capit indulgentia mentes:
Aſperitas odium, ſaevaque verba, movent.
Odimus accipitrem, quia ſemper vivit in armis,
Et pavidum ſolitos in pecus ire lupos.
At caret inſidiis hominum, quia mitis, hirundo:
Quasque colat turres Chaonis ales habet.
Eſte procul lites, & amarae proelia linguae.
Dulcibus eſt verbis mollis alendus amor.
Lite fugent nuptaeque viros, nuptasque mariti:
Inque vicem credant res ſibi ſemper agi.
Hoc decet uxores: dos eſt uxoria, lites.
Audiat optatos ſemper amica ſonos.
Non legis juſſu lectum veniſtis in unum:
Fungitur in vobis munere legis amor.
Blanditias molles, auremque juvantia verba
Adfer, ut adventu laeta ſit illa tuo.
Non ego divitibus venio praeceptor Amoris:
Nil opus eſt illi, qui dabit, arte meâ.
Secum habet ingenium, qui, cum libet, Accipe, dicit.
Cedimus: inventis plus placet ille meis.

Pau-

144. *Atque aliquid.*] *Aut aliquid* meliores. Heinsius. *Corpore majus habet* unus Heinſii pro varia lectione: non male, ſi *habe* legas cum duobus aliis codicibus.

146. *Aſperitas odium ſaevaque bella movet.*] *Verba movet* quatuor libri. duo, *bella movent.* Commelinianus cum Arondeliano, *ſaevaque verba movent.* recte. Heinsius. Ita Remed. Amor. 664.

Horrebant ſaevis omnia verba minis.

151. *Eſte procul lites.*] Neapol. *ite procul*, non invenuſte; ut in formula, *procul hinc, procul ite profani.* eadem varietas XIII. Met. 466. *Eſte procul, ſi juſta peto.* ubi ex MS. Heinſius, *ite procul.* ſic *procul abi* inf. 350. Sed, *ſit procul indepudor.* III. Am. XIV. ubi *ſtet* alii codices. praeterea *jurgia linguae* Regius & Neapol. *praemia* quatuor alii. Burm.

152. *Mollis alendus.*] Duo libri, *alliciendus amor*, ut lib. III. 510.

Comibus eſt oculis alliciendus amor.

Et inf. *ÿs.* 444.

Acribus eſt ſtimulis eliciendus amor.

Deinde Junianus habebat, *dulcibus eſt ſignis*, forte pro *linguis.* Heinsius.

153. *Lite fugant.*] *Fugent* Regius & Lincolnienſis cum excerptis Puteani & Scaligeri. *credant* quoque ſequenti verſu pro *credunt* iidem. & *res* prò *rem* meliores omnes. ſequor. Heinsius. Ineptit hic Merula, & qui caecum ducem fere ſemper ſequitur, Criſpinus, qui ad divortii formulam reſpici putant, *res tuas tibi habeto.* cum *res agi* dicantur, cum vel negotia curamus, ut procuratores. vid. Martial. v. 62. vel praecipue cum in foro judicia frequentamus & cauſſis agendis operam damus. & ita cape Remed. 144. *Res age tutus eris.*
Suet. Caeſ. 45. & hinc *actus rerum* Aug. 32. quod vel tyronibus notum. ſenſus ergo eſt, credant ſibi continuas, & mutuas lites eſſe. & hoc ſequentia docent. Burmannus.

156. *Optatos.*] Ita Terent. Heaut. III. III. 50. *Optata loquere.*

159. *Aureſque juvantia verba.*] *Auremque* iidem cum primâ editione. rectius. ſic & infra 347. optimus codex, *tibi ſemper praebeat aurem.* Heinsius. vid. v. Met. 334.

160. *Adfer.*] *Profer* Mentelii prior, & Junii.

161. *Praeceptor amandi.*] *Amoris* multi codices. lib. I. 17.

Aeacidae Chiron, ego ſum praeceptor Amoris.

Infra 447.

Is mihi, laſcivi dixit praeceptor Amoris.

Heinsius.

163. *Qui, cum libet, Accipe, dicit.*] *Qui, cui libet* legi cum uno Palatino malim. Heinsius.

164. *Inventis plus habet ille meis.*] *Plus placet* Regius & multi alii cum Jureti excerptis. plures cum primâ editione & excerptis Puteani ac Scaligeri, *plus valet.* Heinsius.

Pauperibus vates ego ſum; quia pauper amavi.
Cum dare non poſſem munera, verba dabam.
Pauper amet cautè: timeat maledicere pauper:
Multaque, divitibus non patienda, ferat.
Me memini iratum dominae turbaſſe capillos:
Haec mihi quam multos abſtulit ira dies!
Nec puto, nec ſenſi tunicam laniaſſe; ſed ipſa
Dixerat: & pretio eſt illa redemta meo.
At vos, qui ſapitis, veſtri peccata magiſtri
Effugite: & culpae damna timete meae.
Proelia cum Parthis, cum cultâ pax ſit amicâ;
Et jocus, & cauſſas quidquid amoris habet.
Si nec blanda ſatis, nec erit tibi comis amanti;
Perfer, & obdura; poſtmodo mitis erit.
Flectitur obſequio curvatus ab arbore ramus.
Frangis; ſi vires experiere tuas.

Obſe-

169. *Me iratum memini.*] *Me memini iratum*, ſcripti & primae editiones. HEINSIUS. vid. ad III. Am. VII. 26. tentaverat & Heinſius reſcribere, *iratus memini*, ut apud Propert. II. Eleg. VI. 46. *Viſura & quamvis numquam ſperaret Ulixen*, pro *viſuram ſe.*

170. *Haec mihi quam multos abſtulit ira dies.*] *Illa* ſcripti plerique. Regius pro diverſâ lectione *Heu mihi*, atque ita magnus ſcriptorum numerus, vel *Hei.* prima editio, *Hic.* Legendum forte:

Lis mihi quam multas abſtulit illa dies?

Sic lib. II. Triſtium. 93.

Nec male commiſſa eſt nobis fortuna reorum;
Uſque decem decies inſpicienda viris.

Nullo ſenſu nunc legitur. Cum *Liſque* reponendum ſit. Ceterum de hac lite vide Eleg. VI. l. I. Amorum. HEINSIUS.

173. *At vos, ſi ſapitis.*] *Qui ſapitis* nonnulli. HEINSIUS. Sed III. Am. VIII. 25.

Diſcite, ſi ſapitis.

Et I. Art. 643.

Ludite, ſi ſapitis, ſolas impune puellas.

Et alibi.

177. *Nec erit tibi comis amica.*] In nonnullis,

Si nec blanda ſatis, nec erit tibi comis amanti.

NAUGERIUS. *Tibi amanti* meliores cum primâ editione. HEINSIUS.

180. *Franges, ſi vires experiere tuas.*] *Frangis* meliores. *experiare* etiam nonnulli. IDEM.

183. *Tumidoſque leones.*] *Numidaſque* Regius cum Puteani ac Scaligeri excerptis, & duodecim aliis. Jureti excerpta cum nonnullis, *Numidoſque.* prima editio, *mundoſque.* duo, *timidoſque.* unus, *undaſque.* quae omnia ad veram lectionem alludunt. Martial. l. VIII. Epigr. IV. de leone eleganter & vere:

Sed cujus tremerent ipſi quoque jura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.

Urſos Numidas habes apud Juvenalem Sat. IV. ſic *Poenos leones* dixit. IV. Triſt. El. VI.

Tempore Poenorum compeſcitur ira leonum.

Quomodo & Virgilius in Eclogis & in Ciri. & Claudian. III. de Rap. 166.

Rabies Poenorum inopina leonum.

Dracontius Hexaëmero:

Arida vipereos angues excepit arena:
Sortitur Numidae tellus fera colla leonum.

Ubi perperam legitur nunc, *Humida ſortitur tellus.* *Gaetulos* Plautus Menaechmis v. 2. & Horatius lib. I. Od. XXIII. & Statius Theb. IX. & Virgil. v. Aeneïd. 351. ſic *Armeniae tigres* alibi non uno loco occurrunt, & *Oſſaea urſa* Met. XII. ubi male *obſcoenam* reponunt. *Gaetulas quoque leaenas* idem Horatius lib. III. Od. 20. *Gaetulum elephantem* Lucanus lib. VI. 208. *Pannonis urſa* Lucano libro VI. 220. Veram hujus loci lectionem Fruterius quoque vidit in Veriſimilibus. HEINSIUS.

187. *Nec mitia.*] *Immitia* plures ſcripti & quidam editi. perperam: vid. ad I. Amor. VI. 17.

188. *Melaniona.*] Valde turbant in hoc nomine veteres libri. ſed lege *Milaniona* cum Regio, qui libro etiam III. 775. cum aliis melioribus, *Milanion humeris Atalantes crura ferebat.* Reliqui codices, *Minaliona*, aut *Mimuliona.* apud Graecos Μιλανίων eſt: ut Xenophonti de Venatione; at poëtis Μειλανίων. ſic Muſaeus:

Παρθένος οὐ σὲ λέλῃδεν ἀπ' Ἀρκαδίης Ἀταλάντη,
Ἤποτε Μειλανίωνος ἐρασσαμένου φύγεν εὐνήν.

Atque ita Tzetzes quoque Chiliad. XII. 453. &

Scho-

Obsequio tranantur aquae: nec vincere possis
Flumina; si contra, quam rapit unda, nates.
Obsequium tigresque domat Numidasque leones.
Rustica paullatim taurus aratra subit.
Quid fuit asperius Nonacrinâ Atalantâ?
Succubuit meritis trux tamen illa viri.
Saepe suos casus, nec mitia facta puellae
Flesse sub arboribus Milaniona ferunt.
Saepe tulit jusso fallacia retia collo:
Saepe ferâ torvos cuspide fixit apros.
Sensit & Hylaei contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.
Non te Maenalias armatum scandere silvas,
Nec jubeo collo retia ferre tuo.
Pectora nec missis jubeo praebere sagittis.
Artis erunt cauto mollia jussa meae.

Cede

Scholiastes Apollonii Rhodii: Ἀταλάντη Ἰάσονος θυγάτηρ, ἣν ἔγημε Μειλανίων. ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ Ἀρκαδία ἡ Σχοινέως, ἣν ἔγημεν Ἱππομέδων. Ubi Ἰασίωνος θυγάτηρ scribendum est, & ἣν ἔγημεν Ἱππομένης. quanquam apud Johannem Tzetzen Chiliad. XLI. cap. CCCCLIII. etiam Hippomedon dicitur. sed locus est mendosus. Repone igitur Ἡττᾶται Ἱππομένει, pro Ἱππομέδοντι Antiphanes Comicus citatur ἐν Μειλανίωνι apud Athenaeum l. x. Amorum libro III. Eleg. II. & apud Propertium libro I. Eleg. I. quoque *Milanionis* nomen castigandum est. Apud Palaephatum Μηλανίων est. apud Apollodorum modo Μελανίων, modo Μειλανίων. *Melanion* etiam Servio ad l. VI. Aen. *Parthenopaeus Menalippae & Martis sive Melanionis filius.* HEINSIUS. vide ad III. Amor. II 29.

189. *Fallentia.*] *Fallacia* cum scriptis & priscis editionibus. sic *fallax lucerna* lib. I. ϒs. 645. & supr. 143. *fallax figura.* HEINS.

190. *Saepe fera torvos cuspide fixit apros.*] Aprosii liber, *saepe feras missa cuspide*, ut *missum sulmen* Ep. V. sed quia sequitur, *missis sagittis*, mallem, *saepe feros torta cuspide fixit apros.* alii pro *missa* habent *saeva*, vel *jussa.* IDEM.

191. *Sensit & Ilei contentum saucius arcum.*] Ita quidem in Aldinis legitur, sed falso. *Hylaei* enim legendum; id quod ex Callimacho patet, hymno in Dianam, vers. 221. ubi de Hylaeo & Rhoeco centauris (quos Atalanta, eo quod vim inferre sibi tentassent, sagittis confecit) in hunc modum legitur: οὐδὲ μὲν Τλαῖόν τε καὶ ἄφρονα Ῥοῖκον ἔολπα οὐδέπερ ἐχθαίρουτας, ἐν ἄϊδι μωμήσεσθαι· τοξότιν· εὖ γάρ σφιν λαγόνες συνεπιψεύσουται Τάων· Μαινάλη νᾶεν φόνῳ ἀκρώρεια. Intelligimus autem hic, Poëtam illud voluisse significare, in gratiam Atalantae Melanionem sustinuisse ab Hylaeo ultro sauciari. Quod & versus innuere videtur, qui infra sequitur: *Corpora nec missis jubeo praebere sagittis*, &c. Ubi & illud obiter notandum, in quibusdam *Pectora* legi, non *Corpora.* MICYLLUS. vid. Ill. Spanhem. ad d. l. Callimachi. *contortum arcum* Francofurtensis habebat. sed nihil moveo. Manil. I. 269.

In cujus caudam contentum dirigit arcum.

Noster VI. Met. 286.

Insonit contento nervus ab arcu.

Ita & *contenta sagitta* Val. Flac. III. 136. *contenta tela* Lucan. VII. 563. *contentum funem* Noster lib. I. Art. 764. & IV. Fast. 297. vid. Heins. ad XII. Met. 369. BURMANNUS.

192. *Notior alter erat.*] Junianus, *certior.* Met. I. 519.

Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
Certior. Lib. I. Amor. I. 25.

Me miserum certas habuit puer ille sagittas.

vid. Ep. XIX. 116. plura ad Claudianum Conf. Olyb. 187. & Remed. Amor. 112. HEINSIUS. *Fortior alter* Bernensis & octo alii. sed *certior* placet. ut saepe alibi.

193. *Maenalias silvas.*] Et silvas in montibus esse novi, sed an aeque recte *scandere silvas* dicatur dubito: duo scripti, *Maenalios montes.* unus Heinsii, *Maenalias rupes.* utrumvis praestat. *rupes* etiam laborem augerent. BURMANNUS.

194. *Nec jubeo collo retia ferre tuo.*] Τὸ *jubeo* cum denuo occurrat versu proxime sequenti, hic nequaquam videtur admittendum; nec juvant tamen libri veteres. Censeo nihilominus scribendum esse ex Nasonis sententia:

Subdola nec collo retia ferre tuo.

Cede repugnanti; cedendo victor abibis.
Fac modo, quas partes illa jubebit, agas.
Arguet, arguito; quidquid probat illa, probato:
Quod dicet, dicas: quod negat illa, neges.
Riserit, adride: si flebit, flere memento.
Imponat leges vultibus illa tuis.
Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos;
Tu male jactato, tu male jacta dato.
Seu jacies talos, victam ne poena sequatur,
Damnosi facito stent tibi saepe canes:
Sive latrocinii sub imagine calculus ibit;
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Ipse

Ut apud Martialem, magnum Nasonis imitatorem, lib. II. 40.

Subdola tenduntur crassis modo retia turdis.

Et Ep. 47.

Subdola famosae, moneo, fuge retia moechae.

Et lib. II. 58.

Nunc tendit avidis rete subdolum turdis.

Noster ipse *fallacia retia* paullo dixerat ante. HEINS.

195. *Nec missis.*] *Nec Scythicis* duo codices, quod non de nihilo. *nec fixis* Vaticanus unus.

196. *Artis erunt cautae.*] In quibusdam *certe*, non *cautae*. NAUGER. Lege, *cauto*. cautis ac prudentibus, inquit, non difficilis erit ars mea. sic infra 386.

Crimina sunt cautis ista timenda viris. HEINS. *Certae* Bern. *tantae* unus Heinsii, *causae* quatuor, *gaude* unus.

198. *Fac modo, quas partes illa jubebit, agas.*] *Eas* Regius cum multis aliis non contemnendae notae. quare scribendum fortassis, etsi vulgata non displicet:

Fac modo quas partes illa subibit, eas.

Pro *subeas*. *subibit* certe in altero Regio legebatur. lib. III. 355.

Modo cogitet, apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

HEINSIUS.

199. *Arguit.*] *Arguet* & *dicet* sequenti versu meliores cum primâ editione. & mox, *flebit* pro *flevit*. HEINSIUS.

201. *Si flebit, flere.*] In Francof. erat, *flerit*, *deflere memento*. eleganter mehercule; subintellecto illo *si*, ut, millies. vid. I. Amor. IV. 29. *deflere* vero plus est quam *flere*, ut apparet ex usu hujus verbi ad rogum, ubi deflebantur mortui. quo forte respicit; ut nimirum, puellâ flente aliquem ex suis mortuum, amatori, tamquam ad rogum, vehementius deflendum esse praecipiat. BURMANNUS.

204. *Tu bene jacta dato.*] In nonnullis, *tu male jacta dato*. NAUGERIUS. *Male jacta dato* cum prima editione, quod Salmasio notis in Historiam Augusti, ad Vopisci Proculum, arridebat. De duodecim scriptorum lusu agit. Cicero in Hortensio, (apud Nonium Marcellum in *scribtat*: pro quo scribendum est in *scribta*: *scribta* enim & *scribtula* dicebantur, ut mox videbimus ad III. Art. 363.) *itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati poenitet.* Quintilianus libro XI. Institut. Orator. cap. II. HEINSIUS.

205. *Seu jacies talos, victam ne poena sequatur, &c.*] *Poenam* hic exponit Merula pro dolore: ut sit sensus, *Ne victa ludo puella doleat*. Mihi verò magis placet, ut *poenam* accipiamus pro multa, sive pecunia, quam, qui victus est, persolvere necesse habet. Ac de talis & ceteris ludorum generibus, vide quae in secundum librum Tristium ex Polluce & aliis quibusdam annotavimus. Nam quae hic de Venere & Coo, item de Chio & Senione tradit Merula, veterum descriptionibus non omnino respondent. Nam *caniculam*, qua unitatem significabant, alias *chium* vocabant. *Senionem* autem, qui & ἕξιτης dicebatur, & senarium numerum significabat, *coum* plerique (ut Pollux ait) quidam etiam χιάδα, sive *jactum chium*. *Venus* autem, qua Merula septenarium numerum notari dicit, tum dicebatur, quando nullus talus eodem vultu, quo ceteri, stabat: eratque is jactus lucrosissimus, depositumque totum tollebat. Unde & Martialis dixit, lib. XIV. 14.

Cum steterit vultu nullus tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Reliqua vide loco citato: ubi & de ludo latrunculorum, & aliis quibusdam, quae nobis viderentur, exposuimus. MICYLLUS. Recte Micyllus. *Poena* est, ut ex pacto, si hoc vel illud jaciat, in medium conferat certos nummos, quos victor universos aufert. ut Augustus apud Suetonium cap. LXXI.

206. *Damnosi canes.*] *Senioni*, qui jactus felicissimus, unio seu canis illi contrarius opponebatur. sic & Persio *damnosa canicula* de eadem re Satyra ter-

Ipſe tene diſtenta ſuis umbracula virgis:
Ipſe face in turbâ, quâ venit illa, locum.
Nec dubita tereti ſcamnum producere lecto:
Et tenero ſoleam deme, vel adde, pedi.
Saepe etiam dominae, quamvis horrebis & ipſe,
Algentis manus eſt calfacienda ſinu.
Nec tibi turpe puta (quamvis tibi turpe, placebit)
Ingenuâ ſpeculum ſuſtinuiſſe manu.
Ille, fatigatae perdendo monſtra novercae,
Qui meruit coelum, quod prior ipſe tulit,
Inter löniacas calathum tenuiſſe puellas
Creditur, & lanas excoluiſſe rudes.

Paruit

tertia, & *dexter ſenio*. Propert. Eleg. VIII. lib. IV.

Me quoque per talos Venerem quaerente ſecundos,
Semper damnoſi ſubſiliere canes.

Noſter Triſtium ſecundo:

Quid valeant tali, quo poſſis plurima jactu
Figere, damnoſos effugiaſque canes.

Unio in talis κύων ſive canis. in teſſeris ὄνος ſive aſinus. Euſtathius ad penultimum Iliados librum. Julius Pollux cap. VIII. libri IX. Iſidorus XIIX. cap. 65. Mittebantur autem tali fritillo a ludentibus in pyrgum, ne fraudi locus eſſet. pyrgum hunc, ſic Horatio, Iſidoro, Sidonio Apollinari*, Polluci, Suidae, Cedreno dictum, *turriculam* Martialis vocat, *phimum* Pollux, & codices nonnulli ſcripti apud Horatium; *orcam* Perſius & Pomponius apud Priſcianum. quamquam Scholiaſtes Perſii *orcam* de ludo nucum illic interpretatur. per gradus autem in pyrgo tali devolvebantur. conſtat ex Auſonio & Agathia in epigrammatis. ipſi tali punctis diſtincti, ut etiamnum fieri ſolet, quae puncta τύποι, καὶ γραμμαὶ, καὶ τρυπήματα Julio Polluci dicuntur. De *ſenione*, *canicula*, & *venere* in jactu talorum ſatis diſtincte Scholiaſtes Perſii: *Senio & Canicula & Venus proprio nomine jactus teſſerarum ſunt. verbi gratia. dum tres ſeni proveniunt, is jactus ſenio eſt. in quo notandum, quod interdum etiam eſt ſiniſter. dum vero tres uni, canicula. Venus autem, dum jactus juxta rationem numeri optime connectuntur, quam connexionem unio, id eſt canicula in fine tabulae conficere ſolet.* Heinsius. Voſſianus, *damnoſos facito*. ſic & alibi hoc loquendi modo utitur.

209. *Ipſe tene diſtincta tuis umbracula virgis.*] In nonnullis:

Ipſe tene diſtenta ſuis umbracula virgis.

Et fortaſſe rectius. Naugerius. vulgo quidem legitur, *diſtincta tuis*, ut ſit ſententia. Tu ipſe tuis virgis *diſtincta*, ſive (ut alii) *diſtenta*, quod eſt dilatata, ſive late expanſa, umbracula tene, ac praefer illi: ſed nec Merulae lectio diſplicet, qui *ſuis* legit, pro *tuis*, ut ſit, ſuis virgis *diſtincta* ſive *diſtenta*, idem quod ſolitis, ac proprie debitis virgis interſtincta, aut late extenta umbracula &c. ut *ſuis virgis diſtincta* epitheti vicem impleat ſolum, non etiam poſſeſſionem ſignificet. Micyll. *Diſtenta ſuis* meliores. proprio *diſtinendi* verbo hic uſus eſt. Ita I. Triſt. X. 109. ex MS.

Nunc quoque diſtenti ſtrident aquilone rudentes.
Heinsius.

211. *Tereti ſcamnum producere lecto.*] Lipſius lib. III. Centur Epiſt. Miſc. II. ſcamnum idem eſſe, quod ſellam ſive cathedram putat. ſed qua ratione tunc ſcamnum lecto produceretur? Melius capitur de ſcamno, quo utebantur lectos altiores conſcenſuri. Varro lib. IV. de L. L. pag. 40. *quia ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, ſcabellum, in altius ſcamnum.* vid. Scheffer de Re Vehicul. lib. II. cap. IV. pag. 66. per *lectum* vero hic non lecticam, ſed accubitorium intelligerem, quia de ſolea ſequitur, quam poſuiſſe accubituros, notius eſt, quam ut demonſtrari egeat. *ſupponere lecto* Bernenſis & unus Heinſii. *ſubducere* Voſſii & Hafnienſis. Burmannus.

213. *Quamvis horrebis & ipſe.*] Nonnulli, *algebis*; ſed *horrere* pro *algere* rectum eſt. Juvenalis Sat. I. 93.

— *Horrenti tunicam non reddere ſervo.*

Propertius lib. IV. El. V.

Horruit algenti tegula cocta foco.

Hinc & *horror* pro frigore. verſu proximo legebat Janus Gebhardus in Antiquis Lectionibus lib. I. cap. 12. *Manus reficienda ſinu*, cum in Palatino codice *conficienda* inveniſſet; ſed vulgata ſcriptura non eſt ſollicitanda. ſic in Ibide 46. *Calfacti velitis haſtas.* Heinsius. *Horrebis* recte. vid. ad II. Amor. XVI. 19. *Calfacienda manu* Francofurtenſis. quod rectius puto.

215. *Quamvis ſit turpe, placebit.*] *Quamvis tibi turpe*, venuſtâ repetitione Sarravianus, & prior viri humaniſſimi Jacobi Mentelii. Heinsius.

217. *Ille fatigatae vincendo monſtra novercae.*] *Praebendo* Regius cum excerptis Scaligeri & ſex

Paruit imperio dominae Tirynthius heros.
I nunc; & dubita ferre, quod ille tulit:
Juſſus adeſſe foro, juſſâ maturius horâ
Fac ſemper venias; nec niſi ſerus abi.
Occurras aliquo tibi dixerit; omnia differ;
Curre; nec inceptum turba moretur iter.
Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit:
Tunc quoque pro ſervo, ſi vocat illa, veni.
Rure eris, & dicet, Venias, (Amor odit inertes)
Si rota defuerit, tu pede carpe viam.
Nec grave te tempus ſitiensve Canicula tardet,
Nec via per jactas candida facta nives.

Mili-

aliis praeſtantioris notae. quod tamen non ſatisfacit. totidem ſcripti cum primâ editione, *perdendo*. ut Epiſt. IV. 170. *Silvaque perdendas praebeat alta feras*. Impenſius tamen placet, quod in codice Argentinenſi offendebam, *perimendo*. atque ita inſiſtens veſtigiis optimi Regii jam ante conjeceram legendum. duo codices, *premendo*. haec aemulatur lib. IX. Met. 198. ubi Hercules:

——— *Deſeſſa jubendo eſt*
Saeva Jovis conjunx, ego ſum indeſeſſus agendo.

HEINSIUS. *Perdendo* placet. vid. I. Met. 444. *Perimere* tamen *jaculis feras* dixit etiam Amm. Marc. XXXI. 10. BURMANNUS.

219. *Inter Ioniacas.*] Scaliger, *Inter Maeonias calathum tenuiſſe puellas*, ſcribebat. DAN. HEINS. *Ionicas inter* prima editio & potiores ſcripti. alii, *Inter Ionicas*, vel *Ionias inter*. Comelinianus, *Inter Achaïadas*. Scribo, *Inter Maeonidas*, vel *Mygdonidas*. quod poſterius malo. Lyda enim aut Phrygia Omphale, quae & *Maeonis* Noſtro dicta lib. II. Faſtorum. Neque me fugiunt quae ad Epiſtolam IX. ỳs. 73. hoc de loco notavi, ſed accuratius ſingula perpendenti, tam illic quam hic cenſeo legendum:

Inter Mygdonidas calathum tenuiſſe puellas.

Nam *Maeonia zona* illic paulo ante praeceſſerat. HEINSIUS.

222. *Quod ipſe tulit.*] *Ille* meliores HEINSIUS. hoc diſtichon aberat a Bernenſi uno.

223. *Maturius.*] *Maturior* Bernenſis unus; & mox uterque cum ſeptem aliis, *juſſus abi*.

225. *Occurras aliquo tibi dixerit.*] Scribe, *alio*. nam de foro jam egerat. Neapolitanus, *aliqui ſi dixerit*. Puto pro *alibi*. Vide notas ad Epiſtolam XII. ỳs. 80. HEINSIUS. *alicui* Bernenſis unus.

227. *Epulis perfuncta redibit.*] *Epula* Regius. hoc eſt, ni fallor, *epulo*. niſi malis, *epulas perfuncta*. ut apud Lucretium, III. 969. *Omnia perfunctus vitai praemia*. & apud Apulejum Met. VIII. *Sed nequicquam fruſtra timorem illum ſatis inanem perfuncti*. hic & *officium fungi* Terentius cum Apulejo, & *munera fungi* Tacitus dixerunt. *frui nuptias* apud eundem Apulejum Met. VIII. *Charitem non tenebis: nuptias non frueris*. ita optimae membranae. *Functus mortalia jura* apud Paulinum quarto Natali Felicis. In Epiſtolis Symmachi paſſim, *fungi debitum*, *fungi judicium*, *fungi adverſa*, *officium*, *operam*, *vicem alicujus*. HEINSIUS.

228. *Pro ſervo.*] Nimirum, qui facem ſuſtineat, quem *adverſitorem* dixiſſe veteres docet Donatus ad Ter. Adelph. I. I. *vocat* etiam recte notavit Douza proprium eſſe verbum, ut Ep. XX. *Ignoras tua jura, voca*. vid. ad Epiſt. III. ỳs. 100. BURM.

231. *Nec grave te tempus.*] *Frigus* explicat Merula: Atqui de hieme in pentametro agit. intellige ergo tempus ex aeſtate in autumnum praeceps, quod ventis & pluviis crebrum, & morborum fecundum: Horat. III. Od. 23.

Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fecunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Idem II. Sat. VI. 19.

Autumnusque gravis, Libitinae quaeſtus acerbae.

Sol etiam & aeſtus paſſim *graves* dicuntur, quia calore ſuo nocent. ut idem Horat. II. Od. 5. & II. Sat. IV. 23. & Virgil. II. Georg. 377. *Gravis aeſtas*, ubi alii codices, *aeſtus. triſte tempus* Criſpinus, obſcurus interpres, reddidit. Legendum vero cum Voſſiano, *ſitiensve canicula*. BURMANNUS.

232. *Per jactas.*] *Per altas* unus: *perque altas* duo, *per latas* Bernenſ. *per longas* duo. vid. ad I. Amor. VII. 58.

233. *Militiae ſpecies.*] Vide elegiam lib. I. IX. Amor. quae incipit, *Militat omnis amans*. CIOFANUS.

234. *Signa tuenda.*] Jureti codex cum multis aliis, *ſigna ferenda*. nil muto. lib. III. 528.

Huic equites, illi ſigna tuenda dedit.

Tenenda Patavin. *arma ferenda*, duo. HEINSIUS.

235. *Saevique dolores.*] Janus Gebh lib. I. Ant. Lect. 12. hic ſuum *ſcaevique* importune inculcat. *labores*

Militiae ſpecies amor eſt: diſcedite ſegnes.
Non ſunt haec timidis ſigna tuenda viris.
Nox, & hiems, longaeque viae, ſaevique dolores
Mollibus his caſtris, & labor omnis ineſt.
Saepe feres imbrem coeleſti nube ſolutum;
Frigidus, & nudâ ſaepe jacebis humo.
Cynthius Admeti vaccas paviſſe Pheraeas
Fertur, & in parvâ delituiſſe caſâ.
Quod Phoebum decuit, quem non decet? exſue faſtus,
Curam manſuri quisquis amoris habes.
Si tibi per tutum planumque negabitur ire,
Atque erit adpoſitâ janua fulta ſerâ;

At

labores multi editi, & Bernenſis unus, & tres alii & ſeq. verſu, *dolor. calores* Junianus.

236. *Mollibus his caſtris.*] *In caſtris* quinque libri. Neapolitanus, *&c.* Forte, *haec.* HEINSIUS.

237. *Imbrem coeleſti nube ſolutum.*] Sic *coeleſtem aquam* Horatius lib. III. Od. 10. dixit & Noſter inf. 352. *Imbres ſolutos* quatuor libri. *imbrem fluentem* unus.

238. *Frigidus in nudâ ſaepe jacebis humo.*] *Et nuda* meliores. *manebis* etiam excerpta Jureti. ut apud Horatium, lib. I. Od. 1. *manet ſub Jove frigido venator.* Suetonius in Octavio. 78. *Matutinâ vigiliâ offendebatur, ac ſi vel officii vel ſacri cauſâ maturius evigilandum eſſet, ne id contra commodum faceret, in proximo cujuſcumque domeſticorum coenaculo manebat.* Hinc *emanſores*; Gloſſae Stephani, *Emanſio*, Παννυχισμός. *Emanet*, διαμένει, παννυχέυει. HEINSIUS. vid. Gronov. ad Senec. III. de Benef. 16. Sed hic nihil muta. vid. ad Epiſt. XIV. 100.

239. *Paviſſe per aeſtus.*] In quibuſdam, *per herbas*, in aliis, *Phereas*: rectè omnia. NAUGERIUS. Apollo armenta Admeti pavit, non Alceſtis gratia, ut hic Merula ſentit, ſed ipſius Admeti, quem tum juvenem etiam exiſtentem amabat: ut Callimachus hymno in Apoll. tradit, cujus verſus ſunt:

Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλέσκομεν ἐξ ἔτι κεῖνον
Ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρύσῳ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους
Ἠϊθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο. MICYLL.

Scaliger emendabat, *Cynthius Admeti vaccas paviſſe Pherei Fertur, & in parva, &c.* DAN. HEINS. vide quae notavi in Epiſtola Oenones. CIOFANUS. Scripti multi, *per herbas.* Sed aut *Pherei* legendum cum Regio, Jureti, Scaligeri ac Puteani excerptis, & Lincolnienſi codice, aut *Pheraeas* cum uno Vaticano & Patavino, ac primâ editione. Vide quae de hoc loco jam à nobis notata ſunt ad Epiſt. V. ℣s. 151. HEINSIUS. In Moreti libro erat, *vaccas ſervaſſe Phereas.* eleganter, cujus gloſſa eſt *paviſſe.* I. Art. 28.

Servanti pecudes vallibus, Aſcra, tuis.

II. Met. 690.

Nobiliumque greges cuſtos ſervabat equarum.

Ita & *obſervare greges* dixit lib. I. Met. 513. in *parvam* autem *caſam* dixit imitatione Tibulli lib. II. Eleg. II. 18. BURMANNUS.

243. *Si tibi per tutum placitumque negabitur ire.*] *Placidumque* ſcripti plerique. Sed diu eſt quod *planumque* vidi corrigendum. quod unus ex Vaticanis poſtmodum confirmavit. *plana* praecipitiis & arduis & praeruptis opponuntur. Seneca Phoeniſſis: ita enim optimus Mediceus inſcribit Tragoediam, quae Thebaïdis nomine perperam circumfertur. ℣s. 63.

In plana tendis? vado. praerupta appetis?
Non obſto; ſed praecedo.

Sic apud Lactantium de Falſa Religione libro primo: *Qui cum habeant iter rectum, devios ſequuntur anfractus, planum deſerunt, ut per praecipitium labantur.* Ipſe Ovidius Faſt. III. 836.

Hic ubi non plana eſt, ſed prope plana via eſt.

Mart. XII. Epiſt. XIV.

Nec ſint ſaxa licet, fallere plana ſolent.

Stat. lib. III. Theb. 115.

Effuſi per plana, per ardua, paſſim.

Ubi MSS. variant. pro *ardua*, *avia* Anglican. & unus Behotii & Tiliobrigae: alii duo, *invia.* reddenda & haec vox Silio lib. III. 532. ex MSS.

Tanta formidine plana
Exterrent repetita oculis.

Vulgo *plena.* HEINS. lib. III. Triſt. IV. 17. *Qui cadit in plano.* Phaedr. II. fab. 4. *Ut noſtram in plano facile progeniem opprimat.* ſic apud Flor. II. III. *in plana deduxit.* & in *plana deſcendere* IV. 12. & ita capienda locutio illa *de plano* jus dicere. ſimilis varietas lib. X. Met. 86.

Collis erat, collemque ſuper planiſſima campi
Area.

Ubi *placidiſſima* Voſſianus. BURM.

244. *Oppoſitâ janua fulta ſerâ.*] *Appoſitâ* alter Regius. diximus Amor. III. El. XIV. HEINSIUS. *Firma* etiam Bernenſis unus & Regius.

245. *Aper-*

At tu per praeceps tecto delabere aperto:
Det quoque furtivas alta feneſtra vias.
Laeta erit, ut cauſſam tibi ſe ſciet eſſe pericli.
Hoc dominae certi pignus amoris erit.
Saepe tuâ poteras, Leandre, carere puellâ;
Tranabas, animum noſſet ut illa tuum.
Nec pudor ancillas, ut quaeque erit ordine prima,
Nec tibi ſit ſervos demeruiſſe pudor.
Nomine quemque ſuo (nulla eſt jactura) ſaluta:
Junge tuis humiles, ambitioſe, manus.
Sed tamen & ſervo (levis eſt impenſa) roganti
Porrige fortunae munera parva tuae.

Por-

245. *Aperto.*] *Ab alto* unus Regius.

247. *Se ſciet.*] *Se feret* Bernenſis. *ſentiat* Palat. *ſentiet* Bernenſis & tres alii. *& caſum tibi ſentiet* unus Heinſii.

248. *Amoris erit.*] *Amoris habe* Palatin.

250. *Noſſet.*] *Sciret* Voſſii & duo alii.

252. *Servos demeruiſſe pudor.*] *Emeruiſſe* codex Moreti, & unus Vaticanus. Vide Notas ad Epiſt. VI. *ys.* 138. HEINSIUS.

253. *Nomine quemque ſuo.*] Haec illuſtravit Ampl. Cuper. IV. Obſerv. 8.

254. *Junge tuas humiles ambitioſe manus.*] Imo *tuis* cum optimo Regio. quo alludunt Politiani excerpta & unus Palatinus, in quibus *ſuis.* HEINS. Si Tanaq. Faber conſuluiſſet codices ſcriptos, non ita paratragoediatus eſſet lib. I. Ep. LIV. & legendum contendiſſet:

Jungere neu dubites ambitioſe manus.

Hoc eſt excarnificare Auctores, non emendare, cum in Regii codicis lectione omnia ſint planiſſima. junge manus humiles, id eſt ſervorum & ancillarum, tuis manibus. Stat. I. Silv. IV. 47.

Dignarique manus humiles, & verba precantum.

BURMANNUS.

256. *Fortunae munera parva tuae.*] Malim, *parca.* nam *parva* mox ſequitur. ſic apud Martialem lib. V. Epigr. ult. pro *munera parva* puto reponendum *parca*, quia *minora* ſequitur. ne bis idem dicat. HEINSIUS. Ita & Martialis lib. X. Ep. 41.

Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares.

Sed Faſt. II. 534.

Parvaque in exſtinctas munera ferte pyras.

Et Tibull. III. I. 24.

Et accipias munera parva rogat.

Et IV. I. 7.

Nec munera parva
Reſpueris.

Et ita mox *magna* opponuntur 275. vid. ad II. Amor. XV. 27. BURMANNUS.

257. *Porrige & ancillae, qua poenas luce pependit Luſa maritali Gallica veſte manus.*] Hoc eſt: Feſto ancillarum, quod peragebatur nonis Julii, quae & Caprotinae dicebantur. Cujus nominis rationem, & cur idem dies ancillarum feſto dicatus eſſet, tradidere Macrob. I. Saturnal. cap. II. item Plutarchus in Camillo & Romulo, cujus verba hic à Merula in commentariis citantur. Illud tamen notandum, Ovidium *Gallicam manum*, hoc eſt, Gallorum exercitum hic vocare, quos Plutarchus & Macrobius Latinos, & finitimos Romanorum appellant: uterque enim poſt Gallos profligatos, finitimos, ſive Latinos populos, duce Livio Poſthumo, Fidenatium dictatore, contra Romanos inſurrexiſſe, eorum virgines ſibi uxores dari petiiſſe, & quae reliqua traduntur, conſecuta eſſe ſcribit. Sed videtur Ovid. alios autores ſecutus. & plerumque in rebus vetuſtioribus diverſi autores diverſa tradunt. MICYLLUS. Plurimum torſit in hoc loco ſeſe, nec expediit vir ſummus Iſaacus Caſaubonus Epiſtola CCLXXXXIV. ad Molaeos fratres, dum corrigit:

Tuſa maritali Gallica reſte manus.

Sic ut *Gallica* nomen ſit ancillae, quam flagellarit amicae tuae maritus. pro *Tuſa* etiam *Caeſa* reponi poſſe arbitratur. plura vide apud ipſum. Sed primus, quod ſciam, Janus Parrhaſius ad Claudiani Raptum Proſerpinae, mentem Naſonis perſpexit. ejus verba adſcribam, cum liber ille difficulter inveniatur venalis. igitur poſtquam monuit, *qua luce*, non *quae*, quod tamen membranis omnibus pertinaciter inhaeret, corrigi debere, haec addit: *Ariſtides Mileſius de rebus Italicis libro primo*, ſic ait: *Gallorum dux Atepomorus; cum Romanos longa feſſos obſidione videret, poſtulavit, ut ſi ſalvos ſe vellent, matres familias & Virgines ad ſtuprum dederent. Senatus Retanae ancillae conſilio ad hoſtes habitu dominarum ſubmiſit ancillas, datoque ab eis ſigno, eruptione facta Romani ſomno meroque depoſitos Gallos omnes obtruncant. parta victoria Ancillariorum diem ſolemnem perpetuo ſanxerunt. Hiſtoriam repetit Plutarchus, Polyaenusque Macedo Strategematon*

Porrige & ancillae, quâ poenas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.
Fac plebem (mihi crede) tuam: sit semper in illâ
Janitor, & thalami qui jacet ante fores.
Nec dominam jubeo pretioso munere dones:
Parva, sed è parvis callidus apta dato.
Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant;
Adferat in calatho rustica dona puer.
Rure suburbano poteris tibi dicere missa;
Illa vel in Sacrâ sint licet emta Viâ.
Adferat aut uvas, aut quas Amaryllis amabat;
At nunc castaneas non amat illa nuces.

Quin

matôn octavo. Macrobius alios secutus auctores ab Aristide paullo deflexit. Ovidius amanti praecipit, ut Nonis caprotinis, quo die Galli caesi sunt, aliquid ancillae largiatur, ut alacrius operam navans iter affectet ad dominam. Haec Parrhasius. Petrus Bembus, elegantissimi vir ingenii, dialogo illo, quem de Virgilii Culice & Terentii fabulis ad Herculem Strozzam conscripsit, his similliima omnia sub nomine Pomponii Laeti ad illustrationem & castigationem Nasoniani hujus loci profert in medium. Sed dissentit in narratione hujus Historiae ab Aristide Macrobius, qui rem totam operose persecutus est Saturnalium primo cap. XI. ex quo in Nonas Julias incidisse hoc festum cognoscimus. Adde Ausonii locum de Feriis Romanis:

Festa Caprotinis memorabo celebria nonis,
Quum stola matronis dempta tegit famulas.

Varro libro V. de L. L. *Nonae caprotinae, quod eo die in Latio Junoni Caprotinae mulieres sacrificant, & sub caprificò faciunt, & è caprificò adhibent virgam.* Plutarchus νόνας καπρατίνας hunc diem passim appellat, & a capreae palude, ad quam Romulus occubuit, denominatas esse contendit. HEINSIUS. Hunc locum illustrare etiam conatus est Ferrar. lib. I. de R. Vest. 25.

259. *Fac plebem.*] Imitatione Terentii; qui Adelph. V. VI. 10. *Paullatim plebem primulum facio meam.* hoc est, mihi faventem. BERSMAN.

260. *Qui jacet.*] *Quae* Argentinensis. ut forte ancillam, vel anum, quae dominae cubiculum servat, posset intelligi; ut Epist. XXI. 19. & de quibus Almelov. in Conjectaneis multa collegit.

261. *Munere dones.*] *Munere donare* & Virgilius quidem dixit, & alii etiam *dono donare*, de quibus vide ad Vellej. II. 114. Sed hic Mentelianus venuste, *dites*, quod pretioso muneri convenientius. non vult enim talia munera amicae esse danda, unde ejus fortunae incrementa possint sumere, & illa ditescere, sed tantum parva & apta, & voluntatem testantia. vid. ad Ep. XI. 99. haec vox *ditare* etiam corrupta videtur apud Statium, lib. IV. Theb. 424.

Et dubiis Malea vitata carinis.

Ubi legendum, *ditata*, indicium facit Lutatius ad Lib VIII. 365. ubi hic versus mendose citatur, *& dubiis male ditata carinis.* pro *Malea*: credebat enim librarius ultimam in *Malea* non posse produci; sed ita *Phaedra*, *Helena*, *Hypermnestra* & similia apud Nostrum & alios ultimam habent longam. Heinsius conjecerat, *Malea evitata carinis.* posset & legi, *ditata Malea carinis.* Ut Noster II, Amor. XVI. 24.

Nec timeam vestros, curva Malea, sinus.

Ditata autem cur dicatur ex Floro lib. III. cap. 6. possumus discere, qui *aureum sinum* dictum a praedonibus dicit, propter praedas, quas ibi agebant: quamquam rectius a naufragiis, quibus opes immensae absorbentur, hic repetatur; ita enim egregie Horatius lib. III. Od. 29.

Votis paciscì,
Ne Cypriae, Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari. BURM.

266. *Illa vel in Sacrâ.*] *Illa tibi in Sacrâ* quidam. HEINSIUS. In via illa venalia, inter alia edulia, poma & fruges. Priapej. car. 20.

E Sacra nulli dixeris esse via.

Ubi Scaliger hunc Ovidii locum citat. Varro lib. I. de R. Rust. 2. *Hujusce pomaria summa Sacra Via, ubi poma veneunt, contra aureum imaginem* vid. & lib. I. Amor. VIII. 100. BURMANNUS.

268. *At nunc castaneas nunc amat illa nuces.*] Scribe, *non amat* cum Regio, Scaligeri excerptis, & uno Patavino. nisi malis, *haud amat.* Nam Hafnienses, *aut amat.* Argute avaritiam notat in puellis sui saeculi. Atque ita legendum videri Janus quoque Vlitius noster per literas me monuit, neque aliter nobilissimus Douza in suo codice conjectarat. Respicit autem illa Virgil. Eclog. II. 52.

Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

Quo alludunt etiam Catalecta Petroniana:

Quin etiam turdoque licet, miſsâque columbâ,
Te memorem dominae teſtificere tuae.
Turpiter his emitur ſpes mortis, & orba ſenectus.
Ah pereant, per quos munera crimen habent!
Quid tibi praecipiam teneros quoque mittere verſus?
Hei mihi! non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur: ſed munera magna petuntur.
Dummodo ſit dives, barbarus ipſe placet.
Aurea nunc verè ſunt ſecula. plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Ipſe licet Muſis venias comitatus, Homere;
Si nihil adtuleris, ibis, Homere, foras.
Sunt tamen & doctae, rariſſima turba, puellae:
Altera non doctae turba, ſed eſſe volunt.
Utraque laudentur per carmina: carmina lector
Commendet dulci qualiacumque ſono.

His

Nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna.
Ruſticus haec Corydon munera magna putet.

Sic & Noſter de caſtaneis lib. III. 183.

Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala deſunt.

In Copâ:

Caſtaneaeque nuces, & ſuave rubentia mala.

Calpurnius Ecloga II.

Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias,
Caſtaneaſque nuces.

Serenus Sammonicus cap. XXX.

Proderit & pueris, quos dentis origo fatigat,
Caſtaneas coxiſſe nuces.

Macrob. II. Saturn. cap. 14. *Nux caſtanea, de qua Virgilius. Caſtaneasque nuces: vocatur & Heracleotica; nam vir doctus Oppius, in libro quem fecit de ſilveſtribus arboribus ſic ait: Heracleotica haec nux, quam quidam caſtaneam vocant.* HEINSIUS. *Non amat* etiam Douza. *aut amat* Bernenſ.

269. *Turdoque.*] *Tardoque* eſt in aliis, unde ſuſpicabar ſcriptum a Poëta, *Nardoque* ad exemplum Tibulli. III. VI. 63.

Jampridem Tyrio madefactus tempora nardo &c.

Nunc potius eſt ut *turdorum* coronam ſignificari perſuadeam mihi auctoritate Martialis potiſſimum & Horatii, qui lib. II. Sat. 5.

Turdus ſive aliquid privum dabitur tibi. DOUZA.

269. *Miſſaque corona.*] De corona turdorum capi poſſe Heinſius conjecerat, ut Mart. XIII. 51. Ubi lemma, *turdorum corona:*

Texta roſis fortaſſe tibi, vel divite nardo;
At mihi de turdis facta corona placet.

Et III. Epig. 47.

Illic coronam pinguibus gravem turdis.

Sed quia hic de parvis & ruſticis muneribus agit praetuli, quod in ſeptem ſcriptis exſtat, *miſſaque columba:* hoc enim aptiſſimum Venereis amoribus munus; ut notavimus ad Petronii cap. LXXXV. quibus adde Theocr. Idyl. v. Ὄνα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα. & quae ibi Meurſius. Alia Poëtarum Graecorum loca habet Athenaeus lib. XIV. cap. XIX. Ita & Nemeſianus Eclog. II. inter munera, quae Donacae dat Alcon:

Praeterea tenerum leporem, geminasque palumbes,
Nuper quae potui ſilvarum praemia miſi.

Et Calpurn. Ecl. III.

His tamen, his, inquam, manibus tibi ſaepe palumbes,
Saepe etiam leporem, decepta matre paventem
Miſimus in gremium.

Et columbam intelligere puto Propertium III. XI. 32. Ubi munera ſimilia amantium recenſet:

Aut variam plumae verſicoloris avem.

Perdicem alii interpretantur. ſed *variae columbae* etiam Noſtro Epiſt. XV. 37. BURMANNUS.

271. *Emitur ſpes.*] Terentianum, ex Adelph. II. 21. *ſpem pretio non emo.* Ita *ſpei emtio* apud JCtos. l. VIII. §. 1. ff. de contr. Empt. *orba vere ſenectus* reſpicit captatores haereditatum, qui orbos praecipue colebant: de quibus egregie multa Petronius cap. CXVI. & ſeqq. BURMANNUS.

272. *Per quos.*] *Quorum munera* Commel. & Sarravii.

282. *Altera non doctae, ſed tamen eſſe volunt.*] Haec eſt vet. lib. lectio, quam veriorem eſſe puto. CIOFANUS. Scripti potiores cum primâ editione:

Altera non doctae turba, ſed eſſe volunt. HEINS.

Cetera non doctae Junian. ſed *altera* recte: ſaepe enim ſemel tantum poni vidimus ad Vellej. II. 54. & 114. BURMANNUS.

283. *Utra-*

His ergo, aut illis, vigilatum carmen in ipſas,
Forſitan exigui muneris inſtar erit.
At, quod eris per te facturus; & utile credis,
Id tua te facito ſemper amica roget.
Libertas alicui fuerit promiſſa tuorum;
Hanc tamen à dominâ fac petat ille tuâ.
Si poenam ſervo, ſi vincula ſaeva remittis,
Quod facturus eras, debeat illa tibi.
Utilitas tua ſit: titulus donetur amicae.
Perde nihil: partes illa potentis agat.
Sed te, cuicumque eſt retinendae cura puellae,
Attonitum formâ fac putet eſſe ſuâ.
Sive erit in Tyriis; Tyrios laudabis amictus:
Sive erit in Coïs, Coä decere puta.
Aurata eſt, ipſo tibi ſit pretioſior auro:
Gauſapa ſi ſumſit; gauſapa ſumta proba.

Adſtite-

283. *Utraque laudetur.*] *Laudentur* Neapolitanus cum uno Vaticano. concinnius *turbam* ſubintellige. Adi Notas Faſt. lib. I. ỳs. 696. HEINSIUS. Salluſtius Catilin. 49. *Uterque cum illo graves inimicitias exercebant.* ubi vide Rivium. alia de conſtructione vocis *uterque*, vide ad lib. III. Amor. I. 61. & cum verbo plurali, & adjectivis duobus, uno ſingulari, altero plurali, infra vers 580.

Impliciti laqueis nudus uterque jacent. BURM.

285. *His ergo atque illis.*] *Aut illis* libri meliores. HEINSIUS.

286. *Exigui muneris inſtar erit.*] *Habet* tres ſcripti. Vide quae noto ad Epiſt. XVI. ỳs. 360. HEINS.

287. *At quod eris per te facturus.*] *Eras* malim. ut mox:

Quod facturus eras, debeat illa tibi.

HEINSIUS.

291. *Poenam ſervo.*] *Poenam nocuo* Sarrav.

294. *Partes illa petentis agat.*] *Potentis agat* ſcribendum cum potioribus ſcriptis jam monuimus Notis ad Amor. I. II. El. II. ỳs. 30. HEINSIUS. Non potuit haec intelligere Gallicanum illud Criſpini cacumen, qui *potentis*, divitis explicat, cujus eſt dare, non accipere. Quis paullo literatior non intelligat mentem Poëtae eſſe hanc; ita haec ſcena agatur, ut illa videatur omnia a te poſſe impetrare, etiam quae tu aegre concederes, niſi deprecaretur pro ſervo & aliis amica; ita illa potens ſit apud te ſpecie, cum etiam ſine ejus precibus per te hoc facturus fuiſſes. ſic III. Met. 292. *Laeta malo nimiumque potens* ita *potentes amici*, qui apud reges & principes omnia quae petunt obtinent: Suet. Aug. 56. Horat. II. Od. 18. vid. ad Quinct. v. Inſtitut. 12. ſed quid in re protrita verba perdo? BURMANNUS.

295. *Sed tu cuicumque eſt.*] In quibusdam, *ſed te.* NAUGERIUS.

298. *Sive erit in Coïs, Coä decere puta.*] Fortaſſis rectius legatur: *Sive erit in Ceis, Cea decere puta, &c.* Propterea quod in Cea inſula, bombycinorum, de quibus hic intelligit Poëta, uſus primo inventus fuit à Pamphila quadam Latoi filia, ut Plinius auctor eſt lib. II. cap. 22. Sed quia uſus obtinuit, ut ubique ferè *Coa veſtis* pro bombycina accipiatur, & in Co inſula eadem bombycina fiebant, ut idem Plinius eodem libro docet, cap. 23. eam ob rem neque nos lectionem hanc impugnare volumus. Ceterum diverſae inſulae ſunt, *Ceos*, quae & *Cea* dicitur, & *Cos*, teſtibus Strabone & Plinio. Nam Strabo *Ceam* inter Europaeas recenſet, vicinam Helenae, quae è regione Attici, ſive Euboici littoris ſita eſt, lib. 10. *Con* autem inter Aſiaticas ponit, è regione Carici littoris ſitam, lib. 14. Eodem modo & Plinius ſeorſim lib. 4. cap. 12. De Cea inquit: *Dein Ceos, quam noſtri quidam Ceam dixere, Graeci & Hydruſſam, avulſa Euboiae, quingentis longa ſtadiis fuit quondam: mox quatuor fere partibus, quae ad Boeotiam vergebant, eodem mari devoratis, oppida habet reliqua Julida, Cartheiam. Intercidere Coreſſus, Poeeſſa.* Ex hac profectam delicatiorem foeminis veſtem, auctor eſt Varro. De Co autem idem lib. 5. cap. 31. *Nobiliſſima verò*, inquit, *in eo ſinu* (Cariae intellige) *Cos, ab Halicarnaſſo* XV. *mil. paſſ. diſtans, circuitu centum* (*ut plures exiſtimant*) *Meropes appellata: Cos, ut Staphylus: Meropis, ut Dionyſius, dein Nymphaea, &c.* De hac & Stephanus meminit his verbis, Κῶς πόλις καὶ νῆσος, ἡ Μέροπις ἐκαλεῖτο ἀπὸ γηγενοῦς μέροπος. Κῶς δὲ ἀπὸ Κῶν τῆς Μέροπος θυγατρὸς. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ

Adſtiterit tunicata; Moves incendia; clama:
Sed timidà, caveat frigora, voce roga.
Compoſitum diſcrimen erit; diſcrimina lauda:
Torſerit igne comam; torte capille place.
Brachia ſaltantis, vocem mirare canentis:
Et, quod deſierit, verba querentis habe.
Ipſos concubitus, ipſum venerere licebit,
Quod juvat; & querulà gaudia voce notes.
Ut fuerit torvà violentior illa Medusà;
Fiet amatori lenis & aequa ſuo.

Tan-

κοὶ Καρίν, &c. Haec Merulae cauſa addenda fuerunt, qui *Ceam* & *Con*, unam eandemque inſulam facit. Vide commentaria. MICYLLUS. De *Cois veſtibus* abunde te docere poterunt eruditiſſimae Broukhuſii in Propert lib. I. Eleg. III. 2. notae, & quos ibi adducit auctores.

300 *Gauſapa ſi ſumit.*] De hoc nomine Cariſius lib. II. & poſt eum Priſcianus lib. VII. CIOFANUS. vid. ad Petron. cap. XXVI.I. nec praetereundum in Aproſii & Palatin. legi, *gauſape*, de quo vid: ad eumdem Petron. cap. XXI. ſed veteres Grammatici, a Ciofano laudati, *Gauſapa* hic exhibent. BURMANNUS.

300. *Sumſit.*] *Sumit* membranae caſtigatiores. aliter tamen Soſipater & Priſcianus, qui hunc verſum citant. HEINSIUS.

301. *Moves incendia.*] Me incendis, quia rara veſte & magnam partem nuda conſpiceris. quae notanda fuere propter Criſpinum, qui ſolita ſibi ſollertia interpretatur, *vous mourez de chaud.* quae hauſit ex ejuſdem notae commentatore Merula, qui obſcure reddit, *dic tunicam illam confecturam calore.* ſed Epiſt. XVI. 121. *referes incendia tecum* & ſeq. Epiſt. XX. 119. *Serventur vultus ad noſtra incendia nati.* Remed. 117. *Aut nova, ſi poſſis, ſedare incendia poſſis.* & ita paſſim *flamma, ignis, ardores* & ſimilia. ut vero hic *moves incendia*, ita II. Am. XVI. 12. *Quae movet ardores.* BURMANNUS.

303. *Compoſitum diſcrimen.*] In Hafnienſi & Francofurtenſi, *cum poſitum diſcrimen erit.* quod praeſtare puto. *componere* enim certum ornatum notat, cum crines in cincinnos & gradus ſunt flexi, ſed de illo hic nondum agitur, ſed in ſequenti pentametro. neque *diſcrimen* aliud notare videtur, quam capillum pectine extricatum & diſcriminatum, & diviſum in duas vel plures partes. Nam errare puto Servium ad Virg. XI. Aeneïd. 144. *qui diſcrimen capitis muliebris dici ex eo* cenſet, *quod caput auro diſcernat.* Salmaſius vero in Exerc. Plin. pag. 535. in eo aberrare videtur, quod cum in duas tantum partes coma per medium caput faſcia dividitur, tunc *diſcrimen* dici putet; cum & *multifidum diſcrimen* Claud. in Epithal. Honorii 102. agnoſcat:

Haec morſu numeroſi dentis eburno
Multifidum diſcrimen arat.

Qui locus egregie docet tantum de pectinatione intelligendum eſſe *diſcrimen*, nullo alio ornatu adhibito, quod & locus Columellae a Salmaſio laudatus ex libro X. docet:

Verum ubi jam puro diſcrimine pectita tellus,
Depoſito ſqualore nitens ſua ſemina poſcit.

Et ex quo etiam diſcimus, quae ſint *capitis diſcrimina puri* apud Naſonem lib. III. Art. 137. quae nihil aliud, niſi capitis ſimpliciter pectine tantum purgati, & diſcriminati, ſine auro aut alio ornamento. Propert. lib. III. Eleg. XIII. 9.

Sive vagi crines puris in frontibus errant.

Ita & *purus ager* lib. III. Faſt. 582. ſine arboribus, ubi vid. Heinſium. neque tamen nego ad comam illam, jam enodatam pectine, ponendam & diſcriminandam, adhibitam etiam acum diſcriminalem: de qua late ibidem Salmaſius, & hac diviſam plerumque comam in duas partes a fronte verſus verticem, quod *medium diſcrimen* Virgilius in Ceiri ℣s. 499. vocat:

Tunc qua ſe medium capitis diſcrimen agebat,
Purpuream concuſſit apex in vertice criſtam.

Diſcerniculum capilli vocat Nonius, & interpretatur *acum, quae capillos mulierum ante frontem dividit.* ubi forte melius, *a fronte*, ut Tertul. de Veland. Virg. 12. *Crinibus a fronte diviſis.* & ita in antiquis Gloſſis, *diſcrimen* ἀνακτένισμα, διάκριμνα vertitur. eleganter vero Apulejus in Apologia rem ante oculos ponit: *Capillus ipſe horrore implexus atque impeditus, prorſus inenodabilis, diutina incuria non modo comendi, ſed ſaltem expediendi & diſcriminandi.* Ubi vides *expeditum* capillum opponi *implexo & inenodabili*, *diſcriminatum* vero diſtingui a *comto*, & ſimpliciter pexum eſſe intelligendum. hic ergo *ponere diſcrimina*, eſt pexum dividere. *ponere diſcrimina* alio ſenſu & in alia re dixit Statius lib. II. Silv. VI. 1.

Saeve nimis lacrimis quisquis diſcrimina ponis
Lugendique modos.

Sed hic *ponere* maxime propria ſignificatione de capillorum cura, qui in varios poſitus fingebatur, utitur.

Tantum, ne pateas verbis simulator in illis,
Effice: nec vultu destrue dicta tuo.
Si latet ars, prodest; adfert deprensa pudorem:
Atque adimit merito tempus in omne fidem.
Saepe sub autumno (cum formosissimus annus,
Plenaque purpureo subrubet uva mero;
Cum modo frigoribus premimur, modo solvimur aestu;
Aëre non certo corpora languor habet.
Illa quidem valeat: sed, si male firma cubarit,
Et vitium coeli senserit aegra sui;

Tunc

utitur. unde & *positus* libro III. Art. 150. ubi vid. Heinsii notas. BURMANNUS.

304. *Torte capille places.*] *Place* Regius & tres alii cum prima editione. HEINSIUS.

305. *Venerere.*] *Mirere* Junii: Vossii & unus Bernensis.

306. *Et cum desierit.*] *Et quod desierit* Regius aliique duo. HEINSIUS.

308. *Et querulâ gaudia voce notes.*] De *querulâ voce* jam praeceserat, cum dixit: *verba querentis habe.* scripti, *& quaedam gaudia voce notes*, vel, *& quaedam gaudia vocis habe.* Nisi quod Regius & quatuor alii cum Jureti ac Scaligeri excerptis, *quaedam gaudia noctis habe.* neque aliter prima editio. praeterea unus meus chartaceus, *& quae das gaudia vocis habe.* Locus haud dubie corruptus, nihil tamen nunc succurrit, quod convenientius sit, quam si refingas, *atque datâ gaudia nocte probes. Dare noctem* in re venerea usitatum. Noster Remed Amor. 305.

Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet.

Et 529.

Est data nox; dubita nocte venire datâ.

& mox appositè 728.

Hic mihi lascivâ gaudia nocte dedit.

Gaudia noctis. Ep. XVIII. 107.

Non magis illius numerari gaudia noctis,
Hellespontiaci quam maris alga potest.

Atque ita passim *gaudia* pro coitu aut concubitu ponit. HEINSIUS. Forte legendum:

Et quae dat gaudia, voce proba.

Illa gaudia, quae tibi dat, te juvare, proba blandâ & amatoria voce; ne fileas inter coitum, sed ut ipse postea puellis praecipit, lib. III. Art. 755.

Nec blandae voces jucundaque murmura cessent.

Et III. Am. XIV. 25.

Illic nec voces, nec verba juvantia cessent.

Nisi hic malles, *& quae dat gaudia nocte, proba*: quae gaudia nocte sive in ipso coitu dat, proba tibi esse jucunda. vel, quia nondum de ipso concubitu agit, sed adhuc modo praecipit, quae in sermone quotidiano sunt verba facienda, *quae* caperem singulari numero hoc sensu, proba, & lauda illam puellam, quae non est tetrica, sed quae dat nocte gaudia Amatori suo; severas vero & morosas culpa. Quo sensu & legi posset, *quae dant*, quod magis accedit ad *quaedam*, ut est in MSS. *probare* vero & *notare* saepe confusa. vid. Ep. XX. 20. III Pont. VIII. 16. posset etiam, quia *habe* est in plurimis codicibus, fingi, *quae dant gaudia noctis, ama.* Nam *amare* pro laudare, approbare eleganter poni docuit summus Gronov. ad Senec. Thyest. 82. haec vero verba *amare* & *habere* permutantur, III. Amor. XII. 6. XX. Epist. 228. IV. Trist. IV. 21. & passim. sed forte laborat adhuc locus hic. BURMANNUS.

309. *Si fuerit torva violentior ipsa Medusâ.*] *Ut fuerit* Regius cum excerptis Scaligeri & quatuor aliis. Adi Notas Pont. I. El. VII. vs. 50. meliores etiam *violentior illa.* HEINSIUS. *Violentior illa Creusa* unus Heinsii. *truculentior* Palatin. *crudelior* Junianus.

310. *Lenis & aequa.*] Haec duo etiam Horatius conjungit lib. III. Od. 18.

Lenis incedas, abeasque parvis
Aequus alumnis.

Sed male hic *aequus* explicuit Merula & Cnippingium, in errorem inductum, jactare hic intempestivam eruditionem impulit. *aequus* est favens, benevolus. ut Trist. I. 2.

Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

& ita millies. BURMANNUS.

311. *Verbis simulator in illis.*] *Turbis* Regius, ut de concubitu pergat loqui. HEINSIUS. sed, ut diximus, nondum eo perduxit amatorem, quare *verbis* retineo, & hoc sequenti versu *dicta* exigunt. BURMANNUS.

312. *Destrue dicta.*] Ita Seneca III. de Benef. 8. *Horum quomodo judex inibit aestimationem, cum sermo, & dubitatio, & vultus meriti gratiam destruant.* vid. ad Quinctil. II. de Instit. Orat. 17. BURMANNUS.

315. *Sub autumnum.*] *Sub autumno*, plerique scripti & editi. vid. ad Epist. XIX. 195. quod hic iterum praefero, quia sequitur *cum* IDEM.

317. *Cum modo frigoribus premimur.*] *Premitur & solvitur* Regius, ut ad aërem aut annum haec referantur. mox, *si cubarit* videtur scribendum, pro

Tunc amor & pietas tua ſit manifeſta puellae:
Tunc ſere, quod plenà poſtmodo falce metas.
Nec tibi moroſi veniant faſtidia morbi;
Perque tuas fiant, quae ſinet ipſa, manus.
Et videat flentem; nec taedeat oſcula ferre:
Et ſicco lacrimas combibat ore tuas.
Multa vove; ſed cuncta palam: quotiesque libebit,
Quae referas illi, ſomnia laeta vide.
Et veniat, quae luſtret anus lectumque locumque:
Praeferat & tremulà ſulphur & ova manu.

Omni-

cubabit. etſi ἀρχαϊκῶς. ſequens *Tò ſenſerit* ita requirit. Sane Plinius lib. x. cap. XLVII. *cubatum* pro *cubitum* dixit. HEINSIUS. *Premitur* & *ſolvitur* erat quoque in Francofurtenſi & Lincolnienſi codice, qui praeterea ſequenti verſu habebat, *aër & incertus*; ex quo totum diſtichon ita conſtitui poſſet, ſublata parentheſi:

Cum modo frigoribus premitur, modo ſolvitur aeſtu
Aër, & incertus corpora languor habet.

Ut dicat aëra denſari & premi frigore, laxari vero aeſtu. neque tamen vulgatam repudiare auſim, quia elegantiſſime *aëra non certum* dici ſcio, qui varius eſt, ut autumno ſolet, ſic Virgilius I. Georg. 115. *incertos menſes* dixit, quos Servius veris & autumni eſſe docet. ita *incertus aether* Valerio Flacco lib. I. 307. qui minatur tempeſtates & imbres, & Lucanus IV. 49.

Cetera bello
Fata dedit variis incertus caſibus aër.

Sic etiam *ſolvi* homines aeſtu recte dicuntur, cum languent & debilitantur. ita morbus dicitur *ſolvere corpora* Germanico in Arat. vers. 484. & Celſus lib. I. cap. I. *coitus frequens ſolvit corpora. premimur* vero cum membra aſtringuntur frigore. ut Epiſt. XV. 112.

Adſtrictum gelido frigore pectus erat.

Et Virgil. XII. Aeneid. 905.

Gelidus concrevit frigore ſanguis.

Solvi vero & *adſtringi* etiam aliis in rebus opponi docet Heinſius ad Epiſt. XIII. 116. ſic premimur & adſtringimur, & ligamur ſomno. vid. ad Epiſt. VI. 96. unde conficio, *premi* idem hic, quod adſtringi eſſe, & rigere. Juſtinus, more illi & aliis uſitatiſſimo, hoc uno verbo defungitur, in utraque re, frigore nim. & aeſtu. lib. II. cap. I. *Aegyptum ita temperatam ſemper fuiſſe, ut neque hiberna frigora, nec aeſtivi ſolis ardores incolas ejus premerent.* Plena eſſet & ſimilis Ovidianae locutio ſi, *frigora premerent, ardores ſolverent*, dixiſſet. BURMANNUS.

319. *Male firma.*] Perperam quatuor codices, *male ſana*: quod dubiam faceret ſententiam; cum *maleſani* etiam inſani dicantur. vid. Heinſ. ad. III. Faſt. 379. *cubarit* quoque non repudiem: nam *cubaſſe* dixit etiam Quinct. VIII. Inſt. 2. vid. Voſſium de Analog. lib. III. 20. BURMANNUS.

322. *Tunc ſere, quae plenâ.*] *Quod plenâ* ſcripti potiores. HEINSIUS. *Plenâ p. lance metas.* Bernenſ. quod non de nihilo. certe durius dictum, *plena falce. Metere plena lance* eſſet, tanta copia, ut lanx inde repleatur. cogitandum certe de hac locutione. Scholiaſt. Juv. ad Sat. VI. 204. *lancem beatam*, explicat *plenam.* BURMANNUS.

324. *Quae ſinit illa manus.*] *Sinet ipſa* iidem. ſubintellige, fieri. ſic infra lib. III. 57.

—— *Petite hinc praecepta puellae*
Quas pudor & leges, & ſua jura ſinunt.

Amor. III. El. IV.

—— *Pauci, quod ſinit alter, amant.* HEINS. Heinſius ad lib. III. Art. 58. legit, *qua ſinet.*

325. *Et videat.*] Francius malebat, *te videat*; & ita Palatinus & duo alii.

327. *Quotieſque libebit.*] *Libebit* ſcribe cum Regio & Sarraviano. dixi Epiſt. XV. ŷs. 134. HEINS.

330. *Praeferat & tremulâ ſulphur & ova manu.*] Prima editio cum Lincolnienſi & uno Vaticano, *ſulphura viva.* ſed cum ovorum quoque uſus in luſtrationibus ſit notiſſimus, nil hoc loco mutandum cenſeo. Superiori verſu pro, *Et veniat*, unus Vaticanus, *Ter veniat quae luſtret anus.* ut *Ter* ad τὸ *luſtret* referatur. HEINSIUS. Non ſpernenda Vaticani codicis lectio, *Ter veniat*; quae proba erit, ſi diſtinguas:

Ter, veniat, quae luſtret anus lectumque locumque.

Nam terna luſtratione uti ſolitos praeter alios Broukh. ad Tibul. I. Eleg. V. 11. docuit, quem inſpice, nec poenitebit. ſequenti vero verſu non audiendi codices, licet magno numero, qui *perferat* aut *proferat* habent: inde enim *praefericulum* vas ſacrum, ſed & ibi, *ter ferat* habere Vaticanum notavit Heinſius. de *vivo* etiam ſulphure videndus idem Broukhuſius eodem loco. BURM.

332. *In thalamos.*] In antiquis, *in tabulas multis.* & fortaſſe rectius, ut loquatur de iis, qui teſtamenta ſenum his captant artibus, quibus ipſe puellas captari docet. NAUGERIUS. *In tabulis* ſcripti plerique cum prima editione. Regius cum duodecim aliis, *In tabulas.* quod verum eſt. intellige tabu-

Omnibus his inerunt gratae veſtigia curae:
In tabulas multis haec via fecit iter.
Ne tamen officiis odium quaeratur ab aegrâ,
Sit ſuus in blandâ ſedulitate modus.
Neve cibo prohibe, nec amari pocula ſucci
Porrige: rivalis miſceat illa tuus.
Sed non, cui dederis à litore carbaſa, vento
Utendum, medio cum potiere freto.
Dum novus errat amor, vires ſibi colligat uſu:
Si bene nutrieris, tempore firmus erit.

Quem

tabulas ſupremae voluntatis ſeu teſtamenta. ſic Horatius lib. II. Sat. V.

Qui teſtamentum tradet tibi cumque legendum
Abnuere, & tabulas a te removere memento.

Et paulo poſt:

Tum ſocer hoc faciet, tabulas genero dabit, atque
Ut legat orabit.

Et ita Juven. Sat. I. 37.

Qui teſtamenta merentur Noctibus.

Et II. 58. IV. 19. & ita alii auctores cum Juriſconſultis paſſim loquuntur. eamque lectionem in ſuis quoque codicibus Naugerius invenerat. HEINS. Mali certe auſpicii foret captare hereditatem & mortem puellae, cujus ſe inſinuare in amorem conatur amator: neque hoc docere cenſendus cautiſſimus praeceptor amoris, qui turpem hanc & ſordidam artem modo vers. 271. damnavit. quare per *tabulas* meliori omine intellige ſponſalia, ad quae per officia talia multi adſpiraverunt. ſic Juvenal. II. Sat. 119.

Signatae tabulae, dictum feliciter.

Et mille locis alii ſcriptores, & praecipuè Juriſconſulti. & hujus vocis gloſſa erat *thalamos*, per quam *tabulas* naſutus ille explicabat. eodem modo peccavit librarius apud Claudian. Epith. Honori Vs. 23.

Non ego, luxuriem Regum moremque ſecutus
Quaeſivi vultum tabulis.

Ita recte Claverius & Heinſius ex MSS. vulgo etiam *thalamis* legebatur. BURMANNUS.

335. *Neve cibos praebe.*] Scripti plerique, *cibos prohibe*. Regius cum duobus Vaticanis & primâ editione, *cibo prohibe*. quod verum eſt. Odioſum enim eſt, & male aegros habet, ſi cibo prohibentur. Nam:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.
Sic interdictis imminet aeger aquis.

Geminus huic, de quo agimus, locus Remedio Amoris 227.

Saepe bibi ſuccos, quamvis invitus, amaros
Aeger: & oranti menſa negata mihi eſt.

Prohibere cibo, ut *prohibere aquis*, & *aditu*. Met. VI. 348.

Quid prohibetis aquis? uſus communis aquarum eſt.

Et lib. XII. 66.

—— *Prohibent aditu littuſque tuentur*
Troës.

Quibus locis in vulgatis libris pari modo peccabatur. Cic. de Offic. I. 16. *Ex quo ſunt illa communia, non prohibere aqua profluente.* ſic recte ex membranis Langius, vulgo *aquam profluentem*. Horat. Art. Poëtica.

Concubitu prohibere vago.

Prohibere thalamis apud Claudianum Raptûs libr. I. 103. Ut & ibi reſtituimus. Met. VIII. 117.

—— *Obſtruximus orbem*
Terrarum nobis, ut Crete ſola pateret.
Hac quoque ſic prohibes.

Ita & ibi recte vetuſtiores libri. Met. XV. 600.

Vos urbe virum prohibete, Quirites.

Sic apud Virgilium, *hoſpitio prohibemur arenae*. Val. Flaccus lib. III. 304.

—— *Quae me hoſpita tellus*
Accipiet? quae non primis prohibebit arenis?

Cornelius Nepos vita Hannibalis, cap. 3. *Alpicos conantes prohibere tranſitu concidit.* Ubi perperam *tranſitum* nunc legitur. Seneca Theb. *morte prohiberi haud queo.* HEINSIUS.

337. *Sed non quo dederas à litore carbaſa vento.*] *Cum dederis* erat emendatum in Regio. Scribe, *cui dederis*. ut tertii ſit caſus. vel, *quis dederis ventis*. nam *ventis* erat in Regio. *dare carbaſa vento*, uſitatus loquendi modus poëtis. ſequenti verſu, pro *potiare*, idem Regius, *potiore*. Lego, *potiere*. & ſic prima editio cum tribus aut quatuor ſcriptis, niſi mavis, *ſpatiere*. HEINSIUS.

339. *Vires ſibi colligit uſu.*] In nonnullis, *colligat*. NAUGERIUS. *Colligat* Regius & octo alii ex melioribus. HEINSIUS.

340. *Si bene nutrieris tempore.*] Mutavimus diſtinctionem Heinſianae editionis, ſecuti veteres editiones:

Si bene nutrieris, tempore firmus erit.

Tempore, hic eſt paullatim; ſi nutrieris, erit firmus tempore. Ita in Triſtibus ſaepe, ut lib. IV. VI. 1.

Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri, &c.

& mox vers. 357. & centies alibi. BURM.

341. *Quem*

Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas:
Sub quâ nunc recubas arbore, virga fuit.
Naſcitur exiguus, ſed opes adquirit eundo;
Quàque venit, multas accipit amnis aquas.
Fac tibi conſueſcat: nil conſuetudine majus.
Quam tibi dum capias, taedia nulla fuge.
Te ſemper videat: tibi ſemper praebeat aurem:
Exhibeat vultus noxque diesque tuos.
Cum tibi major erit fiducia, poſſe requiri;
Tum procul, abſenti cura futurus, abi.
Da requiem. requietus ager bene credita reddit:
Terraque coeleſtes arida ſorbet aquas.
Phyllida Demophoon praeſens moderatius uſſit:
Exarſit velis acrius illa datis.
[Penelopen abſens ſollers torquebat Ulixes:
Phyllacides aberat, Laodamia, tuus.]
Sed mora tuta brevis: lenteſcunt tempore curae;
Vaneſcitque abſens, & novus intrat, amor.

Dum

341. *Quem taurum metuis.*] *Metuas* Vaticanus bene. quem poſſes, vel deberes metuere. deinde, *mollire ſolebas* Aproſii.

343. *Opes.*] Idem ſignificant hic *opes*, quod *vires* apud Virgil. IV. Aeneïd. 1575. *vires acquirit eundo.* Douza. Non male; ſed eodem modo, *divitem Nilum* dixit Noſter lib. III. Amor. VI. 39. & *divitias* ibid. 99. de copia aquarum; & Silius lib. I. 606. *Acceptis Anienis ditior undis.* & ita ſaepe Poëtae. & eo modo liceret apud Quinct. lib. V. Inſt. 14. defendere *beatiſſimos amnes.* in Francofurtenſi erat, *exquirct*, quod ſi vidiſſet Acidalius aliquis, inde formaſſet *ecquirit*, ut *eccipere* ad Vellej. II. 77. Burmannus.

345. *Nihil aſſuetudine majus.*] *Nil* ſcripti potiores. quatuor, *nil conſuetudine*, concinnius. Heins. Sed infr. 647. dicit, *quod male fers adſueſce*; adſuetudo enim per gradus naſcitur.

346. *Capias.*] *Captas* unus Vaticanus. placet, ut de puella intelligatur. Heinsius. Inconcinne ſermo hic ad puellam verteretur, cum τὸ *quam* manifeſte ex lege ſermonis Latini, ad *conſuetudinem* ſit referendum. quare inſiſtens priſcis editionibus & Patavino, & tribus aliis ſcriptis, lego:

Quam tibi dum capias, taedia nulla fuge.

Vel, quod mallem, *tu*, *dum capiat*: puella ſcilicet tui conſuetudinem *capiat*. elegans enim locutio, *capere conſuetudinem*, pro ſibi facere uſum, paullatim adſueſcere. Quam exquiſitam elegantiam parum abfuit quin & a Ciceronis venere exſulare feciſſent viri docti. ille enim lib. I. de Offic. 18. *Haec igitur & talia circumſpicienda ſunt, in omni officio & conſuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus.* ubi quidam *adhibenda*, Guilelmius venuſtius *facienda* putabat. ſic & Hirtio de Bel. Afr. 72. reſtituit eruditiſſimus Davieſius: *Ut jumenta beſtiarum odorem, ſtridorem, ſpeciem, conſuetudine capta, non reformidarent. captarum* vulgo ſine ſenſu legitur. ſic *taedia capere* lib. IX. Met. 615. Burm.

347. *Praebeat aures.*] *Aurem* rectius in Sarraviano. dixi ſupra ῾s. 159. Heinsius. ſed, lib. III. Triſt. VII.

Aut ego praebebam factis modo verſibus aures.

II. Met. 692.

Praebuimus longis, Pentheus ambagibus aures
Inquit.

Vid. & V. Met. 334. VI. I. & alibi; nam in MSS. utraque fere ſemper lectio deprehenditur. Burm.

348. *Exhibeat vultus.*] *Exhibeant*, unus Regius. Recte. Heinsius. Amat Heinſius ubique talia inculcare. ſed certe obtrudi non poteſt Epiſt. VII. 26.

Aenean animo noxque diesque refert.

Vide ſupra vers. 81. Burm.

350. *Tum procul abſenti cura futurus eris.*] Sarravianus & prior Moreti, *abi.* recte:

Tunc procul, abſenti cura futurus, abi.

Vel, *cum procul*, ut Regius aliique nonnulli. niſi quod *eris* in illis, non *abi.* unus tamen Mentelii, *I procul.* ſed alterum praeſtat. Heinsius.

351. *Requietus ager.*] Proprie: nam ita Rei Ruſticae auctores ſolent. Columell. II. 99. *Atque illa vicibus annorum requietum agitatumque alternis, & quam laetiſſimum volunt agrum* de Arborib. cap. III. *in*

Dum Menelaus abeſt, Helene ne ſola jaceret,
Hoſpitis eſt tepido nocte recepta ſinu.
Qui ſtupor hic, Menelaë, fuit? tu ſolus abibas:
Isdem ſub tectis hoſpes & uxor erant.
Accipitri timidas credis, furioſe, columbas?
Plenum montano credis ovile lupo?
Nil Helene peccat; nil hîc committit adulter:
Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
Cogis adulterium, dando tempusque locumque.
Quo, niſi conſilio eſt uſa puella tuo?
Quid faciat? vir abeſt, & adeſt non ruſticus hoſpes:
Et timet in vacuo ſola cubare toro.
Viderit Atrides: Helenen ego crimine ſolvo.
Uſa eſt humani commoditate viri.
Sed neque fulvus aper mediâ tam ſaevus in irâ,
Fulmineo rabidos cum rotat ore canes:
Nec lea, cum catulis lactentibus ubera praebet:
Nec brevis ignaro vipera laeſa pede:

Femi-

III. *in agro requieto vineam ponito. requietum lac* idem lib. VII. 8. *requieta ova* VIII. 5. BURM.

355. *Penelopen abſens.*] Prior Mentelii hoc diſtichon non agnoſcit. & abeſſe poteſt ſalvâ orationis ſerie. eſt enim frigidiuſculum. HEINSIUS. *torrebat* Ambroſianus. vid. ſup. 124.

356. *Phylacides aberat.*] *Phylaciden* ait Merula ab eo vocari Proteſilaum, quod Phylacae, quae urbs Theſſaliae fuit, regnaſſet. At ego ab avo Phylaco dictum magis puto. fuit enim Phylacus pater Iphicli, ut & ceteri Graecorum Grammaticorum tradidere, & Euſtathius in Catalogo. MICYLLUS. vid. ad Epiſt. XIII. 35.

357. *Lenteſcunt.*] *Langueſcunt* ſex codices. *langueſcent* unus. *tempore formae* Regius.

359. *Helene.*] *Helena* Palatinus & duo alii, & ita mox 365. idem Palatinus.

360. *Tepido.*] Variant codices, neque ulla eſt lectio, quae non ſimilibus illuſtrari poſſet. *cupido* Vaticanus. vid. Epiſt. XX. 48. *Socio* Sarravianus. de quo vide I. Amor. IX. 6. hic tamen quia praecedit, *ne ſola jaceret*, praeferendum eſt, *tepido*, ne frigida tota nocte jaceret. & mox v's. 370. *ſola* repetitur, quod ibi *vacuo lecto* reſpondet. ſequenti vero verſu iterum repetitur, *tu ſolus abibas.* ubi Regius, *cum ſolus.* ſed, ne toties eadem vox recurrat, mallem, *tun' ſtultus abibas.* quod ſtupori convenit magis, & ita vocat eum Paris Epiſt. XVI. 311. BURMANNUS.

361. *Quis ſtupor.*] *Qui ſtupor* Regius & tres alii. HEINSIUS. vid. ad Phaedr. I. 13. *Quis furor* duo. *quis ſtupor ô Menelae, modo tu ſolus abibas* Berneuſ. forte, *domo tun' ſtultus abibas?* quae facilis aberratio: ita enim & lib. VIII. Met. 748. & apud Quinct. VIII. 3. & XI. 2. erraſſe librarios offendimus. vid. & ad Eleg. in Druſum. 50. *uxor erat* etiam Lincoln. & duo alii. BURMANNUS.

365. *Nihil hic committit.*] *Nihil hic admittit* Vatican. etiam bene. ut mox. 381. *conjugis admiſſum.* & paſſim.

368. *Quo niſi conſilio eſt uſa puella tuo.*] *Quid niſi* Regius & Junianus. Remed. Amor. 591.

Quid niſi ſecretae laeſerunt Phyllida ſylvae?

Art. lib. III. 96.

Quid, niſi quam ſumes, dic mihi, perdis aquam?

Mox 120.

Quae nunc ſub Phoebo ducibuſque palatia fulgent,
Quid niſi araturis paſcua bubus erant?

Amor. II. Eleg. VII.

Scilicet ancillam, quae tam tibi fida, rogarem?
Quid, niſi ut indicio juncta repulſa foret?

Triſt. II. 377.

Quid niſi Maeonides Venerem Martemque ligatos
Narrat in obſcoeno corpora prenſa toro?

Ubi fruſtra reponunt, *quis niſi.* HEINSIUS.

373. *Fulvus aper.*] *Furvus* Vaticanus. nigri enim apri. vide ad III. Met. 273. HEINSIUS. *Fulvi* proprie Leones, quare forte hic praeſtet, *torvus*, ut apud Propert. II. II. 8. *tam ſaevit in ira* quoque alter Vaticanus. BURMANNUS.

374. *Rapidos dum rotat ore canes.*] *Rabidos* Regius & alii nonnulli cum primâ editione. *cum* etiam meliores. Amor. III. Eleg. XII. 22. & Artis lib. I. de Scyllâ 332.

Femina quàm, ſocii deprenſâ pellice lecti,
Ardet; & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasque ruit: poſitoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.
Conjugis admiſſum, violataque jura maritae,
Barbara per natos Phaſias ulta ſuos.
Altera dira parens (haec eſt, quam cernis, hirundo)
Adſpice, ſignatum ſanguine pectus habet.
Hoc bene compoſitos, hoc firmos ſolvit amores:
Crimina ſunt cautis iſta timenda viris.
Nec mea vos uni damnat cenſura puellae.
Dî melius! vix hoc nupta tenere poteſt.
Ludite: ſed furto celetur culpa modeſto.
Gloria peccati nulla petenda ſui.
Nec dederis munus, cognoſſe quod altera poſſit:
Nec ſint nequitiae tempora certa tuae.
Et, ne te latebris capiat ſibi femina notis,
Non uno eſt omnis convenienda loco.
Et quoties ſcribes, totas prius ipſe tabellas
Inſpice. plus multae, quam ſibi miſſa, legunt.

Laeſa

Pube premit rabidos inguinibuſque canes. Epiſt. 1. Sabini de Hecubâ:

Et ſletit in rabidam protinus acta canem. HEINSIUS.

375. *Lactentibus.*] *Latrantibus* Aproſii & duo alii. *Lea* vero pro *Leaena.* vid. Chariſ. lib. 1. Inſt. Gramm. ſed de eo latius ad Valer. Flacc. VI. 347. agemus. BURMANNUS.

379. *Poſitoque decore.*] Legitur & *,pudore.* utrumque recte. NAUGERIUS. Vid. ad. Epiſt. XVII. 259. *timore* Voſſii & duo alii.

381. *Violataque jura mariti.*] *Maritae* Regius. ne bis idem dicat. Ceterum hi verſus eo, quo exhibemus ordine, legebantur in prima editione & ſcriptis exemplaribus plerisque. HEINS. forte, *maritae* dativo caſu, ut Epiſt. VII. 97.

Exige, laeſae pudor, poenas violate Sichaeo.

Niſi ibi *Sichaeo*, ad *exige poenas* referri debet.

385. *Hoc bene compoſitos, hoc firmos rumpit amores: Crimina ſunt cautis iſta timenda viris.*] Hi duo verſus in quibuſdam paulo aliter leguntur, videlicet:

Haec bene compoſitos, haec firmos rumpet amores.

Quaſi ad foeminam iidem ſint referendi. Sed prior lectio melior: ut intelligas, *Hoc factum*, vel, *Hoc peccatum, rumpit compoſitos ac firmos amores, &c.* Praeterea iidem verſus in Aldinis tranſpoſiti habentur, ante exempla Medeae & Prognes ſtatim inſerti. Sed de eo non multum laborandum puto: quando ſive hoc, ſive illo loco ponantur, eandem concludendi vim habent. MICYLLUS. *Solvit amores* ſcripti cum prima editione. HEINSIUS.

387. *Donat cenſura puellae.*] Placet cum Lincolnienſi libro reponi; *damnat cenſura.* de quo ad Claudianum 1. in Eutrop. 44. HEINSIUS. Stat. VI. Theb. 82.

Cuncta ignibus atris
Damnat atrox.

388. *Di melius.*] Formula obvia, quam tamen non intellexit bonus ille Criſpinus, hic ſeverum Philoſophum agens, qui explicat, *quae bona, quae mala fuerint, ſciunt.* cum ſit avertendi & abominandi formula. vid. Epiſt. XVI. 30. III. Am. IX. 47. Meliora doceri potuiſſet a Briſſonio ex ejus lib. 1. Form. pag. 94. qui *dent, ferant, procurent*, & ſimilia ſubaudiri docuit. ſed tales nunc libri nihil ad elegantiam hodiernam facere in ipſa Gallia cenſentur; & ſi quis Germanus aut Belga hodie tot exemplis formularum librum conſtipaſſet, a comtulis hodie & terſis illis ingeniis irrideretur. BURM.

388. *Nupta tenere poteſt.*] *Potes* alter Mentelii. HEINSIUS.

390. *Gloria peccati nulla petenda tui.*] *Sui* meliores. recte. dictum alibi. IDEM.

391. *Poſſit.*] Douza legebat *poſcit*, ut eſt in quibusdam editis & Lincolnienſi codice.

394. *Non uno eſt ſemper convenienda loco.*] *Non uno eſt omnis* ſcripti plerique cum primâ editione, id quod ſuperiora confirmant. ita lib. III. 188.

Nam

Laesa Venus justa arma movet, telumque remittit:
Et, modo quod questa est, ipse querare, facit.
Dum fuit Atrides unâ contentus, & illa
Casta fuit; vitio est improba facta viri.
Audierat, laurumque manu vittasque ferentem,
Pro natâ Chrysen non valuisse suâ.
Audierat, Lyrnesi, tuos, abducta, dolores;
Bellaque per turpes longius isse moras.
Haec tamen audierat: Priameïda viderat ipsam.
Victor eras praedae praeda pudenda tuae.
Inde Thyestiaden thalamoque animoque recepit;
Et male peccantem Tyndaris ulta virum.
Quae bene celaris, si quâ tamen acta patebunt,
Illa licet pateant, tu tamen usque nega.
Tum neque subjectus, solito nec blandior esto.
Haec animi multum signa nocentis habent.
Sed lateri nec parce tuo. pax omnis in uno
Concubitu: prior hoc inficianda Venus.
Sunt, qui praecipiant herbas, satureia, nocentes
Sumere: (judiciis ista venena meis.)

Aut

Nam non conveniens omnibus unus erit.
Et 772.
Non omnes una figura decet.
Et ita saepe. HEINSIUS.

398. *Et modo quae questa est ipsa.*] Meliores: *Et, modo quod questa est, ipse querare, facit.* HEINSIUS.

403. *Tuos abducta dolores.*] Regius cum aliis nonnullis, *adducta.* sed frustra. Epist. VIII. 86.
Abducta viduum conjuge flere virum.
Rem. Amor. 777.
Hoc & in abductâ Brisëide flebat Achilles.
HEINSIUS.

405. *Haec tantum.*] *Tamen* meliores, & *Priameida ipsam.* Sic Epistola Deianirae 119.
Haec tamen audieram: licuit non credere famae:
En venit ad sensus mollis ab aure dolor. HEINS. Ubi vide.

406. *Erat praedae praeda pudenda suae.*] Prior Mentelianus probe, *Eras praedae praeda pudenda tuae.* HEINSIUS.

409. *Quae bene celaris.*] *Male* Palatinus. nihil muta. inf. 571.
Sed bene concubitus primos celare solebant.
Lib. I. Art. 397. *Bene si celabitur index.* mox, *acta nega.* Francof. & Patavin. ut infr. 574.
Cognita Vulcano conjugis acta sui. BURM.

409. *Si quâ.*] *Si quae* Regius & quatuor alii. puto, *si cui.* HEINSIUS. *Quâ* est dictum, ut *aliquâ, aliâ*, & similia. vide ipsum Heins. ad III. Trist. IV. 75. Et nos ad Quinct. Decl. VI. 16. & XVII. 5. & alibi. BURMANNUS.

411. *Tu neque.*] *Tum* meliores. HEINSIUS. *Subjectus* eodem sensu apud Propert. I. Eleg. X.
At quo sis humilis magis & subjectus amori,
Hoc magis effectu saepe fruare bono.

413. *Nec parce tuo.*] In quibusdam, *ne parce tuo.* NAUGERIUS. *Nec parce* scripti multi cum primâ editione. pro *pax omnis in illo*, meliores, *in uno.* Scribe:
Sed lateri nec parce tuo. pax omnis in uno
Concubitu. prior hoc inficianda Venus.
HEINSIUS.

415. *Sunt qui praecipiant herbas, satureia, nocentes Sumere, &c.*] Ita quidem plerique legunt, & *satureia* plurali accusativo dictum accipiunt. Ceterum quia apud Plinium, & Columellam item, *satureia* foeminino genere, ac prima declinatione usurpatur: hic autem necesse est idem nomen accusativo casu poni, propter verbum *Praecepit*, & qui reliqui casus ab eo dependent: videndum, num magis de Satyrii herba hic locus accipiendus sit: legendumque *Satyrea*, à primitivo *Satyro* deducto nomine. ut intelligamus herbas, sive compositiones ex *Satyrii* additione ac temperatura factas, quas vulgò in officinis ac pharmacopoliis διὰ σατυρίων vocare solent: praesertim quando alioqui de satureae inflammatione, ac vi venerea,

Aut piper urticae mordacis femine miſcent;
Tritaque in annoſo flava pyrethra mero.
Sed Dea non patitur ſic ad ſua gaudia cogi,
Colle ſub umbroſo quam tenet altus Eryx.
Candidus, Alcathoï qui mittitur urbe Pelasgâ,
Bulbus, &, ex horto quae venit, herba ſalax,
Ovaque ſumantur, ſumantur Hymettia mella,
Quasque tulit folio pinus acuta nuces.
Docta, quid ad medicas, Erato, deverteris artes?
Interior curru meta terenda meo eſt.
Qui modo celabas monitu tua crimina noſtro;
Flecte iter, & monitu detege furta meo.
Nec levitas culpanda mea eſt. non ſemper eodem
Impoſitos vento panda carina vehit.

Nam

rea, neque apud Plinium aliquid, neque apud Dioſcoridem tradatur. Videturque Merula *ſatureiae* (quae & thymbra dicitur) & *Satyrii* nomina una cum poteſtatibus ipſarum confudiſſe. MICYLLUS.

417. *Urticae.*] Conjecerat olim, *Erucae* Heinſius, ſed poſtea mutavit ſententiam. Contra vim frigoris etiam ſemen Urticae commendat Serenus Sammon. Carm. x. de ejus vi ad venerem excitandam egit in inſanis ſuis commentariis ad Petronium Lotichius lib. II. cap. 16. BURMANNUS.

420. *Colle ſub umbroſo.*] Neſcio an non ulcus lateat. Eryx enim mons altus. vid. ad Epiſt. XV. 57. an ille ſub colle habet templum? an in ipſo monte eminuit colliculus, in quo templum? ita lib. III. 687. Hymetto monti dat colles:

Eſt prope purpureos colles florentis Hymetti
Fons ſacer.

Ita Juſtin. lib. XIII. 7. *Cyrenen, eximiae pulchritudinis virginem, a Theſſaliae monte Pelio ab Apolline raptam, perlatamque in ejuſdem montis juga, cujus collem occupaverant, a Deo repletam. colles* etiam dici altiſſimos montes obſervavit ad Catullum Voſſius pag. 136. ita ergo hic *ſub* idem notaret quod *in*, ut ſaepe. vid. ad lib. I. Met. 684. ubi plenius de eo agemus. BURMANNUS.

421. *Candidus, Alcathoë qui mittitur urbe Pelasgâ.*] Profecto nulla uſquam urbs *Alcathoë*. ideo recte fortaſſe quidam & hic, & aliis nonnullis in locis, ubi *Alcathoë* ut nomen urbis legitur. *Alcathoï* corrigunt, ac Megaram intelligunt. cujus, auctore Pauſania, imperium Alcathous, Pelopis filius, poſt Megareum tenuit, ducta ejus ob occiſum cythaeronium leonem, in matrimonium filia. ſed & è duabus, quae Megarae erant arcibus, ab Alcathoo altera, eodem Pauſania autore, Alcathoë dicta eſt, atque hinc fortaſſe Ovidius totam Megaram Alcathoen dixerit. NAUGERIUS. Megaram urbem intelligit Poëta, quam bello Minois & Niſi magna ex parte vaſtatam, Alcathous Pelopis filius ex Elide veniens, & Megareo regi (gener ejuſdem ob interfectum Cithaeronium leonem factus) in regno ſuccedens inſtauravit, condita etiam arce, quam proprio nomine Alcathoen vocavit. autor Pauſan. in Att. MICYLLUS. *Pelasgi* Vaticanus unus cum Tomaſiniano. ſic Epiſt. XIV. 23.

Ducimur Inachides magni ſub tecta Pelaſgi.

Pelaſgi enim propriè dicuntur à Pelaſgia Argolica urbe. hinc & Juno Pelaſgia. Recte ergo Danaus Argorum Rex Pelaſgus. recte & Alcathous, utpote qui filius Pelopis fuerit. codices nonnulli *Alcathoë*, ut Met. VIII. 8.

Praetentatque ſui vires Mavortis in urbe
Alcathoë.

Ubi tamen *Alcathoi* etiam in vetuſto codice inveni. & recte. niſi praeferas, *arce Alcathoë* quod in duobus codicibus offendi. *Alcathoë* enim arx Megaris appellabatur, teſte Pauſaniâ. Triſt. I. El. IX. 39.

Et quos Alcathoi memorant à moenibus ortos
Sedibus his profugum conſtituiſſe larem.

Ubi *Alcathois*, & *Alcathoës* ſcripti plerique. Alcathoum autem Megaras condidiſſe, operam ei navante Apolline, ferunt veteres. Theognis:

Φοῖβε ἄναξ, ἀυτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην
Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.

HEINSIUS. Praetuli, *Alcathoi*, ita Virgil. Ceiri 105.

Stat Megara Actaei quondam munita labore
Alcathoï:

Ubi mallem, *ſtant Megara.* BURMANNUS.

422. *Et ex horto quae venit herba ſalax.*] Erucam intelligi puto: nam & infra lib. 2. de Remed. amoris 799. *ſalacem* eandem nominat hoc verſu:

Nec minus erucas aptum eſt vitare ſalaces, &c.

Aut certè generaliter quamlibet herbam hortenſem, quae-

Nam modo Threïcio Borea, modo currimus Euro:
Saepe tument Zephyro lintea, saepe Noto.
Adspice, ut in curru modo det fluitantia rector
Lora, modo admissos arte retentet equos.
Sunt quibus ingratè timida indulgentia servit:
Et, si nulla subest aemula, languet amor.
Luxuriant animi rebus plerumque secundis;
Nec facile est aequâ commoda mente pati.
Ut levis absumtis paullatim viribus ignis
Ipse latet, summo candet in igne cinis:
Sed tamen extinctas admoto sulfure flammas
Invenit; & lumen, quod fuit ante, redit:
Sic, ubi pigra situ securaque pectora torpent,
Acribus est stimulis eliciendus amor.

Fac

quae ad provocandam venerem facit. in qua sententia & Merula fuisse videtur. MICYLLUS.

425. *Docta quid ad magicas Erato converteris artes?*] *Diverteris* scripti plerique. nisi quod Regius, *deverteris*. quomodo semper in vetustioribus libris scribi jam observavimus ad lib. II. Amor. El. VI. ubi & de hoc loco. unus meus, *reverteris*. proxime verum. *decurrere* dixit Remed. 287.

Ardet & adsuetas Circe decurrit ad artes.

Sed cur *magicas artes?* Lege omnino *medicas artes* cum Moreti codice. Remedio Amoris 795.

Ecce cibos etiam, medicinae fungar ut omni
Munere, quos fugias, quosque sequare, dabo.

Ubi de cibis ad rem veneream facientibus, ut & hoc loco. HEINSIUS. *Converteris* Francof. ut & quaedam editiones.

426. *Interior curru meta terenda meo est.*] *Tenda* Regius. unde scripti complures *tenenda* cum prima editione. utrumque probum est. Vide Notas ad l. I. Ys. 40. HEINSIUS.

430. *Impositos.*] Duo, *impositas*. Bernensis, *impositio*. Ambrosianus, *in portus*. Nihil muta: per *impositos* enim intelligit vectores, & proprium est rei nauticae verbum *imponere*, quo utuntur simpliciter, non addito saepe *navi*, vel *in navem*: quale glossema ejecit è Ciceronis IV. Verr. 10. celeberrimus Graevius, *per istos, quae volebat clam imponenda, occulte exportanda curabat*. vulgo, *in navem clam imponenda*. ita intellige, *impositа* & *illata* apud Plin. lib. VIII. Ep. 20. & in lege X. ff. ad L. Rhod. de jactu. *utrum pro his qui impositi, an pro his qui deportati essent, merces daretur*. Noster lib. V. Fast. 91.

Exsul ab Arcadiis Latios Euander in agros
Venerat, impositos adtuleratque Deos.

Vide Amplissimi Cuperi lib. III. Observ. cap. 3. *Imponere Cymbae* dixit Horat. II. Od. III. 28. *in naves* Curtius IV. 1. & alii passim. BURMANNUS.

432. *Saepe tument.*] Non male Regius, *saepe damus*. ut τῷ *currimus* conveniat. vid. sup. Ys. 337.

433. *Modo dat fluitantia rector.*] *Det* cum scriptis melioribus & primâ editione. HEINSIUS. *In curru* Bernensis unus. vid. lib. I. Art. 549.

436. *Et si nulla subest.*] Forte, *subis*. ut lib. I. 742.

Cum tibi laudanti credidit, ipsa subis. HEINSIUS. *Nulla subit* Palatin. quod praeferrem. vide Broukh. ad Propert. I. IX. 26.

437. *Plerumque.*] *Quandoque* Lincoln. & Mentelii.

440. *Summo candet in igne cinis.*] Si *cinis*, quomodo *candet?* In Regio & uno Vaticano, *calet* contra metrum, unde alii, *summo qui calet, sed calet, cum calet, qui latet*, & similia. Scribe, *summo canet in igne cinis*. Hinc passim apud Poëtas, *cinis canus*, & *favilla cana* dicuntur. Noster infra lib. III. 67. *canere* quoque dixit de violariis:

Hos ego, qui canent, frutices violaria vidi.

HEINSIUS. Conjectura Heinsii confirmatur uno codice. ita apud Solinum cap. XXII. *in cujus* (Minervae) *aede perpetui ignes numquam canescunt in favillas*. quod non sollicitandum. sic & *canentes pruinae* Claud. Epith. Honor. 52. ut ex MS. Heins. vulgo *candentes*: & *canentia lilia*. XII. Met. 411. ubi etiam nonnulli *candentia*. BURMANNUS.

441. *Admoto sulfure.*] Unus Patavinus, *carcere*, unde conjiciebat olim Heinsius; *amoto carcere*. ut carcer sit cinis, a quo ignis obsessus & inclusus. sed nimis hoc argutum. *admoto flamine* Neapol. pro *flammas*, *taedas* habebat Argentinensis. BURM.

444. *Eliciendus.*] Plurimi scripti, *allicien-dus*.

Fac timeat de te, tepidamque recalface mentem:
Palleat indicio criminis illa tui.
O quater, & quoties numero comprendere non eſt,
Felicem, de quo laeſa puella dolet!
Quae, ſimul invitas crimen pervenit ad aures,
Excidit; & miſerae voxque colorque fugit.
Ille ego ſim, cujus laniet furioſa capillos:
Ille ego ſim, teneras cui petat ungue genas:
Quem videat lacrimans: quem torvis ſpectet ocellis:
Quo ſine non poſſit vivere; poſſe velit.
Si ſpatium quaeras; breve ſit, quo laeſa queratur:
Ne lentâ vires colligat ira morâ.
Candida jamdudum cingantur colla lacertis:
Inque tuos flens eſt accipienda ſinus.
Oſcula da flenti: Veneris da gaudia flenti.
Pax erit: hoc uno ſolvitur ira modo.
Cum bene ſaevierit, cum certa videbitur hoſtis;
Tum pete concubitus foedera: mitis erit.
Illic depoſitis habitat Concordia telis:
Illo (crede mihi) Gratia nata loco eſt.

Quae

447. *O quantum & quoties numero comprendere non eſt, Felicem!*] *O quater* Regius cum quatuor aliis. recte. dixi de hoc loco ſupra vs. 28. poſſet & legi, *Ter quater.* ut Pont. lib. IV. El. IX.

Ter quater imperii laetus honore tui.

Virgil. *ô terque quaterque beati!* Horat. *felices ter & amplius.* ſed nil temere mutandum. Heinsius. Certe Gratius Cyneg. 320.

O quantum, & quoties decoris fruſtrata paterni.

448. *Felicem.*] Tibul. I. XI. 64.

Quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella poteſt. Douza.

450. *Voxque colorque.*] Sarravii & tres alii, *mensque colorque.* ut III. Met. 99.

Ille diu pavidus, pariter cum mente colorem
Perdiderat.

Ubi etiam *cum voce* alii. III. Am. XIV. 37.

Mens fugit & morior.

Ubi vid. Heinſ. inf. III. 730.

Et mens & rediit verus in ora color.

Burmannus.

451. *Laniet.*] *Rapiat* duo libri, quod furioſae non male convenit. vid. Epiſt. X. 16. & alibi. mox Voſſianus & Argentinenſis, *cui ſecet ungue genas.* vid. Epiſt. V. 72. Burmannus.

453. *Quem torvis.*] *Quem torvus ſpectet ocellus* Regius & Palat. *oculis quem ſpectet amaris* Bernenſ. *excipienda* duo libri.

458. *Inque tuo.*] *Tuos ſinus* ſcripti. Heins.

460. *Solvitur ira.*] Vel, *tollitur* Regius. quod & in aliis nonnullis occurrit. Heinsius. & dolorem ita tolli docet Stat. II. Theb. 353.

——— *Tenerumque dolorem*
Conjugis amplexu ſolatur, & oſcula moeſtis
Tempeſtiva genis poſuit, lacrimaſque repreſſit.

463. *Depoſitis.*] *Compoſitis* Moreti, eleganter: in pharetra ſcilicet, vel alio repoſitorio, quo tempore pacis quieſcunt. *componere* enim eſſe rem ſuo loco apte ponere, docuimus ſup. I. 155. ſic *componere libros* in bibliotheca lib. I. Pont. I. 11. quod Propertio reddidit lib. I. Eleg. IX. 13. Broukhuſius, pro *deponere*, ubi egregia exempla adducit. & quod maxime huc facit ex Horatio lib. IV. Od. 14.

Te caede gaudentes Sicambri
Compoſitis venerantur armis.

Vide etiam ad Petron. XCIX. Burmannus.

464. *Illo crede mihi Gratia nata loco eſt.*] *Juncta* tres ſcripti. quomodo & Arondelianus. Unde Petrus Scriverius, approbante in Obſervationibus Gronovio lib. III. cap. 21.

Illic, crede mihi, Gratia juncta loco eſt. Heins.

466. *Quarum blanditias.*] *Blanditiae* Regius. *verbaque vultus* Sarravii. *habent* quoque ſex ſcripti. obſcurior ſenſus; ſed puto vulgatam ita capiendam: qua-

Quae modo pugnarunt, jungunt ſua roſtra columbae;
Quarum blanditias, verbaque murmur habet.
Prima fuit rerum confuſa ſine ordine moles:
Unaque erant facies ſidera, terra, fretum.
Mox coelum impoſitum terris: humus aequore cincta eſt:
Inque ſuas partes ceſſit inane Chaos.
Silva feras, volucres aër accepit habendas:
In liquidâ piſces delituiſtis aquâ.
Tum genus humanum ſolis errabat in agris:
Idque merae vires, & rude pectus erat.
Silva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes:
Jamque diu nulli cognitus alter erat.
Blanda truces animos fertur molliſſe voluptas:
Conſtiterant uno femina virque loco.
Quid facerent? ipſi nullo didicere magiſtro:
Arte Venus nullâ dulce peregit opus.
Ales habet, quod amet: cum quo ſua gaudia jungat,
Invenit in mediâ femina piſcis aquâ.
Cerva parem ſequitur; ſerpens ſerpente tenetur:
Haeret adulterio cum cane nexa canis.

Laeta

quarum murmur habet blanditias & verba, id eſt loco blanditiarum & verborum ſunt, quae amantes inter complexus edere ſolent. forte *agit* tamen, quod ſaepe jam cum *habere* confundi vidimus. BURM.

468. *Unaque erat facies, ſidera, terra, fretum.*] *Erant facies* ſcripti multi cum prima editione. recte. ſic in Faſtis l. I. 106.

Ignis, aquae, tellus, unus acervus erant.
Met. I. 5.

Ante mare & tellus, & quod tegit omnia caelum,
Unus erant toto Naturae vultus in orbe.

Sic & ibi ſcribendum opinor. HEINSIUS.

471. *Silva feras.*] Hic verſus in Aldinis ita legitur:

Silva feras cepit, volucres agitabilis aër.

Qui verſus mihi magis probatur, tametſi ſententia utrobique eadem eſt. MICYLLUS. Interpolarunt hunc locum, ex libro Metamorphoſeôn primo, qui poſteriorem in *aër* ſyllabam non poſſe produci exiſtimarunt. Nam ſcripti veteres cum primis editionibus conſtanter, & recte:

Silva feras, volucres aër accepit habendas.
HEINSIUS.

474. *Hisque merae vires.*] *Idque* potiores ſcripti cum prima editione. HEINSIUS. *Hiſque novae vires* Gronov. mox, *rude pectus erant.* ſex ſcripti, niſi quod eorum tres, *erat.* rectius puto *pectus*, quam *corpus*, quod non tam eleganter *rude* dicitur. ita Epiſt. IV. 23.

Sic male vixque ſubit primos rude pectus amores.
Lib. IX. Met. 719.

Hinc amor ambarum tetigit rude pectus.
III. Triſt. 3.

Ad quae jamdudum non rude pectus habes.

Semper autem fere pro *pectore*, *corpus* ſuppoſuere librarii, & contra. & ita *pectus colere* ſupr. 121. ſic *dextram* oppoſuit *pectori* inf. 736. & millies. ſimile mendum ſuſtulimus ex Quinctil. Decl. CCLVIII. ubi vide. BURMANNUS.

475. *Domus fuerat.*] *Fuerant* volebat Francius.

478. *Conſtiterant uno foemina virque toro.*] *Loco* recte cum primâ editione ſcripti. nam in *toro* non ſtatur. & tori uſus illa tempeſtate haud ullus erat, niſi frondes pro toro accipis. HEINSIUS.

479. *Quid facerent.*] Probe Arondelianus:

Quod facerent, ipſi nullo didicere magiſtro.
IDEM.

482. *Invenit in media.*] *Convenit* unus Regius. Sic l. III. 556.

Conveniunt illas cum voluere viri. IDEM.

In medias aquas etiam Junianus.

483. *Cerva parem ſequitur.*] Sex ſcripti, *marem.* quam vitioſam ſcripturam, (ſequitur enim mox) videtur aemulatus Nemeſianus Eclog. IV.

Cerva marem ſequitur, taurum formoſa juvenca.

In ſequentibus Bernenſis unus habet, *ſima capella caprum.* BURMANNUS.

485. *Sa-*

Laeta ſalitur ovis: tauro quoque laeta juvenca eſt:
Suſtinet immundum ſima capella marem.
In furias agitantur equae, ſpatioque remota
Per loca dividuos amne ſequuntur equos.
Ergo age; & iratae medicamina fortia praebe:
Illa feri requiem ſola doloris habent.
Illa Machaonios ſuperant medicamina ſuccos:
His, ubi peccàris, reſtituendus eris.
Haec ego cum canerem, ſubito manifeſtus Apollo
Movit inauratae pollice fila lyrae.
In manibus laurus: ſacris inducta capillis
Laurus erat: vates ille videndus agit.
Is mihi, Laſcivi, dixit, praeceptor Amoris,
Duc, age, diſcipulos ad mea templa tuos.
Eſt ibi diverſum famâ celebrata per orbem
Litera; cognoſci quae ſibi quemque jubet.

Qui

485. *Salitur.*] Calpur. Ecl. v.
Laſcivumque pecus ſalientes accipit hircos.
Mox Heinſius malebat, *tauro ſua laeta juvenca eſt.*

487. *Spatioque remoto.*] *Remotae* ſcripti nonnulli. cum prima editione lego, *ſpatioque remota per loca.* Heinsius. *Diverſos* & *diviſos* quoque multi codices. ſed male: ſic Val. Max. IV. IV. 2. *Pernicioſa ſeditione dividua civitas manibus Agrippae in unum contrahi voluit.* & lib. IV. 131. exter. 3. *Diſcordes foci tui & pagis dividua tuguria.* vid. III. Met. 682. *remotos.* Palatinus. Burm.

494. *Pollice fila.*] *Conſona fila* Regius. quod effictum ex lib. I. Amor. VIII. 60.

495. *Inducta.*] *Induta* plures, quae ſollemnis confuſio; ſed unus, *obducta*, quod non diſplicet. ſic *clypeis obducere pectora* Stat. XII. 701. Burm.

496. *Vates ille videndus adeſt.*] Prima editio cum ſcriptis pleriſque, *adit.* Regius cum uno Patavino, *abit.* Septem alii, *erat.* Quatuor, *ait.* Comelinianus ex melioribus, *agit.* ne dubita quin vere. Statius Theb. III. 625.

Sed me veſter amor, nimiuſque arcana profari
Phoebus agit.

Achilleide I. 528.

Non patiar. meus iſte, meus. tu diva profundi,
Et me Phoebus agit.

Nota etiam illa VI. Faſt. 5.

Eſt Deus in nobis. agitante caleſcimus illo.

Avienus Arateis:

——— *Major,*
Major agit mentem ſolito deus.

Sic & *agi furiis*, & ſimilia. Heinsius. Vide quae notavimus ad Vellej. II. 31. & ad Valer. Flac. III. 392. dicemus.

499. *Eſt ubi diverſum.*] *Ibi* majori ex parte ſcripti. niſi quod Regius & duo alii cum primâ editione, *tibi.* Heinsius. *Eſt mihi* Politiani & duo alii. *diverſum celeberrima fama per orbem* Ambroſ.

500. *Jubet.*] *Decet* Neapol. unde Heinſius faciebat, *docet.* vid. ad III. Am. X. ult.

504. *Saepe patente.*] Forte, *ſemipatente*, ut lib. III. 307. puellis praecipit:

Pars humeri tamen ima tui, pars ſumma lacerti
Nuda ſit.

505. *Taciturna ſilentia vitet.*] *Rumpat* excerpta Jureti & quatuor ex noſtris. lib. I. Metamor. 208.

Jupiter hoc iterum ſermone ſilentia rupit.

Met. XI. 598.

——— *Nec voce ſilentia rumpunt,*
Sollicitive canes canibuſve ſagacior anſer.

Val. Flaccus lib. III. 509.

Ingemuit Juno, tandemque ſilentia rumpit.

Libro V. 649.

Non tulit haec animis, quin longa ſilentia Pallas
Rumperet irridens.

Silius lib. V. 12.

Iſque inſueta tubâ monſtravit murmura primus
Gentibus, & bellis ignava ſilentia rupit.

Claudianus IV. Conſ. Honorii 143.

Et dudum taciti rupere ſilentia Delphi.

Alcimus Avitus:

Perſtrepuit ſubitus, rumpitque ſilentia clamor.

Heinsius. *Rumpere* etiam Horatius Epod. V. *Sed dubius*

Qui ſibi notus erit, ſolus ſapienter amabit;
Atque opus ad vires exiget omne ſuas.
Cui faciem natura dedit, ſpectetur ab illâ:
Cui color eſt, humero ſaepe patente cubet.
Qui ſermone placet, taciturna ſilentia rumpat:
Qui canit arte, canat: qui bibit arte, bibat.
Sed neque declament medio ſermone diſerti:
Nec ſua non ſanus ſcripta poëta legat.
Sic monuit Phoebus: Phoebo parete monenti.
Certa Dei ſacro eſt hujus in ore fides.
Ad propiora vocor. quisquis ſapienter amabit,
Vincet, & è noſtrâ, quod petet, arte feret.
Credita nec ſemper ſulci cum foenore reddunt:
Nec ſemper dubias adjuvat aura rates.
Quod juvat, exiguum; plus eſt, quod laedit amantes:
Proponant animo multa ferenda ſuo.

Quot

dubius unde rumperet ſilentium. nondum tamen *vitet* diſplicere poteſt, quod praecipienti magis convenire mihi videtur. ſed *taciturna ſilentia* forte alicui non placerent, & Francofurtenſis codicis ſcripturam praeferret *nocitura ſilentia*, quae amorem non promovent, ſed illi nocent. aſt talia oppoſita laudat Quinct. VIII. cap. 2. ubi vide & ad lib. II. Met. 66. BURM.

508. *Veſanus ſcripta poëta legat.*] *Non ſanus* libri veteres cum primâ editione. HEINSIUS. Ita quoque una Veneta editio, & Francofurtenſis cum plurimis aliis, quam revocavimus ſcripturam; quia unice veram credimus; non enim Naſo poteſt omnibus Poëtis praecipere, ne legant ſcripta ſua, idque *inſaniam* vocare: hoc enim ipſe ſaepe facere ſolebat, & modo amatori auctor fuit ỳs. 283.

Carmina lector
Commendet dulci qualiacumque ſono.

Sed hoc agit, ut quiſque ſe noſcat, & ſi carmen ſani coloris non potuerit ſtruere, tunc monet abſtinendum ab eo legendo, ne ridiculus evadat. Praeceptum ergo hoc tantum Poëtas *non ſanos*, & malos reſpicit, non illos, qui egregium & rectum carmen pangere poſſunt. Ita *maleſanos* Poëtas Horatius I. Epiſt. XIX. vocat. & de iis ad Petronii cap. II. egimus. & ſic capiendus quoque verſus praecedens, ne aliis *declamet diſertus* (ita etiam legitur in Sarraviano & duobus Palatinis) ſcilicet ſibi viſus, ſed qui *medio* tantum *ſermone* facundus eſt, id eſt vili, plebejo & ſordido, quia talis oratio, ſeu potius declamatio quaſi ex formula compoſita, non ex animo provenire, ſed affectatum & meditatum amorem puellae facile prodere videtur. eſt ergo *medius ſermo*, ex medio & quotidiano plebis uſu. ita v. Triſt. VII. 53.

Ullus in hoc vix eſt populo, qui forte Latine
Quaelibet è medio reddere verba queat.

VII. Metam. 674.

Pauca prius mediis ſermonibus ille locutus.

Id eſt vulgatis, publicis & tranſlatitiis: & lib. VIII. 650.

Interea mediis fallunt ſermonibus horas.

Ut ibi legendum puto. *Media verba* apud Quint. Decl. XVII. 15. quamquam illa aliter capi poſſe non diffiteor. ita *media plebs* & ſimilia Noſtro. de quibus vid. Celebr. Graev. ad Cicer. I. de Offic. 3. appoſite Victorinus in Artis Grammaticae pincipio. pag. 1939. ubi dicit Latinitatem conſtare tribus modis, *ratione*, *auctoritate*, *conſuetudine. hanc eſſe quae doctorum modo, loquendi uſu placita aſſumptaque ſunt.* ita edidit Putſchius; ſed *ratio* & *auctoritas* ſpectat proprie doctos, *conſuetudo* populum. quare ex MS. Jacobi Revii, quem contulit olim Heinſius, lege, *conſuetudine eorum, quae è medio loquendi uſu placita.* ſic damnat ergo plebejas declamationes, nam veram & ſolidam facundiam etiam amatoribus commendavit ſupra ỳs. 223. & ſequentibus. & ita malos tantum Poëtas, & ineptos declamatores hoc diſticho tangit. Zinzerl. Promuls. cap. XXIII. duriorem faciebat verſum legendo, *Nec ſua nec ſanus:* ſed *non* eſt mollius. ita, *non ſano pede* Faſt. I. 506. BURMANNUS.

513. *Quiſquis ſapienter amabit.*] Rectius fortaſſe in nonnullis, *patienter amabit.* NAUGERIUS. vid. ſup. Epiſt. II. 27.

515. *Quod laedit.*] *Laedat* ſcripti potiores. HEINSIUS. mallem diſtinguere:

Plus eſt quod laedit. Amantes
Proponant &c.

Ut *juvat* & *laedit* ſimpliciter ſint poſita. BURM.

Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hyblâ;
Caerula quot baccas Pallados arbor habet;
Litore quot conchae; tot sunt in amore dolores:
Quae patimur, multo spicula felle madent.
Dicta erit illè foras, quam tu fortasse videbis;
Illè foras, & te falsa videre, puta.
Clausa tibi fuerit promissâ janua nocte:
Perfer & immundà ponere corpus humo.
Forsitan & vultu mendax ancilla superbo
Dicet, Quid nostras obsidet iste fores?
Postibus & durae supplex blandire puellae;
Et capiti demtas in fore pone rosas.

Cum

517. *Quot lepores in Atho, quot apes, &c.*] Athos mons est Thraciae, ab Atho gigante (ut Stephanus autor est) appellatus. Declinatur autem Graeca declinatione, eorum quae Attica dicuntur, ut ὁ ἄθως, τοῦ ἄθω, τῷ ἄθῳ, τὸν ἄθω absque ν: ut & χάος, λαγῶ, τέω, & si qua similia. Atque hinc sunt casus illi, quibus Latini usi sunt: ut Virg. XII. 701. *Quantus Athos, aut quantus Eryx.* &, Georg. I. 232. *Aut Atho, aut Rhodopen.* Et hic Ovid. *Quot lepores in Atho.* Est enim Graecus dativus, quo hic pro ablativo usus est. Quod autem Merula declinat *Athon Athonis*, id nullo veterum exemplo facit. Ut autem & hoc obiter adjiciamus, tradunt tantam esse altitudinem hujus montis, ut umbram trecentorum stadiorum jaciat. Cetera vide apud Merulam. MICYLLUS.

520. *Multo spicula felle madent.*] *Virent* unus Regius. de qua lectione diximus ad Aponum Claudiani, sub finem. Met. II. 777. *Pectora felle virent.* HEINSIUS. Qui etiam olim conjecerat, *quis petimur.*

521. *Quam tu fortasse videbis.*] *Videres* Regius, Forte:

—— *Tibi quam fortasse videre est.* HEINSIUS.

Quum tu, Bersmannus in margine.

524. *Perfer, & immundâ ponito corpus humo.*] Ita quidem Merula legit, ut verbum *Perfer* ad superiora, referatur. *Ponito* autem imperandi modo legatur. in Aldinis autem legitur:

Perfer & immundâ ponere corpus humo.

Ut *Perfer* cum sequentibus construatur, *Ponereque* infinito modo legatur: deinde & copulandi conjunctio *Et*, pro etiam accipiatur. Quae lectio, ut in ceteris quidem, priore illa mihi magis probatur: ita tamen malim pro *Immundâ humo*, *In nuda humo* legere: est enim planius atque simplicius dictum, *ponere corpus in nuda humo*, cum praepositione, quam *Ponere corpus immunda humo*, absque praepositione, ἐλλειπτικῶς. MICYLLUS. *Perfer & in nudâ* tres libri. etiam bene. Vide notas ad Epist. XIV. ῥs. 100. quidam, *in durâ*. supra tamen lib. I. 153.

Pallia si terrae nimium dimissa jacebunt,
Collige, & immunda sedulus effer humo.

Pro *ponere* multi, *ponito*. male. unus, *Perfer in nudâ*. Lege, *perfer in immundâ ponere*. Amor. III. El. XI.

Ergo ego sustinui, foribus tam saepe repulsus
Ingenuum dura ponere corpus humo. HEINS.

526. *Quid nostras obsidet iste fores.*] Vaticanus eleganter, *quis*. ut apud Stat. I. Theb. 455.

Tecto coelum prohibere quis iste
Arguit? HEINSIUS.

Ego nihil mutem. sup. X. Amor. 8.

Ecce quid iste tuus praeter nova carmina vates
Donat.

Ubi vide. *possidet* etiam quidam editi & scripti. duo *absidet*. sed *obsidet* rectum. Met. IV. 489.

Obstitit infelix, aditumque obsedit Erinnys.

I. Amor. IX. *Ille graves urbes, hic durae limen amicae*
Obsidet. Obsidere, alii ab *obsido* dixerunt. Claud. III. laud. stil. 142.

Hispanas caperet, Siculas obsideret urbes.

Ubi Heins. Stat. X. 264.

Prò pudor! Argolicas hi ne ausi obsidere portas.
BURMANNUS.

527. *Et durae supplex.*] *Et durae precibus* Editiones plurimae. *Et dirae* multi scripti. Heinsius voluerat, *edurae*.

528. *Limine pone rosas.*] *In fore* scripti. lib. II. Fastorum 738.

— *Custos in fore nullus erat.* HEINS.

529. *Cum volet.*] Lege, *vocet*, & *vitarit.* HEINSIUS.

531. *Effugere hinc non est, quare tibi possit amica*
Dicere, non omni tempore sensus abest.] Ambiguus hic locus est: quare etiam ab aliis aliter & legitur, & exponitur. Merula pro *Effugere* hinc, legit, *Effuge, dehinc*: & in fine pentametri pro *Abest*,

Obest

Cum volet, accedes: cum te vitabit, abibis.
Dedecet ingenuos taedia ferre sui.
Effugere hunc non est, quare tibi possit amica
Dicere? non omni tempore sensus adest.
Nec maledicta puta, nec verbera ferre puellae,
Turpe, nec ad teneros oscula ferre pedes.
Quid moror in parvis? animus majoribus instet.
Magna canam: toto pectore, vulgus, ades.
Ardua molimur: sed nulla, nisi ardua, virtus.
Difficilis nostrâ poscitur arte labor.
Rivalem patienter habe; victoria tecum
Stabit: eris magni victor in arce Jovis.

Haec

Obest subjicit. ut sit sensus: Si te vitabit amica, effuge, atque amove te: nam id si feceris, nulla causa erit amplius, cur illa tibi haec verba, quae in molestos & importunos dicuntur, objicere possit: scilicet, *Non omni tempore sensus obest:* hoc est, decet intelligentem esse, & videre quae res praesens postulet, & cetera. Illorum autem, qui veterem lectionem retinent, quidam verbum *Dicere*, quod in principio pentametri est, cum praecedentibus construunt, quidam cum sequentibus: quorum utrumque diversam à superiore sententiam efficit. Quod facile animadvertet, qui ipsa verba diligentius paulo intuebitur. Ego tametsi pro dubio & incerto locum ipsum habeam, lego tamen:

Effugere hinc non est, quare tibi possit amica
Dicere, non omni tempore sensus obest?

Ut sit sensus, illud non licet effugere, quare sine, quo minus amica tibi possit dicere, *Non omni tempore sensus obest.* Hoc est videndum esse aliquando, quid tempus ac res patiatur, sed hanc expositionem neque adstruo nimis, neque anxie defendo. Micyllus. Locus corruptissimus. Pro *dicere*, *cedere* legebat Scaliger. Item, *non omni tempore sensus adest.* hoc est, ex interpretatione ejus, *nemo omnibus horis sapit.* Ego, si quid in re obscura divinandum sit, legam:

Effugere haec non est. quare tua possit amica
Dicere. non omni tempore sensus adest.

Nemo, inquit, taedium sui effugere semper potest. Cur taedio sis, optime amica tua dicere possit. neque quisquam sane omnibus horis sui similis est, aut aeque sapit. Dan. Heinsius. Codices quidam, *Effugere huic.* quare scribo, *Effugere hunc non est.* de quâ correctione adeantur notae nostrae supra hoc libro ad ℣s. 28. unde liquet à magno Scaligero pro *Dicere* frustra *Cedere* reponi. pro *abest* prima editio cum Regio, Jureti excerptis, & scriptis plerisque, *obest.* Neapolitanus & sex alii *adest.* quod amplector. Intelligit sensum rerum amatoriarum. Noster infra lib. III. 797.

Tu quoque, cui sensum Veneris natura negavit.

Sed ne sic quidem locus integer satis aut perspicuus, nisi reponas pro *quare*, *cave ne:*

Effugere hunc non est, cave ne tibi possit amica
Dicere. non omni tempore sensus adest.

Cave à verbo antiquo *cavo* tertiae conjugationis. Noster lib. I. Amor. El. VIII.

Sed cave ne gratis hic tibi constet amor.

Pont. III. El. I.

Hanc cave degeneres, & sint praeconia nostra
Vera vide.

Sic non Cicero tantum in Arateis aut Lucretius; sed Horatius quoque & Tibullus & Propertius non uno loco. certe libro primo supra in veterrimo Regio codice *care* pro *cave* offendi scriptum. Propertio redde hoc verbum, libro IV. IV. 46.

Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe.
Tu cave spinosi roscida terga jugi.

Ita enim scribendum esse sequentia evincunt: neque aliter exstat in nonnullis membranis. vulgati, *Tu cape.* Heinsius. Vulgatam retineo, modo post τὸ *dicere* ponatur interrogationis nota. Quare amica tua possit dicere, tui taedium capiens, an non licet hunc molestum effugere? ubique adest mihi. non enim omni tempore calent & veneris cupidine fervent mulieres; captandum tempus, cum appetunt concubitum, non interpellandae, ubi frigent. formula vero usitata, *effugere non est.* Mart. XII. 82. *Effugere in thermis & circa balnea non est. Menogenen omni tu licet arte velis.* lib. XI. 99. *Effugere non est Basse basiationes.* quae loca jam supra adduxit Heinsius. Burm.

533. *Nec maledicta.*] *Nec mala dicta* Neapolit. quae eadem varietas apud Tibull. III. V. 101. ubi vide Broukh. sic *mala verba* idem Tibul. I. XI. 57.

535. *Instat.*] *Instet* Patavinus. & mox, *vera canam* Ambros. *magna paro* Schefferi. quod ex vers. 17. repetitum.

537. *Nisi ardua virtus.*] *Nisi ardua vincunt* Editiones

Haec tibi non hominem, ſed quercus crede Pelaſgas
Dicere. nil iſtis ars mea majus habet.
Innuet illa, feras: ſcribet, ne tange tabellas:
Unde volet, veniat: quoque libebit, eat.
Hoc in legitimâ praeſtant uxore mariti;
Cum tener, ad partes tu quoque, ſomne, venis.
Hac ego, confiteor, non ſum perfectus in arte.
Quid faciam? monitis ſum minor ipſe meis.
Mene palam noſtrae det quisquam ſigna puellae?
Et patiar? nec me quolibet ira ferat?
Oſcula vir dederat (memini) ſuus: oſcula queſtus
Sum data. barbarie noſter abundat amor.
Non ſemel hoc vitium nocuit mihi. doctior ille,
Quo veniunt alii conciliante viro.
Sed melius neſciſſe fuit. ſine furta tegantur:
Ne fugiat victo faſſus ab ore pudor.

Quo

tiones priores Aldi, Micylli, Berſmanni & ſcripti duodecim. unus, *vincant*.

543. *Feras.*] *Feres* Francof. Junii, Sarravianique & Bernenſis. *innuat* unus. *innuit* nonnulli. Francius tam hic quam lib. III. 514. malebat *annuet*. male. *annuere* eſt nutu affirmare, *innuere* eſt ſignum capite dare. Burmannus.

544. *Unde volet.*] *Libet* Aproſii liber, & Berſmanni editio. *quaque* Editio Micylli, *quove* quinque libri.

545. *Hoc in legitima praeſtant.*] *Praeſtent* in uno Vaticano rectius. ut ſupra 153.

Lite fugent nuptaeque viros, nuptaſque mariti. Heinsius. Si *praeſtent* legendum, haec capienda ut verba amatoris, praecepto huic Naſonis repugnantis, qui calidus juventa & in iram pronus, ſe hoc pati & ferre negat, ſed illud maritis praecipiendum, qui lenocinium facere ſolent. ſed ego malim *praeſtant*, ut ſit Ovidii argumentatio; ſi viri hoc in uxoribus praeſtant, quanto magis amator in amica. *haec* erat in Micylli & Berſm. Edit. & prioribus. & tredecim ſcriptis. Burmannus.

546. *Ad partes.*] De hac locutione egimus I. Amor. VIII. 87. & de Maritis, qui ſimulant ſomnum, ut uxores tuto cum adulteris ludant, ad lib. I. Amor. eleg. IX. 25. Burmannus.

550. *Quolibet ira ferat.*] *Feret* ſcripti, cum prima editione. Epiſt. XII. 209.

Quo feret ira ſequor.

Qualibet Commelin. & Junii. *ne me* Micylli editio, quod repudiavit Berſmannus.

551. *Oſcula vir dederat.*] *Oſcula ubi dederat, memini, ſua.* Bernenſis unus. *Memini ſua baſia queſtus* Palatin. *barbaria* Regius. *barbariae* Sarrav *abundet* unus Heinſii.

553. *Doctior ille eſt, Quo veniunt alii conciliante viri.*] *Viro* Regius, excerpta Jureti, & multi alii ex melioribus. optime. *veniunt*, uxores nimirum. Quo conciliante uxores veniunt alii viro. egimus jam de hoc loco initio hujus libri vers. II. Praeterea pro *doctior* opinor eſſe ſcribendum, *fortior*, quicquid obnituntur libri veteres. & id quoque jam monitum à nobis lib. I. *Ys.* 281. Heinsius. Cave τὸ *doctior* moveas. Scilicet ad praecepta danda, quam provinciam ego ſuſcepi; ſed praecepta mea praeſtare non poſſum, quia in hac parte artis amatoriae perfectus non ſum; ſed doctior ille eſt, qui hanc poteſt conciliaturam praeſtare. Burm.

556. *Ne fugiat victo falſus ab ore pudor.*] Hoc eſt, ne verecundia peccandi, quam falſo prae ſe tulit, abeat, ab ea deprehenſa &c. ita quidem Merula. In Aldinis autem legitur, *Ne fugiat victo faſſus ab ore pudor.* Cujus lectionis ſententia eſt: Sine ut furta ſua celet, ne ſi ſtudium celandi remittat, etiam pudorem deponat, victa verecundia fatendo ac palam peccando. Id enim ſibi vult *faſſus pudor.* Micyllus. *Laeſus* primâ editio & multi ex ſcriptis. ut Epiſt. III. 97.

Exige laeſe pudor poenas, violate Sichaeo.

In pluribus, *falſus*. forte pro *pulſus*. Neapolitanus codex probe:

Ne fugiat faſſo victus ab ore pudor. Heinsius. Librarium in excudendis Heinſii notis peccaſſe puto: nam in Neapolitano codice erat:

Nec fugiat faſſo victus amore pudor.

Quod etiam ſenſum facit rectum, ſi *ne* legatur, & ita capiatur, ne fugiat pudor & omnis verecundia, victi ab amore, quem jam palam & ante oculos tuos fert & fatetur. Ita *confeſſus amor*, de quo egimus ad Petronii cap. XCI. & CXXVII. ubi ex Martiali,

Quo magis, ô juvenes, deprendere parcite veſtras.
Peccent: peccantes verba dediſſe putent.
Creſcit amor prenſis. ubi par fortuna duorum eſt,
In cauſſâ damni perſtat uterque ſui.
Fabula narratur toto notiſſima coelo,
Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.
Mars pater, inſano Veneris turbatus amore,
De duce terribili factus amator erat.
Nec Venus oranti (neque enim Dea mollior ulla eſt)
Ruſtica Gradivo, difficilisve fuit.
Ah quoties laſciva pedes riſiſſe mariti
Dicitur, & duras igne vel arte manus!
Marte palam ſimulat Vulcanum imitata, decebat:
Multaque cum formâ gratia mixta fuit.
Sed bene concubitus primos celare ſolebant.
Plena verecundi culpa pudoris erat.

Indi-

tiali, huc facientia adducit Erhardus:
Non nubis, Proculina, ſed fateris.
Vid. & ad Phaedr. IV. 25. *Nec fugiat* multi editi & ſcripti. BURMANNUS.

561. *Fabula narratur.*] Malim, *narrantur.* Mars & Venus videlicet. & mox 630.
Ut quamque attigeris, fabula turpis erunt.
Martial. lib. XII. 52. ad Semproniam:
Dulcis in Elyſio narraris fabula campo.
Statius Achilleide II. 273.
Aſt ego vel primae puerilis fabula culpae
Narrabor famulis.
Horat. Epod. XI.
Per urbem fabula quanta fui!
Et lib. I. Epiſt. 13.
Aſinaeque paternum
Cognomen vertas in riſum, & fabula fias.
Tibullus libro II. Eleg. III.
Fabula nunc ille eſt.
Et I. IV. 83.
Parce, puer, quaeſo: ne turpis fabula fiam.
Noſter Amor. l. III. Eleg. I.
Fabula nec ſentis, tota jactaris in urbe.
Plura ad I. Amor. Eleg. XIII. HEINSIUS. ſic puto apud Terent. Hecyr. IV. III.
Fabula ſumus, ſenex atque anus.
Quae ita capienda, per urbem jam narratur pueris fabula, cujus initium, *ſenex atque anus fuerunt quondam* &c. ut ſimiles fabulae a nutricibus infantibus narrari ſolent. Ita & Horat. Epod. XI. *fabula quanta fui.* in declamationibus Quinctiliani paſſim. vid. ad III. Amor. I. 21. Ceterum hanc fabulam illuſtravit Barth. ad Stat. III. Theb. 274. & ſeq. & XII. Theb. 61. & ſeqq. BURM.

562. *Mulciberi capti Marsque Venusque dolis.*] Ita quidem vulgatae editiones habent. Priſcianus autem *Mulciberis* legit genitivo caſu, declinatione tertia: citatque hunc ipſum verſum libro ſexto. Quod quanquam exiguum ac leve, annotare tamen hoc loco placuit, vel verſus gratia, qui hac lectione aliquanto levior ac mollior redditur. MICYLLUS.

563. *Turbatus amore.*] *Succenſus* Regius, *turpatus* Aproſii. *ſimulatus* malebat Francius. mox, *amator eras* Patavinus.

565. *Nec Venus oranti (nec enim dea mollior ulla eſt) Ruſtica Gradivo, difficilisque fuit.*] Martialis I. 58.
Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.
Propertius II. XVIII. 43.
Aut ſi es dura nega: ſi non es dura, venito.
HEINSIUS.

567. *Pedem riſiſſe.*] *Pedes* ſcripti: & prima editio. HEINSIUS.

569. *Marte palam ſimul eſt Vulcanum imitata decebat.*] *Simulet* quinque libri. *ſimulat* Moreti codex. & pro *decebat* unus Patavinus *decenter.* ut infra l. III. 291. *diſcant lacrymare decenter.* in illo Tibulli IV. II. 14.
Mille habet ornatus, mille decenter habet. HEINS. *Simul &* Aldinae editiones & tres libri Berſmanni. *ſimilis* unus Heinſii. illud *ſimulat imitata* vix placet. forte,
Marte palam ſaltat, Vulcanum imitata, decebat &c.
Vel ſimile quid. nam ſaltu & geſtu imitabatur claudum Vulcanum. *ſimulare* & *imitari* unum idemque eſt: ideoque in ſcriptis ſaepe confuſa. *decebat* vero abſolute ponitur. ut lib. I. 533.
Clamabat flebatque ſimul; ſed utrumque decebat.
Et paſſim. BURM.

569. *Palam.*] Id eſt coram, & vidente. ſic 549.

Indicio Solis (quis Solem fallere poſſit?)
Cognita Vulcano conjugis acta ſuae.
Quam mala, Sol, exempla moves? pete munus ab illâ;
Et tibi, ſi taceas, quod dare poſſit, habet.
Mulciber obſcuros lectum circaque ſuperque
Diſponit laqueos: lumina fallit opus.
Fingit iter Lemnon: veniunt ad foedus amantes:
Impliciti laqueis nudus uterque jacent.
Convocat ille Deos. praebent ſpectacula capti.
Vix lacrimas Venerem continuiſſe putant.
Non vultus texiſſe ſuos, non denique poſſunt
Partibus obſcoenis oppoſuiſſe manus.
Hîc aliquis ridens, In me, fortiſſime Mavors,
Si tibi ſunt oneri, vincula transfer, ait.

Vix

Mene palam noſtrae det quiſquam ſigna puellae. Douza. Vid. ad Quinctil. Decl. VI. 14.

571. *Sed bene concubitus primo.*] *Primos* prima editio cum ſcriptis pleriſque. Heins. vid. Ep. VII. 189.

573. *Fallere poſſet.*] *Poſſit* iidem. Heinsius.

576. *Et tibi.*] *At tibi* Palat. *haec tibi* Bernenſis unus.

580. *Impliciti.*] *Implicitis* Francof. & Aproſii. *jacet* cum editione prima ſeptemdecim ſcripti. ſed vide ſupra ad vers. 283. *cadunt* Junii.

582. *Continuiſſe ferunt.*] *Putant* ſcripti cum prima editione. Heinsius. Barth. ad Stat. II. Theb. 272. in ſuo codice ſe reperiſſe dicit:

Vix lacrimas Venerem abſtinuiſſe ferunt.

Unde tranſpoſitis verbis facit:

Vix Venerem lacrymis abſtinuiſſe ferunt.

Vix autem dicit, quia non eſt lacrimare deorum: *lacrimis Venerem continuiſſe* Palatin. *continuiſſe putant* magno numero ſcripti. & certe mox 592. iterum *ferunt* ſequitur. Burm.

584. *Partibus obſcoenis oppoſuiſſe manus.*] *Appoſuiſſe* ſex ſcripti. recte. quatuor *impoſuiſſe*. vide Notas ad Epiſt. IX. Vs. 60. Heinsius. ego praetuli, *oppoſuiſſe*. Sic II. Met. 276.

Oppoſuitque manum fronti.

Et XII. 386.

Oppoſuit dextram paſſurae vulnera fronti.

III. Faſt. 46.

Virgineas oculis oppoſuiſſe manus.

IV. 178.

Ante oculos oppoſuitque manum.

VI. Faſt. 614.

Dicitur hoc oculis oppoſuiſſe manum.

Senec. Her. Fur. 598.

Viſus fulmine oppoſito tege.

Ita Petronius cap. CXXXI. & alii paſſim loquuntur. quare nulla cauſſa eſt, cur ubique Heinſio amatum illud nimis *apponere* verbum ubique intrudamus. *impoſuiſſe* Moreti, Bernenſis & tres alii. *Manum* etiam duo Regii. ceterum Barthius hic non caute ſatis Ovidium egiſſe putat, qui tantis diis *partes obſcoenas* tribuerit, & ideo, temere ſane, hunc verſum ita refingit:

Non denique poſſunt
Queis opus eſt tectis, oppoſuiſſe manus.

Sic neque concoquit quod lib. I. Faſt. 435. de Sileno dixerit:

At Deus obſcoena nimium quoque parte paratus.

Sed non perſpecta ſatis Barthio erat Poëtae noſtri luxurians malignitas. qui ſemper Nympharum, Dearum, Deorumque libidines obliqua oratione carpere ſolet, quod hic praecipue facit, ut doceret mortales per exemplum Deorum ire, & patrocinium ſuae libidinis ab incontinentia numinum petere. ſic & mox *pubem* Veneri dat vers. 613. Burmannus.

585. *Hic aliquis ridens, in me fortiſſime Mavors, Si tibi ſunt oneri, vincula transfer, ait.*] Imitatio Homerica eſt. Nam apud Homerum Odyſ. Θ. 334. Mercurius hoc pacto optat, ut liceat ſibi cum Venere concumbere, velle ſe ter totidem vincula pati, &c. Verſus ipſos, quoniam feſtivi ſunt, placuit hic ſubjicere:

Ἑρμῆν δὲ προσέειπεν ἄναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων,
Ἑρμεία Διὸς υἱὲ, διάκτορε, δῶτορ ἐάων,
Ἦ ῥά κεν ἐν δεσμοῖσι θέλοις κρατεροῖσι πιεσθεὶς
Εὕδειν, ἐν λέκτροισι παρὰ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ.
Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα διάκτορος Ἀργειφόντης.
Αἲ γὰρ τοῦτο γένοιτο ἄναξ ἑκατηβόλ' Ἀπόλλον,
Δεσμοὶ μὲν τρὶς τόσσοι ἀπείρονες ἀμφὶς ἔχοιεν.
Ὑμεῖς δ' εἰσορόωτε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι.
Αὐτὰρ ἐγὼν εὕδοιμι παρὰ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ.

Micyllus. *Hos* tres ſcripti. plures *hinc*: nihil mutandum. Heinsius.

588. *Mars Creten occupat: illa Paphon.*] Scaliger legebat, *Mars Threcen occupat: illa Paphon.*

Hoc

Vix precibus, Neptune, tuis captiva reſolvit
Corpora. Mars Threcen occupat; illa Paphon.
Hoc tibi profectum, Vulcane: quod ante tegebant,
Liberius faciunt, ut pudor omnis abeſt.
Saepe tamen demens ſtultè feciſſe fateris:
Teque ferunt irae poenituiſſe tuae.
Hoc vetui. vos ecce vetat deprenſa Dione
Inſidias illas, quas tulit ipſa, pati.
Nec vos rivali laqueos diſponite: nec vos
Excipite arcanâ verba notata manu.
Iſta viri captent (ſi jam captanda putabunt)
Quos faciunt juſtos ignis & unda viros.
En iterum teſtor: nihil hîc, niſi lege remiſſum,
Luditur. in noſtris inſtita nulla jocis.

Quis

Hoc eſt, Thraciam, illi ſacram. DAN. HEINSIUS. *Mars Threcen* Joannes Rutgerſius in Venuſinis Lectionibus, cap. XXVIII. quod ego optimi doctiſſimique avunculi ſcriptum aliquando luci dabo. quomodo & in orâ codicis ſui Scaliger. optime Mars enim Thracius, cui nihil cum Cretâ eſt negotii. certe Patavinus unus, *Thracem*. HEINSIUS. Ita legendum jam monuerat Barthius, dicto loco ad Statium, neque aliquis ſanae mentis dubitabit, qui *Thraciam Martiam* paſſim, quia ſedes huic Deo erat, a Poëtis dici noverit. vide Stat. I. Achil. 4. & notata ad Epiſt. XIX. 26. BURM.

589. *Hoc tibi profecit, Vulcane.*] Regius, *perfecto*. ceteri plerique, *profecto*. Lege, *profectum*. quomodo jamdudum conjeci. quod Vaticanus unus confirmat. Hoc profeciſti, inquit, Vulcane, ut liberius nunc faciant, poſtquam pudor abeſſe coepit, quod tegebant ante. Nam & ſequenti verſu ſcribendum, *ut pudor omnis abeſt*, non *& pudor*. quod ſcriptos editoſque perperam occupavit praeter Patavinum unum. HEINSIUS. *Hoc tibi pro facto*, Francof. & ſeptem alii.

592. *Irae poenituiſſe.*] *Artis poen.* Francof. & duo Regii. non male: nam ſupra *dolos* vocavit.

593. *Vos ecce vetat deprenſa Dione Inſidias illas, quas tulit ipſa, dare.*] *Dione*, inquit Merula, Oceani & Tethyos filia, ex qua Jupiter Venerem ſuſtulit. Sed ponitur plerunque pro coitu, ut hoc loco. Quae expoſitio, quantum huic loco conveniat, quivis mediocriter doctus videt. Neque enim de coitu poëta hic loquitur: ſed Dionem, hoc eſt Venerem, dicit ſuo & Vulcani exemplo monere, & jubere ceteros, ne mutuò ſibi inſidias faciant. Dicitur autem *Dione* Venus, patronymica forma, ἀπὸ τοῦ Διὸς, quaſi dicas Jovis filia: perinde ut Acriſione, Acriſii filia. MICYLLUS. *Pati* rectius in nonnullis legitur vetuſtioribus. niſi mavis, *Inſidiis illis, quas tulis ipſa, peti*. certè in uno Vaticano *peti* legebatur. HEINSIUS. ſed ſenſum aptum ut cohaereat cum ſequenti, in hoc diſticho requiro. quid enim eſt, *vetat vos inſidias illas pati*, cum hic praecepta dat viris, non puellis; dicendum ergo fuiſſet illas inſidias, quas Marti poſuit Vulcanus, vos rivalibus & amicis veſtris Venus vetat facere, quare parum abeſt, quin retinuiſſem vulgatam, quae eſt in plurimis ſcriptis:

Vos ecce vetat deprenſa Dione
Inſidias illas, quas tulit ipſa, dare.

Dare inſidias navi dixit Plaut. Bacchid. II. III. 52. & Milit. II. III. 32. & alibi. niſi quis acutior nobis ſenſum in Heinſiana lectione videat ſatis aptum. in uno Heinſii codice erat, *nos ecce vetat pati*. quod poſſet ferri, ut Ovidius ſe quoque cum aliis, ut alienis thalamis inſidiantes, inducat, quos vetat Venus deprehendi. *Inſidias ulli*, *q. t. i. dare* Bartholini. etiam bene. BURMANNUS.

597. *Iſta viri captent, ſi jam captanda putabunt.*] Lego, *Si tam captanda putabunt*. pro *jam*, id quod vulgò legitur. Durius enim hoc loco adverbium temporis aut ordinis poni videtur, rectiusque *tam*, intendendi particula. Et brevis tranſitus fuit ex *tam* in *jam*, ſcribenti. MICYLLUS. Non male Micyllus, *ſi tam captanda putabunt*. DAN. HEINSIUS. Nihil move, nam in argumentationibus elegans particulae *jam* uſus, quaſi concedentis. & idem valet, ſi poſt illa quae adduxi, nihilominus putabunt. Epiſt. XVII. 63.

Si jam divitiis locus hic numeroque virorum
Vincitur.

Et mox 77.

Sed ſi jam fines vellem tranſire pudoris.

Sic Epiſt. III. 67.

Si tibi jam reditusque placent.

Ubi etiam Heinſius *tam* reſcribit. & ita paſſim. BURMANNUS.

598. *Quos faciunt juſtos ignis & unda viros.*]

Hunc

Quis Cereris ritus auſit vulgare profanis,
Magnaque Threïcià ſacra reperta Samo?
Exigua eſt virtus, praeſtare ſilentia rebus:
At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.
O bene; quod, fruſtra captatis arbore pomis,
Garrulus in mediâ Tantalus aret aquâ!
Praecipuè Cytherêa jubet ſua ſacra taceri.
Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.
Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis;
Nec cava veſanis ictibus aera ſonant:

Attamen

Hunc locum de proſcriptione, qua dicitur alicui aquâ & igni interdici, exponit Merula, prorſus ἀδιονύσως. Eſt autem ſenſus poëtae, literas amatorum, ſi intercipiendae adeo videntur, intercipiant illi, qui adhibitis igne & aqua juſti, hoc eſt legitimi mariti facti ſunt, non rivales, aut ſimilis conditionis. Solebant autem in ſolemnibus nuptiis, quibus uxor & maritus legitimè jungebantur, ignis & aqua adhiberi, quae utrinque ſponſus & nova nupta contingerent: ad ſignificandum, quod, ut haec elementa potiſſimum ac maxime neceſſaria, inter ſe in commune tangerent: ita ceteras quoque res neceſſarias communes eſſent habituri. De qua re pluribus ſupra in Epiſt. XIV. 9. commentatores, & Plutarchus in Problematibus meminerunt. Micyl. Vide ad. Val. Flacc. lib. VIII. 245. & Gothofr. ad Leg. 66. §. 1. ff. de donat. inter Vir. & Uxor. *quos faciet* editiones priſcae, Ald. & ſcripti plurimi. vid. ſupr. vers. 81.

599. *Niſi lege remiſſum.*] Malim diſtingui:
Nihil hic, niſi lege remiſſum,
Luditur. in noſtris inſtita nulla jocis.
Nihil hic non lege Francof. *ſolutum* Lincoln.

601. *Quis Cereris ritus audet vulgare profanus.*] *Auſit vulgare profanis* rectè meliores libri. Hinc illa ſacrorum formula paſſim obvia, *procul eſte profani*, & apud Graecos ἐκὰς ἐκὰς ἔςε βέβηλοι. & ἐκὰς ἐκὰς ὄϛις ἀλιτρός. excludebantur enim non initiati. Orpheus apud Clementem & Tatianum:

——— Θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις
Πᾶσιν ὁμῶς.

Horat. III. od. 2.

— *Vetabo, qui Cereris ſacrum*
Vulgarit arcanae, ſub iſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaſelum. Heinsius.

Douza etiam legebat *profanis*, locoque Horatii firmabat. vide ad Petron. cap. XVII.

603. *Eximia en virtus.*] Nonnulli, *exigua eſt virtus.* Naugerius. Scaliger ingenioſe:

Exigua eſt virtus, praeſtare ſilentia rebus.

Perſae ajebant, Nihil illi facile eſſe, cui difficile eſſet tacere, quia nihil facilius videtur. Dan. Heinsius. *Exigua* ſcripti potiores cum primâ editione. & ſequenti verſu, *At contra*, pro *Et.* ſupra dixerat lib. II. Am. Eleg. 11.

Quis minor eſt autem quam tacuiſſe labor?

Curtius lib. IV. 6. *Linguae apud Perſas gravius caſtigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem Magi juſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere grave ſit, quod homini facillimum eſſe voluerit natura.* Heins. Quem locum Curtii adduxerat Douza ad lib. II. Amor. II. & per *Magum*, intelligebat regem. Modius legebat, *magnam rem Magis*; ſed ſive *Magi*, ſive *Magis*, ejicit hoc Freinshem. quem vide. *homini facillimum* vero confirmare poſſet ſcripturam Moretiani codicis in loco ex Amoribus adducto, *Quis minor eſt homini.* Burm.

604. *Tacenda loqui.*] Unus Bernenſis, *tegenda loqui.* quod placet, quia *tacens* mox ſequitur. novi tamen illa Horatii I. Epiſt. VII. 72.

Dicenda tacenda locutus.

Et Perſii IV. 5.

Dicenda tacendaque calles. Burm.

605. *Quam bene.*] *O bene* iidem veteres. & ſequenti verſu, *Garrulus Tantalus* tranſpoſitis vocibus. Triſt. I. II. 41.

O bene; quod non ſum mecum deſcendere paſſus! Heinsius.

606. *Tantalus in media garrulus aret aquâ.*] Vid. quae collegi eleg. XII. lib. III. Amor. 4. Ciofanus.

607. *Praecipue Cytherea jubet ſua ſacra taceri.*] Tale quippiam dixit & Tibullus: I. II. 34.

——— *Celari vult ſua furta Venus.* Ciofanus.

609. *Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis, Nec cava veſanis ictibus aera ſonant.*] Confundit hoc loco Merula *cerimonias Cereris*, & *Canephorias.* Aliud enim Κανηφορεῖν Graecis fuit, aliud *ciſtae Cereris.* Κανηφορεῖν enim puellae Graecorum ſolebant, vel cum in pompa Minervae ſacris, quae Panathenaica dicebantur, caniſtra capitibus impoſita gerebant, quibus ea, quae Deae offerenda eſſent, continebantur: vel cum, ut apud Theocritum eſt Idyll. 2. mox nupturae, Dianae ſacrificabant, virginitatis cauſa, quam mox depoſiturae eſſent, deam placantes. *Ciſtae* autem in ſacris Cereris inter ſymbola habebantur, ſignificantes clauſa atque arcana omnia haberi debere (ſive in iis inclu-

Attamen inter nos medio verſantur in uſu:
Sed ſic, inter nos ut latuiſſe velint.
Ipſa Venus pubem, quoties velamina ponit,
Protegitur laevâ ſemireducta manu.
In medio paſſimque coït pecus, hoc quoque viſo,
Avertit vultus ſaepe puella ſuos.
Conveniunt thalami furtis & janua noſtris:
Parsque ſub injectâ veſte pudenda latet.
Et ſi non tenebras, at quiddam nubis opacae
Quaerimus; atque aliquid luce patente minus.

Tunc

incluſa ſacra deae fuerint, ut hic Merula putat, ſive ſecus) perinde ut in ceremoniis Bacchi vannus, cujus & Virgilius meminit 1. Georg. 166. ubi inquit, *Et myſtica vannus Hyachi.* Haec enim purgationi ſignificandae adhibebatur, ut eodem loco pluribus explicat Servius. Quod autem ſilentium adhiberi ſacris Cereris neceſſe fuerit, vulgò notum eſt. Quae vero de Canephoris hic allegat ex Pauſania Merula, ea nihil ad praeſentem locum faciunt. Loquitur enim Pauſanias de ſacris & cerimoniis Minervae, quae Athenis in arce peragebantur, non Cereris, quae Eleuſine fiebant. Ceterum de *ciſtis* etiam Suidas meminit in dictione κιστοφόρος. ἔοικε δὲ, inquiens, ἱερὰς εἶναι τὰς κίστας τοῦ Διονύσου καὶ ταῖν θεαῖν. hoc eſt, videntur autem ciſtae ſacrae eſſe Dionyſii & Cereris, Proſerpinaeque. Nam horum ſacra conjuncta fuiſſe, ſunt qui tradidere. Et ex eo quoque patet, quando in utriſque Cymbalorum & aeris tinnitu uſi ſunt. ut hic Poëta innuere videtur cum inquit:

Nec cava veſanis ictibus aera ſonent.

Neque enim de diverſis ſacris intelligere verſus hos libet. Micyllus. Recte Micyllus, & de Canephoris virginibus jam multis egerunt viri docti. vid. Faſoldum de Feſtis Graecor. decad. v. feſt. 9. Caſtellan. in Κανηφόρια. Meurſ. in Cecrop. cap. xxiii. gerebant vero ciſtas in diverſis ſacris, ut Palladis, Cereris, Dianae, etiam Bacchi vid. Caſtellan. in *Dionyſiis.* Meurſ. Eleuſin. cap. xxv. Panathen. cap. xxiii. & alios. Burm.

610. *Ictibus aera ſonant.*] Amiciſſimus & doctiſſimus Hadrianus Wallius noſter:

Nec cava veſanis ictibus aera ſonent.

Et recte. Monet ſine multo ſtrepitu peragenda eſſe Veneris ſacra. & alludit ad ſacra Iſidis ac Cybeles, in quibus plurimus ſiſtrorum ac tympanorum uſus. proximo verſu videtur ſcribendum:

Illa quidem inter nos medio verſantur in uſu.

Heinsius. Retinendum *ſonant*, ut ſenſus ſit, ſi Veneris ſacra non ſunt tam occulta, aut tanta myſteria, ut Cereris & aliorum numinum, non etiam ita aperta debent eſſe, ut Cybeles, ubi veſano tumultu & cymbalis res agitur, ſed habent quoddam medium, & ita inter nos verſantur obvio uſu, & omnibus vulgato, ut tamen velint inter eos, qui ſacris his operantur, latere, & ſecretum hoc horribile perire. in hoc verſu modo ſubintelligenda vox *etiam*, vel *tamen. ictibus aera ſonent* erat in Moreti & quinque aliis. Burm.

612. *Sic tamen.*] *Sed ſic inter nos*, libri veteres plerique cum prima editione. Heinsius. offendit merito bis repetitum illud *tamen*, quare recipiendam eſſe puto codicum ſcripturam. ut Aldus priore editione, Micyllus, Berſmannus & alii ediderunt. *& ſic inter nos* Palatin. *ſed ſic inter vos* unus Heinſii.

614. *Protegitur laeva ſemireducta manu.*] Caſtiſſimus Ovidii noſtri interpres, Criſpinus, famae ſuae recte conſuluiſſe videtur, quod hunc locum non intellexiſſe convinci facile poſſit. nam ille vocem *ſemireducta* ad manum laevam refert, explicans *ſemireflexam*, vel adductam ad mediam corporis partem, dextram verſus. ſed ratio Proſodiae potuiſſet virum pudicum, qui numquam forte eo ſtatu puellam viderat, monere, ultimam ſyllabam eſſe brevem, & ideo ad *Venerem* eſſe referendam: *ſemireducta* vero Venus eſt, eo corporis ſtatu inclinata, ut capite paullulum prono, & ventre interius reducto, incurvetur, ſimulque laevam manum pubi opponat, ut ſolent puellae iſti parti timentes. *reducere*, enim & *recedere*, de omnibus illis dici ſolet, quae introrſus abeunt, ut contra *eminere*, *projici* &c. quae contrario ſitu ſunt. vid. ad Quinct. xi. Inſt. Orat. 3. ſic *reducere bracchia*, *cervicem* & ſimilia, de quibus etiam ad Quinctil. x. Inſt. 2. hinc *recedere* valles, in *theatri modum*, quae *curvae* & *cavae* ſunt, paſſim dicuntur. non multum diſſimilis ſtatus fuit Dianae nudae, ut ab Actaeone fuit conſpecta, quae *in latus obliquum adſtitit* iii. Met. 187. ſed apertius hanc Veneris pudibundae figuram contemplari poterit verecundus noſter interpres, niſi oculos violare recuſet, apud Pricaeum in notis ad Apulej. Apolog. pag. 92. ubi talis ſtatua exhibetur; & ad Ovidii verba expreſſior alia inter ſtatuas Urbis Romae a Schachio editas Num. xxviii. plures in Juſtinianae porticus monumentis exſtare dicuntur. Burm.

616. *Avertit.*] *Avertis* Regius unus. ſed tunc *tuos* legendum.

618. *Parſque ſub injecta veſte.*] *Superjectâ veſte*

Tunc quoque, cum ſolem nondum prohibebat & imbrem
Tegula, ſed quercus tecta cibumque dabat;
In nemore atque antris, non ſub Jove, juncta voluptas.
Tanta rudi populo cura pudoris erat.
At nunc nocturnis titulos imponimus actis:
Atque emitur magno nil, niſi poſſe loqui.
Scilicet excuties omnes ubicumque puellas,
Cuilibet ut dicas, Haec quoque noſtra fuit:
Ne deſint, quas tu digitis oſtendere poſſis;
Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.
Parva queror: fingunt quidam, quae vera negarent,
Et nulli non ſe concubuiſſe ferunt.
Corpora ſi nequeunt, quae poſſunt nomina tractant:
Famaque, non tacto corpore, crimen habet.

I nunc,

duo codices. de hoc loco actum à nobis Amor. I. El. IV. *Vs.* 48. HEINSIUS.

619. *Nubis.*] *Noctis* duo libri, & praeterea, *atque aliud luce* Vaticanus cum prima editione.

622. *Dabat.*] *Dabant* Patavinus & Francofurtenſis.

626. *Atque emitur magno.*] In Bernenſi uno erat, *atque emitur in nil*, quod quid ſibi velit, non exputo. an aliquis gloſſator hoc adſcripſerit, indicans mores ſui ſeculi, quo in atrio voluptates peragebantur, an aliud quid lateat neſcio. mihi vulgata ſatis placet, quae idem notat, quod illa apud Virgil. II. Aeneïd. 104.

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridae.

Ubi vide comment. BURMANNUS.

627. *Scilicet excuties.*] Hunc verſum & ſequentes tres interrogative atque ἐιρωνικῶς lego, exprobrandi ſive increpandi figura. Quaſi moneat Poëta minime hoc eſſe faciendum. In quarto autem verſu, ubi Merulae editio habet, *Nec quanquam attigeris*, ſequor Aldinam editionem, legoque:

Ut quamque attigeris, fabula turpis eris.

Quamquam neque illud diſpliceat, ſi quis legendum putet, *& quamquam attigeris*, pro & quamcumque. MYCILLUS. *Ubicunque puella eſt* prima editio cum multis ſcriptorum. Lege cum Comeliniano & quatuor aliis, *omnes ubicunque puellas.* Sic Amor. lib. III. El. X. 5.

Te dea munificam gentes ubicunque loquuntur.

Ubi vide. Virgilius lib. VII. 400.

——— *Tervumque repente*
Clamat, Iö matres audite ubicunque Latinae.

Statius Sylv. I. IV. 11.

— *Legeſque urbeſque ubicunque togatas*
Certent laetitiâ.

Et Theb. XI. 182.

Conveniant ubicunque nurus, matreſque Pelaſgae,
Longaevique patres. HEINSIUS. *excuties omnis vir quaeque puella.* Bernenſis unus.

629. *Nec deſint.*] *Ne* meliores. HEINSIUS. *Neu* margo Berſmanni.

631. *Quaedam.*] *Quidam* tres Berſmanni libri; & quidam editi. *etiam* Voſſii.

633. *Corpora ſi nequeunt, quae poſſunt nomina tangunt.*] *Tractant* unus Ambroſianus, & optimus Regius; pro *attrectant.* Pont. III. El. III.

Qualis in aëriae tergo ſolet eſſe columbae,
Tractantum multae quam tetigere manus.

Gratius Cynegetico 63:

— *illi aggeribus tentare ſuperbis*
Aethera, tum matres auſi tractare Deorum.

Ita locus vexatiſſimus ſcribendus, niſi *attrectare* mavis. HEINSIUS. *Tractant* vera & unica lectio eſt; de qua vide ad Petron. LXXXVI. *Corpore ſi n. quod p. nomine tangunt* editiones priores, Ald. Micyl. & Berſm. & ſcripti quatuor. poſſet etiam legi, *quâ poſſunt*, ut ſaepe alibi. vid. ad Epiſt. XIII. 41. BURMANNUS.

634. *Famaque, non facto crimine, crimen habet.*] Parum Latine, niſi fallimur. Bene in Palatino Gruteri, & antiquo Scaligeri:

Famaque, non tacto corpore, crimen habet.

DAN. HEINSIUS. *Non tacto corpore* ſcripti fere omnes cum primâ editione. quod omnino admittendum. bene igitur *tractant* pro *tangunt* ſuperiori verſu repoſuimus, ne bis eodem verbo odioſe utatur. HEINSIUS. Latinum ſatis eſſe *facere crimen* apparet ex Propert. IV. IV. 41. vid. & Salm. ad Lamprid. Commod. 7. Heinſium tamen ſequimur: nam hic pro admittere deberet capi.

636. *Et centum duris poſtibus adde ſeras.*] *Obde*

Re-

I nunc, claude fores, cuſtos odioſe, puellae;
Et centum duris poſtibus adde feras.
Quid tuti ſupereſt, cum nominis extat adulter;
Et credi, quod non contigit eſſe, cupit?
Nos etiam veros parce profitemur amores:
Tectaque ſunt ſolidâ myſtica furta fide.
Parcite praecipuè vitia exprobrare puellae,
Utile quae multis diſſimulaſſe fuit.
Nec ſuus Andromedae color eſt objectus ab illo,
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.
Omnibus Andromache viſa eſt ſpatioſior aequo:
Unus, qui modicam diceret, Hector erat.
Quod male fers, adſueſce; feres bene. multa vetuſtas
Lenit: at incipiens omnia ſentit amor.

Dum

Regius cum Scaligeri excerptis & aliis nonnullis. ſic & *obdere peſſulum foribus* apud Comicos. Prudentius Periſtephan. Paſſione Laurentii:

Qui templa claudat vectibus,
Valvas eburnas obſtruat,
Neſaſta damnet limina,
Obdens ahenos peſſulos.

Sic vetuſtiſſimus codex Puteanorum fratrum; non, *nefanda limina. obdere forem* infra lib. III. 587. ex antiquis codicibus:

Obde forem: & duro dicat tibi janitor ore,
Non potes: excluſum te quoque tanget amor.

Faſt. I. 281.

Pace fores obdo, ne qua diſcedere poſſit.

Pont. II. Eleg. II. 40.

Nec rigidam timidis vocibus obde forem.

Faſt. I. 555.

Proque domo longis ſpelunca receſſibus ingens
Obdita.

Ita veterrimus Vaticanus. vulgati, *Abdita. Nullique malo latus obdere apertum* Horatio. lib. I. Sat. 3. Reddenda & ea vox Propertio lib. II. Eleg. VI. 9. ad Cynthiam:

Anne ego tranſirem tua limina clauſa maritus,
Reſpiciens udis obdita luminibus?
Ah mea tum quales faceret tibi tibia ſomnos,
Tibia funeſta triſtior illa tuba!

Sic locus ille mendoſiſſimus conſtituendus. pro *obdita* vulgati nullo ſenſu, *perdita.* ſcripti, *prodita.* quod paulo ante praeceſſerat:

Quam poſſim nuptae prodere amore facem.

Ita enim illic reponi debere recte vidit Paſſeratius ex illo Virgiliano IV. Aeneïd. 431.

Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.

Tertio verſu cum vulgati agnoſcant, *caneret mea Cynthia cantus*, ſcripti omnes, *caneret mea tibia ſomnos*, repono, *faceret ſomnos*; quod id elegans & Latinum ſciam. Noſter alibi:

Et faciat ſomnos haec tibi cura breves.

Paulo poſt apud eundem loco vexatiſſimo ſcribendum:

Quod mea ſi tenerae comitarent caſtra puellae.

Sed jam ſatis eſt. HEINSIUS. Mirum eſt hic tantopere, *obdere ſeram* defendere virum illuſtrem, cum ad III. Amor. XIV. aeque operoſe, *apponere ſeram*, pro *opponere* tueatur. praeterea numero illi *centum* melius convenit *adde*: non unam ſeram, ſed adde centum ſeras duris foribus. deinde ad loci Propertiani emendationem vindicandam, non recte videtur adducere illa Noſtri ex III. Pont. I.

Et faciat ſomnos haec tibi cura breves.

Ibi enim non facit ſomnos cura, ſed contra aufert; & *facere breves* conjungendum. aptius eſt Plinii exemplum a Broukhuſio adductum, cui addas aliud ex Noſtro III. Faſt. 17.

Dum ſedet, umbroſae ſalices volucreſque canorae
Fecerunt ſomnos, & leve murmur aquae.

BURMANNUS.

637. *Ubi nominis.*] *Cum nominis* ſcripti, lib. I. Faſt. 383. *Quid tuti ſupereſt, animam cum ponat in aris.* HEINSIUS.

641. *Exprobrare puellis.*] *Puellae* multi ex ſcriptis. HEINSIUS. *Praeterea* multi editi.

642. *Utile quae multis.*] *Nam multis* Regius. alii, *quod.* prima editio, & decem ſcripti, *quam.* HEINSIUS.

647. *Multa.*] *Cuncta* Lincoln.

648. *Leniet: incipiens.*] Scribe cum uno Mediceo, *Lenit*, *at.* & ſic editiones nonullae. Regius & multi ex ſcriptis, *Lenit*, *&.* HEINSIUS.

Dum novus in viridi coaleſcit cortice ramus,
Concutiat tenerum quaelibet aura, cadet.
Mox eadem ventis, ſpatio durata, reſiſtet,
Firmaque adoptivas arbor habebit opes.
Eximit ipſa dies omnes è copore mendas:
Quodque fuit vitium, deſinit eſſe morâ.

Ferre

649. *Coaleſcit.*] Variant vehementer codices. *pubeſcit* Palatin. *calleſcit* tredecim *caleſcit* Aproſii. *dureſcit* unus Heinſii. *candeſcit* alius ſed (licet illud *pubeſcit* a libra.io vix proveniſſe videatur; eſt enim elegantiae reconditae nimis, quam ut illiterato in mentem venire poſſit. vid. ad 1. Art. 299.) vulgatam tamen praefero, quia propria in hac re vox eſt, Columella II cap. 8. *impetus aquarum prolait terram, nudatiſque radicibus gramina non patitur coaleſcere* de Arboribus cap. 27. *Veluti quandam legem ſanxerunt, eos tantum ſurculos coaleſcere, qui ſint cortice ac libro ac fructu conſimiles iis arboribus, quibus inſeruntur.* Sueton. Aug 92. *Palmam in compluvium deorum penatium tranſtulit, ubique coaleſcere magno opere curavit.* & ita paſſim. BURMANNUS.

650. *Aura.*] Servavit hic Poëta differentiam, quam inter *auram* & *ventum* conſtituunt Grammatici quod non fecit Statius, qui ſaepe pro violentiore vento, interdum etiam promiſcue hac voce abuſus deprehenditur. DOUZA. Recte quidem Douza, ſed & Propertius pro vehementiori vento poſuit. lib. 1. Eleg. 17.

Aſpice quam ſaevas increpet aura minas.

Ubi vide Paſſeratium, qui & ex Virgil. Ecl. IX. 58.

Ventoſi ceciderunt murmuris aurae,

notavit: nec ſemper Poëtae illas differentias, a Grammaticis notatas, obſervare ſolent. BURM.

651. *Mox etiam ventis.*] *Mox eadem* Regius pro diverſa lectione & quatuor alii. bene. Metam. XIV. 72.

Mox eadem Teucras fuerat merſura carinas.

HEINSIUS. *Reſiſtit* ſcripti plurimi & nonnulli editi.

652. *Firmaque adoptivas arbor habebit opes.*] Hunc locum interpretabor elegia De medicamine faciei. CIOFANUS.

653. *Omnes de corpore mendas.*] *E corpore* ſcripti. HEINSIUS. Citatur hic verſus a Chariſio lib. 1. Gramm. Inſt. pag. 55. & ab Eutyche. lib. II. de Diſcer. Conj. pag. 2174. & ab incerto de Orthographia pag. 2792. corp. Grammat. qui omnes habent *eximet*, ultimus etiam *ipſe dies*, Chariſius & incertus etiam, *de corpore*. Eutyches *ex.* in uno Heinſii totum exciderat diſtichon. in duobus, *exuit.* in alio, *auferat illa dies.* ego (licet *eximere vitia* etiam Quinctilianum lib. 1. Inſt. 1. in fine dixiſſe ſciam, puto tamen Naſonem ſcripſiſſe, *exigit.* Idem vitium inſederat Suetonio in Aug. XCIV. *Statim in corpore ejus exſtitiſſe maculam, velut depicti Draconis, nec potuiſſe umquam exigi.* Ita enim optimus Salmaſii codex, & probat Gronovius, cujus ibi vide notas. ſic & lib. 1. Met. 24. quidam codices, *caecoque exegit acervo.* vide etiam ad Horat. IV. Od. ult. Clar. Bentlejum. BURMANNUS.

655. *Recuſant.*] Elegans lectio Moreti codicis, *refutant*, de quo verbo Heinſ. ad Claud. 1. Eutrop. 91. ubi hunc Ovidii locum ita caſtigat. *repugnant* Bernenſ. etiam non male vid. ad Epiſt. XVII. 137. & II. Faſt. 387. *Hircorum terga* Bartholini codex. BURMANNUS.

656. *Aſſidue.*] *Aſſiduo* nonnulli. NAUGERIUS.

659. *Si paeta eſt, Veneri ſimilis, &c.*] Si paeta eſt, inquit, dicatur ſimilis Veneri eſſe. *Paetae* autem dicuntur, quae oculos habent obliquatos, & quaſi tranſverſum tuentes, quam rem puellae interim ultro affectant, dum videntes non videre videri volunt. Male autem legitur in quibusdam, *Si laeta eſt*, pro *paeta eſt.* MICYLLUS. Locus valde affectus. agit de vitioſis oculis Naſo. atqui paeti oculi parum vitioſi ſunt, quos in Venere tantopere commendatos fuiſſe conſtet ab ipſo Paride, egregio illo formarum ſpectatore. Noſter Remediis Amoris:

Paeta ſub Idaeo judice Cypris erat.

Hinc φιλομειδὴς Ἀφροδίτη paſſim Graecis poëtis. Sed nec flavi oculi vitioſi, imo in Pallade laudabantur. quare & γλαυκῶπις illa Homero aliiſque frequentiſſime dicta. Auctor Priapejorum, *Minervae flavo lumine eſt, Venus paeto.* quod in utraque illic pulchrum ducitur. Quid ergo? Τὸ *paeta* in membranis vetuſtioribus non comparet. pro quo *craſſa* plerique, vel *graſſa.* nonnulli & *laeta*, ſed ii recentiores. codex Regius omnium antiquiſſimus, *Si craſſa eſt Veneris ſimilis.* etiam mendoſe. Mihi dubium vix eſt Naſonem ſcripſiſſe, *Si qua ſtraba eſt, Veneri ſimilis.* ſubaudi *ſit*, quod ſequitur proximo pentametro. *Strabo* & *ſtrabus* dicebatur Latinis, quemadmodum Graecis στραβὸς καὶ στραβών. Nonius Marcellus, *Strabones ſunt ſtrabi, quos nunc dicimus.* Strabones cum paetis quoque conjunxit Horatius lib. 1. Sat. III.

At, pater ut gnati, ſic nos debemus amici,
Si quod ſit, vitium non faſtidire: ſtrabonem
Appellat paetum pater.

Nihil magis appoſitum conjecturae noſtrae adſtruendae in medium proferri poterat. ſed & pari modo Cicero, qui locus quoque ad rem facit, libro primo de Natura Deorum. *Naevus in arti-*

culo

Ferre novae nares taurorum terga recuſant:
Adſiduo domitas tempore fallit odor.
Nominibus mollire licet mala. fuſca vocetur,
Nigrior Illyricà cui pice ſanguis erit.
Si paeta eſt, Veneri ſimilis: ſi flava, Minervae.
Sit gracilis, macie quae male viva ſuâ eſt.

Dic

culo pueri delectat Alcaeum. at eſt corporis macula naevus. illi tamen hoc lumen videbatur. Redeo ad Deos. Ecquos? ſi non tam (lege *jam*) *ſtrabones, at paetulos eſſe arbitramur? ecquos naevum habere?* Plinius Hiſt. Natural. lib. XI. cap. XXXVII. *Uni animalium homini oculi depravantur. unde cognomina Strabonum & Paetorum.* Cognata ergo vitia paetorum ac ſtraborum oculorum, quorum tamen alterum ſit gratum, ingratum alterum. Nunc de Minerva videamus. pro *flava* prima editio cum ſex ſeptemve ſcriptis *parva. parva* etiam optimus Regius, & *flava* pro diverſa lectione. Arondelianus *flamma.* ſecundus Ambroſianus *prava.* proxime verum. eſt enim *rava* legendum. Feſtus, *Ravillae à ravis oculis. quemadmodum caeſullae à caeſiis.* Non diffiteor *flavam* paſſim Palladem à poëtis appellari: ſed tum capillus ejus innuitur. Eſt autem *color ravus*, ſi Feſto credimus, *inter flavum & caeſium.* ſic Horatio *leones* modo *caeſii* dicuntur, modo *ravi.* Vide quae notamus Amor. lib. I. El. XII. de hac voce. hinc *caeſii Palladis oculi* ſaepe occurrunt apud ſcriptores. Caeſii igitur & flavi oculi non tam vitioſi, quam vitioſis, hoc eſt, ravis, proximi, ac proinde etiam nonnunquam improbati. At feſtiviſſimus Anacreon Ode XXVIII. ad pictorem de Amica ſua, quam depingi volebat:

Τὸ δὲ βλέμμα νῦν ἀληθῶς
Ἀπὸ τοῦ πυρὸς πόιησον·
Ἅμα γλαυκὸν, ὡς Ἀθήνης,
Ἅμα δ' ὑγρὸν, ὡς Κυθήρης·

Apud Terentium Heautontim. Act. V. Sc. V.

So. *Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,*
Filiam Phanocratae noſtri. CL. *Rufamne illam virginem,*
Caeſiam, ſparſo ore, adunco Naſo? non poſſum pater.

Ceterum Palladis oculos nonnunquam improbatos eſſe ex Nonno patet Dionyſiac. libro primo:

Σοὶ γάμον, ἢν ἐθέλῃς, δωρήσομαι ἀγνὸν Ἀθήνης.
Εἰ δέ σοι οὐ γλαυκῶπις ἐπεύαδε δέχνυσο Λητώ·
Ἢ Χάριν, ἢ Κυθέρειαν, ἢ Ἄρτεμιν ἢ γάμον Ἥβης.

Propertius lib. 2. El. XXVIII. de Cynthia aegrotante:

An contempta tibi Junonis templa Pelasgae?
Palladis aut oculos auſa negare bonos?

Apud Hyginum quoque Pallas à Venere & Junone ridetur ob caeſios oculos. & apud Antonium Liberalem Fab. XV. Agron nigros ſororum oculos caeſiae Deae gratos irridens negat. Apud Lucianum Dialogis Deorum Vulcanus ad Jovem de Minerva, γλαυκῶπις μὲν ἀλλὰ κοσμεῖ καὶ τοῦτο ἡ κόρυς. apud eundem Paridis Judicio Venus Minervae, ἐπισείεις τὸν λόφον, καὶ τὸν δικάζην φοβεῖς; ἢ δέδεκε μή σοι ἐλέγχηται τὸ γλαυκὸν τῶν ὀμμάτων ἄνευ τοῦ φοβεροῦ βλεπόμενον; *Ravum* autem colorem contemptui objectum fuiſſe, hominesque *ravos* pro peſſimis habitos ex Feſti fragmentis diſcimus. ubi plura de hoc colore ad rem. *ravam* etiam *vocem* dictam fuiſſe ex illo conſtat, pro qua *raucam vocem* nunc in multis ſcriptorum locis legi eſt ſuſpicio. Confido verſum mendoſiſſimum noſtra induſtria jam bene ſe habere:

Si qua ſtraba, eſt Veneri ſimilis, ſi rava, Minervae.

Aut ſicui verſus paulo durior videtur, ut eſt revera, is licet reponat me non obnitente:

Si ſtraba, ſit Veneri ſimilis, ſi flava Minervae.

Quomodo Naſonem nobis reliquiſſe propemodum perſuadeor, ut credam. HEINSIUS. Approbat Heinſii correctionem Eruditiſſimus Bentlejus ad Horat. I. Sat. III. 47. niſi quod ſcabriorem paullo verſum hinc fieri putet, & refingi mallet:

Si ſtraba ſit, Veneri ſimilis, ſi rava, Minervae.

Sed verſum, quem Heinſius ex Remediis adducit:

Paeta ſub Idaeo judice Cypris erat.

Nondum repperi. unice vero confirmat Heinſianam emendationem locus Petronii cap. LXVIII. *Nam quod Strabonus eſt, non curo, ſicut Venus ſpectat.* ubi vide Schefferi notas. BURMANNUS.

660. *Sit gracilis, macie quae male viſa ſua eſt.*] Etiam hic haerent Critici, & cum libris variant. Alii enim, *male viſa*: alii, *male niſa.* Vera lectio eſt, *Sit gracilis, macie quae mala viſa ſua eſt.* Id eſt, *exhauſta.* Ita non raro Latini. Et Graeci. Theocritus Idyll. 4. Εὖγ', ὤνθρωπε φιλοῖφυ τόττοι γένος, ἢ Σατυρίσκοις Ἐγγύθεν, ἢ Πάνεσσι κακοκνάμοισιν ἐρίσδει. Ubi κακὸν, non eſt λάσιον, ut Interpres credit, ſed λεπτόν. Ergo κακόκναμοι, λεπτόποδες. Quid quod *mala* eſt deformis? quod non uno Plauti loco annotarunt eruditi. DAN. HEINSIUS. *Male niſa* Gulielmius legit veriſimilium lib. I. cap. XII. & Theodorus Marcilius ad Horatii Od. V. lib. I. *mala viſa* parens meus. quomodo Κακόκναμοι Πάνες pro λεπτόποδες apud Theocritum. eamque lectionem in tribus codicibus inveni.

Dic habilem, quaecumque brevis; quae turgida, plenam:
Et lateat vitium proximitate boni.

Nec

ſic *pes malus* apud Noſtrum, & *dens malus* pro pravo. Vulgatam lectionem tuetur Cl. Gevartius Electorum lib. III. cap. VI. unus Vaticanus & unus Palatinus, *male ſicca*. non inſcite, ut *male ſicca* opponatur *ſucci plena*. Sed quid moramur? optimus Regius, Sarravianus, & octo aut novem alii ex melioribus cum primâ editione, *male viva*. quo nihil verius. atque ita jampridem caſtigavit Salmaſius Notis ad Tertulliani Pallium ex Lucretii loco prorſus ſimili IV. 1160.

Ἰσχνὸν ἑρωμένιον tum fit, cum vivere non quit
Prae macie.

Neque aliter Lucilius, *vix vivum hominem ac monogrammon* dixit. Noſter Met. XV. 379.

Nec catulus, partu quem reddidit urſa recenti,
Sed male viva caro eſt.

Quanquam ſenſu paulum diverſo. Idemque jam ante Salmaſium ab aliis occupatum monuit clariſſimus Gevartius in Electis, lib. III. cap. 6. qui addit Douſam *male niſa* caſtigaſſe, quomodo Guilielmium & Marſilium legere jam monui. Porro Τὸ *Male viva* marginem Mycillianae ac Berſmannianae editionum jam dudum inſedit. Quae cum ita ſeſe habeant, miror exſtitiſſe nuper admodum Tanaquillum Fabrum, virum cetera eruditum & ingenioſum, ſed prae nimio ſui amore caligantem haud raro, quod ferendum utcunque eſſet, ſi haec *φιλαυτία* & immoderata ſui oſtentatio cum malignitate & contemptu alieno non conjungeretur. Hunc, inquam, Tanaquillum Fabrum miror in Epiſtolis nuper editis auſum affirmare, naevum in hoc ipſo, de quo nunc agimus, Naſoniano loco à nemine animadverſum, nedum ſublatum fuiſſe, cum vix alius in toto Naſone locus occurrat, qui ingenia noſtri temporis plura exercuerit, atque in ſe converterit, ut jam vidimus. nec monere id neglexit meus pater in editione ſua, qua ſe uſum eſſe Faber ipſe non diffitetur. Iſtud vero magis mirandum tam ſecure & confidenter Salmaſiana ſcrinia à Fabro compilari, & cum pulviſculo, quod ajunt, hoc eſt, cum Lucretiano loco, qui Naſoniani caſtigationem unice confirmet, corradi, atque in ſuccum & ſanguinem Epiſtolarum ſuarum converti. Sed non novum in illo id eſſe alibi uberius oſtendemus. Nunc ſe ultro offert Horatii locus ille ex Arte Poëtica ỳs. 101. *Ut ridentibus arrident, ita flentibus adſunt*, in quo *flentibus adſient* reponit. Id quod Theodorus Marcilius ſuis ad Horatium commentariis Lutetiae jampridem editis, & Michaël Piccartus Periculis Criticis diu ante illum obſervarant monuerantque. In tanta librorum copia atque ubertate, qua abundamus, fieri poſſe non nego, ut in mentem ſubinde ea nobis ignaris veniant, quae ab aliis ante nos jam ſint dicta. Sed humanitatis lex, & ipſae hae literae, quarum praecipuum condimentum innocentia candorque ac benignitas ſunt, poſtulant omnino, ne in altero inſectemur eum errorem, qui à nobis quoque aut commiſſus ſit, aut committi poſſit. Nam quod emendationes nonnullas, quae in Naſonis mei editione jam ante decennium publice legebantur, ſibi vindicavit, non ſum is ego, qui hominibus literatis parum in me permittam. Hoc quoque praeter morem meum eſt, quod nunc in hanc contentionis arenam deſcendo. Sed urit me, ut aperte tecum agam, Clariſſime Menagi, & male habet, quod hic ipſe Faber Epiſtola LXIX. à carpendo parente meo, viro nec male, ut ſcis, de litteris dum vixit merito, & nunc, quod rei caput eſt, è vivis ſublato, procacem & contumelioſum calamum haud continuit. Non quod eruditionis laudem illi detractum ivit: (atque utinam iviſſet! pateret enim ignominia, qua appetimur) ſed quod fidem ejus & ingenuitatem in diſcrimen vocat. Hanc tam atrocem injuriam niſi amoliar à ſepulchro optimi parentis, indignus profecto ſim, qui aliquo inter homines cordatos habear loco. Magno gentem mehercules veſtram ſtudio ſenex noſter à teneris eſt proſecutus. Teſtantur tot ſcripta ejus, Thuanis, Janiniis, Buſenvalliis, Maureriis, Scaligeris, Caſaubonis, aliis, partim dicata, horum partim laudes ore pleno praedicantia. Ejus vero tam profuſi affectus fructum hunc tulit, ut identidem à veſtris hominibus publice ſit laceratus, vixque ullum inter adverſarios ſuos numerarit, praeter unum Gaſperem Schioppium, qui Gallus non eſſet. Videlicet in formis etiam elegantiſſimis naevi nonnunquam apparent: & ſunt in humaniſſima gente ſui quoque Therſitae & Alaſtores. De Salmaſio non queror, qui cum nemini ſuorum temporum literato pepercerit, non magis quam ille Schioppius, quem inſignis maledicentia Zoilo quovis nobiliorem reddidit, nihil profecto rationis eſt, cur parentis mei cauſam potiorem ducam, quam ceterorum omnium, qui aetate noſtra claruere, quorum nemo virulentum ejus dentem evaſit. Nec queror de Joanne Croyo, qui non ſolum oblitus patriaeque patriſque Latini, ac communium ſtudiorum, ſed ordinis quoque ſui, homo Theologus ſenio confectum parentem meum nulla provocatus injuria petulantiſſime exagitarit. Audio enim illum à collegis ſuis officii admonitum, quibus facinus iſtud barbarum diſplicebat, reſipuiſſe. Poſſim alios proferre, quos miſſos facio, ne tibi ſim gravis. Atque haec vivo patri contigiſſe, ac proinde invidiae & obtrectationi expoſito, minus indignor. De Claudio Sarravio, & hoc ipſo Fabro nondum cicatricem vulnus duxiſſe fateor. Sed de Sarravio alibi videbimus, qui, cum Salmaſiani moris malignitatem ſatis

Nec quotus annus eat, nec quo ſit nata require
Conſule: quae rigidus munera Cenſor habet.

Prae-

tis haberet perſpectam, ut de ea moribundus etiam ſit conqueſtus, tam ſerviliter tamen ei obſecutus atque adulatus eſt in epiſtolis, ut ejus ſimultatibus, quas propemodum innumeras exercebat, immiſcere ſeſe, eaſque pro ſuis ducere haud ſit gravatus, Heinſiumque nunc miris laudibus extollat, (levitatem quaeſo in homine togato & Senatore non ferendam vide) nunc ſugillet ac contemptiſſime excipiat; calumniam quoque ei non unam aſpergat. Denique apud Heinſium totus ſit Heinſianus, Salmaſianus apud Salmaſium, hoc eſt, Heinſii obtrectator inſignis. Ignoſce, quaeſo, mi Menagi, ſi delicias iſtas patriciarum artium nos Batavi, quae ruſticitas eſt noſtra, non aſſequimur aut approbamus. Sed Sarravio peſſime conſultum ivere, qui epiſtolas iſtas divulgarunt, non ſublatis atque eraſis iis, quae integritatis famam in illo ipſo prorſus everterunt. Nam quam candide nobiscum egerit, & tu ex me olim intellexiſti, & ipſum facti indigniſſimi ante mortem puduiſſe non ignorant illi, qui eo uſi ſunt familiariter. Decreveram haec concoquere & diſſimulare in publico, ne cum larvis luctandum mihi eſſet, ſed quoniam per filium ejus id non licuit, dicentur ea alio loco & teſtimoniis ſuis confirmabuntur, quae extorſiſſe ſe mihi invito fortaſſe nolit. Nunc de Fabro videamus. Accuſat ille Heinſium in Epiſtolis, quod locum Horatianum ex Callimachi epigrammate expreſſum obſervarit, diſſimulata Scaligeri laude, qui id ipſum obſervaſſet jam ante, idque in Epiſtola ad Salmaſium exarata. Si conſuluiſſet primas Horatii Heinſiani editiones Faber, jam ſciret, extitiſſe publice eam Heinſii obſervationem, ante editam Scaligeri epiſtolam. Itaque probandum accuſatori fuerat, Scaligeri epiſtolam, cum necdum luci eſſet commiſſa, ab Heinſio perlectam fuiſſe: quod probabit nunquam. probandum etiam, Anthologiae Graecae partem ineditam, in qua Callimachi id exſtet epigramma, in manus Heinſianas nunquam deveniſſe; ejuſque notitiam Heinſio ex ſola Scaligeri epiſtola datam. Atqui norunt populares noſtri, Heinſium totis fere quinquaginta annis curam habuiſſe publicae Leidenſium bibliothecae. norunt in eadem bibliotheca aſſervari Anthologie ineditae exemplar. quem librum ab Heinſio diligenter perlectum fuiſſe manus ejus ſatis evincit, quae in ipſo codice paſſim apparet. Evincunt & poëmata ejus, in quibus multa paſſim occurrunt inſerta hujus Anthologiae à ſe Latinis donata verſibus. Jam vero imitatio Callimachi Horatiana adeo eſt aperta ac luculenta, ut qui Flaccum vel ſemel legerit, incideritque poſtea in hoc ipſum Callimachi epigramma, facillime deprehenſurus ſit tam manifeſtam imitationem. Neque dubium eſt, quin ante Heinſium hoc Turnebus, Lambinus, Torrentius, alii, quos jactat Faber, & qui Horatium ſuis commentariis illuſtravere viri eruditi, animadverſuri fuerint, ſi Callimachi epigramma in illorum manus incidiſſet. At vero, quando ſeverus adeo eſt Faber, ut Heinſium multa cum acerbitate vellicandum putet quod ignarus in eadem cum Scaligero conſpirarit obſervatione, de ſe viderit, qui Salmaſianas ad Pallium Tertulliani Notas ſibi perlectas eſſe diffiteri non poſſit, aut ſi diffiteatur, fidem ſe non inventurum ſat ſciat. Illud vero minime omnium ferendum, quod in eadem, qua Heinſium exagitat epiſtola, Horatiani alterius loci caſtigationem non ſolum ſibi ſit auſus vindicare, quam Marcilio & Piccarto deberi jam oſtendi, verum etiam, quod alterum neſcio quem hominem doctum furti accuſet, qui eundem Horatii locum à ſe quoque pari modo reſtitutum eſſe affirmarit. Nonnulla ſane Tanaquillus Faber feliciter in Naſone reſtituit, ſed quorum pars major partim à me in priore editione, partim ab aliis ſit occupata, in nonnullis lapſus & conjecturae falſus eſt: nec propterea illum inſectatus ſum. ſed ſilentio plerumque involvi, quae reprehenſionem merebantur; quae laude digna judicabam, praedicavi ingenue. Exuat mores iſtos feroculos Tanaquillus veſter, quos ipſe in diſcipulis credo ſuis, quo eſt ſupercilio, non ferret, ferulaque ac ſcutica debellandos ſibi proponeret. hoc ſi impetrare à ſe poteſt, nos ingenio ejus & ſtudio, quod rei literariae augendae dedicavit dedicabitque, favebimus inter primos atque applaudemus. Non ignorat penes me exſtare epiſtolam ſuam, in qua inclementer multa dicuntur in virum quendam doctiſſimum, cujus tamen amicum apud alios ſe ſit profeſſus: quae ſi proferatur in lucem, facile appareat, non ſolos ſcriptores antiquos eſſe, in quibus multum emendandum reſtet. me quidem amicum poſthac experiatur licet, ſi injuriam parenti meo illatam publice agnoſcat. & agnoſcet, niſi omnem prorſus candorem ejuravit. Haec copioſius praeter inſtitutum. Sed nec tute improbabis tam piae velitationis cauſam, ſi de paterna exiſtimatione agi memineris, Doctiſſime Menagi, cujus patrocinium ipſa naturae jura unice mihi commendent. nunc in Naſone pergamus. HEINSIUS. Vide & Heinſium ad Claud. Bell Getic. 437. & Douza codici ſuo adſcripſerat, *male viva*, & ex Lucilio probaverat quare Gevartium falli credam, cum dicat Douzam legere, *male niſa*, cum in lib. I. praecid. in Petron. cap. 14. *male viva* legat, adducto etiam Lucilii loco. BURMANNUS.

661. *Dic agilem, quaecunque brevis.*] *Habilem* in quibuſdam. NAUGERIUS. *Habilem* ſcripti cum primâ editione. etiam bene. lib. II. Amor. Eleg. IV.

Haec

Praecipuè, ſi flore caret, meliusque peractum
Tempus; & albentes jam legit illa comas.
Utilis, ô juvenes! aut haec, aut ſerior aetas.
Iſte feret ſegetes; iſte ſerendus ager.
Dum vires annique ſinunt, tolerate labores:
Jam veniet tacito curva ſenecta pede.
Aut mare remigiis, aut vomere findite terras;
Aut fera belligeras addite in arma manus:
Aut latus, & vires, operamque adferte puellis.
Hoc quoque militiae eſt: hoc quoque quaerit opes.
Adde, quod eſt illis operum prudentia major:
Solus &, artifices qui facit, uſus adeſt.
Illae munditiis annorum damna rependunt:
Et faciunt curâ, ne videantur anus.
Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.
Inveniat plures nulla tabella modos.

Illis

Haec habilis brevitate ſua eſt. HEINSIUS. Vid. ad II. Amor. IV. 17.

661. *Plenam.*] Vid. ad lib. I. 66.

664. *Conſule.*] *Sidere* unus Heinſii, quod an huic loco conveniat dubito.

664. *Munera Cenſor habet.*] *Quaerere cenſor* Neapolitanus. non male, niſi forte melius, *quae rigidus quaerere Cenſor amat. munia cenſor* margo Berſmanni. quae ſolemnis eſt confuſio: Gebhard. lib. I. Ant. 12. conjecerat, *munera Cenſor agit.* Gruterus *obit.* quaſi minus Latinum eſſet, *habere munus.* ſed ita & Cicero lib. II. de Legibus. 3. *Tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret ſedem ad diſputandum.* ſed & Latine dicitur *habeo quaerere*, ſi Neapolitani codicis ſcripturam ſequi libet. *habere* autem & *agere* paſſim confundi vidimus apud Naſonem, Vellejum & Quinctilian. BURMANNUS.

666. *Albentes jam ligat illa comas.*] *Legit* prima editio cum Jureti ac Scaligeri excerptis & aliis quibuſdam ſcriptis. At Regius cum potioribus, *leget.* recte. alii, *legat*, vel, *liget. legit*, evellendas ſcilicet. Phaedrus lib. II. Fab. 33.

Ambae videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem.

Hoc eſt, *evellere*, ut ipſe mox. HEINSIUS.

671. *Aut mare navigiis.*] *Remigiis*, & *terras* pro *terram* meliores ſcripti cum prima editione. HEINSIUS.

672. *Addite.*] *Vertite* codex Regius & duo alii. perperam. vid. ad lib. III. Amor. VIII. 48.

674. *Hoc quoque fecit opes.*] Iidem libri *quaerit ipes.* proprie. ſic Amor. lib. II. El. X. *Quaerat avarus opes.* & lib. III. El. VIII.

Jam male quaeſitas pulvere mutet opes.

Et paulo ante:

Quaeſitum eſt illi ſanguine, quicquid habet.

Pro acquiſitum. Faſt. II. 96.

Atque ita quaeſitas arte ferebat opes.

Scribe praeterea, *militiae eſt* cum Jureti excerptis. HEINSIUS. Sed *facere divitias* poſſet dici, ut *rem facere* apud Terent. Adel. II. 2. *facere pecunias* & ſimilia apud alios.

675. *Operum prudentia.*] Scio *opus* dici praecipue de Venere, ſed an *opera* plurali numero recte dicantur dubito. etſi tralationem a re caſtrenſi eſſe velit Broukhuſ. ad Tibul. I. X. 64. ego certe mallem, *rerum prudentia major:* ita paſſim veteres. Virgil. I Georg. 416.

Aut rerum fato prudentia major.

Perſius I.

Rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Gratius Cyneg. 427.

O rerum prudens, quantum experientia vulgo
Materiem largita boni.

Et hanc locutionem apud eumdem corruptam judicabat Heinſius vers. 333. ubi vulgo legitur:

Utrumque & prudens, & ſumptis impiger armis.

In margine enim notaverat ſibi legendum videri, *Rerumque & prudens.* & contra apud Silium lib. XV. 149. ubi vulgo legitur, *rerum comites*, ille malebat *operum comites.* ſed recte *rerum* vindicat Drakenborchius. ut autem *res* de bellis, ita & *res Veneris*, ut Remed. 431. & paſſim. BURMANNUS.

677. *Illae munditiis.*] Egregie & graviter Tertullianus lib. II. de cultu Feminarum. 9. *Contra ſi forma defecit, adminiculum nitoris quaſi de ſuo gratiam ſubplet. Aetates denique requietas jam, & in portum modeſtiae ſubductas ſplendor & dignitas cultus*

Illis ſentitur non irritata voluptas:
Quod juvet, ex aequo femina virque ferant:
Odi concubitus, qui non utrumque reſolvunt:
Hoc eſt, cur pueri tangar amore minus.
Odi quae praebet, quia ſit praebere neceſſe;
Siccaque de lanâ cogitat ipſa ſuâ.
Quae datur officio, non eſt mihi grata voluptas.
Officium faciat nulla puella mihi.
Me voces audire juvat ſua gaudia faſſas:
Utque morer memet, ſuſtineamque, roget.
Adſpiciam dominae victos amentis ocellos.
Langueat; & tangi ſe vetet illa diu.
Haec bona non primae tribuit natura juventae,
Quae cito poſt ſeptem luſtra venire ſolent.
Qui properant, nova muſta bibant. mihi fundat avitum
Conſulibus priſcis condita teſta merum.

Nec

sus avocant, & ſeveritatem appetitionibus inquietant. Compenſantibus ſcilicet habitus irritamentum pro frigore aetatis. ubi mallem, *compenſantibus ſcilicet habitus irritamento frigora aetatis.* pro *rependunt* hic Gebhardus in Antiq. Lect. II 9. ex MSS. *ſequuntur* profert, deinde tamen ex Commeliniano codice praefert, *repellunt.* ſed nullo jure. vid. ad I. Am. VIII. 80. BURM.

680. *Invenit plures.*] Prima editio cum tribus ſcriptis, *invenit &.* alii plerique, *inveniet.* unus ex meis, *inveniat*, quod amplector. HEINSIUS.

681. *Illis ſentitur non irritata voluptas.*] Alii, *illis ſentitur tractu irritata voluptas.* Merula, *tactu irritata*; nec attinet de his anxie diſputare. MICYLLUS. In duobus Heinſii erat, *tactu nutrita.* forte, *tractu nutrita.* ut idem fere notet, quod Ÿs. 718.

Sed ſenſim tarda prolicienda mora.

de *tractu*, licet paullum alia ſignificatione, vid. ad Quinct. v. Inſt. 8. & VI. 3. ubi & *tactu* alii legunt. *nutrit* autem ut lib. III. 579.

Quod datur ex facili longum male nutrit amorem.

Et Remed. 543.

Fit quoque longus amor, quem diſſidentia nutrit.
Sentitur dictum ut apud Martial. lib. XI. 61.
At Chione non ſentit opus.

Et Noſtrum III. 793.

Sentiat ex imis Venerem reſoluta medullis
Femina.

Et ſupr. 532. *non omni tempore ſenſus adeſt.* BURM.

682. *Quod juvat, ex aequo femina virque ferunt.*] *Juvet* & *ferant* ſcripti meliores, & ſequenti verſu 686. *utrumque reſolvunt*, pro *utrimque.* nec aliter prima editio. at Regius, *lubet*, pro *juvat.* HEINSIUS.

683. *Odi concubitus, qui non utrimque reſolvunt, Hoc eſt cur pueri tangar amore minus.*] Oſtendit poëta Noſter ſe τὸ παιδεραστεῖν ſecutum non eſſe: atque iccirco nonnullis, qui in litteris nomen habent, odio eſſe, deſpici & nihili fieri audio: contra alios poëtas amare & ſuſpicere. Praeclarum ſcilicet ingenium & judicium. CIOFANUS.

686. *Siccaque de lana cogitat ipſa ſua.*] Gruterus è Palatino annotaverat, *Hic quoque de lana cogitat ipſa ſua.* Quod non diſpliceat. DAN. HEINS. male, vid. ad Epiſt. XV. 134. melior certe eſſet lectio Francof. *ſic quoque de lana.* & modo etiam multi codices & quidam editi, *quia ſic praebere neceſſe eſt.* ſed nihil mutamus.

690. *Utque morer meme ſuſtineamque roget.*] *Memet* primo reponendum cum ſcriptis pleriſque & primâ editione. deinde Regius & quinque alii, *Atque.* unus meus, *Ubique.* Puto:

Quaeque morer memet ſuſtineamque rogent.

ut ad *voces* referatur. HEINSIUS.

694. *Quae cito poſt ſeptem.*] Si tam tarde bona illa veniunt, & poſt longum uſum, an illa cito venire recte dicantur videant acutiores. mihi ſemper hic verſus corruptus viſus fuit, nec juvant codices. forte *Quae niſi poſt ſeptem.* ut *niſi*, pro *non niſi* poſitum ſit. vide quae Gronov. ad Liv. XXXIV. 16. producit, licet in quibusdam exemplis diverſum cenſeat. BURMANNUS.

695. *Mihi fundat avitum Conſulibus priſcis condita teſta merum.*] In Faſtis lib. V. 517.

Quaeque puer quondam primis diffuderat annis,
Promit fumoſo condita vina cado.

Horatius Ode XXI. lib. III. carm. ad amphoram, quam in Corvini gratiam erat aperturus:

Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phoebo:
Et laedunt nudos prata novella pedes.
Scilicet Hermionen Helenae praeponere posses?
Et melior Gorge, quam sua mater, erat?
Ad Venerem quicumque voles attingere feram,
Si modo duraris, praemia digna feres.
Conscius ecce duos accepit lectus amantes:
Ad thalami clausas, Musa, resiste fores.
Sponte suâ, sine te, celeberrima verba loquentur:
Nec manus in lecto laeva jacebit iners.
Invenient digiti, quod agant in partibus illis,
In quibus occulte spicula figit Amor.
Fecit in Andromache prius hoc fortissimus Hector;
Nec solum bellis utilis ille fuit.
Fecit & in captâ Lyrnesside magnus Achilles,
Cum premeret mollem lassus ab hoste torum.
Illis te tangi manibus, Brisei, sinebas,
Imbutae Phrygiâ quae nece semper erant.

An

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu &c.
Tibullus Eleg. & lib. 1.
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, & Chio solvite vincla cado.
Vasa igitur vinaria, horum aut illorum consulum temporibus, quibus in eis vinum conderetur, signabantur. Ciofanus.

697. *Obsistere ventis.*] *Vento* plerique scripti. At Regius cum decem aliis *Phoebo.* optime. Atque ita in Observationibus doctissimus Gronovius lib. 1. cap. v. qui adeundus. Heinsius.

698. *Nudos.*] Sex codices, *teneros.* supr. 212.
Et tenero soleam deme vel adde pedi.
II. Amor. xv. 22.
Quodve tener digitus ferre recuset onus.
Sic inf. III. 624.
Et tenero blandas sub pede ferre notas. ex MSS. *Teneri* autem pedes hic sunt recentes, ut dicimus, *a teneris assuescere multum*, & a *teneris unguiculis.* & sup. v. 650. *tener ramus.* Heinsius.

701. *At Venerem quicunque voles attingere feram.*] *Ad Venerem* scripti meliores. Plautus Mercat. Act. 1. Sc. 1.
—— *Hoc ideo fit, quia*
Quae nihil attingunt ad rem, nec sunt usui, haec
Amator profert saepe adverso tempore. Heinsius.

705. *Sine te.*] *Sine me* Francof. & Moreti cum prima editione: ut sensus sit, etsi ego nihil praecipiam: sed rectius ad Musam Magistram sermo fit. deinde malim, *verba sequentur*, sponte profluent, ita *sua verba sequi* saepe dixit, vide loca ab Heinsio adducta ad Epist. XVII. 251. *Sequi* etiam & *loqui* passim confuderunt Librarii. *celeberrima* interpretatur Douza *publica*, ut dixit lib. III. Amor. 7. non nego. sed addo simul notare saepe repetita, vid. ad III. Amor. v. 3. Burmannus.

707. *Invenient digiti quid agant.*] *Quod agant* cum Regio, aliis quibusdam scriptis, ac prima editione. similiter initio lib. III. Fast. reponendum:
—— *Invenies, & quod inermis agas.* Heinsius.
Lib. x. Met. 372. *Et quod agat non invenit.*

708. *Spicula tingit amor.*] *Tangit* multi ex scriptis. sed placet cum Jureti excerptis & quinque aliis *figit* legi. Heinsius. *Tendit* unus Heinsii. *fingit* Aprosii.

710. *Non solum bellis.*] *Nec solum* scripti. Heins.

711. *Magnus.*] *Fortis* Aprosii & duo alii, quod perpetuum fere Achillis Epitheton. vid. Ep. XIII. 137. & 1. Am. IX. 33. ubi similis varietas: sed praecessit, *fortissimus Hector.* Burm.

712. *Lapsus.*] Rectius in libris scriptis, *lassus.* Ciofanus.

715. *An fuit.*] *Nam fuit* Bernensis. *ha fuit* unus Heinsii.

718. *Tarda perficienda mora.*] Scripti fere omnes cum primâ editione, *projicienda.* unus Regius, *prospicienda.* tres *proficienda.* Unde arduum non fuit conjectare, *prolicienda.* quod unus Patavinus confirmat. Statius Theb. IV. 607.
—— *Non ille ad sanguinis haustus*
Cetera ceu pubes, aliumve accedit ad imbrem
Immortale odium spirans. sed prolicit ultro
Aonius vates.
Ita scribendum, cum in veterrimis codicibus legatur, *proligit.* vulgati, *prosilit.* Apud Plautum Curculione

An fuit hoc ipſum, quod te, laſciva, juvaret,
Ad tua victrices membra venire manus?
Crede mihi, non eſt Veneris properanda voluptas;
Sed ſenſim tardâ prolicienda morâ.
Cum loca repereris, quae tangi femina gaudet;
Non obſtet, tangas quo minus illa, pudor.
Adſpicies oculos tremulo fulgore micantes,
Ut ſol à liquidâ ſaepe refulget aquâ.
Accedent queſtus, accedet amabile murmur,
Et dulces gemitus, aptaque verba loco.
Sed neque tu dominam velis majoribus uſus
Deſine; nec curſus anteat illa tuos.
Ad metam properate ſimul. tum plena voluptas;
Cum pariter victi femina virque jacent.
Hic tibi ſervandus tenor eſt, cum libera dantur
Otia; furtivum nec timor urguet opus.
Cum mora non tuta eſt; totis incumbere remis
Utile, & admiſſo ſubdere calcar equo.

Finis

culione I. II. 2. merobiba anus illa de vino:

Ejus odor cupidam huc me per tenebras prolicit foras.

Sic *prolectare* in Faſtis lib. IV. ℣s. 433. ex antiquis codicibus. ubi plura. ſic *allicere* & *elicere* ſupra 152.

Dulcibus eſt verbis alliciendus amor.

Et mox 444.

Acribus eſt ſtimulis eliciendus amor.

Et lib. III. 510.

Comibus eſt oculis alliciendus amor.

Hinc *electare* & *allectare*. quomodo & *illectare* ab *illicere*, & *pellectare* à *pellicere*. HEINSIUS. *Projicere* Scioppius lib. III. Suſpect. Lect. cap. 20. docet a Cicerone & aliis poni pro augeri & increbreſcere: ſed huic loco non congruit. *perficere* vero in hac re etiam proprium eſſe verbum docuit Erhard. ad Petron. LXXXVII. BURMANNUS.

719. *Cum loca reppereris.*] Ex hoc loco notandum *repperi*, & ea tempora, quae à praeterito deducuntur, per duplex *pp.* ſcribi debere. quod à pleriſque viris doctis ignorari video. CIOFANUS. Exploſa dudum haec ſuperſtitio, & ſyllabam *re*, longam eſſe, licet non geminentur conſonantes, conſtat. vid. ad I. Amor. VII. 62. BURM.

722. *A liquidâ.*] *In liquidâ* editiones priores & nonnulli ſcripti: *ut ſolet in liquidâ ſaepe reſurget aqua* Bernenſ. *ad liquidas aquas* Regius. *a liquidis aquis* Palat.

723. *Accedant queſtus, accedat.*] *Accedent, accedet* ſcripti meliores. HEINSIUS.

724. *Verba joco.*] Optime è Palatino notaverat Gruterus:

Et dulces gemitus, aptaque verba loco.

DAN. HEINS. *Loco* etiam Bernenſis & quinque alii.

735. *Sed neque tu dominam velis majoribus uſus Deſere.*] *Deſine* ſcripti cum primâ editione conſtanter, praeter codicem Arondelianum, & tres quatuorve alios recentioris notae. Met. III. 478.

Quo fugis? oro, mane. nec me, crudelis, amantem Deſine, clamavit.

Quomodo illic ſcripti. lib. VI. 215.

Deſine, Phoebus ait, (poenae mora longa) querelas.

Ita & ibi ex veſtigiis optimorum codicum reponendum. lib. VII. 855.

Neu me morte ſua ſceleratum deſinat oro.

Pont. lib. II. El. VII.

Coepta tene quaeſo, nec in aequore deſine navem.

Lib. IV. El. VIII.

Sed dare materiam nobis, quam carmina mavis: Nec tamen ex toto deſinere illa potes.

Quomodo tribus illis locis nonnulla exemplaria probae notae. Virgilius Ecl. VIII.

Deſine Maenalios mecum mea tibia verſus.

& Ecl. V. 19. *Deſine plura puer.* Silius lib. XII. 725.

Cede Deis tandem, & Titania deſine bella.

Ita Ciceronem, Suetonium, Gellium quoque locutos alii jam monuerunt. Apulejus lib. V. Met. *Lugubres voces deſinite & diutinis lacrymis madentes genas ſiccate.* Val. Flacc. IV. 635.

Deſinite amplexus, propiuſque accedite dextrae.

Sed ibi ſcribendum eſt, *Dem ſinite amplexus.* HEINS.

727. *Plena voluptas.*] Vide ad Petronii cap. LXXXVI.

729. *Hic tibi ſervandus tenor eſt.*] *Verſandus* ſcripti potiores cum primâ editione. HEINSIUS.

731. *Remis.*] *Velis* Ambroſ. & Francof.

Finis adeſt operi. palmam date, grata juventus;
Sertaque odoratae myrtea ferte comae.
Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi;
Aeacides dextrâ; pectore Neſtor erat:
Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis,
Automedon curru, tantus amator ego.
Me vatem celebrate, viri, mihi dicite laudes:
Cantetur toto nomen in orbe meum.
Arma dedi vobis: dederat Vulcanus Achilli.
Vincite muneribus, vicit ut ille, datis.
Sed quicumque meo ſuperarit Amazona ferro,
Inſcribat ſpoliis, Naſo magiſter erat.
Ecce rogant tenerae, ſibi dem praecepta, puellae.
Vos eritis chartae proxima cura meae.

733. *Operi.*] *Operis* editio prima. *laeta juventus* Neap. & ſex alii. *tota* unus. *Graja* Voſſian. *Finis ineſt* etiam Neapol. Vatic. & Palat.

735. *Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi, &c.*] Haec omnia ex Homeri Iliade translata ſunt: quare ſi qua hic in commentariis deſiderantur, ea ex origine ac fontibus ſuis petantur. Micyllus.

735. *Podalirius.*] Vide Scholia in lib. II. de Remedio. Ciofanus. *Epidaurius* Vaticanus.

735. *Arte medendi.*] Malim, *arte medenti.* pro *arte medicâ.* ſic & lib. VII. Met. 526. ſcribo, *pugnatum eſt arte medenti.* & lib. XV. 628. ex veteri libro:

——— *Poſtquam mortalia cernunt*
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentes.

Ut *verba medentia* apud Statium. Heinsius. Non probo: nam ita *ars nandi* II. Triſt. 486. *artes amandi* ſupr. lib. I. ꝟs. I. & ſimilia.

742. *Vincite muneribus.*] Id eſt per munera, & virtutem munerum vobis a me datorum, ut Achilles olim ope armorum a Vulcano donatus, victor evaſit ab Hectore, quem interfecit. Douza.

744. *Spoliis.*] *Foliis* plurimi ſcripti. eadem varietas lib. III. 812. *inſcribant* etiam unus Heinſii.

P. OVIDII NASONIS ARTIS AMATORIAE LIBER TERTIUS.

ARma dedi Danais in Amazonas. arma ſuperſunt,
Quae tibi dem, & turmae, Pentheſilêa, tuae.
Ite in bella pares: vincant, quibus alma Dione
Faverit, &, toto qui volat orbe, Puer.
Non erat armatis aequum concurrere nudas:
Sic etiam vobis vincere turpe, viri.
Dixerit è multis aliquis, Quid virus in anguem
Adjicis? & rabidae tradis ovile lupae?

Par-

1. *Prima dedi Danais.*] *Arma dedi* reponatur cum ſcriptis & prima editione. HEINSIUS.

2. *Quae tibi dem & turbae.*] Haud paulo venuſtius eſt, quod ex antiquo codice in libro ſuo annotaverat Scaliger:

Quae tibi dem & turmae, Pentheſilea, tuae.

DAN. HEINSIUS. *Turmae* rectius in Regio, Scaligeri excerptis, & octo aliis. praeliabantur enim Amazones, ut plurimum, equis; & Lyſias Rhetor, dicit poſt hominum memoriam Amazonas primas equos conſcendiſſe. Pont. IV. El. x.

Et tu foemineae Thermodon cognite turmae.

Propertius III. XII. 15.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
Thermodontiacâ turma lavatur aquâ.

Statius Sylv. I. VI. 55.

Credas ad Tanaïn ferumque Phaſin
Thermodontiacas calere turmas.

Claudianus Rapt. Proſ. lib. II. 65.

Qualis Amazonidum peltis exſultat aduncis:
Flava cohors: quoties Arctlon populata virago
Hippolyte niveas ducit poſt praelia turmas,

Theb. XII. 636.

Iſſet & Arctoas Cadmea ad moenia ducens
Hippolyte turmas.

Val. Flaccus de Amazonibus lib. IV. 607.

——— *Ludo volitans cum turma ſuperbo*
Pulvereis exſultat equis.

Turma autem pro *turba* ſaepe poëtae utuntur. de quo alibi plura dicentur. HEINS. *Turmae* etiam Zinzerl. Promul. c. XVIII. *Quae modo dem turbae* Vatican. unus.

7. *Quid virus in angues.*] *In anguem* prima editio, cum quinque ſcriptis. HEINSIUS.

8. *Rapidis tradis ovile lupis.*] Alii, *rabidis lupis*, ſed prima editio, Regius, Arondelianus, & quatuor alii, *rabidae lupae*. bene. de foeminis enim agitur. infr ℣s. 419.

Ad multas lupa tendit oves praedetur ut unam.

Avien. Fab. I. *rabido quod foret eſca lupo.* Prudentius Pſychomach. *rabidorum more luporum Crimina perſultant.* Idem Cathem.

Impavidas lupus inter oves
Triſtis ſcambulat, & rabidum
Sanguinis immemor os cohibet.

Parcite paucarum diffundere crimen in omnes.
Spectetur meritis quaeque puella suis.
Si minor Atrides Helenen, Helenesque sororem
Quo premat Atrides crimine major habet;
Si scelere Oeclides Talaionidae Eriphyles
Vivus & in vivis ad Styga venit equis;
Est pia Penelope, lustris errante duobus,
Et totidem lustris bella gerente viro.
Respice Phyllaciden: & quae comes isse marito
Fertur; & ante annos occubuisse suos.
Fata Pheretiadae conjux Pagasaea redemit:
Proque sui est uxor funere lata viri.
Accipe me, Capaneu; cineres miscebimur, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.

Ipsa

Sed & *rapax lupus* Nostro Trist. IV. El. I. HEINS. vid. ad Epist. X. 96. *credis ovile* Bernensis.

9. *Diffundere.*] *Dispergere* unus Heinsii.

13. *Talaonidae.*] *Talaionidae* scribendum est, ut docuit Gronov. ad Stat. II. Theb. 141. ubi *Talaïonides* Adrastus dicitur. Eriphyle vero, filia Talai, Biantis filii, & Adrasti soror. male Merula *Talaona* vocat, & *Talaconem* Crispinus, multo imperitius. BURMANNUS.

14. *Vivus & in vivis.*] Expressit hic Ovidius Euripiden in supplicibus. 925.

Καὶ μὴν τὸν Οἰκλέους γὲ γενναῖον τόκον,
Θεοὶ ζῶντ' ἀναρπάσαντες εἰς μυχοὺς χθονοὺς,
Αὐτοῖς τεθρίπποις, ἐνλογοῦσιν ἐμφανῶς.

Ut ibi notare non neglexit Barnesius, & ex Pindaro defluxisse ad Euripiden monuit. BURMANNUS.

15. *Est pia.*] *At* pia duo libri. *ast* tres.

17. *Respice Phyladicen, & quae comes isse marito Fertur, & ante annos occubuisse suos.*] Merula variè exponit hunc locum, post Laodamiam etiam Didonis historiam huc accommodans. Sed ego simpliciter de Protesilao & Laodamia uxore ejus totum distichon accipio, ut sit ordo & sensus: Respice Phylacidem, id est Protesilaum, & eam scilicet, quae dicitur comes isse marito, & ante legitimum tempus mortua esse, hoc est Laodamiam. Haec enim à quibusdam traditur, cum Protesilaus commeatum ab inferis redeundi ad uxorem in unum diem impetrasset, abeuntem virum prosecuta esse, vitamque cum morte, illius gratia, commutasse. Cujus rei & Lucianus meminit in dialogis Inferorum, & Higynus in fabulis. Sed hic tamen nonnihil variat, illud addens, Laodamiam cum desiderium viri tolerare non posset, effigiem Protesilai aeream fecisse, ac in thalamo positam, simulatione sacrorum colere coepisse. Quod cum pater resciviisset, jussisse illam in pyram conjici, & comburi. Laodamiam autem doloris impatientem, in eandem pyram se conjeciisse, atque ita viri mortem consecutam. MICYLLUS.

20. *Proque sui.*] Variant admodum codices. quidam, *proque viro est uxor funere lata viri.* alii, *proque viro est uxor funere laeta mori* vel *passa mori. proque viro est uxor funere lecta mori.* Bernens. sed omnium maxime arridet Francof. codicis lectio:

Proque suo est uxor funera passa viro. BURM.

21. *Cineres miscebimus inquit.*] Scribo, *miscebimur.* In obitum Drusi 163.

Miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa.

Propertius libro III. Eleg. IV.

Victor cum victis pariter miscebitur umbris.

Anacreon:

Ὀλίγη δὲ κεισόμεθα
Κόνις ὀστέων λυθέντων·

In veteri Epigrammate:

——— Ἐν δ' Ἀχέροντι
Ὀστέα καὶ σποδιὴ πάρθενε κεισόμεθα. HEINSIUS.

22. *Iphias.*] Vide Observ. in lib. V. Trist. eleg. ultima. CIOFANUS. vid. ad Epiced. Drusi. 321.

24. *Nec mirum, populo si placet ipsa suo.*] *Non* & *illa* scripti cum prima editione. & sequenti versu, *Nec tamen.* HEINSIUS. Vid. ad Epist. XVI. 24. *si favet* editi olim & scripti Naugerii, & duo alii, & probat Berstmannus.

25. *Hae mentes nostra poscuntur ab arte.*] In undecim libris erat, *pascuntur*; in uno, *nascuntur.* quod non ineptum. ut sit sensus, illud consilium moriendi pro viris, non ex nostra arte vel praeceptis oritur: non enim tam grandia trado praecepta, sed ut fine suo & modo amare discant. Ita Suet. Calig. 15. *Unde percussoribus natum consilium.* Cicer. XVII. ad Famil. 22. *ut mihi nascatur Epistolae argumentum.* & ita nescio, an *nascenda caepta* apud Silium lib. IV. 724. facile repudiari debeant. Sic & *pasci* & *nasci* confunduntur apud Nemes. Ecl. I. 75.

Namque prius Siculis Phocae nascentur in arvis.

Ubi

Ipsa quoque & cultu est & nomine femina Virtus.
Non mirum, populo si favet illa suo.
Nec tamen hae mentes nostrâ poscuntur ab arte,
Conveniunt cymbae vela minora meae.
Nil, nisi lascivi per me discuntur amores:
Femina praecipiam quo sit amanda modo.
Femina nec flammas, nec saevos discutit arcus,
Parcius haec video tela nocere viris.
Saepe viri fallunt; tenerae non saepe puellae:
Paucaque, si quaeras, crimina fraudis habent.
Phasida, jam matrem, fallax dimisit Iäson:
Venit in Aesonios altera nupta sinus.
Quantum in te Theseu, volucres Ariadna marinas
Pavit, in ignoto sola relicta loco.

Quaere,

Ubi Barthius & Vlitius *pascentur* praeferunt. nuper vir quidam doctus Bibliothecae Anglicae Tom. I. part. I. cap. 7. multis quoque efficere conatus est, in versu illo Virgilii ex Eclog. IV. 42.

Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Legendum esse, *nascentes agnos.* rationes ut omnes referam, non fert harum notarum ratio. sed mihi nihil mutandum videtur: cum quia Plinius, tam parum remotus ab aetate Maronis, firmat vulgatam lectionem, tum quia sensus omnino id postulat. non agam de sandyce, an herba, an metallum fuerit: parum enim refert, cum constet apud Maronem de succo quodam capi, quo tingi possunt vellera. jam vero mira, quae nascente Salonino contingent, recensens, cum antea dixisset:

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

Ostendit, illa miracula non debere fieri nascentibus animalibus, tunc enim ex caussis naturalibus illa eveniisse potuissent videri, ut saepe casu, & etiam arte varii animalia coloris nascuntur: sed cum nata essent sui coloris, in pratis inter pascendum vellera illa ita subito apparitura fingit tincta purpureo, & luteo colore, ut postea non opus fuerit lanas illas alio succo tingere ad vestes faciendas. deinde addit:

Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Succus Sandicis (sive herba, sive metallum fuerit) jam etiam, nascente Pollionis filio, lanas agnorum pascentium inficiet, & efficiet ut etiam, dum pascuntur, vestiti videantur sandyce. respondet ergo τὸ *pascentes*, praecedentibus in *pratis*, ubi nulla fraudis suspicio, nulla naturalis caussa hujus miraculi potest praetexi. quod nascentibus in stabulis fieri posset. Praeter haec firmat vulgatam lectionem Claudiani aperta imitatio lib. I. in Rufin. 386.

Stagnantia passim
Vina fluunt, oleique lacus. nec murice tinctis
Vellеribus quaeretur honos: sed sponte rubebunt
Attonito pastore greges.

Ubi *greges* sunt pascentes oves & agni, quibus rubentibus subito & sponte pastor obstupescet. haec latius exsequi nunc non vacat. credideram olim simili mendo inquinata illa verba Senecae Epist. LXXIX. *In Lycia regio notissima est, Ephestion incolae vocant, perforatum pluribus locis solum, quod sine ullo nascentium damno ignis innoxius circuit.* ubi *pascentium* tentabam, sed recte ex sequentibus docebat vir Ampl. Cuperus in epistola ad me data, *nascentia*, hic herbas & plantas posse notare. apud Avienum quoque Orbis Descriptione vers 1020. pro:

Saevo pascuntur pectora bello.

In MSS. *nascuntur* deprehenditur, quod tamen minime ibi recipiendum puto, propter ea quae Heinsius adnotat ad lib. III. Amor. VIII. 10. BURMANNUS.

26. *Conveniunt.*] Propert. III. VII. 4.

Non sunt apta meae grandia vela rati. DOUZA.

28. *Femina praecipio.*] *Praecipiam* potiores scripti. HEINSIUS.

29. *Excutit arcus.*] *Discutit* prima editio cum plerisque membranis. etiam Regio; nisi quod ille pro diversa lectione *effugit*, quod & in multis aliis *inveni*. HEINSIUS. *Defugit* Aprosii.

30. *Haec video.*] Malim, *videas.* HEINSIUS.

32. *Paucaque, si quaeras, crimina fraudis habent.*] *Parcaque* Sarravianus. Lego:

Raraque, si quaeras, crimina fraudis habet.

In Nuce 24.

Raraque in hoc aevo est, quae velit esse parens.

Certe unus Palatinus, *habet.* HEINSIUS.

33. *Phasiadem matrem.*] *Phasideam* Regius cum multis aliis. Sed verum est, quod prima editio & tres scripti agnoscunt, *Phasida jam matrem.* Ep. XVI. 345.

Phasida

Quaere, novem cur iſſe vias dicatur; & audi
Depoſitis ſilvas Phyllida fleſſe comis.
At famam pietatis habet; tamen hoſpes & enſem
Praebuit, & cauſſam mortis, Eliſſa, tuae.
Quid vos perdiderit, dicam? neſciſtis amare.
Defuit ars vobis. arte perennat amor.
Nunc quoque neſcirent: ſed me Cytherêa docere
Juſſit: & ante oculos conſtitit ipſa meos.
Tum mihi, Quid miſerae, dixit, meruere puellae?
Traditur armatis vulgus inerme viris.

Illos

Phaſida puppe novâ vexit Pagaſaeus Iäſon.

Epiſt. XIX. 176.

Ut ſemel intravit Colchos Pagaſaeus Iäſon,
Impoſitam celeri Phaſida puppe tulit.

Faſt. II. 42.

Credulus immeritâ Phaſida fovit ope.

Phaſides aves apud Martialem lib. XIII. 45. Regius etiam *Jaſo.* dictum Amor. l. II. El. XIV. HEINSIUS. Recte Heinſius *jam matrem*: id eſt, quae jam pepererat, cum ſit aptiſſimum conjugii vinculum proles, & uxor duci ſoleat ſobolis creandae cauſſa. eleganter Claudian. I. in Eutrop. 72.

Femina cum ſenuit, retinet connubia partu,
Uxoriſque decus matris reverentia penſat.

elegans illius particulae *jam* uſus. Ita *non jam pater* lib. II. 93. Liv. VIII. I. *Jam conſules erant C. Plautius L. Aemilius, cum nuntii venerunt.* IX. 94. *Jam Sora capta erat, cum conſules advenere.* BURMANNUS.

34. *Altera nupta ſinus.*] Vel *toros* Regius. Emenda in tranſcurſu locum Propertii valde depravatum. lib. II. El. XXI. ubi de hac ipſa Creuſa agit:

Colchida ſic hoſpes quondam decepit Iäſon,
Ejecta eſt. tenuit namque Creüſa domum.

Poſteriorem verſum quis non videt corruptum eſſe? quomodo enim tenuiſſe domum Jaſonis dici poteſt, quae ipſo nuptiarum die conflagrarit? ſcripti plerique *tenuis domo*, vel *tenui*. Scribe:

Lecta Creonteâ eſt namque Creüſa domo.

Creon enim *Creüſae* pater. Nos in noſtris ad Propertium notis eam caſtigationem pluribus adſtruemus. HEINSIUS. ex illo Propertii loco, forte librarius codicis Politiani hic quoque *decepit Iäſon* ſcripſit.

35. *Quantum ad te Theſeu.*] *In te* ſcripti & prima editio. HEINSIUS. *ad te* olim editi. *ad Theſeum* duo. ſed recte Heinſius: ita ſaepe Valerius Maximus lib. IV. cap. VII. 6. *Quantum in illo fuit, & ipſe exſtinctus eſt, & D. Brutus periculum mortis evaſit.* & cap. VIII. 3. *quantum in ipſo fuit, &c.* lib. V. cap. I. exter. *quantum in ipſo fuit.* & alibi. BURMANNUS.

35. *Ariadna.*] In MS. Bernenſi *Adriana* legitur, quam ſibi notiorem Monachus quidam ſuppoſuit. ita *Johanna* Propertio inſerta. de qua vide Broukhuſ. ad lib. III. XI. 10. ſic in codice Voſſiano Martialis lib. V. 35. repperi pro *Flaccilla*, *Francinam*, certe Monachi alicujus concubinam. BURMANNUS.

37. *Quaere, novem cur iſſe vices dicatur, & audi.*] Nonnulli *vias*, non *vices* legunt, moti fortaſſe Ovidii verſu:

Et per quod novies, ſaepius iſſet iter. NAUGERIUS. Ita in Aldinis legitur. Merula variat: legit enim, *Quaere novem vicibus cur una feratur, & audi, &c.* quae lectio eandem quidem cum ſuperiore ſententiam conſtituit, ſed prior elegantior ac planior videtur. Porro quod ad fabulam attinet, apud Higynum in hunc modum legitur: Demophoon Theſei filius in Thraciam ad Phylliden in hoſpitium dicitur veniſſe, & ab ea amatus eſſe. Qui cum in patriam vellet redire, fidem ei dedit, ſe ad eam rediturum. Qui die conſtituta cum non veniſſet, illa eo die dicitur novies ad littus cucurriſſe, quod ex eo enneodos graece appellatur. Phyllis autem ob deſiderium Demophoontis ſpiritum emiſit. Cui parentes cum ſepulchrum conſtituiſſent, arbores ibi ſunt natae, quae certo tempore Phyllidis mortem lugent, quo folia areſcunt & defluunt. cujus ex nomine folia graecè φύλλα ſunt appellata. haec Higynus. Fuit autem locus in Thracia, circa Amphipolim, ut Favorinus tradit, ἐννέοδος, ſive ἐννέα ὁδοί. Hinc fabulae data occaſio. MICYLLUS. *Quaere novem cur iſſe vias dicatur* ex ſuis libris caſtigavit ad Claudianum Janus Parrhaſius lib. I. Rapt. 135. Regius, *cur una vices dicantur.* & emendatum poſtea, *cur una vices iter iſſet.* quomodo plurimi ex ſcriptis. tres, *cur una vices iteraſſet.* unus, *cur una vices ſic iſſet.* prima editio cum ſex ſcriptis, *quaere novem vicibus cur una feratur.* unus, *cur una vices feratur.* alius, *Quaere novem vices cur una ter iſſet.* ſed ſolus codex Regius hic audiendus: qui nobis inter tantas fluctuationes

Illos artifices gemini fecere libelli:
Haec quoque pars monitis erudienda tuis.
Probra Therapnaeae qui dixerat ante maritae,
Mox cecinit laudes proſperiore lyrâ.
Si bene te novi, cultas ne laede puellas;
Gratia, dum vives, iſta petenda tibi.
Dixit: & è myrto (myrto nam vincta capillos
Conſtiterat) folium granaque pauca dedit.
Senſimus acceptis numen quoque. purior aether
Fulſit, & è toto pectore ceſſit onus.

Dum

ctuationes Cynoſura eſt. Ejus veſtigiis inſiſtens, levi mutatione genuinam. niſi fallor, lectionem habebis, ſi pro his, *vices dicantur*, reponas, *Quaere novem cur una viae dicatur*: vel *dicantur*. cur novem viae appellentur, quae una eſt via. Remed. Amor. 55.

Vixiſſet Phyllis, ſi me foret uſa magiſtro,
Et per quod novies, ſaepius iſſet, iter.

& poſtea 599.

Limes erat tenuis, longâ ſubnubilus umbrâ,
Quo tulit illa ſuos ad mare ſaepe pedes.
Nona terebatur miſerae via.

Alludit ad vicum in Thracia, qui inde dictus ἐννέα ὁδοί, poſtea Amphipolis; cujus Geographi paſſim meminerunt. de origine nominis jam dixi. Coluthus:

Φύλλιδος ἀντέλλοντα φιλήνορος ἔδρακε τύμβον.
Καὶ ὁδὸν ἐννεάκυκλον ἀλήμονος εἶδε κελεύθου.

& quae ſequuntur. Hyginus Fab. LIX. de Phyllide & Demophoonte: *Qui die conſtitutâ, cum non veniſſet, illa eo die dicitur novies ad littus cucurriſſe, quod ex ea ἐννέοδος Graece appellatur.* & ſic locus is etiam Heſychio appellatur, cum aliis ἐννέα ὁδοὶ dicatur, ut jam vidimus. atque ita tam in Hygino quam Heſychio videtur corrigendum. HEINSIUS. forte & hic legendum:

Quaere novem cur una vias iterarit.

& vide quae ad Epiſt. XVIII. 135. notavimus.

39. *Et famam.*] *At* rectius duo libri. HEINSIUS.

42. *Quid vos perdiderit, dicam.*] Poſt hunc verſum in prima editione addebatur diſtichon inſulſum certe, & nequam nugatoris:

Quid tibi divitiae proſunt? quid forma, quid aetas?
Ruſtica ſi neſcis tale movere latus.

Pro *tale* Heinſius putabat *molle* dediſſe interpolatorem. certe verſus elegantior exiret. BURM.

44. *Conſtitit.*] Vaticanus, *aſtitit.* male. vid. III. Amor. v. 10. & Epiſt. XV. 162. & mox vs. 54.

49. *Probra Therapnaeae qui dixerat ante maritae, Mox cecinit laudes proſperiore lyra.*] Steſichorus poëta Siculus ex Himera, Helenam probris perſecutus, poſtea laudibus affecit. CIOFANUS.

51. *Si bene te noſti.*] *Novi* ſcripti plerique cum primâ editione. Forte, *Si bene me novi.* & pro *vivis* ſequenti verſu, *vives*, ut verſui conſulatur. HEINSIUS. *Si bene te monui* Regius non male: forte, *ſi bene me noſti.* ſed & *ſi bene te novi* placet; I. Amor. II. 43.

Tum quoque non paucos, ſi te bene novimus, ures.

II. Eleg. XVIII. 39.

Si bene te novi, non bella libentius iſtis
Dicis.

Et ſaepius alibi. deinde *teneras* Bernenſis & unus Heinſii, *cultas mihi redde puellas* Aproſ. *cultas ne lude puellas* Moreti & alius. BURM.

52. *Gratia, dum vivis, iſta petenda tibi eſt.*] Non à diis, ut Merula exponit: ſed à puellis: ut ſit ſenſus, danda opera tibi eſt, dum vivis, ut hanc gratiam à puellis ineas, ne eas laeſiſſe videaris. MICYLLUS.

53. *Myrto nam vincta.*] *Nexa* Vaticanus. *jam nexa* Palatinus. ſic I. Amor. II. 23. *nectite comam myrto.* tres etiam *cincta*, ut inf. 392. & alibi, ubi hae voces commutari a librariis ſolent. BURM.

54. *Granaque pauca.*] Hoc ex Heſiodi imitatione, qui cum pauca ex Helicone folia ſumſiſſet, ex Paſtore Poëta evaſit. vide Lucian. in Rhetor. praeceptis pag. 815. *aureum ramum* a Muſis acceſiſſe idem dicit adverſus indoctum pr. pag. 864. *Laurum* in diſſertat. cum Heſiodo pr. pag. 927. & in Encomio Demoſthenis pag. 1081. unde eo paſſim adludunt Poetae. hinc in Remed. 75.

Te precor, o Vates, adſit tua laurea nobis.

Vid. Broukh. ad Tibul. II. v. 603. BURM.

55. *Senſimus acceptum numen quoque. purius aether fulſit.*] *Acceptis* prima editio cum ſcriptis pleriſque. recte. poſt accepta folia & grana myrti. *purior* etiam *aether* iidem. HEINSIUS. *Clarior aether* Ambroſ. & unus Heinſ. eadem varietas apud Virgil. II. 590. *& pura per noctem in luce refulſit*, ubi *clara* quidam codices. BURMANNUS.

Dum facit ingenium; petite hinc praecepta, puellae,
Quas pudor, & leges, & sua jura sinunt.
Venturae memores jam nunc estote senectae:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, & veros etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquae.
Nec, quae praeteriit, iterum revocabitur unda:
Nec, quae praeteriit, hora redire potest.
Utendum est aetate; cito pede labitur aetas:
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.
Hos ego, qui canent frutices, violaria vidi:
Hac mihi de spinâ grata corona data est.
Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantem,
Frigida desertâ nocte jacebis anus:
Nec tua nocturnâ frangetur janua rixâ:
Sparsa nec invenies limina mane rosâ.

Quam

57. *Dum facit ingenium.*] Putabam, *ingenio.* Dum Cytherea facit ingenio, hoc est, favet. in Tristibus III. XIV. 1.

Cultor & antistes doctorum summe virorum,
Qui facis ingenio semper amice meo.

Vide quae annotamus ad Epist. II. ℣s. 39. HEINS. *Dum valet ingenium* Aprosii; qui & *favet* pro varia lectione. ut etiam multi editi & scripti. sed ego nihil muto. dum ingenium, quod a numine nunc calescit, facit & promptum est, audite me tamquam vatem, qui divino monitu praecepta amoris cano. Sic III. Trist. VIII. 23.

Nec coelum, nec aquae faciunt, nec terra, nec aurae.

Senec. Med. 987.

Perage, dum faciunt manus.

Inepte Crispinus ad puellas refert, quarum ingenium ad amorem propendeat. BURM.

58. *Quas pudor, & leges, & sua jura sinunt.*] *Vita finit* Regius. Puto:

Qua pudor, & leges, & sua vitta finit.

Ut Pont. I. VI. 10.

Qua finit officium militiaeque labor.

Supra lib. II. 324.

Perque tuas fiant, qua sinet ipsa, manus.

Huc refer, quod initio hujus poëmatis dixerat:

Este procul vittae tenues, insigne pudoris. HEINSIUS.

Puto, *quae sinunt*, scil. praecepta, nam saepe se nihil nisi legitimum praecipere dicit. *quas* Latine dici posse vix puto. posset etiam, *& pia jura.* BURM.

61. *Veros etiam nunc editis annos.*] Regius mendose, *veros etiamnum reciditis annos.* unus meus, *veros nunc editis.* metuo ut τὸ *editis* integrum sit. pro *veros*, aliquando conjiciebam *vernos.* ut Propert. lib. IV. El. V.

Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quis eat liber amore dies.

Arondelianus, *teneros annos.* Sed *veri anni* videntur esse juveniles, ac proinde amoribus apti. supra lib. I. 62.

Ante oculos veniet vera puella tuos.

Hoc est, quae revera sit puella. HEINSIUS. Vir Clarissimus Jacobus Gronovius, in notis ad Cebetis Tabulam, corrigebat, *veros incedistis annos.* sed optime refutavit hanc minime recipiendam emendationem Broukhusius ad Propertii lib. II. Eleg. VII. 55. & III. XX. 10. & egregie ostendit *edere* hic profiteri esse, ut apud Censores facere debebant. Francius explicabat, ore & vultu prae vobis fertis, & ita Merula, Berssmannus & alii ceperunt; non quidem male: sed rectius Broukhusius: nam *edere* est publice aliquid dicere, ostendere, profiteri, ferre &c. ita Livius. I. 35. *Urbem ingressi sunt. domicilioque ibi comparato L. Tarquinium Priscum edidere nomen.* & cap. 46. *Pluribus tamen auctoribus filium ediderim*, ut recte Gronovius pater. Ita *edere exemplum*, de quo idem Gronov. ad Liv. XXIX. 27. *veros* autem illustravimus lib. I. Art. 62. BURM.

63. *Nec quae praeteriit, rursum revocabitur unda.*] *Iterum* scripti plerique cum prima editione. placet. Vide Notas ad Epist. VI. ℣s. 31. HEINSIUS.

65. *Labitur.*] *Volvitur* Vossii liber. *hora* Palatin. & alius. vid. ad I. Amor. VIII. 48. BURM.

68. *Hac mihi de spina.*] Imitatus auctor Epigrammatis in Anthol. lib. I. cap. c. pag. 176.

Τὸ ῥόδον ἀκμάζει βαιὸν χρόνον. ἢν δὲ παρέλθῃ,
Ζητῶν εὑρήσεις οὐ ῥόδον, ἀλλὰ βάτον.

BURMANNUS.

69. *Excludis amantes.*] *Amantem* rectius quidam libri. HEINSIUS.

72. *Sparsa nec invenies limina mane rosa.*] Janus Gebhardus, cum in veteri codice inveniisset *limina operta*, corrigebat in Antiquis lectionibus lib. I. 12. *Ma-*

ne

Quam cito (me miſerum!) laxantur corpora rugis,
Et perit, in nitido qui fuit ore, color!
Quasque fuiſſe tibi canas à virgine jures,
Spargentur ſubitae per caput omne comae.
Anguibus exſuitur tenui cum pelle vetuſtas;
Nec faciunt cervos cornua jacta ſenes.
Noſtra ſine auxilio fugiunt bona. carpite florem;
Qui, niſi carptus erit, turpiter ipſe cadet.
Adde, quod & partus faciunt breviora juventae
Tempora. continuâ meſſe ſeneſcit ager.
Latmius Endymion non eſt tibi, Luna, rubori;
Nec Cephalus roſeae praeda pudenda Deae.
Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis;
Unde habet Aenean Harmonienque ſuos?
Ite per exemplum, genus ô mortale, Dearum;
Gaudia nec cupidis veſtra negate viris.

Ut

ne nec invenies limina operta roſa. Sed codices noſtri nil permittunt immutari. HEINSIUS.

74. *In nitido.*] *Niveo* Politian. & Vaticanus & unus Heinſii & prima editio. ut Epiſt. xx. 120.

Quique ſubeſt niveo laetus in ore color.

Eadem varietas lib. xv. Met. 685. & alibi. BURM.

75. *A virgine juras.*] *Jures* ſcripti plerique cum prima editione. HEINSIUS. *ab origine* Patavinus.

76. *Sparguntur ſubito per caput omne comae.*] *Spargentur* iidem. lege etiam, *ſubitae comae.* dictum Epiſt. xviii ỳs. 160. HEINS.

77. *Anguibus.*] Confer Tibul. I. iv. 31. & quae ibi Broukhuſius notavit.

79. *Veſtra ſine auxilio fugiunt bona.*] *Noſtra* Regius & multi alii. ſic infra 98. etiam nonnulli ex ſcriptis:

——— *Damnis munera noſtra carent.*

Et 161.

Nos male detegimur. HEINSIUS.

81. *Faciunt breviora juventae Tempora.*] *Seniora* Regius cum Politiani excerptis, prima editione, & quinque ſcriptis. nil muto. HEINSIUS. *Seniora* etiam Bernenſis. *ſenex* adjectivum eſſe egregie oſtendit Broukhuſius ad Tibul. I. vii. 88. quod non animadverſum librarios ſaepe impulit, ut loca veterum corrumperent. ita apud Lucan. lib. v. 333. edunt: *Vos defeſta, ſenes, exhauſtaque ſanguine turba.* cum in MSS. Voſſii & Thuani legatur, *ſenex.* recte, *ſenex turba.* & ita *ſeniora tempora*, hoc loco ſunt ſenectutem adferentia. nam non puto hanc vocem a librariis indoctis facile potuiſſe proficiſci. BURMANNUS.

83. *Latmius Endymion non eſt tibi Luna rubori.*] Propertius lib. II. Eleg. xv.

Nudus & Endymion Phoebi cepiſſe ſororem
Dicitur, & nudae concubuiſſe Deae.

De his Apollonius ſub principium lib. iv. & Apollodorus lib. I. CIOFANUS.

85. *Ut taceam de te, quem nunc quoque luget, Adonis;*
Unde habet Aenean Harmonienque Venus?

Codex optimus Regius:

Ut Veneri, quem luget adhuc, ponetur Adonis,
Unde habet Aenean Harmoniamque ſuos?

Venuſte, ſi *donetur Adonis*, levi mutatione, reponas. *donetur* pro condonetur. Pont. II. El. vii.

Culpa gravis precibus donatur ſaepe ſuorum.

Sic Juno apud Horatium l. III. Od. III. *Quirinum Marti redonabo.* Statius Thebaid. VII. 556.

An ſuſpectus ego? abſcedo & mea vulnera dono.

Val. Flaccus libro I. ỳs. 473.

Donat & Iphiclo pelagus, juvenumque labores
Aeſonides,

Hoc eſt remittit. Seneca Phoeniſſis 231.

Subinde & aures ingerunt, quicquid mihi
Donaſtis oculi.

Hoc eſt, cujus mihi gratiam feciſtis. ſic pulcherrime codex egregius Mediceae bibliothecae à me cum vulgatis libris collatus. deprehendit quoque elegantiam ejus lectionis Gronovius noſter. In vulgatis, *Negaſtis oculi.* HEINSIUS. vid. Gronov. Obſerv. III. 23.

86. *Harmoniamque Venus.*] Sic legendum ex bonis libris & veterum teſtimonio, & inprimis Heſiodi in Theogonia, ubi canit Martem ex Venere Harmoniam ſuſcepiſſe; item Phobum, & Dimum. Et Coluthus ait, καὶ Ἁρμονίης Ἀφροδίτη. CIOFANUS. *Hermoniam*, & *Hermionem* varie ſcribunt librarii, ſed optimi libri, *Harmoniam* vel *Harmonien*, ut *Leda* & *Lede* & ſimilia. vid. Barth. ad Stat. II. 267. & III. 7. & Munker. ad Hygini Fab. VI. ubi etiam de ejus matre agit; & hoc nomine aliae dictae mulieres ita ſcribendum evincunt. ſic *Harmonia*, ex

Ut jam decipiant, quid perditis? omnia conſtant.
Mille licet ſumant; deperit inde nihil.
Conteritur ferrum, ſilices tenuantur ab uſu.
Sufficit, & damni pars caret illa metu.
Quid vetet adpoſito lumen de lumine ſumi,
Quisve cavo vaſtas in mare ſervet aquas?
Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis.
Quid, niſi quam ſumes, dic mihi, perdis aquam?
Nec vos proſtituit mea vox; ſed vana timere
Damna vetat. damnis munera veſtra carent.
Sed me flaminibus venti majoris iturum,
Dum ſumus in portu, provehat aura levis.
Ordior à cultu. cultis bene Liber ab uvis
Provenit; & culto ſtat ſeges alta ſolo.

Forma

qua Mars Amazonas creavit. Apollon. II. Arg. 993. ubi vid. Schol. alia memoratur in Anthol. lib. III. cap. XII. pag. 337. *Harmonia* Gelonis filia Livio XXIV. 24. vid. ad III. Met. 133. BURM.

90. *Mille licet ſumant.*] Eadem ſententia carminis ſecundi inter Priapeia, quod Ovidio adſcribitur vulgo:

Des licet adſidue, nil tamen inde perit.

Hygin. Aſtron. lib. II. cap. 5. *Mercedem petiiſſe ab eo, quae ſine detrimento ejus daretur.* BURMANNUS.

92. *Pars illa.*] Vid. ad Petron. CXII.

23. *Quis vetet.*] *Quid vetat* Junianus. Scribe, *Quid vetet.* dixi ad Epiſt. X. ŷs. 88. HEINS.

94. *Quiſque cavum.*] Melius in antiquo Scaligeri codice, *Quiſve cavo vaſtas in mare ſervet aquas?* ut *mare* ſit *mari.* DAN. HEINSIUS. *Cavo in mare* ſcripti potiores cum primâ editione. recte. ſic in Triſt. lib. V. El. I.

Exiguum pleno de mare demat aquae. HEINSIUS. Ita etiam Zinzerl. promulſ. Crit. cap. XVI.

95. *Et tamen ulla viro mulier, non expedit, inquit.*] Merula ſic: *Et tamen ulla mulier inquit viro, non expedit*: non prodeſt foeminae, cum viro rem habere. Ego vero ita accipiendum puto, ut ſit ſenſus: Tametſi nihil amittant, aut minus habeant puellae, quae cum viris concubuere: nulla tamen mulier eſt, quae viro dicat, Expedit: hoc eſt, quae ultro ſe offerat, & non damnum aut detrimentum aliquod praetexat. MICYLLUS. Nihil ſenſus eſt in hoc carmine. Scribe vel invitis membranis:

Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis.

Non expedit, ut mulier ulla det viro. *Dare* pro copiam ſui facere uſitatum poëtis. Noſter ſupra lib. II. 345.

Quae dant, quaeque negant, gaudent tamen eſſe rogatae.

Et ſaepe alibi. Martialis quoque lib. IV. Epiſt. 71.

Caſta igitur nulla eſt? caſtae ſunt mille. quid ergo
Caſta facit? non dat; non tamen illa negat.

Sic idem paſſim alibi. hinc etiam *dare gaudia*, & *dare noctem. inquis*, ut in Triſt. lib. V. El. I.

At poteras, inquis, melius mala ferre ſilendo.

Sequenti verſu *ſumes* pro *ſumis* libri veteres. quae magnus Scaliger ad Propertium de lotio reddendo, & eum ſecutus Berſmannus, interpretantur. Nolim factum. *ſumere aquam* uſitatum pro lavare partes obſcoenas, quod poſt rem Venereamm peractam, aut nocturnas pollutiones fiebat, aut etiam poſt exoneratam alvum. Noſter lib. III. Amor. El. VII. de re ſimili:

Neve ſuae poſſent intactam ſcire miniſtrae,
Dedecus hoc ſumtâ diſſimulavit aquâ.

Et infra hoc libro 619.

Scilicet obſtabit cuſtos ne ſcribere poſſis,
Sumendae detur cum tibi tempus aquae.

Martialis lib. II. Ep. 50.

Quod fellas, & aquam potas, nil Lesbia peccas.
Qua tibi parte opus eſt, Lesbia, ſumis aquam.

Et in Priapeis Epigramma.

Falce minax & parte tui majore, Priape,
Ad fontem, quaeſo, dic mihi, qua ſit iter.
Vade per has vites, ſed ſi quam carpſeris uvam;
Quas aliter ſumas, hoſpes, habebis aquas.

Ita ſcribendum. Certe cum Plautus, in Milite II. VI. 70. dixit, *ſumere aquam è puteo*, de lotio non intelligebat. HEINSIUS. vide ad Petronii cap. XCIV.

98. *Munera veſtra.*] *Noſtra* Voſſii & Bernenſ. & quinque alii. ut intelligat praecepta ſua Poëta. ut lib. II. 742. ſupr. ŷs. 79.

101. *Ordiar à cultu.*] *Ordior* Regius. HEINSIUS.

102. *Seges alta.*] *Seges ampla* Ambroſ. qui & *loco.* ut alii nonnulli.

103. *Forma Dei munus.*] Lege, *Deûm.* aliquis Chri-

Forma Dei munus: formâ quota quaeque ſuperbit?
Pars veſtrûm tali munere magna caret.
Cura dabit faciem: facies neglecta peribit;
Idaliae ſimilis ſit licet illa Deae.
Corpora ſi veteres non ſic coluere puellae;
Nec veteres cultos ſic habuere viros.
Si fuit Andromache tunicas induta valentes;
Quid mirum? duri militis uxor erat.
Scilicet Ajaci conjux ornata venires,
Cui tegimen ſeptem terga fuere boum.
Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma
Edomiti magnas poſſidet orbis opes.
Adſpice, quae nunc ſunt Capitolia, quaeque fuerunt;
Alterius dicas illa fuiſſe Jovis.

Curia,

Chriſtianus hoc interpolarat, puto. ſequenti etiam verſu malim, *carent*. HEINSIUS. *Dei* non mutem, neque quoties in ſingulari dicitur, Chriſtianiſmum redolere puto. ſimiliter non puto Chriſtianiſmum Claudiani colligi ex. III. Conſ. Honor. 96. *o nimium dilecte Deo*. certe male Aeolum ſtatim Deo Chriſtianorum comitem addidiſſet. ſic ergo & male dixit Noſter Ep. VI. 30. *teſte Deo*. & VII. 4. *adverſo vovimus iſta Deo* & infinitis locis Noſter & alii Poëtae. vid. Caſaubon. ad Perſ. III. 71. BURMANNUS.

104. *Magna.*] *Pars multa* Francofurt. & tres codices. vid. ad I. Amor. eleg. ult. ỹs. ult. BURM.

108. *Non veteres cultus ſic habuere viri.*] *Nec* ſcripti cum prima editione. Deinde cum Regio, Neapolitano, & duobus aliis legendum, *cultos viros*. Med. Faciei, ad puellas 23.

Nec tamen indignor, ſi vobis cura placendi,
Cum comtos habeant ſaecula noſtra viros.

HEINSIUS.

109. *Si fuit Andromache tunicas induta vagantes.*] In quibuſdam legitur, *Valentes*, pro *Vagantes*: quod magis placet, ut intelligamus craſſas & denſas, non quales tum Romae geſtabant, bombycinas & pellucidas pleraſque, ut ſupra quoque memînit. MICYLLUS. Quid ſibi volunt iſtae *tunicae valentes?* craſſas & denſas Mycillus interpretatur. ſed quis Latine ſic locutus eſt? *pingues* etiam novi *tunicas*, quas Noſter alibi *pleno velamina filo* appellat. Graeci ϛημονίους & καταϛήμους & πολυϛήμους & πολυοϛήμους, quae rariori erant ſtamine, ἀραιοϛήμους, ut ab hominibus eruditis eſt obſervatum. *Valentes tunicas* alibi non recordor mihi lectas eſſe. vetuſtae Naſonis editiones, *tunicas vagantes* exhibent. quod unus Regius confirmat. in uno Palatino, *volantes*. in Hafnienſi, *ſqualentes*. Moretanus & ex meis unus, *volentes*. Quid ſi revocemus huc loci *tunicas fluentes?* quomodo apud Horatium libro primo Sat. III. *Rafticius tonſo toga deſluit*. pro incompoſita toga, Apulejus Metamorph. VII. *Sumta veſte muliebri ſordida & in ſinus flaccidos undante*, ita ſcribendus ille locus. vel *veſte horrida*. perperam circumfertur. *veſte florida & in ſinus flaccidos abundante*, qualis mulierem aſinariam è plebecula non decet. *fluxiorem cinfturam* in Julio Caeſare obſervat Suetonius & reprehendit. HEINSIUS. Non probo: *fluentes* enim veſtes delicatorum & luxurioſorum, hic vero de incultis & horridis agit. recte Micyllus *valentes* explicat: ita infra 267. vocat *Pleno velamina filo*. quae ſunt polymita, de quibus vid. ad Petron. cap. XL. cui *tenues* & *rarae* veſtes ſunt contrariae; quae libidinoſarum mulierum erant. vid. ad lib. I. Amor. Juvenalis lib. III. Satyr. 170. *durum cucullum* eodem, ut puto ſenſu, vocat. BURMANNUS.

111. *Conjux ornata veniret.*] *Venires* bene Regius & quinque alii. ſequenti etiam verſu vetuſtiores plerique, *tegimen* pro *tegmen, tegumen* Regius cum uno Ambroſiano. quod placet. HEINSIUS.

113. *Rudis ante fuit.*] Voſſianus, *illa fuit*, bene, inf. 128.

Ruſticitas priſcis illa ſuperſtes avis.

fuit eleganter, pro deſiit, abiit. Epiſt. XVII. 192.

Cumque nihil ſperes firmius eſſe, fuit.

Ubi vide annotata. Met. XV. 216.

Fuit illa dies. HEINSIUS.

113. *Nunc aurea Roma eſt Et magnas domiti poſſidet orbis opes.*] Τὸ *eſt* in quibuſdam libris non comparet. deinde plerique veteres, *Et domiti magnas*. Lincolnienſis, *edomiti*. Scribe:

——— *Nunc aurea Roma*
Edomiti magnas poſſidet orbis opes.

Sic in Faſtis lib. IV. 256. de eadem Roma:

Crevit, & edomito ſuſtulit orbe caput.

Niſi quis malit:

Nunc aurea Roma eſt,
Ut domiti magnas poſſidet urbis opes.

Curia, concilio quae nunc digniſſima tanto eſt,
De ſtipula, Tatio regna tenente, fuit.
Quae nunc ſub Phoebo ducibusque Palatia fulgent,
Quid, niſi araturis paſcua bubus, erant?
Priſca juvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor. haec aetas moribus apta meis.
Non quia nunc terrae lentum ſubducitur aurum;
Lectaque diverſo litore concha venit.
Nec quia decreſcunt effoſſo marmore montes:
Nec quia caeruleae mole fugantur aquae.
Sed quia cultus adeſt; nec noſtros manſit in annos
Ruſticitas, priſcis illa ſuperſtes avis.
Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aquâ.
Nec prodite graves inſuto veſtibus auro:
Per quas nos petitis, ſaepe fugatis, opes.

Mun-

Ut Triſt. III. VII. 52.

Omnem de montibus orbem
Proſpiciet domitum Martia Roma. HEINSIUS.

116. *Alterius dices.*] *Dicas* Lincolnienſis. bene. ſic III. Amor. XIII. 8.

Aſpice, concedas numen ineſſe loco. HEINSIUS.

117. *Curia conſilio.*] *Concilio* Comelinianus & quinque alii. recte. ceterum prima editio & aliae nonnullae, ut & tres ſcripti, *conſilii digniſſima tanti*, ſecundo caſu. quod & alibi apud Noſtrum in veterrimis libris offendi. Vide Notas Triſt. IV. El. III. ŷs. 57. Arondelianus, *conſilii nunc quae digniſſima tanti. nunc eſt digniſſima tanti* Regius. forte, *nunc en.* HEINSIUS.

119. *Ducibusque.*] Intelligit Auguſtum & Tiberium Merula. ſed ſi ex calculo doctiſſimi Maſſonii ars amandi edita fuit A. U. C. IↃCCLII. eo tempore Tiberius Rhodi verſabatur, & Cajo gratia Auguſti florente, neſcio an caute Noſter Tiberio, qui longe a ſpe ſucceſſionis aberat, adulari fuiſſet auſus. quare forte Cajus & Lucius intelligendi, quibus paullo poſt mortuis Tiberius fuit adoptatus. Cogitandum certe, quos *duces* hic intelligat Naſo. BURM.

121. *Priſca juvent alios: ego me nunc denique natum Gratulor.*] Lib. I. Faſt.

Laudamus veteres, ſed noſtris utimur annis. CIOF.

123. *Lentum terra ſubducitur aurum.*] *Terrae* ſcripti. HEINSIUS. Tres libri, *laetum.* Barthol. *tectum.* ut I. Met. 139.

Quasque recondiderat, ſtygiisque admoverat umbris
Effodiuntur opes.

124. *Concha venit.*] Tres noſtri, *bacca*, quod Gronovio placebat Obſervat. lib. II. cap. XXI. ex Pirckheimeriano; meliores tamen cum vulgatum amplectantur, nil auſim mutare. Nam per Conchas baccae intelliguntur, quae in conchis naſcuntur ut plurimum. ſic Culice Virgiliano 67.

—— *Indi conchea bacca maris.*

Tibullus libro II. Eleg. IV.

Hic dat avaritiae cauſas & Coa puellis
Veſtis, & è rubro lucida concha mari.

Et libro III. Eleg. III.

Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha;
Tinctaque Sidonio murice laena juvat?

Propertius libro I. Eleg. VIII.

Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obſequio.

Libro III. El. XII.

Et venit è rubro concha Erycina ſalo.

Ita & concham pro purpura ponebant. HEINSIUS. *Concha* vera lectio eſt. Tertull. de cult. feminar. lib. I. cap. 6. *Ad hoc enim conchas noverim maris poma. Quod ſi concha illa aliquid intrinſecus puſtulat, vitium ejus magis debet eſſe, quam gloria.* De *Bacca* vide ad Petron. cap. LV. BURMANNUS.

127. *Noſtros manſit in annos.*] *Crevit* unus Heinſii. vide ad Vellej. Pater. I. cap. 8.

129. *Aures onerate.*] Plurimi ſcripti, *ornate*; ſed fruſtra: Medic. faciei 22.

Et quantos oneri eſt aure tuliſſe duos.

Senec. de Conſt. ſapientis. XIV. *Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures?* ubi vide commentatores, & quae notavimus ad Petronii cap. LV. ubi & de *caris lapillis.* BURM.

130. *Decolor Indus.*] *Diſcolor* Vaticanus & Politiani. vide ad Epiſt. IX. 4. & IV. Met. 21.

131. *Inſuto veſtibus auro.*] *Inſerto* Vaticanus & Aproſii pro varia lectione. & ita Tertull. I. de cult. 9. *Uno lino decies ſeſtertium inſeritur.* ſed & *inſutum* rectum: agit enim de veſtibus Phrygiis.

Tertull.

Munditiis capimur: non ſint ſine lege capilli.
Admotae formam dantque negantque manus.
Nec genus ornatûs unum eſt: quod quamque decebit,
Eligat; & ſpeculum conſulat ante ſuum.
Longa probat facies capitis diſcrimina puri:
Sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum ſummâ nodum ſibi fronte relinqui,
Ut pateant aures, ora rotunda volunt.
Alterius crines humero jactentur utroque.
Talis es adſumtâ, Phoebe canore, lyrâ.
Altera ſuccinctae religetur more Dianae,
Ut ſolet, attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxè jacuiſſe capillos:
Illa ſit adſtrictis impedienda comis.
Hanc placet ornari teſtudine Cylleneâ:
Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.

Sed

Tertull. I. de cult. I. *Age nunc, ſi ab initio rerum & Mileſii oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent, & Phryges inſuerent, & Babylonici intexerent.* ſic & apud Ulpian. leg. 19. §. 5. de aur. arg. leg. *Clavi veſtimentis conſuti.* BURM.

133. *Nec ſint ſine lege capilli.*] Scribe, *ne ſint.* Scripti tamen plerique cum primâ editione, *non ſint.* HEINSIUS.

137. *Diſcrimina.*] Vid. ſupr. lib. II. 303.

138. *Laodamia.*] *Deidamia* unus Heinſii.

139. *Exiguum ſumma nodum.*] Id eſt exiguos nodos: non enim de uno nodo agitur. *nodos* pro flexo in orbem capillo, & tortis cincinnis poſuit. *anulos comarum* Martialis dixit lib. II. Ep. 66. Sic idem Martialis lib. V. 38. *nodos Rheni*, pro capillis gentium Rheno adjacentium. notum illud ejusdem ſpectac. Epigr. III.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambris

Ita & *nodi ſerpentium*, ſpirae in orbem convolutae. de quibus Epiſt. IX. 86. refer vero ad antias, quae cincinni & pirae capillamenti erant circa aures & frontem errantes, de quibus ad Pallium Tertulliani Salmaſius. has antias in rotundo capite rectius cohiberi nodo vult Noſter. Gloſſae veteres, *Antiae* Κόμαι κροτάφων κρεμαμέναι γυναικεῖαι. Feſtus, *Antiae muliebres capilli dimiſſi in frontem. Capronae frontibus immiſſae* Lucilio. quamquam Grammatici inter Antias, & Capronas diſtinguunt, cum hae pererrent caput, illae frontem. HEINSIUS. vid. Salmaſ. ad Tertul. de Pallio. pag. 298.

140. *Ut pateant.*] *Ne pateant* Editio Micylli & Margo Berſmanni. *ſub fronte* etiam Schefferi codex.

141. *Crines humero jactentur.*] Talem Apollinis unam & alteram ex antiquis monumentis imaginem dedit Broukh. ad Tibul. III. Eleg. IV. ℣s. 27.

145. *Hanc decet inflatos.*] *Huic* Regius & duo alii. quod cum τῷ *jacuiſſe* conſtruendum. & ſic mox idem codex cum plurimis aliis, *Hanc placet ornari.* non, *Huic. Hanc*, ſcilicet *ornari.* HEINSIUS. Egregie diverſos hos capillorum poſitus recenſet Tertullianus lib. II. de cultu Femin. 7. *Quod crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo ſuſcitatis, modo eliſis. aliae geſtiunt in cincinnos coercere, aliae, ut vagi & volucres elabantur, non bona ſimplicitate.* ubi in fine legerem, *aliae jactare*, vel *ſolvere*: nam ſimile verbum deſiderari puto. BURMANNUS.

147. *Teſtudine Cyllenea.*] De Galero, quo capilli tanquam vagina & operculo includebantur, capit Salmaſius ad Tertull. Pallium pag. 353. ſed praecipue puto reſpicere hunc capillorum poſitum, ut ſupra caput in modum lyrae vel cithaerae ſurgat, ita ut in duas quaſi alas creſceret: illa enim Lyrae forma. vide Spanh. ad Callimach. in Del. ℣s. 252. & huc refero illa Achaei apud Athen. XV. 12.

Πτέροις ἀναςήσαντα προσθίαν τρίχα.

Pennis erigentem anteriores crines, ut recte Caſaubonus vertit. *Cylleneam teſtudinem* vero dicit, quia Mercurius *curvae lyrae parens* eſt, ut Horat. I. Od. X. dicitur, & vulgo notum eſt. Merula de reticulo capit, quo includebantur crines: quod ſi verum eſt, illud reticulum in modum teſtudinis verticem capitis & capillos texiſſe debuit, ut referret corticem teſtudinis. Turneb. IV. ad. 23. ſuggeſtum comarum rotundandum in formam teſtudinis explicat. Tu pro arbitrio elige lector, vel meliora da. BURMANNUS.

148. *Illa ſinus.*] Junianus & Schefferus, *comas.* ut *undulatas comas* intelligeret. ſed gloſſatoris eſt τὸ *comas.* cum *ſinus* recte etiam de crinibus fluctuantibus

Sed neque ramosâ numerabis in ilice glandes;
Nec quot apes Hyble, nec quot in Alpe ferae;
Nec mihi tot positus numero comprendere fas est;
Adjicit ornatus proxima quaeque dies.
Et neglecta decet multas coma. saepe jacere
Hesternam credas; illa repexa modo est.
Ars casum simulet. sic captâ vidit ut urbe
Alcides Iolen, Hanc ego, dixit, amo.
Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Euoe,
Sustulit in currus, Gnosi relicta, suos.
O quantum indulget vestro Natura decori,
Quarum sunt multis damna pianda modis!

Nos

tibus dicatur, qui in sinus modum humeris innatant, ut loquitur Valer. Flac. III. 525.

Tenui vagus innatat unda
Crinis.

Ita enim legendum esse docebimus ad ipsum Flaccum. Noster etiam I. Am. XI. 26.

Ut ficret torto flexilis orbe sinus. BURM.

149. *Numerabis in ilice frondes.*] In quibusdam, *glandes.* NAUGERIUS. *Glandes* scripti plerique cum primâ editione. Amor. III. El. VI. 35.

Ilicibus glandes cantataque vitibus uva
Decidit.

Met. VII. 587.

—— *Veluti cum putria motis*
Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes

lib. X. 44.

Enodisque abies, curvataque glandibus ilex.

Virgilius IV. Georg. 81.

Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.

Hinc *glans iligna* apud Horatium lib. II. Sat. IV. 40. aliosque occurrit. Lege praeterea, *numeraris.* sic & supra peccatum non semel. HEINSIUS. Similis diversitas mox ỳs. 162. & 183. in MSS.

150. *Hyble*] *Hyblae* editiones priores, sed in scriptis est *Hybla*, vel *Hyble*: nempe praepositio *in* huc debet etiam referri. vid. ad Epist. XVI. 141. & lib. I. Art 333. BURMANNUS.

151. *Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est.*] *Tot positus* recte libri veteres magno numero. nisi quod Regius, *posito.* prima editio, *positos* cum scriptis nonnullis. *positus* etiam in suis Zinzerlingius invenerat. Met. II. 412.

Non erat hujus opus, lanam mollire trahendo,
Nec positu variare comas.

Medic. Faciei 19.

Vultis adornatos positu variare capillos.

Hinc *ponere, componere, disponere comas.* Noster infra 434.

Quique suas ponunt in statione comas.

In Amoribus lib. I. Eleg. VII. 68.

Pone recompositas in statione comas.

Et lib. II. VIII. 1.

Ponendis in mille modos perfecta capillis.

Ceterum existimo hinc quoque exulare Graecismum Ovidio usitatum, sed ab imperitis librariis passim ejectum, quicquid veteres libri pro vulgata lectione digladientur. Scribe igitur:

Nec mihi tot positus numero comprendre nunc sit.

Vide Notas ad lib. II. ỳs. 28. HEINSIUS. Vide Zinzerl. pag. 207. & ad II. Met. 189.

154. *Hesternam credas.*] Hinc emenda Propertium lib. I. Eleg. XV.

Et potes hesternos manibus componere crines.

Ita diu est quod scribendum vidi. quam conjecturam confirmavit postea Neapolitanus codex satis vetustus, & alter, qui penes me exstat. De externis & adscititiis crinibus quae dici possint scio; sed huic opprobrio hic locus non est. Potes, inquit, singulis diebus crines componere. *hesternas coronas* pari modo dixit lib. II. Eleg. XXXIV. pro heri plexis. ut recte illic restituit Lipsius. & *hesternas lucernas* libro III. El. VII. quae vera illic scriptura. *hesternas rosas* Noster libro III. Amor. Eleg. VII. pro heri carptis. HEINSIUS.

155. *Sic captâ ut vidit in urbe.*] *Captâ vidit ut urbe* Regius & duo alii. recte. ceteri fere omnes, *captâ vidit in urbe. Ars casus similis*, pro *casum simulet* idem Regius. HEINSIUS.

160. *Quarum sunt multis damna pianda modis.*] *Pianda* dixit impropriè, pro compensanda, & quasi dissimulanda, sive celanda. MICYLLUS. *Pudenda* Thuaneus.

163. *Foemina caniciem Germanis inficit herbis.*] Quae herbae istae fuerint, quibus veteres Germanae capillum tinxerint, dici facile non potest, nam hodie chamaemelo, aut cicorea fere utuntur: sed ad conservandum capillum magis, quam ad colorandum

Nos male detegimur, raptique aetate capilli
Ut Boreâ frondes excutiente, cadunt.
Femina canitiem Germanis inficit herbis;
Et melior vero queritur arte color.
Femina procedit denſiſſima crinibus emtis;
Proque ſuis alios efficit aere ſuos.
Nec rubor eſt emiſſe palam. venire videmus
Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.
Quid de veſte loquar? nec vos, ſegmenta, requiro;
Nec quae bis Tyrio murice lana rubes.
Cum tot prodierint pretio leviore colores;
Quis furor eſt, cenſus corpore ferre ſuo?

Aëris

randum. Quibuſdam etiam in uſu eſt chelidonia, cujus ſucco flaveſcere crines putant. Verum Ovidius de colore nigricante magis, quam de alio intellexiſſe videtur. nam etiam hodie colorem eum in coma probant Itali. Unde & plumbeo pectine multi in pectenda coma, aut barba dicuntur uti. Quod autem de glaſto, Britannica herba, affert Merula, facile admiſerim, ſi glaſtum idem ſit cum ea, quam *Guadum* vulgo vocant, quam quidam eandem faciunt cum ea, quae a Dioſcoride ἰσατὶς olim dicta fuit. Reddit enim herba haec colorem caeruleum quidem, ſed tamen in nigrum aliquanto plus vergentem, id quod paſſim videre licet. MICYLLUS. Nihil haec faciunt ad Ovidii mentem, qui per Germanas herbas ſpumam illam, ſive ſapum intellexit, de quo toties Martial. lib. VIII. 33. XIV. 26. & 27. & Plin. XXVIII. 12. quod ex herbis compoſitum fuiſſe credidit Ovidius, & ita non de colore nigricante, ſed flavo haec infectio canitiei capienda. ſtudebant enim maxime ut flavis capillis eſſent conſpicuae; ut & hodie in Hollandiae & Friſiae multis pagis mulieres id ſtudere videmus. vide poſt alios multos Broukh. ad Tibul. lib. I. Eleg. VI. 8. & de flavo colore capiendum Ovidium aperte docet Tertull. II. de cultu fem. 6. *Video quaſdam capillum croco vertere; pudet eas etiam nationis, quod non Germanae atque Gallae ſint procreatae, ita jam capillos transferunt, male ac peſſime ſibi auſpicantur flammeo capite, & decorum putant, quod inquinant.* ubi legerem *inquinat*, nimirum medicamentum. *inficit* vero, quo Noſter utitur proprium eſt. Ita Spartian. Hadr. 20. *cum cuidam caneſcenti quiddam negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite reſpondit. jam hoc patri tuo negavi.* alio ſenſu Tibul. II. 11. 20. dicit ſenectutem *inficere comas*, pro canas facere. BURMANNUS.

167. *Nec pudor eſt.*] *Rubor* libri meliores cum prima editione. dixi Epiſtola XX. vers. 204. HEINS. *Veniſſe* multi ſcripti, & Editiones Micylli & Berſmanni. *emiſſe. Palam venire videmus* Vaticanus & Bernenſis. non mala diſtinctione.

168. *Herculis ante oculos, virgineumque chorum.*] Aedem Herculis Muſagetae intelligo, quae ad Circum Flaminium fuit, à M. Fulvio primum condita, poſtea à Martio Philippo inſtaurata. MICYL. vid. Suet. Aug. 29. & Noſtrum VI. Faſt. 801. & ſeq. Cl. Maſſonius vero in vita Ovidii. Aº. U. C. DCCLXVII. oſtendit non fuiſſe illum Philippum vitricum Auguſti, ſed alium, cui Marcia matertera Auguſti nupta fuit. Heinſius conjecerat, *Pieridumque chorum.* in uno Heinſii erat, *virgineumque caput.* Bernenſis & Palatinus, *thorum.* BURMANNUS.

169. *Non jam ſegmenta requiro.*] *Segmenta* exponit Merula, veſtes ſimpliciter aureas. Ego vero arbitror *ſegmentatas* dictas, quae hodie praetextae à quibuſdam dicuntur: *belegte kleider*, hoc eſt, ſerico, aut ſimili aliquo panno circa oras praeſutae. Nam & monilia *ſegmenta*, & apud Plinium, circuli *ſegmenta* vocantur, à quorum ſimilitudine etiam illa, opinor, recte ſegmenta vocantur, quae in circulum oris ſive extremitatibus veſtimentorum foris aſſuuntur. MICYLLUS. *Nec nunc* Regius & decem alii. Jureti excerpta, *nec enim.* alii aliter. Comelinianus aliique novem cum prima editione *nec vos.* quo ſex alii cum Neapolitano alludunt, *non vos.* ſed praeſtat alterum, quod & Zinzerlingo placebat. *rubes* etiam Regius ſequenti verſu & unus Vaticanus cum prima editione. HEINSIUS. & Francof. *rubes* habet, & Bernenſis. de *ſegmentis* vid. Ferrar. lib. III. de Re Veſtiaria cap. 17. & Salmaſ. ad Vopiſc. Aurel. cap. 46.

170. *Lana.*] Vid. ad II. Faſtor. 107. *de Tyrio* plurimi ſcripti & editi.

172. *Corpore ferre ſuos.*] *Suo* tres libri. HEINSIUS. Propert. III. Eleg. XI. 11.

Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Tertul. I. de Cult. fem. cap. IX. *Saltus & inſulas tenera cervix circumfert. graciles aurium cutes calendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit.* BURMANNUS.

Aëris ecce color, tum cum ſine nubibus aër,
Nec tepidus pluvias concitat Auſter aquas.
Ecce tibi ſimilis, qui quondam Phryxon & Hellen
Diceris Inoïs eripuiſſe dolis.
Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hac ego veſte tegi.
Ille crocum ſimulat: croceō velatur amictu,
Roſcida luciferos cum Dea jungit equos.
Hic Paphias myrtos: hic purpureas amethyſtos,
Albentesve roſas, Threïciamve gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuae, ne amygdala deſunt:
Et ſua velleribus nomina cera dedit.

Quot

173. *Tum cum ſine nubibus aër.*] Odioſa certe repetitio vocis *aër*: *Aether* quinque libri. *imber* unus. ſed in Lincoln. Junii & duobus aliis erat, *exſtat.* forte bene: cum non latet aër, nubibus tectus, ſed ſerenus eſt. vel legendum:

Aeris ecce color, cum ſol ſine nubibus exſtat.

Talis coloris erant *aërinae* illae *oves* Tertulliano lib. 1. de Cult. Fem. cap. 8. ut recte ex hoc loco Rigaltius probat. eſt autem color caeruleus. vide Salmaſ. excercit. Plin. pag. 143. ubi Tertulliani locum ſimiliter emendat. & pag. 399. & pag 770. Hunc vero & ſequentes verſus vide a Ferrario Part. 1. lib. III. de R. veſt. cap. 22. illuſtratos. Burm.

174. *Concitat Auſter.*] *Incitat* duo. ſed alii duo, *concipit.* nihil tamen muto. nam & ſic II. Faſt. 71.

Saepe graves pluvias adopertus nubibus Auſter
Concitat.

Nec recte Auſter *concipere aquas* dicitur, quod melius de Iride dixit Noſter lib. 1. Metamor. 271. Burmannus.

175. *Ecce tibi ſimilis, qui quondam Phrixon & Hellen Diceris Inois eripuiſſe dolis.*] Merula, ſimilis aëris color erat, inquit, quum Phrixus transfretavit novercam fugiens. Sunt qui referendum putent ad aureum arietis Phrixei colorem: quod non placet. Haec ille: ſed quantum à vero aberret, cuilibet videre eſt. Neque enim Poëta de aeris colore loquitur, qui tum fuit, quando Phrixus & Helle in Pontum trajecerunt: ſed de colore arietis. Tibi enim, inquit, ſimilis, qui Phrixum & Hellen eripuiſti ex inſidiis novercae: non ſimilis aeri, qui erat, cum transfretarent Phrixus & Helle. De vellere autem arietis aureo, quod poſtea Jaſon ex Colchis retulit, omnes vulgò ſciunt. Mycillus. Galbinum colorem, qui & aureus, intelligit Salmaſ. ad Vopis. Aurel. cap. 34 vid. & Turneb. IV. ad 23.

177. *Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.*] De glauco colore, quem eundem & *hyalum* appellari dicit, exponit hunc locum Merula. Sed neque haec expoſitio per omnia procedit: non enim *hyalinus* color (ita enim ἀπὸ τοῦ ὑάλου dici rectè puto idem eſt qui glaucus: ſed vitreus, vitri perſpicuitatem referens. Deinde neque ab unda nomen ſuum habet Glaucus. Fortaſſis autem Poëta eum colorem ſignificat, unde *veſtes undulatae* dicuntur: quemadmodum à fluctuum colore, ſive ſpecie, *cymatiles.* Sive de iiſdem intelligamus cymatiles & undulatas, ſive de diverſis, ut quibuſdam videtur, qui locum hunc Poëtae de cymatili colore ſive veſte accipiunt. Undulatam autem veſtem intelligunt eam, quam κυμβάλωτον vulgò quidam vocant. Mycillus. Rectius *imitatus* in uno Vaticano & Politiani excerptis. *Undulatas veſtes* videtur innuere: quarum Varro apud Nonium meminit de vita P. R. *Et à quibuſdam dicitur eſſe Virginis Fortunae ab eo, quod duabus undulatis togis eſt opertum, proinde ut olim noſtri Reges undulatas & praetextas togas ſoliti ſint habere.* Plinius libro VIII. cap. XLVIII. *Lanam cum colo & fuſo Tanaquillis in templo Sangi duraſſe, prodente ſe, auctor eſt M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in aede Fortunae, qua Servius Tullius fuerat uſus.* Deinde, *undulata veſtis prima è lautiſſimis fuit, inde ſororiculata defluxit.* quamquam iſta de textura veſtis videntur capienda. Apertius paullo Nonius Marcellus de colore veſtimentorum, *Cumatilis aut marinus aut caeruleus, a Graeco tractum, quaſi fluctuum ſimilis* Deinde Titinii & Plauti exempla ſubjungit. Solinus cap. XVII. de tigribus. *Fulvo nitent. hoc fulvum nigrantibus ſegmentis inundatum varietate apprime decet.* Virgae enim in tigrium tergore criſpatas undas quoque imitantur. de marmore Auguſteo Plinius: *Auguſteum undatim criſpum in vertices.* idem de menſis citreis, *praecipua dos in venam criſpis, vel in parvos vertices.* refer ad vertices aquarum ſeu undas. parvi vertices, undulae. hinc undulatum, in parvas undas criſpum. ſic *& undantes capilli, & unda comarum.* Heinsius. hanc veſtem vocat Lucretius IV. 1121. *Thalaſſinam.* vid. Ferrar. lib. II. de Re veſt. cap.

Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas; pigraque cedit hiems:
Lana tot, aut plures ſuccos bibit. elige certos:
Nam non conveniens omnibus omnis erit.
Pulla decent niveas: Briſeïda pulla decebant.
Cum rapta eſt, pullà tum quoque veſte fuit.
Alba decent fuſcas: albis, Cepheï, placebas,
Sic tibi veſtitae preſſa Seriphos erat.
Quam pene admonui, ne trux caper iret in alas;
Neve forent duris aſpera crura pilis!
Sed non Caucaſeâ doceo de rupe puellas,
Quaeque bibant undas, Myſe Caïce, tuas.

Quid,

cap. XI. & de *undulatis veſtibus* lib. III. cap. 20.

179. *Croceo velatus amictu.*] Sic ſub principium lib. x. Metamorph.

Inde per immenſum croceo velatus amictu
Aëra digreditur. CIOFANUS.

Crocotam & *crocotulam* Nonius Marcellus vocat crocei coloris veſtem, quomodo & *caltulam* a colore caltae. Idem color *luteus & crocinus.* Vid. Nonium in *Luteus.* HEINSIUS.

180. *Jungit equos.*] *Movit* Regius. vid. Epiſt. XI. 46. *movet* Lincoln. *mergit* Palatinus unus. *Lucida roriſluos* Palatin. *roſcida purpureos* Junianus.

181. *Purpureos amethyſtos.*] *Purpureas* Regius & Sarravianus cum duobus aliis. probe. dixi ad Claudianum VI. Conſ. Hon. ỳs. 563. pluribus. Priſcianus Periegeſi:

Purpureoque amethyſtus ineſt ſuffuſa rubore.

HEINSIUS. vid. ad II. Metam. 24.

184. *Et ſua velleribus nomina cera dedit.*] Qui color *cerinus* dicitur, à quo *Cerinarii* (ſive ut quidam legunt, *Carinarii*, ι in *a* longum mutato) apud Plaut. in Aulularia. II. v. 36. ſcilicet, qui cerina, id eſt, cerei coloris veſtes tingunt, ſive inficiunt. Neque *coeruleus* color à cera dicitur, ut idem Merula putat: ſed ut ceteri etymologici, à coeli apparentia, ſive ſpecie, quaſi *coeluleus. Cera* autem à Graeco κῆρος derivatur. Et illud Propertii in Vertumno, quod quidam allegant: *Coeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre, &c.* nihil ad rem praeſentem facit: cum ibi non cyaneum, qui Graecis coeruleus propriè eſt: ſed flavum ac cereum colorem, qualis in cucumeribus cernitur, ſignificet. MICYLLUS. *Cerinum* vocat Plautus Epidic. II. II. 49. ubi male *Geranium* legit Caelius Calcag. lib. III. Epiſt. 35. de *Cerino colore* vid. Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 779. & ad Vopiſ. Aurel. cap. 5. Turneb. adv. XIV. 5. vid. Nonium in *Cerinum.* BURMANNUS.

186. *Pigraque fugit hiems.*] *Cedit* ſcripti multi & prima editio. HEINSIUS. *Surgit* Francof.

118. *Omnibus unus erit.*] In nonnullis, *omnibus omnis erit.* utrumque rectè. NAUGERIUS. *Omnis erit* meliores cum primâ editione. argutè. Scribonius Largus praefatione, ubi de Compoſitionibus; *Quaedam quibuſdam magis, & non omnes omnibus conveniunt.* Propertius lib. III. Eleg. VIII.

Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta.

Maximinianus Elegia prima:

Diverſos diverſa juvant. non omnibus annis
Omnia conveniunt. res prius apta nocet.

Calvus in fragmentis Orationum: *Neque ambitus magis, quam omnium legum omnia judicia interierunt.* Prudentius Pſychomach.

Concurrunt alacres caſtris ex omnibus omnes.

Lucilius apud Lactantium lib. v. Divin. Inſt.

— *Ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.* HEINSIUS. Vide Heinſ. ad Vell. Pater. II. 83. & nos ad Quinctil. IX. Inſtit. 3.

189. *Pulla decet niveas.*] *Decent* & *decebant* libri veteres cum primâ editione. HEINSIUS.

190. *Cum rapta eſt.*] Scribe, *capta eſt.* quanquam aliter codices antiqui. Vide notas ad Epiſtolam III. ỳs. 16. HEINSIUS.

192. *Sic tibi veſtitae.*] Ipſum verbum *veſtire* ornatam ſaepe veſtem indicat. ut apud Juvenal. III. 135.

Cum tibi veſtiti facies ſcorti placet. DOUZA.

193. *Quam ſaepe admonui.*] Ubi vero? certe nuſquam in his libris, quod ſciam. Optimè Regius, *Quam paene.* excerpta Politiani, *bene.* proximè verum. Unus Palatinus, *Quod paene.* Negat eſſe monendum de axillarum foetore, cum per ſe ſatis id caveatur à puellis non omnino ſtupidis. HEINSIUS.

193. *Trux caper.*] Hircus. ſic & Catullus:

Valle ſub alarum trux habitare caper.

CIOFANUS.

196. *Quaeque bibunt.*] *Bibant* Regius & quinque alii. HEINSIUS.

Quid? si praecipiam, ne fuscet inertia dentes;
Oraque susceptâ mane laventur aquâ?
Scitis & inductâ candorem quaerere cerâ.
Sanguine quae vero non rubet; arte rubet.
Arte, supercilii confinia nuda repletis,
Parvaque sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare favillâ;
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.
Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
Parvus, sed curâ grande libellus opus.

Hinc

197. *Quid si praecipiam.*] *Quid tibi* Moreti. ut lib. II. 273.

199. *Scitis & inducta candorem quaerere cera.*] *Ceram* hoc loco exponit Merula pro cerussa. quod quia alienius videtur (quid enim cerussae cum cera commune?) admonendum putavi, si quis aut aliter hunc locum exponendum, aut pro ipso cerae nomine aliud aliquid restituendum fortè existimet. Nam Horatius etiam *cretae* meminit, qua ad cutem expoliendam & complanandam foeminae olim usae fuerint sic enim in Epodis ait, ode duodecima: *Nec illis Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili, &c.* Micyllus. An *creta?* quomodo apud Martialem VIII. 32.

Crassior in facie vetulae stat creta Fabullae.

& II. 41.

Quam cretata timet Fabulla nimbos.

In Catalectis Petronianis:

Dum sumit creteam faciem Sertoria, cretam
Perdidit illa, simul perdidit & faciem.

Ita scribendum. sic apud Ovidium Met. VII. 223. ex vestigiis optimorum codicum:

— *Creteis regionibus applicat angues.*

Ut illic dicemus. Horat. Epod. XII.

——— *Neque illi*
Jam manet humida creta colorque
Stercore fucatus crocodili. Heinsius.

Creta etiam Douza ex Martiali probabat, & ita correxit jam Neapol. ad lib. II. Fastor. 764. Petron. cap. XXIV. *Inter rugas tantum erat cretae, ut crederes parietem tectum nimbo laborare.* ubi vid. interpretes. *Cera* tamen firmari posset ex Anth. 2. 13. pag. 205. ubi vid. Brod. Burmannus.

201. *Supercilii confinia nuda repletis.*] Juvenal. Sat. II.

Ille supercilium madida fuligine factum.
Obliqua producit acu.

Plinius libro XXVIII. cap. XI. *Ursinus adeps emendat raritatem superciliorum cum fungis lucernarum ac fuligine, quae est in rostris earum. Sicut & canis cinere ex oleo illico supercilia nigrescunt.* libro XXX. cap. XV. *Ovis formicarum supercilia denigrari cum muscis tritis tradunt.* Heinsius. Tertull. de Cult. fem. II. 5. *In Deum enim delinquunt, qui cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant oculos fuligine porrigunt.* Quae ultima verba de superciliis productis intelligunt interpretes. quod confirmat idem Tertul. lib. I. de cultu fem. cap. 2. *& illum ipsum pulverem quo oculorum exordia producunt.* nam probasse veteres supercilia tenui discrimine distincta & producta docet Petronius cap. CXXVI. ubi vid. Gonzal. notas. cogitabam olim legi posse, *corrigunt.* nunc nihil muto. vid. & Stewech. ad Arnob. pag. 77. & Elmenh. pag. 89. Burmannus.

203. *Aluta.*] *Calliblepharum*, vide Arbitrum nostrum. Douza.

205. *Est mihi quo dixi.*] *Qui dicit* Bernensis & alius. *qui dixit* quatuor. *quo duxi* editio prima, forte, *qui dicet.*

207. *Praesidium.*] *Consilium* Farnes.

207. *Laesae petitote puellae.*] *Laesae figurae* prima editio & quatuor scripti. probe. I. Amor. 10.

Nunc mentis vitio laesa figura tuae est.

Heinsius.

209. *Non tamen expositas.*] Comelinianus, *& positas.* forte, *ut positas.* vide de eo loquendi modo quae noto ad Epist. v. 𝔙s. 83 *positae pyxides*, ut *posita venena* Remed. 𝔙s. 351. Heinsius. Omnino retinenda vulgata lectio: *expositae* enim pyxides sunt in mensa, eodem modo, ut *expositum aurum & argentum* in abaco in triclinio. Cicer. 10. Verr. 27. *Exornat ample magnificeque convivium, exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vasa argentea.* Vide supra ad lib. I. 407. Burm.

210. *Dissimulata juvet.*] *Juvat* in quibusdam. Naugerius. *Juvat* scripti cum prima editione. Heinsius. Vide an placeat lectio Vossiani codici:

Ars faciem dissimulata facit.

Ita supr. 105. *cura dubit faciem.* & mox 217. *Ista dabunt faciem.* Burmannus.

213. *Oesopa quid redolent, quamvis mittantur Athenis?*] Sic vulgo quidem legitur: sed *Oesypa*, vera lectio postulat. nam & apud Suidam & apud Dioscoridem media syllaba per υ psilon scribitur; quamquam alias iidem auctores genere non conveniant. nam Dioscorides οἴυπος δὲ λέγεται, inquit,

Hinc quoque praesidium laesae petitote figurae:
Non est pro vestris ars mea rebus iners.
Non tamen expositas mensâ deprendat amator
Pyxidas. ars faciem dissimulata juvat.
Quem non offendat toto faex illita vultu,
Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?
Oesypa quid redolent, quamvis mittatur Athenis
Demtus ab immundo vellere succus ovis?
Nec coram mixtas cervae sumsisse medullas,
Nec coram dentes defricuisse probem.

Ista

quit, τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος. Suidas autem foeminino genere οἰσύπη, inquit, ὁ ῥῦπος τῶν ἐρίων. Plinius neutro genere utitur. perinde ut Ovidius. apud quem vide libro vigesimo capite secundo. Micyllus. Scaliger in codice suo emendarat:

Oesypa quid redolent, quamvis mutetur ahenis
Demptus ab immundae vellere succus ovis?

Dan. Heinsius. Magnus Scaliger reponebat:

Oesypa quid redolent, quamvis mutantur ahenis.

Oesypa certe in Regio & uno Vaticano. Remed. Amor. 353.

Pyxidas invenies, & rerum mille colores,
Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.

Οἴσυπος, καὶ Οἰσύπη, καὶ Οἰσυπὶς, ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος. sordes ovium, vel sordes ovillae lanae adhaerentes, aut lana succida & sordida prope nates ovium, vel etiam pinguedo, quae exprimitur ex hisce sordibus. Οἰσύπειον, ἔριον ὑπαρὸν προβάτων. Ita Hesychius. *Oesypon* autem neutro genere quoties dicitur, subintellige medicamentum. Οἴσυπον φάρμακον. sic Graeci medici saepe: quomodo hic apud Nasonem. erat autem foetidi odoris Oesypon, hinc οἰσυπηρὸς & οἰσυπώδης, qui redolet oesypum. Ceterum frustra est vir maximus, qui pro *mittantur Athenis*, *mutantur ahenis* reponit. Plinius lib. XXIX. cap. II. *Quin ipsae sordes pecudum, sudorque feminum & alarum, adhaerentes lanis (Oesypum vocant) innumeros prope usus habent. In Atticis ovibus genito palma.* ut jam liqueat, Athenis cur mitti dixerit Ovidius. Galenus quoque lib. XIII. Meth. laudat τὸ Ἀττικὸν οἴσυπον. etsi perperam apud illum ὕσσωπον legatur, frequenti errore. Pergit Plinius *Fit pluribus modis. sed probatissimum lana ab his partibus recenti concerpta, aut quibuscunque sordibus succidis primum collectis ac lento igni in aeneo vase subfervefactis & refrigeratis, pinguique, quod supernatat, colliecto in fictili vase, iterumque decocta priori materia. quae pinguetudo utraque fricida aqua lavatur, & in linteo siccatur, ac sole torretur, donec candida fiat ac translucida. Tum in stannea pyxide conditur. Probato autem, ut sordium virus oleat, & manu fricante ex aqua non liquetur, sed albescat ut ceruſa.* Quae omnia fere ad verbum hausit ex Dioscoride lib. II. cap. LXXXIV. ut & suam oesypi compositionem Aëtius lib. II. Tetrabibli cap. CXX. Heinsius. Ego quoque malim cum Regio & uno Vaticano, *quamvis mittatur Athenis*, ut cum *succus* conjungatur. Douza hic adscripserat illa Virgilii Ecl. IV. *croceo mutabit vellera luto. Mitti* passim dicuntur merces peregrinae, ut Noster passim. & Virg. I. Georg. *India mittit ebur.* Propert. II. XVIII. 77.

Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes.

Et III. XI. 5.

Inda cavis aurum mittit formica metallis.

Vide ad utrumque locum Passeratium. & apud Nostrum II. Metam. 366. Burmannus.

214. *Immundae vellere succus ovis.*] *Immundo* scripti cum primâ editione. bene. Unde *lanâ succida* non lotâ, Scribonio Largo Compos. XLI. XLVII. CLVIII. CLXI. quod Rhodius rectè interpretatur. cur sic dicta. v. Varron. de Rust. II. CXI. *Imitatur* etiam, non *mittantur* versu praecedenti codex Regius. Heinsius.

215. *Sumsisse.*] *Suisse* unus Vaticanus. forte *suxisse*. Heinsius. Nihil muta; *sumere* posset aliquis capere pro bibere medullas mixtas vino vel alio liquore. ut supr. II. Amor. XIX. 32. sed malo de pigmento ex cervina medulla aliis Medicaminibus mixta intelligere. quia *cervinae medullae* principatum inter medicamenta ex medullis animalium tribuit Plinius lib. XXVIII. cap. 9. & hoc sensu passim medicos *sumere* & *assumere* capere docuit Rhodius in lexico Scriboniano, de interno & externo medicamento. Barth. adversf. XXXVII. 2. notat indicare modicum usum. Rigori mederi cervinam medullam docet Seren. Sammon. Carm. X.

Et cervina potes mulcere medulla rigorem.

Et lumbis & renibus sanandis Carm. XXVI.

Potest cervina medicans natura medullae.

Ad quae loca Keuchenius *medullam* pro cerebro capit. de quo viderint medici. Scribonius etiam aliquoties inter medicamenta memorat Burm.

216. *Dentes perfricuisse probem.*] *Defricuisse* iidem: etiam probe. sic apud Catullum, Epigr. XXXVII.

Iſta dabunt faciem; ſed erunt deformia viſu:
Multaque, dum fiunt turpia, facta placent.
Quae nunc nomen habent operoſi ſigna Myronis,
Pondus iners quondam, duraque maſſa fuit.
Annulus ut fiat, primo colliditur aurum:
Quas geritis veſtes, ſordida lana fuit.
Cum fieret, lapis aſper erat; nunc nobile ſignum
Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.
Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus;
Aptius à ſummâ conſpiciare manu.
Cur mihi nota tuo cauſſa eſt candoris in ore?
Claude forem thalami, quid rude prodis opus?
Multa viros neſcire decet. pars maxima rerum
Offendat, ſi non interiora tegas.

Aurea

dens Iberâ defricatus urinâ. & eidem Epigr. xxxix. *Dentem atque ruſſam defricare gingivam.* & apud Horatium, lib. 1. Sat. x. 4. *quod ſale multo Urbem defricuit Lucilius.* ceterum huc alluſit auctor epigrammatis in Catalectis Petronianis, venuſti ſane, ſed valde depravati. Adſcribam illud, quomodo emendandum cenſeo:

Semper munditias, ſemper, Baſiliſſa decores;
Semper compoſitas arte recente comas,
Et comptos ſemper cultus, unguentaque ſemper;
Omnia ſollicitâ comta videre manu,
Non amo. neglectim mihi ſe quae comit, amica,
Et decor ornatae ſimplicitate placet.
Vincula nec curet capitis diſcuſſa ſoluti,
Nec coram faciem me lavet illa ſuam.
Fingere ſe ſemper, non eſt confidere amori.
Quid quod ſaepe decor, cum prohibetur, adeſt?

Verſu ſexto & octavo veſtigiis Voſſiani codicis inſtitimus, in quo, *Sedet ornate*, & *coram faciem mel habet illa ſuam.* In vulgatis libris omnia inquinatiſſima ſunt. Heinsius. *Perfrictionem dentium* dixit Scribon. Larg. Compoſ. 57. *Pulverem dentibus elimandis* in uſu fuiſſe docet Tertul. de Poenitent. cap. xi. Epigramma illud Petronianum aliter emendat Colomeſ. ad Quinct. 11. 5. Burmannus.

217. *Iſta dabunt faciem.*] *Curam* Regius & quinque alii. Puto, *formam.* ſupra 134.

Admotae formam dantque negantque manus.

Heinsius. *Formam* habent duo ſcripti. *facies* Neapolit. unus, *iſta dabunt ſpeciem.* etiam non male. *ſpecies* pro pulchritudine paſſim.

221. *Colliditur.*] *Colliquitur* Gebhardus. *contunditur* Francof. Lincol. Junii & Voſſii codices.

224. *Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.*] Videtur ad Venerem alludere, quam ἀναδυομένην Graeci vocant. quod videatur ſimilis è mari exeunti, qualis a multis artificibus & picta & ſculpta fuit, ut apud Plinium videre eſt. Micyllus. Vid. 11. Triſt. 527. iv. Pont. 1. 30. & Dauſquej. ad Q. Calabr. lib. v. pag. 106. ejus figura eſt in nummis Adaneorum in Cilicia. vid. Harduin. num. populor. & ejus effigiem ab Apelle pictam Auguſtus dicavit in delubro patris Caeſaris Plin. xxxv. 10. ubi Harduinus Epigrammata ex Anthologia adfert. Noſter ad Statuam aliquam Romae celebrem reſpicit, & quo etiam adludi infr. 401. non tamen illam, quam Merula, & eum ſecutus ſine ullo examine Criſpinus, ex Plinio innui credunt, quae in Bruti Callaici templo fuit poſita, quam Paxiteleam faciunt. cum Plinius lib. xxvi. cap. 5. inter opera Scopae recenſeat, & Praxiteleam antecedere dicat: haec enim prope Martem nuda poſita non fuit ἀναδυομένη· nam non ſtatim Venus, ut emerſit pelago Marti fuit juncta, ſed cum jam Vulcano diu fuiſſet nupta, ut omnibus notum. ceterum hic *ſola Venus* malebat Francius. Burmannus.

225. *Tu faciem cura, dum te dormire putemus.*] Rectior fortaſſe vetus lectio, *tu quoque, cum coleris nos te dormire putemus.* Naugerius.

226. *Conſpiciere.*] *Conſpiciare* Sarravianus & unus Patavinus. Heinsius.

227. *Nota tui.*] *Tuo in ore* rectius tres ſcripti. Idem.

227. *Cauſa eſt candoris.*] *Splendoris* prima editio, Veneta una, Aldina prior & Micylli, & Mediceus codex. Sed nihil muta. Propert. iii. xxiii. 8.

Cum tibi quaeſitus candor in ore foret.

Quem locum etiam Douza hic adſcripſerat.

228. *Claude fores thalami, quae rude cogis opus.*] *Forem* prima editio cum ſcriptis potioribus. ſic paſſim Noſter. Puto & *Obde forem.* de quo lib. 11. ŷs. 636. deinde Regius, *quid rude cogis.* at prima editio, & Sarravianus, *quid rude prodis opus?* recte. quatuor alii, *quae prodis.* unus, *quod prodis.* Forte, *quo prodis?* de *prodendi* verbo hac ſignificatione dictum Faſt. v. ŷs. 508. Heinsius. *Quid rude*

Aurea quae pendent ornato ſigna theatro;
Inſpice, quam tenuis bractea ligna tegat.
Sed neque ad illa licet populo, niſi facta, venire:
Nec niſi ſubmotis forma paranda viris.
At non pectendos coram praebere capillos,
Ut jaceant fuſi per tua terga, vetem.
Illo praecipue, ne ſis moroſa, caveto
Tempore: nec lapſas ſaepe reſolve comas.
Tuta ſit ornatrix. odi, quae fauciat ora
Unguibus, & raptà brachia figit acu.
Devovet, & dominae tangit caput illa: ſimulque
Plorat ad inviſas ſanguinolenta comas.
Quae male crinita eſt, cuſtodem in limine ponat;
Orneturve Bonae ſemper in aede Deae.

Dictus

rude prodis Francofurtenſis, Regius, Lincol. Vatic. & Ambroſianus.

230. *Offendit.*] *Offendat* Regius & quinque alii. prima editio, *offendet* cum tribus ſcriptis. HEINS.

231. *Quae pendent.*] Forte melius legeretur, *ſplendent.* vid. I. Amor. X. 55. Claud. I. Stil. 262.

Splendent vipereae ſquamoſa pelle pharetrae.

Ubi & *pendent* alii. BURMANNUS.

232. *Quam tenuis bractea ligna tegat.*] *Tegat* jam praeceſſit ſuperiori pentametro. *ligat* Farneſianus. Scribo, *linat.* ut alludatur ad derivationem vocis. *bractea* enim ſeu *βράκτια ἀπὸ τοῦ βρέχειν* deducitur, à linendo. Hinc Martialis quoque, lib. IX. Epiſt. LVII.

Et linit Heſperium bractea viva pecus.

Bracteam, *ſputum* idem vocat lib. VIII. Ep. XXXIII.

Hoc linitur ſputo Jani Caryota calendis.

Idem lib. IV. 39.

Chryſolithus nativo interlitus auro.

Prudentio Pſychomachia:

Nec quae Callaïco linuntur auro.

Sic. & *illita porticus auro* apud Calpurnium Eclog. VII. & *aurum veſtibus illitum* Horatio Od. IX. lib. IV. & *veſtes auro illitae* apud Senecam Hippolyto. vers. 387. Noſter Met XI. 136.

Neve male optato maneas circumlitus auro.

Et Medicamine Faciei ♀s. 7.

Culta placent: auro ſublimia tecta linuntur.

Hinc *bracteatii*, *πεταλούργοι.* & *bracteatores*, *πεταλοπρσιοὶ.* Eleganter Arnobius *bracteolis fucari.* lib. IV. *Antiochum Cyzicenum ferunt quindecim cubitorum Jovem ex delubro aureum ſuſtuliſſe*, & *ex acre bracteolis ſubſtinuiſſe fucatum.* ita & *aerius bracteolae fucus* Auſonio Epiſt. IV. ad Symmachum. *auro inbracteari* apud Ammianum lib. XIV. & *inbracteatum auro* lib. XVII. ſic & *linere cedro.* vide Notas ad lib. I. Triſt. El. V. ♀s. 7. Ubi pro *ligetur*, ſimiliter *linatur* reponimus. HEINSIUS.

234. *Forma paranda.*] Hafnienſis, *pianda.* quod forte, pro concilianda, ut *piare mortem.* Epiſt. XIX. 194. & *damna piare* ſup. 160. HEINSIUS.

236. *Ut jaceant fuſi per tua colla.*] *Terga* ſcripti fere omnes cum prima editione. lege, *ſua terga.* ſic infra 774.

Spectentur tergo, quîs ſua terga placent.

Multus in hac locutione Ovidius, ut jam alibi copioſe eſt dictum. mox infra 272.

Arida nec vinclis crura reſolve ſuis.

Ita & illic libri veteres. *vetem* etiam recte unus ex meis. HEINSIUS. Francof. habebat, *per ſua terga* pro varia lectione.

238. *Nec lapſas ſaepe reſolve comas.*] *Laxas* prima editio & quinque ſcripti. tres, *laſſas*, totidem, *nexas.* Puto pro *pexas.* Propertius tamen lib. I. El. III.

Et modo gaudebam lapſos formare capillos.

Laxas etiam placet. ſupra 145.

Huic decet inflatos laxe jacuiſſe capillos.

Quibus *adſtrictos* ibidem opponit, *Illa ſit adſtrictis impedienda comis.* B Hieronymus adverſus Rufinum, *Habent acus mulieres, quibus ornatorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant.* Petronius, cap. CXIX.

Serta placent, fractique enervi corpore greſſus,
Et laxi crines, & tot nova nomina veſtis.

HEINSIUS.

239. *Tuta ſit.*] Vid. ad lib. I. Am. XIV. 16.

241. *Tangit caput.*] Mart. II. 66.

Tangat & inſanum nulla puella caput. DOUZA.

242. *Plorat ad inviſas.*] *Et inviſas* ſcripti plerique cum prima editione, ſed perperam ſuperiori verſu puto ſcribendum, *devovet*, *ut tangit.* HEINS.

244 *Orneturve Bonae ſemper in aede Deae.*] Quo maribus adire non licebat. Hinc Tibullus, lib. I. Ele. VII. 22. *Sacra Bonae maribus non adeunda Deae.* *ἡ θεὸς γυναικεία* Graecis apud Macrobium lib. I.

cap.

Dictus eram cuidam subito venisse puellae;
Turbida perversas induit illa comas.
Hostibus eveniat tam foedi caussa pudoris;
Inque nurus Parthas dedecus illud eat.
Turpe pecus mutilum: turpe est sine gramine campus:
Et sine fronde frutex; & sine crine caput.
Non mihi venistis, Semele, Ledeve, docendae;
Perque fretum falso, Sidoni, vecta bove.
Aut Helene, quam non stultè, Menelaë, reposcis;
Tu quoque non stultè, Troïe raptor, habes.
Turba docenda venit, pulchrae turpesque puellae,
Pluraque sunt semper deteriora bonis.

For-

cap. II. in Saturnalibus dicitur, qui multa de operis ejus sacris in lucem profert. Haec Fauna Fatua Fauni uxor & soror. Interpres hic nobis esto Lactantius libro primo de Falsa Religione cap. XXII. *Sed ut Pompilius apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit, sic ante Pompilium Faunus, qui est* (ita haec ex optimo codice corrigenda) *in Latio, Saturno avo nefaria sacra constituit, & Picum patrem inter Deos honoravit, & sororem suam Fatuam Faunam, eamque* (lego *eandemque*) *conjugem consecravit. quam C. Bassus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris. Eandem scribit Varro tantae pudicitiae fuisse, ut nemo eam, quoad vixerit, praeter virum suum, mas viderit, nec nomen ejus audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant, & Bonam Deam nominant. & Sex. Clodius in eo libro, quem Graece scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse, quae quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat, & ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem caesa est. postea vero cum eum facti sui poeniteret ac desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detulisse. Idcirco in sacris ejus obvolutam vini amphoram poni.* Quo loco pro *vini olla* corrigendum videtur, *vini obba.* nam *feriam vini* vocat Arnobius in hac eadem narratione, & Lactantius ipse ad memoriam rei in Sacris Bonae Deae, *amphoram vini* fuisse positam asseverat, ut jam vidimus. Adamantius Martyrius apud Cassiodorum in Orthographia, *Obba*, ποτήριον. notat id verbum etiam ex Laberio Gellius libro XVI. cap. VII. Nam *ollas* Nonius Marcellus vasa fuisse capacissima observat, cujuscemodi nullum a Fatua exhauriri potuerit. Video nunc & Meursio eandem conjecturam in mentem venisse. *Obba* vas vinarium Persio etiam Sat. V.

Tibi torta cannabe fulto
Coena sit in transtro, Veientanumque rubellum
Exhalet vapida laesum pice sessilis obba?

Ubi obiter monendum in vetusto codice Leidensis Bibliothecae exaratum me invenisse, *fissilis obba*, quod impense placet. quamquam minime ignoro, *sessilem obbam* erudite illustratam a Persii interpretibus. Sed *fissilis obba*, non bene oblita, ac proinde vinum exhalans; quo vinum ipsum per se deterrimum fiat deterius. Scholiastes Persii ad illum locum, *obba genus vasis ex sparto factum. oenophorum* ipse Persius paullo ante appellarat, quem peregrinantes secum ferunt. Vide igitur ne vir summus Isaacus Casaubonus aberret a scopo, dum vas ligneum obbam fuisse contendit, & quidem capacissimum, quod Galli *Baril* vocant. *Obbarum* vox Statio etiam reddenda est in Lusu Saturnalitio ad Plotium Grippum. lib. IV. Silv. IX. 42.

Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas vel orbe tortas,
Aut unam dare syntheſin (*quid horres?*)
Obbarum, calicum, atque cacaborum?

Sic locus ille scribendus. nunc circumfertur, *Alborum calicum.* Sed nihil legisse me de calicibus albis recordor. *Cumani* certe *calices* erant rubri, quos & Varro Satyra, *Est modus matulae*, apud Nonium Marcellum cum obbis conjungit: *Dolia atque apothecas tricliniares, melicas, calenas, obbas & cumanos calices.* De Fatua Fauna occurrunt his similia apud Plutarchum in Problematis, Arnobium, Macrobium. de vase vini in ejus sacris adhibito intelligendus Juvenalis Satyra II.

Atque Bonam tenerae placant abdomine porcae
Et magno cratere Deam.

Macrobius Saturnalium primo capite XII. ubi de Bona Dea agit copiose, eamque non Faunam Fatuamque dictam esse solummodo ostendit, sed Opem quoque, nomen & genus vasis, quo ei soleat sacrificari, non quidem exprimit, sed sub vasis mellarii nomine templo ejus inferri solitum ostendit. plura ille ibidem ad rem. Heinsius. Vid. Tomasium de Donaris. cap. 12. Douza haec ita capiebat, non quasi revera in aede Bonae Deae se ornet, sed quasi domi se ornari dissimulans, in templo se esse Amatoribus persuadeat, ubi periculum non erat, ne a procaci turba illa juvenum de-

Formosae minus artis opem praeceptaque curant:
Est illis sua dos, forma sine arte potens.
Cum mare compositum est, securus navita cessat,
Cum tumet, auxiliis adsidet ille suis.
Rara tamen mendo facies caret. occule mendas:
Quamque potes, vitium corporis abde tui.
Si brevis es, sedeas; ne stans videare sedere:
Inque tuo jaceas quantulacumque toro.
Hìc quoque, ne possit fieri mensura cubantis,
Injectà lateant fac tibi veste pedes.
Quae nimium gracilis, pleno velamina filo
Sumat: & ex humeris laxus amictus eat.

Palli-

deprehenderetur, ut quibus fas non erat illo introire. ego explicarem, ornetur domi in secreta parte, tamquam in aede Bonae Deae, & neminem admittat. *Orneturque* Palatin. & Bernens. BURMANNUS.

248. *Nurus Parthas*] *Pharias* sexdecim codices. *Phasias* tres. *Farias* Francof. & Bernens. *Phareas* unus Heinsii.

249. *Turpe pecus mutilum: turpis sine gramine campus.*] *Turpe est sine* primus Patavinus. recte. sic infra 765.

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyaeo.
Amor. I. Eleg. IX.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.
Remed. 659.

Turpe vir & mulier juncti modo protinus hostes.
Pecus mutilum pro depilato ponit. sic Nemesianus de Sileno, Ecl. III. 33.

Applauditque manu mutilum caput.
Sileni enim calvi. HEINSIUS Alii auctores *mutilum pecus* vocant, quod cornibus caret, Donat. ad Terentii illa Hecyr. I. 1. *Quin spolies, mutiles, lacères. Mutiles, imminuas, unde mutili dicti sunt boves aut capri, sine cornibus.* Et ita Columella praefatione. *Aliud caprinum, & id ipsum aliter curatur mutilum & raripilum, aliter cornutum & setosum.* lib. VII. 3. *Intortis cornibus, non quia magis hic sit utilis, nam est melior mutilus aries, sed quia minime nocent.* Horat. I. Sat. V. 58.

O tua cornu
Ni foret exsecto frons inquit: quid faceres? cum
Sic mutilus minitaris?

Admutilare tamen Plautus quoque pro tondere dixit Capt. II. II. 19. & Milit. III. I. 173. BURMANNUS.

252. *Falso bove.*] *Flavo* Palatinus. male. vid. I. Amor. III. 23.

254. *Troïce raptor.*] *Troïe* Johannis Schefferi codex viri doctissimi. Dixi Notis ad Epist. I. ŷs. 28. HEINSIUS. *Troïce pastor* unus. *Victor* Neapol. forte pro *vector*, ut Heinsius credebat.

256. *Pulchraque sunt semper deteriora bonis.*] Scripti plerique, *Pluraque.* quod verum est. In Jureti excerptis, *Plurima.* HEINSIUS.

257. *Praeceptaque quaerunt.*] *Curant* Jureti excerpta, Sarravianus, & duo alii cum primâ editione. Amor. lib. II. El. XIX. ex veteribus libris:

Quo mihi fortunam, quae nunquam fallere curet,
HEINSIUS. *Poscunt* Palatin. unus.

258. *Sine arte potens.*] Ita & lib. X. Met. 573. *potentiam formae* dixit. & Prop. III. XVIII. 7. *Est tibi forma potens.* in octo tamen libris est, *decens*: etiam non male. licet videatur repetitum ex Remed. ŷs. 350.

Fallit enim multos forma sine arte decens.
Propert. I. Eleg. IV. 13.

Nullis decor artibus.
Sed ibi melius *multis decor artibus* legi ostendit Broukhusius. Bernensis & duo alii, *placens.* unus *patens.* ego nihil moveo. BURMANNUS.

259. *Cessat.*] *Transit* Aprosii & sex alii cum prima editione, duabus Venetis & priore Aldina.

261. *Menda.*] *Mendo* Regius. bene. quomodo & Remed. Amor. 417.

Tunc oculis signa quodcunque in corpore mendum est.
Et sic infra 781. scribendum puto, *carent cui pectora mendo.* ut concursus duum *a* vitetur, quem & hic vitavit. Nam alibi foeminino genere effert Noster. HEINSIUS. vid. ad lib. II. 653.

262. *Quaque potes.*] *Quamque* Comelinianus, excerpta Politiani, & Jureti, & quatuordecim alii. sic Remed. 325.

Quam potes, in pejus dotes deflecte puellae.
supra lib. I. 140.

Junge tuum lateri, quam potes, usque latus.
Et 489.

Neve aliquis verbis odiosas offerat aures,
Quam potes, ambiguis callidus abde notis.
HEINSIUS. & *qua* rectum est: vide ad Epist. XIII. 41. & alibi.

265. *Hic quoque.*] Malim, *sic quoque.* HEINSIUS. Probo. frequens enim hujus formulae usus, pro, licet jaceas, & abscondere velis brevitatem. sic &

Pallida purpureis tinguat sua corpora virgis:
Nigrior ad Pharii confuge piscis opem.
Pes malus in niveâ semper celetur alutâ:
Arida nec vinclis crura resolve suis.
Conveniunt tenues scapulis analectrides altis:
Inflatum circa fascia pectus eat.

Exi-

VIII. Met. 603. *Sic quoque complectar.* ubi vulgo, *hanc quoque.* Epist. VIII. 25. *sic quoque eram repetenda.* vid. I. Amor. VII. 13. plura dabimus ad Val. Flac. IV. 598. BURMANNUS.

265. *Mensura cubantis.*] Stat. II. Achill. 89. *Et extemplo latuit mensura jacentis.*

267. *Quae nimis est gracilis.*] *Nimium gracilis* ex scriptis ac prima editione reponatur. HEINS.

267. *Pleno velamina filo.*] Sunt quae Polimita Petronio cap. 40. dicuntur. vide supr. 109.

269. *Tangat sua corpora.*] In veteribus *tingat* NAUGERIUS. Eadem hoc loco securitate utitur Merula, qua supra, cum ceram exponit cerussam. nam & hic *purpureas virgas* pro vacciniis accipit: quasi aut virgae de vacciniis dici soleant, aut ipsa vaccinia ad coloranda corpora adhibeantur. Virg. sane *nigra* vocat *vaccinia.* quem colorem pallidae inducendum esse, haud equidem puto Poëtam voluisse. Cum illis igitur magis sentio, quorum interpretationem Merula hic rejicit: quandoquidem certi aliquid afferre ipse non possum. MICYLLUS. *Tingat* legendum & ex probatis libris scriptis & ratione. CIOFANUS. *Tangat virgis* pro *tingat*: infra hoc libro 627.

Tuta quoque est fallitque oculos è lacte recenti
Litera. carbonis pulvere tange, leges.

Juvenal. Satyr. II.

Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu.

Fast. IV. 740.

Tactaque fumanti sulphure balet ovis.

Et supra lib. I. 662.

——— *Uncta lumina tange manu.*

Plura qui desiderat, adeat Gronovii Observ. lib. III. cap. XVIII. quae scripta limpidos Romanae antiquitatis fontes sitientibus diligenter sunt terenda. HEINS. *Tangere* etiam alibi pro ungere, illinere. vid. ad Epist. XIX. 44. & IV. Fast. 790. sed *tangat*, hic non tam placet, quia de fuco agitur, de quo rectius *tingere* dici puto. ut Propertius II. XIV. 27.

An, si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?

Quamvis & *tangat* defendi possit auctoritate Plinii. lib. XIX. 10. *sunt qui sanguineis virgis tangunt ea; quae nolunt his obnoxia esse.* praeterea quidam codices, *guttis*, de quibus vid. ad v. Met. 461. alii *succis*. quae sunt glossatorum interpretamenta: nam *virgis* rectum puto. quae alibi quidem de vestibus variis possunt capi, de quibus Servius ad Virg. VIII. 660. & abunde Broukh. ad Tibul. II. VI. 36. Sed *virgae* hic sunt notae fucatae, maculae arte ductae, quibus faciem pallidam illinunt: ut *virgata nurus* apud Val. Flacc. II. 158. ubi plura dicemus. illis vero virgis non tam tangitur corpus, quam tingitur. nam materiâ, ex qua illae virgae ducuntur, rectius posset dici tangi corpus. BURMANNUS.

271. *Pes malus in nivea semper celetur aluta.*] Albo calceo, Juvenalis Satyra VII. *nigrae* meminit *alutae.*

Appositam nigrae lunam subtexit alutae.

albos calceos Appianus videtur *Phaecasia* appellare; ubi de Antonio agit Athenis luxui indulgente: Καὶ σολὴν ἔ̓χε τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα ἦν αὐτοῦ λευκὸν Ἀττικὸν, ὃ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι Φαικάσιον. *Et stola induebatur quadrata pro vestitu patrio, & pedum tegumento albo Attico, quali Athenienſium & Alexandrinorum ſacerdotes utuntur, quod phaecaſium vocant.* non ergo albi calcei in usu Romanis. *Phaecasianorum* meminit & Seneca libro VII. de beneficiis cap. XXI. *Pythagoricus quidam emerat a Sutore phaecasia, rem magnam, non praesentibus nummis. Phaecasiatus miles* apud Petronium. Flavius Vopiscus in Aureliano *calceos malleos, cereos, albos, cideraceos* recenset. Apulejus libro VII. *Calceis albis illis & tenuibus indutus.* ubi habitum muliebrem describit. De Crepidis & Calceis nonnulla Gellius libro XIII. cap. XX. HEINSIUS. *Niveos calceos* etiam Phaedr. lib. V. 7. vid. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. cap. 49.

272. *Vinclis crura resolve tuis.*] *Suis* bene excerpta Jureti, & quinque alii. libro III. Fastor ẏs. 293. ut & illic monui scribendum, *adhibe sua vincula captis.* HEINSIUS. *Suis* etiam Douza legebat, vid. supr. 236.

273. *Analectides altis.*] Cael. lib. 13. cap. 31. *Analectides* dicuntur, quibus ex xylino lino, vel quavis materia, tanquam pulvillis, constipant scapulas prominentes puellae, ut videri habitiores possint. Quod Ovidianum carmen liquido comprobarit, quod ita habet: *Conveniunt tenues scapulis analectides altis*, &c. Hoc complanandi remedio utuntur & hodie gibbosae pleraeque, cum terga exaequare cupiunt, ne vitium ipsarum videatur. MICYLLUS. Interpretes *analectides* legunt, qui, *pulvillos modicos, qui vestibus aptari solent, ne humeri altiores videantur*, interpretati sunt. Scaliger ad Varronem, *emeletides*, sive *homeletides*, legit,

Exiguo ſignet geſtu quodcumque loquetur;
Cui digiti pingues, & ſcaber unguis erunt.
Cui gravis oris odor, numquam jejuna loquatur;
Et ſemper ſpatio diſtet ab ore viri.
Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus
Dens tibi, ridendo maxima damna feres.

Quis

ſit. *Erant*, inquit, *& ad vinciendum pectus ſtrophia & faſciae, de quibus Terentius intellexit, de puellis loquens, quas matres ſtudent eſſe,*

Demiſſis humeris, vincto pectore, ut graciles ſient. Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe ajunt, deducunt cibum.

Nam faſciis illis ὁμαλοὺς & aequos humeros reddebant: cum contra in pugilibus ſint toroſi. Xenophon, ὥσπερ οἱ πύκται τοὺς μὲν ὤμους παχύνονται, τὰ δὲ σκέλη λεπτύνονται. Ergo ſtrophio tumorem papillarum cohibebant, faſciis illis humerorum caſtigabant ſuperfluum, & quaſi luxuriantem καὶ σφριγῶντα habitum. Itaque apud Ovidium:

Conveniunt humeris tenues ameletides altis,

Ego lego omeletides. ὁμελήτιδες enim videntur vocatae eſſe, quod iis aequabantur humeri, & complanabantur. In ſuo autem codice idem magnus vir *analeptides* emendarat. *παρὰ τὸ ἀναλαμβάνειν τοὺς ὤμους.* Dan. Heinsius. Magnus Scaliger ad Varronem legit, *Omaletides*, ὁμαλήτιδες. quod humeros nimirum aequos & ὁμαλοὺς reddebant. ſed earum nullus, quod ſciam, meminit. Certe aliter libri meliores. Regius, *analecptrides* & in margine, *analetrides.* Sarravianus, *analentrides*, Jureti excerpta, *analectides.* Comelinianus & alius, *amaletides*, quod proxime conjecturam Scaligeri accedit. tres alii, *amalectides.* Neapolitanus, & alius, *analedides.* Alii quinque, *analectrides.* quidam, *analectides*, *analetides*, *analetrides*, *analatrides*, *analantrides*, *analentrides*, *aneletides*, *anacledides*, *anaſecrides*, *analemptrides*, *analeides*, *anelantides*, *analattides*, *aneclides*, *amaleptrides*, *anchiletrides*, *audatides.* quae monſtra lectionum ſunt; & tamen apponenda duxi, ut alienae quoque conjecturae locus eſſet. Turnebus Adverſar. lib. IV. cap. XXIII. *ometides*, humerales faſcias legendum contendit, & reprehendit illos, qui *analectides* emendant, Coelium Rhodiginum, & qui illum ſequitur, Mycillum tangens, cujus hanc conjecturam probabat tamen Gruterus. Ego ad Regii codicis, ſacrae tanquam anchorae, confugiens ſcripturam, Τὸ *analecptrides*, geminam lectionem deſignare opinor, videlicet in nonnullis codicibus, *analectrides*, ἀπὸ τοῦ ἀναλέγειν ſcriptum fuiſſe, in nonnullis, *analeptrides*, ἀπὸ τοῦ ἀναλαμβάνειν *colligere*, *reſtringere* monens. Ego tamen, *analectrides* malim, quod earum etiam uſus in lecto fuerit. ita ὁμολεκτρίδες, *concubinae.* olim refingebam, *anacleptides.* ἀπὸ τοῦ ἀνακλέπτομαι, *retrocedo.* vel, *anacletides.* Alexis Comicus apud Athaenaeum lib. XIII. ἐν τῷ δράματι ἐπιγραφομένῳ Ἰσοςάσιον, multa ad rem habet, & inter cetera de tumore dorſi cohibendo:

— Καλίαν ἀδρὰν ἔχει τίς; τ' ἰτέαις
Ταυταισὶ, τούτων ὧν ἔχουσ' οἱ Κωμικοὶ,
Ορθὰ προσθεῖσαι; τοιαῦτα γοῦν, ἀνυτῶν τὰς καλίας

Ὥσπερεὶ κοντοῖσι τούτοις εἰς τὸ προσθ' ἀπήγαγον.

Ubi vides etiam pectori adhibitas fuiſſe virgas tiliaceas. Antonius Pius apud Capitolinum, cap. 13. *faſciabatur tiliaceis tabulis in pectore poſitis, ut rectus incederet.* Heinsius.

274. *Anguſtum circum faſcia pectus eat.*] Regius alter, *Inflatum pectus.* quod verum eſt. Remediis Amoris 337.

Durius incedit? fac ambulet. omne papillae
Pectus habent? vitium faſcia multa tegat.

Sic & *inflatos capillos* ſupra dixerat 145.

Hanc decet inflatos laxe jacuiſſe capillos.

Intelligit autem *Strophium*, quod *luctantes papillas vincibat*, ut cum Catullo loquar. Nonius certe *Strophium* vocat, *faſciam brevem*, *quae virginalem papillarum tumorem cohibet.* Martial. Apoph. CXXXIV.

Faſcia creſcentes dominae compeſce papillas. Heinsius.

275. *Exiguo ſignet geſtu, quodcunque loquatur.*] *Loquetur* Regius. unus Vaticanus, *ſignes & loqueris.* duo alii, *ſigni.* Junianus, *ſignat.* Scribe:

Exiguo ſigna geſtu quodcunque loqueris. Heins.

Cum ſequenti diſticho iterum *loquatur* vel *loquetur* repetatur, Francius hic, *profatur*, vel *ſignes quodcumque profaris*, malebat. & certe odioſa eſt repetitio: forte, *quodcumque jocatur*, vel *jocetur.* Ita haec verba commutata lib. V. Triſt. I. 20. *jocari* vero accuſativum admittere docet locus II. Triſt. 497.

Quid ſi ſcripſiſſem mimos obſcoena jocantes.

Ubi etiam *loquentes* nonnulli libri. & unde patet in jocis plurimum eſſe geſtibus locum. Cicero ad Dolabellam lib. XIV. Epiſt. 17. *Haec enim jocatus ſum.* Horat. I. Sat. ỹs. 62.

Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus.

Sic & Gronovius apud Claud. in Feſcen. ỹs. 79. pro *locentur*, *jocentur*, approbante Heinſio, repoſuit. & apud Phaedr. II. 5. *ſic eſt jocata tanta majeſtas ducis.* ut excerpta Regaltii habent, pro *locuta.* ita & Heinſius pro *locutus* reponit *jocatus* lib. I. fab. 27. & alibi. Burmannus.

276. *Et ſcaber unguis erit.*] *Erunt* recte liber Bartholi Bartholini, clariſſimi & humaniſſimi viri. Heins.

Quis credat? discunt etiam ridere puellae:
Quaeritur atque illis hac quoque parte decor.
Sint modici rictus, sint parvae utrimque lacunae;
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu:
Sed leve nescio quid femineumque sonent.
Est, quae perverso distorqueat ora cachinno:
Cum risu laeta est altera, flere putes.
Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet;
Ut rudit ad scabram turpis asella molam.
Quo non ars penetrat? discunt lacrimare decenter:
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

Quid?

281. *Discunt ridere puellae.*] Huc forte respexit Martialis lib. II. Epist. 41.

Ride, si sapis, o puella ride,
Pelignus, puto, dixerat poëta.

Nam ipsa verba, quae Martialis producit, ex deperdito alio Nasonis opere desumta esse vix puto. Burmannus.

283. *Sint parvae utrimque lacunae.*] *Parvaeque* scripti plerique cum prima editione, nisi quod Regius, *parieque*. Forte, *pariles & utrimque lacunae*. nam *Tò que* geminatum offendit aures duriore sono. ea vox Ovidio in deliciis, ut dicemus Metam. VII. *Vs.* 638. Heinsius.

286. *Foemineumque sonent.*] *Sonet* iidem libri. quod si sequamur, *contenderit* etiam superiori versu erit scribendum, vel, *contendat ut*. Heinsius.

287. *Est quae perverso.*] Patavinus, *disparso*.

288. *Cum risu laeta est altera.*] *Risu usa est*, vel *lata*, Regius. *usa* etiam duo alii. unus, *lusa*. duo alii, *risuque usa est*. Puto, *Cum risu effusa est*. vel, quod malim, *In risum effusa est altera*. Heinsius.

289. *Quiddam atque inamabile ridet.*] Tres libri cum Jureti excerptis, *quiddamque inamabile*. Scribe, *quiddamque inamabile stridet*. Heinsius.

290. *Et scabra turpis asella mola.*] *Ad scabram molam* scripti multi: probe. Idem.

291. *Quo non ars penetrat.*] Imitatus est Valerius Max. lib. V. cap. IV. § 17. *Quo non penetrat, aut quid non excogitat pietas?* Burm.

291. *Discunt.*] *Discant* Voss. & quinque alii. & mox quoque, *volent. plorent* Mentelian.

293. *Quid, cum legitimâ.*] Quinctil. XI. Inst. Orat. 3. ex vetustis codicibus. *Nec volubilitate nimia confundenda, quae dicimus, qua & distinctio parit & affectus, & nonnumquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur.* ubi male Salmasius, *qui sui parte fundantur*. Burmannus.

294. *Lingua coacta sono.*] Unus meus, *subdola lingua*. sic supra I. 598.

Fac tibubet blaeso subdola lingua sono. Heinsius.

225. *Quaedam male reddere verba.*] *Male verba recidere quaedam* unus Patavinus & Argentinensis. in Arondeliano pro diversa lectione, *quaedam rescindere*. Idem.

297. *Omnibus his, quando prosunt.*] Scripti cum primâ editione, *quoniam*. etsi alterum quoque non inelegans. Junianus, *magnam prodest impendere curam. magnam* (*prodest*) *impendite curam* prior Mentelianus. quae lectio arridet prae reliquis. Idem.

300. *Allicit ignotos illa, fugatque viros.*] Sic lib. boni, verè. *Allicit & fugat*, Antitheton. Ciofan. Legendum, *ille*. de incessu agit. deinde *Alligat* prima editio, cum multis scriptis, quos inter & Regius. fortasse rectius. Terentius Adelphis Act. V. Sc. III.

——— *D. istam psaltriam*
Una illuc mecum hinc abstraham. M. pugnaveris.
Eo pacto prorsum illi alligaris filium.

Appositе Propertius de Cynthia libro I. El. V.

Illa feros animis alligat una viros. Heins.

302. *Excipit:*] *Accipit* scripti cum prima editione. Heins. Nihil muta German. Arat. 155.

Excipiantque sinus Zephyris spirantibus auras.

Quod, *concipere veste ventum ingrediendo* dixit Quinctilian. lib. XI. Inst. Orat. cap. 3. Et Decl. XII. 16. *Festina misericors, omnes excipe auras.* qui velis tribuit, quod Noster tunicis. Talem incessum amicae suae describit Aristaenetus lib. I. Epist. I. & comparat cupresso, aut palmae, modico flamine agitatae; & hoc ideo facere addit, quia forma superbior esse amat naturâ de fluentibus vero vestibus vide Gronov. II. Observ. 7. & ad Phaed. V. fab. I. Burmannus.

302. *Extensos.*] Explicat Passerat. illa Propert. lib. II. Eleg III. 6. *Ibat & expenso planta morata gradu. Lento ac gravi*, vel numerato, *a pas contez*, deinde inclinat in *expanso gradu*; & tandem ex MSS praefert *extenso gradu*, quod interpretatur, quasi cum gradibus metiretur spatium soli: sed Broukhusius apud Propertium *expensum gradum*, id est compositum, lentum praefert. ut & hic, si libri addicerent, mallem; quia mox,

ire

Quid? cum legitimâ fraudatur litera voce,
Blaesaque fit juſſo lingua coacta ſono:
In vitio decor eſt, quaedam malè reddere verba,
Diſcunt poſſe minus, quam potuere, loqui.
Omnibus his, quoniam proſunt, impendite curam:
Diſcite femineo corpora ferre gradu.
Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris.
Adlicit ignotos ille, fugatque viros.
Haec movet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit; extenſos fertque ſuperba pedes.
Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti,
Ambulat; ingentes varica fertque gradus.

Sed

ingentes gradus, ruſticae dat, quos non decet matronae ſupercilioſae & ſuperbae dare. & hinc *mollem* mox verſu 310. vocat; quod extentis pedibus vix convenit. ſed & *extenſos* retinere poſſimus & non de ingenti, aut celeri inceſſu capere, ſed cum alte tollit & levat pedes, nec ideo tamen properat, ſed potius exultat, & mimice incedit; quod etiam *molliter* dici poteſt. ut apud Propert. III. IX. ult. *molliter ire pedes.* ubi vide Paſſerat. & ita extenti pedes projecti, altius ſublati eſſent capiendi, ut eo ſenſu *extentos oculos* Quinctil. XI. Inſt. 3. dixit eminentes; & obſcoeno ſenſu Juven. Sat. XI. vers. 167.

Magis ille extenditur.

Pro arrigitur. quod *intendere* Horat. lib. II. Sat. VII. 47.

Acris ubi me
Natura intendit.

Ita enim quatuor codices Crucquii habent, vulgo, *incendit.* ita *extentum brachium.* Cicer. II. de Orat. 59. *Extenſi digiti.* IV. Acad. 47. hoc *alte ingredi*, licet de pullo equino, Virgilius dicit III. Georg. 76. ubi addit, *& mollia crura reponens.* ut Noſter mox hunc eumdem *motum mollem* vocat. ubi vide Cerdam. Servius, *cum exſultatione quadam incedit*, vel *exultando pedes huc & illuc contorquet, ut ſaltare non incedere videretur.* quemadmodum de Maximino Ammian. lib. XXXVIII. I. Et Noſter licet alia in re. I. Am. XII. *Alte ferre pedem. Extentos* vero hic habet Regius: ut ſaepe in participio hoc variant librarii. vid. III. Faſt. 530. & XV. Met. 303. BURM.

303. *Umbri conjux rubicunda mariti.*] *Catonis* unus Patavinus. Puto, *coloni.* ut apud Statium libro V. Sylvar. Pietate Abaſcantii:

——— *Velut Appula conjux Agricolae parci,*

Sed Silius lib. III. 352.

Quid quod duro ſine marte gerendum
Callaici conjux obit irrequieta mariti. HEINS.

304. *Ambulat, ingentes varica fertque gradus.*] Vir ſummus & flos literati orbis Iſaacus Caſaubonus ad Theophraſti Characteres notat, Naſonem tamquam parum proprie hoc loco locutum, cum naturae rerum videatur adverſari, ut mulier varica ingentes gradus poſſit facere. Confudit nimirum vir doctiſſimus *varicam* cum *vara*, cum diverſa ſint. *Varica*, quae divaricat pedes; & praeter juſtam menſuram late extendit. *Divaricare* Nonius Marcellus interpretatur *diſtendere.* appoſite Quinctilianus libro XI. cap. III. *Varicare ſupra modum & in ſtando deforme eſt, & accedente motu* (ad inceſſum refer) *prope obſcoenum.* recte. nam hoc geſtu ambulantes non crura tantum, ſed nates quodammodo ipſas diſtendebant. quod & Varro alicubi reprehendit. apud Caſſiodorum quoque libro IV. Variarum, quem locum ipſe Caſaubonus jam deſignavit, *ſuperbus quin etiam varicatis greſſibus patet.* Eleganter *patere* dixit, de diſtentis inter gradiendum pedibus. Hinc *varicus* Apuleji adverbium, ut *mordicus*, libro primo Mileſiorum, *His editis varicus ſupra faciem meam reſidentes veſicam exonerant*: Foeminarum mejentium habitum deſcribens, quod cruribus divaricatis fit. atque ita illud Perſii quoque ſub finem Satyrae quintae intelligendum, cum *centuriones varicoſos* appellat:

Dixeris haec inter varicoſos centuriones;
Continuo craſſum ridet Pulſennius ingens.

Ubi *varicoſos* interpretantur praelabore militiae varos: perperam. at vero Perſius tam inceſſum quam riſum ſubagreſtem atque inconditum centurionum peiſtringit. eo referendum τὸ *ingens.* quod molem immodicam corporis in hoc hominum genere, & tantum non menſuram Cyclopiam ob oculos egregie ponit. ſic & alibi *hircoſos centuriones* dixerat ob illuviem & immunditiem, qua id hominum genus prae ceteris ſqualent. *varicoſum haruſpicem* habes apud Juvenalem Sat. VI. Vs. 395. ubi Scholiaſtes, *varicoſus multum ſtando.* ſed opinor potius eſſe referendum ad agreſtes aruſpicum mores. ſed quemadmodum *varicus* a *varo* deducitur, ſic *varicoſus* a *varicibus.* ut diverſa ſit ſignificatio utriuſque vocabuli. ſyllaba etiam prima in altero vocabulo producta, in altero correpta. *A varicando, praevari-*

Sed ſit, ut in multis, modus hic quoque. ruſticus alter
Motus; in inceſſu mollior alter erit.
Pars humeri tamen ima tui, pars ſumma lacerti
Nuda ſit, à laevà conſpicienda manu.
Hoc vos praecipuè, niveae, decet. hoc ubi vidi,
Oſcula ferre humero, quà patet, usque libet.
Monſtra maris Sirenes erant: quae voce canorâ
Quamlibet admiſſas detinuere rates.
His ſua Siſyphides auditis pene reſolvit
Corpora. nam ſociis illita cera fuit.
Res eſt blanda canor: diſcant cantare puellae.
Pro facie multis vox ſua lena fuit.
Et modo marmoreis referant audita theatris;
Et modo Niliacis carmina luſa modis.
Nec plectrum dextrà, citharam tenuiſſe ſiniſtrâ
Neſciat arbitrio femina docta meo.
Saxa ferasque lyrâ movit Rhodopeïus Orpheus,
Tartareosque lacus, tergeminumque canem.

Saxa

catores dictos vult Ulpianus D. de praevaricatoribus. Gloſſae H. Stephani, *varicat*, ὑπερβαίνει. aliae gloſſae *varico*, ῥαιβόω. *varicus*, ῥαιβός. Papias: *Varicat, ambulat, tranſit.* ſic lege, non *varitat.* Sed audiamus & Nonium Marcellum: *Divaricari dictum eſt diſtendi, ab his, qui vitio naturae ita ſunt pedibus diſcretis, ut eos in diverſum habeant ſeparatos.* a *varis* igitur & incurvis pedibus deducitur *greſſus varicus.* ſed alterum naturae vitium, alterum ruſticae conſuetudinis. ut jam liqueat, ſummum poëtam recte atque ordine, & ex uſu Latini ſermonis eſſe locutum. haec ſcripto mandaveram, cum video Salmaſium de hac voce egiſſe exercit. Plin. pag. 663. quem non compilo. HEINS. docta ſunt & egregia, quae Heinſius hic adfert. ſed poſſet & capi de femina ruſtica & ingentis ſtaturae, que varicos gradus ferret; nam & illa ſtatura nimia ruſticitatem probat, & ſolent ingentes illae feminae deformiter & ruſtice incedere. ſic Martial. XII. Epiſt. 32.

Et cum ſorore cana mater ingenti.

Quod male Raderus capit de aetate. BURM.

305. *Sed ſit, ut in multis, modus hic quoque.*] Ita libri omnes. Cenſeo ſcribendum nihilominus:

Sed ſit, ut in cultu, modus hic quoque.

De cultu enim foeminarum egit paulo ante. HEINS. Nihil muto: reſpicit enim ad dictum commune & vulgatum, *ne quid nimis.* vid. ad Quinctil. Decl. CCLXVIII.

307. *Pars humeri tamen ima tui.*] Hic locus in mentem mihi revocat alterum Propertianum in fabula Hylae lepidiſſima, ſed peſſime à librariis habita, quae ingenia noſtri temporis critica non minus exercuit, quam Hylas ipſe antiquos olim poëtas. locus eſt libro. I. El. XX. 43.

Tandem haurire parat demiſſis flumina palmis,
Innixus dextro plena trahens humero.

Quo loco ſcribendum:

Nixus, & exſerto plena trahens humero.

Sequens verſus conjecturam confirmat, qui ad exſertum humerum referendus:

Cujus ut accenſae Dryades candore puellae.

Exerere humerum elegans & Latinum. de quo nos pluribus aliquando ad ipſum Propertium. HEINSIUS. Haec libertinis tantum & meretricibus convenire docuit Ferrar. lib. III. de Re Veſt. 23. & Bynaeus de calceis lib. II. cap. V. §. 6. de *exſertis* vero *humeris* vide eumdem Ferrar. lib. I. de Re Veſt. 9. Tennul. ad Front. II. ſtrateg. 1.3. & Waſſ. ad Salluſt. Catil. XLIV. ubi diſtinguit inter *nudare humerum* & *exſerere*: hoc eſſe etiam proferre, jactare, educere; & ita poſſemus hoc praeceptum Naſonis non ad exſerendos humeros, ſed parte tantum ima nudandos reſtringere, ne inverecundiae nimiae magiſter videatur. hodie fere contrarium videmus: noſtrates enim puellae partem fere ſummam humeri oſtentant, imam tegunt & ſummam lacerti. ſed hoc ex diverſa veſtiendi ratione provenit. BURMANNUS.

311. *Monſtra maris.*] Ita dici omnes inuſitatas for-

Saxa tuo cantu, vindex juſtiſſime matris,
Fecerunt muros officioſa novos.
Quamvis mutus erat, voci faviſſe putatur
Piſcis, Arioniae fabula nota lyrae.
Diſce etiam duplici genialia naulia palmâ
Verrere: conveniunt dulcibus illa jocis.
Sit tibi Callimachi, ſit Coï nota poëtae,
Sit quoque vinoſi Teïa Muſa ſenis.
Nota ſit & Sappho: quid enim laſcivius illâ?
Cuive pater vafri luditur arte Getae.
Et teneri poſſis carmen legiſſe Propertî:
Sive aliquid Galli, ſive, Tibulle, tuum.
Dictaque Varroni fulvis inſignia villis
Vellera, germanae, Phryxe, querenda tuae.
Et profugum Aenean, altae primordia Romae;
Quo nullum Latio clarius extat opus.
Forſitan & noſtrum nomen miſcebitur iſtis;
Nec mea Lethaeis ſcripta dabuntur aquis.

Atque

formas piſcium docuit Barth. ad Claud. II. laud. Stilic. 28.

312. *Quaslibet admiſſas.*] Recte idem Scaliger, *Quamlibet admiſſas detinuere rates*, legendum annotaverat. DAN. HEINSIUS. Scribe cum Regio, *Quamlibet*. ſic in Triſt. lib. I. El. IX.

Quamlibet egreſſas occupat ante rates.

Vide Notas ad Epiſt. VI. ℣s. 140. eandem vocem hoc ipſo libro mox ſemel iterumque reſtituemus. HEINSIUS. *Quamlibet* etiam Douza, id eſt quamvis admodum concitatas.

317. *Referant.*] *Reſonent* Patavinus & Argentin. vid. II. Amor. VI. 6.

324. *Officioſa novos.*] *Duos* Palatinus unus. unde Heinſius legebat, *tuos*.

327. *Genialia naulia palmâ.*] De nabliis, & quale inſtrumentum id ſit, Politianum vide Miſcell. 14. qui de hoc loco prolixe tractavit. MICYLLUS.

328. *Vertere.*] *Verrere* eleganter Regius & Arondelianus. quomodo & Scaliger in ora ſui codicis conjecerat legendum. in eodem *nubila*. ſed *naulia*, ναύλια, probum eſt. quae νάβλα apud Suidam. vide & Pollucem. HEINSIUS. *Nablia* multi editi & duo ſcripti. *lamina* Palatin. *nubila* alius. ſed *naulia* major pars codicum & editiones antiquiſſimae. vid. Pign. de Serv. pag 167. qui haec valde implicata, & quae egent Alexandro, qui non gladio diſſecet, ſed explicet calamo & diſſolvat, cenſet. Lampe de Cymbalis Veterum. pag 117. de Cymbalis capit, & *vertere* praefert. ego fateor me non ſatis haec intelligere. BURMANNUS.

330. *Teïa muſa.*] Teos Oppidum Ioniae, ab Athamante conditum. hinc *Teius*, *a*, *um*. Intelligit autem Anacreontem poëtam lyricum, quem hic *vinoſum ſenem* vocat propterea, ut videtur, quod (ut Suidas ait) συνέγραψε παροίνιά γε μέλη καὶ ἰάμβους, καὶ τὰ κυκλούμενα Ἀνακρεόντεια. MICYLLUS.

332. *Cuive pater.*] Terentium intelligunt interpretes, ſed ego Menandrum melius Graecis Poëtis jungi puto. ut & lib. II. Triſt. 369. Graecis fere iiſdem additur: ubi etiam Romae pueris virginibuſque legi ſolere prodit Noſter Poëta. ceterum codex Moreti habebat: *Quaque Pater naphiae.* quod quid monſtri abſcondat neſcio. apud Auſonium in Technopaegnio.

Barbarus eſt Lydus, Pellax Geta, femineus Phryx;

Ita enim legi docet Vinetus, & in comoediis feros *Getas* induci. *pellax* enim eſt vafer, ut idem in Epitaphiis Epigr. XII. Ulixem *pellacem* vocat. exemplo Virgilii lib. II. 90. *Vafri Getae* in uno erat Heinſii. ſed *vaſti* retinendum. appoſite Propertius lib. IV. El. V. 43.

Sed potius mundi Thaïs pretioſa Menandri,
Quum ferit aſtutos comica moecha Getas.

Qui locus & hunc de Menandro capi debere oſtendit, & egregia luce a Broukhuſio perfunditur; a quo tamen, ſi diſcedere fas eſt, mallem *mundum* Menandrum dici a ſermonis elegantia, ut inf. 479. *munda verba*. BURMANNUS.

334. *Tibulle tuum.*] Francius volebat, *Tui*.

343. *De-*

Atque aliquis dicet, Noſtri lege culta magiſtri
Carmina, quîs partes inſtruit ille duas.
Deve tribus libris, titulus quos ſignat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.
Vel tibi compoſitâ cantetur Epiſtola voce;
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.
O ita, Phoebe, velis; ita vos, pia numina vatum,
Inſignis cornu Bacche, novemque Deae!
Quis dubitet, quin ſcire velim ſaltare puellam;
Ut moveat poſito brachia juſſa mero?
Artifices lateris, ſcenae ſpectacula, amantur:
Tantum mobilitas illa decoris habet.

Par-

343. *Deque tribus libris.*] *Deve* ſcripti cum primâ editione. Regius, *Deve cerem libris titulos quo ſignat amorum.* quod monſtrum lectionis non capio. tamen & in uno Palatino, *De veterum libris.* An, *Deve trium?* ſequenti verſu, *quod legas* bene libri iidem. HEINSIUS.

343. *Amorum.*] *Amores* Bartholinianus. *amoris.* Patavin. & duo alii.

345. *Vel tibi compoſita cantetur epiſtola voce: Ignotum hoc aliis ille novavit opus.*] Sententia eſt: Atque aliquis dicet, Lege carmina noſtri magiſtri, id eſt Ovidii: ea ſcilicet, quibus ille ambas partes inſtruit: hoc eſt, tam viros, quam puellas amare docet. Aut etiam ex tribus Amorum aliquid elige, quod recites: aut ex epiſtolis Heroidum, quod opus aliis hactenus ignotum ipſe inſtauravit: hoc eſt, quod genus Epiſtolas ipſe primus compoſuit ac ſcripſit. Atque haec verior expoſitio eſt. nam quae Merula de inſcriptione & renovatione librorum, qui titulo Amorum inſcribuntur, ſomniat, de iis ipſe viderit. MICYLLUS.

346. *Ignotum hoc aliis.*] Sollemnem hanc Poëtarum gloriationem illuſtrat Rittershuſ. ad Oppianum. pag. 5.

350. *Brachia juſſa.*] Scio quomodo explicari & exemplis infinitis illuſtrari poſſit. Sed Schefferi codex habet, *paſſa*, quod praeferrem, ut elegantius & doctius. ſic apud Propertium lib II. XVIII. 5.

Sive aliquis molli didicit candida geſtu
Brachia, ſeu varios incinit ore modos.

Quod nollem in *deducit* mutari. *diducere* enim eſt pandere, diſpeſcere: ſic in alia re Prudent. cath. Hymn. XIII. 170.

Paſſis in altum brachiis.

Ubi & *panſis* legitur. Germanicus 186. *patulas manus.* & 204. *Diſtractaque pandit Brachia.* Apud Virgilium quoque libri ſcripti II. Georg. 296. de arbore:

Tam ſortis late ramos & brachia pandit.

Vulgo, *tendit.* ſed Noſter hoc vocat *expandere* Ep. XV. 159. ubi vide Heinſium. *brachia ſaepe mero* unus Bernenſis. *miſſa* duo. BURM.

351. *Artificis lateris, ſcenae ſpectaculae amantur.*] Malo, *emuntur.* ſic Triſt. l. II. 507.

Quae mimis prodeſt, ſcena eſt lucroſa poëtae:
Tantaque non parvo crimina Praetor emit.
Inſpice ludorum ſumtus, Auguſte, tuorum.
Emta tibi magno talia multa leges. HEINSIUS.

Nihil muto, & ita interpretor; Mimos & Magiſtros illos motuum mimicorum, qui quotidie in ſcena ſpectantur, etiam a viris & mulieribus amari, licet ſint viliſſimi: de hoc furore, quo & viri & feminae ferebantur in pantomimos, qui lateris artifices erant, id eſt, docebant ſaltare puellas & juvenes, ſaepe invehitur Seneca. ſic *mancipia pantomimorum* vocat Epiſt. XLVII. vid & lib. I. Quaeſt. nat. ult. quare Tiberius tandem decrevit, ne *domos Pantomimorum Senator introiret, ne egredientes in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quam in Theatro ſpectarentur*, Tacit. I. Ann. 77. quae ultima verba illuſtrant illa noſtri, *ſcenae ſpectacula*, id eſt, qui tantum deberent ſpectari in ſcena. Trajanus vero ſuſtulit Pantomimos. Plin. Paneg. XLVI. & huc refer illa Horatii III. Od. 6.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & frangitur artubus.

Quae vera lectio eſt. *doceri*, intellige à Pantomimo aut artifice lateris. BURMANNUS.

353. *Talorum dicere jactus.*] *Diſcere* multi ex ſcriptis. *ducere* Junianus & primus Patavinus. recte. ſic infra 493.

Ducere conſueſcat multas manus una figuras.
HEINSIUS.

355. *Tres jactet numeros.*] *Numero* editi quidam & duo codices & recte, ut puto. Juſtin. II. 10. *naves mille ducentas numero habuiſſe dicitur.* XXXIII. 1. *Romani legiones plures numero conſcripſerunt.* Juven. XIII. 26.

Rari

Parva monere pudet: talorum ducere jactus
Ut ſciat, & vires, teſſera miſſa, tuas.
Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, aptè
Quam ſubeat partem callida, quamque vocet.
Cautaque non ſtultè latronum proelia ludat:
Unus cum gemino calculus hoſte perit.
Bellatorque ſuâ prenſus ſine compare bellat:
Aemulus & coeptum ſaepe recurrit iter.
Reticuloque pilae leves fundantur aperto:
Nec, niſi quam tolles, ulla movenda pila eſt.
Eſt genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menſes lubricus annus habet.

Par-

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot Thebarum portae.

Salluſtius Jug. 98. *Ex copia Tibicinum numero quinque delegit.* Ita & Livius & alii. BURM.

358. *Unus cum gemino.*] Aproſii & alter meus chartaceus, *Unus & in gemino.* forte, *unus ubi gemino.* imitatus hoc Martialis lib. XIV. 17.

Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Diſcolor, victoribus nempe, & diverſarum partium. HEINSIUS. In Moreti & quibuſdam aliis poſt verſum 357. hi duo inſerti legebantur:

Praelia laudantur quo capiatur amans.
Praelia laudantur latronum imitantia pugnas,
Unus cum &c.

Quae manifeſte monetam, in qua cuſi ſunt, produnt. BURM.

359. *Bellatorque ſuo prenſus ſine compare bellet, &c.*] Sic Merula. alii pro *Bellet*, *Pugnet* legunt, eadem ſententia, verboque uſitatiore. Ego autem *Pugnat*, & mox ſequenti verſu *Recurrit* malim, indicativo modo. Ac de teſſeris & talis, item de latronum ludo, in II. Triſt. quid nobis videretur, expoſuimus. Meminimus & ſupra lib. II. nonnihil: eoque hic repetere illa ſupervacaneum fuerit. MICYLLUS. *Suâ compare* & *bellat* prima editio cum Regio, Sarraviano, & aliis quibuſdam. Plures, *bellet.* ſequenti verſu etiam *recurrit* legendum. Ut haec omnia ad latrunculorum luſum referantur. *ſuâ compare*, uxore. Amor. III. El. V.

Tu vir, & in vaccâ compare taurus eras. HEINS. De verbo *bellare* vid. ad Epiſt. XIII. 69. multi codices hic, *preſſus ſine conjuge.* Aproſii, *praeſens* pro variâ lectione. *ludat* Neapol. *recurrat opus* Micyll. Berſm. & una Veneta, Edd. de Latrunculorum ludo vide Panegyricum ad Piſonem. Th. Hyde capit de Damiludio. vide eum de ludis Orientalium pag. 173. BURMANNUS.

361. *Reticuloque pilae leves fundantur aperto.*] Videndum, quale genus ludi fuerit. Merula cum ſuperioribus conſtruit, & de latrunculis & eorum alveo dictum accipit: ſed repugnare etiam nomen ipſum pilarum videtur. Deinde & quod ſequitur: *Nec niſi quam tollas, ulla movenda pila eſt:* ego certè ἐπέχω. MICYLLUS. Vid. Menagiana tom. III. pag. 197. ubi auctor etiam nihil expedit de hoc ludo. Aptum puellis eſſe pilae luſum, apparet, quod & ſenibus infirmis conveniebat. vid. ad Petron. cap. XXVII. & per *reticulum* forte follem reticulatum intelligit. *levis* autem pila, quia vitrea. de pilae luſu plura vid. apud Caſaub. ad Athen. I. 12. Mag. Miſcel. I. II. & Paſſer. ad Propert. III. XIV. 5. ubi Broukhuſius Romanas puellas ab hoc luſu arcet, propter ſequentem mox vers. 383. ſed ibi *celeres pilae* virilem ludum indicant, hic *leves* puellarem. Diſcrimen vero utriuſque ludi me ignorare fateor. *lecticuloque quidem lenes* Palatinus unus & alter etiam *lenes*; ut celeribus opponantur. ita *lenius ſtudium* Remed. 20. BURMANNUS.

363. *Eſt genus in totidem tenui ratione redactum Spicula.*] Erudite emendabat idem Scaliger, *in totidem tenui ratione redactum Scriptula, quot menſes lubricus annus habet.* DAN. HEINSIUS. *Scriptula* Scaliger, & Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam; qui videndus. codices quidam *reductum.* Forte, *tenui ſtatione reductum.* HEINSIUS. *Spicula* Bernenſis codex. hunc ludum poſt Salmaſium ad Vopiſci Procul. cap. XIII. & Scaligerum ad Catalect. pag. 282. illuſtravit Gronovius lib. III. de Pecun. Vetere cap. XV. multae tamen adhuc mihi in illis tenebrae: nam viciſſe dicit Noſter illum, qui ſuos continuavit lapillos, quod in illo ludo, quem nos vocamus verkeeren / non ſemper verum eſt. melior quidem ſtatus ille ludi, & victoriam promittit, ſed verti poteſt ſors, & disjungi iterum, qui antea continuati erant: certe ſequentia longe alium ludum indicant, & non continuari, ut Berſmannus voluit, ſed

Parva tabella capit ternos utrimque lapillos;
In quâ viciſſe eſt, continuaſſe ſuos.
Mille faceſſe jocos. turpe eſt neſcire puellam
Ludere: ludendo ſaepe paratur amor.
Sed minimus labor eſt, ſapienter jactibus uti.
Majus opus, mores compoſuiſſe ſuos.
Dum ſumus incauti, ſtudioque aperimur in ipſo;
Nudaque per luſus pectora noſtra patent;
Ira ſubit, deforme malum, lucrique cupido;
Jurgiaque, & rixae, ſollicitusque dolor.
Crimina dicuntur: reſonat clamoribus aether:
Invocat iratos & ſibi quisque Deos.
Nulla fides; tabulaeque novae per vota petuntur:
Et lacrimis vidi ſaepe madere genas.
Juppiter à vobis tam turpia crimina pellat,
In quibus eſt ulli cura placere viro.
Hos ignava jocos tribuit Natura puellis:
Materiâ ludunt uberiore viri.

Sunt

ſeparari debent a priori ludo. quare recte mihi capere videtur Cl. Hyde, de ludo, quem nos Dziſtrik, ſive *Triodum* appellamus. vide eum de ludis Oriental. pag. 202. & ſeqq. & hoc videtur etiam Merula intellexiſſe. Quis vero haec ita explicet, ut omnibus ſatisfaciat, niſi viderit ipſum luſum, aut luſerit? *continuiſſe ſuos* etiam Leidenſis & quatuor alii, quod diverſum ſenſum efficeret. *duos* etiam tres libri. BURMANNUS.

367. *Mille face eſſe jocos.*] *Faceſſe* Regius & quatuor alii. Reliqui, *fac eſſe*. HEINSIUS.

371. *Tunc ſumus incauti.*] Lege, *Dum ſumus* cum primâ editione & quatuor ſcriptis. & *aperimur in ipſo*, pro *ab ipſo* meliores libri. HEINSIUS.

377. *Nulla fides tabulis, quae non per vota petuntur.*] *Tabulae* Regius princeps, & quatuor alii. tertius Regius pro diverſa lectione, *talis*. Scribo:

Nulla fides talis, qui non per vota petuntur.

aut, quod malo, *per vota teruntur*. Nihil ſibi promittunt nec bene ſperant de jactu talorum, cui vota deſint. Ita noſtri aleatores etiamnum, qui ſine votis & jurejurando nihil moliuntur in luſu. ſi *tabulae*, cum primo Regio, mavis, legendum:

Nulla fides tabulae. quae non per vota petuntur?

Sed praeſtat altera ſcriptura. HEINSIUS. Senſus intricatior, neque ſatisfaciunt conjecturae Heinſii, qui etiam capiebat *tabulam* pro tabula luſoria; & certe ita Petron. cap. LXXX.

Calculus in tabula mobile ducit opus.

Et Juven. Sat. I. 89.

Neque enim loculis comitantibus itur
Ad luſum tabulae.

Sed planus erit, ſi ſequamur unius codicis Heinſiani elegantiſſimam, ut mihi videtur, ſcripturam:

Nulla fides; tabulaeque novae per vota petuntur.

Ut indicet luſorem, qui omnia perdiderit, & plus debeat, quam ſolvere poſſit, optare novas tabulas, ut non cogatur nomen ſuum expedire; ſed remiſſo debito omni, iterum integrare poſſit luſum: ita ut qui antea perdiderit, lucretur aliquid. de *Tabulis novis* omnia ſunt notiſſima. Douza vulgatam ſervabat, ſed interrogationis notam ponebat poſt, *petuntur?* inepte explicabat Criſpinus, neque ullis fidiculis ex Poëtae verbis ſenſum, quem dat, extorquebit umquam. BURMANNUS.

380. *In quibus.*] Forte, *ſi quibus eſt*. HEINSIUS.

383. *Sunt illis celeresque pilae.*] *Teretesque* tertius Regius pro diverſa lectione. quod placet. ſic *teres malum* apud auctorem Panegyrici ad Piſonem. Auſonio, *mundi inſtar habens, teres atque rotundus*. HEINSIUS. Vid. lib. II. Amor. XV. 22.

386. *Placidâ devehit amnis aqua.*] *Placida aqua* Tyberi non recte datur, cum ſit rapidus. Scribe, *placitâ aquâ*. & adi quae notamus ad Epiſtolam XIX. ỷs. 208. Niſi forte, *flavis devehit amnis aquis*. HEINSIUS. Nihil muta. ſit enim licet Thybris rapidus, non omni tempore violentus ire ſolet, ſed imbribus & tempeſtate incitatus ſaepe fluit, quo tempore minime ſe natando exercere poteſt juventus. tunc ergo cum placidior eſt, & tractabilis nantibus, juvenes *devehantur* (quod verbum ſatis curſum

ejus

Sunt illis celeresque pilae, jaculumque, trochique,
Armaque, & in gyros ire coactus equus.
Nec vos Campus habet, nec vos gelidiſſima Virgo;
Nec Thuſcus placidâ devehit amnis aquâ.
At licet, & prodeſt, Pompejas ire per umbras;
Virginis aetheriis cum caput ardet equis.
Viſite laurigero ſacrata Palatia Phoebo:
Ille Paraetonias merſit in alta rates.
Quaeque ſoror conjuxque Ducis monumenta pararunt:
Navalique gener cinctus honore caput.
Viſite turicremas vaccae Memphitidos aras:
Viſite conſpicuis terna theatra locis.
Spectentur tepido maculoſae ſanguine arenae;
Metaque ferventi circueunda rotâ.
Quod latet, ignotum eſt, ignoti nulla cupido.
Fructus abeſt, facies cum bona teſte caret.
Tu licet & Thamyran ſuperes, & Amoebea cantu;
Non erit ignotae gratia magna lyrae.

Si

ejus non quietum indicat) aquâ fluvii. & Virgilius II. Aeneïd. 782. *leni agmine* Thybrim *fluere* ait. in primo Mentelii codice erat, *liquidis devehit amnis aquis. Tuſcum alveum* etiam Horatium dixiſſe notavit Douza lib. III. Od. 7. BURM.

387. *Per umbras.*] *Sub umbras* tres libri. ita lib. I. 67. *ſpatiare ſub umbra.*

390. *Ille Paraetonias merſit in alta rates.*] *Paraetonicas* optimus Regius & duo alii. Puto *Paraetonidas.* vide notas ſupra lib. I. ŷs. 172. HEINS.

390. *In Alta.*] Francius malebat, *in ima.* ſed nil muta.

392. *Navalique gener cinctus honore caput.*] Hoc eſt, M. Agrippa, qui gener Auguſti fuit ex Julia (ut Suetonius tradit) & corona navali ab eodem Auguſto donatus, poſt devictum Sextum Pompejum. de qua re & Virgilius meminit Aeneïd. VIII. his verſibus:

Parte alia ventis & diis Agrippa ſecundis,
Arduus agmen agens, cui belli inſigne ſuperbum,
Tempora navali fulgent roſtrata corona.

Extruxit autem hic Romae opera complura & egregia, ut Suetonius ait: inter quae praecipue celebrantur Thermae, quas & variis tabulis exornavit, de quibus Plinius paſſim meminit lib. XXXIV. XXXV. & XXXVI. Et porticus ad templum, quod Pantheon vocatum, quam eandem & πρόθυρον quidam dixere: de qua apud eos qui de Antiq. Roman. ſcripſere, legitur. Item aquaeductus aliquot, de quibus omnibus Plin. libro XXXVI. cap. 15. MICYLLUS.

392. *Cinctus.*] *Vinctus* Lincolnienſis & duo alii, ſed vide ſupra. ŷs. 53. & I. Amor. I. 29. & Eleg. in Druſ. 334. & 459. BURMANNUS.

394. *Terna Theatra.*] *Trina* codex unus Patavinus. ut lib. III. Triſt. 12.

Proque tribus reſonant trina Theatra foris.

Ita, *trina numina.* V. Faſt. 146. &, *trina nomina* VI. 216. poſſet & legi:

Viſite contiguis trina theatra foris. HEINSIUS.

Vid. ad Epiſt. IX. 38.

395. *Maculatae ſanguine arenae.*] *Maculoſae* ſcripti cum primâ editione. Auſonius de Caeſaribus:

Commodus inſequitur maculoſae ſanguine arenae. HEINSIUS.

396. *Metaque.*] Hoc eſt Circus, in quo ludi Circenſes atque Equeſtres fiebant. MICYLLUS. Sic Virgil. lib. XI. 195.

Frenaque, ferventeſque rotas.

Ubi Servius ita ſcribit: *Nimio ſcilicet curſu.* & III. Georg. 107.

Volat vi fervidus axis.

Horatius: lib. I. Od. I.

Metaque fervidis evitata rotis. CIOFANUS.

399. *Thamyran ſuperes atque Orphea cantu.*] *Et Amoebea* ſcripti potiores cum primâ editione. niſi quod in nonnullis, *Amebeaque.* fruſtra. Nihil certius. quod & ſibi in membranis fuiſſe inventum monuit me per literas vir celeberrimus Joannes Fredericus Gronovius, ac demum in Obſervationibus lib. IV. cap. XV. eſt teſtatus. Fuit autem Amoebeus Citharoedus Athenienſis magni nominis, cujus ex Ariſteae de Citharoedis libro memi-

Si Venerem Cous nusquam posuisset Apelles;
Mersa sub aequoreis illa lateret aquis.
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poëtis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.
Cura Ducum fuerunt olim Regumque poëtae:
Praemiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque majestas, & erat venerabile nomen
Vatibus: & largae saepe dabantur opes.
Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Nunc ederae sine honore jacent: operataque doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.
Sed famae vigilare juvet: quis nosset Homerum,
Ilias aeternum si latuisset opus?

Quis

nit Athenaeus lib. XIV. Zenoni coaetaneum facit Plutarchus περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς. laudat eum à continentia Clemens Alexandrinus lib. III. Strom. Aelianus Histor. Animal. lib. VI. cap. 1. & Variae Historiae lib. III. cap. XXX. Miror interpretes, imprimis Ciofanum, cui copia fuit tot veterum librorum, hunc locum, praeteriisse indictum. Heins. Confirmant Heinsii correctionem Glossae codicis Francof. adscriptae. quae explicant: *Cantorem & Poëtam, unde carmen Amoebeum.*

400. *Ignotae gratia magna Lyrae.*] Adlusit ad notissimum Graecorum proverbium, τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος. de quo vide Erasm. Adag. in titulo *occulta.* pag. 547. & Comment. ad Sueton. Neron. cap. XX. & ita Claudian. IV. Cons. Honor. 220.

Vile latens virtus, quid enim submersa tenebris
Proderit obscuro! veluti sine remige puppis,
Vel lyra, quae reticet, vel qui non tenditur arcus.

Quidam hic codices sollemni perturbatione, *gloria magna*; quod eodem redit. Burmannus.

401. *Cous.*] *Cois nunquam* duo Bersmanni & unus Heinsii: etiam non male.

401. *Nunquam pinxisset Apelles.*] *Nusquam posuisset* prima editio, cum Regio, Sarraviano, Jureti excerptis, & quinque aut sex aliis scriptis. Recte. Horatius lib. IV. Od. 8.

Hic aere, at liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.

Atque ita Salmasius quoque ex veteri codice ad Pallium Tertulliani reposuit. recte addito hoc ipso Horatiano loco, qui Nasoniani loci restitutionem egregie confirmat; ut dubitandum non sit de Regii codicis scriptura. Neque aliter Echo apud Ausonium in Epigrammatis:

Vane, quid affectas speciem mihi ponere pictor.

Heinsius. Vid. lib. X. Met. 516. de Venere vero supr. 224.

404. *Summa laboris.*] *Fama laboris* Saravii. vid. ad Epist. VII. 12. & ad IX. Metam. 14.

405. *Cura Ducum fuerant.*] *Deûm* Regius & quatuor alii. Elegia in Obitum Tibulli Noster lib. III. Amor. 9.

At sacri vates, & divûm cura vocamur.

Minutius Octavio, cap. 5. *Qui adhuc rudi saeculo in ipsius mundi natalibus, meruerunt Deos vel faciles habere, vel Reges.* sed tamen *ducum cura* retineri malo. Horat. Art. poët. 73.

Res gestae regumque ducumque, & tristia bella.

Claudian. de Scipione Praef. lib. II. de laud. Stil. 4.

Semper erat vatum maxima cura duci.

Praeterea *fuerunt* legendum cum excerptis Jureti: vide Notas ad Epist. VII. ÿs. 166. Poëtas olim ducibus curae fuisse Pausanias docet in Atticis exemplo Philoxeni & Arati. Sic Euripides Archelao Macedoniae regi, Anacreon Polycrati Samio, Simonides, Pindarus, Bacchilides Hieroni Siciliae tyranno: iidem quoque Anacreon, & Simonides Hipparcho Pisistrati filio carissimi fuere. At Cato in Oratione M. Nobiliori objicit, quod Poëtam in Provinciam duxisset, qui Ennium eo duxerat. vide Cicer. lib. primo Tusc. Quaest. principio. Heins.

406. *Magna.*] *Multa* tres libri.

409. *Ennius emeruit Calabris in montibus ortus*
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.] Aliter in omnibus: mihi tamen, qui hos versus ita castigarunt; recte admodum visi sunt castigasse, atque ideo eos secutus sum. Naugerius. Hoc distichon primus, quod sciam, sic emendavit eruditiss. Parrhasius in commentariis in Claudianum. Atque ego declaravi in Scholiis in lib. II. Tristium. Ciofanus. Ita optime hunc locum restituit Janus Parrhasius & feliciter interpretatus est Commentario ad Raptum Proserpinae Claudiani, lib. 1. 42. cum in scriptis omnibus sit, *hortos*, vel *ortos*. & posteriori versu, *contiguos poene tibi*, vel, *tuis.* Regius, *poenis. poni*, sepeli-

ri.

Quis Danaën noſſet, ſi ſemper clauſa fuiſſet;
Inque ſuâ turri perlatuiſſet anus?
Utilis eſt vobis, formoſae, turba, puellae.'
Saepe vagos ultra limina ferte pedes.
Ad multas lupa tendit oves, praedetur ut unam:
Et Jovis in multas devolat ales aves.
Se quoque det populo mulier ſpecioſa videndam:
Quem trahat, è multis forſitan unus erit.
Omnibus illa locis maneat ſtudioſa placendi:
Et curam totâ mente decoris agat.
Caſus ubique valet: ſemper tibi pendeat hamus,
Quo minime credas gurgite, piſcis erit.
Saepe canes fruſtra nemoroſis montibus errant:
Inque plagam nullo cervus agente cadit.

Quid

ri. vide infra notas ỳs. 736. HEINSIUS. Ego *poni* non de ſepultura, ſed, cum Parrhaſio, de ejus ſtatua capio, quae è marmore poſita eſt in ſepulchro Scipionis. vid. Ciceronem pro Archia cap. IX. Valer. Max. VIII. I. qui *effigiem ejus collocatam* ait, & alios. Ita Phaedr. Epilogo lib. II.

Aeſopo ingentem ſtatuam poſuere Attici.

Ubi vid. Schefferum. BURM.

411. *Jacent.*] *Manent* unus Heinſii. *operoſaque* idem cum ſex aliis.

413. *Sed famae invigilare juvat.*] *Vigilare* ſcripti potiores cum primâ editione. quomodo apud Propertium II. Eleg. 2. *ſtudiis vigilare ſeveris.* Rectius quoque *juvet* Aproſianus. Juvet vos vigilare in ſpem famae. HEINSIUS.

415. *Clauſa fuiſſet.*] Regius *cluſa.* ſic paſſim in antiquis libris. HEINSIUS.

416. *Perlatuiſſet.*] Ita Aldina poſterior; aliae, *ſi latuiſſet.* ſed pro altera lectione ſtant ſcripti plerique. *delatuiſſet* tres, *delituiſſet* Argent. *praelatuiſſet* Francof. & duo alii.

417. *Utilis eſt vobis formoſae cura puellae.*] *Turba* ſcribendum cum primâ editione, codice Regio, & uno Vaticano. & ſequenti verſu, *ferte pedes*, non *ferre*; quicquid obſtant libri veteres. (ita quoque peccatum erat. II. Faſt. 434.

Parvaque in exſtinctas munera ferte pyras.

Vulgo *ferre.*) qui tamen *ultra limina* pro *extra* conſtanter, & recte. *Turba* pro populo. II. Art. 210.

Ipſe face in turbâ, cum venit illa, locum.

Sic & Remed. ỳs. 581.

Non tibi ſecretis (augent ſecreta furores)
Eſt opus. auxilio turba futura tibi eſt.

Ita enim iſti verſus ex fide veterrimi codicis ſcribendi. HEINSIUS. Ita *cura* & *turba* confuſa a librariis lib. VI. Met. 461. & V. Faſt. 141.

419. *Ad multas.*] *In* Regius, Francof. & alii, ut ſequenti etiam verſu. quod magis feritatem & hoſtilem animum notat, ut *ire in aliquem* & ſimilia. vid. ad Epiſt. III. 136. & alibi. praeterea, *In multas lupus exit oves*, eleganter Argentinus, quod proprium verbum, cujus alterum gloſſema eſſe videtur. Statius lib. II. 490.

Exit in unum Plebs ferro jurata caput.

Et lib. V. Theb. 151.

Ferroque omnes exire per annos.

XI. 724.

In hunc odiis & regni viribus exit.

Lucan. V. 410. *In ſegnes exiſſe moras.* Sic *exire in iras* Lucanus & alii. de quo vid. Heinſ. ad Claudian. I. de Rapt. Proſer. ỳs. 32. Plin. X. 33. *capiuntur quoque pugnacitate libidinis, contra aucupis indicem exeunte in proelium duce totius gregis.* Sic *exire in aciem* Curtius lib. IX. 4. & paſſim Livius, notante Gronovio ad lib. XXVII. 25. poſſumus & *exit* capere, è luſtris ſuis ad rapinas prodit. BURM.

421. *Mulier ſpecioſa.*] Sic eſt in Vaticano. CIOF. *ſpecioſa* ſcripti cum prima editione. HEINSIUS. *formoſa* alii.

422. *Quem trahat.*] Et hoc proprie & eleganter. Tertull. I. de Cult. fem. 4. *Ornatus in cura capilli & cutis & earum partium corporis, quae oculos trahant.* vid. ad II. Amor. XIX. 10. BURM.

425. *Semper tibi pendeat hamus.*] Hac translatione etiam Ariſtaenetus utitur lib. I. Epiſt. 17. ad quem Mercerus hunc Naſonis locum adducit.

426. *Quo minime credis.*] *Credas* unus Vaticanus bene. Junianus, *credes.* HEINSIUS.

427. *Canes errant.*] *Canis errat* Moreti & duo alii. *frondibus* etiam Vaticanus.

428. *Inque plagas.*] *Plagam* ſcripti cum prima editione. HEINSIUS. *Venit* etiam Bernenſis & quatuor alii. non male, nam *cadere* melius avibus convenit. Sed & *cadere* poteſt defendi ex ſimilibus locis. inf. 591. lib. I. 646. BURMANNUS.

Quid minus Andromedae fuerat ſperare revinctae,
Quam lacrimas ulli poſſe placere ſuas?
Funere ſaepe viri vir quaeritur. iſſe ſolutis
Crinibus, & fletus non tenuiſſe, decet.
Sed vitate viros cultum formamque profeſſos;
Quique ſuas ponunt in ſtatione comas.
Quae vobis dicunt, dixerunt mille puellis.
Errat, & in nullâ ſede moratur amor.
Femina quid faciat, cum ſit vir levior ipsâ;
Forſitan & plures poſſit habere viros?
Vix mihi credetis; ſed credite: Troja maneret,
Praeceptis Priami ſi foret uſa ſui.
Sunt qui mendaci ſpecie graſſentur amoris,
Perque aditus tales lucra pudenda petant.

Nec

429. *Quid minus Andromede potuit ſperare revincta.*] In veteribus, *Quid minus Andromedae fuerat ſperare revinctae.* recte utrumque. Naugerius. *Andromedae fuerat ſperare revinctae* lege cum prima editione, & potioribus ſcriptis. niſi quod in nonnullis eorum, *relictae* & *revictae*. Regius tamen, *revinctae*. Diximus de hoc loco ſupra Notis ad lib. II. ŷs. 28. Germanicus in Arateis de Caſſiopea:

Sic tendit palmas, ceu ſit planctura relictam
Andromeden meritae non juſta piacula matris.

Ubi *revinctam* ſimiliter puto ſcribendum. Heins. Ex Manilio autem lib. I. 355. utraque lectio defendi poteſt:

Juxtaque relictam
Andromedam vaſtos metuentem piſcis hiatus,
Expoſitam ponto deflet, ſcopuliſque revinctam.

Ita enim melius ultimo verſu, quam ut bis *relictam* repetatur, ut edidit egregius ille interpres Poëtae, quem minime intellexit, Baccalaureus Fayus. Burmannus.

431. *Ire ſolutis.*] *Iſſe* ſcripti magno numero. Heinsius.

437. *Femina quid faciet.*] *Faciat*, & *ſit vir*, pro *vir ſit* ſcripti plerique cum prima editione. Heinsius.

440. *Praeceptis Priami ſi foret uſa ſenis.*] *Priame tuis* prima editio, Regius, & complures alii. ſed *Priami ſui* verum eſt, quod ſeptem aut octo veteres agnoſcunt. Idem.

441. *Graſſantur amoris.*] *Graſſentur* meliores cum primâ editione. & *petant* ſequenti verſu. Heinsius. *Graſſari* pro adulari poſitum videretur antique, niſi praecederet. Douza. vid. Lambin. ad Horat. lib. II. Sat. ŷs. 93. *Mendacis* Leidenſis & tres alii.

443. *Nec coma vos fallat liquida nitidiſſima nardo.*] Hoc eſt, unguento nardino, ſive ipſa nardus foliata, ſive ſpicata fuerit: his enim nominibus apud Plinium diſtinguitur. Quod autem Merula addit, per *ſpicam Ciliſſam* in Faſtis eandem nardum intelligendam eſſe, id fallitur: neque enim ibi Poëta de nardo, ſed de croco, qui optimus in Cilicia naſcebatur, loquitur. de qua re ſuo loco dicetur. Micyllus. *Liquido nardo*, viginti tres codices, Acro ad Horat. II. Od. II. notandum eſſe dicit quod feminino genere dixerit Aſſyria nardo. vid. ad x. Met. 308. quatuor etiam codices, *nitido liquidiſſima nardo.* Burm.

444. *Nec brevis in rugas cingula preſſa ſuas.*] *Cingulam brevem* hic exponunt, quae veſtem ipſam arcte aſtringat, pluresque rugas ſive plicas faciat. ut ſit *cingula*, quae alias equorum ac jumentorum proprie eſt, pro *cingulo* ſive cinctu poſita. Solitos autem cingi Romanos veteres, argumento etiam eſt dictum illud Syllae de Caeſare, Puerum male praecinctum cavendum eſſe. Micyllus. Scaliger *lingula* legebat. Quod confirmat Gruterus, qui è ſuo codice *ligula* adducit. Et è gloſſa, quae videtur alia fuiſſe lectio, *impexas lingula nexa comas.* Dan. Heinsius. Sic & Remed. Amor. 236.

Ut nova velocem cingula laedat equum.

Regius tamen cum aliis nonnullis *lingula* habet. alii, *ligula*. Intelligit faſciam, quâ cingebatur toga. Certe nimis operoſa ac moroſa togae ſtructura mollitiem prodebat. quod & in Hortenſio notarunt veteres. Heinsius. Vid. Ferrarium lib. III. de Re Veſt. cap. 7. qui, praeter Ovidium, neminem *cingulam* dixiſſe notat. Servius ad Virg. IX. Aeneïd. 360. notat *cingulum* hominum generis neutrius eſſe, animalium vero feminino genere dici, *has cingulas.* Burm.

446. *Alter & alter.*] *Unus & alter* octo libri. vid. II. Amor. V. 22.

452. *Laeta.*] *Lenta* Codex Regius. & recte. vid. quae notamus ad Epiſt. XIX. ŷs. 82. & Epiſt. XV. ŷs. 169. Hoc primum. deinde in nonnullis aliis, *vides.* qui etiam

Nec coma vos fallat liquidâ nitidiſſima nardo:
Nec brevis in rugas cingula preſſa ſuas.
Nec toga decipiat filo tenuiſſima: nec ſi
Annulus in digitis alter & alter erit.
Forſitan ex horum numero cultiſſimus ille
Fur ſit; & uratur veſtis amore tuae.
Redde meum, clamant ſpoliatae ſaepe puellae:
Redde meum, toto voce boante foro.
Has, Venus, è templis, multo radiantibus auro,
Lenta vides lites, Appiadesque Deae.
Sunt quoque non dubiâ quaedam mala nomina famâ:
Deceptae à multis crimen amantis habent.
Diſcite ab alterius veſtris timuiſſe querelis:
Janua fallaci nec ſit aperta viro.

Par-

etiam *Appiadesque tuae.* quomodo & optimus Regius. Scribe:

Lenta vides lites, Appiadeſque tuae.

Ut per *Appiadas* meretrices intelligat. Valde illae Deae Appiades magnum Turnebum exercuerunt Adverſ. lib. v. Scio *Appiada Minervam* à Cicerone dici libro III. Familiar. Epiſt. I. ſcio & Muſarum aedem in via Appia fuiſſe: ſed quid illae ad has lites? Quare olim *Appiadeſque viae* legendum videbatur. Nunc libros veteres ſequendos duco. in Arondeliano:

Laeta videt lites Appiadeſque ſuae.

Extra urbem plebs ſubmoeniana & meretriculae habitabant. maxime viâ Appiâ. quod ex hoc loco liquide apparet. lib. I. 81. ubi loca deſcribit amantibus adeunda:

Subdita qua Veneris facto de marmore templo
Appias expreſſis aëra pulſat aquis.
Illo ſaepe loco capitur conſultus Amori.

Et quae ſequuntur. Rem. Amor. 659.

Turpe vir & mulier junctí modo, protinus hoſtes,
Non illas lites Appias ipſa probet.

Ubi forte legendum:

Non Venus has lites Appias ipſa probet.

Sic & lib. I. 87. ubi de Via Appia:

Hunc Venus è templis, quae ſunt confinia, ridet.

HEINSIUS. Neſcio an non per Appiades Deas, Nymphas, quarum ſtatuae ad Aquam Appiam poſitae erant, intelligat. ad fontes enim & aquarum ductus ſtatuae ponebantur. vide Fabret. cap. VI. inſcr. pag. 433. & ad Column. Trajan. 432. Spon. Miſcel. ſect. II. Art. VII. pag. 31. & ternas plerumque Nymphas conſpici docet idem Fabrett. in Diſſert. II. de Aquaeduct. §. 185. & ſeqq. aliquid hic etiam vidiſſe Turnebum lib. v. Adv. 17. puto, qui credebat non longe a Veneris templo fuiſſe lacum vel ſalientem, ibique aquam ex Nympharum ore & mammis exſiluiſſe, quare Appiades illae, ut Veneris contubernales, vocantur. ſed rectius ſtatuemus Nymphas aquae Appiae Genios & numina. unde toties in lapidibus Nymphis & Fontibus ſacratos titulos legimus. vid. Chiflet. Aq. Virg. pag. 18. & ſeq. hinc *divini Fontes*, de quibus vid. Paſſerat. & Broukh. ad Propert. I. 18. Marcil. ad Horat. I. Od. I. Spanhem. ad Callim. Hym. in Apoll. 112. & quem non? *laeta v. l. Appiadeſque ſuae* habebat Bernenſis unus. haec diu jam conſcripſeram ante editum cum eruditiſſimis notis Bentleji Horatium, quem legens recte Appiadas etiam explicare deprehendi ad lib. I. Od. 22. BURMANNUS.

452. *Appiadesque deae.*] Hujus loci etiam Caelius Rhodiginus meminit lib. XII. cap. I. ſed & ipſe eodem modo (ut Merula) de Venere, Pallade, Concordia, Pace, & Veſta exponit. *Appiades* ab Appia aqua in forum Caeſaris introducta, appellatas ſentit. MICYLLUS.

453. *Sunt quoque non dubia.*] *Dubiae famae* alter codex Regius, quod praeſtat. Puto:

Sunt quoque non dubiae quidam mala nomina famae:
Deceptae multum crimen amantis habent.

Ad viros fallaces, atque hoc nomine jam notos, refer. monet puellas ut ab his ſibi caveant. potes etiam *a multis* crimen habent amantis deceptae, id eſt, apud multos. HEINSIUS. Locus intricatus, & cujus ſenſum vix pervideo: ſi de puellis agat, ut Merula capit, ſenſus eſſe poſſet, eſſe quasdam, quibus conſtat nullam eſſe habendam fidem, quae ſunt indubie mala nomina, ut creditores dicuntur, qui fidem non praeſtant. hae autem, quia deceptae ſunt a multis, etiam alios volunt decipere. & ita legi poſſet in pentametro:

Deceptae a multis crimen amantis amant.

Imitari amant amantem, qui eos decepit; ſed incommode tunc ſingularis ille *amantis* additur, τῷ *multis.* quare cum Francofurtenſi poſſet legi, *crimen amoris*, ſed ſequentia potius ſuadent, haec omnia

de

Parcite, Cecropides, juranti credere Theſeo;
Quos faciet teſtes, fecit & ante, Deos.
Et tibi, Demophoon, Theſeï criminis heres,
Phyllide deceptâ nulla relicta fides.
Si bene promittant, totidem promittite verbis:
Si dederint, & vos gaudia pacta date.
Illa poteſt vigiles flammas extinguere Veſtae;
Et rapere è templis, Inachi, ſacra tuis;
Et dare mixta viro tritis aconita cicutis;
Accepto Venerem munere ſi qua negat.
Fert animus propius conſiſtere, ſupprime habenas,
Muſa; nec admiſſis excutiare rotis.
Verba vadum tentent abiegnis ſcripta tabellis.
Accipiat miſſas apta miniſtra notas.

In-

de viris fallacibus eſſe capienda, ut exemplis Ariadnes & Phyllidis deceptarum probat. quare legerem:

Sunt quoque non dubiâ quidam mala nomina famâ,
Deceptae & multi crimen amantis habent.

Sunt quidam, quos conſtat eſſe malae fidei, qui promiſſos toros & foedera non praeſtant, & multi ſunt, qui crimen habent amantis deceptae, id eſt qui culpam hanc admiſerunt jam, & ideo ab omnibus male audiunt. *Dubiae famae* erat in Regio. ſed retineo Vulgatum. non dubiâ famâ, ſed certo & ex profeſſo ſunt mala nomina. ſic Florus lib. 1. c. 1. *nec fama dubitavit. incerta fama* Epiſt. 1. 64. & IX. 41. & paſſim. *crimen habere* idem notat, quod noxium, reum culpae eſſe, ſic dixit & II. Faſt. 162.

Cavit mortales, a Jove crimen habet.

IV. Triſt. IV. 24.

Ut non debuerim, tamen hoc ego crimen habebo.

Ut ante Heinſium legebatur, qui *amabo* repoſuit. lib. 1. Art. 586.

Tuta frequenſque licet ſit via, crimen habet.

II. Amor. V.

Non data furtive munera crimen habent.

Et II. Art. 272.

Ah pereant per quos munera crimen habent.

Sic *ſcelus habere* III. Met. 142. *mala* vero *nomina* dicit adludens ad debitorum nomina: de quibus Columel. lib. 1. cap. 7. *vel optima nomina non appellando fieri mala.* Criſpinus, per *nomina* viros intelligit nequitia & dolis celebres factos, quos fugitare debent Puellae, ne ipſae eorum in ſe crimina derivent. Quod vellem docuiſſet, quibus fidiculis extorquere poſſet ex verbis Naſonis, pius ille & cenſorius ſacerdos. BURM.

455. *Diſcite ab alterius veſtris timuiſſe querelis.*] *Vobis timuiſſe* Thomaſini codex: concinnius. HEINS. Nec hic ſenſus apertus ſatis: quomodo enim timebunt a querelis? *renuiſſe* Junian. *tenuiſſe* ſex. in Neapolitano & Bernenſi erat, *caruiſſe*. quare legerem;

Diſcite ab alterius, vobis caviſſe, querelis.

A querelis deceptarum puellarum, quarum exempla mox ſubjiciet, diſcite vobis cavere. & ſeq. verſu Regius, *nec ſit*, Francof. *non ſit*. probo Regii ſcripturam, quam Berſmannus expreſſit. BURM.

461. *Si bene promittent.*] *Promittant* quidam ex melioribus. alii *promittunt*. HEINSIUS.

463. *Vigiles flammas extinguere Veſtae.*] *Vigilis* rectius legas. Nam *vigili* in uno Patavino. Pont. I.

Ut vigil infuſa Pallade Veſta ſolet. HEINSIUS.

Vigiles rectius. ita Flor. 1. 2. *Ut cuſtos imperii flamma vigilaret.* ita *vigiles lucernas* Horatius dixit. III. Od. 8. & Noſter IV. Triſt. V. 4.

Ut vigil infuſa Pallade flamma ſolet.

Videtur memoria impoſuiſſe Heinſio. BURM.

469. *Verba vadum tentant.*] *Tentent* iidem. pro *abiegnis tabellis* prima editio, Regius, & alii nonnulli ex melioribus, *alienis*, unde fuit cum legendum putarim, *in acernis ſcripta tabellis*. quomodo Noſter Eleg. XI. lib. 1. Amor. ſed & *abiegnae* probum. ita *abies* ſumitur Plauto Perſa. HEINSIUS. In Vaticano erat, *planis inſcripta tabellis*. ſenſus autem videtur expeditior, ſi ſubintelligatur *ſi*, ut millies ſolet Noſter. Si amator vadum tentat (ut hoc praeceperat lib. 1. Art. vs. 437.) per epiſtolam, & colloquium, vel etiam noctem rogat, ne prohibe, quominus ancilla illam accipiat, ſed tu caute tecum inſpice & examina, an ex animo roget, an vero ſimulet. *planae* autem tabellae proprie, ut *raſae* libr. 1. 437. quia cerae complanatae verba inſcribebantur; niſi verior lectio ſit, *plenis*, quod ex veſtigiis τοῦ *alienis* vel *abienis*, ut quidam codices habent, poſſet conjici; & intelligat Epiſtolam tam plenam, qualem lib. 1. Amor. Eleg. XI. 20. & ſequentibus, ſibi ab amica per Napen petit mitti. poſſet & legi:

Verba vadum tentent planis ſi ſcripta tabellis,

Ita

Inſpice: quodque leges, ex ipſis collige verbis,
Fingat, an ex animo, ſollicitusque roget.
Poſtque brevem reſcribe moram. mora ſemper amantes
Incitat, exiguum ſi modo tempus habet.
Sed neque te facilem juveni promitte roganti:
Nec tamen eduro, quod petit, ore nega.
Fac timeat ſperetque ſimul: quotiesque remittes,
Spesque magis veniat certa, minorque metus.
Munda, ſed è medio, conſuetaque verba, puellae,
Scribite. ſermonis publica forma placet.
Ah quoties dubius ſcriptis exarſit amator;
Et nocuit formae barbara lingua bonae!
Sed quoniam, quamvis vittae careatis honore,
Eſt vobis veſtros fallere cura viros;

An-

Ita omnia planiora eſſent. BURMANNUS.

471. *Inſpice, dumque leges.*] *Quodque leges* meliores cum prima editione. HEINSIUS.

475. *Sed neque te facilem juveni promitte roganti.*] Malim *permitte*. IDEM.

476. *Nec tamen edure, quod petit ille, nega.*] *E duro* ſcripti meliores cum prima editione. alii quidam *è toto*, vel *ex toto*. tertius Regius & unus Vaticanus, *è duro ore*. optime. ſic, *duri puer oris & audax* lib. v. 451. Metam. ſupra lib. II. 527.

Poſtibus edurae ſupplex blandire puellae.

Ut & illic ſcribendum monuimus, niſi *è duro* hic ſumptum velis, ut *ex facili*, *ex difficili*, *ex toto*, & ſimilia. ſupra in Amoribus II. II. 55.

Culpa nec ex facili, quamvis manifeſta, probatur.

Supra:

Quae datur ex facili non eſt mihi grata voluptas.

Et Remed. 522.

Protinus ex facili gaudia ferre licet.

Infra 579.

Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem.

In Faſtis v. 350.

Non ex difficili cauſa petenda ſubeſt.

In Triſtibus:

Non tamen ex toto deſerere illa potes.

HEINSIUS.

478. *Spes magis hinc veniat.*] *Speſque magis veniat* prima editio & ſcripti plerique. Puto, *ſpes magis huic veniat*. Vide Notas ad Epiſt. IV. ŷs. 113. IDEM.

479. *Munda, ſed è medio.*] *Blanda* unus Vaticanus. quomodo ſupra lib. I. 467.

Sit tibi credibilis ſermo, conſuetaque verba,
Blanda tamen, praeſens ut videare loqui.

Nihil tamen temere mutandum. HEINSIUS. Ita apud Prop. IV. v. 43. eadem eſt varietas. vid. ſupr. 332. ſed *blanda verba* aptius dedit viris, qui per blanditias aditum ad Venerem quaerunt. Puellis magis *munda* conveniunt. *munda* vero opponuntur *fucatis*, ut Cicero Orat. 23. *Fucati medicamenta candoris & ruboris omnia repellentur, elegantia modo & munditia remanebit.* Et Horat. II. Ep. I. 158.

Horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & grave virus
Munditiae pepulere.

Ita ſaepe hac voce utitur Gellius, lib. I. cap. 24. *Hiſtoria de Papirio Praetextato dictaque ſcriptaque eſt a M. Catone cum multa venuſtate atque luce, atque munditia verborum.* lib. X. 3. *brevitas & venuſtas, & mundities orationis, qualis haberi ferme in comoediarum feſtivitatibus ſolet.* Eod. libr. cap. 7. *Verſibus ſatis munde atque graphice factis.* & cap. 24. *D. Auguſtus munditiarum patris ſui in ſermonibus ſectator.* lib. XVII. 12. *Pugnare in Gallos mundius ſubtiliuſque eſt, quam cum Gallis.* Ita Homer. Iliad. B. 213. Therſitae dedit: Ἔπεα ἄκοσμά τε πολλά τε. ſi *blanda* legas, non erat apta oppoſitio τῶν *ſed è medio*: nam & *è medio*, ſemper ſunt blanda. quare *blanditias & publica verba* conjungit Noſter lib. III. Amor. 7. ſed in *mundis* eligendis ſaepe affectatio nimia apparere ſolet. BURMANNUS.

480. *Forma.*] *Verba placent* editiones priſcae & ſeptemdecim ſcripti. Nihilominus vulgata verior & ſincerior lectio: traducta eſt locutio a moneta, ut docet, monente jam Berſmanno, Quinctilianus lib. I. cap. 6. *conſuetudo certiſſima loquendi magiſtra, utendumque plane ſermone ut nummo, cui publica forma eſt.* quo & Horatius adludit Art. Poët. 58.

Licuit ſemperque licebit
Signatum praeſente nota producere nomen.

Vel, ut alii legunt, *procudere*. vide ibi Bentleji doctiſſimas notas. BURMANNUS.

481. *Dubiis ſcriptis exarſit amator.*] *Dubius* cum prima editione, Regio, & tribus aliis. HEINSIUS.

Ancillae puerive manus ferat apta tabellas:
Pignora nec juveni credite veſtra novo.
Vidi ego, pallentes iſto terrore puellas,
Servitium miſeras tempus in omne pati.
Perfidus ille quidem, qui talia pignora ſervat:
Sed tamen Aetnaei fulminis inſtar habet.
Judice me fraus eſt conceſſa, repellere fraudem:
Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.
Ducere conſueſcat multas manus una figuras.
Ah pereant, per quos iſta monenda mihi!
Nec niſi deletis tutum reſcribere ceris:
Ne teneat geminas una tabella manus.
Femina dicatur ſcribenti ſemper amator:
Illa ſit in veſtris, qui fuit ille, notis.

Sed

485. *Ancillae puerique manus ferat arte tabellas.*] *Puerive.* deinde prima editio & tres ſcripti, *ante.* duo, *apte.* Sarravianus & alius, *arta.* unus, *arce.* Lege, *apta* cum Argentinenſi, uno Patavino, & Vaticano. ſupra 470.

Accipiat miſſas apta miniſtra notas.

Amor. II. Eleg. VII. 24.

Eſt tibi per doctas apta miniſtra manus.

Et ad Cypaſſim II. Eleg. VIII. 4.

Apta quidem dominae, ſed magis apta mihi.

Met. lib. IX. 610. ubi Byblis queritur de famulo cum literis miſſo:

Non adiit apte, non legit idonea, credo,
Tempora. HEINSIUS.

486. *Pignora nec juveni.*] Magis convenit, quod è veteri codice citabat Scaliger:

Ancillae puerique manus premat arte tabellas:
Pignora nec puero credite veſtra novo.

DAN. HEINSIUS. *Novo juveni*, novo amanti. ut infra 554.

—— *Novus viſo caſſe reſiſtet amans.*

Sed libri omnes veteres cum primâ editione, *puero*, quod jam praeceſſit. Junianus *rudi.* Forte, *vernae rudi.* ita ſaepe pro ſervo poëtae: Regius, *credita noſtra.* HEINSIUS. *Juveni* rectum eſt, nec de ſervo, ſed amatore debet intelligi, ut ſequentia manifeſto demonſtrant. & ridiculus eſt Gonzalius, qui ex hoc loco probare volebat *juvenem* pro ſervo poni. vide nos ad Petronii cap. XXII. ſic *tironem* vocat, & opponit veteri militi infr. ŷs. 566. Ita *puer* & *juvenis* confunduntur infr. 571. de ſervo cepit librarius Lincolnienſis codicis, qui ſequenti verſu habet, *fallentes ipſo latore puellas.* & Junian. *deceptos iſto latore. Deflentes iſto terrore* Aproſii & tres alii. *fallentes* multi. praecipit ergo, ut ancilla vel puer literas miſſas ad amantem, & lectas referat, ne ſervet amator, quibus poſtea ut fulmine utatur. BURMANNUS.

489. *Talia munera ſervat.*] *Captat* Lincolnienſis. quod olim non diſplicuit Heinſio, & de interceptis literis capiebat. ut *captare* lib. II. 597. ſed mihi *ſervat* probum videtur. & de amatore, qui tabellas non remittit deletas, iiſque reſponſum ſuum inſcripſit, ſed ſignatas ſervat; ut poſſit omnibus Puellae ſcripturam oſtendere, & ſi nolit ipſi obſequi, terrori iſti ſemper eam habeat obnoxiam, qui duplicatur ex eo, ſi tam incauta fuerit, ut non deletis tabulis reſponſum inſcripſerit, & ita gemina manus appareat, unde mutuum amoris commercium probari poteſt. eaſdem vero tabellas ultro citroque miſſas, & reſponſum deletis verbis mittentis inſcriptum fuiſſe, patet ex elegia XII. libri I. Amor. & Catulli Epigr. XLI.

Moecha putida redde codicillos.

Pugillaria ibidem vocat illos codicillos. BURM.

493. *Multas.*] *Varias* Voſſii.

494. *Ah pereant.*] Argentinus, *di pereant.* ſed vid. lib. II 272.

496. *Nec teneat geminas.*] *Ne* Regius cum prima editione, & quinque aliis ſcriptis. bene. HEINSIUS.

497. *Scribentis ſemper amator.*] *Scribenti* quatuor codices. IDEM.

499. *Si licet à parvis.*] *Sed licet* ſcripti meliores cum priſcis editionibus. Lege, *ſed libet.* quomodo alter Mentelii: nam Moreti codex, *ſi libet.* Arondelianus, *ſed placet.* vide Notas ad Epiſt. XV. vers. 134. IDEM.

500. *Pandere.*] *Tendere* multi. *reddere* unus. *prendere* Bernenſis. Sed *tendere* non male. *pandere* enim ſimpliciter eſt explicare, *tenduntur* autem vela, cum major aura implet. Epiſt. XIII. 15. *abreptaque vela tetendit.* & ita alibi. BURMANNUS.

501. *Rapidos compeſcere mores.*] Prima editio cum Regio & octo aliis, *rabidos.* quod verum eſt. HEINSIUS. Vaticanus, *componere mores*, eleganter etiam. ut ſupr. 370.

Ma-

Sed libet à parvis animum ad majora referre,
Plenaque curvato pandere vela ſinu;
Pertinet ad faciem rabidos compeſcere mores.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument irâ; nigreſcunt ſanguine venae;
Lumina Gorgoneo ſaevius igne micant.
I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti;
Ut vidit vultus Pallas in amne ſuos.
Vos quoque ſi mediâ ſpeculum ſpectetis in irâ;
Cogноſcat faciem vix ſatis ulla ſuam.
Nec minus in vultu damnoſa ſuperbia veſtro:
Comibus eſt oculis adliciendus amor.
Odimus immodicos (expertae credite) faſtus.
Saepe tacens odii ſemina vultus habet.

Spe-

Majus opus mores compoſuiſſe ſuos.
Sic *compoſitam mentem* infr. 572. *compoſitam vocem.* ſupr. 345. pro molli, blanda, dixit. ſic pro *compeſcere amores* in MSS. erat, *componere* apud Propert. lib. I. Eleg. XIII. II. & III. Eleg. XV. 3.

Tu potes inſanae Veneris componere faſtus.
Vide utrobique Broukhuſium, qui tamen *compeſcere* praefert. BURMANNUS.

503. *Nigreſcunt.*] *Concreſcunt* Argent. Heinſius olim conjecerat, *turgeſcunt.*

504. *Gorgoneo ſaevius angue micant.*] *Igne* ſcripti omnes potiores cum prima editione. hoc eſt, oculis Gorgoneis. ſic lib. III. Met. 33.

Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno.
Libro VIII. 284.

Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix.
Virgilius XII. 102.

Oculis micat acribus ignis.
Pro *ſaevius* unus Vaticanus, *fortius.* Puto, *torvius.* lib. I. II. 309.

Si fuerit torvâ violentior illa Medusâ. HEINS.
In uno Moreti erat, *Grionio.* forte legendum:

Lumina Orionio ſaevius enſe micant.
De Orionis enſe omnia obvia.

505. *I procul hinc dixit, non es mihi tibia tanti.*] Ita idem lib. verè.

I procul hinc dixit, non es mihi tibia tanti.
Sub finem lib. VI. Faſt.

Ars mihi non tanti eſt, valeas mea tibia, dixit.
Tu inde totam fabulam pete. CIOFANUS. *Non es* libri meliores cum prima editione. Sic in Faſtis lib. VI. 701. codices vetuſti:

Ars mihi non tanti es, valeas mea tibia, dixit.
Ubi legendum, *Ah mihi non tanti es.* Metam. VI. 385. de Marſya:

—— *Quid me mihi detrahis, inquit?*
Ah piget, ah non eſt, clamabat, tibia tanti!
Ubi pari modo *non es* reponendum videtur. ita & tibiam alloquitur Propertius lib. II. Eleg. XXX.

Hic locus eſt, in quo tibia docta ſones.
Quae non jure vado Maeandri jacta nataſti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
HEINSIUS.

508. *Cognoſcet.*] *Cognoſcat* Marg. Berſman. Edit. Aldi, D. Heinſii, & quaedam aliae.

509. *Nec minus in vultu damnoſa ſuperbia veſtro.*] *Nec tumeat vultu* prima editio & plurimi ex ſcriptis. ſed paulo ante praeceſſerat, *Ora tument ira.* HEINSIUS. *Nec tumeat* ex Palatinis duobus etiam Gebhard. II. Ant. lect. 27.

510. *Comibus eſt oculis.*] Quidam, *dulcibus.* Moreti, Junii, & duo alii, *mollibus*, quod probo. Ita *mollis oculorum petulantia* Petron. CXXVI. & μαλακὸν βλέμμα Ariſtoph. Plut. Act. IV. Sc. IV. ỳs. 57. paullo aliter *molles oculos* dixit Remed. 340. Ita *comiter* & *molliter* confuſa lib. I. Amor. 710. Deinde unus Heinſii, *eliciendus amor.* vide lib. II. 152. & 444. hoc autem rectius fit *mollibus* oculis, quam *comibus.* ſed quia *ſuperbia* praecedit, & *mollia ridere* ſequitur, nihil movemus. BURMANNUS.

511. *Odimus immodicos (experto credite) faſtus.*] Unus meus, *fatus.* Puto, *flatus.* Vide notas ad lib. I. ỳs. 715. Argute etiam Regius cum Neapolitano & uno Vaticano, *expertae credite.* HEINSIUS. *Odimus indomitos* unus Vaticanus, non male. ſic *indomitus amor* lib. II. Faſt. 585. ubi eadem varietas. Et *indomitae irae.* V. Met. 41. *indomitus ignis* X. 369. Catul. Epith. Pelei 53. *Indomitos in corde gerens Ariadna furores.* ſic & apud Juven. XIV. Sat. 176. *Immodici cenſus.* Ubi Rottendorfianus & Voſſianus codex, *indomiti.* BURMANNUS.

Spectantem specta: ridenti mollia ride.
Innuet; acceptas tu quoque redde notas.
Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis
Spicula de pharetrâ promit acuta suâ.
Odimus & moestas. Tecmessam diligat Ajax:
Nos, hilarem populum, femina laeta capit.
Numquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem,
Ut mea de vobis altera amica foret.
Credere vix videor, cum cogar credere partu,
Vos ego cum vestris concubuisse viris.
Scilicet Ajaci mulier moestissima dixit,
Lux mea; quaeque solent verba juvare viros;
Quid vetat à magnis ad res exempla minores
Sumere, nec nomen pertimuisse ducis?
Dux bonus huic centum commisit vite regendos;
Huic equites; illi signa tuenda dedit.

Vos

515. *Sic ubi praelusit.*] *Prolusit* cum primâ editione scripti meliores. Seneca Hippol. 1060.

Ut cepit animos, seque praetentans satis
Prolusit irae.

Ita optimus Mediceus. nec dubita quin recte. Propertius lib. IV. Eleg. IV.

Vidit arenosis Tatium proludere campis.

Sic scripti constanter. neque aliter passim codices castigatissimi apud scriptores antiquos, ut etiam testatur ad Senecae Herculem Furentem Gronovius noster. apud Virgil. III. Georg. *Sparsa ad pugnam proludit arena.* Auctor Panegyrici ad Pisones:

Tunc etiam levibus veluti prolusit in armis.

Heinsius. Vide Freinsh. ad Flor. lib. IV. 2. principio, qui tamen *praeludere* non damnare audet: & Gron. ad Senec. Herc. Fur. 222.

515. *Rudibus puer ille relictis Spicula, &c.*] Ita legendum è priscis exemplaribus. Ciofanus. *rejectis* conjecerat olim Heinsius. *fagittis* multi scripti & editi.

516. *Promit.*] Aprosii codex, *legit.* vid. ad lib. I. Amor. Eleg. I. 22. sed lib. I. Met. 468.

Eque fagittifera promsit duo tela pharetra.

518. *Capit.*] *Rapit* unus Heinsii. eleganter.

520. *Amica foret.*] *Fores* rectius legatur. Heins. *Altera nupta foret.* Barthol. notandum vero *alteram* hic poni pro *alterutram.* sic apud Quinctil. lib. VII. Inst. cap. I. *Alter igitur insidiatus est. Uter? profecto Clodius.* Burmannus.

521. *Cum cogar credere partu.*] *Nisi cogar credere partus*, prima editio & duo scripti. Mentelianus, *nisi cogar credere partu.* Lege:

Credere vix videar, nisi cogar credere partu.

Vel, *cogant partus.* Natus enim ex Andromacha Hectori Astyanax, ex Tecmessa Ajaci Euryfaces, à quo Euryfacidae, clarissima apud Athenienses familia. Heinsius. *Vix possum* Lincoln.

525. *Quis vetat, à magnis ad res exempla minores Sumere.*] Sensus est: Quid prohibet, magnarum rerum exempla ad res mulierum parvas accommodare? ut exempla ducum ad res amatorias, &c. Nam quae Merula hic de Andromache & Tecmessa exponit, suo modo affingit. Micyllus. *Quid vetat* & hic recte repositum. vid. ad Epist. IX. 86.

527. *Huic centum commisit jure regendos.*] Optime Regius & unus Vaticanus, *vite.* quomodo Cujacius Observat. l. XII. cap. XXXIV. ex suis scriptis. de vite, quam centurio gestabat, loquitur. de qua & Martialis X. 26.

Vare, Paraetonias Latiâ modo vite per urbes
Cognite.

Juvenalis de Mario VIII. 247.

Nodosam posthac frangebat vertice vitem.

Silius de Ennio XII. 394.

——— *Latiaeque superbum*
Vitis adornabat dextram decus.

Nihil frequentius apud rei militaris scriptores. Neque aliter hunc locum emendavit ad Statium doctissimus Gronovius. Codex alter Regius, *Marte regendos* Heinsius. *Turre regendos.* Ambros.

529. *Quem quisque erit aptus in usum.*] *Ad usum* scripti. deinde *quisque sit* Neapolitanus & prior Ambrosianus. bene. Heinsius. Ad lib. V. Met. 112. *adhibendus in usus* praefert Heinsius τῷ *ad usus.*

532. *Causam saepe clientis agat.*] Malim, *nempe.* Heinsius.

534. *Nam*

Vos quoque, de nobis quem quisque sit aptus ad usum,
Inspicite: & certo ponite quemque loco.
Munera det dives: jus qui profitebitur, adsit:
Facundus causſam saepe clientis agat.
Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum.
Hic chorus ante alios aptus amare sumus.
Nos facimus placitae latè praeconia formae.
Nomen habet Nemesis: Cynthia nomen habet.
Vesper & Eoae novere Lycorida terrae:
Et multi, quae sit nostra Corinna, rogant.
Adde, quod insidiae sacris à vatibus absunt:
Et facit ad mores ars quoque nostra suos.
Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi:
Contemto colitur lectus & umbra foro.
Sed facile haeremus, validoque perurimur aestu;
Et nimium certâ scimus amare fide.

Sci-

534. *Nam chorus.*] *Hic chorus* meliores scripti cum primâ editione. unus Regius, *Nos chorus.* HEINSIUS.

535. *Placitae latè praeconia formae.*] Haec vera lectio. CROFANUS. Posset & *laeti* legi. certe in Arondeliano *laete.* HEINSIUS.

539. *A vatibus.*] *Ab* duo libri.

540. *Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.*] *Suos* scripti cum prima editione. bene. sic Martial. *mores* pro bonis moribus ponit lib. XI. Ep. XVIII.

Mores non habet hic meus libellus.

Eleganter autem & Ovidiane *suos.* sic supra lib. II. 334.

Sit suus in blandâ sedulitate modus.

Et 390.

Gloria peccati nulla petenda sui.

Et hoc ipso libro 235.

— *Pectendos coram praebere capillos,*
Ut jaceant fusi per sua terga, veto.

Ita istis locis libri veteres. Paulo post 578.

Sit sua in infidâ proditione fides.

Ut ibi scribendum censeo. Plura hujus notae alibi non uno loco congessimus. HEINSIUS.

541. *Nec amor nos urget habendi.*] *Nec amor nos tangit* scripti plerique meliores cum primâ editione; quod secuti sumus. infra 588. *excluſum te quoque tanget amor.* tres tamen, *nec amor nos urit.* de quo Amor. I. El. II. ŷs. 17. vulgata scriptura Virgilii auctoritate se tuetur, qui in Georgicis. IV. 177.

Cecropias innatus apes amor urget habendi. HEINS.

Mihi *urit* maxime blanditur, ut amorem habendi eleganter Poëta opponat amori Puellae, quo praecipuo, & solo fere urantur Poëtae. sic supra 448.

Et uratur vestis amore tuae.

De confusione horum verborum vid. & lib. III. Amor. Eleg. I. ŷs. 20. & alibi. posset & legi *angit.* solliciti enim maxime avari. & *urget* & *angit* esse vicinae significationis docet locus Horatii II. Sat. II. 64.

Hac urget lupus, hac canis angit.

in Culice quoque Virgilii vers. 63.

Si nitor auri
Sublaqueare domus animum non tangit avarum.

Ubi *angit* codices scripti. eadem confusio apud Lucan. IX. 1015.

Fortasse Tyranni
Tangeris invidia.

In plerisque codicibus MSS. *angeris.* cum *urgere* etiam hoc verbum permutarunt saepe librarii. sic apud Horat. II. Sat. III. 39.

Pudor, inquit, te malus urget.

Ubi optimi codices, *angit*, & Virgilii locum similiter ab Heinsio restitutum adducit Bentlejus. Lucanus I. 62.

Miseros angit sua cura parentes.

Infr. Remed. 571.

Filius hunc miles, te filia nubilis angant.

Videtis diversas lectiones, quae omnes probabiliter adstrui possunt. una tamen ab Ovidii tantum manu est. quae autem vera sit, non dijudico: *urere & angere*, confundunt etiam MSS. in Remed. 571. *De amore habendi* vid. ad Phaedr. lib. III. prolog. BURM.

542. *Lectus & umbra.*] Vid. ad lib. I. Amor. IX. 42.

Scilicet ingenium placidâ mollimur ab arte:
Et ſtudio mores convenienter eunt.
Vatibus Aoniis faciles eſtote, puellae.
Numen ineſt illis; Piëridesque favent.
Eſt Deus in nobis; & ſunt commercia coeli.
Sedibus aetheriis ſpiritus ille venit.
A doctis pretium ſcelus eſt ſperare poëtis.
Me miſerum! ſcelus hoc nulla puella timet.
Diſſimulate tamen, nec primâ fronte rapaces
Eſte. novus viſo caſſe reſiſtet amans.
Sed neque vector equum, qui nuper ſenſit habenas,
Comparibus frenis, artificemque regat.
Nec ſtabiles annis animos, viridemque juventam
Ut capias, idem limes agendus erit.
Hic rudis, & caſtris nunc primum notus Amoris,
Qui tetigit thalamos praeda novella tuos;
Te ſolam norit; tibi ſemper inhaereat uni.
Cingenda eſt altis ſepibus iſta ſeges:
Effuge rivalem: vinces, dum ſola tenebis.
Non bene cum ſociis regna Venusque manent.

Ille

545. *Ingenium placidâ mollitur ab arte.*] *Mollimur* optime Sarravianus cum quatuor aliis. uſitatus Naſoni Graeciſmus. Heinsius. *Noſtra ab arte* Francof. & Palatinus. *blanda* alii cum Juniano. ſed nihil move: *placida* enim *ars* melius Foro & Curiae opponitur, quam *blanda*. I. Art. 12.

Atque animos placida contudit arte feros.
Burmannus.

549. *Eſt Deus in nobis, ſunt &.*] *Et ſunt* ſcripti. Lege cum uno Vaticano:

Et Deus in nobis, & ſunt commercia coeli.
Heinsius.

550. *Sedibus aetheriis ſpiritus ille venit.*] Huc facit quod ſcribit M. Tullius lib. II. De Orat. ad Q. fratrem: *Saepe enim audivi poëtam bonum neminem (id quod à Democrito, & Platone in ſcriptis relictum eſſe dicunt) ſine inflammatione animorum exiſtere poſſe, & ſine quodam afflatu quaſi furoris.* Ciofanus.

555. *Sed neque rector equum.*] Prima editio cum Regio & multis aliis, *vector*. probe. nam *rector regit equum*, odioſa repetitione, non placet. pro *regit* iidem codices, *reget*. ſed *regat*, quod in tribus aliis eſt, amplector. ſic Triſt. lib. I. El. III. ỳs. 115. *vector* pro nauta. ut illic legi in codicibus ſcriptis monui. Heinsius.

556. *Comparibus frenis.*] Neſcio quomodo illud *comparibus* diſpliceat. Editiones antiquae & Aldina prior cum octodecim ſcriptis, inter quos optimi Regius & Sarravianus *cum paribus frenis*. rectius, ut puto. Nam & alias Noſter praepoſitionem hanc inſtrumentis, quibus quid efficitur, addere ſolet. ſic VI. Met. 614.

Aut ego cum facibus regalia tecta cremaro.

Ubi vide. Feſtus: *Funebres tibiae cum quibus in funere canitur.* & ita alii. de *Rectore* & *Vectore* vide ad lib. I. Triſt. III. 115. *Victor* hic etiam Moreti, Bernenſis & ſex alii. *qui nullas ſenſit*, Junii. Burm.

561. *Inhaereat.*] Neapolitanus, *militet uni*. quod elegantius eſt, quam ut a librario ſit profectum. Militiae vero ſpeciem eſſe amorem toties Noſter inculcat. vid. ad Petron. XXIV. Noſter Epiſt. VII. 32. *caſtris militet ille tuis.* Plaut. Perſ. II. II. 50.

Confidentiâ illa militia militatur multo magis quam pondere.

Adhaereat Moreti & ſeptem alii. Burm.

562. *Cingenda.*] *Texenda* Palatin. ut *texta ſtramine caſa* Met. V. 447. *Texta vimine* Faſt. IV. *Junco texere* & ſimilia. *alta ſeges* etiam duo libri. Heinsius.

564. *Non bene cum ſociis regna Venuſque manent.*] Hunc locum imitatus eſt Seneca in Agamemnone:

Nec regna ſocium ferre, nec taedae ſciunt.
Ciofanus.

564. *Manent.*] *Juvant* Bernenſis unus.

565. *Sa-*

Ille vetus miles ſenſim & ſapienter amabit:
Multaque tironi non patienda feret.
Nec franget poſtes, nec ſaevis ignibus uret;
Nec dominae teneras adpetet ungue genas.
Nec ſcindet tunicasve ſuas, tunicasve puellae:
Nec raptus flendi cauſſa capillus erit.
Iſta decent pueros, aetate & amore calentes:
Hîc fera compoſità vulnera mente feret.
Ignibus hic lentis uretur, ut humida taeda;
Ut modo montanis ſilva reciſa jugis.
Certior hic amor eſt: brevis & fecundior ille.
Quae fugiunt, celeri carpite poma manu.
Omnia tradantur. portas reſeravimus hoſti;
Et ſit in infidâ proditione fides.
Quod datur ex facili longum male nutrit amorem.
Miſcenda eſt laetis rara repulſa jocis.
Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet:
Multaque ſubmiſſe, multa minanter agat.
Dulcia non ferimus: ſucco renovemur amaro.
Saepe perit ventis obruta cymba ſuis.

Hoc

565. *Sapienter.*] Douza malebat *patienter*, ut ſaepe alibi.

567. *Nec franget poſtes.*] Tibul. I. 1. Eleg. 7.

Dum frangere poſtes
Non pudet, & rixas inſeruiſſe juvat.

Douza.

570. *Nec raptus.*] Gruterus in ora codicis notarat legendum, *carptus.* & ita Paſſeratius malebat ad Propert. lib. II. Eleg. 5. puto, *ruptus.* vid. ad Ep. X. 16. & alibi. Heinsius.

571. *Iſta decent pueros.*] *Animos* Bartholinianus. placet. Heinsius. *Decent juvenes* Junii. ſupr. 486.

573. *Ut humida taeda.*] *Faena* Sarravianus & multi alii. Regius *fraena.* quod idem eſt. multi etiam *ligna.* nihil mutandum. Heinsius. in Regio erat:

Ignibus heu lentis torretur & umida taeda.

Forte:

Ignibus hic lentis torretur, ut humida taeda.

Ut III. Triſt. XI. 4.

Qui falſum lento torruit igne bovem.

Vid. ad. II. Met. 811.

575. *Brevis & foecundior ille.*] Prima editio, cum Regio & multis aliis ſcriptorum, *gravis.* Vulgatae lectioni ſequens verſus videtur ſuffragari. Regius, *gravis & foecundior. illa Quae fugiunt.* Jureti excerpta, *quamvis foecundior.* Arondelianus:

Certior huic amor eſt, gravis & foecundior illi.

Heinsius.

Certior hic amor eſt: brevis, at fecundior, ille,

Micyllus, & Berſmannus, quod non diſplicet.

577. *Omnia tradantur.*] *Tradentur* in nonnullis. Naugerius.

577. *Reſerabimus.*] *Reſeravimus* Editio prima & ſcripti meliores. Sequenti verſu iidem, *Et ſit*, vel, *Et fit.* Latet aliquid. Lege:

Sit ſua in infidâ proditione fides.

Ut lib. II. 334.

Sit ſuus in blandâ ſedulitate modus.

Sua fides, quia promiſerat omnia ſe traditurum puellis non minus quam viris. Forte etiam legendum, *Moenia tradantur*, pro *omnia.* Heinsius. Vid ſupr. 540. Francius volebat, *ſit vel in.*

580. *Miſcenda eſt lactis rara repulſa locis.*] Neſcio quid huic ſimile lib. II. Amor. elegia XIX.

Et faciat voto rara repulſa locum.

Ciofanus.

581. *Ante fores jaceant, crudelis janua clament.*] *Jaceat*, & *dicat* prima editio cum ſcriptis melioribus. ſecundus Palatinus *cantet*: ut Remed. 36.

— *Et excluſus flebile cantet amans.*

Et *agat* ſequenti verſu. Heinsius.

583. *Renovamur amaro.*] *Renovemur* Regius, quo alludunt tres alii, in quibus, *removemur.* Heinsius.

586. *Cum*

Hoc eſt, uxores quod non patiatur amari:
Conveniunt illas, cum voluere, viri.
Obde forem; & duro dicat tibi janitor ore,
Non potes. excluſum te quoque tanget amor.
Ponite jam gladios hebetes; pugnetur acutis.
Nec dubito, telis quin petar ipſe meis.
Dum cadit in laqueos captus quoque nuper amator;
Solum ſe thalamos ſperet habere tuos.
Poſtmodo rivalem, partitaque foedera lecti
Sentiat. has artes tolle; ſeneſcet amor.
Tum bene fortis equus reſerato carcere currit;
Cum, quos praetereat, quosque ſequatur, habet.
Quamlibet extinctos injuria ſuſcitat ignes.
En ego (confiteor) non niſi laeſus amo.
Cauſſa tamen nimium non ſit manifeſta doloris;
Pluraque ſollicitus, quam ſciat, eſſe putet.
Incitet & ficti triſtis cuſtodia ſervi,
Et nimium duri cura moleſta viri.

Quae

586. *Cum voluere viri.*] Lege, *viris*, ſcil. *amari*. HEINSIUS.

587. *Claude fores: duro dicat tibi janitor ore.*] Regius & tres alii, *Adde forem*, *& duro*. Prima editio cum Sarraviano & decem aliis, *Obde forem &*. quod placet. ut diximus ſupra lib. II. ŷs. 634. Quidam, *Claude forem &. ſibi* etiam pro *tibi* plerique ſcripti. ſed fruſtra. Forte tamen pro, *Claude forem*, vel quod in aliis eſt, *Adde forem*, *& Abde*, ſcribendum, *Cede fore*. pro abſcede à foribus. ut janitoris herum increpantis hoc ſit. ſic *cedere domo* Epiſt. XII. 133.

Auſus es Aeſonia dicere cede domo.

Scriptum nempe *Caede* pro *Cede* fuerat. ut infra 642. in optimo Regio.

Et caedat lecto quamlibet aegra ſuo.

In veterrimis quoque Horatii membranis, quae exſtant in publica Academiae Leidenſis Bibliotheca, pari modo verbum illud paſſim exaratum occurrit. Sequenti verſu nihil mutandum. niſi pro *te quoque*, placet, *ſic quoque* cum altero Ambroſiano & uno meo; quo plurimi ex ſcriptis videntur ſpectare, in quibus, *ſe quoque*. Senſus eſt, Obdantur tibi ipſi fores tuae, & dicat tibi duro ore Janitor, Non potes admitti; dubium non eſt, quin te quoque, ſi excludaris, uxoris tuae amor ſit taſturus, quam nunc vix amas. Arondelianus liber:

Obde forem duro dicat ſub janitor aere.

Ita enim in illo ſcribitur, non *Claude fores duro*. id quod probavit ſe doctiſſimo Gronovio Obſervat. lib III cap. XIX. ut *durum aes* de catenis janitoris intelligatur. HEINSIUS.

591. *Dum cadat.*] *Cadit* meliores ſcripti. Puto etiam ſcribendum, *captus tibi nuper amator*. vel *captatus nuper amator*. ſic *captata puella* lib. I. Artis. HEINSIUS. *Captus modo* nuper Mentelian. *factus quoque nuper* alius.

594. *Seneſcit amor.*] *Seneſcet* rectius prima editio & quatuor ſcripti. HEINSIUS.

597. *Quoslibet exſtinctos.*] Prima editio cum ſcriptis pleriſque, *Quaelibet*. Regius & Arondelianus, & unus Patavinus, *Quamlibet*. recte. vide notas ad Epiſt. VI. ŷs. 140. *ſuſcitet* etiam Jureti excerpta & duo alii, pro *ſuſcitat*. HEINSIUS. *Suſtinet* Voſſianus.

599. *Ne ſit manifeſta doloris.*] *Non ſit* ſcripti cum prima editione. forte etiam, *nimii doloris*. HEINS.

603. *Ex tuto.*] *Ex voto* Vaticanus. vid. ad lib. II. Amor. Eleg. XIV. 43. *ex tacito* Scheffer.

604. *Ut ſis liberior Thaide, finge metus.*] Pro, *Quanquam ſis liberior Thaide*, id eſt, qualibet vulgari ac publicè proſtituta, quae hunc vel illum impune admittit, tamen finge metum, &c. Sic enim hic locus exponendus videtur: non ut Merula exponit, qui de Thaïde Terentiana dictum accipit, Phaedriaeque excluſionem, quaſi quae metu facta ſit, huc accommodat. MICYLLUS.

605. *Cum melius.*] *Ut melius* Palatinus.

606. *Signa timentis habe.*] *Verba* ſcripti plerique cum prima editione. perperam. Remedio Amoris. 510.

Et nulla in vultu ſigna dolentis habe. HEINS.

Et IV. Faſt. 586.

Maximaque in vultu ſigna dolentis erant.

Signa timoris Patavinus. *verba* non conveniunt timorem ſimulanti: illa enim exaudiri poſſent.

607. *Cal-*

Quae venit ex tuto, minus eſt accepta voluptas.
Ut ſis liberior Thaïde, finge metus.
Cum melius foribus poſſis, admitte feneſtrâ:
Inque tuo vultu ſigna timentis habe.
Callida proſiliat, dicatque ancilla, Perîmus:
Tu juvenem trepidum quolibet abde loco.
Admiſcenda tamen Venus eſt ſecura timori;
Ne tanti noctes non putet eſſe tuas.
Quâ vafer eludi poſſit ratione maritus,
Quâque vigil cuſtos, praeteriturus eram.
Nupta virum timeat: rata ſit cuſtodia nuptae.
Hoc decet: hoc leges juſque pudorque jubent.
Te quoque ſervari, modo quam vindicta redemit,
Quis ferat? ut fallas, ad mea ſacra veni.
Tot licet obſervent, (adſit modo certa voluntas)
Quot fuerant Argo lumina, verba dabis.
Scilicet obſtabit cuſtos, ne ſcribere poſſis,
Sumendae detur cum tibi tempus aquae?

Conſcia

607. *Callida.*] Mallem, *Pallida.* nam commutaſſe has voces librarios videbimus ad lib. VI. Met. 576. Horat. Sat. II. 129. in ſimili argumento:

Vae pallida lecto
Deſiliat mulier, miſeram ſe conſcia clamet.

Sic *pallentes terrore* ſupra vers. 487. ſic conjeceram dudum; nunc vero in Bernenſi uno codice, cujus, cum jam noſtrae imprimerentur notae, varietates ad me miſſae ſunt, ita exſtare deprehendo. *Candida* unus Regius. vid. I. Amor. X. 4. BURM.

609. *Sed miſcenda tamen.*] *Admiſcenda* cum prima editione & ſcriptis pleriſque. *timenti* etiam unus ex meis pro *timori.* argute. ut timentem ſeu timidam Venerem ſecurae opponat. HEINSIUS.

611. *Quâ vafer.*] *Quâ ferus* Vaticanus. vid. ad Epiſt. XVI. 314.

613. *Rata ſit cuſtodia nuptae.*] Hoc eſt, habeat certum cuſtodem, à quo obſervetur & cuſtodiatur, ne quis ad eam furtim veniat, &c. non, *Exiſtimet tantum*, ut Merula exponit: loquitur enim de nuptis hoc loco, easque cum ſolutis confert. quaſi dicat: In nuptis hoc jus eſt ac licitum, ut habeant ſuos cuſtodes; ſolutae autem & liberae debebunt ſine cuſtode agere. MICYLLUS. Minime puto hic *nuptam* opponi ſolutae & liberae; ſed matronas libertinis, quae non juſtis nuptiis, ſed fere concubinatu erant junctae, nec nomen *nuptarum* aut *matronarum* merebantur; ideoque extra poenam legis erant. & hoc ſequentia docent manifeſte: & Noſter fere ſemper *nuptarum* nomine matronas intelligit. ſic lib. II. Art. 388. Medic. Fac. 26. & alibi: frequentiſſima etiam adulteria, ſi ita vocare licet, in libertinarum claſſe ſecunda committi ſolere docet Horatius I. Sat. II. 47. & alibi. & hae ſunt, quae vittae & ſtolae honore carebant, de quibus toties Noſter. BURMANNUS.

614. *Juſque pudorque.*] *Duxque* prima editio, cum Regio, Sarraviano & duobus aliis. ut Legem Juliam reſpiciat. ſed puto *faſque* ſcribendum. HEINS. Nihil muta: *leges* enim & *jus* differre docui ad Petron. cap. CVIII. & ad Quinct. Decl. XV. 3. *pudor* autem eſt *fas*, *aequum* & *pium*, ut alii loqui ſolent. & Noſter Epiſt. VIII. 4. & alibi. Livius lib. XXXIII. cap. 33. *Ne quod toto orbe terrarum injuſtum imperium ſit, & ubique, jus, fas, lex potentiſſima ſint.* BURMANNUS.

615. *Te quoque ſervari.*] Hoc eſt, quae libera ſis, & ſoluta matrimonio. ſic accipiendum videtur, ut non modo Libertinas, de quibus Merula exponit hoc, ſed & quaslibet libere, & extra matrimonium degentes, intelligamus. ut ſit ſpecies pro ſpecie poſita. Quamvis aliàs non ignorem, ipſa verba proprie ad Libertinas pertinere, quando ait, *quam vindicta* modo redemit, hoc eſt virga Praetoria liberam fecit. MICYLLUS.

615. *Te quoque ſervari, modo quam vindicta redemit.*] Loquitur de muliere manumiſſa. CIOFAN.

615. *Vindicta.*] Praetoris virga, quae alio nomine *feſtuca* dicitur. Vide Obſervationes in lib. VI. Faſt. CIOFANUS.

616. *Fallas.*] Id eſt lateas. DOUZA.

617. *Adſit modo certa voluntas.*] Haec eſt, ut puto, melior lectio. CIOFANUS. *Voluptas* prima editio cum ſcriptis potioribus. non ſequor. HEINS. Variant ſcripti & editi, in quibus *veſtra*, *vera*, *grata.* ſed omnes fruſtra. *voluntas* eſt enim quaſi

Conſcia cum poſſit ſcriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido faſcia lata ſinu?
Cum poſſit furà chartas celare ligatas;
Et vincto blandas ſub pede ferre notas?
Caverit haec cuſtos: pro chartà conſcia tergum
Praebeat; inque ſuo corpore verba ferat.
Tuta quoque eſt, fallitque oculos è lacte recenti
Litera: carbonis pulvere tange; leges.
Fallet & humiduli quae fiet acumine lini,
Et feret occultas pura tabella notas.
Adfuit Acriſio ſervandae cura puellae:
Hunc tamen illa ſuo crimine fecit avum.

Quid

ex formula dictum. Virgil. IV. Aen. 125.

Et tua ſi mihi certa voluntas.

Cicer. poſt Redit. ad Quirit. 2. *niſi veſtra voluntas fuiſſet, omnibus divinismuneribu caruiſſemus.* Amm. Marcel. lib. XIV. 10. *Si veſtra voluntas adeſt, tribui debere cenſeo.* Val. Flac. IV. 471.

Quin age mitte preces, namque eſt tibi noſtra Voluntas.

Non inepta tamen lectio unius Bernenſis, *adſit modo ſola voluntas.* niſi quod *voluptas* habebat. nam, ut dixit II. Amor. 3. in hac eadem re, *non caret effectu quod voluere duo.* ſic Helena in Ep. XVII. 177.

Et libet & timeo, nec adhuc exacta voluntas
Eſt ſatis. BURMANNUS.

621. *Conſcia cum poſſit.*] Malim, *Nuncia*, quanquam & alterum probum eſt. HEINSIUS. Recte, *conſcia*: ita etiam ſimpliciter apud Horatium lib. I. Sat. II. 130.

Miſeram ſe conſcia clamet.

Et Noſter mox vers. 649.

622. *In medio faſcia lata ſinu.*] *In tepido ſinu* ſcripti fere omnes cum prima editione. dixi Amor. lib. III. El. VI. ỳs. 68. HEINSIUS. *Faſcia longa* Politiani: huc pertinet Turpilii locus apud Nonium in *Strophium. Me miſeram, quid agam? inter vias epiſtola excidit mihi. infelix inter tunicam ac ſtrophium collocaveram.* Noſter Epiſt. XXI. 26.

Et tegitur tepido litera cauta ſinu.

Vid. Georg. Long. de Annulis cap. VIII. BURM.

623. *Soleâ chartas celare ligatas.*] *Surâ* editio prima & ſcripti praeſtantiores magno numero. recte. niſi quod malim, *furâ ligatâ.* ſic *vinctum pedem* mox dicet. faſcia enim ſurae obligabantur. Gratius, *tegat imas faſcia ſuras.* ſic *ſurae cothurno evinctae* Maroni Ecl. VII. 32. pro *chartas* etiam unus Regius cum prima editione, *ceras.* bene illud quoque. vid. lib. I. Art. 464. ita paſſim Noſter. *ceram* unus Vaticanus. De ſolea ſequens verſus eſt intelligendus. HEINSIUS. pro *vincto*, *tenero* Patavinus. vid. ad lib. II. ỳs. 698. *ferre preces* etiam Voſſian.

629. *Fallet & humiduli.*] Locus ſine dubio corruptus, *fallet & ex humili* duo codices. *liqueſiet acumine lini* Vatican. *qua ſit acumine*, vel, *a ſemine*, vel, *de ſemine* Aproſii. *acumine ligni* Francof. & alius, Heinſius olim conjecerat, *alumine nitri*; ſed an recte dicatur, *alumen nitri* dubito. forte, *humiduli quae fiet alumine limi.* fiebat enim alumen ex *aqua* & *limo* teſte Plinio lib. XXXV. 12. & Voſſius, lib. I. de re Gramm. c. 40. docet alumine & ſucco tithymali occultas literas ſcribi. ſed locus hic accuratius adhuc expendendus. pentametrum vero de alia fallacia capiendum puto. nam huc uſque de literis in charta vel membrana oculos fugientibus egit, quod de tabellis ceratis intelligi nequit. quare, niſi *tabella* etiam de charta ſumenda ſit, & ita continuato ſermone *pura tabella* ſit, quae nihil ſcriptum oſtendit, hic capi poſſet forte, *pura tabella*, pro raſa & plana, & in qua nihil ſtilo exaratum appareat; & forte talis occulta ratio ſcribendi innuitur, qualem Juſtinus narrat Demaratum adhibuiſſe lib. II. cap. X. ut in ligno literae ſcribantur, quae cera ſuperinducta deleantur. & lib. XXI. 6. ubi *vacuam ceram* vocat, quam Noſter *puram tabellam.* ſed nihil definio. BURMANNUS.

630. *Et feret.*] *Ferat* multi ex ſcriptis. Lego, *Ut ferat.* HEINSIUS.

631. *Adfuit Acriſio.*] *At fuit* duo Regii. IDEM.

634. *Quid faciet cuſtos cum ſint tot in orbe theatra.*] *Faciat* & *in urbe* reponendum cum prima editione & melioribus ſcriptis. HEINS. De illa locutione, *quid faciat* vid. ad Epiſt. XXI. 36. Petron. cap. XIV. & mox vers. 655. & alibi.

635. *Cum ſpectet junctos illa libenter equos.*] Hoc eſt, aurigationes, & certamina equeſtria, quae in Circo fieri ſolebant, de quibus ſupra aliquoties jam dictum. MICYLLUS. Forte, *licenter equos*, id eſt audacter, nemine prohibente, extra decorum. vide ad I. Art. 569. ita *licenter dicere, errare* & ſimilia apud Ciceronem & Livium, Mart. IV. 8.

Greſſu timet ire licenti
Ad matutinum noſtra Thalia Jovem.

Licebat omnibus mulieribus ſpectare Circenſes, ſed

Quid faciat cuſtos; cum ſint tot in Urbe theatra?
Cum ſpectet junctos illa libenter equos?
Cum ſedeat Phariae ſiſtris operata juvencae;
Quoque ſui comites ire vetentur, eat?
Cum fuget è templis oculos Bona Diva virorum,
Praeterquam ſi quos illa venire jubet:
Cum, cuſtode foris tunicas ſervante puellae,
Celent furtivos balnea tuta viros:
Cum, quoties opus eſt, fallax aegrotet amica;
Et cedat lecto quamlibet aegra ſuo:
Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis,
Quasque petas, non det janua ſola, vias.

Fal-

ſed non decebat matronas, ſine probro frequenter illas ſpectare, ut Libertini ordinis feminae facere ſolebant, etiam incomitatae, qualis videtur illa fuiſſe, cui aſſedit Poëta lib. III. Amor. Eleg. 2. BURMANNUS.

635. *Cum ſedeat Phariae ſacris operoſa juvencae; Quoque ſuae comites ire vetantur eat.*] Ita legendi videntur hi verſus. CIOFANUS. *Siſtris* ſcripti potiores cum primâ editione. quam lectionem non eſt ut multis adſtruam. cum de ſiſtro Iſidis res ſit vel pueris notiſſima. Tibullus de ſiſtris lib. I. Eleg. III. 23.

Quid tua nunc Iſis mihi, Delia? quid mihi proſunt
Illa tua toties aera repulſa manu? HEINS.

Ubi Vide Broukhuſium, qui ſiſtri figuram exhibet.

636. *Quoque ſuae comites ire jubentur, eat.*] Merula, *ſuae comites*, hoc eſt, inquit, aliae matronae. Sed melior lectio videtur eorum, qui legunt: *Quoque ſui comites ire vetantur, eat.* ut *Sui comites*, de cuſtodibus, qui illam comitantur & obſervant, intelligatur: qui cum ſint mares, ad ſacra Iſidis & Bonae Deae haudquaquam intromittuntur. MICYLL. *Sacris* & *ſuae comites* videtur legendum. CIOFANUS. recte Micyllus. & ita Mercerus ad Ariſtaeneti lib. I. Epiſt. 9. *ire verentur* Bernenſis unus.

637. *Cum fugit à templis.*] *Fuget è templis* cum tribus ſcriptis ſcribendum. alii magno numero, *fugat*: proxime verum. Sequenti verſu pro *Praeterquam* ſcripti plerique, *Praeter quos.* ſed fruſtra: Triſt. IV. El. VI.

Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa vetuſtas,
Praeterquam curas attenuare meas. HEINS.

Praeter eos Bernenſis.

639. *Tunicam ſervante puellae.*] *Tunicas* prima editio & ſcripti. Sequenti verſu pro *furtivos jocos*, Sarravianus, Comelinianus & octo alii, *viros.* probe. *Furtivi viri* aut adulteri, aut qui clam irrepſerunt. Pont. III. El. III.

Quas lex furtivos arcet habere viros.

Niſi pro *jocos*, quis *procos* mallet. excerpta Jureti:

Celent furtivos balnea tuta viros.

Non *multa*, etiam bene. alludit autem ſimul ad ἱματιοκλέπτας & fures balnearios, de quorum ſubdola rapacitate plurima apud veteres eſt querela. Vide Freherum Pareg. lib. II. cap. XII. HEINS. & ad Petron. cap. XXX.

641. *Aegrotet amica.*] Martial. XI. 8.

Infelix quid ages? aegram ſimulabis amicam?
Haerebit dominae vir comes ipſe ſuae. DOUZA.

642. *Tollat & in lectum quemlibet illa ſuum.*] Aldina editio habet, *Et celet lecto quemlibet aegra ſuo.* eadem fere ſententia. Nec multum refert, opinor, hac an illa lectione utaris. Illud magis videndum, num nomen *Amica*, quod in priore verſu ponitur, eo modo accipiendum ſit, quo apud Terentium in Hecyra Act. IV. Sc. 2. Pamphilus matri ait:

Tum tuas amicas te, & cognatos deſcrere, & feſtos
dies,
Mea cauſa nolo, &c.

Ut de aequali ac nota puellae, non de ipſa puella intelligatur. MICYLLUS. *Celet lecto* in veteribus libris. placet. CIOFANUS. *Et cedat lecto quamlibet aegra ſuo* optimus Regius cum Scaligeri excerptis; quomodo omnino ſcribendum. Neque aliter Aproſianus, niſi quod in illo, *quaelibet.* male. dixi de voce *quamlibet* ad Epiſt. VI. *Ys.* 140. *cedere lecto.* ut *cedere domo.* ſupra, *totâ cedet uterque domo.* Editiones quaedam cum nonnullis ſcriptis:

Tollat & in lectum quemlibet aegra ſuum.

Farneſianus:

Et credat lecto cum libet aegra ſuo. HEINSIUS.

Cedat rectum. Phaedr. lib. I. Fab. 19.

Si mihi & turbae meae
Par, inquit, eſſe potueris, cedam loco.

Vid. ad Quinct. II. Inſt. I. & Decl. X. 6. & ad Vellej. II. 85. *Amicam* hic recte capit Micyllus. BURMANNUS.

643. *Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis.*] Hoc eſt: Cum ipſa clavis, quae *adulterina* dicitur, quam puella vel amator habet, doceat ac moneat ſuo nomine, quid agatur, ſive in quem uſum ac finem ipſa comparata ſit. hoc eſt, adul-

Fallitur & multo cuſtodis cura Lyaeo:
Illa vel Hiſpano lecta ſit uva jugo.
Sunt quoque quae faciant altos medicamina ſomnos;
Victaque Lethaeâ lumina nocte premant.
Nec male deliciis odioſum conſcia tardis
Detinet; & longâ jungitur ipſa morâ.
Quid juvat ambages, praeceptaque parva movere;
Cum minimo cuſtos munere poſſit emi?
Munera (crede mihi) capiunt hominesque Deosque:
Placatur donis Juppiter ipſe datis.
Quid ſapiens faciat? ſtultus quoque munere gaudet.
Ipſe vir, accepto munere, mutus erit.

Sed

teria exerceri. Micyllus. *Quid agamus* ſcripti plerique cum prima editione. Heinsius.

644. *Quasque petet non det janua ſola vias.*] Nihil juvat nos Gruteri codex, qui *potes*, & *dat*, habet. Forte, *Quasque petis non det janua ſola vias.* Vel; *Quaque patet.* Dan. Heinsius. *Petes* editiones vetuſtae, cum Regio codice & multis aliis. alii nonnulli, *petas.* Lego, *quaque petas*, nempe amicam. vel etiam. *Quasque patens non det janua ſola, vias.* quod verius eſt. Adultera clavis cum vias doceat, quas non ſola patens janua det. hoc eſt, cum vias doceat, quibus occluſum oſtium adulterinae clavis ope intres. Clavem *adulteram* pro adulterinâ ponit, argute ludens eo in nomine. Clavis adulterina, quae ad imitationem verae clavis erat facta. ſic *ſignum adulterinum* dixit Cicero pro Cluentio: *Teſtamentum in alias tabulas tranſcriptum ſignis adulterinis obſignavit.* Heinsius. Nihil hic mutandum, ſanus enim, ſi quis ullus in Naſone, hic locus, niſi quod legendum, *petas.* nam *petere viam*, ut *iter*, *eurſum* & ſimilia eleganter dici docuerunt Sigonius & Gronovius ad Livii lib. XLIV. 2. vid. & ad Vellej. Pater. II. 82. intelligit igitur vel per *feneſtras* ut ſupr. vers. 605. vel *per tectum*, ut lib. I. vers. 245. vel per alias vias eſſe admittendos viros, ſi vir clauſerit & cuſtodiri juſſerit fores. Burm.

646. *Illa vel Hiſpano lecta ſit uva jugo.*] Interpres Gallicus, qui in Delphini uſum edidit, hic *Hiſpanum* pro immiti & minus generoſo vino poni, patere ex particula *vel* docet. ſed meliora docet de hac particula Janus Broukh. ad Tibul. lib. I. Eleg. IX. 53. ubi neminem, qui quidem Latine ſciat, id dicere poſſe oſtendit, ſed uſum ejus particulae in re quadam praecipua eſſe demonſtrat. & Criſpinum ex horreo Merulae faecem Laletanam depromſiſſe oſtendit, quod & Berſmannus fecit. licet ergo ſumptus in vinum Hiſpanum, quod generoſum, validum & carum eſt, & avide appetitur a tali genere hominum, ſit major, ne tamen ceſſes cum deponere vino. quod facilius efficies Hiſpano, quod vigiles illi & cuſtodes amant. Burmannus.

650. *Longâ jungitur illa morâ.*] *Ipſa morâ* ſcripti cum primâ editione. recte. Non male, inquit, ancilla ipſa cum cuſtode coit, idque lente, quo is diutius detineatur. ſic *jungere Venerem*, *jungere corpus*, de quibus ad Rem. Amoris Ÿs. 407. dicetur. Heins. *Ille* Berſmannus & Micyllus, quaſi ad amatorem pertineret. *frangitur illa* Regius: quod tolerabile eſſet, ſi *ille* legeretur. ut conſcia illum blandis verbis & in longum productis mitigaret. ſed prior lectio praeſtat. Burmannus.

651. *Praeceptaque parva monere.*] Malo, *moneri.* Heinsius. Et ego, *movere*, cum editione prima, & Aldina, & novem ſcripris. non enim monemus praecepta, ſed per illa homines. & ita Stephanus in Theſauro ſuo jam citavit. eodem modo apud Horatium lib. III. Od. 7. *fallax Hiſtorias monet.* legitur, pro quo Torrentii codices, *movet* recte habent. frequens enim horum verborum confuſio. vid. ad Epiſt. XX. 108. & ſupr. 353. & Broukh. ad Propert. lib. I. Eleg. XV. Ÿs. 26. Burmannus.

653. *Munera crede mihi capiunt.*] *Captant* Farneſianus. ſic Amor. lib. I. X. 28.

Non aries placitam munere captat ovem.

Paroemia Graeca apud Platonem lib. III. de Rep.

Λώρα ἔσθ᾽ πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας.

Euripides in Medea 964.

Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.

Argute Petronius cap. LXXXVIII. *Ipſe Senatus rectè bonique praeceptor mille pondo auri Capitolio promittere ſolet, & ne quis dubitet pecuniam concupiſcere, Jovem quoque peculio exorat.* Heinsius. Vide Barneſium ad Euripidis d. l. & Suidam in voce δῶρα. *placant* editiones priores & novem ſcripti. & mox, *Jupiter ille* unus Regius. de quo Broukhuſ. ad Tibul. I. IV. 19. vid. & ad Epiſt. XIV. 95. & II. Met. 849. Burmannus.

655. *Quid ſapiens faciat.*] Non recta nec ſana argumentatio videtur, a ſtulto ad ſapientem. An enim, quia ſtultus gaudet munere, ideo etiam ſapiens

Sed semel est custos longum redimendus in annum:
Saepe dabit, dederit quas semel, ille manus.
Questus eram (memini) metuendos esse sodales:
Non tangit solos ista querela viros.
Credula si fueris, aliae tua gaudia carpent;
Et lepus hic aliis exagitandus erit.
Haec quoque, quae praebet lectum studiosa locumque;
Crede mihi, mecum non semel illa fuit.
Nec nimium vobis formosa ancilla ministret:
Saepe vicem dominae praestitit illa mihi.
Quo feror insanus; quid aperto pectore in hostem
Nitor; & indicio prodor ab ipse meo?

Non

piens gaudere debet? immo contra, quia sapientes, & qui severe matrimonia sua coercenda esse jactare solent, muneribus corrumpi possunt, quid non faciet stultus & bonus maritus, qui sine munere inobservatam uxorem quolibet ire permittit. quanto magis connivebit; si accedant munera. legendum ergo cum Palatino primo:

Quid faciat stultus, sapiens si munere gaudet.

Forma loquendi, ut apud Virgil. Ecl. III.

Quid domini faciant, audent cum talia fures.

Vid. supra vers. 633. *Stultos* vero maritos passim Noster vocat, quorum uxores incustoditae facile corrumpuntur. Vide lib. II. Amor. Eleg XIX. *Quid faciat melius* Berśmanni margo. BURMANNUS.

656. *Ipse vir accepto munere mutus erit.*] Prima editio cum Regio, Sarraviano, & aliis nonnullis, *Ipse quoque.* sed vulgatum praestat. HEINSIUS. *mitis erit* multi editi & sex scripti. qua lectione evitatur idem sonus, in *munere* & *mutus. victus erit* Palatin.

657. *Longum redimendus in aevum.*] *Longum in annum* Jureti excerpta. Venuste. Fast. IV. 23.

Hoc pater Iliades cum longum scriberet annum, Vidit.

Met. I. 275.

—— *Longique perit labor irritus anni.*

Amor. I. Eleg. III.

Accipe per longos tibi qui deserviat annos.

HEINSIUS.

658. *Saepe dabit.*] *Usque dabit* Neapolitan. ut supr. lib. I. 454.

Quae dederit gratis, quod dedit usque dabit.

662. *Exagitatus erit.*] *Exagitandus* rectius quidam scripti cum Jureti excerptis, nisi malis:

Et lepus ipsa aliis exagitandus eris.

Nam Sarravianus, *eris.* HEINSIUS. Proverbii speciem habet. ita Petronius cap. CXXXI. *Vides inquit, Chrysis mea, vides, quod alis leporem excitavi.* ubi vide quae viri docti adnotarunt. *exagitare* vero proprium in hac re verbum. Jul. Obseq. de prodigiis cap. LXXII. *Lupi Exquiliis & in colle Quirinali meridie apparuerunt, exagitatique fuerunt.* sic & *agitare*, de quo ad lib. V. Metam. 606. BURM.

663. *Quae praebet lectum studiosa locumque.*] Quicquid pro vulgata stant libri veteres, scribe:

—— *Cui praebes lectum studiosa locumque.*

Vel *focumque.* Tangit violati hospitii sacrilegium. HEINS. Vulgata non est sollicitanda: illa amica, ad quam ut aegram invisere solebat mea, ut virum falleret, & quae lectum & locum ad nostros amores praebet & commodat, ut supra 641. dixit, saepe mecum fuit, & non officio tantum, sed & corpore placuit. male Dominicus Marius ad lib. II. Amor. Eleg. VII. ỳs. 17. Cypassim intelligi hic censet. illa enim ancilla Corinnae, non amica fuit; & de ancillis corrumpendis in sequenti demum disticho agitur. *Lectum locumque* etiam non mutarem. saepe enim haec duo jungit. & quid hic hospitium faciat, cum de officio, quo aegram invisat in eadem urbe amicam, agat. lib. XI. Met. 472.

Renovat lectusque locusque
Halcyones lacrimas. BURMANNUS.

666. *Illa mihi.*] *Illa suae* Bernensis & tres alii. *praebuit* etiam multi. sed praecesserat modo *praebet.*

667. *Quid aperto pectore in hostem Mittor.*] *Nitor* Cavalcantianus cum duobus Vaticanis; quod arridet. Met. II. 72.

Nitor in adversum, nec me, qui cetera, vincit Impetus.

In Amor. III. XI. 17.

—— *Nitimur in vetitum.*

Epist. IV. 37.

—— *Ignotas nitor in artes.*

Sic ex optimo codice scribendum, ut suo loco dixi. Pont. II. Eleg. VII.

Et quot aves motis nitantur in aëra pennis,

HEINSIUS.

Non avis aucupibus monſtrat, quâ parte petatur:
Non docet infeſtas currere cerva canes.
Viderit utilitas; praecepta fideliter edam.
Lemniaſi gladios in mea fata dabo.
Efficite (& facile eſt) ut nos credamus amari:
Prona venit cupidis in ſua vota fides.
Spectet amabilius juvenem; ſuſpiret ab imo
Femina; tam ſero cur veniatque roget.
Accedant lacrimae, dolor & de pellice fictus:
Et laniet digitis illius ora ſuis.
Jamdudum perſuaſus erit, miſerebitur ultro:
Et dicet, Curâ carpitur iſta mei.

Prae-

670. *Infeſtos.*] Francofurtenſis, *infeſtas.* recte. II. Pont. Eleg. 2.

Quae fugit infeſtas territa cerva canes.

Vide ad III. Metam. 140. BURMANNUS.

671. *Ego coepta fideliter edam.*] *Praecepta* duo codices. ſic Remed. 489.

Quid ſi quid praecepta valent mea.

Et ſupra 257.

Formoſae minus artis opem praeceptaque curant.

Et 651.

Quid juvat ambages praeceptaque parva monere.

Et ſic ſaepe his libris. HEINSIUS.

672. *Lemniadum gladios in mea fata dabo.*] Regius, *Lemnias* &. Farneſianus, *Lemnios* &. Quinque *Lemniades.* tres, *Lemniadis.* duo, *Lemniadi.* unus, *Lemniados.* Scribe, *Lemniaſi* &, una addita litera ſcripturae omnium optimi codicis Regii. & vide quae noto ad Epiſtolam XIII. vers. 137. atque iis adde locum Propertii, egregie, niſi fallor, à me reſtitutum, qui exſtat lib. IV. Elegia prima:

Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti?
Non ſunt ah dextra candida fila colo!
Averſis Chariſin cantas. averſus Apollo
Poſcitur invita verba pigenda lyra.

Ita quippe iſta cenſeo conſtituenda, quae videamus nunc ſingula. Primo verſu *vaga facta* non *vage*, lego; quia *imprudens* praeceſſerat. ſecundo legebatur, *à dextra condita fila colo. a* pro *ah.* quomodo ſaepe apud Propertium peccatur. ut alibi pluribus dicemus. poſſet & *tam dextra* legi. *candida* etiam *fila* malui quam *condita.* quod Naſo pari modo in Triſtibus:

Non ita ſunt fati candida fila mei.

Pro *Averſis Chariſin cantas*, in ſcriptis editiſque legebatur, *Accerſis lacrymis cantus* nullo ſenſu. niſi quod in codice magni Scaligeri, *Accerſis lacrymis Charites.* quod illi arriſit, non mihi. Τὸ *Charites* nempe diverſam lectionem τοῦ *lacrymis* deſignat. pro quo *charitis* antiquitus ſit lectum. verſu poſtremo *poſcitur* repoſui. Nam in uno, Voſſiano *Poſcis* &. Vulgati, *poſcis ab.* pro *fata* apud Naſonem ſcriti plerique *damna.* Regius, *fama.* Nil muto. HEINS. Probat Broukhuſius hanc Heinſii emendationem. ſed verſum de *candidis filis* non reperi in Triſtium libris. ſed puto, ut ſaepe, memoria lapſum virum egregium, & obverſatum animo ejus alium ex II. Pont. IV.

Non ita pars fati candida nullа mei.

Et licet *candida fila* recte & eleganter dici poſſe non negem, *condita* tamen *fila* apud Propertium non mutarem. ſedde his latius ad Valer. Flacc. lib. I. 531. agemus. BURMANNUS.

673. *Efficite.*] Alter Mentelianus, *efficere & facile eſt.* forte, *efficere in facili eſt.* ut ſupr. lib. I. 562. *In facili eſt omnia poſſe Deo.* HEINSIUS. *Et* commodius in *ex* tranſiret, ut legatur *ex facili.* de quo vid. ad *Ys.* 476. & 579.

673. *Credamus amari.*] *Credamur* prima editio & unus Vaticanus. HEINSIUS. Et ita unus Bernenſis.

675. *Et ſuſpiret ab imo.*] Τὸ & non agnoſcunt libri meliores, nec prima editio. HEINS. *ſpectet amabiliter* Bernenſis unus. *amabilibus* Barthol. quod non diſplicebat Heinſio nec mihi: ut *oculis* ſubintelligatur, quemadmodum dicimus *limis ſpectare.* vid. ad III. Met. 642. BURMANNUS.

677. *Dolor, & de pellice fictus.*] De Pellice intellige non mariti, ut Merula exponere videtur, ſed amatoris, eoque additur & *fictus*, & mox, *laniet digitis illius ora ſuis*, quaſi quae illum ſuſpectum habeat. MICYLLUS. Sed ſi fictus ille dolor ſit, apte tegendus, ne appareat ſimulatio. & cur non verum de pellice amatoris ſui dolorem praeferret, cum revera non ament puellae ab alia teneri ſuum amatorem? egregie ergo Palatinus & quatuor alii:

Accedant lacrimae, dolor, & de pellice queſtus.

BURMANNUS.

680. *Curâ carpitur ipſa mei.*] *Iſta* ex ſcriptis & prima editione. HEINSIUS.

683. *Sed*

Praecipue, ſi cultus erit, ſpeculoque placebit,
Poſſe ſuo tangi credet amore Deas.
Sed te, quaecumque es, moderatè injuria turbet;
Neu ſis auditâ pellice mentis inops.
Nec cito credideris. quantum cito credere laedat,
Exemplum vobis non leve Procris erit.
Eſt prope purpureos colles florentis Hymetti
Fons ſacer, & viridi ceſpite mollis humus.
Silva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam:
Ros maris, & lauri, nigraque myrtus olent.
Nec denſae foliis buxi, fragilesque myricae,
Nec tenues cytiſi, cultaque pinus abeſt.

Le-

683. *Sed te quaecunque eſt.*] *Es* ex iiſdem. Remed. 371.

At tu, quicunque es, quem noſtra licentia laedit. IDEM.

684. *Nec ſis.*] *Ne* multi ſcripti. Lege, *Neu ſis* cum uno Palatino. IDEM.

689. *Silva nemus non alta.*] Id eſt licet ſint arbores non altae, tamen apta ambulationi & quieti eſt umbra. ita & de herbis *ſilvam* dixiſſe Virgilium lib. I. Georg. 153. *ſubit aſpera ſilva Lappaeque tribulique*, notat Servius. & contra de quercu lib. III. Aeneïd. 680. *ſilva alta Jovis. ſilvam* autem & *nemus* diverſa eſſe videmus II. Met. 458. BURM.

690. *Ros maris & laurus.*] *Ros maris & lauri* ex ſcriptis. HEINSIUS. *Flos maris* Palatin. ſed *Ros maris* recte, aliter *Roſmarinus*, Graecis λιβανώτις. vid. Salmaſ. de Homon. Hyl. Jatr. cap. XIV. deinde Francof. *magnoque*, & Aproſii codex pro diverſa lectione habebat, *moraque myrtus*, quod a Monacho profectum, qui *Mauros* & *Nigritas* hodie *Moros* vocari audiverat. *pullam Myrtum* dixit Horatius lib. I. Od. X. 25. quam nos *nigram* explicamus cum Salmaſio, qui contra Heinſium egregie diſputat Exercit. Plin. pag. 674. *myrtus olet* Moreti. vid. ad lib. I. Art. 81. BURM.

691. *Nec denſum foliis buxum.*] *Denſae foliis buxi* quatuor codices, totidem, *denſus foliis buxus*. Puto, *denſaque nec foliis buxus* cum uno Patavino. ſic *multifora buxus* Metam. XII. 158. & apud Martial. XIV. 25.

Multifido buxus quae tibi dente datur. HEINS.

691. *Fragilesque Myricae.*] *Virideſque* Vatican. *humileſque* Neapol. & Patavin. quod ex Virgilii Ecl. IV. repetitum. *fragilesve* Bernenſ. quod probo & ſeq. verſu etiam mallem, *cultave*. BURM.

692. *Nec tenues cytiſi cultaque pinus abeſt.*] Forte, *multaque pinus abeſt*. Scaliger ad illa verba, *cultaque pinus*, τὸ χαμαίπιτυν, *annotaverat*. DAN. HEINSIUS. *Tinus* legendum cenſet Salmaſius ad Solinum pag. 198. Ego quemadmodum facile conceſſerim in Columella & Virgiliano Culice *tinum* reponi debere, ita hoc loco ſcripturam receptam haud mutem. Intelligit autem, *pinum domeſticam*, ſeu *hortenſem*. ac proinde *cultam* dixit, ut à ſylveſtri pinu diſtinguat. Virgil. Ecl VII. 65.

Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis.

Ubi Peleſſerius Epiſcopus Monpeſſulanus volebat reponi, *pinus in oris*; quod illa oris maritimis gaudeat. ſed erravit. Vegetius lib. IV. cap. XXXIV. *Ex cupreſſu ergo & pinu domeſticâ ſive ſylveſtri laricè & abiete praecipue liburna contexitur.* per *cultam tinum* quid poſſit intelligi, praeter laurum, non video; cum lauri jam meminerit Ovidius. Atque ita bis idem dixerit. Nam quod χαμαίπιτυς intelligebatur à Scaligero, ne illud quidem admiſerim, cum χαμαίπιτυς inter herbas à Plinio recenſeatur, & vocetur ab eo *abiga*: Pinus nuſquam appelletur. Deſcribere autem Ovidium non frutices ſolummodo, ſed arbores quoque, ex buxo liquet, de qua paulo ante egerat. At libro Metam. X. 98. ubi arbores varias recenſet:

Et bicolor myrtus, & baccis caerula ficus.

cum libri vetuſtiores *pinus* agnoſcant, *tinum* reponi debere non eſt dubium. quod Salmaſium non vidiſſe miror. Ita enim Plinius lib. XV. cap. ult. de tino: *Hanc ſylveſtrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli ſui generis arborem. differt color. eſt enim caerulea bacca.* Junius Philargyrus ad illum verſum quarto Georg. *Ipſe thymum pinoſque ferens. Legitur & tinos. Eſt autem laurus ſylveſtris caeruleâ baccâ.* Recte ergo Ovidius *baccis caerulam tinum* dixit. & Virgil. II. Georg. 431. conjungit cytiſum & pinum:

Tondentur cytiſi, taedas pinus alta miniſtrat.

HEINSIUS. & Columella lib. IX. 4. *Cytiſum & pinum* quoque conjungit. quamquam P. Victorius libro XXV. Var. Lect. cap. 5. qui accurate de his omnibus, ut & de verſu 406. in Culice a Bembo male mutato agit, per *pinum* non arborem vaſtam, ſed virgultum intelligit. BURMANNUS.

694. *Her-*

Lenibus impulſae Zephyris, auràque ſalubri,
Tot generum frondes, herbaque ſumma tremunt.
Grata quies Cephalo. famulis canibusque relictis
Laſſus in hac juvenis ſaepe reſedit humo.
Quoque meos releves aeſtus, cantare ſolebat,
Accipienda ſinu, mobilis Aura, veni.
Conjugis ad timidas aliquis male ſedulus aures
Auditos memori detulit ore ſonos.
Procris ut accepit nomen, quaſi pellicis, Aurae,
Excidit: & ſubito muta dolore fuit.
Palluit, ut ſerae, lectis de vite racemis,
Palleſcunt frondes, quas nova laeſit hiems.
Quaeque ſuos curvant matura cydonia ramos;
Cornaque adhuc noſtris non ſatis apta cibis.

Ut

694. *Herbaque ſumma tremit.*] *Tremunt* bene alter Regius & Lincolnienſis. HEINSIUS.

696. *Reſedit.*] *Reſidit* unus Heinſ. *recumbit* alius. praeterea, *labilis hac juvenis.* Neapol.

697. *Quaeque meos releves aeſtus.*] *Quoque* reponendum cum duobus Vaticanis. HEINSIUS.

698. *Mobilis aura.*] *Nobilis* Micylli & Berſm. Editt. & unus codex Heinſii. *mollis amica* Aproſii pro diverſa lectione.

700. *Auditos memori.*] *Nemori* quatuor ſcripti. *rettulit* etiam multi codices & editio prima, & *pertulit* quidam. ſed *detulit* rectum, inde & dicti ſunt *delatores.* Gell. I. 24. *Domo trepidans egreditur, ad ceteras matronas defert quod audierat.* Virg. IV. Aeneïd. 298. *Fama furenti Detulit armari claſſem.* & ita paſſim. *Aure* etiam editiones quaedam & duo ſcripti, ſed inepte; *os memor* dictum, ut *oratio memor*, & ſimilia, de quibus vid. Gronov. ad. Liv. XXXIII. 12. BURMANNUS.

702. *Mota dolore fuit.*] *Muta* ſcripti potiores cum prima editione. recte. ſic *muta metu Iphianaſſa* apud Lucretium. I. 93. Virgil. XII. 718.

Stat pecus omne metu mutum.]

Ita quoque apud Senecam Medea v. 150. ex optimo Mediceo reponendum:

Sile, obſecro, queſtuſque ſecreto abditos
Manda dolori. gravia quiſquis vulnera
Patiente & aequo mutus animo pertulit,
Referre potuit.

Vulgo, *immotus.* Rem. Amor.

——— *Lectica prodeat, inquit.*
Prodierat. viſâ conjuge mutus erat.

Supra 656.

Ipſe vir accepto munere mutus erit.

Prudentius lib. II. contra Symmachum:

Quae regio gradibus vacuis jejunia dira
Suſtinet? aut quae Janiculi mola muta quieſcit?

Sic ſcribo. vulgati & ſcripti male, *mota*, vel *nota.* ſtrepitum enim inter verſandum molae edebant, unde *crepaces* dixit Maecenas apud Senecam. ſic idem Prudentius Paſſione Hippolyti, *muta marmora* vocat ſepulcra, quae inſcriptionem non habent:

Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora.

Sic contra, *muto* pro *moto* apud Silium x. 639.

Sic igitur moto lictore invectus in urbem. HEINS.

Muta jam emendavit G. Fabr. ad Virg. XII. 718. apud eumdem Virgil. IX. 341.

Molle pecus mutumque metu.

Ubi alii codices perperam, *motum.* BURM.

703. *Palluit, ut ſera lectus de vite racemus.*] Ita quidem legit Merula, & de uvis maturioribus ſeriusque collectis exponit: ut ea quae ſequenti verſu de frondibus ſequuntur, per ellipſin, hoc eſt, intellecta conjunctione, cum ſuperioribus jungantur. Sed mihi verior lectio Aldina videtur: quae ita habet: *Palluit ut ſerae, lectis de vite racemis, Palleſcunt frondes, &c.* ut ſit ſenſus: Palluit, velut frondes ac folia palleſcunt ſub autumnum, quando jam vindemia facta eſt. Et magis propriè de foliis pallor intelligitur, quam de racemis, praeſertim quando non omnes ejuſdem coloris ſunt. MICYLL. *Sera lectus de vite racemus*, aut, *lectis racemis* ſcripti plerique. alii, *ſectis racemis. ſera lectis de vite racemis* prima editio & ſeptem ſcripti. Vulgata lectio non eſt ſollicitanda, quam & Regius codex tuetur. Remedio Amoris 189.

——— *Maturam ruſticus uvam*
Deligit.

Faſt. III. 413.

Dum legit in ramo pictas temerarius uvas,
Decidit.

Pria-

Ut rediit animus, tenues à pectore veſtes
Rumpit, & indignas fauciat ungue genas.
Nec mora; per medias ſparſis furibunda capillis
Evolat, ut thyrſo concita Baccha, vias.
Ut prope perventum; comites in valle relinquit.
Ipſa nemus tacito clam pede fortis init.
Quid tibi mentis erat, cum ſic male ſana lateres,
Procri? quis attoniti pectoris ardor erat?
Jam jam venturam, quaecumque erat Aura, putabas
Scilicet, atque oculis probra videnda tuis.
Nunc veniſſe piget; (neque enim deprendere velles)
Nunc juvat. incertus pectora verſat amor.
Credere quae jubeant, locus eſt, & nomen, & index;
Et quia amans ſemper, quod timet, eſſe putat.

Vidit

Priapeiorum auctor Epigr. II.

Uvaeque quales flava legit Arete.

Vinum legere dixit Varro lib. V. L. L. *Nam Flamen Dialis auſpicatur vindemiam, & ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit. inter cujus exta caeſa & porrecta Flamen prorſus vinum legit.* Martial. lib. VI. Epigr. 49.

Nam ſi vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite legeris racemos.

Sic omnino ſcribendum; non *laeſeris.* quod tamen editos ac manu exaratos, quos vidi, codices omnes occupavit. ſic & *poma legere* paſſim apud auctores, & *lecta apyrina* apud Martialem Xeniis Epigr. XLIII. de ficu Faſt. II. 253.

Stabat adhuc ficus, duris denſiſſima pomis,
Tentat eam roſtro; non erat apta legi.

Serae frondes ut Virgil. II. Georg. 403. *Seras poſuit cum vinea frondes.* Faſt. VI. 151.

Quid faceret, color oris erat, qui frondibus olim
Eſſe ſolet ſeris, quas nova laeſit hyems.

HEINSIUS. Adde locum ex III. Triſt. VIII. 30. In Argentin. & duobus aliis erat, *ſacra lectus de vite racemus*, quod non inelegans, ſi *lectis racemis* legatur. ita *ſacram vitem* dixit Horat. I. Od. 18. ubi miror interpretes non adnotaſſe, Acronem legiſſe:

Nullam vere novo vite prius ſeveris arborem.] BURMANNUS.

707. *Utque animus rediit.*] Epiſtola VI. ŷs. 31. monui ex melioribus libris legendum eſſe, *Ut rediit animus.* ita certe prima editio, Regius, Sarravianus, excerpta Juretі, atque alii complures. vide quae illic notamus. HEINSIUS.

708. *Sauciat.*] *Appetit* Junianus. ut lib. II. 452.

709. *Paſſis.*] *Sparſis* editiones antiquiſſimae, Micylli, Berſmanni & aliae, & quadraginta fere ſcripti, & puto rectius furentibus *ſparſos* dari crines, quam *paſſos*, qui & quietis conveniunt. vid. VIII. Met. 107. ubique fere hac in re duo haec verba confunduntur in ſcriptis. BURMANNUS.

711. *Ut prope perventum eſt, comites in valle reliquit.*] Regius, *relinquit*, nec τὸ *eſt* agnoſcit. atque ita quinque aut ſex. HEINSIUS.

712. *Init.*] *Adit* Thuaneus & quatuor alii. vid. III. Amor. IV. 47. & Ep. IV. 67.

713. *Quid tibi mentis erat.*] *Erit* unus. alius, *eras.* certe *erat* ſequitur. Scribe, *Quid tibi mentis, iö?* ſic paulo poſt ŷs. 742. ex antiquis libris:

Labor iö, charâ lumina conde manu.

Met. III. 713.

Iö geminae, clamavit, adeſte ſorores.

Sic & ibi veteres libri. Epiſtola XIV. 103. *Quid iö freta longa pererras?* HEINSIUS.

713. *Male ſana.*] *Male ſola.* Polit. vid. lib. IV. Met. 520. *jaceres* Neap. *timeres* tres alii.

714. *Pectoris ardor erat.*] Lege, *error erat.* vide ad lib. I. Amor. X. 9. HEINSIUS.

716. *Videnda.*] Codex unus Heinſii, *nitenda*, forte pro *notanda.* ut lib. I. Art. 109.

Oculiſque notant ſibi quiſque puellam.

Vide ad V. Faſt. 418. & ita Petronius paſſim utitur hac voce. *ante oculos pr. v. tuos.* Palatin. *oculis pr. videre tuis* Bernenſ. & Lincoln. BURM.

720. *Et quia mens ſemper, quod timet eſſe putet.*] *Putat* ſcripti plerique cum prima editione. *Et quae mens* tres ſcripti cum Arondeliano. *Et quod amans* Regius cum quatuor aliis. Lege, *Et quia amans*, ſic Epiſt. I. 12.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

In Triſtibus. IV. III. 28.

Datque tuus caſti ſigna timoris amor. HEINSIUS. In loco Triſtium *doloris* legitur. Mollius mihi videtur, *Et quod amans.*

Vidit ut oppreſſam, veſtigia corporis, herbam;
Pulſantur trepidi corde micante ſinus.
Jamque dies medius tenues contraxerat umbras;
Inque pari ſpatio veſper & ortus erant.
Ecce redit Cephalus ſilvis, Cyllenia proles,
Oraque fontanâ fervida ſpargit aquâ.
Anxia, Procri, lates. ſolitas jacet ille per herbas;
Et, Zephyri molles, Auraque, dixit, ades.
Ut patuit miſerae jucundus nominis error;
Et mens & rediit verus in ora color.
Surgit; & adpoſitas agitato corpore frondes
Movit, in amplexus uxor itura viri.

Ille

721. *Vidit ut oppreſſam veſtigia corporis herbam.*] Optime Gruteri codex, *Vidit ut in preſſa veſtigia corporis herba.* Dan. Heinsius. *Vidit & oppreſſa herba* ſcripti cum prima editione plerique. fruſtra. eſt enim elegans appoſitio. ſi quid mutem, legerem cum Gruteri codice:

Vidit ut in preſſa veſtigia corporis herba.

Nam in ſex eſt, *vidit & in preſſa.* Ita Epiſt. xv. 147.

Agnovi preſſas noti mihi ceſpitis herbas.

Met. x. 557.

Preſſitque & gramen & ipſum.

Epiſt. x. 56.

Preſſimus, exclamo, te duo, redde duos. Heins. Et hoc placet prae reliquis lectionibus. nam quidam, *ut oppreſſa; & in preſſa* tres. *& impreſſa* tres alii; *preſſa* vero *herba*, in qua credebat virum cum marito concubuiſſe. ita paſſim *premere torum.* ut I. Am. IV. 15. & alibi. vid. ad Petron. cap. XVIII. & *veſtigia* etiam frequentiſſime, ubi quis jacuit, indicia dicuntur. Epiſt. x. 53. appoſite Propert. II. XXII. 35.

Apparent non ulla toro veſtigia preſſo,
Signa voluptatis, nec jacuiſſe duos.

Quem & Berſmannus laudat, & *veſtigia*, licet proprie de pedum ſignis dicantur, de omnibus notis & indiciis ſumi docent infinita loca. vid. Serv. ad Virg. II. Georg. 258. Tennul. ad Frontin. III. XV. 5. Burmannus.

722. *Trepidi.*] Et hic tres, *tepidi.* vid. ſupr. 622. *veſte micante* Moreti, *corde tremente* multi. nihil mutandum. vid. ad Epiſt. I. 45.

723. *Jamque dies medius tenues contraxerat umbras, Inque pari ſpatio veſper & ortus erat.*] Vide quae notavi in lib. Amorum & lib. III. Metam. Atque hoc loco notanda eſt, quam Quinctilianus in Ovidio eſſe ait, laſcivia: qua de re alibi. Ciofanus. Francof. Moreti & ſex alii, *jamque pari ſpatio*; forte recte. ſic apud Lucanum lib. VII. 61. ex MSS. lege:

Jam Pompejanis votum eſt Pharſalia caſtris.

Languide & inepte vulgo legitur, *in Pompejanis.* nihil tamen hic muto. vid. I. Met. 411. *erat* etiam Aproſii, ut fere ſemper variant in ſimilibus codices. Burm.

725. *Ecce redit Cephalus, proles Cyllenia, ſylvis.*] Locus obſcurus, atque hactenus inexplicatus, hic eſt. nam quod Merula ab Oto Cyllenio duce Epeorum ſive Eleenſium, qui (ut Strabo autor eſt lib. 10.) Dulichium ſive Cephaleniam aliquando tenuit, Cephalum quoque *Cyllenium* dici putat, eo quod eandem inſulam & ipſe poſtea habitavit, ſuoque de nomine appellavit, nimis longe petitum eſt, certoque autore caret. Quare ut nodum hunc tandem ſolvamus, ſciendum, prolem Cylleniam à Poëta dici Cephalum, eo quod à quibusdam Mercurii, quem vulgo Cyllenium vocant poëtae, filius habitus fuerit. Cujus rei teſtem Hyginium habemus, qui cap. 241. de iis qui conjuges ſuas occiderunt, inter ceteros & Cephalum hunc recenſet: *Cephalus*, inquiens, *Deionei* (ita enim lego, pro *Deionis*) *ſive Mercurii filius, Procridem Pandionis filiam imprudens, &c.* Micyllus. Vir doctiſſimus, ita dictum, ex Hygino docet, quod Mercurii filius vulgo crederetur. Scaliger, *proles Hellenia* emendabat. Dan. Heinsius. *Sylvis Cyllenia proles.* Scaliger & Leopardus Miſcell. lib. VII. cap. XXXIII. *Hellenia*, ab Hellene Aeoli patre, qui Cephali proavus fuerit. Sed vulgatam lectionem non eſſe ſollicitandam pluribus ad lib. VII. Ÿs. 673. Met. monui. Mercurii enim filius Cephalus à nonnullis eſt creditus. Heinsius.

726. *Oraque fontanâ fervida ſpargit aquâ.*] Sic legendum è veteribus libris, & ratione. Ciofan. Scripti plerique cum prima editione, *pulſat.* quod & Zinzerlingius in Promulſide Criticâ eſt amplexus. Nec ignoro ſic alibi Ovidium locutum. Sed praeceſſit paulo ante:

Pulſantur trepidi corde micante ſinus.

Noſter lib. IV. Faſt. 655.

Eis caput intonſum fontana ſpargitur unda.

Et lib. VI. 157.

Spargit aquis aditus.

Et lib. IV. 726.

Vir-

Ille feram ſonuiſſe ratus, juveniliter arcum
Corripit: in dextrâ tela fuere manu.
Quid facis, infelix? non eſt fera: ſupprime tela.
Me miſerum! jaculo fixa puella tuo eſt.
Hei mihi! conclamat, fixiſti pectus amicum.
Hic locus à Cephalo vulnera ſemper habet.
Ante diem morior, ſed nullâ pellice laeſa:
Hoc faciet poſitae te mihi, terra, levem.
Nomine ſuſpectas jam ſpiritus exit in auras:
Labor ïo! carâ lumina conde manu.
Ille ſinu dominae morientia corpora moeſto
Suſtinet; & lacrimis vulnera ſaeva lavat.

Exit;

Virgaque rorantes laurea ſpargit aquas.
Virgil. libro VI.
Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua.
Duo codices, *lavit aqua.* ut Remed. Amoris 230.
Arida nec ſitiens ora lavabis aqua. HEINS.
Forte, *purgat.* a pulvere ſcilicet. ſic *pulſare* & *purgare* confuſa lib. III. Amor. Eleg. x. 31. BURM.

727. *Solitas.*] *Teneras* Voſſii codex; ut ſaepe alibi.

729. *Jucundus nominis error.*] Octo ſcripti, *jucundi.* ſed male. ita, licet in aliare, Virgil. x. 392.
Gratuſque parentibus error.
Quintil. Declam. VIII. 3. *Ille gaudentium dulcis error oculorum.* ubi vide. BURMANNUS.

730. *Et mens & rediit.*] *Ut mens & rediit* duo libri. duo alii, *Ut mens, ut rediit*, dixi ad Epiſt. XII. ỳs. 33. HEINSIUS *In ore* ſexdecim ſcripti. *verſus* duo. conjecerat olim *vivus* Heinſius. ſed male. vide ſupr. ad lib. I. 62.

731. *Et oppoſitas.*] Vetus lectio, *appoſitas.* NAUGERIUS. *Appoſitas* Sarravianus. bene. quod & in ſuis Naugerius invenerat. vide notas Epiſt. VII. ỳs. 100. HEINSIUS.

733. *Ille feram ſonuiſſe ratus.*] *Vidiſſe* Regius & ſex alii. Scribo, *moviſſe.* ſcriptum fuit, *Ille feram oviſſe.* omiſſo altero *m*, qui frequens error in libris antiquis. Ibidem:
——— *Juveniliter arcum*
Corripit.
Arcus ſcripti plerique cum primâ editione. deinde *Arripit* tres ſcripti. ut libro Met. v. 63.
——— *Arcus*
Arripit, &, Mecum tibi ſint certamina, dixit.
Met. XIII. 386.
—— *Arripit enſem;*
Et meus hic certe eſt. IDEM.
Ille feram ſenſiſſe Bernenſ. *Corripit* vero etiam rectum eſt. Petron. cap. CXXXII.
Ter corripui terribilem manu bipennem.
II. Met. 145. *corripe lora manus.* & alibi.

736. *Me miſerum.*] *Te miſerum* Farneſianus. non male. *Me miſeram* nonnulli. *tua eſt* etiam unus Heinſii.

738. *A Cephalo.*] *Ex Cephalo* Moreti. ita Epiſt. XIV. 79. *ex caede jacentes.*

739. *Ante diem morior.*] *Moriar* Lincolnienſis; Voſſii & quatuor alii. *ſed non a pellice* Aproſianus. *ſed non jam pellice* Francof. etiam eleganter.

740. *Hoc faciet poſitam te mihi terra levem.*] Rectius fortaſſe in nonnullis, *poſitae.* NAUGERIUS. Codex Regius mendoſe, *Hoc face & poſita eſt te mihi terra livet.* Sed ſcribendum eſt, *poſitae te mihi.* & ſic Aproſianus. quod & è ſuis annotavit Naugerius. *Poſiti* vel *compoſiti* mortui. Ovid. Faſt. III. 547. ut bene veteres libri:
Compoſituſque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipſa reliquit, erat.
Horat. Serm. I. 9, 28. *omnes compoſui. felices!* lib. V. Faſt. 426.
Compoſitique nepos buſta piabat avis.
Et mox 480.
Illâ, quâ poſitis juſta feruntur avis.
Statius Theb. VIII. 652.
——— *Poſituſque beata*
Morte pater.
Libro XII. 99.
Hei mihi, quod poſitos humus alma diesque reſolvit!
Et mox 288.
Dum funus putat omne ſuum, viſuque ſagaci
Rimatur poſitos.
In veteri Epicedio Inſcript. apud Gruterum:
Heu poſitae natae miſeri poſuere parentes.
Noſter Epiſt. x. 122.
Nec poſitos artus unget amica manus.
Sic intelligendum & ſupra 409. quod dicit:
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Triſt. III. El. III. de oſſibus ſuis:
Inque ſuburbano mortua pone ſolo.
Sic & ſaepe Epicedio Druſi. HEINS.

741. *Suſpectam auram.*] *Suſpectas auras* ſcripti & prima editio. HEINSIUS. *Suſpectam mihi ſpiritus* editiones priſcae, & Micylli & Berſmanni. non male.

Exit, &, incauto paullatim pectore lapsus,
Excipitur miseri spiritus ore viri.
Sed repetamus iter. nudis mihi rebus agendum est,
Ut tangat portus fessa carina suos.
Scilicet exspectes, dum te in convivia ducam,
Et quaeras monitus hac quoque parte meos?
Sera veni; positâque decens incede lucernâ.
Grata mora est Veneri: maxima lena mora est.
Etsi turpis eris, formosa videbere potis:
Et latebras vitiis nox dabat ipsa tuis.

Car-

742. *Jam morior. cara lumina condè manu.*] *Labor jam* quatuor libri. duo *Labor & o.* Rectè autem prima editio, Regius, & duo Vaticani, *Labor iö.* diximus paulo ante. *Labi* pro *Mori.* sic Met. x. 196.

Laberis Oebalide, primâ fraudate juventa.

Parthenopaeus moriens apud Statium Theb. IX. 885.

Labimur. i miseram, Dorceu, solare parentem.

Et de Creonte moribundo Theb. XII. 777.

— *Ille oculis extremo errore solutis*
Labitur.

Apud eundem in Silvis lib. v. 1. 194. Priscilla moriens:

Haec dicit labens, socioque amplectitur artus.

Idem lib. 1. 632.

Labuntur dulces animae.

Et lib. VIII. 733.

Sed & ipse recedere coelum,
Ingentesque animos extremo frigore labi
Sensit.

Camilla apud Virgilium XI. 818.

Labitur exsanguis, labuntur frigida letho Lumina.

Val. Flaccus v. 3.

Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
Labitur. HEINSIUS.

742. *Conde.*] *Claude* Sarravii & octo alii. vide Epist. 1. 113.

743. *Morientia corpora.*] *Pectora* editi & scripti plurimi.

745. *Dixit, & incauto.*] Scripti cum primis editionibus huic distícho sequens praeponunt, *Ille sinu dominae.* & rectè. modo pro *Dixit*, rescribas *Exit.* ut sit repetitio verborum Procridis. Nam τὸ *dixit* hic locum non habet, etsi in omnibus antiquis libris legitur. quod cum viderent correctores, ordinem versuum inverterunt. HEINS. forte legendum, *vixit*, ut saepe loquuntur veteres.

747. *Sed repetamus iter. nudis mihi rebus agendum est.*] Scripti plerique cum primâ editione:

Sed repetamus opus. mihi nudis rebus eundum est.

Frustra. Rutilius Itinerario:

Carmine proposito jam repetamus iter. HEINS.

749. *Scilicet expectas ut te in convivia ducam.*] *Sollicite expectes, dum te* scripti plerique cum primâ editione. ita Cicero ad Brutum, *legi orationes duas tuas, nunc sollicite hoc exspecto.* sed nihil muta. Trist. III. XIII. 13.

Scilicet exspectas soliti tibi moris honorem.

Juvenalis Satyr. VI.

Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet.

Nisi forte melius, *forsitan exspectes.* ut Trist. I. I. 69.

Forsitan exspectes, an in alta palatia missum
Scandere te jubeam.

& *quaeras* nonnulli libri sequenti versu. HEINSIUS. Vid. ad Petron. cap. L. & CXXX.

752. *Grata mora venies.*] *Veniens* Regius & quatuor alii. unus, *Grata mora est Veneris.* unus Vaticanus cum primâ editione, *Grata morâ Venus est.* non male. Sed rectius Neapolitanus cum Cavalcantiano, *Grata mora est Veneri.* HEINSIUS. Ego mallem distinguere:

Grata mora est. Veneri maxima lena mora est.

Ad conciliandam Venerem mora aptissima lena. lib. III. Amor. I.

Huic ego proveni lena comesque Deae.

Et supra 326.

Pro facie multis vox sua lena fuit. BURM.

753. *Et si turpis eris.*] Lege, *Etsi.* HEINSIUS.

753. *Videbere potis.*] *Videbere cunctis* editiones plurimae & etiam scripti viginti duo.

755. *Est quidam gestus edendi.*] Diu est quod vidi *quiddam* reponi debere. quod prima editio confirmat, & unus Vatic. lib. II. Pont. El. I. 55.

Quod precor eveniet. sunt quaedam oracula vatum.

Scribe, *sunt quiddam.* Propert. lib. IV. 7. *Sunt aliquid manes.* sic *Est aliquid*, & *sunt aliquid.* in Amoribus lib. I. XII. 3. *Omina sunt aliquid.* Remed. Amor. 480.

Est aliquid valida sceptra tenere manu.

Met. XII. 93.

Est aliquid non esse satum Nereïde; sed qui
Nereaque & natas & totum temperat aequor.

HEINSIUS. Rectè Heinsius. IV. Trist. I. 28.

Et quiddam furor hic utilitatis habet.

Petronius cap. CXXXV. *mirabile quiddam paupertatis ingenium.* vid. ad Quinctil. praefat. Instit. & Decl.

Carpe cibos digitis; eſt quiddam geſtus edendi:
Ora nec immundà tota perungue manu.
Neve domi praeſume dapes: & deſine, citra
Quam capies paullo, quam potes eſſe, minus.
Priamides Helenen avide ſi ſpectet edentem,
Oderit; & dicat, Stulta rapina mea eſt.
Aptius eſt, deceatque magis potare puellas.
Cum Veneris puero non male, Bacche, facis.
Hoc quoque, quà patiens caput eſt, animusque pedesque
Conſtent: nec, quae ſint ſingula, bina vide.

Tur-

cccxxxvi. & cccxlviii. ad hunc vero edendi geſtum referri poſſent illa Senecae, Epiſtola v. *Erit, qui gradus temperet, & buccas edentis obſervet.* niſi potius ibi exciderit vox aliqua, quia agit de ſermone & clamore, & legendum ſit, *buccas vocem edentis obſervet.* Burmannus.

756. *Tota perungue.*] *Tacta* Bernenſ. *ora per imm.* Junii. *nec indigna* Ambroſianus alter.

757. *Neve domi praeſume dapes.*] Aliae, ut editio Gryphiana, *diu.* ad quam Scaliger notarat, *domi*, ex veteri codice. Palatinus habebat, *minus.* Quod haud dubio, *nimis. Neve nimis praeſume dapes.* Dan. Heinsius. Locus perplexiſſimus. Vetuſtae editiones, *Neve diu.* Sarravianus & ſeptem alii, *Neve nimis.* Sed pro vulgatâ ſtant vetuſtiores libri. & rectè omnia conſtabunt, ſi pro, *ſed deſine, & deſine* reponas. & ſequenti verſu pro, *cupias, capies*, ut in Regio eſt & aliis quatuor. Multi, *cupies*; proxime verum. *praeſumere.* quomodo apud Plinium lib. 36. cap. 11. *Theophraſtus auctor eſt, potores in certamine bibendi praeſumere farinam ejus.* Tangit & damnat morem puellarum quarundam, quae domi praeſumebant dapes, ut in convivio à cibis abſtinerent. quod & nunc apud multas in uſu eſt. tres, *capias. capere*, ut apud Horatium lib. 1. Sat. 1.

Non tuus hoc capiet venter plus, quam meus.

Noſter lib. vii. Metam. 834.

Pluſque capit, quo plura ſuam demittit in alvum.

Ita cenſeo ſcribendum. Lucret. lib. iv. 635.

Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias, concoctum didere poſſis.

Juvenalis Satyra vii.

——— *Conſtat leviori bellua ſumptu*
Nimirum, & capiunt plus inteſtina Poëtae.

Eſt pro edit apud Virgilium & Gratium. *eſſes* pro ediſſes apud Val. Maxim. l. iv. cap. iii. ſub finem. *eſſet* pro ederet Hygin. Fab. 139. *Eſtur* pro editur dixit Noſter Pont. 1. El. 1.

Eſtur ut occulta vitiata teredine navis.

Senſus eſt, deſine priuſquam capies paulo minus, quam potes edere. Tan. Faber lib. 1. Ep. 54. *paulo quam potes eſque minus.* pro *ede.* Sed proferat exemplum velim vel unicum, quo liqueat veteres *es* pro *ede* dixiſſe. Perperam etiam Merula lectionem, *Neve nimis praeſume dapes*, approbat. Saltem, *nimis dapis*, vel, *Neu nimium praeſume dapis* refinxiſſet. Heinsius. Gronovius, in notis ad Livii lib. xxxv. cap. 11. primae editionis:

Neve domi praeſume dapes, & deſine citra
Quam cupis, & paullo quam potes, eſſe minus.

Eſt duplex praeceptum ad eandem rem pertinens: nec venias ad coenam ventre jam pleno, neque illic nimium celocem ſaburra. neque ante coena, & deſine eſſe citra paullo minus, quam cupis & potes. vix tamen mihi perſuadeo Ovidium praecepiſſe puellis, ne domi praeſumerent dapes, cum hoc maxime monendae videantur, ne earum ingluviem & ſordes & inopiam viderent amatores, quae noſſe omnia ſaluti adoleſcentulis eſſe recte cenſet Parmeno Terentianus, in Eunuch. Act. v. Sc. 4. quare puto hoc praeceptum reſpicere famelicas, vel quae famem tolerare eo uſque non poſſunt, dum cibus illatus decore menſae, & convivae ex ordine accubuerunt, ſed praecerpunt dapes, antequam alius quis cibos attigerit. ſed ut verum fatear, nondum vera verborum lectio mihi apparet. in reliquis Gronovio accederem, forte:

Saepe domi praeſume dapes, & deſine citra
Quam capis, & paullo quam potes adde minus.

De voce *citra* vide ad Epiced. in Druſum 50. *Adde* eſt in Voſſiana. *ede* in tribus. ſaepe antea domi cibum cape, & coram amatore deſine edere antequam ſatura ſis, & adde cibis praeſumptis paullo minus, quam potes. Burmannus.

760. *Oderit & dicet.*] *Dicat* Regius & tres alii ex melioribus. rectius. Heinsius.

762. *Cum Veneris puero non male Bacche facis.*] Hoc eſt, non inutiliter aut inconvenienter jungeris cum amore. Dicimus enim, *Facit cum hac re*, pro eo quod eſt, utile eſt ad hanc rem, ſive convenit cum hac re. Micyllus.

763. *Hoc quoque quam patiens caput eſt, &c.*] Merula exponit ellipticos, pro: *Hoc quoque vide, quam patiens caput eſt.* Ego vero malim:

Hoc quoque, quà patiens caput eſt,

Turpe jacens mulier, multo madefacta Lyaeo:
Dignaque concubitus quoslibet illa pati.
Nec somnis positâ tutum succumbere mensâ:
Per somnos fieri multa pudenda solent.
Ulteriora pudet docuisse: sed alma Dione,
Praecipuè nostrum est, quod pudet, inquit, opus.
Nota sibi sint quaeque: modos à corpore certos
Sumite. non omnes una figura decet.
Quae facie praesignis eris, resupina jaceto:
Spectentur tergo, quîs sua terga placent.
Milanion humeris Atalantes crura ferebat:
Si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.
Parva vehatur equo: quod erat longissima, numquam
Thebaïs Hectoreo nupta resedit equo.
Strata premat genibus, paullum cervice reflexâ,
Femina, per longum conspicienda latus.
Cui femur est juvenile, carent cui pectora mendâ,
Stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro.

Nec

Ut sit sensus: Hoc quoque eo usque facias, quod est, potes, & te vino repleas, qua patiens caput est: id est, quatenus caput tuum potationes & crapulam ferre potest, &c. Micyllus. Prima editio & quidam codices, *hoc bibe.* alius, *hoc bibe quod facies.* Vossianus, *sed bibe qua.* Mentelii, *sed bibe quod.* forte:

Obbibe, quâ patiens caput est.

Vide ad Phaedr. lib. I. fab. XIV. Burmannus.

765. *Turpe jacens mulier.*] *Jacet* Aprosii & Mentelii prior, sed perperam. *jacens* proprie de ebria. Varro apud Servium ad Virg. III. Aeneïd. 631. *in lecto temulentos jacere, sobrios cubare, consuescere.* Vide ad Petronii cap. XXII. mox melius iidem codices, *dignaque concubitus.* Burm.

767. *Nec somno tutum est posita.*] Lege cum castigatioribus:

Nec somnis positâ tutum succumbere mensâ.

Et sic prima quoque editio. Heinsius.

771. *Nota sibi sit quaeque.*] *Sint* Regius & unus Vaticanus. vide Notas ad Amor. lib. II. El. XI. *vs.* 21. Idem.

771. *Modos à corpore certos Sumite.*] Ita est in bonis libris. vere. Ciofanus. *Ad corpora* quatuor scripti, & margo Bersmanni. *cunctos* duo. *comptos* unus.

773. *Quae facie praesignis erit.*] Recte, quod in Palatino codice, quo usus est Gruterus, *Quae facie praesignis eris.* Dan. Heinsius.

774. *Spectetur tergo, cui sua terga placent.*] *Spectentur, quîs sua* Regius & sex alii. & superiori versu *eris* pro *erit* bene multi veteres. Heinsius.

775. *Melanion humeris.*] Scaliger alibi, *Milanion* emendabat. Dan. Heinsius. *Milanion* meliores: alii, *Minalion* aut *Mimalion.* dixi Artis lib. II. *vs.* 188. *Atalantes* quoque scribendum cum Regio & quatuor aliis. Multi, *Atalantis.* Sequenti versu, *hoc sunt accipienda modo*, non *aspicienda* Comelinianus, Neapolitanus & septem alii. bene. nam *conspicienda* mox sequitur. Amor. III. El. II.

Talia Milanion Atalantes crura fugacis
Optavit manibus sustinuisse suis. Heinsius.

v. Fast. 610.

Sidoni, sic fueras accipienda Jovi.

777. *Vehatur equo.*] Horat. II. Sat. VII. 50.

Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum.

Mart. XI. 105.

Hectoreo quoties sederat uxor equo.

778. *Nupta.*] *Nuda* duo libri.

781. *Carent quoque caetera menda.*] *Quoque pectora* scripti meliores: *cui* etiam prior Mentelianus. Lege, *carent cui pectora mendo.* ut concursus vitetur duûm *a.* vide supra hoc libro Notas vers. 261. *quoi* scriptum erat: hinc *quoque* factum. Heinsius.

782. *Semper in obliquo fusa sit illa toro.*] In veteribus:

Stet vir: in obliquo fusa sit illa toro.

Et fortasse rectius, si quis diligenter sensum carminis consideret. Naugerius. Optime prima editio & scripti meliores:

Stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro. Heinsius.

783. *Nec tibi turpe puta, crinem, ut Phylleïa mater, Solvere.*] Etiam hic locus ex obscurioribus unus est. Quam enim *Phylleiam matrem* hic dicamus intelligi? aut quem *Phyllum*, sive *Phylleum?* nam à *Phyllo* Thessaliae loco *Phylleiam* deduci, eoque no-

Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleïa mater,
Solvere: & effuſis colla reflecte comis.
Tu quoque, cui rugis uterum Lucina notavit,
Ut celer averſis utere Parthus equis.
Mille modi Veneris. ſimplex minimique laboris,
Cum jacet in dextrum ſemiſupina latus.
Sed neque Phoebei tripodes, nec corniger Ammon,
Vera magis vobis, quam mea Muſa, canent.
Si qua fides arti, quam longo fecimus uſu;
Credite: praeſtabunt carmina noſtra fidem.
Sentiat ex imis Venerem reſoluta medullis
Femina: & ex aequo res juvet illa duos.
Nec blandae voces, jucundaque murmura ceſſent:
Nec taceant mediis improba verba jocis.
Tu quoque, cui Veneris ſenſum natura negavit,
Dulcia mendaci gaudia finge ſono.
Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella es;
Quo pariter debent femina virque frui.

Tan-

nomine Baccham intelligi (ut Merulae placet) alienius paulo videtur: cum Theſſalia veneficis mulieribus magis famoſa fuerit, quam Bacchis: Bacchae autem Boeotiam ac Thraciam peculiariter incoluerint. Itaque dubitari poteſt, an locus ipſe ſatis integer ſit. Quod ſi tamen à Phyllo Theſſaliae loco, *Phylleïa mater* dicta omnino accipienda ſit, rectius fortaſſis de centauri alicujus, qui & ipſi Theſſaliam peculiariter inhabitarunt, uxore aut matre, quae ſparſis per colla jubis conſpicienda fuerit, accipietur. Ut rurſum, ſi de Maenade aut Baccha aliqua idem nomen interpretemur, à Phylli Thraciae loco, qui juxta Pangaeum montem (ut Stephanus autor eſt) fuit, à quo & Phylleis, patronymica forma, à Graecis (ut idem ait) uſurpatur, dictum potius accipietur. Sed nihil, opinor, huc facit furentis alicujus comparatio. Et videtur poëta propriâ magis, quam gentili ſignificatione, voce *Phylleïa* hoc loco uſus eſſe, fabulamque aliquam remotiorem reſpexiſſe. De qua quia ipſe hactenus nihil comperi, aut legi, locum hunc, ut eſt, in medio relinquo. MICYLLUS. *Ut Phylaceïa* Berſmannus. ſed fruſtra. vide Notas ad Epiſtolam XIII. ℣s. 35. HEINSIUS.

784. *Et effuſis colla reflecte comis.*] *Renecte* prior Mentelii. Aproſianus, *reflente. τὸ reflecte* hoc loco nihili eſt, quamquam minime me praeterit Maronianum illud de equis lib. XI. 622. *mollia colla reflectunt*: id enim geſtum equorum freno non obluctantium deſcribit. contra *durior oris equus.* apud Noſtrum ſcribendum, niſi conjectura me fallit *colla replere.* ſive paſſivum ſit, Graeciſmo uſitato, ſive infinitivum. HEINSIUS. *emiſſis* Regius. certe *fuſa* praeceſſit. forte, *immiſſis* vid. VI. Met. 168. *colla referre* Bernenſ. & alius.

786. *Ut celer averſis utere Pathus equis.*] Valde ineptus eſt hoc loco Merula, qui poſt rem peractam puellas converti debere, Poëtam voluiſſe exiſtimat. habent enim verba multo aliam ſententiam, qua tamen referenda, pudoris gratia, ſuperſedendum putamus. MICYLLUS. Martialis XI. 44.

Briſeis multum quamvis averſa jaceret.

Ubi cum uno Voſſiano mallem, *vultum.*

787. *Mille modi Veneris.*] *Joci* Regius, Scaligeri excerpta, cum aliis nonnullis; ſed nil mutandum. Noſter Am. III. El. VII. de concubitu:

Quos ego non finxi diſpoſuique modos?

De re Venerea, & alibi:

Inque modos Venerem mille figuret amor.

Martial. lib. IX. Ep. LXIX.

Laſſus mille modis illud puerile popoſci.

Jocos paulo poſt vocabit. HEINSIUS. Lib. II. 680.

Inveniat plures nulla tabella modos.

789. *Neque Phoebei.*] *Phaebeae* Bernenſ. *neque Phoebe tui* Regius & Palatin. *neque jam Phoebi* unus Heinſii.

790. *Quam mea Muſa canet.*] *Canent* rectius quatuor libri. unus, *canat.* Puto, *canant.* HEINS.

793. *Reſoluta.*] Male cepit Barthius ad Statii lib. I. Silv. II. 53. vide ſupra lib. II. 681. & ſeqq. & ad Epiſt. XV. 134. mox Vaticanus, *ut ex aequo res juvet.* recte, ut puto.

794. *Res juvet iſta duos.*] *Illa* meliores. quidam, *una* cum Jureti excerptis, & codice Sarraviano. HEINS. *Una* etiam Francof. & Editio una Veneta.

798. *Mendaci.*] *Mentito* Palat. & Mentelii unus.

799. *Ille*

Tantum, cum finges, ne ſis manifeſta caveto:
Effice per motum luminaque ipſa fidem.
Quod juvet: & voces & anhelitus arguat oris.
Ah pudet! arcanas pars habet iſta notas.
Gaudia poſt Veneris quae poſcet munus amantem,
Ipſa ſuas nolet pondus habere preces.
Nec lucem in thalamos totis admitte feneſtris.
Aptius in veſtro corpore multa latent.
Luſus habet finem: cycnis deſcendere tempus,
Duxerunt collo qui juga noſtro ſuo.
Ut quondam juvenes, ita nunc, mea turba, puellae
Inſcribant ſpoliis, Naſo magiſter erat.

799. *Ille puella.*] *Puellae* Regius. ſex alii cum primâ editione, *puella eſt.* ſed bene Sarravianus, *puella es.* HEINSIUS.

801. *Tantum cum finges.*] *Cum ſimulas* Jureti excerpta. Lege, *dum ſimulas.* Nonnulli ex melioribus, *Dum nimium ſimulas.* duo, *Tute cum ſimulas.* Forte, *At tu dum ſimulas.* IDEM.

803. *Quod juvat.*] *Juvet* quidam. IDEM.

804. *Ah pudet.*] In uno regio & Bernenſi erat:
Et color & centum pars habet illa notas.
A putet Regius. *res habet illa* Palatin.

805. *Gaudia poſt Veneris &c.*] Merula de repetenda Venere hunc locum exponit hoc ordine. *Quae poſcit munus poſt gaudium Veneris ab amante &c.* Quae ſi verior expoſitio eſt, malim eundem hunc ordinem inverti, verbaque ipſa ſic conſtrui: Quae petit gaudia, ſcilicet altera, poſt munus ſive officium Veneris peractum, &c. Sed eſt hic locus ἀμφίβολος· poſſet enim & de pretio ſive dono exponi, hoc modo: Quae poſcit amantem, ſive ab amante munus, poſt gaudia Veneris, ſcilicet peracta, &c. Quare & hunc in medio relinquamus. MICYLLUS. *Poſcet* prima editio & Regius; qui & *amantes.* HEINSIUS.

806. *Illa ſuas nolit.*] *Nollet* Regius, & multi alii. plures, *nolet.* quod ſequor. IDEM. *Ipſa* quinque libri. *iſta* Neapol.

808. *Multa latent.*] *Menda latent* Florent. & Palat.

809. *Cygnis diſcedere tempus.*] *Diſcendere* Regius, alii multi, *deſcendere.* pro deſcendere curru, quem olores traxerunt. bene. HEINSIUS.

811. *Mea turba.*] Broukh. ad Propertii lib. III. Eleg. XII. 16. malebat, *turma*; ut in initio libri vers. 2. ego *turba* retineo. vid. I. Amor. I. 6. & II. IX. 54. *mea cura* quinque ſcripti. ut fin. lib. II. *Vos eritis chartae proxima cura meae. Inſcribat foliis* hic quoque Bernenſis, & octodecim alii. BURM.

ARTIS AMATORIAE FINIS.

P. OVIDII NASONIS

REMEDIORUM

AMORIS

LIBER UNUS.

P. OVIDII NASONIS

REMEDIORUM

AMORIS

LIBER UNUS.

LEgerat hujus Amor titulum nomenque libelli:
Bella mihi, video, bella parantur, ait.
Parce tuum vatem ſceleris damnare, Cupido;
Tradita qui toties, te duce, ſigna tuli.
Non ego Tydides, à quo tua ſaucia Mater
In liquidum rediit aethera Martis equis.
Saepe tepent alii juvenes: ego ſemper amavi.
Et ſi, quid faciam nunc quoque, quaeris; amo.
Quin etiam docui, quà poſſis arte parari:
Et quod nunc ratio eſt, impetus ante fuit.

Nec

De Remedio Amoris Liber Primus.] Codex Regius & alii nonnulli librum unum faciunt ex duobus. & recte. Noſter enim ipſe *libellum* vocat hujus poëmatis initio. Deinde idem Regius *Remediorum Amoris librum* inſcribit. & hoc quoque recte. P. Ovidii Nasonis Artis Amatoriae Lib. III. Expl. Incipit Ejusdem Remediorum Liber I. Unus quoque Vaticanus *De Remediis Amoris* inſcribit. Heinsius. & in Francofurtenſi erat, *De Remediis Amoris.*

1. *Legerat hujus amor titulum.*] Quid ſit *titulus*, atque unde dicatur, in obſervationibus in lib. I. Triſtium & elegiam differui. Ciofanus.

3. *Sceleris damnare.*] Imitatio Virgil. ex Ceiri 187.

Quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanti ſceleris damnare puellam?

Ut ibi legendum puto. Heinsius.

5. *A quo tua ſaucia Mater.*] Quemadmodum Venus à Diomede vulnerata fuerit, ſcribit Homerus Iliad. E. meminit & Virgilius lib. XI. Aeneïd. Ciofanus.

9. *Qua poſſes arte parari.*] *Poſſis* rectius quidam ſcripti. & ſequenti verſu, *quod nunc ratio eſt*, non *quae.* Heinsius. Recte: ita etiam editiones primae & Aldina. Sic infr. 84.

Et validas ſegetes, quod fuit herba, facit.

Ubi etiam *quae* nonnulli codices. vid. ad Epiſt. IX. 106. ſic & *hoc.* de quo vid. ad Epiſt. II. 56. ſententiam vero hanc de medio ſumptam exprimit ita Senec. Epiſt. XVI. *Conſtitue illum & contine, ut habitus fiat, quod eſt impetus.* & de Clementia lib. II. cap. 2. *ut quod nunc natura & impetus eſt, fiat judicium.* Ita *rationem & impetum* inter ſe opponit Quinctil. lib. VII. Inſtit. 2. *An etiam, ſi nulla ratione ductus eſt, impetu raptus ſit.* Burm.

Nec te, blande puer, nec noſtras prodimus artes:
Nec nova praeteritum Muſa retexit opus.
Si quis amat, quod amare juvat, feliciter ardens
Gaudeat, & vento naviget ille ſuo.
At, ſi quis male fert indignae regna puellae,
Ne pereat, noſtrae ſentiat artis opem.
Cur aliquis, collum laqueo nodatus ab arto,
E trabe ſublimi triſte pependit onus?
Cur aliquis rigido fodit ſua viſcera ferro?
Invidiam caedis, pacis amator, habes.
Qui, niſi deſierit, miſero periturus amore eſt,
Deſinat: & nulli funeris auctor eris.
Et puer es; nec te quidquam, niſi ludere, oportet.
Lude: decent annos mollia regna tuos.
Nam poteras uti nudis ad bella ſagittis:
Sed tua letifero ſanguine tela carent.
Vitricus & gladiis & acutà dimicet haſtà;
Et victor multà caede cruentus eat.
Tu cole maternas, tuto quibus utimur, artes:
Et quarum vitio nulla ſit orba parens.

Effice

11. *Noſtras prodimus.*] Malim cum Argentino, *veſtras*: nam ſequitur, *noſtrae ſentiat ortis opem.* & ad Cupidinem melius refertur. Burm.

12. *Nec nova praeteritum Muſa retexit opus.*] *Praetextum* prior Mentelianus. ſic Pont. 1. Eleg. III. 30.

Quod tua texuerunt ſcripta retexit opus.

Quomodo vetus codex. Matius apud Ciceronem Ep. XXVIII. lib. XI. *An quod adoleſcens praeſtiti, id nunc aetate praecipitata commutem, ac me ipſe retexam.* ſic & alibi idem. Heinsius. Forte, *detextum.* ut ita Cicer. II. de Orat. 38. de acuminibus Dialecticorum: *Ipſi ſe compungunt ſuis acuminibus, & multa quaerendo reperiunt non modo ea, quae jam non poſſunt ipſi diſſolvere, ſed etiam quibus antea exorſa, & potius detexta, retexantur.* abſolverat quoque jam Naſo, & detexuerat artis amatoriae telam. ſimili locutione uſus Apulej. Apolog. *Singulatim apprehendens omnem calumniae textum retexo.* Burmannus.

13. *Feliciter ardet.*] *Ardens Naviget*, Puteaneus optimus. & recte. Heinsius.

17. *Cur aliquis laqueo collum nodatus amator*] *Collo laqueum nodatus ab alto* Puteaneus praeſtantiſſimus & duo alii. Scribo, *laqueo ab arto. &* ſequenti verſu, *E trabe ſublimi*, non *A.* Nam *amator* ex Gloſſa irrepſit. & ea vox paulo poſt denuo ſequitur. *Pendere è trahe*, quomodo *pendere è collo* & ſimilia. Seneca Phoeniſ. 146.

Ferrum negabis? noxias lapſo vias
Cludes? & artis cella laqueis inſeri
Prohibebis? herbas, quae ferant lethum, auferes?
Ubique mors eſt.

Sic ibi ſcribo. non *ferunt.* ſic *innodatum guttur laquei nexibus* dixit Ammianus lib. XXXIX. Virgil. XII. Aneïd. 603.

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Heinsius. Petron. cap. XCIV. *Et jam ſemicinctio ſtantem ad parietem ſpondam vinxeram, cervicesque nodo condebam.* Ubi vide Erhardum. *pendere è poſte* dixit & V. Met. 127. Burm.

19. *Cur aliquis rigido fodiat ſua pectora ferro.*] *Viſcera* rectius Jureti excerpta cum Puteaneo. *fodit* etiam ſcribendum cum quatuor ſcriptis ſuperiora evincunt. Heinsius.

22. *Auctor eris.*] Forte, *auctor eas*, ut ad Cupidinem ſermo ſit. & ita mallem quoque mox 37. *contentus eas.* ſic *erit* pro *eat.* vers. 70. in Regio codice erat, & centies alibi. Burmannus.

23. *Et puer eſt.*] *Nam puer es* unus Heinſii. *En puer es* Mentelii. *At* alius.

24. *Decent annos mollia regna tuos.*] Sic emendavi ope unius Vatican. alii male legunt, *animos.* Ciofanus. Vide I. Art. Am. 10.

25. *Poteras.*] *Poteris* in multis. vid. ad Epiſt. VII. 53. *In bella* Regius & Farneſ.

29. *Mortifero vulnere tela carent.*] Scripti omnes

mc-

Effice nocturnà frangatur janua rixâ;
Et tegat ornatas multa corona fores.
Fac coëant furtim juvenes, timidaeque puellae:
Verbaque dent cauto qualibet arte viro.
Et modo blanditias, rigido modo jurgia poſti
Dicat, & excluſus flebile cantet amans.
His lacrimis contentus eris ſine crimine mortis.
Non tua fax avidos digna ſubire rogos.
Haec ego. movit Amor gemmatas aureus alas;
Et mihi, Propoſitum perfice, dixit, opus.
Ad mea, decepti Juvenes, praecepta venite;
Quos ſuus ex omni parte fefellit amor.
Diſcite ſanari, per quem didiciſtis amare:
Una manus vobis vulnus opemque feret.
Terra ſalutares herbas, eademque nocentes,
Nutrit: & urticae proxima ſaepe roſa eſt.
Vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoſte,
Vulneris auxilium Pelias haſta tulit.
Sed quaecumque viris, vobis quoque dicta, puellae,
Credite. diverſis partibus arma damus.

E qui-

meliores, *ſanguine.* prima editio cum uno Farneſiano, *lethifero ſanguine*, ut Faſt. I. 124.

Sanguine lethifero totus miſcebitur orbis.

Amor. II. Eleg. XII.

In qua, quaecunque eſt, ſanguine praeda caret.

HEINSIUS. Vide ad XI. Met. 9.

29. *Utimur.*] *Uteris* Leidenſis. & mox, *è quarum. ex quarum* Lincolnienſis, & undecim alii: ſed nil muta, & vid. ad II. Amor. XIV. 10. *nulla ſit*: Francof. & Leidenſis.

33. *Timidaeque.*] *Trepidaeque* Puteaneus tertius & tres alii. Epiſt. I. 27.

Mirantur juſtique ſenes trepidaeque puellae.

Cupidaeque Bernenſis codex.

34. *Verbaque dent cauto qualibet arte viro.*] Non damno hanc lectionem. Opinor tamen ſcribendum, *quamlibet apta.* In Amoribus, *huic operi quamlibet aptus eram.* ſic *apta verba joco* Epiſtola Sapphûs, Artis lib. II. & in Faſtis. *arte* pro *apta* perperam etiam alibi ſcriptum offendas. vide Notas lib. Artis III. ℣s. 485. poteſt & *quamlibet* cum *cauto* conjungi. HEINSIUS. *Dent capto* viginti codices cum prima editione. eleganter. vide inf. 108. & ad Epiſt. XV. 63. ſi enim *cauto* legatur, de marito, quem fallant uxores, intelligendum. at ego malo de puellis, quae captos viros, & amori irretitos omni arte decipiant, interpretari. nam ſequentia de amantibus agi docent. *captus* vero & *cautus* paſſim commutantur, ut Ep. XVIII. 110. Halieut. 60. III. Faſt. 633. & alibi. BURMANNUS.

36. *Dicat.*] Rectius foret, *nectat*, ſi MSS. addicerent. ut II. Amor. II. 35.

Sed tamen interdum tecum quoque jurgia nectat.

Et Eleg. IX. 45.

Et modo blanditias dicat, modo jurgia nectat.

HEINSIUS. *Flebile carmen amans* Moreti, ut ad *dicat* referatur.

37. *Contentus eris.*] Et hic *eas* malebat Heinſius. *comptus eris*, Regius, & emendatum, *ſi comptus eris. tu comptus eris* unus Heinſ.

45. *Terra ſalutiferas herbas.*] *Salutares* eſt in libris melioribus. pro *nocentes* unus Puteaneus, *nocivas.* ſic *nocivum periculum* dixit Phaedrus lib. I. Fab. XXIX. Noſter Triſt. lib. V. Eleg. X. 22. *tela nociva*, ut in veteri codice legitur, non *noxia.* eamque vocem Arte Amatoria Scaliger reſtitutam cupiebat, ut monuimus Artis lib. II. 436. HEINSIUS.

47. *Vulnus Achilleo quae quondam fecerat hoſti.*] Regius cum optimo Puteaneo & Hafn. eaſi probè:

Vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoſte.

Telephus enim Herculis ex Auge filius. HEINSIUS.

48. *Haſta tulit.*] *Haſta fuit* unus codex. vid. infr. 528.

E quibus ad veſtros ſi quid non pertinet uſus;
Attamen exemplo multa docere poteſt.
Utile propoſitum, ſaevas extinguere flammas;
Nec ſervum vitii pectus habere ſui.
Vixiſſet Phyllis, ſi me foret uſa magiſtro;
Et per quod novies, ſaepius iſſet iter.
Nec moriens Dido ſummâ vidiſſet ab arce
Dardanidas vento vela dediſſe rates.
Nec dolor armaſſet contra ſua viſcera matrem;
Quae ſocii damno ſanguinis ulta virum eſt.
Arte meâ Tereus, quamvis Philomela placeret,
Per facinus fieri non meruiſſet avis.
Da mihi Paſiphaën; jam tauri ponet amorem:
Da Phaedram; Phaedrae turpis abibit amor.

Redde

53. *Saevas extinguere flammas.*] Unus Puteaneus, *diſtinguere.* alius ex meis, *aſtringere.* Puto, *reſtinguere.* infra 807.

Nutritur vento, vento reſtinguitur ignis. HEINS. Sed nihil neceſſe. inf. 644.

Sed meliore fide paullatim exſtinguitur ignis. Ibide 19.

Et qui debueras ſubitas exſtinguere flammas. Elegia in Druſum 227.

Jamque rogi flammas exſtinguere fluminis actu. BURMANNUS.

54. *Nec ſervum vitiis pectus habere tuum.*] Scripti plerique, *ſuum*, rectius. duo, *vitii ſuum.* quinque, *vitii tuum.* Regius, *vitii tui.* Lege, *vitii ſui.* atque ita alter Regius. ſic *ſervi poenae* apud Juriſconſultos. vide Notas ad Amor. lib. 1. El. VI. ſub finem. *ſui vitii*, quomodo *ſuus amor* ſupra vers. 42. *ſua vindicta* infra vers. 74. *ſua retia* ℣s. 202. *ſua aura* ℣s. 264. qualia nos plurimis locis Naſoni reſtituimus. HEINSIUS.

55. *Vixiſſet Phyllis, ſi me foret uſa magiſtro, Et per quod novies ſaepius iſſet iter.*] Praeclare hic locus intelligetur ex his, quae ſcribit eruditiſſimus Parrhaſius lib. 1. in Claud. de Raptu Proſerpinae 135. cujus haec ſunt verba: *Novies enim non finitus eſt numerus pro infinito (quod Grammaticorum vulgus exiſtimat) ſed ab hiſtoria, quam refert interpres Lycophronis in Alexandra. Quippe Phyllis Demophoontem, vel, ut ipſe nuncupat, Acamantem, ad uſque novem vias ſecuta eſt, ad amnem Strymonem, quae civitas Amphipolis appellata mox eſt ab Agnone duce Athenien. Auctores Antiphon, & Androtion Atticorum* XII. *Macedoque Polyenus* VIII. *Strategematôn, Pauſanias, Harpocration, & Suidas; meminit Thucydides, aliique praeterea nonnulli. Cumque illic* (ut pergit) *Acamantem diu fruſtra expectaſſet, impar amori Phyllis mortem ſibi conſcivit; ad quod alluſiſſe Naſonem conjicere licet, ex iis ejus verſibus in arte:*

Nona terebatur miſerae via, viderit, inquit,
Et ſpectat Zonam pallida facta ſuam.

Et alibi:

Quaere novem cur iſſe vias dicatur, & audi
Depoſitis ſilvas Phyllida fleſſe comis.

Sic enim ſuperius hexametrum ſcribendum eſt ex antiquis codicibus, non ut nunc paſſim legitur:

Quaere novem vicibus cur iſſe feratur.

Etiamſi ſuos & hoc habet aſſertores, ſed eos negligendos. Haec omnia Parrhaſii verba longè opportunius ponenda erant infra lib. 11. ubi ſunt ii verſus, quibus lucem affert. Verum, ſiquid ego video, contra eam, quam tantus vir affert, opinionem neſcio quid ſcribat Hyginus; cujus verba poſui in epiſtola Phyllidis. Eruditiores judicabunt. CIOFAN. Francius malebat:

Et quod iit novies ſaepius iſſet iter,

58. *Dardanias rates.*] *Dardanidas* tres ſcripti. rectius. vide Notas lib. 1. Artis. ℣s. 172. HEINS.

59. *Nec dolor armaſſet, &c.*] De Medea, & Jaſone vide quae alibi notavi. CIOFANUS.

63. *Jam tauri ponet amorem.*] *Tauri deponet amorem* Puteaneus, & ſex alii. *jam tauri ſpernet* unus.

65. *Redde Parin nobis.*] Ita libri veteres. cum Naſonem ſcripſiſſe cenſeam, *Crede Parin nobis.* ſic infra:

—— *Qui fueras dominae male creditus uni.* HEINSIUS.

66. *Nec manibus Danaum Pergama victa cadent.*] *Manibus Danais* Regius & Puteaneus optimi, & Arondelianus. quomodo Epiſtola tertia, *Danaas opes*, & VIII. *Danaum ignem*, ac *Danaum militem.* & *rem Danaam* Met. XIII. veteres libri. Deinde pro *cadent* plerique veteres, *forent.* niſi fallor, pro *ruent, ruit alto à culmine Troja.* & *Urbs antiqua*

Redde Parin nobis; Helenen Menelaus habebit:
Nec manibus Danaïs Pergama victa cadent.
Impia si nostras legisset Scylla libellos;
Haesisset capiti purpura, Nise, tuo.
Me duce, damnosas, homines, compescite curas:
Rectaque cum sociis, me duce, navis eat.
Naso legendus erat, tunc cum didicistis amare;
Idem nunc vobis Naso legendus erit.
Publicus adsertor dominis oppressa levabo
Pectora: vindictae quisque favete suae.
Te precor, ô vates, adsit tua laurea nobis,
Carminis, & medicae, Phoebe, repertor opis.
Tu pariter vati, pariter succurre medenti:
Utraque tutelae subdita cura tuae.

Dum

qua ruit. de eadem Propertius lib. II. El. VIII. ut scribendum similiter puto:

Et Thebae steterunt, altaque Troja ruit.

Quanquam & vulgata proba est in Nasone, quam liber Regius tuetur. HEINSIUS.

67. *Legisset.*] *Legisses* Mazarin.

69. *Compescite curas.*] *Damnosos compescite mores* unus Heinsii, quod repetitum ex lib. III. Art. Am. 501. sed alter, *damnosas compescite flammas.* quod magis arridet. eadem diversitas infra ℣s. 495. & VI. Metam. 466. BURM.

73. *Vitiis suppressa levabo Pectora.*] Quantivis pretii est, quod in Regio, Puteaneo, Lincolniensi, & Scaligeri excerptis legebatur, *dominis suppressa.* Scribe, *Dominis oppressa Pectora.* Jureti excerpta & duo alii proxime verum, *damnis suppressa.* supra, *vitii servum pectus* dixerat. Sallustius egregie in fragmentis: *Porro ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est, ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, nequaquam eo postea hebeti atque claudo pro exercitio uti volunt.* Lucretius lib. II. 1089.

——— *Natura videtur*
Libera continuo, & dominis privata superbis.

Ita Seneca Ep. XXXVII. *Affectus dominos* vocat: & de vita Beata cap. V. *inertissima dominia* voluptates ac dolores vocat. Monosticha de moribus in Catalectis Pithoei:

Tu, si animo regeris, rex es; si corpore, servus.

Cicero lib. VI. de Republ. apud Nonium in *Experi. Graves enim dominae cogitationum libidines, infinita quaedam cogunt atque imperant &c.* Idem adeatur sub finem Somnii Scipionis, & Lactant. lib. VII. cap. I. Plura huc congerere possemus ex Philosophorum placitis, sed commentarios non scribimus. Vide ad hanc rem divinam Horatii Satyram lib. II. Sat. VII. apud quem frugi ille Davus super tota hac re egregie philosophatur. HEINSIUS.

75. *Te precor incipiens, adsit &c.*] *Incipiens* Naugerius. Ἀρχόμενος Theognis. sed *ô vates* puto rectius. Deos autem precari mos erat, ut succurrerent, subvenirent, adjuvarent. Tibul. lib. I. El. 3.

Nunc Dea, nunc succurre.

BERSMAN. *Incipiens.* Ex prisco exemplari Vatic. legendum est, & ratione, quam statim reperies. CIOFANUS. Alii codices, *ô vates.* Sed Jureti excerpta, *arcitenens.* optime. Apollinem sic passim dici, Dianam quoque, qui nescit, valde is oportet peregrinus ac hospes sit in scriptis poëtarum veterum. Noster lib. VI. Met. 164.

——— *motus erat, cum jam revocabile telum*
Non fuit, Arcitenens.

Sic & in fabula Pythonis Metam. I. 441. Qua voce Apollinem à Naevio lib. II. belli Punici, Hostio lib. II. belli Histrici, ac Lucretio designatum monet Macrobius lib. VI. cap. V. Saturnal. Quod Virgilius, Statius, alii, postea sunt imitati. idem *Arcipotens* Valerio Flacco dictus lib. V. 17. Sic & *anguitenens*, signum caeleste, & *thyrsitenens* Bacchus dictus à veteri poëta in Catalectis Pithoei, judicio Coci & Pistoris:

Thyrsitenens satyros facio & saturo ego plures.

Ita enim versus mendosissimus videtur scribendus. HEINSIUS. Non tamen audeo repudiare veterem lectionem, quae confirmatur ex seq.

Tu pariter vati, pariter succurre medenti.

Nullus hic locus telis & arcui Apollinis, quibus instruitur ad bellum, & iram exferendam: placido hic Apolline & laureato opus est, & lyram tenente. ita enim Apollo vates & mitis, aliter iratus & noxius fingebatur. vide quae de Jove Fulgeratore capt. ult. congessimus. *Vatem* vero dici Apollinem vidimus ad lib. I. Amor. VIII. 59. BURMANNUS.

77. *Tu pariter vati.*] *Tu melius.* Marg. Bersm.

80. *Sisie*

Dum licet, & modici tangunt praecordia motus;
Si piget, in primo limine ſiſte pedem.
Opprime, dum nova ſunt, ſubiti mala ſemina morbi;
Et tuus, incipiens ire, reſiſtat equus.
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas:
Et validas ſegetes, quod fuit herba, facit.
Quae praebet latas arbor ſpatiantibus umbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
Tum poterat manibus ſummâ tellure revelli;
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.
Quale ſit id, quod amas, celeri circumſpice mente:
Et tua laeſuro ſubtrahe colla jugo.
Principiis obſta. ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.
Sed propera: nec te venturas differ in horas.
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Ver-

80. *Siſte pedem.*] *Gradum* duo ſcripti. ut Virgilius VI. 465.

Siſte gradum, teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.

Metam. XI. ex MS. *Gradum ſtitimus.* HEINS.

83. *Teneras mora percoquit uvas.*] *Decoquit* ſcripti nonnulli, etiam ex melioribus, cum primâ editione. nil muta tamen. Germanicus Caeſar in fragmento prognoſticorum inedito:

Libra tumeſcentes muſto bene percoquit uvas.

Proprie autem *coqui* de vindemia. Virgil. I. Georg. 522.

Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

Hinc *coctura* dicebatur ea coeli temperies, quae uvas maturas reddebat. Vide Plinium lib. XIV. cap. IV. & cap. VI. Martial. lib. II. Ep. 40.

Caecuba ſaccentur, quaeque annus coxit Opimi.

Et XIII. 115.

Caecuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis.

Ubi vide Scriverii Notas. Nam aliud eſt *decoquere olus* apud Horatium II. Sat. I. 74. & *humorem muſti Vulcano decoquere* apud Virgil. lib. I. Georg. 295. HEINSIUS.

84. *Quae fuit herba.*] Scripti plerique, *quod.* & recte. vid. ſupr. *Ys.* 10. IDEM.

86. *Primum.*] *Primo* novem ſcripti & quidam editi.

88. *Aucta ſuis.*] *Acta* rectius. ſic infr. 106.

Et mala radices altius arbor agit. BERSMAN.

Acta etiam in multis eſt codicibus, ſed retineo tamen, *aucta*: nam *agere radices* quin dicatur elegantер, & ſaepe apud Rei ruſticae ſcriptores occurrat (vid. ad lib II. Met. 583.) nullum eſt dubium. ſed *Arbor acta viribus in immenſum*, an recte dicatur probandum erat. vid. IV. Met. 650. BURMANNUS.

91. *Paratur.*] *Paretur* Farneſianus. bene. HEINS.

92. *Invaluere.*] *Convaluere* libri tres. Cicero, *ne rei crudelitas experrecta in me, in vos convaleſcat.* hoc eſt vires & robur aſſumat. idem, *impune ad omnium perniciem convaleſcet.* BERSMAN. *Invaluere* multi ſcripti, & hoc Douza & Francius probabant. nihil muta tamen. XI. Met. 477.

Nam poſtquam peſtifer ignis
Convaluit.

Quinctil. V. Inſt. 13. *Flamma quae magna congerie convaluerat.* vid. ad Petron. cap. CXXVI. BURM.

93. *Nec te venturas differ in horas.*] *Profer* Puteaneus optimus. longe elegantius. ſic & infra apud noſtrum *Ys.* 642. meliores membranae:

Nec, ſi ſcire voles, quid agat tamen illa rogabis.
Profer, erit lucro lingua retenta ſuo.

Apud Terentium Andria II. I. 29. *ſaltem aliquot dies profer.* quod Donatus interpretatur, *produc, differ.* Hinc *res prolata*; qui loquendi modus occurrit frequentiſſimus apud optimos Latinitatis auctores. Statius Thebaidos tertio 664.

Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti
Obvius ire pares, veniſve aut alite viſa
Bellorum proferre diem.

Sic ſcribo. cum *ventiſque* nunc circumferatur. extiſpicium deſignat. quomodo & jam ante apud eundem 457.

Maculoſa bidentum
Corda negant, diraque nefas minitantia vena.

Res in poſterum diem prolata, apud Gellium libro primo cap. XXIV. idem Stat. lib. V. Silv. III. 133.

Atque ibi dum profers annos vitamque ſolutam,
Protinus ad patrii raperis quinquennia luſtri.

Quomodo & ibi caſtigandum. *vitam ſolutam* pro otioſa capio, & nullis occupationibus adſtricta. *vitam ſalutas*, quod nunc ibi expreſſum exſtat, ad rem non facit. Apulejus tertio Floridorum: *Cum impedita eſſet imbri recitatio in propinquum diem vobis*

Verba dat omnis amor, reperitque alimenta morando.
Optima vindictae proxima quaeque dies.
Flumina pauca vides de magnis fontibus orta:
Plurima collectis multiplicantur aquis.
Si cito senſiſſes, quantum peccare parares,
Non tegeres vultus cortice, Myrrha, tuos.
Vidi ego, quod primo fuerat ſanabile, vulnus
Dilatum longae damna tuliſſe morae.
Sed, quia delectat Veneris decerpere flores,
Dicimus adſidue, Cras quoque fiet idem.
Interea tacitae ſerpunt in viſcera flammae;
Et mala radices altius arbor agit.
Si tamen auxilii perierunt tempora primi,
Et vetus in capto pectore ſedit amor;
Majus opus ſupereſt: ſed non, quia ſerior aegro
Advocor, ille mihi deſtituendus erit.

Quam

bis volentibus protuli. Symmachus libro primo Epiſtola XXXIII. *Diu ſcribendi operam protuliſti.* HEINS. Elegans quidem uſus verbi *proferre*, ſed exempla ab Heinſio adducta magis probant, *res*, *tempus* & ſimilia *proferri*, quam ipſos *homines*: *differre* vero *aliquem* recte dici conſtat. ſic lib. XIII. Met. 519. *vivacem differtis anum.* Juſtin. lib. IX. 6. *Cum variis fruſtrationibus non ſine riſu differretur.* & ita alii. quare vulgatam non movere ſum auſus. BURMANNUS.

95. *Omnis amans.*] *Amor* libri duo. recte. BERSM. *Amans* fere omnes ſcripti & editi olim. ſed *amor* Aldus, Heinſius & alii receperunt. *recipitque alimenta*, Sarravii codex.

97. *Flumina magna vides parvis de fontibus orta.*] Aldina lectio habet:

Flumina pauca vides magnis de fontibus orta.

Quod eſt: Flumina non ſtatim ab ortu ſuo magna ſunt, ſed plerunque augentur in curſu, aquis undecunque acceptis. Quae lectio melior videtur, eo quod ſequitur, *Plurima collectis*, *&c.* Habent enim collationem inter ſe, *pauca* & *plurima*. MICYL.

Flumina pauca vides magnis de fontibus orta.

Haec multo melior lectio, quam illa altera, quam repetere nihil eſt neceſſe. CIOFANUS. Firmat lectionem hanc locus lib. II. 343.

Naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo,
Quaque venit multas accipit amnis aquas.

Quinctil. lib. VIII. Inſt. cap. 3. inter exempla falſarum ſimilitudinum, quae a Declamatoribus ubique cantari ſolebant, adfert, *Magnorum fluminum navigabiles fontes ſunt.* BURMANNUS.

99. *Quantum peccare.*] Forte, *quam tu peccare.* HEINSIUS. *Peccare* hic pro peccato ponitur. ita *ipſum amare te pudet*, Quinct. Decl. XV. 9. vid. ad Nuc. *Ys.* 5. BURMANNUS.

203. *Veneris decepere flores.*] *Fructum* prima editio cum Puteaneo, Regio & quatuor aliis. multi, *fructus* vel *florem*. parum refert. Puto, *praecerpere* eſſe ſcribendum. nimirum antequam deſinamus amare. HEINSIUS.

104. *Cras quoque fiet idem.*] Platonicus Nigrinus apud Lucianum diſcipulis ſuis ſolebat inculcare, Δεῖν ἀμέλλητον εἶναι τὴν πρὸς τὰ καλὰ ὁρμήν. *Nullam procraſtinationem rebus bene gerendis oportere adhiberi.* Notum & illud Heſiodi:

Αἶψα δ' ἀμβουλιεργὸς ἀνὴρ ἄτῃσι παλαίει.

Tranſtulit in Satyram quintam Perſius haec Naſoniana ad verbum fere.

——— *Petite hinc juveneſque ſenesque*
Finem animo certum, miſerisque viatica cenis.
Cras hoc fiet. idem cras fiet. quid? quaſi magnum
Nempe diem donat. ſed cum lux altera venit,
Jam cras heſternum conſumſimus. ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paullum erit ultra.

Apud Petronium in Satyrico cap. XLV. *Quod non eſt hodie, cras erit. ſic vita truditur.* ad quem locum plura. Noſter modo vers 94.

Qui non eſt hodie cras minus aptus erit.

Hinc lucem foeneratur illud incerti poëtae apud Suetonium in vita Domitiani:

Nuper Tarpeio quae ſedit culmine cornix,
Eſt bene non potuit dicere, dixit erit.

Eſt enim *craſſare* cornicis, quo alluſit poëta. cave credas aliam vocem ab illa emiſſam. HEINSIUS. *fiat idem* duo codices. vide Caſaub. ad Perſ. Sat. v. 66.

105. *Tacite ſerpunt in veſcera.*] *Placidae* unus Heinſii. *per viſcera* Sarravii & Palatin. & mox *ut mala radices* unus codex.

108. *In capto pectore ſedit amor.*] *In cauto* ſeptem libri. Puto, *incauto pectore*. Art. III. 743.

Quam laesus fuerat partem Paeantius heros,
Certâ debuerat praesecuisse manu.
Post tamen hic multos sanatus creditur annos
Supremam bellis imposuisse manum.
Qui modo nascentes properabam pellere morbos,
Admoveo tardam nunc tibi lentus opem.
Aut nova, si possis, sedare incendia tentes:
Aut ubi per vires procubuere suas.
Cum furor in cursu est, currenti cede furori.
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
Pugnat in adversas ire natator aquas.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.
Adgrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam sinet, & veris vocibus aptus erit.
Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetet? non hoc illa monenda loco.

Cum

— *Incauto paulatim pectore lapsus*
Excipitur miseri spiritus ore viri.

Infra 148.

Affluit incautis insidiosus amor.

Vulgata tamen scriptura controversa haud movenda temere. Heinsius. vid. supr. ad Ars. 34.

111. *Qua laesus fuerat partem.*] *Quam* veterrimus Regius, ut sit Graecismus, in quibus elegantiis est multus Noster. supra 15. *collum nodatus laqueo. teneram cuspide laesa manum* Fast. IV. 120. atque ita alibi infinitis propemodum locis. Heinsius.

112. *Debuerat celeri praesecuisse manu.*] *Certâ debuerat* Puteani & Jureti codex. neque aliter Regius, nisi quod in eo mendose, *Cetera debuerat.* Amor. III. Eleg. X. 26.

Viderat Iasium Cretaeâ diva sub Idâ
Figentem certâ terga ferina manu.

Martial. lib. VI. 32. de Othone:

Damnavit multo staturum sanguine Martem,
Et fodit certâ pectora nuda manu.

Idem Spectaculis Epigr. 13.

O quam certa fuit librato dextera telo!

Sic *certa sagitta* Met. I. Fabula Daphnes. *certa securis* Pont. IV. Eleg. IV. *certi venatus* apud Claudianum Conf. Olybr. 187. ubi nonnihil dictum est. Heinsius. *Debuerat laesi* Bernens. quod quid sit nescio. nobis *certa* placet. Statius IV. Theb. 334.

Difficilesque manus, & nullo in vulnere certae.

Vide ad Epist. XIX. 116. & Quinct. IV. 5. *Certa manus uno telo posset esse contenta, incertae plura spargenda sunt.* Burm.

113. *Post tame hic* (Philoctetes) *multos sanatus creditur annos, Supremam bellis imposuisse manum.*] Hac de re hic Noster lib. XIII. Metamorph. & Q. Smyrnaeus lib. IX. & X. praetermissorum ab Homero. *Sanatus*, a Podalirio. Idem Smyrnaeus lib. IX. Ciofanus.

115. *Pellere.*] Regius, *tollere.* ut in lib. I. ex. Pont. III. 23. *Tollere nodosam nescit medicina podagram.* Celsus lib. II. cap. 14. *Potest morbus, etiam qui per se finem habiturus est, tamen citius adhibito auxilio tolli.* & lib. IV. 18. τενεσμὸς *facile tollitur.* & ita ille & alii medici saepe. *pellere* & *tollere* saepe confusa, ut I. Amor. XI. 8. III. Art. 379. & alibi. *pellere morbos* tamen recte dicitur. ut *pellere noxas* Fast. VI. 129. Burm.

116. *Nunc quoque lentus.*] *Nunc tibi* meliores libri. recte. Heinsius. *Admoveam* etiam codex Cantabrig.

118. *Procubuere.*] *Succubuere* Puteaneus a. m. pr. *aut ubi per longas succubuere moras* Patavin. qui & *tenta* versu praecedenti.

119. *Dum furor.*] *Cum* prima editio, & meliores scripti. Heinsius.

121. *Qui cum discedere possit.*] *Descendere* iidem. probe. malo etiam, *Pugnet* sequenti versu, quam *Pugnat.* Heinsius. Curtius lib. IV. 7. *Secundo amne descendit ad Maeotim paludem.*

123. *Arte respuit.*] Francius volebat, *Artem respuit. impatiens animi* etiam erat in Sarraviano & Mazariniano.

Cum dederit lacrimas, animumque expleverit aegrum;
Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporis ars medicina ferè eſt. data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando;
Temporibus ſi non adgrediare ſuis.
Ergo, ubi viſus eris noſtrae medicabilis arti,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Haec, ut ames, faciunt: haec, ut fecere, tuentur:
Haec ſunt jucundi cauſſa cibusque mali.
Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemtaeque jacent, & ſine luce, faces.
Quam platanus vino gaudet, quam populus undâ,
Et quam limosâ canna paluſtris humo;
Tam Venus otia amat. qui finem quaeris amoris,
(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.
Languor, & immodici ſub nullo vindice ſomni,
Aleaque, & multo tempora quaſſa mero,

Eri-

riniano. ita *patiens animi* Claud. Conſ. Manlii. 211. vide Heinſ. ad Claud. Bell. Gild. ℣s. 281. Burm.

129. *Animumque expleverit aegrum.*] *Impleverit* ſcripti cum primâ editione. Heinsius. Neſcio cur *expleverit* repudiandum, cum ſaepius ita loqui ſoleant optimi ſcriptores. Terent. Hecyr. v. 1. 29. *Exple animum iis, teque hoc crimine expedi.* & alibi. praeterea non tam impletur animus lacrymis, quam expletur; ſic dicit IV. Triſt. 3.

Expletur lacrimis, egeriturque dolor.

Explere enim & *egerere* idem fere notat, & pro minuere poni docet Servius ad Virgilii VI. Aeneïd. 545. & ita infr. 533.

Explenda eſt ſitis iſta tibi, qua perditus ardes. II. Amor. 6.

Expleta eſt annis iſta querela ſuis.

Juſtin. v. 4. *Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exſecrationes precibus.* In quibus omnibus contrariam τοῦ *implere* ſignificationem habet hoc verbum. mox *inde dolor* Heinſius, vel *aegrum illa, dolor &c.* volebat. Burmannus.

131. *Temporibus medicina valet.*] Veterrimus Regius, *Temporis ars medicina ferè eſt.* eleganter mehercules. hoc eſt, ars quae ſe ad temporis opportunitatem componit. ſic *Temporis arma* dixit Triſt. IV. El. ult.

Inſolitâ cepi temporis arma manu.

Arma, ad quae capienda temporis neceſſitate compellebar. Ubi fruſtra vir maximus *tum prius* reponit. ſic I. Art. 357.

Medici quoque tempora ſervant.

De voce *fere* vid. ad Epiſt. XVIII. 58. Heinsius.

135. *Noſtra medicabilis arte.*] *Noſtrae arti* Regius, Puteaneus, & tres alii. probe. Idem. *primâ arte* duo codices & Edit. pr.

137. *Haec, ut fecere, tuentur.*] In nonnullis, *haec quod fecere.* Naugerius. *Ut fecere* iidem. hoc eſt, ubi, poſtquam fecere, aut quemadmodum fecere, ita & tuentur. Multi alii, *quae fecere.* Heinsius. vid. ad Epiſt. IV. 25.

138. *Haec ſunt jucundi.*] *Haec tibi jucundi* unus Heinſii. *mihi* Patavin.

140. *Contemtaeque.*] *Deceptaeque* Bernenſ.

141. *Quam platanus rivo gaudet.*] *Limo* tres ſcripti. ſed Regius & Scaligeri excerpta optime, *vino.* Atque ita jam reſtituit exactiſſimus Gronovius, qui videndus Obſervationum lib. I. cap. V. Neque aliter Douza divinarat in ora codicis ſui: hinc *platanum genialem* Noſter dicit Met. X. 95. Heinsius. In Francof. erat a manu prima, *Phoebo gaudet.* vide ad II. Art. 697. Douza adſcripſerat locum Macrob. III. cap. 13. & hinc etiam *genialem* Platanum in Metamorph. dici putabat. *vivo gaudet* Berſmanni margo.

143. *Finem qui quaeris amoris.*] *Amori* rectius duo libri. ſic infra 308. *hinc odiis ſemina quaere tuis.* quomodo & illic videtur ſcribendum. & mox ex antiquis libris. 643.

Tu quoque qui cauſam finito quaeris amori.

Heinsius. Infr. 539.

Malis faciunt & taedia finem.

Et VI. Met. 82. *Operi victoria finis.* ubi vide. *quaeris amandi* hic unus Heinſii.

145. *Sub nullo vindice ſomni.*] *Judice* editiones

Eripiunt omnes animis ſine vulnere nervos,
Adfluit incautis inſidioſus Amor.
Deſidiam puer ille ſequi ſolet. odit agentes.
Da vacuae menti, quo teneatur, opus.
Sunt fora: ſunt leges: ſunt, quos tuearis, amici:
Vade per urbanae candida caſtra togae.
Vel tu ſanguinei juvenilia munera Martis
Suſcipe: deliciae jam tibi terga dabunt.
Ecce fugax Parthus, magni nova cauſſa triumphi,
Jam videt in campis Caeſaris arma ſuis.
Vince Cupidineas pariter Parthasque ſagittas:
Et refer ad patrios bina tropaea Deos.
Ut ſemel Aetolà Venus eſt à cuſpide laeſa;
Mandat amatori bella gerenda ſuo.

Quae-

antiquae & plerique ſcripti. ſed perperam. II. Amor. XIX. 45.

Nox mihi ſub nullo vindice ſemper erit.

In Cantabrigienſi & alio erat, *immodici tangunt praecordia motus.* quod repetitum ex vers. 79. ut ſaepe librarios feciſſe deprehendimus. BURM.

147. *Animo ſine vulnere vires.*] *Nervos* ſcripti meliores. *animis* etiam rectè quidam. HEINS.

148. *Adfluit.*] Viginti duo ſcripti, *adſuit.* ſed fruſtra. elegans enim verbum minime movendum. ſic & apud Virgilium lib. x. Aeneïd. 143. ex MSS. legendum fuit:

Adfluit & Mneſtheus.

Vulgo, *adſuit.* Juſtin. XXVI. 2. *cum novus illi hoſtis, Gallograeciae exercitus, adfluxiſſet.* & ſic apud Avienum fab. XXXIV. vulgo legitur:

Confectus ſenio, poſtquam gravis adfuit aetas,
Heu fruſtra alterius ſaepe rogavit opem.

Ubi Heinſius in ora codicis ſui notavit legendum, *adfluit.* rectè, ſi modo ſequenti verſu legas, *rogabit*: eſt enim Virgiliana imitatio ex lib. I. Georg. 158.

Heu fruſtra alterius magnum ſpectabis acervum.

BURMANNUS.

148. *Inſidioſus.*] *Deſidioſus* ſeptemdecim libri, *invidioſus* Bernenſis.

151. *Et quos tuearis.*] *Sunt quos* Aldina poſterior & eum ſecutae aliae, & omnes fere ſcripti.

152. *Urbanae ſplendida caſtra togae.*] *Candida caſtra* venuſte Jureti codex. age candidatum, inquit, atque in ambitu honorum mentem diſtrahe. hinc Ciceronis oratio in *candida toga*, cujus fragmenta exſtant apud Aſconium & alios. HEINSIUS. Vide Ferrar. de Re veſtiar. lib. I. 33.

153. *Vel tu.*] *Vel tibi* unus Heinſii.

160. *Mandat amatori bella gerenda ſuo.*] Hoc eſt: Ipſa quidem abſtinet de cetero bellis, gerenda autem eadem committit amatori ſuo, id eſt Marti, à quo amabatur, & à quo adulterio etiam cognita fuerat. MICYLLUS.

161. *Quaeritur Aegiſthus.*] *Quaeritis* Scaligeri excerpta. probe. Faſt. V. 2.

Quaeritis unde putem Majo data nomina menſi?

Et eodem libro 526.

— *Nunc ubi ſit quaeritis? urna tegit.*

lib. IV. 871.

Cur igitur Veneris feſtum Vinalia dicant
Quaeritis?

Propertius lib. II. Eleg. I.

Quaeritis, unde mihi toties ſcribantur amores?

Noſter infr. 487.

Quaeris, ubi invenias, Artes, i, perlege noſtras.

Epiſt. XII. 199. *Dos ubi ſit quaeris?* & ſic alibi quoque. HEINS. Propert. III. Eleg. 12.

Quaeritis, unde avidis nox ſit pretioſa puellis?

164. *Quo tulerat.*] In veteribus, *tranſtulerat.* mihi prior magis placet. NAUGERIUS. Scripti omnes cum primâ editione, *Tranſtulerat.* ſic Faſt. II. 279.

Tranſtulit Evander ſilveſtria numina ſecum.

Lib. VI. 428.

Imperium ſecum transferet illa loci.

Lib. XII. Met. 24.

Permanet Aoniis Nereus violentus in undis,
Velaque non transfert.

Claudian. bello Gild. 374.

—— *Socia comitentur claſſe Sicambri,*
Pallida tranſlatum jam ſentiat Africa Rhenum.

Virgil. II. Aeneïd. 326.

—— *Ferus omnia Juppiter Argos*
Tranſtulit.

Caeterum Regius veterrimus, *Tranſtulerant Graecia.* quod non eſt de nihilo. Faſt. lib. I. 393.

Feſta corymbiferi celebrabant Graecia Bacchi.

Quomodo & illic liber unus ex melioribus. & mox 516.

Juraque ab hac terrâ cetera terra petent.

Ita-

Quaeritis, Aegisthus quare sit factus adulter?
In promtu causa est: desidiosus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis:
Transtulerat vires Graecia tota suas.
Sive operam bellis vellet dare, nulla gerebat;
Sive foro, vacuum litibus Argos erat.
Quod potuit fecit; ne nil ageretur, amavit.
Sic venit ille puer: sic puer ille manet.
Rura quoque oblectant animos, studiumque colendi:
Quaelibet huic curae cedere cura potest.
Colla jube domitos oneri supponere tauros;
Sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Obrue versatâ Cerealia semina terrâ,
Quae tibi cum multo foenore reddat ager.

Ad-

Ita vetustissimus Zulichemianus. Fast. II. 38.
Graecia principium moris dedit. illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putant.
Sic ibi optimus Mazarinianus & duo alii. Fast. I. 217.
In pretio pretium nunc est. dant census honores,
Census amicitias.
Ita optimus codex Arondelianus. sic *vicinia spernebant.* de quo Fast. III. ỳs. 189. & Met. II. vers. 688. & apud Silium lib. III. 288. codex itidem egregius exhibebat:
Vos quoque desertis in castra mapalibus itis
Misceri gregibus Gaetulia sueta ferarum.
Plures invenies hujusmodi loquendi modos in commentario Gronoviano de Pecunia Veteri. lib. II. cap. IV. HEINSIUS.

166. *Argos.*] Ita recte Douza & Heinsius. *Argus* aliae editiones.

167. *Quod potuit, fecit; ne nil ageretur, amavit.*] Regius cum Puteano & Scaligeri excerptis rectius:
Quod potuit, ne nil illic ageretur, amavit.
Non damnanda penitus vetus scriptorum & editorum lectio. sic Epist. XIX. 17.
Quod supereſt, facio, teque, o mea sola voluptas,
Plus quoque, quam reddi quod mihi possit, amo.
Et Epist. VIII. 4. multi scripti. *Quod* (vel *quae*) *potui, feci.* In Codice Bernensi deerat *illic* & legebatur:
Quod potuit ne nil ageretur amavit. BURM.

169. *Rura quoque oblectant.*] *Oblectent* malim. HEINSIUS.

171. *Colla jube domitos.*] *Indomitos* quidam ex melioribus. IDEM. *Submittere* Ed. prim. & duo scripti.

172. *Sauciet.*] *Sentiat* Leidensis.

173. *Cerealia semina.*] Farnesianus, *munera.* Pont. III. Eleg. VIII.
Foemina pro lanâ Cerealia munera frangit.
Medicamine Faciei ỳs. 4.
Cultus humum sterilem Cerealia pendere jussit
Munera.
Quibus locis tamen nonnulli codices, *semina.* Avienus Descriptione Orbis ỳs. 1300.
Hi quanquam steriles decurrant semper arenas,
Munera nec carpant Cerealia.
Sic & *munus Cereale* apud Ausonium Epig. CXXVI. Priscianus Periegesi:
Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt.
Epigramma in Catalectis Pithoei de mensibus:
Quintilis messis Cereali germine gaudens.
Sic scribe; non *mensis. Cerealia dona* Noster Fast. I. 683.
Neve graves cultis Cerealia dona, cavete,
Agmine laesuro depopulentur aves.
Nemesianus Cynegetico:
Tunc rursus miscere sero Cerealia dona
Conveniet.
Avienus Ora Maritima 502.
Qua dona flavae Cereris educat solum.
At Amor. lib. III. Eleg. VI.
Nunc opto currum, de quo Cerealia primum
Semina venerunt in rude missa solum.
Ita ibi constanter codices. ut & Met. I. 123.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt. HEINSIUS.

174. *Cum multo foenore.*] Respexisse puto Tibulli locum lib. II. 7. 3.
Spes sulcis credit aratis
Semina, quae magno foenore reddat ager.
Quem locum citans Heinsius ad Epist. III. Sabini 91. legit *multo foenore.* sic *ingenti foenore* dixit I. Fast. 694. & Senec. Hippol. 455.
Seges illa magnum foenus agricolae dabit.
Sed a librario tamen profectam esse lectionem codicis Heinsiani unius, *cum justo foenore*, vix mihi persuadere possim; qui sciam passim Auctores agros comparare debitoribus, unde *credita reddere, respondere*,

Adſpice curvatos pomorum pondere ramos;
Ut ſua, quod peperit, vix ferat arbor onus.
Adſpice jucundo labentes murmure rivos:
Adſpice tondentes fertile gramen oves.
Ecce petunt rupes, praeruptaque ſaxa, capellae.
Jam referent haedis ubera plena ſuis.
Paſtor inaequali modulatur arundine carmen:
Nec deſunt comites, ſedula turba, canes.
Parte ſonant aliâ ſilvae mugitibus altae;
Et queritur vitulum mater abeſſe ſuum.
Quid? cum ſuppoſitas fugiunt examina taxos,
Ut relevent demti vimina torta favi?

Po-

pondere, *fallere* & ſimilia paſſim occurrunt. ita *gratus ager* II. Am. XVI. 8. *Juſtum* igitur *foenus*, vel quod jure debet cultori ſuo. vel plenum, cui nihil deeſt, ut ita *juſta arma &c.* vide Broukhuſ. ad d. l. Tibulli. BURM.

177. *Adſpice labentes.*] *Liquaces* pro diversâ lectione optimus Puteaneus. eleganter. à *liquando*. ſic Noſter in Faſtis IV. 152.

—— *Expreſſis mella liquata favis.*

Id inverterunt, qui primam ſyllabam non poſſe produci crediderunt. Met. VIII. 457.

—— *Flagrantem mater ab igne*
Eripuit ramum, ſparſitque liquacibus undis.

Ita illic etiam vetus codex. Met. III. 486.

Quae ſimul aſpexit liquaci rurſus in unda.

Ita cenſeo ſcribendum, vel *liquenti*. Nam vulgatum *liquefacta unda* omnino ineptum eſt. etiam apud Prudentium Cathemer. Hymno V. parum abeſt quin reponendum cenſeam:

Cui jejuna heremi ſaxa liquacibus
Exundant ſcatebris, & latices novos
Fundit ſciſſa ſilex.

Quanquam non ignoro *loquaces* etiam *ſcatebras* dici poſſe. ſed ſane quod in nonnullis exemplaribus illic legitur, *madentibus ſcatebris*, gloſſema eſt τοῦ *liquacibus*. De ejuſmodi vocibus nonnihil dixi Amorum lib. II. Eleg. VI. ỳs. 23. HEINSIUS. Vix audeo mutare. vid. ad II. Amor. XVI. 5. ubi etiam Francof. *liquantibus*. & ibid vers 9. *labentibus*. ſi quid novarem, reciperem ex uno codice Heinſiano, *ludentes rivos*, de quibus egimus ſupra Epiſt. IX. 53. eadem varietas V. Met. 387. BURMANNUS.

179. *Ecce petunt rupes, praeruptaque ſaxa capellae.*] Concurſus ille idem fere ſonantium ſyllabarum, *rupes praeruptaque*, ſcabri quid tinnire videtur. certe idem Heinſii aures offendit lib. I. Met. 719. qui pro *praeruptam rupem* ex MSS. reſcripſit *cautem*. praeterea *rupes & ſaxa praerupta* fere idem notant. in Voſſiano erat, *montes praeruptaque ſaxa*. quod defendi poſſet ex Catonis Diris vers. 134.

Haedorum pater ô felix, ſemperque beate,
Sive petis montes praeruptos, ſaxa pererrans.

Ubi mallem, *ſive petens montes praeruptaque ſaxa pererras*: nam *pererras* in codice veteri invenit Heinſius. & *montes* & *rupes* paſſim commutantur. ita IV. Faſt. 511. *Redigebat rupe capellas*. ubi alii, *monte*. *ſcopulos praeruptaque ſaxa* conjungit Silius lib. II. 33. in alio codice erat, *ramos*. unde Heinſius, *campos*. latet aliquid. forte, *dumos praeruptaque ſaxa*. ſic *dumoſa ſaxa* X. Met. 535. Virgil. Ecl. I.

Dumoſa de rupe procul pendere videbo.

III. Georg. 315.

Et amantes ardua dumos.

Columella lib. VII. cap. 6. de Caprino pecore, *id genus dumeta potius quam campeſtrem ſitum deſiderat. &c.* Avienus in Ora Maritima ỳs. 217.

Hirtae hic capellae, & multus incolis caper
Dumoſa ſemper intererrant ceſpitum.

Dumi vero maxime in rupibus & montibus. ſic Ammian. XIV. 2. *Coactique ad eas perſequendas ſcandere clivos ſublimes, etiamſi lapſantibus plantis, fruticeta prenſando vel dumos, ad vertices venerint ſummos. ſaxa & dumos* conjungit Silius lib. V. 459. BURMANNUS.

180. *Jam referunt.*] *Ut referant* multi ex ſcriptis. ſed Regius & ſex alii, *Jam referent*. bene. HEINS. Francius corrigebat, *Ecce ferunt*.

181. *Modulatur arundine carmen.*] *Moderatur* Jureti excerpta, & multi alii. *meditatur* unus Mediceus. quod placet. ut initio Tityri Virgiliani. HEINSIUS. Libro tamen I. Amor. Eleg. I.

Muſa per undenos emodulanda pedes.

Et *modulatum carmen* proprie, quod ad modos muſicos eſt exactum. Suetonius Aug. cap. 57. & Neron. 42. Florus & alii. vide tamen & ad XI. Met. 154. BURMANNUS.

185. *Quid cum ſuppoſitos fugiunt examina fumos.*] *Suppoſitos taxos* Jureti excerpta. *compoſitos taxos* Puteaneus. Regius, *compoſitos fumos*. Lego, *ſuppoſitas*

Poma dat autumnus: formoſa eſt meſſibus aeſtas:
Ver praebet flores: igne levatur hiems.
Temporibus certis maturam ruſticus uvam
Deligit; & nudo ſub pede muſta fluunt:
Temporibus certis defectas adligat herbas;
Et tonſam raro pectine verrit humum.
Ipſe potes riguis plantam deponere in hortis:
Ipſe potes rivos ducere lenis aquae.
Venerit inſitio; fac ramum ramus adoptet:
Stetque peregrinis arbor operta comis.
Cum ſemel haec animum coepit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit Amor.

Vel

tas taxos. niſi mavis, *combuſtas taxos.* Virgil. IV. Georg. 47. de apibus:

Nec propius tectis taxum ſine, neve rubentes
Ure foco cancros.

Et Ecloga IX. quae Noſter reſpexit:

Sic tua Cyrnaeas fugiant examina taxos.

Huc & reſpicit Nemeſianus Eclog. I.

Namque prius ſiccis Phocae naſcentur in arvis,
Hirſutusque freto vivet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi.

De fumo apibus noxio ceteroquin res minime ignota. Scholiaſtes Apollonii lib. II. ad illa de Apibus, Καπνῷ τυφόμενοι πέτρης ἔκας ἀΐσσουσιν. conyſae fumo apes fugari aſſerit. ἐιώθασι δὲ καπνίζειν κόνυσαν. δριμὺς γὰρ μάλιστα ὁ ταύτης καπνός. Heinsius.

186. *Demti vimina curva favi.*] *Vimina torta* optimus Puteaneus. quomodo *funes torti*, *capilli torti*, & alia. *retia torta* apud Tibullum lib. IV. III. 12. *Torquere* enim pro flectere. ut *equum* freno *torquere*. Epiſt. IV. ỳs. 46. & 79. poſſet & *vimina querna* legi. nam *vimina curva* non placent. ſic apud Maronem XI. 65.

—— *Querno texuntur vimine crates.* Heinsius. *Demto vimina curva cavo* Mazarin. & Aprolii.

189. *Maturas ruſticus uvas Colligit.*] *Maturam uvam* ſcripti meliores. pro *colligit* Puteaneus & duo alii, *deligit*. ſic Epiſt. IV. 30. *deligere roſam* dixit. hinc *delectus*. ſupra ſub finem lib. III. Artis ſimpliciter dixit, *lecti de vite racemi*. apud Propertium II. XXIII. 106.

Celſaque mortali deligere aſtra manu.
Heinsius.

191. *Defectas alligat herbas.*] *Colligit* prima editio cum ſcriptis nonnullis. codex Moreti pro diverſâ lectione, *aggregat*. Forte *aggerat*, ut de foeno intelligat, quod converritur & in cumulos coacervatur. quos *metam foeni*, & *foeni ſtriam* Rei Ruſticae ſcriptores appellant. hinc *foenum in metam exſtruere* apud Columellam. cui tamen lib. II. cap. XVIII. de foeno *defectam herbam religare*, idem eſt, quod *alligare* Naſoni. per *defectam* igitur *herbam* foenum intelligit. hinc Severus in Aetna 267.

Plenaque defecto ſurgant foenilia campo. Heins.

192. *Verrit humum.*] *Verſat*, vel *vertit* quidam ſcripti. quod videtur probare Berſmannus ex illis Virgil. I. Georg. X. 1. *Quo ſidere terram Vertere*. Male. nam raſtris non *vertitur* terra, ſed *raditur*, unde dicta *raſtra*. vid. Serv. ad Virg. I. Georg. 94. verſatur terra aratro, deinde jacta ſemina raſtris obruuntur, quod proprium in hac re verbum poſuit ſupra ỳs. 173. ut & Columel. II. cap. 13. & Pallad. Aprili Tit. I. hic vero quia *tonſam humum* dicit, intelligit prata defecta, quae verruntur, cum herbae raſtellis in unum converruntur, vel potius poſt foenum avectum reliquiae. *De pratis ſtipulam raſtellis eradi*, ait Varro lib. I. de R. R. 490. Burmannus.

193. *Plantas deponere in hortis.*] *Plantam* ſcripti. deinde nonnulli *deducere* vel *defigere*. Sed nil mutandum. Virgil. Georg. II. 23.

Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis.

Auctor Moreti 70.

—— *Varias diſponere plantas*
Norat, & occultae committere ſemina terrae.

Heinsius. III. Met. 102. ex MSS.

Motaeque jubet deponere terrae Vipereos dentes.

Proprium autem verbum in hac re, quo paſſim Columella, & alii rei ruſticae auctores utuntur. ſic ille lib. III. cap. 5. *Depoſitae ſtirpes valido ſolo.* ex mox, *probatiſſimum genus ſtirpis deponere*. & ita in Moreti loco legendum ex veteri codice, quem vidit Heinſius. Burmannus.

194. *Lenis aquae.*] *Laetus aquae* Lincol.

195. *Ramum ramus adoptet.*] Eleganti hac translatione Poëtis & Noſtro praecipue uſitatiſſima, utitur & Plinius praefatione libri XVI. *ſive illae ultro, ſive ab homine didicere blandos ſapores adoptione & connubio.* venuſtum etiam Callinici Epigramma in Anthologia lib. I. cap. 20. ubi Pyraſter inquit:

Os-

Vel tu venandi ſtudium cole. ſaepe receſſit
Turpiter à Phoebi victa ſorore Venus.
Nunc leporem pronum catulo ſectare ſagaci:
Nunc tua frondoſis retia tende jugis.
Aut pavidos terre variâ formidine cervos:
Aut cadat adversâ cuſpide foſſus aper.
Nocte fatigatum ſomnus, non cura puellae,
Excipit; & pingui membra quiete levat.
Lenius eſt ſtudium, ſtudium tamen, alite captâ,
Aut lino, aut calamis praemia parva ſequi.
Vel, quae piſcis edax avido male devoret ore,
Abdere ſupremis aera recurva cibis.

Aut

Ὀθνείοις ὄζοισι μετέμφυτος, ἤμερα θάλλω.
Οὐκ ἐμὸν ἡμετέροις κλωσὶ φέρουσα βάρος.

BURMANNUS.

201. *Leporem pronum.*] *Parvum* unus Heinſii. male. *pronus* eſt celer, velox. quod probare non eſſet operae, niſi eruditus ille interpres Gallicus reddidiſſet, *pronum, quem facile ſagax canis inveniat.* & in paraphraſi vertiſſet, *obvium catulo.* reperit ſcilicet in lexicis ſuis *pronum* etiam *facilem* ſignificare. hoc eſt illud acumen mentis & judicii, quo ceterarum gentium viros doctos Regii illi interpretes longe antecedunt. x. Met. 537.

Aut pronos lepores, aut celſum in cornua cervum.

Ubi etiam quidam codices *parvos* exhibent. ibidem 652.

Cum carcere pronus uterque
Emicat.

Ita *pronos menſes* Horatius dixit lib. IV. Od. 6. corrupta & haec vox apud Claudianum in *parvum* tranſiit. II. de Rapt. 101.

Curvata tumore
Prono planities.

Ita Junianus codex. vulgo *parvo.* apud Lucretium quoque lib. VI. 26.

Atque viam monſtravit tramite prono.

Lambinus ita ſe ex MSS. reſtituiſſe dicit, cum vulgo *parvo* legeretur. BURMANNUS.

202. *Nunc tua frondoſis retia tende jugis.*] Puto, *nunc ſua.* ut ſaepe Noſter. ſupra 176.

Ut ſua, quod peperit, vix ferat arbor onus.

Superiori verſu, *catulo ſequaci* pro *ſagaci* codex Jureti. ſed nil muta. eſt enim *ſagax* perpetuum canum epitheton. Noſter XI. Met. 599.

——— *Canibuſque ſagacior anſer.*

Halieut. de canibus 76.

Venandique ſagax virtus.

Seneca Thyeſte 497.

Sic cum feras veſtigat, & longo ſagax
Loro tenetur Umber.

Idem Hippolyto de canibus 39.

Nunc demiſſi nare ſagaci Captent auras.

Vide Feſtum in *ſagaces.* Servius de Anubide lib. VIII. Aeneïd. 698. *quidam hunc Mercurium volunt, quia nihil eſt cane ſagacius.* ſic Ennius quoque & Gratius de canibus, aliique paſſim. HEINSIUS. Neſcio an *prono lepori* conveniat *catulus ſagax*, qui melius cubantem inveſtigare, quam pronum ſectari poſſit. *ſequax* melius conveniret, ſed offendit merito *catulo ſectare ſequaci.* quid ergo? reponerem, *catulo ſectare fugaci*, id eſt celeri, veloci, de quo vocabulo vide ad Epiſt. IV. 46. talem vero canem Gratius ad hanc venationem inſtruit in Cynegetico ſuo ℣s. 183. BURMANNUS.

203. *Aut pavidos terre varia formidine cervos.*] In Palatino, *Aut terre victos*, quod eſt, *Aut terre pavida victos formidine cervos.* DAN. HEINSIUS. Nihil muta, *varia* formido eſt picta, diverſis maculis & coloribus diſtincta: ita Firmicus lib. VIII. cap. IX. *varios caſſes* dixit. *varia veſtis* Terent. Eunuch. IV. 4. vid. Munk. ad Hygin. fab. 223. De *formidine* Colvium & Caſaub. ad Apulej. Apolog. unus Heinſii, *vana formidine*, etiam non male. BURMANNUS.

206. *Pingui membra quiete levat.*] Sic Regius cum Scaligeri excerptis, & Puteaneus pro diverſa lectione. Reliqui fere, *dulci quiete.* perperam: dictum Notis ad Epiſt. XII. ℣s. 170. & I. Amor. XIII. 7. HEINSIUS. *Leni* unus codex.

207. *Lenius eſt ſtudium, ſtudium tamen.*] *Prodeſt tamen* editiones veteres, & ſcripti ſeptemdecim. mox, *aut calamo* unus Heinſii.

210. *Abdere ſupremis aera recurva cibis.*] Sic & ſcripti. quod tamen vix concoquo. quid enim *ſupremi cibi?* Forte, *ſub tremulis cibis.* ſic *tremula ſeta.* Martial. I. Ep. 56.

Nunc piſcem tremula ſalientem ducere ſeta.

Seneca Hercule Furente ℣s. 157. *Sentit tremulum linea piſcem.* apud Lucanum libro II. 621. *Tremulo contentae fune carinae. tremuli cibi.* ſic *quatere cibos* in piſcatione cum hamo. Theocritus: ἐκ καλάμων δὲ πλάνον κατέσειεν ἑδωδάν. ſed verum eſt, *ſub primis cibis*, quod in uno codice exſtat. HEINS.

Su-

Aut his, aut aliis, donec dediſcis amare,
Ipſe tibi furtim decipiendus eris.
Tu tantum i, quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul, & longas carpere perge vias.
Flebis, ut occurret deſertae nomen amicae:
Stabit & in mediâ pes tibi ſaepe viâ.
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento:
Perfer: & invitos currere coge pedes.
Nec pluvias vites: nec te peregrina morentur
Sabbata; nec damnis Allia nota ſuis.
Nec quot tranſieris, ſed quod tibi, quaere, ſuperſint
Millia: nec, maneas ut prope, finge moras.

Tem-

Supremi cibi ſunt ultimi, quos piſces ex hamo capiunt, mox leto dandi, & eſca homini futuri. ita millies *ſupremus* pro ultimo, quod putidum foret exemplis confirmare. *addere* in multis quoque eſt. male. Tibul. II. Eleg. VI.

Cum tenues hamos abdidit ante cibus.

Tegere dixit Noſter lib. VI. Faſt. 240. BURM.

211. *Dediſcis.*] *Deſiſtis* Sarravianus & alius. vid. ad lib. VI. Met. 307. eadem varietas mox 297. IDEM.

213. *Tu tantum quamvis firmis retinebere vinclis, I procul, & longas carpere perge vias.*] Ita Regius cum vulgatis, ceteri majori ex parte cum prima editione, *Tu tamen &.* duo, *Tu tamen infirmis quamvis.* quartus Puteaneus, *Tu tamen hic quamvis.* Jureti codex, *Tu tandem firmis quamvis*, & tres alii. Scribe:

Tu tamen i, quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul.

Dixi Amor. lib. III. Eleg. III. niſi mavis, *Tu tamen hinc i procul*: deinde, *finge moras* duo. unus, *poſce vias.* alius *perge moras. Rumpere perge moras* unus Vaticanus, ut apud Virgilium, *Eja age rumpe moras.* certe τὸ *vias* cum mox ſequatur, hoc loco alienum videtur. HEINSIUS.

215. *Flebis, & occurret deſertae nomen amicae, Stabit & in media pes tibi ſaepe via.*] Tale exemplum eſt apud Terentium in Eunucho de Phaedria. CIOFANUS. *Ut occurret* omnino legendum, quicquid obnituntur libri veteres. Faſt. II. 388.

Flent tamen, ut geminos in loca juſſa ferunt.

Sic & ibi ſcribendum. HEINSIUS. Vid. ad Epiſt. IV. 25.

217. *Sed quando minus.*] *Quanto* cum ſcriptis. HEINSIUS. *Quo minus ire vides, tanto magis ire memento* unus codex. non male. *ſi voles* legatur. *quanto minus ire voles tanto ire m.* alius. *quantum* etiam editio prima & duo ſcripti. vid. ad IV. Met. 64.

219. *Nec pluvias opta.*] Quae moram tibi abituro injiciant. at prima editio, *vites* cum duobus Farneſianis. lege, *vita.* Sic apud Gratium, *& pluvias & cauri frigora vitent.* & contra *vitare aeſtum.* Amor. III. El. V. & *vitare ſolem* Nuce. HEINS.

219. *Peregrina ſabbata.*] Id eſt Judaea; nam imitatione Judaeorum etiam Romanos hebdomadem dierum, & in ea quoſdam dies, prava imitatione, coluiſſe docet Petitus in Leges Atticas Titulo I. p. 4. BURMANNUS.

220. *Nec damnis alea nata tuis.*] Ita Merula legit: & exponit *Aleam*, ſortes, quae jactu aleae captabantur. Aldina autem lectio habet, *Nec damnis Allia nota ſuis.* quod magis probo: non enim de ſortitione Poëta hic loquitur, ſed de diebus atris & inauſpicatis, quale tum ſabbatum habitum fuit, propter Judaeos: item Allienſis dies, quo Romani à Gallis ad Alliam flumen ſuperati ac caeſi ſunt. de qua re ſupra quoque dictum. MICYLLUS. Diluit id, quo uſus erat lib. I. De Arte, argumento quod erat ejuſmodi:

Tunc licet incipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis ſanguinolenta fuit.
Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palaeſtino ſeptima feſta viro. CIOFAN.

Alea ſcripti perperam. deinde *nata* tres ſcripti cum prima editione. forſan recte. Propertius lib. I. El. VI.

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis.

& apud eundem lib. III. El. VIII.

Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis.

Lib. II. Eleg. XVIII. 4.

O nimis exitio nata theatra meo.

Noſter lib. II. Amor. El. III. 7.

Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.

Paris Sabini:

Tyndaris, heu flammis nata puella meis.

Pont. III. Eleg. I. cum optimis libris:

Telegonique parens vertendis nata figuris.

Eleg. II.

Foemina ſacra facit taedae non nata jugali.

Sic & illic puto ſcribendum. Triſt. IV. El. ult.

Fortia verboſi natus ad arma fori.

Tempora nec numera: nec crebro reſpice Romam.
Sed fuge. tutus adhuc Parthus ab hoſte fugâ eſt.
Dura aliquis praecepta vocet mea; dura fatemur
Eſſe: ſed, ut valeas, multa dolenda feres.
Saepe bibi ſuccos, quamvis invitus, amaros
Aeger; & oranti menſa negata mihi.
Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec ſitiens ora levabis aquâ;
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore majus habet.
Sed tamen eſt artis ſtrictiſſima janua noſtrae,
Et labor eſt unus tempora prima pati.
Adſpicis, ut prenſos urant juga prima juvencos?
Ut nova velocem cingula laedat equum?
Forſitan à Laribus patriis exire pigebit.
Sed tamen exibis: deinde redire voles.
Nec te Lar patrius, ſed amor revocabit amicae,
Praetendens culpae ſplendida verba ſuae.
Cum ſemel exieris, centum ſolatia curae
Et rus, & comites, & via longa dabunt.

Nec

Natus laedere Elegia de Nuce:
At rubus & ſentes tantummodo laedere natae.
Epiſtola Paridis:
O facies oculos nata tenere meos. HEINSIUS.

222. *Nec maneas, nec prope finge moras.*] Sic Merula diſtinguit ac legit, ut ſit ſenſus, nec maneas ſive ſubſiſtas in itinere, nec prope patriam finge velle morari. Melius autem Aldina editio, ubi haec verba diſtinguuntur & leguntur in hunc modum: *Nec maneas ut prope, finge moras.* quod eſt, Ne ipſe tibi finge moras, quo cauſſam manendi ac ceſſandi habeas. MICYLLUS.

224. *Adhuc.*] Hoc addit in adulationem Auguſti, quia inſtabat bellum cum Parthis. vide ſupr. ℣s. 155. & 1. Art. 177.

225. *Dura aliquis.*] *Jure aliquis mea dura vocat praecepta. Fatemur* Regius.

229. *Ut corpus redimas, ferrum &c.*] Argumentum à minori. CIOFANUS.

229. *Patiaris.*] *Patieris* ſcripti. idque ſequens verſus requirit. ubi pro *lavabis* prima editio & ſcripti, *levabis.* ut Epiſt. IV. 174. *arentem quae levet unda ſitim.* HEINSIUS. IV. Triſt. VIII. 26.
Nec ſiccam Getico fonte levare ſitim.

233. *Artis triſtiſſima janua noſtrae.*] *Strictiſſima* decem ſcripti. quod verum eſt. hinc *adſtringere limen.* de quo dixi Notis ad Amor. lib. III. Eleg. 1. ℣s. 50. ſic *janua laxa.* de quo ad Faſtos lib. II. ℣s. 456. HEINSIUS. *Haec artis* etiam duo codices.

235. *Aſpicis, ut prenſos.*] Melius in Palatino, *Aſpicis, ut preſſos urant juga prima juvencos.* DAN. HEINSIUS. *Prenſos* tuetur ad Statium Gronovius cap. IX. & Elencho Antidiatribes pag. 56. qui videatur. alii codices *preſſos. teneros laedunt* Francof. & Leidenſis, quod repetitum ex Epiſt. IV. 21. *domitos urunt* unus codex. *preſſos laedunt* decem.

237. *A Laribus.*] *E Laribus* unus, *ex* alter. ſic *ex aggere exit* XII. Metam. 524. & ſaepe eaſdem praepoſitiones addere amant veteres verbis ex illis compoſitis. eadem varietas IV. Pont. IX. 74.
Exeat è ſtygiis ut mea navis aquis.
Ubi & *a* quidam codices. BURMANNUS.

240. *Praetendes culpae ſplendida verba tuae.*] *Praetendens* primo cum primâ editione & ſcriptis legendum pleriſque; deinde, *culpae facta ſuae* cum Sarraviano. *facta tuae* quatuor alii, ut apud Horatium lib. II. Epiſt. 1.
——— *Scriptores carmine foedo*
Splendida facta linunt. HEINSIUS.

242. *Dabunt.*] *Dabit* Putean. & Regius. Francius volebat etiam, *ut via longa*, id eſt quamtumvis longa.

243. *Eſſe putes.*] Multi, *puta*; rectius. HEINS.

244. *Sine igne cinis.*] *Sine igne rogus* Lincoln. argute, ut quaſi extuleris & ſepelieris omnem amorem.

247. *Quicquid eras fueris, ſitiens aviduſque redibis.*] *Quiſquis es affueris* unus. *Quisquis &* duo.

Quic-

Nec ſatis eſſe puta diſcedere: lentus abeſto;
Dum perdat vires, ſitque ſine igne, cinis.
Si niſi firmatâ properabis mente reverti,
Inferet arma tibi ſaeva rebellis Amor.
Quid? quod, ut abfueris, avidus ſitiensque redibis;
Et ſpatium damno ceſſerit omne tuo?
Viderit, Haemoniae ſi quis mala pabula terrae,
Et magicas artes poſſe juvare putat.
Iſta veneficii vetus eſt via. noſter Apollo
Innocuam ſacro carmine monſtrat opem.
Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra:
Non anus infami carmine rumpet humum.
Non ſeges ex aliis alios tranſibit in agros:
Nec ſubitò Phoebi pallidus orbis erit.
Ut ſolet, aequoreas ibit Tiberinus in undas:
Ut ſolet, in niveis Luna vehetur equis.
Nulla recantatas deponent pectora curas;
Nec fugiet vivo ſulfure victus amor.
Quid te Phaſiacae juverunt gramina terrae,
Cum cuperes patriâ, Colchi, manere domo?

Quid

Quicquid eris fueras alius. unus Vaticanus, *Quid quod & affueris.* proxime verum. Reliqui cum primâ editione, *Quicquid & abfueris.* Regius, *Quicquid & afueris.* Scribe:

Quid quod, ut abfueris, avidus ſitiensque redibis?

Nam poſteriores voces eo legunt ordine ſcripti omnes meliores. de quo dixi Epiſt. VII. ℣s. 53. malim &, *damno ſuo* ſequenti verſu. ſic infr. 642. *Erit lucro lingua retenta ſuo*, ex veteri codice. HEINSIUS. Douza etiam legebat, *Quid, quod ut abſueris.*

249. *Viderit Haemoniae.*] Haec vera lectio eſt, licet *Fallitur* ſit in pleriſque ſcriptis. atque ita loquitur Artis lib. II.

Fallitur Haemonias ſi quis decurrit ad artes.

Adeantur Notae Pont. I. Eleg. II. HEINSIUS.

251. *Veneficii.*] *Veneficiis* Editio Veneta, Micylli & Berſmanni & unus codex.

252. *Sacro.*] Francius *ſancto* malebat: ſed ut *ſacri vates* lib. III. Amor. 9. dicuntur, ita carmina & omnia, quae ad Poëtas pertinent, *ſacra* paſſim vocantur. vide Paſſerat & Broukh. ad Propert. III. 1. 1. Idem Propert. II. XXI. 43.

Pro quibus optatis ſacro me carmine damno. BURM.

253. *Prodire jubebitur umbra.*] Rectius fortaſſe in nonnullis, *videbitur.* NAUGERIUS. Non de cadaveribus mortuorum, ut Merula exponit, ſed de umbris excitandis atque exhibendis loquitur Poëta, quas *viſiones* hodie vocant Necromantici. MICYLL. Male viri docti *videbitur* praeferunt. potentiam enim, quam paſſim jactant ſagae & veneficae, verbo *jubebitur* optime exprimit Poëta. VII. Met. 205.

Et ſilvas moveo, jubeoque tremiſcere montes.

Quinct. Decl. X. 15. *Jubentur hyberni fluviorum ſtare decurſus*, ubi plura ad rem. ut *pallere coegit ſuperos &c.* Vide, quaeſo, Petronii cap. CXXXIV. ubi Enothea jactat:

Cum volo, ſpiſſatis areſcit languida ſuccis. &c.

Mox: *Et juſſi ſtare dracones.*

Et Noſter I. Amor. VIII. 9.

Cum voluit, toto glomerantur nubila coelo.
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.

BURMANNUS.

254. *Infami.*] *Inſano* Micylli editio & duo ſcripti. utrumque habet, quo ſe tueatur, ſed placet magis *infami*, quia hic invidiam magicis artibus facit.

255. *Tranſibit.*] *Exibit* Puteaneus, male. *traducere* dixit Tibul. I. 9. ubi vid. Broukh. & ad Propertium. III. 2. 49.

258. *Ut ſolet, in niveis Luna vehetur equis.*] Credebantur enim veneficae lunam obſcurare carminibus. cujus rei cauſa *niveos* equos hic appellat, ut niveum & atrum inter ſe opponantur. MICYLLUS.

259. *Recantatas.*] *Nullaque cantatas* Moreti. *nulla replantatas* unus Heinſ. *pectore* etiam, ut *nulla puella* intelligatur.

Quid tibi profuerunt, Circe, Perſeïdes herbae,
Cum ſua Neritias abſtulit aura rates?
Omnia feciſti, ne callidus hoſpes abiret:
Ille dedit certae lintea plena fugae.
Omnia feciſti, ne te ferus ureret ignis:
Longus at invito pectore ſedit amor.
Vertere quae poteras homines in mille figuras:
Non poteras animi vertere jura tui.
Diceris his etiam, cum jam diſcedere vellet,
Dulichium verbis detinuiſſe ducem:
Non ego, quod primò (memini) ſperare ſolebam,
Jam precor, ut conjux tu meus eſſe velis.

Et

261. *Quid te Phaſiacae.*] *Paſiphae* Regius & duo alii. tres *Phaſideae.* unus *Phaſiadae.* alius *Perſeïdos.* Lege, *Phaſiados terrae.* dixi Epiſt. XIV. ῾ῦs. 164. ſic *Phaſias* paſſim pro Medea. HEINS.

264. *Cum tibi Neritias abſtulit hora rates.*] Rectius in editione Gryphiana, quod & Palatinus confirmat, *Cum tibi Neritias abſtulit aura rates.* DAN. HEINSIUS. *Cum ſua* optime Regius & alii decem. ita & ſcribo Amor. lib. I. El. VII. ῾ῦs. 54.

Ut ſua populeas ventilat aura comas.

Pro *hora* etiam, *aura* ex primâ editione & ſcriptis praeſtantioribus reponendum. Deinde *Neritias*, quod ſaepius apud Noſtrum occurret, perperam in *Naricias* ſcripti libri plerique mutant. *Narycius* enim eſt Locrenſis. *Neritius* ſeu *Nericius*, Ithacenſis aut Epirora. ſic libro VIII. Met. 312. *Naryciuſque Lelex.* quomodo ſcribendum. rectè *Narycius*, ut hunc Locrenſem à Lelege autochthone primo Laconum rege diſtinguat. Homerus Iliad. B.

Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους,
Οἵ θ' Ἰθάκην εἶχον καὶ Νήριτον εἰνοσίφυλλον.

Et quae ſequuntur; ubi Euſtathius: Νήριτον τὸ ὄρος διὰ τοῦ τ' τὸ γὰρ διὰ τοῦ κ' Νήρικον πόλις Ἠπείρου ὡς δεδήλωται. Hinc Ἰθάκην Νηρικίην dixit Periegetes, quare non penitus eſt damnandum illud *Naricias*, ἀπὸ τοῦ Νηρίκου, ſeu Νᾱρίκου Dorico. quanquam Naſo Homerum in pleriſque ſequitur auctorem. Metam. XIV. 159.

Neritius Macareus comes experientis Ulyſſi.

Et eodem libro 168.

Neritiaeque ratis viderunt fragmina laetis Vultibus.

Et Faſtorum IV. 69. *Dux quoque Neritius* de Ulyſſe. ſic enim meliores. & Triſt. I. Eleg. IV. bis. Idem Euſtathius Neriti montis nomen deducit ἀπὸ Νηρίτου υἱοῦ Πτερελάου ad Odyſſ. P. Nerici oppidi ipſe quoque Homerus meminit Odyſſ. Ω. ſed *Neriti* ſaepius. Noſter lib. XIII. 710.

Et jam Dulichios portus, Ithacamque Samonque, Neritiaſque domos, regnum fallacis Ulyſſi, Praeter erant vecti.

Ubi nihil neceſſe contra auctoritatem veterum librorum *Samenque* reponi. cum Homerus quoque Iliad. B. ubi apparatum claſſis Ulyſſeae deſcribit, loco jam ſupra adducto inter alia:

Οἱ δὲ Ζακύνθου ἔχον, ἠδ' οἱ Σάμην ἀμφενέμοντο.

Ubi Euſtathius: Λέγεται δὲ καὶ Σάμη. ἧς ὁ πολίτης, Σαμαῖος. οἱ δὲ φασὶ καὶ ὅτι ἡ μὲν νῆσος Σάμος λέγεται μόνον. ἡ δὲ πόλις, καὶ Σάμος καὶ Σάμη. atque ita quoque alibi Homerus. In Odyſſea tamen Σάμην vocat frequentius. ut libro A.

Δουλιχίῳτε Σάμῃτε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Quod Virgilius expreſſit lib. III. Aen. 271.

——— *Apparet fluctu nemoroſa Zacynthos, Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua ſaxis.*

Ubi Servius: *Same Cephalleniae civitas. nam Samos in Aſia eſt.* qui non meminerat, praeter hanc noſtram, tertiam quoque eſſe in Thracia, Samothracem dictam. Triſt. I. El. IV.

Nec mihi Dulichium domus eſt, Ithaceve, Samoſve.

Sic ibi conſtanter veteres. Vulgati *Sameve.* certe *Samon.* Noſtro fuiſſe dictam, apparet ex epiſtola prima, ubi habes *Dulichios, Samioſque. Samius* enim Sami incola dicitur, quemadmodum *Samaeus* Sames. Euſtathius in A. Odyſſ. Σάμη νῆσος περὶ Κεφαλληνίδα, λεγομένη καὶ Σάμος. καὶ ὁ πολίτης αὐτῆς, Σαμαῖος, ὁ μὲν τοὶ τῆς ἑώας Σάμου πολίτης Σάμιος λέγεται. Auſonius quoque in Periocha Odyſſeae IV. *Circa Aſteriam ergo inſulam, quae Ithacam Samumque interjacet, delitescentes occaſionem fraudis expectant.* Atque haec de Nerito & Nerico Epiri. Nunc de Naryce aut Narycio videamus. Stephanus, Byzantinus: Νᾶρυς πόλις Λοκρίδος, ὑγλυκῶς λεγομένη. Τινὲς δὲ Νάρυκον τὴν πόλιν φασὶν, ἐξ ἧς Ἄϊαξ. ὁ πολίτης Ναρίκιος, καὶ Ναρυκίαι, καὶ δευτέρως λεγέται τὰ Ναρύκια, καὶ Ναρυκαῖος ὑγλυκῶς, καὶ δευτέρως. quae fere totidem verbis habes apud Suidam in Νάρυξ. Hinc *Narycias Locros* dixit Virgilius de colonia Locrenſium in Calabria, quam & Noſter lib. XV. Metam. *Narycium* vocat. ita enim ſcribo. cum non Stephano tantum ac Suidae, ſed Plinio quoque *Narycium*

Et tamen, ut conjux eſſem tua, digna videbar:
Quod Dea, quod magni filia Solis eram.
Ne properes oro: ſpatium pro munere poſco.
Quid minus optari per mea vota poteſt?
Et freta mota vides; & debes illa timere.
Utilior velis poſtmodo ventus erit.
Quae tibi cauſſa fugae? non hic nova Troja reſurgit:
Non alius ſocios Rheſus ad arma vocat.
Hîc amor, hîc pax eſt; in quâ male vulneror una:
Totaque ſub regno terra futura tuo eſt.
Illa loquebatur: navem ſolvebat Ulixes:
Irrita cum velis verba tulere Noti.

Ardet,

rycium, non *Narycia* dicatur, atque inde quoque *Naryciae picis lucos* idem Virgilius in Georgicis. II. 438. dixit, & Columella lib. X.

—— *Sobolem dabit illa capacem*
Naryciae picis, aut Actaei mellis Hymetti.

Sed Virgilianus locus de pice Brutiâ intelligendus, quam commendat Plinius. Locri enim in Brutiis. ea eſt vera lectio apud Virgilium. neque aliter vetuſtiſſimi codices. etſi Probus & Servius *Mariciaeque* illic agnoſcunt. mendoſe. alter etiam de pice Locride, non Brutia, perperam interpretatur. ſed in duobus Servii vetuſtis codicibus Leidenſis bibliothecae, *Naryciae picis à loco, in quo abundant piceae.* male vulgo, *abundant pices.* Haec ſcripſeram, cum obtulit ſe mihi Scholiaſtes Virgilii ineditus, qui meam de pice Brutia interpretationem confirmat. eum audi: *Naryciae, Brutiae, quae in ſimilitudinem picis arborum corticibus fluunt. Item Naryciae, Brutiae, quae in ſilva* (lego *quae ea in ſilva*) *fiunt. Hic & Narycii poſuerunt moenia Locri.* Interpretes ex hoc Virgilii loco non ſatis ſe expediunt, cujus nec mentem videtur aſſecutus Plinius; nam cum libro XIV. cap. XX. picem Brutiam jam commendaſſet, ſubjungit paulo poſt, Naryciam à Virgilio laudari. Haec copioſius praeter inſtitutum. Heins.

298. *Longus & invito pectore ſedit amor.*] Lege, *at invito* cum priſcis editionibus, & duobus ſcriptis. alii nonnulli, *in invito.* pro *ſedit* fruſtra Puteaneus & nonnulli alii, *manſit.* Noſter ſupra 108.

Et vetus in capto pectore ſedit amor.

Epiſt. II. 76.

Sedit in ingenio Creſſa relicta tuo.

Epiſt. IV. 24.

Sarcinaque haec animo non ſedet apta meo.

Amor. I. Eleg. II.

Nec in lecto pallia noſtra ſedent.

Triſt. III. Eleg. IX. ex veteribus libris:

Pallor in attonitae virginis ore ſedet.

Met. II. 775.

Pallor in ore ſedet, macies in pectore toto.

Plura ex Martiali Gronovius noſter collegit Obſerv. lib. II. cap. III. Heinsius.

269. *Vertere quae poteras.*] Scripti cum prima editione, *tu poteras.* mihi tamen vulgatum magis arridet. Idem. *Cum poteras* unus codex.

275. *Et tamen.*] *Sed tamen* Junii, *ut tamen* Leidenſis. vid. ad Epiſt. v. 83. & alibi.

276. *Quod magni filia Solis erat.*] Circe Solis filia ex Perſeide. Heſiodus in Theogonia:

—— Η' ἔνι Κίρκην
Δῆουσιν, Πέρσης τε καὶ Ἠελίου θυγατρα.

Ciofanus.

279. *Freta mota vides.*] Unus Heinſii, *magna* elegantiſſima nec ab inſcito librario profecta lectio. *magna* enim maria ventis & fluctibus concitata. vid. Gifan. Ind. Lucret. in *mare magnum.* & nos pluribus haec ad Valerii Flacc. lib. I. 50. ſumus illuſtraturi. Burmannus.

280. *Utilior ventus.*] *Utilius tempus* quatuor libri. ut Epiſt. XIII. 6.

Illud erat ſaevis utile tempus aquis. Heinsius.

281. *Nova Troja reſurgit.*] Reſpicit ad primam illam inſaniae ſimulationem, qua caeritum ſe fecerat Ulyſſes, ne ad Trojam cum ceteris heroibus cogeretur proficiſci. Douza. *Reſurget* editio prima & ſeptemdecim ſcripti.

282. *Non aliquis ſocios rurſus ad arma vocat.*] Haec non ſunt nauci. optimus Puteaneus, *Rheſus*, ut & Argentinenſis. vere. niii quod ſcribo, *alius Rheſus ad arma vocat.* Victoriam de Rheſo paſſim jactat & oſtentat Ulyſſes. ita in reſponſione Sabiniana ad Ovidianam Penelopen, ita Met. XIII. in oratione adverſus Ajacem, ita Artis lib. II. ubi cum Calypſo colloquens inducitur. bene etiam unus Farneſianus, *in arma.* vide notas ad Ep. III. ℣s. 136. Heinsius Recte *alius Rheſus.* vide Heinſ. ad Val. Flac. I. 646.

283. *Hic amor, hic pax eſt.*] *Et pax* meliores, praeter excerpta Jureti. ſequens verius aut ſpurius eſt, aut aliquid hic excidit. Heinsius.

283. *In quâ.*] Id eſt propter quam. ut Propert. II. XVI. II.

Ardet, & adſuetas Circe decurrit ad artes:
Nec tamen eſt illis attenuatus amor.
Ergo age, quisquis opem noſtrâ tibi poſcis ab arte,
Deme veneficiis carminibusque fidem.
Si te cauſſa potens dominâ retinebit in Urbe;
Accipe, conſilium quod ſit in Urbe meum.
Optimus ille fuit vindex, laedentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque ſemel.
Si cui tantum animi eſt, illum mirabor & ipſe:
Et dicam, Monitis non eget ille meis.
Tu mihi, qui, quod amas, aegrè dediſcis amare;
Nec potes, & velles poſſe, docendus eris.
Saepe refer tecum ſceleratae facta puellae;
Et pone ante oculos omnia damna tuos.
Illud & illud habet: nec eâ contenta rapinâ
Sub titulum noſtros miſit avara lares.
Sic mihi juravit: ſic me jurata fefellit.
Ante ſuam quoties paſſa jacere forem!

Dili-

In te ego & aeratas rumpam, mea vita, catenas. Douza. Heinſius volebat, *a quâ.*

286. *Irrita cum velis verba.*] *Cum votis* Puteaneus. forte, *cum velis vota.* ſed ſupra in Epiſtola xv. 209.

Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent. Et II. 25.

Demophoon, ventis & verba & vela dediſti. Heinsius.

287. *Et aſſuetas Circe decurrit ad artes.*] Sic libri veteres. placet. aeger Podalirius, qui Philoctetam morbo liberavit, medicus fuit aequalis diis. Q. Smyrnaeus loco ſuprà citato. Ciofanus. *Tendebat* nonnulli editi & ſcripti. male. lib. II. Art. 99.

Fallitur Haemonias ſi quis decurrit ad artes.

Decurrere enim proprie, qui auxilium quaerit, dicitur. *Aſſiduas* unus Puteaneus.

289. *Ergo quiſquis opem.*] In uno Regio, *Ergo age quiſquis opem.* ut Artis libro primo 343.

Ergo age ne dubita cunctas ſuperare puellas. Et lib. II. 489.

Ergo age & iratae medicamina fortia praebe. Heins. Vid. ad lib. I. Art. 343.

291. *Domina retinebit in urbe.*] Sic bene Regius. reliqui fere, *dominae in urbe.* male. Martial. III. 1.

Plus ſane placeat, domina qui natus in urbe eſt. Lib. IX. 65.

Octavum domina marmor ab urbe legis. Nemeſianus Eclog. I.

Non ſic dulce ſonas, ut te placatus Apollo
Provehat, & felix dominam perducat ad urbem. Eclog. II.

Tityrus è ſilvis dominam pervenit ad urbem. Et Calpurnius Eclog. IV.

Tu mihi talis eris, qualis, qui dulce ſonantem
Tityron è ſilvis dominam perduxit ad urbem.

ſic & *dominam Romam* Martial. lib. X. 103. & *dominas arces* Rutilius. ſic & Graeci frequenter βασιλεύουσαν πόλιν. Heins.

293. *Optimus ille fuit vindex.*] Ita & ſcripti; opinor tamen a Naſonis manu eſſe, *optimus ille ſui vindex.* optimus aſſertor ſuae libertatis. Heins.

294. *Dedoluitque.*] *Deſolvenda ſemel.* Palatin. pro quo *diſſolūenda* eſſet legendum. & Heinſius etiam *diſſoluitque*, poſſe legi olim notabat, ſed praeſtare vulgatam. vid. III. Faſt. 480.

295. *Sed cui.*] Malo, *ſi cui*, cum duobus ſcriptis Heinsius. mox *non eget ille* plurimi ſcripti.

297. *Tu mihi.*] *Tu modo* duodecim codices & quidam editi. *tu modo quidquid* unus.

299. *Sceleratae facta puellae.*] Alii, *verba*, aut *dicta.* Sarravianus, *regna.* eleganter mehercules. ſic de regno amatorio ſupra 15.

At ſi quis male fert indignae regna puellae. Horat. Od. I. lib. IV.

Non ſum qualis eram bonae ſub regno Cynarae. Propertii Cynthia lib. III. El. X.

Inque meum ſemper ſient tua regna caput. Et lib. II. Eleg. X.

Et ſubito felix nunc mea regna tenet. Lib. IV. El. VII

Longa mea in libris regna fuere tuis. Et mox:

Et quererer lecti frigida regna mei. Heins.

Poſſet & legi, *ſceleratae furta puellae*, de iis enim agit in ſequentibus. & *facta* & *furta* ſaepe apud No-

Diligit ipſa alios; a me faſtidit amari.
Inſtitor heu noctes, quas mihi non dat, habet!
Haec tibi per totos inaceſcant omnia ſenſus:
Haec refer: hinc odii ſemina quaere tui.
Atque utinam poſſis etiam facundus in illis
Eſſe! dole tantum; ſponte diſertus eris.
Haeſerat in quadam nuper mea cura puellâ:
Conveniens animo non erat illa meo.
Curabar propriis aeger Podalirius herbis:
Et (fateor) medicus turpiter aeger eram.
Profuit adſidue vitiis inſiſtere amicae.
Idque mihi factum ſaepe ſalubre fuit.
Quam mala ſunt noſtrae, dicebam, crura puellae!
Nec tamen, ut verè confiteamur, erant.
Brachia quam non ſunt noſtrae formoſa puellae!
Et tamen, ut verè confiteamur, erant.
Quam brevis eſt! nec erat. quam multum poſcit amantem!
Hinc odio venit maxima cauſſa meo.

Et

Noſtrum librarii commutaverunt. vid. ad IV. Faſt. 582.

301. *Nec ea contenta rapina eſt.*] Tollatur verbum ſubſtantivum, ut melius procedat orationis tenor:

——— *Nec ea contenta rapinâ*
Sub titulum noſtros miſit avara lares.

Sub titulum lares mittere eſt aedes venales proſcribere. non recte codices vetuſti magna ex parte, *ſub titulo*. Tibulli enim illa reſpiciebat Noſter lib. II. IV. 54.

Quin etiam, ſedes jubeat ſi vendere avitas,
Ite ſub imperium ſub titulumque lares.

Per titulum tabella deſignatur aedibus adfixa, quae tranſeuntes doceret domum eſſe venalem. Plinius libro VII. Epiſt. XXVII. ubi de domo a ſpectris inhabitata agit: *Nam interdiu quoque quamquam abſceſſerat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque cauſis timor erat. Deſerta inde & damnata ſolitudini domus, totaque illi monſtro relicta proſcribebatur tamen, ſeu quis emere, ſeu quis conducere ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas Philoſophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio, quia ſuſpecta vilitas, percunctatur, omnia docetur.* Sic totus ille locus ex vetuſtiſſimo codice Mediceo conſtituendus, niſi quod *damnata ſolitudini* pro *ſolitudine*, ex conjectura admiſimus. eleganter & breviter, hoc eſt Pliniano more dictum, *longiorque cauſis timor erat*. Hoc eſt ſublata timoris cauſa nec amplius apparente ſpectro timor nihilominus perſeverabat. Vulgo, *longiorque cauſa timoris timor erat*. Haec obiter. *litteras* pro *titulo* Plautus dixit Trinummo: *Aedes venales haſce inſcribit litteris*. ſic & mancipiis venalibus titulus ejuſmodi de collo ſuſpendebatur, de quo ad Propertii librum IV. Eleg. V. Paſſeratius. HEINSIUS.

304. *Ante ſuas fores.*] *Suam forem* unus meus. bene. HEINSIUS.

306. *Inſtitor.*] Horat. III. Od. 6.

Seu vocat inſtitor.

Et Epod. XVII. *Amata nautis multum & inſtitoribus.* unde apparet hoc genus contemptiſſimum fuiſſe antiquitus. DOUZA.

306. *Per totos marceſcant omnia ſenſus.*] Unus, *vaneſcant*, alius, *maneſcant*. prior Mentelianus, *aceſcant*. Regius cum duobus aliis, *inaceſcant*. vere. atque ita, quem nihil praeterit, perſpicaciſſimus Gronovius Obſerv. lib. II. cap. XXI. plura de eo verbo collegit. *non ceſſent* codex Jureti. fruſtra. *inaceſcere* Scribonius Largus Compoſitione CIV. & Marcellus Empiricus quoque dixerunt. Sic *inamareſcere* Horat. l. II. Sat. VII.

Nempe inamareſcunt epulae ſine fine petitae.

HEINSIUS. vid. Schult. ad Quinct. Decl. VIII. pr.

308. *Odii ſemina quaere tui.*] Malo, *tuis odiis*. dixi ſupra ad Ys. 143. ſequenti verſu, *poſſis* pro *poſſes* meliores. HEINSIUS.

315. *Profuit aſſidue.*] *Aſſiduae amicae* Regius. eleganter. ſic in Ibide libri veteres 182.

Viſceraque aſſiduae dedita praebet avi. HEINS.

318. *Ut verum confiteamur.*] *Vere* tam hic, quam ſequenti pentametro libri meliores. & recte. infra 498.

Sic facies verè, quod meditatus eris. HEINSIUS.

319. *Brachia.*] Hoc diſtichon deerat in Lincoln. & Francof. & in antiquis quibusdam editionibus & Aldina priore.

320. *Nec.*

Et mala ſunt vicina bonis. errore ſub illo
Pro vitio virtus crimina ſaepe tulit.
Quam potes, in pejus dotes deflecte puellae:
Judiciumque brevi limite falle tuum.
Turgida, ſi plena eſt; ſi fuſca eſt, nigra vocetur.
In gracili macies crimen habere poteſt.
Et poterit dici petulans, quae ruſtica non eſt:
Et poterit dici ruſtica, ſi qua proba eſt.
Quin etiam, quacumque caret tua femina dote,
Hanc moveat, blandis usque precare ſonis.
Exige quod cantet, ſi qua eſt ſine voce puella:
Fac ſaltet, neſcit ſi qua movere manum.
Barbara ſermone eſt; fac tecum multa loquatur.
Non didicit chordas tangere; poſce lyram.

Du-

320. *Nec tamen.*] *Et tamen* ſcribe cum Puteaneo, & Argentinenſi. aliter ſenſus non conſtabit. & ſequenti verſu, *Quam brevis eſt! nec erat.* cum eodem Puteaneo, & duobus aliis. vulgati inſulſe, *& erat.* Heinsius.

322. *Hinc odio.*] *Haec* ſcripti plerique. Idem.

323. *Et mala ſunt vicina bonis.*] Lego, *ut mala ſunt vicina bonis:* hoc eſt, quemadmodum. Idem. Livius lib. xxii. 12. *affingens vicina virtutibus vitia.*

325. *Quam potes.*] Regius, Puteaneus, & plures alii, *Qua potes.* nil muta. dictum alibi. ſic infra 595. libri quidam veteres:

Et modo, quam poterat, latum ſpectabat in aequor.

Triſt. i. Eleg. viii.

Quam potes excuſa, nec amici deſere cauſam.

Sic libri quidam veteres. ut & lib. iii. Eleg. iii.

Quam potes, extenua forti mala corde ferendo.

Et Eleg. iv.

Et quam quiſque poteſt, oro, mala noſtra levate.

El. vii.

Effuge venturos, quam potes, uſque rogos.

Lib. iv. Eleg. viii.

Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde eſt.

Met. iii. vers. 300. ex antiquis itidem libris:

Quam tamen uſque poteſt, vires ſibi demere tentat.

Et lib. viii. 352.

Quam potuit precibus deus annuit.

Val. Maximus libro iv. cap. i. *Fabius Maximus cum à ſe quinquies, & à patre, avo, proavo, majoribuſque ſuis ſaepenumero conſulatum geſtum animadverteret; comitiis, quibus filius ejus ſummo conſenſu conſul creabatur, quam potuit, conſtanter cum populo egit, ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiae genti daret.* Heinsius. vid. ad Epiſt. xiii. 41. & i. Art. 285.

327. *Si plena.*] Landinus ad Horat. i. Od. 22. citat, *Turgida ſi pinguis*, male. vide Gifan. indic. Lucretii in *geminatio*, & ſupr. ad lib. i. Art. 66. Burmannus.

329. *Quae ruſtica.*] *Quia ruſtica non eſt* Francof. *ſi* Puteaneus & ſex alii.

331. *Caret tua dote puella.*] *Tua foemina dote* ſcripti fere omnes cum prima editione. bene. ita ſaepe pro amica Noſter. nam *puella* mox ſequitur. Heinsius.

332. *Hanc moveat.*] Vitioſe editio Micylli & aliae, *maneat. moneas* Regius & Leidenſis. *moveas* quatuor.

333. *Exige quod cantet.*] *Ut cantet* Regius & Puteaneus, cum alio Regio. *uti cantet* Scaligeri excerpta & Jureti cum uno Puteaneo. Lege, *exigito cantet.* ſaepe ſic peccatum. pro *ſi qua eſt* unus ex meis, *ſi qua ſint.* Forte:

—— *Si cui ſine voce puella eſt.* Heinsius.

Ego vulgatam retinui, nam illud *exigito* contra ſcriptos non placet.

334. *Fac ſaltet, neſcit ſi qua movere pedem.*] *Movere manum* Regius, & pro diverſa lectione Puteaneus cum Lincolnienſi. optime. *Movere manum*, χειρονομεῖν. ſic & lego Met. xiv. 520.

In numerum motis manibus duxere choreas.

Jactare in numerum brachia Lucretio lib. iv. 773. *& mollia mobiliter brachia mittere* lib. iv. 791. Geſtus enim manuum & brachiorum in ſaltatione puellarum plus commendabatur, quam pedum motus. Noſter ſic paſſim Art. Am. iii. 349.

Quis dubitet, quin ſcire velim ſaltare puellam,
Ut moveat poſito brachia docta mero.

Ubi forte *brachia ducta* reponendum. Amor. ii. Eleg. iv.

Illa placet geſtu, numeroſaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

Et Ponticorum libro iv. Eleg. ii.

Sive quod in tenebris numeroſos ponere geſtus,
Quodque legat nemo ſcribere carmen, idem eſt.

Ubi

Durius incedit; face inambulet. omne papillae
Pectus habent tumidae; fascia nulla tegat.
Si male dentata est; narra, quod rideat, illi.
Mollibus est oculis, quod fleat illa, refer.
Proderit & subitò, cum se non finxerit ulli,
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia. pars minima est ipsa puella sui.
Saepe, ubi sit, quod ames, inter tam multa requiras.
Decipit hac oculos aegide dives Amor.
Improvisus ades; deprendes tutus inermem:
Infelix vitiis excidet illa suis.
Nec tamen huic nimium praecepto credere tutum est;
Fallit enim multos forma sine arte decens.

Tum

Ubi perperam *gressus* in multis codicibus exstat. Noster infra 753.

Enervant animos loti, citharaeque lyraeque,
Et vox, & numeris brachia mota suis.

Lib. II. 305.

Brachia saltantis, vocem mirare canentis,
Et quod desierit, verba querentis habe.

Ita Juvenalis cum dixit Sat. VI. 63.

Chironomon Laedam molli saltante Bathyllo.

Designat gesticulatione manuum saltationem potissimum fuisse confectam. Propertius libro II. Elegia XXII.

Sive aliquis molli deducit candida gestu
Brachia: seu varios incinit ore modos.

Statius Sylvarum lib. III. v. 66.

Candida seu molli deducit brachia motu.

Hoc est saltat. male *diducit* legitur. lib. I. 595. Artis:

Cui vox est, canta, cui mollia brachia, salta,
Et quacunque potes dote placere, place.

Ducere igitur & *deducere brachia*, in saltatione idem quod movere; sed & *jactare* dicebant. Propertius libro IV. Eleg. IX.

Nanus & ipse suos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Noster Fastor. III. 535.

Illic & cantant quicquid didicere theatris,
Et jactant faciles ad sua verba manus.

Sed & de natatione Epistola XVIII. 58.

Jactabam liquido brachia lenta mari.

Quare parum abest, quin apud Propertium libro IV. Eleg. V. illis versibus:

In mores te verte viri. si cantica jactat,
I comes; & voces ebria junge tuas.

Si brachia jactat censeam reponendum. HEINS.

335. *Barbara sermone est.*] *Sermonem est* Patavinus. ut sit Graecismus, cujus notae multae occurrunt apud Nasonem nostrum. HEINSIUS.

335. *Fac tecum multa loquatur.*] Puteaneus unus, *tecum ut.* mallem, *fac tecum*, & *multa*, *loquatur.* crescet enim odium & fastidium ex multo & barbaro sermone. BURMANNUS.

337. *Durius incedit, face ut ambulet.*] Scripti plerique, *fac ambulat.* Regius, *fac inambulet.* Excerpta Scaligeri, *face inambulet.* recte. *face* pro *fac* usitatissimum Nostro. *inambulandi* verbo frequenter usus est Cicero. hinc & *inambulatio* apud Catullum. HEINSIUS.

338. *Omne papillae Pectus habent: vitium fasciae nulla tegat.*] *Pectus habent tumidae*, priscae editiones & Sarravianus, cum quatuor aliis codicibus: quod prae vulgata lectione placet. malim etiam, *fascia nulla liget*, quam *tegat.* sic Martialis XIV. 134.

Fascia luctantes dominae compesce papillas. HEINS. Vid. ad III. Art. 274. in Martialis loco *crescentes* legitur. in Moreto vers. 34. legitur in editionibus antiquis, *Pectora lata tument mammis.*

339. *Narra quod rideat illa.*] Multi, *ipsa.* unus, *ipsam.* Regius, *illi.* distingue, *narra, quod rideat, illi.* nisi malis forte, *quo rideat*, &, *quo fleat.* HEINSIUS.

343. *Teguntur omnia.*] In nonnullis *crimina*, non *omnia.* NAUGERIUS.

344. *Pars minima est.*] Livius XXVI. 47. *minimum inter tantas opes Carthago ipsa fuerit.*

348. *Vitiis excidet ipse suis.*] Scripti, *illa.* sic & alibi Noster, ut Art. lib. I. 539.

Excidit illa metu, rupitque novissima verba.

Lib. II. 449.

Quae, simul invisas crimen pervenit ad aures,
Excidit, & miserae voxque colorque fugit.

Lib. III. 701.

Procris ut accepit nomen, quasi pellicis, Aurae,
Excidit, & subito muta dolore fuit.

Trist. I. Eleg. I.

Tum quoque, cum positis sua collinet ora venenis,
Ad dominae vultus (nec pudor obstet) eas.
Pyxidas invenies, & rerum mille colores;
Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas:
Non semel hinc stomacho nausea facta meo.
Nunc tibi, quae medio Veneris praestentur in usu,
Eloquar. ex omni parte fugandus amor.
Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere: sed tu
Ingenio verbis concipe plura meis.
Nuper enim nostros quidam carpsere libellos;
Quorum censurâ Musa proterva mea est.
Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe;
Quod volet, impugnent unus & alter opus.
Ingenium magni detrectat Livor Homeri:
Quisquis es, ex illo, Zoïle, nomen habes.

Et

Ingenium tantis excidet omne malis.

Elegia v.

Si quid & in nobis vivi fuit ante vigoris,
Extinctum longis excidit omne malis.

Elegia iv.

Quam subeant animo meritorum oblivia nostro,
Et longa pietas excidat ista die.

Excidere sibi dixit Seneca Hippol. 589.

Quis me dolori reddit, atque aestus graves
Reponit animo? quam bene excideram mihi!

Phaedra, deliquium animi passa. *linqui* dixit Noster Epist. ii. 130.

Linquor, & ancillis excipienda cado.

Fastorum v. 398.

Excidit, & laevo fixa sagitta pede est. Heinsius. Vid. ad Quinctil. Decl. vi. 19.

350. *Fallit enim multas.*] *Multos* Regius. & bene. Heinsius.

350. *Forma sine arte decens.*] Vid. lib. iii. Art. Am. ỳs. 258. ex quo loco etiam hic Francius volebat, *potens.*

351. *Compositis sua cum linit ora venenis.*] *Compositis cum linit* Regius corrupte. forte pro *liverit.* ita enim dicebant quoque veteres, non *leverit* tantummodo. vel, *cum positis sua leverit ora venenis. cum positis sua collinet* Puteaneus cum quinque aliis. recte. unus *colliget.* quod proximum vero. sic apud Horatium, lib. i. Od. 15. *crines pulvere collines. compositis cum liniet ora venenis* prima editio, & ex scriptis multi. non male à *liniendo.* si lex metri id ferret. *posita venena* nempe in mensa. Art. Am. iii. 209.

Nec tamen ut positas mensâ deprendat amator
Pyxidas.

Ubi dixi de hoc loco. sic *posita lucerna* Ep. Herus. & *positae dapes* saepe alibi, & *positus Bacchus.* de quo Artis lib. i. 565. unus codex Regius, *delinit*, alius, *delinet.* quo verbo usus est Accius. Heins. De *linendi* verbo vide supra ad lib. iii. Art. Am. vers. 232. & Casaub. & Salmas. ad Spartian. Hadrian. cap. 4. & quae nos attulimus ad Quinctil. Decl. xiii. 5. Burm.

352. *Ad dominae vultus.*] Heinsius olim conjecerat:

Ad dominam multus (nec pudor obstet) eas.

Ego, si quid mutandum sit, mallem:

Ad dominam (stultus nec pudor obstet) eas. Burm.

354. *Et fluere*] *Effluere* Puteaneus unus & Mazar. & duo alii. *defluet* Regius.

356. *Nausea facta meo est.*] Malim, *nata.* sed libri obstant. Heinsius. *in stomacho* quatuor. *è stomacho* unus.

357. *Medio Veneris praestemus in usu.*] *Medios in usus* Puteaneus & quatuor alii. *praestamus* idem cum Jureti libro. sed Farnesianus unus, *praestentur.* quod sequor. Heinsius.

364. *Quam volet impugnent.*] *Impugnet* plerique scripti. pro *Quam volet*, *Qui* prima editio & exarati calamo quatuordecim. *Quod volet* Regius, & Puteaneus. & multi alii. duo, *Quamlibet.* de quo ad Epist. vi. ỳs. 140. unus, *Quolibet.* unus item Leidensis, *Qua valet.* Excerpta Puteani, *Quo volet.* Latet aliquid. Jureti excerpta, *Quum volet.* Heins. Ego ex vestigiis libri istius in quo, *qua valet*, legerem, *qua patet*, & ad orbem referrem. ita enim saecenties Noster & alii Poetae.

366. *Quisquis es.*] Recte. Non enim constabat, quis aut cujas fuisset Zoilus. Heinsius.

369. *Summa petit livor.*] Vell. Paterculus libro posteriore cap. 40. *Numquam eminentia invidia carent.*

Et tua ſacrilegae laniarunt carmina linguae,
Pertulit huc victos quo duce Troja Deos.
Summa petit livor: perflant altiſſima venti:
Summa petunt dextrâ fulmina miſſa Jovis.
At tu, quicumque es, quem noſtra licentia laedit;
Si ſapis, ad numeros exige quidque ſuos.
Fortia Maeonio gaudent pede bella referri.
Deliciis illic quis locus eſſe poteſt?
Grande ſonant Tragici; Tragicos decet ira cothurnos:
Uſibus è mediis ſoccus habendus erit.
Liber in adverſos hoſtes ſtringatur Iambus;
Seu celer, extremum ſeu trahat ille pedem.
Blanda pharetratos Elegeïa cantet Amores:
Et levis arbitrio ludat amica ſuo.
Callimachi numeris non eſt dicendus Achilles:
Cydippe non eſt oris, Homere, tui.

Quis

carent. Ciofanus. Diſtichon hoc ſuperfluum eſt, cum de livore jam egerit. Heinsius. In Scholiaſte Puteanei erat additum. Lucanus, *ſummisque negatum ſtare diu.* Sed ſi luxurianti Poëtae omnia, quae ſuperflua videri poſſint, demere velimus, cenſurae immiti januam aperiemus: nihil autem indignum in his verbis ingenio Naſonis video.

372. *Exige quaeque.*] Sarravianus *quodque.* Regius *quidque.* bene. Heinsius.

375 *Tragici, Tragicos decet.*] *Tragici, tumidos decet ira cothurnos* Regius & Francofurt. non temere mutem. vid. ad Epiſt. VI. 29. *Tragicos cothurnos* dixit etiam Martial. XII. Epig. 96. & Noſter II. Triſt. 393. Burmannus.

376. *Verſibus è mediis.*] *Uſibus è mediis* Regius. Lego, *Luſibus.* ſic Pont. IV. Eleg. ult.

Et tua cum ſocco Muſa Meliſſe levi.

Scripſerat enim ludicra & jocos Meliſſus. ut illic dicemus. *Verſibus è modicis* Puteaneus. Reliqui plerique majori ex parte, *Verſibus in mediis.* Heinsius. Ego *uſibus* non tollerem. ſenſus eſt enim ex medio uſu & conſuetudine hominum comoediam eſſe faciendam. *luſus* hic nihil faciunt. ſic III. Triſt. IV.

Uſibus edocto.

II. Faſt. 521. *Uſibus admoniti.*

III. Faſt. 666. *Humanis uſibus apta Ceres.*

Praeterea, *ſoccus habendus eris* unus Heinſii: eleganter. Burmannus.

378. *Extremum ſeu trahat ille pedem.*] Magnus ille Naſonis interpres Criſpinus verſum catalecticum intelligit, cui una ſyllaba deeſt in fine. a Merula certe potuiſſet diſcere Scazonta intelligi, aut inſpexiſſet modo Berſmanni notas, qui recte haec explicantem laudat Politianum in Miſcellaneis cap. LXIV. ſed Regii ſcilicet illi doctores omnia è ſuâ penu depromere amant. Burmannus.

380. *Et levis arbitrio ludat amica ſuo.*] *Laudat* Regius. & *cantat* ſuperiori verſu. *audat* etiam quinque alii. plures, *plaudat.* unus, *laudet.* Forte ſcribendum:

Et levis arbitrio plaudat amica tuo.

Hoc eſt tuis deſideriis applaudat aequa. Heinsius. Nihil mutem: licenter, ut velit, ludat, nemine obſtante. ſic Tiberius *ſui arbitrii* fuiſſe dicitur a Suetonio cap. XVIII. ut Claudius *alieni* cap. 2. ſic ſaepe Vellej. Paterculus, ut lib. II. 31. *qui ea ſuo arbitrio aut depoſituri aut retenturi videbantur.* & 33. *quod cupiſſet arbitrio ſuo ſumere, alieno deponeret.* 70. *libertati publicae ſtatuturus arbitrio ſuo modum.* eodem modo *ſuo jure* quid facere dicimus, de quo ad Florum. lib. I. 17. Salmaſ. & nos ad Petron. cap. LXXVIII. & ad Quinctil. Decl. XII. 1. *ut plaudat* erat in Francofurtenſi. Burm.

381. *Non eſt dicendus.*] *Non eſt tractandus* Voſſianus codex. quod non facile rejecerim: proprie enim *tractant aliquem* Poetae, cum ejus mores, ingenium & dotes verſibus diligenter deſcribunt. ita egregie *tractare perſonam* in Cicer. pro Arch. cap. 2. expoſuit Paſſeratius. ſic ſaepe Quinctilianum uti & alios vidimus ad Fabii lib. I. prooemium. lib. VII. 1. & XI. 1. Horat. Art. Poet. 149.

——— *Et quae*
Deſperat tractata nitescere poſſe relinquit.

Sic idem I. Epiſt. XVIII. 14.

Partes mimum tractare ſecundas.

Et ita mox Noſter, *partes peragentem* Thaida dicit. quare, ego *tractandus* ab ipſo Ovidio fluxiſſe puto. omnia vero hic nomina, *Achilles*, *Andromache*, *Thais* capienda pro perſonis, quas Poetae ipſos jubent agere: ut ita *comicos* & *Tragicos* homines dici

Quis ferat Andromaches peragentem Thaïda partes?
Peccat, in Andromache Thaïda si quis agat.
Thaïs in Arte meâ: lascivia libera nostra est.
Nil mihi cum vittâ: Thaïs in Arte mea est.
Si mea materiae respondet Musa jocosae,
Vicimus, & falsi criminis acta rea est.
Rumpere, Livor edax; jam magnum nomen habemus:
Majus erit; tantùm, quo pede coepit, eat.
Sed nimium properas: vivam modo; plura dolebis:
Et capiunt animi carmina multa mei.
Nam juvat, & studium famae mihi crescit amore:
Principio clivi vester anhelat equus.

Tan-

ostendit egregie Bentlejus ad Horat. Art. Poet. 96. Ubi *Thaida comicam* Moecham a Propertio ita dici recte docet. BURMANNUS.

382. *Cydippe.*] Cujus nominis poëma scripserat Callimachus, ex quo fragmenta ab antiquis Grammaticis citantur. HEINSIUS. Vide Celeber. Bentlejum ad Fragmenta Callimachi pag. 347.

384. *Quis ferat.*] Rectius alii, *ferat.* & tum sequenti versu, *Peccet* quoque sit scribendum. *si quis agat* etiam recte prima editio cum Puteaneo & multis aliis. HEINSIUS.

383. *Andromaches.*] Euripidem & Menandrum respicit, quorum ille Andromachen, quae exstat, hic Thaïda Comoediam, quae periit, edidit. Thaïdis Menandri meminit Martialis lib. XIV. Ep. 187.

Haec primum juvenum lascivos lusit amores,
Nec Glycere, vere Thaïs amica fuit.

In cujus sensu investigando maxime laborant viri docti. Nuperus ille Menandri Fragmentorum compilator Joannes Clericus, qui & Poëseos & Graecae linguae ignarissimus parata semper & ab aliis millies dicta arripit, hic sibi placere potuit, in nova interpretatione puerili & inepta, quam tamen impudenti, qua valet, fronte Domitio suffuratus est. in codice veteri, quem Heinsius contulit, legebatur:

Hac primum juvenum lascivos lusit amores,
Nec Glycere, verum & Thais amica fuit.

Ut sensus sit, hac fabula Menandrum lascivos amores juvenum elegantissime descripsisse, nec solam Glyceren meretricem, illi fuisse amicam, sed & Thaïda, sive pessimam aliquam meretricem, amasse. & fortasse a Glycere, cum, a Philemone amata, sibi esset subducta, ad aliam se contulit amicam, cujus pessimae lenocinia & meretricias artes deinde in Thaïde expressit, cum in Glycere meretricis non malae imaginem dederat, credens illam sibi fidam, sed deinceps omnes agnoscens malas, vivis coloribus in Thaïde ingenium earum depinxit. BURMANNUS.

385. *Libera nostra est.*] *Libera nobis* Vossii codex. deinde *nil mihi cum nupta*, editiones priscae & viginti tres codices.

388. *Vincimus.*] *Vicimus* Regius, aliique complures. vid. ad II. Amor. XII. 2. HEINSIUS.

391. *Plura dolebis.*] Plus. ut Horat. Epod. v. *O multa fleturum caput.* DOUZA.

392. *Et capient anni carmina multa mei.*] Scripti non pauci, *capient animi carmina plura. plura* quoque codex Jureti. *capiunt* Regius. Politiani liber, *capient animi carmina magna mei.* quod placet, modo *capiunt* cum Regio admittas. hinc *capax animus.* Legebam aliquando pro *carmina multa, culta.* ut de Horatio in Tristibus IV. X. 50.

Dum ferit Ausoniâ carmina culta lyrâ.

Et ita passim, *cultum Tibullum* vocat. vid. III. Amor. IX. 66. HEINSIUS. Halieutico 67.

Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.

Gratius. 274.

Validis tum surgat pectus ab armis,
Quod magnos capiat motus, magnisque superfit.

Senec. Herc. fur. 412.

Magno animo ruinas suas capit.

Vid. ad Quinctil. Decl. CCCLXXXIII. & Vell. Pater. II. 68. *anni* tamen ex illis Albinovani in Drusum 339. posset defendi, *Vix credent tantum rerum cepisse tot annos.* BURMANNUS.

393. *Studium famae mihi crescit honore.*] Lege, *famae honorae*, ut apud Statium Theb. II. 629.

Vos quoque Thespiadae non inficiatus honorâ
Arcuerim famâ.

Et idem lib. I. Silv. IV. 95. *Honora carmina.* Quo respicit unus codex Patavinus, in quo, *honestae.* editio prima & scripti nonnulli, *amore.* Sed cum Regius & Puteaneus à manu primâ agnoscant, *mihi crevit honori*, alii sex, *crescit honori.* Forte legas rectius, *famae studium mihi cessit honori*, vel, *cedit.* nam in uno Vaticano est, *credit.* sic *bene cedere* in Fastis lib. II. vs. 380.

Et memorem famam, quis bene cessit, habent.

Ita locus mendosissimus ex vestigiis veterum librorum est scribendus. ubi plura. Epist. VIII. 101.

Fors

Tantum se nobis Elegi debere fatentur;
Quantum Virgilio nobile debet opus.
Hactenus invidiae respondimus. attrahe lora
Fortius; & gyro curre, poëta, tuo.
Ergo ubi concubitus, & opus juvenile petetur;
Et prope promissae tempora noctis erunt;
Gaudia ne dominae, pleno si pectore sumes,
Te capiant; ineas quamlibet ante velim.
Quamlibet invenias, in quâ tibi prima voluptas
Desinat: à primâ proxima segnis erit.
Sustentata Venus gratissima. frigore soles,
Sole juvant umbrae: grata fit unda siti.

Et

Fors haec una mihi conjux bene cessit Orestes. Heinsius. De voce *honorus* vide Barth. ad Stat. IV. 624. & ad laudatum locum ab Heinsio lib. II. ubi usitatiorem aevo barbarissanti, quam Latino vocem dicit. & certe apud Silium, Valer. Flaccum & Statium frequentissime occurrit. apud Nostrum, quod sciam, numquam. quare praeferrem sane, *honestae*, cujus glossam esse puto, *honore*, ut scribere solebant aevo deteriore librarii, pro *honorae*. ut *honesta fama* dicatur, quae paratur ex elegantiori eruditione. de qua egimus ad Petron. cap. LV. & Quinctil. Instit. I. 8. ubi vide. *crescit* vero cave mutes. est enim dictum, ut *crescens Poëta* Virgilio Eclog. VII. 27. & Terent. Heaut. prol. *date crescendi copiam.* Horat. III. Od. 30.

Usque ego postera
Crescam laude recens.

Et ita passim alii. non etiam inepta est lectio, *studium famae mihi crescit amore.* nam ut dicit III. Art. 403.

Quid petitur sacris, nisi tantum fama, Poëtis?

Amor vero & *honor* passim permutantur. sic apposite lib. I. Trist. I. 53.

Donec eram sospes tituli tangebar amore.

Ubi & *honore* alii codices. *tituli* vero *amor* est idem qui famae. v. Trist. 12.

Nominis & famae quondam fulgore trahebar.

Et ita centies Noster & alii Poëtae. quare ubi facilis sensus apparet, nollem ad emendationes abire, quae duriorem sensum efficiunt. Burm.

394. *Noster anhelat equus.*] *Vester* Regius & tres alii. melius. ut ad livorem referatur. Heins.

396. *Quantum Virgilio nobile debet opus.*] Cum in veteri lib. *opos*, non *opus* scriptum sit, quinctum ante annum editis in Metamorphosin observationibus cum clarissimo Mureto, *Epos* emendavi. *Opus* cum elegis nullum prorsus hic locum habet. *Epos* autem quid sit, non ignorant eruditi. Ciofanus. *Epos* legebat Muretus apud Ciofanum. quod si hoc loco admittimus, etiam Statio erit reddendum, ubi de Heroo carmine Sylv. I. II. 148. Epithalamio Stellae:

—— *Eat enthea vittis*
Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti
Quisque lyra. sed praecipue qui nobile gressu
Extremo fraudatis epos.

Ita enim scribo. Martialis XII. 96.

Scribebamus epos; coepisti & scribere, cessi.

Forte epos dixit Horatius. I. Sat. X. 43. ubi agit de Vario. Hoc tamen Nasonis loco vulgatam lectionem non temere sollicitem, praesertim cum scripti codices nostri omnes pro eâ stent. nam per *nobile opus* quid intelligat, satis apparet, cum de Virgilio loquatur. sic idem Statius Sylv. IV. VII. 1.

Jam diu lato spatiata campo
Fortis heroos Erato labores
Differ, atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.

Propertius lib. III. Eleg. 11.

—— *Quis te*
Carminis heroi tangere jussit opus? Heins.

Recte nihil mutandum censet Heinsius. III. Art. Amat. 338. de Aeneïde Virgilii:

Quo nullum Latio clarius exstat opus.

Et quot non loca congerere liceret, ubi *opus* de Poëmate, etiam Epico, dicitur? vid. ad Vellej. Paterc. I. 5. ceterum hinc in antiquis editionibus liber secundus incipiebat. sed in Puteaneo, Regio & septem aliis continuabantur versus uno tenore. Burmannus.

398. *Fortius.*] *Fortiter* Puteaneus & duo alii. vide infr. 435.

399. *Petetur.*] Lege, *petentur.* versus enim exigit ut τὸ *concubitus* sit pluralis numeri. Heinsius. *petuntur* est in Francofurtensi.

401. *Pleno si corpore sumas.*] *Pectore* Puteaneus & Jureti excerpta, cum aliis nonnullis. Heinsius.

403. *Tua prima voluptas.*] *Tibi* rectius duo libri. Idem.

404. *Desinat.*] *Decidat* vel *occidat* unus Regius. Heinsius olim conjiciebat, *recidat;*

Et pudet, & dicam, Venerem quoque junge figura,
Quâ minime jungi quamque decere putes.
Nec labor efficere eſt. rarae ſibi vera fatentur:
Et nihil eſt, quod ſe dedecuiſſe putent.
Tunc etiam jubeo totas aperire feneſtras,
Turpiaque admiſſo membra notare die.
At, ſimul ad metas venit finita voluptas,
Laſſâque cum totâ corpora mente jacent;
Dum piget, & nullam malis tetigiſſe puellam,
Tacturusque tibi non videare diu;
Tunc animo ſigna, quodcumque in corpore mendae eſt:
Luminaque in vitiis illius uſque tene.
Forſitan haec aliquis (nam ſunt quoque) parva vocabit:
Sed, quae non proſunt ſingula, multa juvant.
Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum:
A cane non magno ſaepe tenetur aper.

Tu

404. *A primâ.*] Imitatus hanc locutionem Juvenalis. Sat. x. 125.

Conſpicuae divina Philippica famae
Volveris, a prima quae proxima.

Hujus vero praecepti ſalubritatem & efficacitatem docebit hiſtoria a Valerio Maximo tradita lib. vii. cap. iii. exemplo 10. *Amantiſſimus quidam filii, cum eum inconceſſis ac periculoſis facibus accenſum, ab inſana cupiditate inhibere vellet, ſalubris conſilii aſtutia patriam indulgentiam temperavit. Petiit enim ut priuſquam ad eam, quam diligebat, iret, vulgari ac permiſſa Venere uteretur. Cujus precibus obſecutus adoleſcens, infelicem animi impetum ſatietate concubitus liciti reſolutum, ad id, quod non licebat tardiorem pigrioremque adſerens, paullatim depoſuit.* Burm.

405. *Frigore ſoles.*] Concinnius Sarravianus & quinque alii, *frigora ſole.* alii totidem, *frigora ſoles*, proxime verum. Heinsius. Ego vulgatam retinui, ut venuſta ſervetur oppoſitio. *ſoles* vero ſunt ſerenum, & calore gratum coelum. ut Faſt. i. 157.

Tunc blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo.

iv. Triſt. viii. 31.

Si numeres anno ſoles & nubila toto.

& paſſim. Burmannus.

407. *Veneris quoque junge figuram.*] *Venerem junge figurâ* Regius & Puteaneus pro diverſa lectione. bene. quomodo & duo alii. & ſequenti verſu pro, *quamque decere putes*, *quaque* libri meliores. *putas* Regius & multi alii. Scribe, *quaque decere poteſt.* alioquin ſenſum vix commodum elicias. alter Regius, *Venerem finge figura.* ſed Jureti codex & Puteani,

——— *Veneri quoque junge figuram,*
Quam minime jungi quamque decere putes.

Jungere Venerem elegantius eſt. Art. lib. ii. 679.

Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.

Martialis lib. ii. Eleg. liii.

Quod plebeia Venus gemino tibi jungitur aſſe.

Ita ſcribe: cum nullo ſenſu in vulgatis legatur, *vincitur.* In antiquis codicibus, maxime Bilbilitani poëtae, *c* & *g* promiſcue confunduntur. Noſter in Ibide 351.

Quaeque ſui Venerem junxit cum fratre mariti
Locris.

Tibullus lib. i. Eleg. ix.

——— *Hunc ego credam*
Cum trucibus Venerem jungere poſſe feris.

Et libro iv. Eleg. xiii.

Hoc primum junctа eſt foedere noſtra Venus.

Auctor Argumentorum Virgilii lib. iv. de Aenea & Didone, *Veneris clam foedera jungunt.* ſic *jungere membra* Noſter lib. ii. Faſt. 592.

——— *Vitat*
Veſtra ſoror ſummo jungere membra Deo.

Ut & alibi non ſemel. *jungere* quoque *gaudia* & *amplexus*, & *corpora. jungere concubitus* Avienus Deſcriptione Orbis. ſic *committere Venerem* Propertius lib. ii. Eleg. xv. ut quidam codices:

Non juvat in caeco Venerem committere motu.

Et libro iv. Eleg. vii.

Saepe Venus trivio commiſſa, & pectore miſto
Fecerunt tepidas pallia noſtra vias.

Ita & illo loco ex vetuſtis libris legendum. ceterum figuram Veneris alibi quoque dixit Triſt. ii. 523.

Sic quae concubitus varios Veneriſque figuras
Exprimat, eſt aliquo pictа tabella loco.

Eodem libro 310. *Veneris ſtantes ad genus omne* dixerat. Auctor etiam obſcœni carminis:

Quo tot figuras, quot Philaenis enarrat,
Non admovente, prurioſa diſcedit.

Ita

Tu tantum numero pugna; praeceptaque in unum
Contrahe: de multis grandis acervus erit.
Sed quoniam mores totidem, totidemque figurae;
Non ſunt judiciis omnia danda meis.
Quo tua non poſſunt offendi pectora facto;
Forſitan hoc alio judice crimen erit.
Ille quod obſcaenas in aperto corpore partes
Viderat; in curſu qui fuit, haeſit amor:
Ille quod, à Veneris rebus ſurgente puellâ,
Vidit in immundo ſigna pudenda toro.
Luditis, ô, ſi quos potuerunt iſta movere.
Adflarant tepidae pectora veſtra faces.
Attrahat ille puer contentos fortius arcus:
Saucia majorem turba petetis opem.
Quid? qui clam latuit, reddente obſcaena puellâ;
Et vidit, quae mos ipſe videre vetat?

Dî

Ita ex veſtigiis libri vetuſti legendum, qui habebat *admonetis.* nam *pruriginoſa* lex carminis non admittit. Verſus iſti mendoſiſſimi erant. HEINSIUS. Ego legerem, ut in margine Berſmanni & Aldina & D. Heinſii editione, & aliis eſt:

Qua minime jungi quamque decere putes.

Eam figuram in ſingulis elige, qua putes Venerem unamquamque minime decere jungi.

409. *Raro tibi vera fatentur.*] *Rarae* Puteaneus & editiones nonnullae. Regius, *rara eſt ibi vera.* Lego, *rarae ſibi vera.* & ſic alter Regius. Blandiuntur, inquit, ſibi & verba dant. Vulgata lectio quid ſibi velit non video. HEINSIUS.

411. *Tunc etiam jubeo.*] *Jubeas* alter Regius. Lego, *jubeam.* IDEM.

413. *Ad metas.*] *Ad metam venit properata* quidam ſcripti; ut in Arte II. 727.

Ad metam properate ſimul.

Veniet etiam tres libri. & mox *laxaque* Boxhornianus codex.

415. *Dum piget & nullam malles tetigiſſe puellam.*] *Malis* Regius, Puteaneus & duo alii. forte, *ut nullam malis.* ſaepe ſic peccatum. HEINSIUS.

416. *Tacturusque.*] Editiones priſcae & tres ſcripti, *facturusque.* quod quomodo defendi poſſet ex iis, quae ad Petronii cap. IX. & LXXXVII. notarunt viri docti, non ſum neſcius. & ita etiam infra Noſtrum vers. 779. eodem ſenſu *Fecit Atrides.* tamen hic ex more Ovidii repeti debere idem verbum exiſtimo. BURMANNUS.

417. *Quaecunque in corpore menda eſt.*] *Quodcunque mendum* Regius & Puteaneus cum tribus aliis. Lego, *quodcunque mendi.* dixi ſupra, ſeptem alii *quodcunque mendae eſt.* etiam bene. HEINS.

423. *Tu tantum numero pugna.*] Duo libri, *Tu tamen &.* unus, *Tu tamen in.* alius, *Tu tantum in.* Lege, *Tu tantum, i, numero pugna.* vide quae notavi Amor. III. Eleg. IV. vers. I. HEINS.

423. *Praeceptaque in unum Contrahe.*] Ita in vet. lib. verè. CIOFANUS. *Praeceptaque in uſum* Puteaneus, non *unum.* HEINSIUS. *In unum collige* quinque ſcripti. *perceptaque* etiam Leidenſis & margo Berſmanni.

424. *Grandis acervus.*] *Magnus* quidam ex melioribus. HEINSIUS.

425. *Totidemque figurae.*] In Puteaneo & uno Leidenſi erat: *Mores totidem, quot in orbe figurae. quia ſunt mores* editiones antiquae & quinque ſcripti. & mox duo alii, *non ſunt judiciis omnia digna meis. indiciis* etiam nonnulli.

431. *A Veneris rebus.*] In uno Heinſii, *in Veneris uſu*, inde ille olim, *luſu* conjiciebat. ut ſupr. ℣s. 376. ſed *res Veneris* ne moveas. ita ſaepe Lucretius, ut notaverunt Elmenhorſtius ad Arnob. lib. III. pag. 113. & Herald. pag. 133. Cicer. de Senect. 14. *Rebus Venereis dediti.* Corn. Nep. Alcib. cap. ult. *uti rebus Venereis.* Columella lib. XII. 4. *Si rebus Venereis fuerit operatus, vel vir vel femina.* BURM.

433. *Iſta movere.*] Sic iidem libri. CIOFANUS. *juvare* eſt in aliis.

434. *Afflarant.*] *Afflarunt* editiones veteres & plurimi ſcripti.

435. *Attrahat ille puer.*] Fortaſſe, *attrahat* rectius. NAUGERIUS. *Attrahet* ſcripti meliores. HEINS. Ego *Attrahat* rectius puto. vos luditis & deridetis, qui modice tepetis, me, qui in his vim aliquam eſſe jacto ab amore revocandi; ſed attrahat modo Cupido arcus, & gravius vulneret, jam validiorem medicinam petetis. BURM.

437. *Reddente.*] *Radente* Heinſius edidit, ut erat in

Dî melius, quam nos moneamus talia quemquam!
Ut proſint, non ſunt experienda tamen.
Hortor &, ut pariter binas habeatis amicas.
Fortior eſt, plures ſi quis habere poteſt.
Secta bipartito cum mens diſcurrit utroque:
Alterius vires ſubtrahit alter amor.
Grandia per multos tenuantur flumina rivos,
Caſſaque ſeducto ſtipite flamma perit.
Non ſatis una tenet ceratas anchora puppes:
Non ſatis eſt liquidis unicus hamus aquis.

Qui

in Patavino. In Sarraviano, *radenti obſcaenâ puellae.* ut *obſcaena* ſint partes pudendae. ut ſaepe alibi. vid. ad VI. Faſt. 631. Sed *reddere obſcaena* dixit quoque Pomp. Mela libr. I. cap. 9. BURMANNUS.

438. *Et vidit quae mos.*] *Mox* libri meliores, ſed male. HEINSIUS.

438. *Et vidit, quae mox ipſe videre vetat?*] Ita legendum videtur, eodem libro ſuffragante. CIOFAN. *Mox ipſa* libri meliores. ſed male. HEINSIUS.

440. *Expedienda tamen.*] *Experienda* Puteaneus & multi alii ex ſcriptis cum prima editione. ſic infra ỽs. 804. vice verſa ſcribendum eſt:

Spe citius monitis expediere meis.

Ubi *experiere* legebatur. HEINSIUS. *Expedienda tibi* Bodlejanus. *expedienda tamen* Aldina poſterior, Gryph. & recentiores quaedam. *excipienda* duo ſcripti.

442. *Habere poteſt.*] *Habere parat* unus Heinſii. *potes* Patavinus: Heinſius olim volebat, *fortior es, plures ſi quis habere potes.*

446. *Sectaque ſubducto ſtipite flamma perit.*] Ita Jureti codex. quod ferri non poteſt, cum mox praeceſſerit. prima editio, & major ſcriptorum pars, *Magnaque.* octo codices, *Lataque.* quinque, *Altaque.* tres, *Lentaque.* duo, *Multaque.* unus, *Cunctaque.* alius, *Totaque.* vetuſtiſſima editio, & quinque ſcripti, *Laeſaque.* Politiani, *Laetaque.* Regius, *Haeſaque*, vel, *Caſſaque.* quod poſtremum amplector. Silius lib. V. 571.

—— *Stipula crepitabat inani*
Ignis iners, caſſamque dabat ſine robore flammam.

Vide Notas Faſt. VI. ỽs. 406. & Eleg. in Druſ. 236. Puteaneus, *Totaque*, & *Lataque*, vel *Laeſaque* pro diverſa lectione. praeterea pro *ſubducto* Regius optimus & ſeptem alii, *ſeducto.* etiam bene. Nec male *diducto* Puteaneus cum alio ex noſtris. HEINS.

448. *Nec ſatis.*] *Non ſatis* ſcripti majori ex parte. HEINSIUS. *In liquidis* Moreri & Leidenſis.

451. *Fueras dominae.*] *Faeris* Regius, Puteaneus, & ſeptem alii. HEINS.

453. *In Prognide perdidit ignes.*] In nonnullis, *in Pronide.* utrumcunque legatur, ego nuſquam de his Minois amoribus quicquam legi. NAUGERIUS. In *Prognide* ſcriptum annotavi: quum *in Plotide* legendum ſit. Fuit enim *Plotis* mulier formoſa, quam amavit Minos, relicta Paſiphaë: quae ea cauſa poſtea facta eſt meretrix, ut Pindari interpres ſcribit. Sunt qui *in Procride* legendum putent. Procris enim Cephali uxor, Minoa laborantem ſanavit, ut ſcribit Hyginius: & pro eo beneficio canem ab eo accepit. MERULA. Naugerius monet in quibuſdam libris *Pronide* legi. quomodo & nonnulli ex noſtris. Nec tamen hic ſeſe expedit. Omnium veterrimus Regius, *Prognaede.* Optimus Puteaneus, *Pocride.* unus Patavinus, *Progride.* alii aliter. Ne dubita quin *Procride* ſit ſcribendum. Hanc enim amavit Minos. Obiter rem tangunt Antonius Liberalis ſub finem Metamorphoſeon, Apollodorus in Bibliotheca, & Tzetzes Chiliad I. Fab. XX. Certe Procridem ad Minoem fugiſſe in Cretam plures teſtantur, eumque ex ulcere circa pudenda laborantem ſanaſſe, quos inter Hyginus in poëtico Aſtronomico, & Palaephatus. I. περὶ μυθῶν, praeter auctores ante laudatos. ſed in vulgatis Palaephati exemplaribus perperam pro ὑπὸ Πρόκριδος legitur, ὑπὸ κριδὸς. quod mendum etiam extat in Apoſtolio Centur. XIV. paroemia XCVI. qui Palaephatum exſcripſit. Hanc quidam cum Ovidio Erechthei filiam faciunt, alii Pandionis. Servio ad lib. VI. Aeneïd. 445. Iphicli filia eſt. Tzetzae Chiliad. fab. XX. Erechthei & Praxitheae. qui cauſam fugae hanc refert, quod accepta dono coronâ cum Pteleonte concubuiſſet. cum Erichtheo eam patre rem quoque habuiſſe, unde Aglaurus ſit natus, teſtis eſt Hyginus fab. CCLIII. Idem fab. CXCIX. Procridis & Cephali fabulam copioſe narrat. Sed nulla illic Minois mentio, etſi de Creticâ fugâ rem non diſſimulet. Illud tamen minus obvium, quod ex Cephalo & Procride Arceſium Laertae patrem, avum Ulyſſis prognatum aſſeverat. Etſi corrupte *Archium* pro *Arceſium* vulgo nunc legatur. ceterum pro *perdidit ignes* optime Puteaneus, *prodidit.* ut & duo aut tres alii. *Prodere* Donatus ad Terentium, pro *deſerere*, *projicere* exponit frequenter. ſic Dido de Aenea apud Virgil. IV. Aeneïd. 431.

Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.

Propertius libro II. Eleg. VII.

Nam

Qui ſibi jam pridem ſolatia bina paravit;
Jam pridem ſummâ victor in arce fuit.
At tibi, qui dominae fueris male creditus uni,
Nunc ſaltem novus eſt inveniendus amor.
Paſiphaës Minos in Procride prodidit ignes:
Ceſſit ab Idaeà conjuge victa prior.
Amphilochi frater ne Phegida ſemper amaret,
Callirhoë fecit parte recepta tori.
Et Parin Oenone ſummos tenuiſſet ad annos,
Si non Oebaliâ pellice laeſa foret.

Con-

Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo,
Quam poſſem nuptae prodere amore faces.
HEINSIUS.

454. *Ab Idaea.*] Plotida intelligit Merula, quae Cretenſis, ab Ida monte *Idaea* dicta. ſed rectius Parrhaſius ad Claudiani 1. de Rapt. Proſerp. ℣s. 199. de Cleopatra capit, quam duxit prius Phineus, ſed ea repudiata Idaeam, Dardani Scythiae regis filiam, duxit. Idaeam hanc Schyticam Pellicem vocat Scholiaſtes Apollonii ad lib. II. vers. 140. ex qua Thynum & Maryandynum ſuſcepit Phineus. & ad II. vers. 207. ex Dionyſio Mitylenaeo, qui de Argonautis ſcripſit, vocat Schythicam mulierem, quam duxerat Phineus. corruptus autem in hac voce idem Scholiaſtes ad lib. II. vers. 181. ubi cum ex Sophocle narraſſet, Phinea libros excaecaſſe ex Cleopatra, hoc feciſſe dicit, Πείσθεντα διαβολαῖς Διάς τῆς ἀυτῶν μητρυιᾶς, ubi legendum Ἰδαίας: nam idem ad lib. I. vers. 211. dicit Phinea poſt Cleopatram duxiſſe Idaeam Dardani filiam. Triclinius etiam Sophoclis commentator ad Antigon. ℣s. 977. narrat mortua Cleopatra ſuperduxiſſe Idaeam Dardani filiam, addit tamen alios tradere, viva & exacta Cleopatra eam duxiſſe. Hygin. fab. XIX. ſine nomine Novercam vocat, ubi vid. Munkerum. Idaeam quoque Nympham Scamandri fluminis uxorem, ex qua Teucer natus, memorat Apollodorus lib. III. pag. 178. ſed quae diverſa fuit. eandem, ſed tacito nomine, refert Conon. narratione XXI. & expreſſo nomine, Diodorus Siculus lib. IV. p. 192. fortaſſe tamen Dardani hujus filia, Idaea dicta a Dardano, in memoriam alterius Idaeae Teucri matris, quam etiam Dardani matrem ideo credidere, quia pro Dardano Teucrum ſaepe ponere ſolent Poëtae, ut Pollucem, pro Caſtore, notante Servio ad Virg. III. Georg. 89. & I. Aeneïd. 235. BURMANNUS.

455. *Amphilochi frater &c.*] Alcmaeonem profecto intelligit, qui, cum occiſa matre Argo fugiens Pſophidem, tunc Phegiam a Phegeo dictam, veniſſet, Alphefibaeam Phegei filiam uxorem duxit: cui inter cetera & matris monile dono dedit. poſtea cum hinc etiam, quippe ubi illi in dies augeſceret potius quam minueretur furor, aufugiſſet, conſulto Delphico Oraculo, in eam regionem venit, qua Achelous in mare irrumpit: hic & conſedit ille, & Callirrhöen Acheloi filiam uxorem habuit, ex qua Amphoterum & Acarnanem filios genuit. Cum vero muliebri quadam cupiditate Callirrhöe Eryphiles monile ſummopere ſibi optaret, Phegiam ob id regreſſus Alcmaeon, ab Phegei filiis Temeno & Axione occiſus eſt. haec prope & plura Pauſanias in Arcadicis de hac omnia re & Ovidius lib. IX. Metam. 406. meminit his verſibus:

Subductaque ſuos manes tellure videbit
Vivus adhuc vates: &c.

Hoc vero in loco videtur non *Phagida*, ſed a Phegeo, *Phegida* legendum. quamvis rectius eſſet *Phegeida*. ſed magna in his Poëtarum licentia. NAUGERIUS. *Amarit* rectius legatur. ceterum totus hic verſus valde eſt turbatus in libris ſcriptis. ita tamen ut ad vulgatam ii lectionem alludant, cui controverſia non eſt movenda. Hiſtoriam hanc tangit Noſter etiam in Metamorph. lib. IX. ſed paucis verbis. Agitur autem hic de Alcmaeone, qui Alphefibocae Phegei filiae Callirrhöen Acheloi filiam ſuperduxit. rem narrant cum alii, tum Pauſanias in Arcadicis, & Apollodorus. Alcmaeon & Amphilochus Amphiarai filii. male ergo *Antilochi frater* in multis codicibus. Apud Lucianum quoque in Pſeudomanti hic Amphiarai filius perperam Ἀντιλόχος appellatur, pro Ἀμφιλόχος. HEINSIUS. *Phegida* dixit eodem modo, ut a *Phoroneus Phoronida* lib. III. Metam. 668. & ſimilia.

457. *Et Paris OEnonen ſummos tenuiſſet in annos.*] Rectius Regius, *Parin OEnone.* idem *ad annos* cum aliis pleriſque. HEINSIUS. Recte Heinſius. *tenere* enim proprie mulier dicitur virum. vide quae notavit Gudius ad Phaedr. lib. II. fab. 12. & nos ad Quinctil. Decl. XIV. 3. & CCCLVII. Noſter. IV. Met. 204.

Diligis hanc unam, nec te Clymenenque Rhodosque,
Nec tenet Aeaëae genetrix pulcherrima Circes.
Senec. Herc. Furen. 235.

Tenetque regem fumula veridici Dei.

Quamquam nec negem etiam de viris dici, qui *tenent* puellas, ut Broukhuſ. ad Tibul. lib. I. Eleg. VI 3.

Conjugis Odryſio placuiſſet forma tyranno:
Sed melior clauſae forma ſororis erat.
Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?
Succeſſore novo vincitur omnis amor.
Fortius è multis mater deſiderat unum;
Quam cui flens clamat, Tu mihi ſolus eras.
Ac ne forte putes nova me tibi condere jura;
(Atque utinam inventi gloria noſtra foret!)
Vidit id Atrides. quid enim non ille videret,
Cujus in arbitrio Graecia tota fuit?
Marte ſuo captam Chryſeïda victor amabat:
At ſenior ſtultè flebat ubique parens.
Quid lacrimas, odioſe ſenex? bene convenit illis.
Officio natam laedis, inepte, tuo.

Juſſe-

egregie docet. ſed hic aliud ſuadet Poëtae mens, qui in Oenone deſiderium tenendi, non in Paride ponit, qui eam cum Helena libenter mutavit. Burmannus.

461. *Turba fatigat.*] Malim, *fatiget.* Heinsius.

463. *Parcius è multis mater deſiderat unam.*] Regius praeſtantiſſimus, *Foritus.* Lege, *Fortius.* & vide quae notavi ỳs. 281. libri primi Artis. *Fortis*, quae dolori moderatur & adfectibus. idque ex placito Stoïcorum, apud quos fortitudo in robore animi conſiſtit potius, quam in corporis viribus. Statius Theb. v. 653.

At non magnanimo pietas ignava Lycurgo.
Fortior ille malis, lacrymaſque inſana reſorbet
Ira patris.

Et lib. II. Silv. VI. 60.

O quam divitiis cenſuque exutus opimo
Fortior, Urſe, fores? Heinsius.

Firmat Heinſianam conrectionem Senec. Ep. 88. *Cogitavi enim, non quam fortiter ego mori poſſem, ſed quam ille fortiter deſiderare me poſſit.* ut recte Muretus legit. Quinct. Decl. VIII. 13. *Fortius feras inter aſſidentium manus, inter ſuorum officia labentes.* Burmannus.

464. *Quam quae flens clamat.*] Regius mendoſe, *Quem quoque flens.* Sarravianus, *qui flens.* Lege, *Quam cui flens clamat.* Heins.

465. *Et ne forte putes.*] Prima editio & duo libri ſcripti, *Ac.* alius, *Sed.* Scribo, *At.* pro *condere jura* Arondelianus, *prodere.* Heinsius. *Ac ne* probum & venuſtum eſt. ut egregie oſtendit Eruditiſſimus Bentlejus ad Horat. I. Od. 18. *tradere jura* etiam plurimi ſcripti, *fingere* quartus Puteaneus. *me contendere* Sarravianus. ſed *condere* praeſtat. quod rectius τῷ *nova* convenit. ut paſſim a JCtis, *condere leges, jura*, & *juris conditores* dicuntur. ut apud Quinctil. Decl. CCLX. Plaut. Epid. III. IV. *Legum atque jurium fictor, conditor cluet*: ubi recte Douza ambigue dictum eſſe obſervat, an à *condere*, an à *condire* ſit deducendum. Calpurn. Flac. Dec. 26. *Mihi videtur & ille, qui primus hanc condidit legem, nihil aliud cogitaſſe, quam patrem. nova* vero invidioſe dixit, ut ita *nova condere fata* Virg. X. 35. *jura* enim *nova* ſaepe idem, quod injuſta notat. vid. Cicer. I. in Verr. 41. & 42. Tacit. Ann. II. 30. *Callidus & novi juris repertor Tiberius.* Cicero pro Quinct. VIII. *Quam aequum nihil dico, verum hoc dico: novum.* ubi vide Manut. Burm.

467. *Quid enim non ille.*] *Et quid non ille videret* Farneſianus.

469. *Amabat.*] Unus Puteaneus *amarat.* Heins. *habebat* Puteaneus primus & duo alii. *raptam* etiam quinque.

471. *Bene contigit illi.*] Prima editio cum ſcriptis fere omnibus, *bene convenit illi*, praeter optimos Regium & Puteaneum, in quibus, *convenit illis.* vere. Martial. lib. VIII. Ep. XXXV.

Miror non bene convenire vobis.

Faſtorum IV. 811.

Contrahere agreſtes, & moenia ponere utrique
Convenit.

Pont. III. Eleg. II.

Extitit hoc unum, quo non convenerit illis.

Pro *tuo* mox multi, *tuam.* Heins. lib. I. Art. Am. 277.

Conveniat maribus.

Martial. VI. 65. *Conveniat nobis.*

473. *Quam poſtquam reddi Calchas ope tutus Achillis Juſſerat.*] Hoc è libro I. Iliados translatum eſt. Ciofanus. *Achilli* Farneſianus, recte omnino. ita Virgilius ſaepe. ſic & *Ulyſſi* noſter in Met. paſſim ſecundo caſu. monui ad librum I. Artis ỳs. 743. Heinsius.

474. *Patriâ eſt illa recepta domo.*] *Patrio ſinu* Francof. pro varia lectione.

475. *Atrides ait, eſt illius proximæ formâ; Et ſi prima ſinat littera, nomen idem.*] Chryſeis, quae

Quam poſtquam reddi Calchas, ope tutus Achillis,
Juſſerat, & patriâ eſt illa recepta domo;
Eſt, ait Atrides, illi quàm proxima formâ;
Et, ſi prima ſinat ſyllaba, nomen idem:
Hanc mihi, ſi ſapiat, per ſe concedat Achilles:
Si minus; imperium ſentiat ille meum.
Quod ſi quis veſtrûm factum hoc incuſat, Achivi;
Eſt aliquid validâ ſceptra tenere manu.
Nam, ſi Rex ego ſum, nec mecum dormiet illa,
In mea Therſites regna, licebit, eat.
Dixit; & hanc habuit ſolatia magna prioris;
Et prior eſt curâ cura ſepulta novâ.
Ergo adſume novas, auctore Agamemnone, flammas;
Ut tuus in bivio diſtineatur amor.

Quae-

quae prima littera excepta, idem nomen habet, quod Bryſeis, quae ad Chryſeidis pulchritudinem proximè accedit. CIOFANUS. Numeri duriores, quam ut Naſoniani videantur. Nec conſtant ſibi libri veteres. quorum nonnulli, *Eſt ait Atrides.* concinnius. Sed Jureti & Puteani codex:

Atrides ait, illius jam eſt proxima forma.

duo alii, *Atrides ait illius eſt proxima.*
duo alii, *Haec ait Atrides illius proxima forma eſt.* unus, *ſic ait Atrides.* Lego:

Eſt, ait Atrides, illi quam proxima formâ.

In quo nihil mihi permiſi, niſi quod pro *illius jam* veteri lectione repoſui, *illi quam.* HEINSIUS.

476. *Et ſi prima ſinat littera.*] *Syllaba* Regius cum Lincolnienſi & uno meo recte. Nam inter Briſeïdem & Chryſeïdem tota prima ſyllaba differt. de ſolâ primâ litterâ manifeſte falſum eſt. ſic lib. II. Faſtorum 590.

——— *Prima ſed illic*
Dicta bis antiquum ſyllaba nomen erat.

HEINSIUS. Sed *litera* poſſet retineri; ſi *i* & *y* pronuntiatione nihil fere differre, & *ch* Graeco χ. reſpondere ſtatuamus.

477. *Si ſapiat.*] Tres, *ſi ſapiet.* vid. ad Epiſt. V. 99.

478. *Sin minus.*] Scripti tam hic, quam aliis locis ſemper, *ſi minus.* HEINSIUS.

479. *Accuſat.*] *Incuſat* prima editio, & ex ſcriptis ſatis multi. HEINSIUS. In multis codicibus τὸ *hoc* non exſtat. *incuſet* vero rectum: proprie enim, cum minores reprehendunt viros auctoritate majore praeditos, non *accuſare*, ſed *incuſare* dicuntur. ut nos docet Servius ad Virg. I. Aeneïd. 410. *Talibus incuſat. Incuſare eſt proprie ſuperiorem arguere.* Idem Virgil. XII. 581.

Magnaque incuſat voce Latinum.

Quod & Terentius obſervat. Phorm. III. I.

Here, nos jamdudum hic te abſentem incuſamus.

BURMANNUS.

481. *Nam ſi Rex ego ſum.*] Scribo, *ſim.* ita poſtulat, τὸ *dormiat*, quod ſequitur. niſi mavis, *ſum* & *dormiet*, Sequenti verſu pro *eat*, liber Vaticanus, *eas.* Puto:

In mea, Therſite, regna, licebit, eas. HEINS.

383. *Hanc habuit ſolatia magna prioris.*] *Solatia bina* meus & Voſſianus. placet. ſupra 449.

Qui ſibi jam pridem ſolatia bina paravit. HEINS.

484. *Cura repulſa.*] Unus Puteaneus cum Lincolnienſi. *Et prior eſt poſita cura ſepulta nova.* unde elegans lectio formatur, *Et prior eſt curâ cura ſepulta novâ.* vide quae notavimus ſupr. Epiſt. X. 76. & ad Petron. fragm. pag. 676. ſic apud Claudian. II. in Eutrop. 147.

In gentes iterum ſaevire ſepultas.

Ubi quidam codices, *repulſas.* contra apud eumdem lib. I. ỳs. 212. ubi vulgo legitur:

Quid jure ſepultum
Mancipium tot regna tenet.

Libentius legerem, *repulſum.* eo ſenſu: quid ſervus, quem nemo voluit habere, ſed expulit domo, & qui toties dominos mutavit, nunc imperat orbi? nam antea ỳs. 40. dixerat:

Jam ſpecie doni certatim limine pellunt.

Vide & ſequentia. BURMANNUS.

485. *Flammas.*] *Curas* Puteaneus. vide mox 495.

486. *Ut tuus in bivio detineatur amor.*] Magis nobis ſatisfacit, quod in Scaligeri codice, *Ut tuus in bivio diſtineatur amor.* DAN. HEINSIUS. *Deſtineatur* Regius, & Scaligeri excerpta. recte. ſi legatur, *diſtineatur.* Sarravianus, *deſtituatur.* dixi Epiſtola VIII. ỳs. 69. Horatius libro IV. Od. V.

Ut mater juvenem, quem Notis invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem ſpatio longius annuo
Dulci diſtinct à domo.

Et lib. I. Epiſt. II.

Quaeris, ubi invenias? artes, i, perlege noſtras.
Plena puellarum jam tibi navis eat.
Quod ſi quid praecepta valent mea, ſi quid Apollo
Utile mortales perdocet ore meo;
Quamvis infelix mediâ torreberis Aetnâ;
Frigidior glacie fac videare tuae.
Et ſanum ſimula; ne, ſi quid forte dolebis,
Sentiat: & ride, cum tibi flendus eris.
Non ego te jubeo medias abrumpere curas:
Non ſunt imperii tam fera jura mei.
Quod non es, ſimula; poſitosque imitare furores:
Sic facies verè, quod meditatus eris.
Saepe ego ne biberem, volui dormire videri:
Dum videor, ſomno lumina victa dedi.

De-

Cur ita crediderim, niſi quid te diſtinet, audi.
Sic utroque loco meliores codices, non *detinet.* HEINSIUS.

487. *Artes tu perlege noſtras.*] *En perlege* duo libri. totidem cum prima editione, *jam perlege.* Sed vere Regius, *i, perlege.* vide Notas ad lib. III. Amor. Eleg. III. HEINSIUS.

488. *Jam tibi navis erit.*] *Eat* repone cum Politiani excerptis & duodecim ad minimum noſtris. ſic ſupra 70.

Rectaque cum ſociis me duce navis eat.

Et infra 532.

Quaque vocant fluctus, hac tibi remus eat.

Triſt. v. Eleg. v.

Quod ſupereſt, tutum per mare navis eat.

Et Eleg. ult.

Vela dabamus, quamvis remige navis eat.

II, ex Ponto II. 30.

Sed non per placidas it mea navis aquas. IDEM.

490. *Edocet ore meo.*] *Perdocet* ſcripti cum primâ editione. IDEM. *Praedocet* tres libri.

492. *Frigidior dominae fac videare tuae.*] Videtur ſcribendum, *dominâ tuâ.* Niſi quod unus Puteaneus & unus Leidenſis, *Frigidor glacie.* quod arridet. ſic Epiſt. I. 22.

Frigidius glacie pectus amantis erat.

Et X 32.

Frigidior glacie ſemanimiſque fui.

Tuae pro amicae tuae. Tibull. lib. IV. Eleg. VII.

Dicetur ſi quis non habuiſſe ſuam.

Ita enim legendum videtur. niſi *ſua* malis. Noſter infra 682. ex veteri codice:

Jamque face è multis una ſit illa tuis.

Horatius libro I. Od. XV. *Non hoc pollicitus tuae.* Helenae ſubaudi. nam ad Paridem eſt ſermo. Propert. I. Eleg. IX.

Et nihil iratae poſſe negare tuae.

Lib. III. Eleg. VII.

Me doceat livor mecum habuiſſe meam.

Noſter lib. I. Artis 322. de Paſiphaë:

Atque ait, exta tenens, Ite, placete meo.

Hinc illa apud Noſtrum paſſim obvia, *Clamabō, Meus eſt. Dicam, Meus es. Exclamat, Meus es.* Artis lib. II. 557.

Quo magis, ô Juvenes, deprendere parcite veſtras.

Faſtorum II. 492.

Eſt locus: antiqui Capream dixere paludem,
Forte tuis illic, Romule, jura dabas.

Tuis, nempe civibus. Fruſtra *viris* reponunt. vide ad Epiſt. XIII. 7. &, infr. ỹs. 573. HEINSIUS. *frigidior dominâ tuâ* conjecerat Douza.

493. *Nec ſi.*] *Ne ſi* ſcripti cum prima editione. HEINSIUS.

495. *Medias abrumpere flammas.*] *Curas* prima editio cum ſcriptis melioribus omnino bene. *cura* enim pro amoribus. ſic Dido apud Virgilium, *gravi dudum ſaucia curâ.* lib. VI. Met. 466. ex antiquo codice, *nec capiunt incluſas pectora curas.* ſic Noſter, ſic Tibullus ac Propertius, ſic alii paſſim. Sequenti verſu pro *imperii fera juſſa*, rectius Puteaneus & duo alii ex melioribus, *jura.* Vide Notas ſub finem Ep. III. HEINSIUS. ſic ſupra vers. 69. eadem varietas codicum in *curae* & *flammae* eſt obſervata. & modo vers. 485. variant itidem codices & ſaepe alibi.

497. *Quod non eſt ſimula.*] *Non es* lege cum melioribus. HEINSIUS.

501. *Simularat amare.*] *Simulabat* ſcripti & prima editio. IDEM.

504. *Cui poterit.*] *Qui poteris ſanum fingere, ſanus eris* Vaticanus.

507. *Nec dic convitia poſti.*] *Nec fac* prima editio

Deceptum risi, qui se simulabat amare;
In laqueos auceps decideratque suos.
Intrat amor mentes usu: dediscitur usu.
Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
Dixerit, ut venias pactà tibi nocte, venito.
Veneris, & fuerit janua clausa; feras.
Nec dic blanditias, nec dic convicia posti,
Nec latus in duro limine pone tuum.
Postera lux aderit; careant tua verba querelis:
Et nulla in vultu signa dolentis habe.
Jam ponet fastus, cum te languere videbit:
Hoc etiam nostrà munus ab arte feres.
Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi.
Propositis frenis saepe repugnat equus.

Utilitas

tio & scripti meliores magno numero. Amor. I. Eleg. VII.

At taciti fecere tamen convitia vultus.

Lib. III. Eleg. III.

Quid queror, & toti facio convitia coelo.

Et appositè ad hunc locum Met. XIV. 700.

——— *Posuitque in limine duro*
Molle latus, tristique ferae convitia fecit.

Epist. XVIII. 21.

Nec faciam surdis convitia fluctibus ulla.

XXI. 79.

Quam saepe, ut tardis, feci convitia remis!

Propertius lib. I. Eleg. VI.

Ut mihi deductae faciat convitia puppi
Cynthia?

Jureti codex & sex ex nostris, *fer convitia. fac incendia posti* pro diversa lectione Puteaneus. sic Artis libro III. 565.

Ille vetus miles sensim & sapienter amabit,
Multaque tironi non patienda feret.
Nec franget postes, nec saevis ignibus uret.

Eleg. VI. lib. I. Amor. ad Janitorem:

Aut ego jam ferroque ignique paratior omni,
Quam face sustineo tecta superba petam. HEINS.

Facere convicium, propria est locutio, sic & IX. Met. 302.

Ingrato facio convicia demens
Vana Jovi.

Et Phaedr. III. 16.

Cicada acerbum nocturnae convicium
Faciebat.

Quinct. Decl. XII. 3. *Miseriis nostris convicium faciam.* & CCLIX. *convicium moribus hujus fecerunt.* Terent. Adel. II. I.

Ante aedes non fecisse erit melius hic convicium.

Auctor tamen Moreti:

Immeritoque furens dicit convicia fumo.

Quod & hic retineo: ex more enim Ovidius repetit idem verbum. *Nec dic blanditias, rigido nec jurgia posti* duo codices. BURMANNUS.

510. *Signa dolentis.*] Multi codices, *doloris*, vel *pudoris*: frustra. vid. Fast. IV. 586. & VI. 66. & III. Art. 606.

512. *Feras.*] *Feres* scripti cum prima editione. HEINSIUS.

513. *Te quoque fallet amor, dum sit tibi finis amandi.*] *Tunc quoque fallit amor, ne sit tibi* Puteaneus. pro, *fallit* multi, *fallat.* pro, *dum sit*, Sarravianus, *dum fit.* tres, *nisi sit.* alii, *nec, ne, ni.* unus, *ut sit.* Regius:

Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi.

Quod secuti sumus. *falle tamen* etiam in excerptis Politiani & uno ex nostris. Non satis est, inquit, ut fallas dominam, atque illi persuadeas te non amare, sed tibi quoque ipsi persuades velim, non eo fine haec à te agi, ut amare desinas. HEINSIUS. non video satis aptum ex his verbis sensum, nisi legas:

Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi
Praepositus. Frenis saepe repugnat equus.

Ne tibi proponas hunc finem, te velle desinere; nam tunc amor, quo cales, repugnabit, ut equus saepe frenis repugnat, sed falle te, & crede haec a te non agi, ut a domina avellaris; sed ipsa consuetudine & usu paullatim dediscas amare. sic supr. 212.

Ipse tibi furtim decipiendus eris.

Cui similis lectio varia in Francof. *te quoque falle tibi. Impositis frenis* volebat Francius. *oppositis* Leidensis. *praepositis* editi quidam & scripti plurimi. BURMANNUS.

Utilitas lateat; quod non profitebere fiet.
Quae nimis adparent retia, vitat avis.
Ne ſibi tam placeat, quò te contemnere poſſit;
Sume animos: animis cedat ut illa tuis.
Janua fortè patet; quamvis revocabere, tranſi.
Eſt data nox; dubita nocte venire datâ.
Poſſe pati facile eſt; tibi ni ſapientia deſit;
Promtius è facili gaudia ferre licet.
Et quisquam praecepta poteſt mea dura vocare?
En etiam partes conciliantis ago.
Nam, quoniam variant animi, variamus & artes.
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.
Corpora vix ferro quaedam ſanantur acuto:
Auxilium multis ſuccus & herba fuit.
Mollior es, nec abire potes, vinctusque teneris,
Et tua ſaevus Amor ſub pede colla premit;
Deſine luctari; referant tua carbaſa venti:
Quoque vocant fluctus, hac tibi remus eat.
Explenda eſt ſitis iſta tibi, quâ perditus ardes.
Cedimus: in medio jam licet amne bibas.

Sed

515. *Fiet.*] Melius, *fies*, ut ſupr. 497. *Quod non es, ſimula.* Heinsius.

517. *Nec tibi tam placeat ut te contemnere poſſit.*] Puteaneus *ſibi* pro diverſâ lectione. quod & Pataviuus agnoſcebat. Regius, *Nec ſibi tam placeat, nec te.* Scripti plerique, *quod te* cum prima editione. unus meus pro diverſa lectione, *quo.* recte. Heinsius. Recte Heinſius conſtituit locum: *quo hic* valet *ut*, quemadmodum Epiſt. xviii. 203. & xx. 23. *ſibi* vero *placere* quid ſit, docuimus ad Petron. cap. xliv.

521. *Tibi ni patientia deſit.*] Alii, *ſi non.* unus Vaticanus, *niſi patientia.* Lege, *niſi ſi.* & vide Notas ad Epiſt. iv. vers. iii. *ſapientia* etiam in nonnullis. Regius:

Poſſe pati facile eſt, ubi ſapientia deſit.

Puto, *niſi ſi ſapientia deſit.* ſic ſupra ii. Art. 196.

Artis erunt cauto mollia juſſa meae. Heinsius.

522. *Protinus ex facili gaudia ferre licet.*] Lego, *Pronius.* ut ſupra iii. Art. 674.

Prona venit cupidis in ſua vota fides.

Et:

Prona tibi vinci cupientem vincere palma eſt.

Sed Puteaneus à manu primâ, *Promtius*, quod ſequor. Epiſt. xiii. 123.

Promptior eſt dulci verba referre mora. Heins.

In uno Vaticano erat, *gaudia magna feres.*

523. *Dura vocare.*] *Saeva* tredecim ſcripti.

525. *Variabimus artes.*] *Variamus* & bene Puteaneus, niſi, *variemus* mavis. Heinsius.

528. *Auxilium multis ſuccus & herba fuit.*] Male quidam codices, *tulit*, vel *dedit. Auxilio fuit* non male duo codices. ſic infra ỳs. 582. *Auxilio turba futura tibi eſt.* ut quidem legendum. Met. xii. 89.

—— *Nec onus cava parma ſiniſtrae*
Auxilio mihi ſunt.

Nihil tamen hic mutem. vide Notas Faſtorum ii. ỳs. 408. Heinsius. Ita Vell. ii. 110. *Pars ſuis ſedibus praeſidium eſſe deſtinaverat*, ubi perperam Heinſius malebat, *praeſidio eſſe.* vid. iv. Met. 603. Burmannus.

530. *Colla premit.*] Major librorum pars, *tenet*, ſed perperam. Propert. i. Eleg. i.

Et caput impoſitis preſſit amor pedibus.

Ubi vide eruditionis elegantiſſimae interpretem Broukhuſium, & quos laudat. ſi quid mutandum, reponerem, *terit*, ſed nil neceſſe. Burm.

531. *Referant tua carbaſa venti.*] *Referent* libri meliores cum prima editione. ſcribendum eſt, *referant ſine.* nam *tua* paulo ante praeceſſit. niſi mavis, *ſua carbaſa.* & mox, *Quoque vocant*, pro *Quaque* Puteaneus. Heinsius.

534. *A medio.*] Sarravianus & Francofurtenſis, *in medio.* probo. vide ad i. Art. 748. Burm.

535. *Poſcunt.*] *Poſcant* malo. Heins.

537. *Utere & uſque tuâ.*] Regius & Puteaneus cum quatuor aliis & prima editione, *Et fruere.* alter

Sed bibe plus etiam, quam quod praecordia poſcunt:
Gutture fac pleno ſumta redundet aqua.
Perfruere usque tuà, nullo prohibente, puellà.
Illa tibi noctes auferat, illa dies.
Taedia quaere. malis faciunt & taedia finem.
Jam quoque, cum credas poſſe carere, mane.
Dum bene te cumules, & copia tollat amorem;
E faſtiditâ non juvet îſſe domo.
Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit.
Hunc tu ſi quaeres ponere; pone metum.
Qui timet, ut ſua ſit, neu quis ſibi detrahat illam;
Ille Machaoniâ vix ope ſanus erit.
Plus amat è natis mater plerumque duobus,
Pro cujus reditu, quod gerit arma, timet.
Eſt prope Collinam templum venerabile portam:
Impoſuit templo nomina celſus Eryx.
Eſt illic Lethaeus Amor, qui pectora ſanat;
Inque ſuas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & juvenes votis oblivia poſcunt:
Et ſi qua eſt duro capta puella viro.

Is

alter Regius, *in fruere.* duo, *ſic fruere.* Scribe, *I fruere.* & vide Notas ad lib. III. Amor. Eleg. III. codex tamen Scaligeri & unus Vaticanus, *Perfruere.* ſic Epiſt. VIII. 106.

Perfruor infelix liberiore malo. HEINS.

539. *Taedia quaere mali: faciunt & taedia finem.*] *Faciunt quoque* octo. tres, *quia.* unus, *nam.* Scribe:

Taedia quaere: malis faciunt & taedia finem.

Supr. 143. *finem qui quaeris amori.* ubi vide. HEINSIUS.

540. *Jam quoque cum credes poſſe carere mane.*] *Credas* multi ex melioribus, Lege:

Tum quoque, cum credes poſſe carere, mane.

HEINSIUS.

541. *Dum bene te cumulas, & copia tollit amorem.*] *Cumules* & *tollat* ſcripti cum prima editione. Sequenti verſu, pro *libet eſſe* veteres plerique, *juvet* vel *juvat.* ſed meliores, *juvet.* Scaligeri codex & unus Vaticanus, *Infaſtiditâ.* Lego minimâ mutatione:

Dum bene te cumules, & copia tollat amorem,
E faſtiditâ non juvet îſſe domo.

Pro *Et* repoſuimus, *E*, pro *eſſe*, *iſſe.* in quibus frequentiſſime peccant libri veteres. cetera auctoritate codicum ſcriptorum nituntur. Avienus Fab. XXXVII.

Nec cuſtodita fas ſit abire domo.

Apud Valerium Flaccum ſimilis error commiſſus libro III. 296.

—— *Quod ſi jam bella manebant,*
Et placitum hoc ſuperis: nonne hic mea juſtius iſſent
Funera? meque tuus melius nunc plangeret error?

Non haec mea juſtius eſſent nunc legitur. Propertius III. IX. 37.

Iſſent Phlegraeo melius tibi funera campo. HEINS.

544. *Hunc ſi tu quaeris.*] *Tu ſi quaeres* meliores. HEINSIUS.

545. *Qui timet ut ſua ſit, ne quis ſibi ſubtrahat illam.*] *Detrahat* primâ editio & plerique ſcripti. ſic Met. VI. 386.

Quid me mihi detrahis, inquit?

Praeterea legendum:

Qui timet, ut ſua ſit; neu quis ſibi detrahat illam;

HEINSIUS. *ſubtrahit* dixit tamen ſupr. 444.

546. *Vix ope ſanus erit.*] Alii libri, *tutus.* unus, *ſalvus.* Sed nil muta. Patavinus, *ſanus erat.* Lego, *ſanus eat.* Vide Notas in Elegiam de morte Druſi ſub finem. HEINS.

549. *Eſt prope Collinam templum venerabile portam:*
Impoſuit templo nomina celſus Eryx.] Lib. IV. Faſt. 871. Strabo lib. VI. CIOFANUS.

550. *Celſus Eryx.*] Vide quae notavi ex Polybio in Epiſtola Sapphus. IDEM.

551. *Pectora ſanat.*] *Fovit* unus Heinſii. *vulnera ſanat.* alius mox, *inque ſuis g. lampadis* unus Putean.

Is mihi ſic dixit: (dubito, verusne Cupido
An ſomnus fuerit; ſed puto ſomnus erat.)
O qui ſollicitos modo das, modo demis, amores,
Adjice praeceptis hoc quoque, Naſo, tuis.
Ad mala quisque animum referat ſua; ponet amorem:
Omnibus illa Deus plusve minusve dedit.
Qui Puteal Janumque timet, celeresque Kalendas,
Torqueat hunc aeris mutua ſumma ſui.
Cui pater eſt durus, votis ut cetera cedant,
Huic pater ante oculos durus habendus erit.
Hic malè dotatâ pauper cum conjuge vivit:
Uxorem fato credat obeſſe ſuo.
Eſt tibi rure bono generoſae fertilis uvae
Vinea: ne naſcens uva ſit uſta time.

Ille

tean. & Leidenſis. tentavit olim Heinſius, *lampaſin.* Vix puto. nam ſolet *addere* Noſter cum praepoſitione *in* accuſativo jungere.

556. *Sed puto ſomnus erat.*] Scribo, *nec puto.* infra 576.

Deſtituit ſomnum: ſi modo ſomnus erat.
Faſtorum III. 28.

Utile ſit fauſtumque precor, quod imagine ſomni
Vidimus. an ſomno clarius illud erat?

Superiori verſu, pro *Hic*, meliores libri, *Is.* Heins.

557. *O qui ſollicitos.*] Regius, *ſollicitus*: ſcribendum forte, *ſollicitis.* ſcilicet juvenibus & puellis, ut II. Amor. 16.

Solliciti jaccant.

I. Amor. ult.

Atque a ſollicito multus amante legar.

Sic *ſollicita Briſeis* III. Epiſt. 137. Burm.

558. *Hac quoque.*] *Haec quoque* meliores. Heins.

560. *Omnibus illa deus.*] *Ille* ſcripti plerique cum prima editione. ſed male. refer ad *mala.* Idem.

561. *Puteal.*] Merula dictum hoc puteal Libonis putat, quia ille primus ibi ſubſellia poſuit, & tribunal fecit, quem ſine ulla antiquitatis inquiſitione aut guſtu ſecutus, ut ſolet, Criſpinus. ſed minime tribunal fuiſſe, docuit egregie Torrentius ad Horat. II. Sat. VI. 35. & Spanh. de Uſu & praeſt. numis. diſſ. X. cap. IV. §. I. pag. 189. &, quos ille adducit, Scaliger & Salmaſius. Ara fuit, ad quam foeneratores conveniebant, & hoc docet *Janus* adjunctus puteali. nam & ad illum foeneratores verſatos docet idem Horat. II. Sat. III. 18.

Poſtquam omnis res mea fracta eſt
Ad medium Janum.

De quo Jano medio diverſa ſentiunt viri docti, quae nunc excutere non vacat. vid. Lamb. Torrent & Bentl. ad Horat. I. Epiſt. I. 54. & Nardin. de Roma Veter. V. cap. 7. & alios. Burmannus.

562. *Torqueat hunc aeris mutua ſumma ſui.*] Hoc eſt, anxius & ſollicitus de aere; quod ipſe ab aliis mutuo accepit. Merula autem, *Mutua cura*, legit, exponitque de aere, quod quis aliis mutuo dedit. Sed huic expoſitioni repugnare videtur, quod verſu praecedenti dicitur, *Qui puteal, Janumque timet, &c.* non enim creditores, ſed debitores judicem metuunt, & de tempore ſolutionis ſolliciti ſunt. Micyllus.

563. *Cui durus pater eſt, ut voto cetera cedant.*] Concinnius quatuor ſcripti:

Cui pater eſt durus, ut votis cetera cedant,

Niſi quod tranſpoſitis vocibus lego, *votis ut.* Heinsius.

564. *Habendus.*] Sic Seneca Epiſt. X. *Aliquis vir bonus ante oculos ſemper habendus eſt. ſemper habendus* hic tres ſcripti.

565. *Cum conjuge vivit.*] *Dormit* Politiani codex & Cantabrigienſis. ut epiſt. Helenae, *& tu ſine conjuge dormis.* Heinsius. Vide ad I. Art. 601. & ſup. 481. *Qui male dotata* etiam tres libri.

566. *Uxorem fato credat obeſſe ſuo.*] Magnus Scaliger emendabat:

Uxorem facto credat adeſſe ſuo. Dan. Heinsius.

Facto adeſſe vel *abeſſe* ſcripti plerique. nil muto. Heinsius.

567. *Rure bono.*] Tres ſcripti, *rure novo*, quod minime ſpernendum: major enim ſollicitudinis materia naſci poſſe videtur ex novo rure, quod nunc demum culturae a nobis eſt paratum. *bonus* vero & *novus* ſaepe confuſa a librariis. vid. IV. Triſt. II. 40. mox, *ne creſcens uva* Vatican. etiam non male. Burmannus.

569. *Ille habet in reditu navem.*] *Navim* Regius. ſic idem cum aliis melioribus paulo poſt:

——— *Media navim Palinurus in unda*
Deſerit. Heinsius.

In reditu habere, bonus ille pecunia regia auctoratus interpres vertit, *habet navem in recurſu*, magni ſcilicet

Ille habet in reditu navim: mare ſemper iniquum
Cogitet, & damno litora foeda ſuo.
Filius hunc miles, te filia nubilis angant.
Et quis non cauſſas mille doloris habet?
Ut poſſis odiſſe tuam, Pari, funera fratrum
Debueras oculis ſubſtituiſſe tuis.
Plura loquebatur; placidum puerilis imago
Deſtituit ſomnum: ſi modo ſomnus erat.
Quid faciam? mediâ navim Palinurus in undâ
Deſerit. ignotas cogor inire vias.
Quisquis amas (loca ſola nocent) loca ſola caveto.
Quo fugis? in populo tutior eſſe potes.
Non tibi ſecretis (augent ſecreta furores)
Eſt opus: auxilio turba futura tibi eſt.

Triſtis

ſcilicet laboris eſt argumentum, ſi vel unam vocu-lam in paraphraſi mutes. ſed ego puto, *in reditu habere* notare, qui ex navi quotannis, ut alii ex agris, reditum capit, & inde quaeſtum facit; ſic Plinius Valerianus in praefatione ſua de Re Medica: *Quosdam comperi hoc genere graſſari languores, qui poſſent paucis diebus, vel etiam horis repelli, ut in longum tempus protaherent, & aegros ſuos diu in reditu haberent.* Senec. de Brevit. vit. XI. *Tota, (ut ita dicam) in reditu eſt.* ſenſus ergo eſt, qui nihil poſſidet praeter unicam navem, ex qua vitam toleret, & quaeſtum faciat, cogitet ſemper mare iniquum. BURM.

570. *Damno littora ſaeva ſuo.*] *Littora foeda* prima editio & ſcripti omnes meliores. Quid ſi *foeta* legas? ſic Noſter lib. XIV. Met. 104.

Littora Cumarum, loca foeta paluſtribus ulvis?

Virgil. lib. Aen. I. 51.

Nimborum in patriam, loca foeta furentibus auſtris, Aeoliam venit. HEINSIUS.

Veroſimilem conjecturam faciunt duo codices in quibus erat, *plena*, quo verbo Gloſſator explicuit, *foeta.*

571. *Hunc filia nubilis angat.*] *Te filia* iidem libri. & hoc bene. *angant* etiam Puteaneus. HEINS. De τῷ *angere* egimus lib. III. Art. 541. Sed hic in Leidenſi erat, *urat*: eleganter mehercule. vide quae ad III. Art. Am. 541. hanc vero non eſſe levem ſollicitudinem docet Lucianus in Toxari pag. 624. *Μάλιϛα δὲ ἀυτὸν, ἡνία ἐυγατὴρ ἀυτὴ, ἐπίγαμος ἤδη καὶ ὀκτωκαιδεκάτις οὖϛα.* BURM.

572. *Mille doloris.*] Eleganter Moreti unus, *mille ſalutis.* quam nimirum ex doloribus & curis, & meis praeceptis, & aliis, quae ipſe ſibi dare poteſt amator, habet.

573. *Poſſes.*] *Poſſis* iidem. HEINSIUS.

574. *Subſtituiſſe tuis.*] *Suſtinuiſſe* ſcripti plerique cum Jureti & Scaligeri excerptis. Excerpta Politiani & ſex alii codices; *praepoſuiſſe.* Lego, *prae-poſuiſſe.* Lib. II. Art. 516.

Proponent animo multa ferenda ſuo.

Sic paulo ante 514.

Propoſitis frenis ſaepe repugnat equus.

Ubi ſcripti fere omnes, *praepoſitis.* Vulgatam tamen lectionem non damno. quomodo & alios locutos memini, ſed loca non ſuccurrunt. HEINSIUS. *Suſtinuiſſe* aliud quid ſignificaret; de quo vide ad Epiſt. VIII. 56. quod hic admitti poſſet tamen, ut ſcilicet Paridem ignaviorem inducat, qui debuiſſet audere coram aſpicere funera fratrum. ſed vulgatam etiam retineo, etſi ſingulariter dictum ſit. BURM.

576. *Deſtituit ſomnus.*] In nonnullis, *deſtituit ſomnum*, ut ſit, *placidum ſomnum.* NAUGERIUS. Scripti nonnulli, *placide*, & *Deſtituit ſomnus* cum primâ editione; vel etiam, *Deſtituor ſomno.* perperam. *Plura loquebatur*, hoc eſt, poſtquam plura eſſet locuta, deſtituit ſomnum. HEINSIUS. *Placidus* unus Heinſii & Edit. Micylli. *deſtituit ſomnus* rectius dici puto, ſcilicet dormientem me, quam *imago deſtituit ſomnum. diſcuſſit* melius dixiſſet. ita Epiſt. XV. 136.

Tam cito me ſomnos deſtituiſſe queror.

Quare mendum in voce *placidum* latere puto, quod ut epithethon appoſuit vulgare librarius gloſſator. forte:

Plura loquebatur mihi dum (vel *cum*) *puerilis imago,*
Deſtituit ſomnus. BURMANNUS.

577. *Media navem Palinurus in unda.*] *Navim* Regius & Puteaneus cum uno Vaticano, ut jam dixi. deinde *medias undas* Puteaneus. HEINSIUS. *navim* etiam Francof.

581. *Nam tibi ſecretos augent ſecreta furores, Eſt opus auxilio, turba futura tibi eſt.*] Haec inquinatiſſima ſunt. pro, *ſecretos* alter Regius, *ſecretis*, pro *Nam* Puteaneus, *Non*, & ſequenti verſu

Triſtis eris, ſi ſolus eris: dominaeque relictae
Ante oculos facies ſtabit, ut ipſa, tuos.
Triſtior idcirco nox eſt, quam tempora Phoebi:
Quae relevet luctus, turba ſodalis abeſt.
Nec fuge colloquium: nec ſit tibi janua clauſa:
Nec tenebris vultus flebilis abde tuos.
Semper habe Pyladen, qui conſoletur Oreſten.
Hic quoque amicitiae non levis uſus erit.
Quid niſi ſecretae laeſerunt Phyllida ſilvae?
Certa necis cauſſa eſt: incomitata fuit.
Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho
Ire ſolet fuſis barbara turba comis.
Et modo, quâ poterat, longum ſpectabat in aequor:
Nunc in arenoſâ laſſa jacebat humo.
Perfide Demophoon, ſurdas clamabat ad undas:
Ruptaque ſingultu verba dolentis erant.

Limes

pro, *auxilio*, *in populo.* alii, *Nunc*, vel *Jam.* codex Regius optime:

Non tibi ſecretis (augent ſecreta furores)
Eſt opus. auxilio turba futura tibi eſt.

Cui ſcripturae nihil de noſtro addidimus, praeter nudas diſtinctiones. *turbam* pro populi confluxu ponit hic, ut & libro de Art. Am. III. ŷs. 417. ubi vide notas noſtras. HEINS. *Secretis* etiam Francof.

586. *Quae relevet.*] *Quaeque levet* editiones priores Micylli, Berſmanni & aliae, cum ſcriptis plurimis. *quae releves* tres Berſmanni. forte, *quâ releves luctus.* pro *luctus* etiam *fletus* unus Puteaneus.

586. *Turba ſodalis.*] In Regio & Jureti, *fidelis.* lib. IV. ex Pont. XIV. 46.

Non mordenda tibi turba fidelis erat.

Ubi etiam quidam codices, *ſodalis.* ſic III. Metam. 379. *Comitum ſeductus ab agmine fido.* BURM.

587. *Nec ſit tua janua clauſa.*] *Sit tibi* meliores. HEINSIUS.

588. *Nec tenebris luctus flebilis adde tuos.*] *Vultus flebilis abde* cum primâ editione, & iiſdem ſcriptis reponendum. *abde tuis* prima editio & Regius. Lego, *abde ſuis.* nam *oculos tuos* paulo ante praeceſſerat. IDEM.

589. *Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Oreſten.*] *Pyladen, qui te procuret* Mentelianus. alius, *Pyladen tecum qui curet.* duo, *ſocium qui curet.* tres, *qui te conſoletur.* malim, *qui te ſoletur.* Latet aliquid mendi. HEINSIUS. *Qui te comitetur* volebat Francius. ſed nec vulgata facile ſpernenda. *Pyladen aliquem*, ut infra 741. *aliquis Calchas.* & *Quis Cephalus* I. Amor. XIII. 39. ubi vide. *curare* autem etiam non ineleganter, pro curas levare, reficere. Cicer. Philip. IX. 3. *Multis illi in urbibus, reſiſtiendi ſe & curandi poteſtas fuit.* & proprium eſſe Medicorum notum eſt. BURMANNUS.

593. *Ibat ut Aedonio.*] In nonnullis, *Aonio.* & fortaſſe melius: nam longa eſt ſecunda ſyllaba in *Aedonio.* NAUGERIUS. Paganinus ex aliis libris legit, *Aonio.* ſic lib. I. De Arte:

—— *Ut Aonio concita Baccha Deo.*

Et II.

—— *Ut Aonii cornibus icta Dei.* CIOFANUS.

Edonio ſcripti, vel, *Aonio.* quod poſterius Naugerius in Notis ſuis & Alexander Paganinus apud Ciofanum amplectuntur. quia ſcilicet Noſter Art. lib. I. 312.

Fertur ut Aonio concita Baccha deo.

Et lib. II. 380. *Aonii cornibus icta Dei*, dixerit. ſed de Bacchis Thraciis, & cultu Bacchi in Thracia res eſt notiſſima. Noſter Met. VI. 587.

Tempus erat, quo ſacra ſolent trieterica Bacchi
Sithoniae celebrare nurus.

Et IX. 640.

Iſmariae celebrant repetita triennia Bacchae.

Celebrans trieterica Sarravianus. vide Triſt. IV. Eleg. I. ŷs. 42. HEINS. *Aonio* etiam G. Fabricius ad Virgil. XII. Aeneïd. 365. quem vide. ſed *referens* non debet mutari: eſt enim proprium in ſacris verbum, quae referuntur, & inſtaurantur, more antiquo & a majoribus inſtituto. Claud. II. Rapt. 67.

Aut quales referunt Baccho ſolemnia Nymphae
Maeoniae, quas Hermus alit.

Noſter I. Faſt. 394.

Feſta corymbiferi celebrabat Graecia Bacchi;
Tertia quae ſolito tempore bruma refert.

ŷs. 532. *Sed facit extrema ſacra relata die.* ubi vide Heinſii notas. & ita lib. X. Metam. 727. ex MSS. *Annua plangoris referet ſimulamina noſtri.* ubi vulgo *peraget.*

Limes erat tenuis, longâ ſubnubilus umbrâ:
Quo tulit illa ſuos ad mare ſaepe pedes.
Nona terebatur miſerae via. Videris, inquit:
Et ſpectat zonam pallida facta ſuam.
Adſpicit & ramos: dubitat, refugitque quod audet:
Et timet: & digitos ad ſua colla refert.
Sithoni, tunc certè vellem non ſola fuiſſes;
Non fleres poſitis Phyllida, ſilva, comis.
Phyllidis exemplo nimium ſecreta timete,
Laeſe vir â dominâ, laeſa puella viro.
Praeſtiterat juvenis, quidquid mea Muſa jubebat;
Inque ſuae portu pene ſalutis erat.
Recidit, ut cupidos inter devenit amantes:
Et, quae condiderat, tela reſumſit Amor.
Si quis amas, nec vis; facito contagia vites.
Haec etiam pecori ſaepe nocere ſolent.

Dum

peraget. ſacra *novare* dixit Valer. Flaccus lib. 1. 774. & IV. 530. & Livius paſſim *inſtaurare.* De voce *Edono* vide Broukh. ad Propert. I. Eleg. III. 6. & Barth. ad Stat. v. Theb. 78. BURM.

595. *Et modo, qua poterat, latum ſpectabat in aequor.*] *Longum aequor* ſcripti omnes meliores cum primis editionibus. Am. VI. Eleg. XI.

O utinam, ne quis remo freta longa moveret,
Argo funeſtas preſſa bibiſſet aquas?

Epiſt. XIV. 103.

—— *Quid, iö, freta longa pererras.*

Epiſt. XVI. 22.

Longa Phereclaea per freta puppe vias.

Faſt. III. 868.

Ille vehit per freta longa duos.

Horatius III. Od. 3.

Dum longus inter ſaeviat Ilion
Trojamque Pontus.

Pro *qua poterat*, quatuor, *quod.* totidem, *quam.* vid. Notas ſupr. ℣s. 325. HEINSIUS. Recte *longum aequor.* vide Broukh. ad Tibul. I. Eleg. IV. 18. ſic *longa juga* Epiſt. V. 20. ubi vide.

598. *Ruptaque ſingultu verba loquentis.*] *Raptaque* Regius & Puteaneus. non probo. idem Regius, *dolentis* pro diverſa lectione. quomodo ſeptem alii. recte. ſed *querentis* puto ſcribendum, quo verbo Noſter impenſe gaudet. ſic infra ℣s. 644.

Deque tua domina multa querenda refers.

Ubi libri veteres ſimiliter, *dolenda.* HEINSIUS. ſic lib. II. Art. 306. *Et quod deſierit verba querentis habe.*

600. *Qua tulit ipſa.*] *Quo tulit illa* meliores, cum primis editionibus. HEINSIUS.

601. *Nona terebatur miſerae via: viderit, inquit,* *Et ſpectat zonam pallida facta ſuam.*] Hunc locum explicat Parrhaſius, cujus verba & ſententiam poſui initio libri ſuperioris. CIOFANUS.

601. *Viderit, inquit.*] Optimus Patavinus, *videris.* ut ſe ipſam alloquatur. quomodo ſaepe aliàs. vide Notas ad Epiſt. X. vers. 75. de Elegantia verbi *videris* dixi Pontic. libro I. Eleg. II. HEINS.

603. *Adſpicit & ramos, dubitat, refugitque quod audet,* *Et timet, & digitos ad ſua colla refert.*] Rectius puto ſcribendum:

Adſpicit & ramos dubitans fugienſque quod audet;
Et timidè digitos ad ſua colla refert.

Timidè, ut infra 722.

Tu timide flammae perfida verba dabis?

HEINSIUS.

606. *Non fleſſet.*] *Fleſſes* Jureti codex & ſeptem alii cum altero Regio. duo mei & duo alii, *fleres.* ut τὸ *Sithoni* in ſuperiori verſu cum *ſylva* conſtruatur. *non ſola* in ſuperiori verſu ſcripti, pro *ne.* HEINSIUS.

607. *Nimium ſecreta cavete.*] *Timete* ſcripti & prima editio. IDEM.

611. *Decidit.*] Duo, *Accidit.* Regius, *Reccidit*, pro *Recidit.* ut fere ſemper ſcribitur in vetuſtiſſimis libris, quando prima ſyllaba producitur. recte. *Recidit* etiam eſt in excerptis Scaligeri. Vide Epiſtol. XIX. ℣s. 46. HEINSIUS.

612. *Et qui deciderant tela.*] *Conciderant* plerique veteres. unus, *ceciderant.* alius, *reciderant.* ſed Sarravianus, alter Regius, & unus Vaticanus, *condiderat.* probe. in pharetra videlicet. ſic in Faſt. lib. II. 326.

Conditaque in pharetra tela minora ſua.

Propertius libro II. Eleg. XVI.

Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Horatius Carmine Sec.

Dum ſpectant oculi laeſos, laeduntur & ipſi:
Multaque corporibus tranſitione nocent.
In loca nonnumquam ſiccis arentia glebis
De prope currenti flumine manat aqua.
Manat amor tectus, ſi non ab amante recedas:
Turbaque in hoc omnes ingenioſa ſumus.
Alter item jam ſanus erat; vicinia laeſit.
Occurſum dominae non tulit ille ſuae.
Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix;
Succeſſumque artes non habuere meae.
Proximus à tectis ignis defenditur aegre:
Utile finitimis abſtinuiſſe locis.
Nec, quae ferre ſolet ſpatiantem porticus illam,
Te ferat: officium neve colatur idem.
Quid juvat admonitu tepidam recaleſcere mentem?
Alter, ſi poſſis, orbis habendus erit.
Non facile eſuriens poſitâ retinebere menſâ:
Et multam ſaliens incitat unda ſitim.
Non facile eſt viſâ taurum retinere juvencâ:
Fortis equus viſae ſemper adhinnit equae.

Haec

Condito mitis placiduſque telo.
Et Epod. Od. VII.
Cur dexteris Aptantur enſes conditi?
Auctor Panegyrici ad Piſonem:
Ignea quin etiam ſuperûm pater arma recondit.
HEINSIUS. vid. ad Quinctil. lib. VIII. prooem.

613. *Si quis amas, nec vis.*] Illud *nec vis* non eſt nauci. Cum ſatis ſuperque initio operis inculcarit Ovidius, ſe iis, qui cupiant ab amore liberari, medicinam facturum. Scripſerat, ni fallor, Noſter:
Si quis amas, urbis facito contagia vites.
Vel *turbae contagia.* de qua voce paulo ante. HEINS. *ſi quid amas* multi.

618. *Currenti.*] Unus Heinſii, *labenti.* vid. ad II. Amor. XVI. 9. *mananti* alter.

619. *Manat.*] Ita Catull. Epig. LII. *tenuis ſub artus flamma dimanat.* ubi vid. Achil. Statium.

622. *Occurſum dominae non tulit ille ſuae.*] *Occurſus* editiones antiquae & quinque ſcripti, ut mox. *ſucceſſus.* potuiſſent haec Naſonis inſigni Tiberii exemplo illuſtrari apud Sueton. cap. VII. BURM.

623. *Male firma.*] Sic in veteribus libris. CIOFAN. editi & ſcripti plurimi, *male ſana.*

625. *Defenditur.*] *Deffunditur* vitioſe unus codex. Gellius XV. 1. *Docuiſſet te profecto Archelaus Regis Mithridatis praefectus, qua ſollertia ignem defenderes.* plura de hoc verbo Heinſ. ad Epiſt. V. 16. BURMANNUS.

628. *Officium neve colatur idem.*] Non intellexit haec Merula, nec Berſmannus, neque etiam Regalis interpres, qui obſequium erga puellam interpretatur. pudet me talium interpretum, qui manus adhibent Latinis auctoribus explicandis, cum vulgatiſſima & Tyronibus etiam nota ex antiquitate ignorent. Obvius enim eſt ſenſus: ne interſis amicorum tuorum officio, ad quod Puellam etiam ſcis venturam. *officia* ſunt, cum ad gratulationes, deductiones & pompas & ſimilia amicorum progredimur; ut *officium novorum conſulum*, cum Kal. Januariis procedunt; Sueton. Caeſ. XV. & paſſim alii. *colere officium* idem, quod *facere*, ut Horatius I. Epiſt. XVII. 21. potuiſſet haec ſaltem doceri Gallus a Populari Tanaq. Fabro ad Phaed. I. fab. 29. & qui accuratius de eo agit Schefferus ad lib. III. prolog. & quis, humanitatis Latinae primis rudimentis imbutus, haec ignorat? BURM.

632. *Multum ſaliens incitat unda ſitim.*] Lege, *multam ſitim* cum prima editione & Bartholiniano. neque aliter pro diverſâ lectione Puteaneus. ſic libro III. Faſtor 668. *multae ſedulitatis anus.* & ibid. 380. *Conſilium multae calliditatis*, & lib. I. 476.
Multam praeterito tempore nacta fidem.
Ut ſcribendum cenſeo. ubi nunc legitur, *Multaque praeterea. multa vetuſtas* Faſt. V. 132. ex antiquis libris. infra 681.
Multa ſit ut placeas alienae cura puellae.

Ubi

Haec ubi praeſtiteris, ut tandem litora tangas,
Non ſatis eſt ipſam deſeruiſſe tibi.
Et ſoror, & mater valeant, & conſcia nutrix,
Et quidquid dominae pars erit ulla tuae.
Nec veniat ſervus: nec flens ancillula fictum
Suppliciter dominae nomine dicat, Ave.
Nec, ſi ſcire voles, quid agat tamen illa, rogabis.
Profer: erit lucro lingua retenta ſuo.
Tu quoque, qui cauſſam finiti reddis amoris,
Deque tuâ dominâ multa querenda refers;
Parce queri. melius ſic ulciſcêre tacendo;
Dum deſideriis effluat illa tuis.
Et malim taceas, quam te deſiſſe loquaris.
Qui nimium multis, Non amo, dicit; amat.
Sed meliore fide paullatim extinguitur ignis,
Quam ſubitò. lentè deſine; tutus eris.
Flumine perpetuo torrens ſolet acrius ire.
Sed tamen haec brevis eſt, illa perennis aqua.
Fallat, & in tenues evanidus exeat auras,
Perque gradus molles emoriatur amor.

Sed

Ubi *Nulla* perperam nunc legitur. HEINSIUS.

634. *Viſae ſemper adhinnit equae.*] Ita & locutus I. Art. 280.

Femina cornipedi ſemper adhinnit equae.

Unus tamen Heinſii codex hic, *viſam adhinnit equam.* quomodo Plautum Ciſtel. IV. Scen. 2. & alios locutos docet Barth. lib. XI. Adverſ. 15. *viſa equa* editiones priſcae & quatuor ſcripti. BURM.

636. *Deſeruiſſe.*] *Deſtituiſſe* Heinſii unus. *non ſatis eſt illam* unus Putean.

638. *Quisquis.*] *Quicquid*, bene quinque libri. HEINSIUS.

640. *Suppliciter.*] *Fictum* & *ſuppliciter* duo adverbia dure concurrunt. Puto legendum:

—— *Nec flens ancillula fictum*
Supplicet, & dominae nomine dicat ave.

HEINSIUS. Nulla opus emendatione, *fictum* conjungendum eſt vel cum *flens*, ut *dulce ridere* & ſimilia. vel, cum *Ave* ut Martial. I. 56. *matutinum ave.* in uno erat *furtim.* etiam non male. BURM.

641. *Tamen illa rogabis.*] *Tamen*, *ipſe rogabis*, editiones veteres. *ſcire velis*, etiam ſex ſcripti.

642. *Perſer.*] Prima editio cum Puteaneo & tribus aliis, *Profer.* eleganter denuo. monui ſupra vers. 93. pro *lucro tuo* Regius etiam bene, *ſuo.* dixi ſupra vers. 248. HEINS.

643. *Qui cauſam finito reddis amori.*] Sic pro diverſa lectione Puteaneus. qui tamen cum Regio, Scaligeri excerptis & tribus aliis, *finiti reddis amoris.* quod verum eſt. Tu, inquit, cum reddes cauſam ſodalibus tuis, quare deſieris amare. Alii magno numero, *finiti quaeris amoris* cum excerptis Jureti. *finem veſani quaerere amoris* apud Propertium lib. II. El. XV. & ſupr. Ys. 143. primae editiones cum duobus ſcriptis, *fugitivi quaeris amoris.* apud Horatium libro I. Od. XIX. *finitis animum reddere amoribus.* HEINSIUS.

645. *Melius ſic te ulciſcere tacendo.*] *Sic ulciſcere* meliores ſcripti cum primis editionibus. recte. ut τὸ σὲ ſubintelligatur. pro *tacendo* Cantabrig. *querendo.* forte, *premendo.* hoc eſt tegendo, & occulendo injuriam. *tacendo* minus placet, ne bis idem dicat. nam ſequitur, *Et malim taceas.* HEINS.

646. *Ut deſideriis.*] *Dum deſideriis* meliores. IDEM. *De deſideriis* unus Heinſii.

647. *Deſiſſe.*] *Ceſſiſſe* edito prima & Farneſianus, forte, *ceſſaſſe.*

648. *Qui nimium.*] Antiphanes Comicus:

Κρύψαι, φειδία ἅπαντα τ' ἄλλα δύναται
Ἂν πλὴν ὄνοιν; ὄινον τε πίνων εἰς ἐρωτατ' ἐμπέσων,
Ἀμφότερα μηνύει γὰρ ἀπὸ τῶν βλεμμάτων καὶ τῶν λόγων. ἂν, ὥσε τοὺς ἀρνομένους μάλιστα ταῦτα καταφανεῖς πολλοῖς ποιεῖ. DOUZA.

651. *Torrens ſolet altius ire.*] *Acrius* bene quinque ſcripti. ſic Claudianus Conſ. Manl. 234.

Acrior & tacitas rapidus praetermeat ingens
Danubius ripas.

Altior Regius. HEINSIUS.

Sed modo dilectam ſcelus eſt odiſſe puellam:
Exitus ingeniis convenit iſte feris.
Non curare ſat eſt. odio qui finit amorem,
Aut amat, aut aegre deſinet eſſe miſer.
Turpe, vir & mulier, juncti modo, protinus hoſtes:
Non illas lites Appias ipſa probat.
Saepe reas faciunt, & amant. ubi nulla ſimultas
Incidit, admonitu liber aberrat amor.
Forte aderam juveni: dominam lectica tenebat:
Horrebant ſaevis omnia verba minis.
Jamque vadaturus, Lectica prodeat: inquit.
Prodierat: viſâ conjuge mutus erat.
Et manus, & manibus duplices cecidere tabellae:
Venit in amplexus: atque ita, Vincis, ait.
[Tutius eſt, aptumque magis, diſcedere pace,
Quam petere à thalamis litigioſa fora.]

Munera

653. *Evanidus exeat auras.*] *Radicitus* nonnulli ex ſcriptis. ſed nihil muto. Met. ℣s. 435.

Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos.

Heinsius.

654. *Emoriatur amor.*] *Emolliatur* Voſſianus. *emoderatur* Mentelianus. *amoveatur* quatuor. Nil muta. Idem.

656. *Convenit.*] *Provenit* Lincoln.

657. *Nec curandus adeſt.*] Scaliger legebat:

Nec curare ſat eſt, odio qui finit amorem.

Dan. Heinsius. Regius, & pro diverſâ lectione Puteaneus, *Non curare ſat eſt.* neque aliter Scaligeri excerpta. duo, *Non curandus abeſt. Non curaſſe ſat eſt* prima editio. Sequenti verſu, pro *amat* & *deſinit*, ſcripti plerique, *amet* & *deſinat.* Regius, *amat* & *deſinet.* recte. Heinsius. ſic ſupr. 245. *Nec ſatis eſſe puta diſcedere.*

662. *Oberrat.*] *Aberrat* Regius & ſex alii. bene. hoc eſt abit. Heinsius. *a monitu* Berſmanni margo, & editio Micylli.

663. *Forte aderat juvenis.*] In veteribus, *forte aderam juveni.* Naugerius. Imo *aderam juveni* cum Regio, Puteaneo, uno ex meis, & prima editione. *aderam*, advocationem praeſtabam. ita illud quoque intelligendum lib. III. Artis 531.

Munera det dives, jus qui profitebitur, adſit.

Et Art. Am. II. 223.

Juſſus adeſſe foro, juſſâ maturius horâ
Fac ſemper venias.

Huc ſpectat locus quoque ille apud Gellium lib. I. cap. XXII. ubi praetor ad imperitum patronum, qui ſe *cauſae ſupereſſe* dixiſſet. *Tu plane, inquit, ſuperes, non ades.* pro *lectica tenebat*, Vaticanus unus, *tenebas.* non ineleganter. Heinsius. *Ferebat* duo ſcripti. forte etiam *tegebat*, ut de *tecta lectica* cum Berſmanno capiatur. qui ſecutus videtur auctoritatem Lipſii. lib. I. Elector. cap. 19.

667. *Duplices tabellae.*] Quae vadimonii formulam continebant. vide I. Amor. XII. 23. Inepte Criſpinus ex Merula ſua ſine ullo delectu transcribens, codicillos, quibus jura continebantur interpretatur. vellem addidiſſent quae *jura* intelligant. Merula tamen addit, ut videatur forum tetigiſſe, *ſcripta utriuſque, vel jura.* ſi non perperam, interpretatione certe ipſis Ovidii verbis obſcuriore. Burm.

669. *Tutius eſt aptumque magis.*] Nemo mihi perſuaſerit hoc diſtichon Naſonianae venae foetum eſſe. Heinsius.

671. *Munera quae dederas, habeat ſine lite, jubeto.*] Verba artis ſunt: ſic enim ſolebat dicere, qui divortium faciebat: *Abeas, valeas, tuas res tibi habeas.* Micyllus. *Dederis* Puteaneus & tres alii. vide Notas ad Epiſt. VII. vers. 51. & lib. I. Artis ℣s. 447. *habeat ſine lege* Puteaneus. Heinsius. *Dederis* etiam Douza.

673. *Conducat in unum.*] Libri meliores, *conducet* vel *conducit.* ſic ſupra 489.

Quod ſi quid praecepta valent mea. Heins. Et 479.

Quod ſi quis veſtrum factum hoc incuſat.

In editionibus prioribus erat, *quod ſi vos caſus aliquis.*

675. *Hic opus eſt armis: hic ô fortiſſime pugna.*] *Nunc opus eſt* Regius, Puteaneus, & plures alii. Pro *hic ô* idem Puteaneus, Jureti codex, aliique multi, *nunc ô.* unus, *his ô.* alii duo, *hic hic fortiſſime.* unus Leidenſis, *His opus eſt armis, his ô.* Puto ſcribendum:

Hic

Munera quae dederis, habeat ſine lite jubeto:
Eſſe ſolent magno damna minora bono.
Quod ſi vos aliquis conducet caſus in unum,
Mente memor totâ, quae damus arma, tene.
Nunc opus eſt armis: hîc, ô fortiſſime, pugna.
Vincenda eſt telo Pentheſilea tuo.
Nunc tibi rivalis, nunc durum limen, amanti:
Nunc mediis ſubeant irrita verba Deis.
Nec compone comas, quia ſis venturus ad illam:
Nec toga ſit laxo conſpicienda ſinu.
Nulla ſit ut placeas alienae cura puellae:
Jam facito è multis una ſit illa tibi.
Sed quid praecipuè noſtris conatibus obſtet,
Eloquar; exemplo quemque docente ſuo.
Deſinimus tardè, quia nos ſperamus amari.
Dum ſibi quisque placet, credula turba ſumus.

At

Hic opus his armis: his hîc, fortiſſime, pugna. Vel:

Nunc opus his armis. his nunc, fortiſſime, pugna. HEINSIUS.

677. *Nunc durum limen amicae.*] *Durum limen amanti*; rectius Regius & duo alii. ſex, *amantis.* IDEM. *Dirum limen amanti* Sarravii. *dirae l. amicae.* Farneſ. *durae l. amicae* Regius alter. *durum nomen amicae* Boxhorn.

679. *Nec compone comas, cum ſis venturus ad illam.*] In nonnullis, *quia ſis.* NAUGERIUS. *Comam* Puteaneus, & tres alii (ſed paulo durius) *& illam.* deinde *quia ſis venturus* meliores omnes. quinque alii minoris notae, *ſi ſis.* HEINS.

980. *Toga laxa.*] Ex hoc loco apparet apud Tibul. l. VII. 46. reſcribendum:

Effluit effuſo cui toga laxa ſinu.

Non *lapſa.* DOUZA. & hic *lapſo* tredecim. *largo* unus. *Lato* unus. *confluitura* etiam unus Heinſii.

682. *Jam face ut è multis una ſit illa tibi.*] *Jam facito è multis* Regius, quidam alii, *Jam face è multis*, vel, *Jam fac. face* pro *fac* cum in deliciis ſit Ovidio, ſcribam libenter, *Jamque face è multis.* Epiſt. II. 98.

Phylli face expectes Demophoonta tuum.

Et ſic paſſim alibi. ſupra 337.

Durius incedit; face inambulet.

Sed & ſuperiori verſu pro, *Nulla cura* omnino, *Multa* legendum, ut paulo ante monui. quicquid libri veteres diſſentiunt:

Multa ſit ut placeas alienae cura puellae,
Jamque face è multis illa ſit una tibi.

Eo, inquit, curam converte, ut alii puellae placeas. utque tuam illam non niſi inter multas ames, ne ſola ſenſus tuos occupet. HEINSIUS. Ego nullum ſenſum video, ſi Heinſianam emendationem ſequamur, & inconcinne admodum a puella illa aliena, in pentametro, oratio ad illam, quam olim amaverat, convertitur, cum τὸ *illa* de eadem agi oſtendat. quare vulgatam, quam omnes codices confirmant, retineo, quae hunc optimum ſenſum habet. ſi ulla ſit tibi cura placendi puellae, quam jam non pro tua, ſed pro aliena habere debes; fac ut illa ſit tibi è multis una, neque praecipuam aut egregiam habeas. *aliena* eſt, alienata, vel tamquam extranea, ut Teren. Adel. III. 2. *Aeſchinus alienus eſt a noſtra familia.* & Hecyr. I. II. *Quod hunc alienum ab ſeſe vidit.* poſſet & legi:

Jam face de multis una ſit illa tibi.

Ut *unus de nobis* & ſimilia, de quibus vid. ad Petron. XLIV. BURM.

682. *E multis una ſit illa tibi.*] *Sit illa tuis*, unus ex meis. vide Notas ſupra vers. 492. HEINS.

683. *Quid praecipue veſtris conatibus obſtet.*] *Obſtat* ſcripti. vel, *quod obſtat. noſtris* etiam *conatibus* Puteaneus & multi alii cum prima editione; quod ſequentia confirmant. ſic infra vs. 768.

Aemulus eſt noſtri maxima cauſa mali. IDEM.

684. *Eloquar.*] *Proloquar* editio prima.

686. *Dum ſibi quiſque placet.*] Malo, *placent*: vide Notas Amor. lib. II. El. XI. vers. 21. IDEM. In Menteliano erat, *favet*: quod hic praeferrem, non enim hic de ſuperbia, quae proprie facit ut ſibi placeant homines, (vid. ad Petron. XLIV.) ſed de eo, qui ſibi blanditur, cauſſam ſuam ipſe agit. ſic ſupr. 74.

Vindictae quiſque favete ſuae.

Et mox. 695. *ipſe favebit. cum ſibi* Berſmanni editio. BURMANNUS.

691. Qui-

At tu nec voces (quid enim fallacius illis?)
Crede, nec aeternos pondus habere Deos.
Neve puellarum lacrimis moveare caveto:
Ut flerent, oculos erudiere suos.
Artibus innumeris mens oppugnatur amantum;
Ut lapis aequoreis undique pulsus aquis.
Nec caussas aperi, quare divortia malis:
Nec dic, quid doleas; clam tamen usque dole.
Nec peccata refer; ne diluat. ipse favebis:
Ut melior caussâ caussa sit illa tuâ.
Qui silet, est firmus: qui dicit multa puellae
Probra, satisfieri postulat ille sibi.
Non ego Dulichio furiales more sagittas,
Nec rapidas ausim tinguere in amne faces.
Nec nos purpureas pueri resecabimus alas:
Nec sacer arte meâ laxior arcus erit.
Consilium est quodcumque cano. parete canenti:
Utque facis, coeptis, Phoebe saluber, ades.
Phoebus adest: sonuere lyrae; sonuere pharetrae.
Signa Deum nosco per sua: Phoebus adest.
Confer Amyclaeis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio: turpius illud erit.

Vos

691. *Oppugnatur.*] *Expugnatur* unus Heinsii.

693. *Divortia malis.*] *Quaeres* quindecim scripti, *quaeris* quatuor. *cur doleas* duo. *quod doleas* editiones priscae & Aldina prior. *sed tamen usque* Junii.

695. *Nec peccata refer. ne diluat ipse cavebit.*] *Nec diluat ipsa caveto* plerique scripti. quidam etiam, *illa*, vel *ipse caveto*. alter Regius, *Nec peccata refer, nec cui favet ipsa, favebis.* alius, *illa favebis.* sed recte, ille omnium optimus Regius & tres alii, & venuste:

Nec peccata refer; ne diluat. ipse favebis.

Sic Amor. lib. II. Eleg. 11.

Tu contra objicies, quod tuto diluat illa.

Heinsius.

699. *Non ego Dulichias furiali more sagittas.*] Ego quid id *Dulichias* sibi velit non intelligo, neque aliam lectionem inveni. Naugerius. Andreas Naugerius terssimi vir ingenii, & omnium optimè de Nasone meritus, valde aestuat in hoc loco, & scire se negat, quaenam sint *Dulichiae* istae *sagittae*, & jure sane. sunt enim nullae. Scaligeri excerpta & optimus Regius, *Dulichio furiali.* quod & in altero ejusdem Bibliothecae codice pro diversa lectione erat notatum. Scribe:

Non ego Dulichio furiales more sagittas.

Et sequenti versu pro, *raptas faces* lege, *rapidas* cum Lincolnienssi libro. unus Farnesianus, *rabidas. rapidae faces*, quomodo *rapidi ignes.* per *furiales sagittas*, Cupidinis sagittas intelligit. *Dulichio more*, more Ulyssis, quia amores suos cum Calypso & Circe, de quibus supra 263. nimis praeceps abrupit. Omnia jam plana & perspicua sunt. Heinsius.

703. *Consilium est quodcunque cano.*] Scribe, *Concilium.* atque ita in uno codice Gallicano scriptum offendi. Hoc est nimirum, quod supra dixerat 523.

Et quisquam praecepta potest mea dura vocare,
En etiam partes conciliantis ago.

Concilium pro conciliatione, aut *conciliatu*, ut Lucretius loqui amat. qui & *concilii* voce hac, qua Noster, significatione est usus. Met. 11. 710.

Hoc mihi concilium tecum dixisse manebit.

Ita ibi est scribendum ex auctoritate optimorum codicum. Diximus nonnihil de hac voce ad Claudianum. lib. 1. in Eutrop. vers. 368. *corporalia concilia* pro coitu dixit Arnobius. Heinsius. Ego vero *consilium* retinui, non enim dicit vim & impetum se docere, sed rationem & prudentiam, qua paullatim dedisscere possit juvenis amare. Burm.

707. *Con-*

Vos quoque formoſis veſtras conferte puellas:
Incipiet dominae quemque pudere ſuae.
Utraque formoſae Paridi potuere videri;
Sed ſibi collatam vicit utramque Venus.
Nec ſolam faciem; mores quoque confer & artes:
Tantum judicio ne tuus obſit amor.
Exiguum eſt, quod deinde canam: ſed profuit illud
Exiguum multis: in quibus ipſe fui.
Scripta cave relegas blandae ſervata puellae:
Conſtantes animos ſcripta relecta movent.
Omnia pone feros (pones invitus) in ignes:
Et dic, Ardoris ſit rogus iſte mei.
Theſtias abſentem ſuccendit ſtipite natum.
Tu timidè flammae perfida verba dabis?
Si potes, & ceras remove. quid imagine mutâ
Carperis? hoc periit Laodamia modo.
Et loca multa nocent. fugito loca conſcia veſtri
Concubitus. cauſſas mille doloris habent.
Hîc fuit; hîc cubuit: thalamo dormivimus iſto:
Hîc mihi laſcivâ gaudia nocte dedit.
Admonitu refricatur amor; vulnusque novatum
Scinditur. infirmis cauſſa puſilla nocet.

Ut

707. *Conſer Amyclaeis.*] Vid. Ferrar. de Re Veſt. lib. II. cap. 7.

712. *Sed ſibi collatam vincis.*] Melius in aliis, *vicit.* Dan. Heinsius. *Vicit* libri meliores cum primâ editione. alia tamen editio ex primis & duo ſcripti, *tibi collatam vincis.* etiam bene. Heins.

713. *Confer & artes.*] *Artem* meliores. Idem. *Artes* rectius cum priſcis editionibus & majori librorum numero. intelligit artes, quibus puellae commendantur. ut II. Am. x.

Artibus in dubio eſt haec ſit, an illa, prior.

Ita Horat. IV. Od. I. *Centum puer artium*; & paſſim alibi. Burmannus.

714. *Tantum.*] Id eſt dummodo. ſupr. II. Amor. XV. 18.

Tantum ne ſignem ſcripta dolenda mihi. Douza.

714. *Ne tuus obſit amor.*] Ita ex eodem libro legendum. Ciofanus. Alii, *obſiet.* nos meliores ſequimur. *ſuus amor* eſt in Sarraviano. probe. quod jam ſaepius ſupra inculcatum. Heinsius.

715. *Exiguum eſt, quod deinde canam.*] Quidam τὸ *eſt* non agnoſcunt. Forte, *Exiguum quid.* Idem.

719. *Quamvis invitus.*] Eleganti repetitione Regius & Puteaneus, *pones invitus.* Burm.

722. *Flammis.*] *Flammae* meliores. Heinsius. *Tu timidus* Francius volebat.

724. *Hoc periit.*] *Theſtylis hoc periit & nova nupta modo.* Douza.

726. *Cauſas illa doloris habent.*] Legendum; *cauſas mille.* atque ita Leidenſis unus & Cantabrigenſis. ſupra 572.

Et quis non cauſas mille doloris habet? Heins.

729. *Admonitu revocatur amor.*] Sic quartum poſt verſum. nam alii aliter. male. Ciofanus. Alii, *renovatur* & *revocatur. Recreare* dixit, quomodo Horatius I. Od. 22. *Arbor aeſtivâ recreatur aurâ.* Non dubita tamen praeferre Regii codicis lectionem, in quo, *refricatur.* ſic *refricare obductam reipublicae cicatricem.* pro *vulnus novatum* alter Regius, *vulnus coactum*, quod ſit conductum. quomodo *cogere rugas* & ſimilia. poteſt & *coaltum* legi, pro *coalitum.* Plinius lib. IX. cap. II. *A partu coaleſcit vulnus, quod & in caecis ſerpentibus tradunt.* Arte Am. II. 649.

Dum novus in viridi coaleſcit cortice ramus.

Mentelianus, *creatum*, ſed vide Notas Pont. IV. Eleg. XI. Heinsius.

730. *Cauſſa puſilla nocet.*] Haec lectio eſt in bonis libris, quae vera eſt. Ciofanus. Rectius multi ex ſcriptis, *cauſſa.* Heinsius. *Culpa* editi quidam & ſcripti. *& firmis* editiones priſcae, & Micylli & Berſmanni.

Ut pene extinctum cinerem si sulfure tangas;
Vivet, & è minimo maximus ignis erit.
Sic, nisi vitaris quidquid renovabit amorem,
Flamma redardescet, quae modo nulla fuit.
Argolides cuperent fugisse Capharea puppes;
Teque, senex, luctus ignibus ulte tuos.
Praeteritâ cautus Nisëide navita gaudet.
Tu loca, quae nimium grata fuere, cave.
Haec tibi sint Syrtes; haec Acroceraunia vita:
Hic vomit & potat dira Charybdis aquas.
Sunt, quae non possint aliquo cogente juberi;
Saepe tamen casu facta juvare solent.
Perdat opes Phaedra; parces, Neptune, nepoti:
Nec faciet pavidos taurus avitus equos.
Gnosida feciscs inopem; sapienter amasset.
Divitiis alitur luxuriosus amor.
Cur nemo est, Hecalen; nulla est, quae ceperit Iron?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Non

732. *Et ex minimo.*] *Et è minimo* cum libris veteribus. HEINSIUS.

733. *Revocabit amorem.*] *Renovabit* potiores libri. malim tamen, *renovarit*. HEINS.

734. *Flamma redardescet.*] Sic Regius. Puteaneus & Farnes. *retardescet*. reliqui plerique cum primâ editione, *recandescet*. ut VII. Met. 78. *totoque recanduit ore*. & saepe alibi. ut lib. III. 707. IV. 530. nonnulli, *recalescet*, vel *recalescit*. Forte, *recaldescet*. quomodo *recalfacere* dixit Met. VIII. 444.

——— *calidumque priori*
Caede recalfecit consorti sanguine ferrum.

Redardescere, ut in *redamare*, *redarguere*, *redambulare* & *redauspicare* apud Plautum, & multos alios. HEINSIUS. In uno Heinsii, *recrudescet*. etiam non male.

735. *Argolicae.*] *Argolides* meliores. monui Art. Am. lib. I. 172. HEINSIUS.

737. *Ripheïde.*] Sic in veteribus: quidam legunt, *Nisëide*. NAUGERIUS. Perperam major scriptorum pars, *Ripheïde*. dixi ad Epist. I. Sabini, *ÿs.* 33. HEINS.

739. *Acroceraunia.*] *Atra Ceraunia* Sarravian.

740. *Hic vomit epotas.*] Malo, *vomat*. putetur vomere. HEINSIUS. Puteani omnes & quindecim alii, *hic vomit & potat*. Leidensis, *hic vomat*, *hic potat*. & certe *epotas* nimium videri potest: non enim omnes undas epotat. ut Juven. X. 177.

Epotaque flumina Medo prandente.

In Ponto tamen IV. X. dixit,

Ter licet epotum ter vomat illa fretum.

Vid. ad Epist. XII. 125. unus etiam Heinsii, *hic vomit acceptas*: nam *accipere* etiam pro bibere ponitur. Just. XII. 10. *In potu accepta*, de quo ad Quinct. Decl. XV. 6. BURMAN.

741. *Non possunt.*] *Possint* lege. HEINSIUS.

741. *Aliquo cogente.*] Unus Leidensis, *aliquo Calcante*, unde Heinsius olim, *aliquo inculcante* faciebat. sed latere hic nomen proprium puto. in quinque praeterea erat, *moneri*, in tribus *moveri*. forte:

Sunt quae non possis aliquo Calchante moneri.

Sunt quaedam quae nullus vates, ut Calchas erat, monere posset, sed quae casus dat. ut casus opponatur certis monitis alicujus vatis. & Ovidius saepe praecepta sua, ut oracula commendat, ut II. Art. 541.

Haec tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas
Dicere.

Et se Calchanti comparat II. Art. 737.

Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis;
Automedon curru, tantus amator ego.

Aliquis vero eleganter, ut *aliquis Pylades* supr. 589. vide ad I. Amor. XIII. 39. *quae moneri* vero, ut III. Trist. IV. 13. *haec monitus*. BURMANNUS.

742. *Facta juvare solent.*] *Levare* Regius & duo alii cum prima editione. HEINSIUS. *casus* etiam olim editi.

744. *Nec faciet pavidos taurus avitus equos.*] Taurum avitum dicit, non ab avo Thesei, sed ab avo Hippolyti Neptuno. Nam & Theseus Neptuni filius fuit, idemque pater Hippolyti. Vocat autem & Euripides ταῦρον ἄγριον, à quo equi Hippolyti perterrefacti sunt: eumque, ob imprecationes ac diras Thesei in filium, mari emissum dicit. Alii autem pro tauro, vitulum marinum, sive phocam

Non habet, unde ſuum paupertas paſcat amorem:
Non tamen hoc tanti eſt; pauper ut eſſe velis.
At tibi ſit tanti, non indulgere theatris;
Dum bene de vacuo pectore cedat amor.
Enervant animos citharae, lotosque, lyraeque;
Et vox, & numeris brachia mota ſuis.
Illic adſiduè ficti ſaltantur amantes;
Quid caveas actor, quid juvet, arte docet.
Eloquar invitus: teneros ne tange poëtas.
Submoveo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito; non eſt inimicus Amori:
Et cum Callimacho tu quoque, Coë, noces.
Me certe Sappho meliorem fecit amicae:
Nec rigidos mores Teïa Muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli,
Vel tua, cujus opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?
Et mea neſcio quid carmina dulce ſonant.

Quod

phocam nominant. Totam fabulam habes apud Euripidem Tragoedia, quae inſcribitur Ἱππόλυτος στεφανοφόρος. Micyllus.

747. *Cur nemo eſt Hecalen, nulla eſt quae ceperit Irum.*] *Iron* Regius & decem alii cum nonnullis editionibus. malo:

Cur Hecalen nullus, nulla eſt quae ceperit Iron.
Heinsius.

753. *Enervant animos citharae cantuſque lyraeque.*] *Citharaeque jocique* Excerpta Politiani & multi alii. unus, *citharae jocique.* quomodo & à Vincentio Bellovacenſi memini citatum. Regius, *citharae lutoſque lyraeque.* optime pro *lotos.* quomodo Scaligeri quoque excerpta. atque ita jam ad Solinum Salmaſius ex ſuis codicibus. Repone eandem vocem Metam. IV. 760. ex veſtigiis veterum codicum:

Sertaque dependent tectis: lotique, lyraeque,
Tibiaque, & cantus animi felicia laeti
Argumenta ſonant.

Vulgo, & *ubique.* Heins. vid. IV. Faſt. 190. & Gronov. IV. Obſerv. 15.

755. *Ficti ſaltantur amantes.*] Peſſime in aliis, *cantantur.* Ciofan. Alii codices, *cantantur amantes* vel *amores* & ſimilia. ſed nil mutandum. vide Notas Art. I. 501. Heins.

756. *Quid caveas actor, quod juvet, arte docet.*] Locus mendoſus, ſcripti plerique, *auctor* & *juvat.* Regius *qua juvet.* Lego:

Quas caveas actor, qua juvet arte docet.

Caveas dixit pro ſpectatoribus in cavea ſedentibus. Heinsius. Neſcio an recte. *Caveam* dixiſſet Ovidius, ſi haec ipſi mens fuiſſet. neque *caveas*, à *cavere*, quid huc faciat video. ſi enim docet quid ſit vitandum, non vitandos eſſe mimos doceret Poëta. legerem:

Qua capias, actor, quod juvat, arte docet.

Quod juvat eſt in uno Heinſii. Mimus docet, qua arte capias puellas, & conſequaris id quod juvat, id eſt puellam; ſic millies, *quod ames*, pro quam ames. Douza legebat:

Quid caveas actu, quid juvet, arte docent.
Burmannus.

758. *Impius ipſe meos.*] Patavinus, *mei.* duo alii, *eſſe.* forte, *ipſius ecce mei. ipſius* enim duo alii. Heinsius.

759. *Inimicus Amori.*] *Amoris* Puteaneus & viginti & unus alii. *Amanti* idem Putean. a manu ſecunda. mox, *tu quoque Coë taces* unus Heinſ. an *facis? facere cum aliquo* eleganter. Horat. II. Ep. I. 68. *Et ſapit & mecum facit.* & ita ſaepe Cicero & alii. ut contra *facere adverſus aliquem*, de quo vid. Gronov. ad Gell. II. 22. Burmannus.

761. *Me certe.*] Francofurtenſis, *meque meae Sappho.*

764. *Cynthia ſola.*] Hinc apparet Propertii carmina inſcribenda CYNTHIA MONOBIBAOΣ. vid. Broukhuſ. ad initium Poëtae.

766. *Carmina tale ſonant.*] *Dulce* Jureti codex cum reliquis majori ex parte. ut Triſt. V. Eleg. I.

Invenies toto carmine dulce nihil.

Theocrit. Ἀδὺ τι τὸ ψιτύρισμα. Heinsius.

Dulce canunt duo ſcripti. *lene ſonant* quatuor. *molle* malebat Francius.

Quod niſi dux operis vatem fruſtratur Apollo;
Aemulus eſt noſtri maxima cauſſa mali.
At tu rivalem noli tibi fingere quemquam:
Inque ſuo ſolam crede jacere toro.
Acrius Hermionen ideo dilexit Oreſtes;
Eſſe quod alterius coeperat illa viri.
Quid, Menelaë, doles? ibas ſine conjuge Creten:
Et poteras nuptâ lentus abeſſe tuâ.
Ut Paris hanc rapuit; nunc demum uxore carere
Non potes. alterius crevit amore tuus.
Hoc & in abductâ Briſeide flebat Achilles,
Illam Pliſthenio gaudia ferre toro.
Nec fruſtra flebat; mihi credite. fecit Atrides:
Quod ſi non faceret, turpiter eſſet iners.
Certe ego feciſſem, nec ſum ſapientior illo.
Invidiae fructus maximus ille fuit.
Nam ſibi quod numquam tactam Briſeïda jurat
Per ſceptrum; ſceptrum non putat eſſe Deos.
Dî faciant, dominae poſſis tranſire relictae
Limina; propoſito ſufficiantque pedes.
Et poteris: modo velle tene. nunc fortiter ire,
Nunc opus eſt celeri ſubdere calcar equo.
Illo Lotophagos, illo Sirenas in antro
Eſſe puta: remis adjice vela tuis.

Hunc

767. *Fruſtratur.*] Plurimi codices, *fruſtretur.* ſic Met. XI. 241.

Quod niſi veniſſes, variatis ſaepe figuris,
Ad ſolitas artes, auſo foret ille potitus. HEINS.

Qui niſi Francofurt. forte pro *Quin*: ultima litera abſorpta fuit a ſequenti, *niſi.*

768. *Noſtri maxima cauſa mali.*] *Veſtri* Vaticanus. ſed nil opus. vide ſupra ỳs. 683. HEINS.

772. *Eſſe quod alterius.*] Tibul. III. IV. 58.

Alterius mavult eſſe puella viri.

774. *Nuptâ laetus abeſſe tuâ.*] Melior vetus lectio, *lentus abeſſe.* NAUGERIUS. forte cum interrogatione legendum. CIOFANUS. *Lentus* lege cum primâ editione & ſcriptis pleriſque. ſic ſaepe. Ep. I. 66.

Quas habitas terras, aut ubi lentus abes.

Epiſt. II. 23.

At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
Numina.

Vide Notas Epiſt. XV. vers. 169. HEINSIUS.

775. *Tum demum uxore carere.*] *Nunc demum* prima editio cum Regio & duobus aliis. IDEM.

778. *Viro Pliſthenio.*] Pliſthenium virum Agamemnonem vocat, a Pliſthene patre Agamemnonis & Menelai. MERUL. Tres enim fuerunt Pelopis filii, Atreus, Thyeſtes, & Pliſthenes: quorum ultimus hic, cum juvenis adhuc diem obiiſſet, relictis Agamemnone & Menelao filiis, horum curam Atreus in ſe ſuſcepit, eoſque educavit. Atque hinc eſt quod etiam *Atridae* vocantur, quamquam Homerus fere ubique *Atridas* vocet, nulla Pliſthenis facta mentione. MICYLLUS. Regius & unus Vaticanus, *toro.* bene. conſule quae notamus Epiſt. XIX. ỳs. 100. HEINSIUS.

790. *Vela tuis.*] Hic denuo *ſuis* legendum. IDEM.

793. *Aut certe.*] *At certe* libri meliores cum primâ editione. ſic Met. XI. 696.

At certe vellem, quoniam fugitivus abibas,
Me quoque duxiſſes. IDEM.

794. *Oſcula.*] Viri etiam viros oſculis ſalutabant. DOUZA.

797. *Miſſus ab oris.*] *Ab hortis* Puteaneus pro diverſa lectione. vid. II. Art. 422.

799. *Aptum eſt.*] *Jubeo vitare* duo libri. *aptum evitare.* unus.

800. *Corpora noſtra.*] *Veſtra* hic & ſequenti pentametro duo libri. vide modo 768.

804 *Moni-*

Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas,
Vellem desineres hostis habere loco.
At certè, quamvis odio remanente, saluta.
Oscula cum poteris jam dare; sanus eris.
Ecce cibos etiam (medicinae fungar ut omni
Munere) quos fugias, quosve sequare, dabo.
Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris,
An veniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptum vitare salaces;
Et quidquid Veneri corpora nostra parat.
Utilius sumas acuentes lumina rutas;
Et quidquid Veneri corpora nostra negat.
Quid tibi praecipiam de Bacchi munere, quaeris?
Spe brevius monitis expediere meis.
Vina parant animum Veneri, nisi plurima sumas;
Et stupeant multo corda sepulta mero.
Nutritur vento, vento restinguitur ignis.
Lenis alit flammam, grandior aura necat.
Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat: si qua est inter utramque, nocet.
Hoc opus exegi. fessae date serta carinae.
Contigimus portum, quo mihi cursus erat.
Postmodo reddetis sacro pia vota poëtae,
Carmine sanati femina virque meo.

804. *Monitus experiere meos.*] *Monitis meis* scripti plerique cum prima editione. Lege:
Spe brevius monitis expediere meis.
Vide Notas supra ꝟs. 440. ubi jam id monui. sic in Fast. lib. III. 669.
Expedit haerentem nemori gratissima conjux.
Certe Vaticanus unus, *excipiare.* Hafnienſis non male, *erudiere.* in Art. II. 66.
Erudit infirmas ut sua mater aves. HEINS.

805. *Vina parant animos.*] *Animum* libri plerique veteres cum prima editione. IDEM.

806. *Ut stupeant.*] Iidem, *Et stupeant.* HEINS. Ita & Douza. *fac stupeant* Leidenſis & duo alii; forte, *ac stupeant.*

807. *Nutritur vento.*] *Ignem ventus alit*, Juretī excerpta, codex Puteaneus, & sex alii. mox *flammam* prima editio cum tribus scriptis, non *flammas.* HEINS.

810. *Si qua est inter utrumque, nocet.*] *Inter utramque* bene scripti quatuor. HEINS. Sed & inter *utrumque* defendi jure potest. vid. ad I. Met. 50. quae notavimus.

811. *Hoc opus exegi.*] *Ecce opus* malim. HEINS.

813. *Postmodo reddatis.*] Scripti fere omnes cum vetustis editionibus, *reddetis.* Forte, *Vos modo reddatis.* IDEM.

REMEDIORUM AMORUM FINIS.

MEDICAMINA FACIEI.

FRAGMENTUM.

Discite, quae faciem commendet cura, puellae:
Et quo sit vobis forma tuenda modo.
Cultus humum sterilem Cerealia pendere jussit
Munera: mordaces interiere rubi.

Cultus

Integrum hunc libellum fuisse ex ipso Ovidio colligimus, qui in Arte Amatoria:

Est mihi, quo dixi vestrae Medicamina formae,
Parvus, sed curâ grande libellus, opus.

De inscriptione non satis constat. quae vulgo circumfertur, ex hoc Ovidii versu videtur conflata. scripti, quos vidi, nullam agnoscunt, praeter unum Vaticanum, qui de *Ornatu faciei* inscribit. prima tamen editio *Medicatam faciem* vocat. quid, si *Artem Medicandae faciei* inscribamus? Heins. Ovidio vindicavit & Vossius lib. v. Inst. Orat. cap. III. §. 2. verosimile est mihi Ovidium voce *Medicaminis* usum fuisse. sic Petron. cap. CII. *puta infectam Medicamine faciem diutius durare posse.* idem cap. CXXVI. *Quo enim spectat facies Medicamine attrita.* & ita passim alii. Burm.

1. *Commendet.*] Vid. ad Petron. cap. CX.

2. *Et quo sit vobis cura tuenda modo.*] In nonnullis, *forma tuenda.* Naugerius. ex vetustis codicibus lego, *forma tuenda.* Marius. Verius omnino est in altero libro è Bibliotheca Maffeiana.

——— *Forma tuenda.*

Libro III. De Arte, ubi loquitur de hac ipsa elegia, qua se mulierum medicamina tradidisse ait:

Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
Parvus, sed cura grande libellus, opus. Ciofan.

Cura tuenda veteres omnes nostri. Marius Niger ex suis alterum profert, & Ciofanus ex uno Maffeiano. Forte:

Et quo sint vobis ora tuenda modo.

Inf. vs. 52.

Candida quo possint ora nitere modo.

Forte etiam:

Et quo sint vobis ora linenda modo.

Nam in scriptis nonnullis, *ora tenenda.* Heins.

3. *Cultus humum quondam.*] Ambo Maff. & ambo Vaticanae bibliothecae libri habent, *cultus humum sterilem.* &c. non male. Ciofanus. *Humum sterilem* prima editio cum scriptis plerisque. recte. quod & in duobus suis Ciofanus invenerat. Heinsius.

4. *Munera.*] *Semina* editio prima. vid. ad Remed. 173.

4. *Mordaces.*] Heinsius olim *marcentes*, id est inertes conjecerat. Marius explicat, propter spinas aduncas, quibus horrent, ita dictas. male: *mordaces* dictae infelices herbae, quia urunt & mordent terram, & efficiunt ne feliciores & bonae proveniant. vid. ad Petron. XLIV. ubi *mordere annonam*, & *adurere terram* illustravimus. voluerat etiam Heinsius, *mordaces hinc periere rubi*, ex cultu scilicet. Burmannus.

6. *Fissaque adoptivas accipit arbor opes.*] Arbor, cum alterius arboris ramos insitos habet, adoptivas opes accipere dicitur. Metaphora ab iis, qui alienos, sive extraneos in suas familias admittunt. Lib. II. De Arte:

Dum novus in viridi coalescit cortice ramus,
Concutiat tenerum quaelibet aura, cadet.
Mox etiam ventis spatio durata resistit,
Firmaque adoptivas arbor habebit opes.

Et lib. I. De Remedio:

Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet,
Stetque peregrinis arbor operta comis.

Quo-

Cultus & in pomis ſuccos emendat acerbos;
Fiſſaque adoptivas accipit arbor opes.
Culta placent. auro ſublimia tecta linuntur;
Nigra ſub impoſito marmore terra latet.
Vellera ſaepe eadem Tyrio medicantur aëno:
Sectile deliciis India praebet ebur.
Forſitan antiquae, Tatio ſub rege, Sabinae
Maluerint, quam ſe, rura paterna coli.
Cum matrona, premens altum rubicunda ſedile,
Adſiduo durum pollice nebat opus.
Ipſaque claudebat, quos filia paverat, agnos:
Ipſa dabat virgas caeſaque ligna foco.
At veſtrae teneras matres peperere puellas.
Vultis inauratà corpora veſte tegi.
Vultis odoratos poſitu variare capillos:
Conſpicuam gemmis vultis habere manum.
Induitis collo lapides Oriente paratos:
Et quantos oneri eſt aure tuliſſe duos.

Nec

Quomodo fieret adoptio, & quid ſit, docui in obſervationibus in lib. I. Faſt. CIOFAN.

7. *Linuntur.*] Vid. ad III. Art. 232. male *levantur* hic unus codex.

9. *Medicantur aëno.*] Unus Vaticanus, *medicata veneno*; non male, ſi *medicanda* reponas. Venenum enim omnis fucus & color, quo medicatur aliquid. Remed. 351. ſed ibid. 707. *medicatum vellus ahenis* dixit. BURMAN.

10. *India praebet Ebur.*] *Mittit* Patavinus.

11. *Tatio ſub rege.*] *Regnante* unus Heinſii. ut I. Amor. VIII. 39. unde fortaſſe repetiit librarius: pro *Sabinae*, etiam *puellae* Neapolitanus. ut III. Art. 107.

Corpora ſi veteres non ſic coluere puellae.
Sed ſequitur. BURMANNUS.

13. *Premens.*] *Sedens* idem Neapolitanus. quod etſi defendi poſſit, malim vulgatam. vid. ad Petron. XVIII. huc adducebat Douza illa Juvenalis II. Sat. 57.

Reſidens in codice pellex.

15. *Claudebat.*] Septis & ovilibus includebat. Virgil. Eclog. VII. 14.

—— *Neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,*
Depulſos a lacte domi quae clauderet agnos.

MARIUS. Huc reſpicit forte Juvenalis Sat. VI. 4.

Et pecus & dominum communi clauderet umbra.

Ubi *communis* legit Lutatius ad Stat. I. Theb. 586. Noſter III. Faſt. 879.

Inde quater paſtor ſaturos ubi clauſerat haedos. BURM.

16. *Caeſaque ligna foco.*] Sic legitur in altero Maff. placet. CIOFANUS. *focis* alii.

15. *Filia paverat.*] Ergo matronarum filiae paſtorali officio fungebantur. hanc eandem priſcorum Romanorum ſeveritatem oſtendit & Flaccus lib. III. Od. 6. inquiens:

Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, ſabellis docta ligonibus
Verſare glebas & ſeverae
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes. MARIUS.

19. *Adornatos.*] Vetus lectio habet, *odoratos*; id eſt, unguentis delibutos. Propertius ad Cynthiam. lib. I. Eleg. II. 1.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veſte movere ſinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?

MARIUS. *Vultis odoratos poſitu variare capillos.* Hanc habet lectionem alter Maff. liber, qui fuit eruditiſſimi viri, Pauli Marſi, Piſcinatis, cujus in Faſtorum libros exſtant commentarii. Quidam alii, *adornatos.* malè, lib. III. Amorum Eleg. I.

Venit odoratos Elegeïa nexa capillos. CIOFANUS.

Vid. ad dictum locum in Amoribus.

20. *Manus.*] Exemplaria manuſcripta habent; *Conſpicuam gemmis vultis habere manum.* quae lectio magis mihi placet, tum quia vitatur ſibilus, qui gignitur à litera *s* ſaepius interpoſita: tum quia in una tantum manu, id eſt ſiniſtra, annuli geſtari conſueverant. MARIUS.

21. *Oriente petitos.*] *Paratos* Neapolitanus & Mentelianus. hoc eſt, emtos. libro tamen VII. Metam. 266.

Addidit extremo lapides Oriente petitos. HEINS.

Con-

Nec tamen indignum, ſi vobis cura placendi,
Cum comtos habeant ſecula noſtra viros.
Femineâ veſtri poliuntur lege mariti:
Et vix ad cultus nupta, quod addat, habet.
Proin ſe quaeque parent; nec quo venentur amores,
Refert. munditiae crimina nulla merent.
Rure latent, finguntque comas. licet arduus illas
Celet Athos; cultas altus habebit Athos.
Eſt etiam placuiſſe ſibi quotacumque voluptas:
Virginibus cordi grataque forma ſua eſt.
Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat; & formâ muta ſuperbit avis.

Sic

Confundi illa verba *petitus* & *paratus* vidimus ad Epiſt. VIII. 82. & ad Calpurn. Declam. 25.

22. *Et quantos onus eſt.*] Hoc eſt, duos lapillos tantos, quantos eſt onus tuliſſe auribus: id eſt, quantos ipſae aures vix poſſent geſtare, propter onus & gravitatem. Micyllus. *Quanto bonus* duo libri. totidem, & *quantus honor eſt.* Lege, *Et quantos oneri eſt.* Met. X. 195. *Ipſa ſibi eſt oneri cervix.* Seneca Hercule Oetaeo 661.

Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoâ lectus in undâ. Heinsius.

Claud. VI. Conſ. Honor. 528. *Baccis onerat candentibus aures.* Senec. de Conſt. ſap. XIV. *oneratas aures dixit.* Tertul. I. de Cult. 9. *Graciles aurium cutes calendarium expendunt*; qui ſcriptor, credo, menda laborat de luxuria circa annulos agens in Apologet. cap. 6. ubi vulgo legitur, *cum aurum nulla norat praeter unico digito, quem ſponſus oppigneravit pronubo annulo.* Ita vulgo. ſed in Rhenani editione eſt, *cum aurum nulla membra norant, praeter unicum digitum*, unde mallem, *cum aurum nulla membra oneraret, praeter unicum digitum:* hoc enim jubent ſequentia, *nunc in feminis prae auro nullum eſt leve membrum.* vid. ad Petron. LV. & LXVI. & ſupra ad III. Art. 129. Burmannus.

23. *Indignum.*] Conjecerat Heinſius, *non tamen indignor.* ut Epiſtola. XVI. 371.

Nec tamen indigner pro tanta ſumere ferrum
Conjuge.

23. *Sit vobis.*] Ex vetuſtis codicibus, praeterquam quod ſic exigit ſenſus, legendum eſt, *Si vobis cura placendi*, ſubaudi, *eſt.* Marius. *Sit vobis* ſcripti plerique. ſed alterum ex ſuis Marius Niger recte praefert. *Non tamen* iidem noſtri. Heinsius.

25. *Foeminea veſtri poliuntur lege mariti.*] Ita ſcripti. Sed legendum, *poliuntur.* ſic *mores frugalitatis lege polire* dixit Petronius cap. V.

Artis ſeverae ſi quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius mores
Frugalitatis lege poliat exacta.

Quomodo mendoſiſſimos verſus eſſe reſtituendos cenſeo. niſi quod primo verſu malim, *ambit*, vel, *adamat.* ſic & Noſter I. Triſt. I. 11.

Nec fragili geminae poliantur pumice frontes.

Julius Firmic. de Error. Prof. Relig. *Niſi effeminent vultum, cutem poliant, & virilem ſexum ornatu muliebri dedecorent.* Heins.

27. *Per ſe quaeque paret, & quos.*] Palatinus, *& quos vencretur amores.* Mihi ſimpliciter ſcribendum videtur:

Per ſe quaeque paret, quos & venetur amores,
Refert. mundicie crimina nulla merent.

Dan. Heins. Haec foediſſime ſunt inquinata. *Pro ſe quaeque parat*, ſex libri. *quos & veneretur*, nonnulli alii, cum primâ editione. *venerentur* duo. pro *Refert*, unus, *Praefert. Refer* & *Parent* Helmaeſtadienſis. Non video quid commodius extricari poſſit, quam ſi legas:

Proin ſe quaeque paret; nec quo venetur amores
Refert. mundicie crimina nulla merent.

Vel, *mundicies meret.* ut in Amorib. III. XI. 43. *Facta merent odium. Proin* una ſyllaba, ut apud Maronem XI. 383. *Proinde tona eloquio.* ſic & *Dein* monoſyllabum. *Parare* pro *ornare*, unde, *paratus* pro *cultu.* Propertius libro II. El. XXIV.

Et ſe plus uni ſi qua parare poteſt.

De *venatu amoris* alibi dictum. Viderint acutiores. ego enim hic mihi vix ſatisfacio. Poſſet & legi:

Se ſibi quaeque parent, nec quo venentur amores
Refert. munditiae crimina nulla ferent. Heins.

Legerem:

Per ſe quaeque parat, nec quo venetur amores
Praefert. munditiae crimina nulla merent.

Hoc ſenſu, unaquaeque ſine ope alterius aut conſilio illa parat, quibus ſe viros capere poſſe putat, neque tamen palam prae ſe fert, quomodo venetur, ſed ſolis munditiis id efficit, quibus nihil peccare ſibi videtur. *per ſe* uſitatiſſima locutio Suetonio & aliis. Noſter I. Met. 102. *per ſe dabat omnia tellus.* Hoc jam ſequentia docent; omnes puellas

per

Sic potius nos uret amor; quam fortibus herbis,
Quas maga terribili ſubſecat arte manus.
Nec vos graminibus, nec mixto credite ſucco:
Nec tentate nocens virus amantis equae.
Nec mediae Marſis finduntur cantibus angues:
Nec redit in fontes unda ſupina ſuos.
Et quamvis aliquis Temeſaea removerit aera;
Numquam Luna ſuis excutietur equis.
Prima ſit in vobis morum tutela, puellae:
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum eſt: formam populabitur aetas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.

Tem-

per ſe ſcire artem ſe commendandi; etſi nullum magiſtrum habent, quia etiam ruſticae & quae in monte Atho habitant, ſe colere ſolent. Burm.

29. *Rure latent.*] *Jacent* Edit. Berſmanni. *fugiuntque comas* Palatin.

30. *Cultus.*] Lego *cultas*, ex vetuſtis exemplaribus: hoc eſt, ornatas. Marius.

31. *Quaecunque.*] *qualiſcunque.* Rectius tamen legeretur, *Cuicunque*, ſcilicet puellarum. Marius. Commentator legit, *Cuicunque*, pro, omnibus puellis. quae emendatio paulo durior videtur. Ego verò malim, *Quotacunque.* ut ſit ſenſus: Eſt etiam quotacunque, hoc eſt, aliqua voluptas, placuiſſe ſibi, &c. Micyll. *Quotacunque* malim cum Mycillo. vide Epiſt. xiii. ŷs. 60. ubi dictum. *cuicunque* malit Niger. quod eſt in Helmaeſtadienſi libro. Heinsius.

34. *Multa ſuperbit avis.*] *Multa avis*, pro *multae aves.* legitur & *muta.* Marius. In quibuſdam exemplaribus legitur, *Multa avis*: ut annotat commentator. Sed prior lectio mihi magis probatur, tametſi & eâ meliorem optarim. Vocat autem *mutam* (opinor) Poëta, non quia in totum muta ſit, ſed quod cantum nullum edat, ſed tantum inconditum quendam & raucum clamorem. Et quid, ſi *ſtulta* legas, pro *multa.* Micyll. Idem lib. Maff. *cauta ſuperbit.* Alter vero, *muta.* non diſplicet. Ciofan. Alii *multa*, alii *ſtulta.* mihi ſimpliciſſimum videtur, quod Palatinus habet, *& forma laeta ſuperbit avis.* Dan. Heins Scio *muta* animalia dici. ſed libri plerique, *multa.* Puto pro, *culta.* unus Palatinus, *laeta.* unus Patavinus, *cauda.* Forte, *cauda culta ſuperbit avis.* Ciofanus ex uno ſuo *cauta* profert. an *lauta avis?* nam & *lauti*, ſplendide veſtiti. Mycillus, qui *ſtulta* legit, aliud agebat. Heinsius. Forte *. formae dote ſuperbit avis.* vel etiam *culta* poteſt retineri, ut apud Phaedr. iii. fab. 18. forte ſcribendum:

Quo mi, inquit, cultam ſpeciem, ſi vincar ſono?

Ubi *mutam* nunc legitur. Burmannus.

35. *Vos urget.*] Lego ex antiquorum codicum autoritate, *Nos tanget amor.* ut ſit ſenſus: Facilius nos viros in amorem veſtrum trahetis cultu corporis, quam magicis artibus. Marius Scripti cum prima editione, *urget.* unus Ambroſianus, *vos uret.* Lege, *Hinc potius nos urat Amor.* vide notas Amor. lib. i. Eleg. ii. ŷs. 17. Heins. vid. & ad iii. Art. 541.

35. *Fortibus herbis.*] Tibul. i. ix. 17. *pollentibus herbis.* Douza.

39. *Finduntur.*] Legendum eſt ex vetuſtis codicibus, *Finduntur.* Nam & inferius inquit, *Nec redit:* modo indicativo. Marius. Citat haec Cariſius lib. i. in verbo *Anguis.* ejus verba ſunt: *Anguis cum ſit maſculini generis, dixerunt tamen & feminini*, ut Tibullus; *Iratae detinet anguis* & Ovidius: *Mediae Marſis finduntur cantibus angues.* & Varro Atacinus: *Cujus ut adſpexit torta caput angue revinctum.* Ciofan. Tres libri, *fundantur.* duo, *findantur.* & ſic citat Cariſius lib. i. pag. 70. neque aliter ſenſus requirit. Quare ſequenti verſu, pro *Nec redit*, ſcribendum:

Nec ruat in fontes unda ſupina ſuos.

Vel, *repetat fontes.* deinde &, *excutiatur.* ita hiſce omnibus ſenſus ſuus conſtabit. Heinsius. violentior Heinſii medicina videtur, *nec ruat.* mollius foret certe, *nec repetat fontes.* ſed vulgata ſana eſt. Non enim praecepta hic tradit Naſo, ſed nihil poſſe in forma curanda artes magicas demonſtrat, quod & idem in Arte docuerat, vanas illas eſſe. Burmannus.

41. *Temeſaea removerit.*] *Temeſëia moverit* Vatican.

43. *Prima ſit in vobis.*] Poteſt eſſe dictum ut iii. Art. 380.

In quibus eſt ulli cura placere viro.

Sed mallem, *prima ſit in votis.*

43. *Tutela.*] Cura. Hic eſt diſtinguendum: nam dictio ſequens *puellae*, caſus eſt rectus, & refertur ad verbum *Placent.* Marius. Commentator ſic, prima cura ſit vobis morum: nam puellae placent ingenio, hoc eſt, probitate: conciliante ſcilicet fa-

Tempus erit, quo vos ſpeculum vidiſſe pigebit,
Et veniet rugis altera cauſſa, dolor.
Sufficit, & longum probitas perdurat in aevum;
Fertque ſuos annos: hinc bene pendet amor.
Diſce, age, cum teneros ſomnus dimiſerit artus,
Candida quo poſſint ora nitere modo.
Hordea, quae Libyci ratibus miſere coloni,
Exſue de paleâ tegminibusque ſuis.
Par ervi menſura decem madefiat ab ovis:
Sed cumulent libras ordea nuda duas.
Haec ubi ventoſas fuerint ſiccata per auras;
Lenta jube ſcabrâ frangat aſella molâ.

Et

vorem. Mihi autem ſuſpecti hi verſus ſunt. Nam aut ſic legendum puto:

Prima ſit in vobis morum tutela, puellae;
Ingenio facies conciliante placet:

Ut *puellae* vocandi caſus ſit, & poſterior verſus per ſe ſententiam faciat, eam ſcilicet: Facies, ſive forma tum potiſſimum placet, quando ingenium, hoc eſt, bona natura, ſive probitas, eam conciliat, ſive commendat. Aut rurſum:

Prima ſit in vobis morum tutela, puellae
Ingenio faciem conciliante placent.

Ut ſit ordo: Puellae placent, formam commendante ingenio, &c Micyllus. Alii aliter. Scaligero & nobis Micylli lectio placebat:

Prima ſit in vobis morum tutela, puellae.
Ingenio facies conciliante placet.

Dan. Heinsius. *Facies placet* bene prima editio cum duobus ſcriptis, tres alii *facies placent*. unde Mycillus:

——— *Puellae*
Ingenio faciem conciliante placent.

Quod tantundem eſt. Heinsius.

46. *Placidus.*] MSS. codices habent, *placitus*. Marius.

46. *Aratus.*] Malebat Heinſius, *arandus*.

50. *Perque ſuos annos hinc bene pendet amor.*] Haec nihili ſunt. nec juvant libri veteres. Scribe nihilominus:

—— *Longum probitas perdurat in aevum,*
Fertque ſuos annos. hinc bene pendet amor.

Quintilianus lib. II. cap. IV. *Quare mihi maturitas ne feſtinet quidem, nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint. ſic annos ferent.* ita & *aetatem ferre*. Simile mendum inſedit codices Valerii Flacci lib. I. ỳs. 767. ubi pro, *Talia fert lacrymans*, perperam *per lacrymas* nunc legitur. Heinsius. In Valerio nihil eſſe mutandum ad ipſum Poëtam docebimus. hic tamen facile ferimus emendationem. vide quae olim ad Petronii cap. 43. notavimus. hinc in gloſſis, προσβεβηκὼς τὴν ἡλικίαν *oviſer.* lege, *aeviſer.* Burmannus.

51. *Diſcite.*] Hic incipit Poëta docere faciei medicamen. Quaedam exemplaria ſcriptum habent: *Dic age, cum*, &c. Mihi tamen magis placet, ut poſt digreſſiones, quas fecit, repetat illud verbum, quod in principio libelli poſuit, *Diſcite quae faciem commendet cura puellae.* Marius. Commentator addit hoc loco, in quibuſdam legi, *Dic age.* Sed quid ſi legas, *Ergo age?* nam hae particulae tranſitionibus & epilogis maxime ſerviunt. ut, *Ergo age chare pater*, &c. apud Virg. Micyll. Non male, qui *diſce age* ſcribunt. Ceterum in Palatino:

Diſcite, cum teneros ſomnus dimiſerit artus.

Dan. Heins. Lege, *Diſce age* cum Menteliano: nam *jube* paulo poſt ſequitur. prima editio & ſeptem ſcripti, *Diſcite*, ut initio operis. quod & Marius Niger agnoſcit Mycillus malit, *Ergo age*. Lege etiam, *dimiſerit* cum iiſdem ſcriptis & primâ editione. poſtquam ſomnus te deſtituit. Heinsius.

55. *Par ervi.*] In Helmaeſtadienſi, *par orobi*, cum Gloſſa, *ordei*. Graecis ervum ὄρεβος dictum, unde minus Thus *orobiam* dixerunt, teſte Plinio lib. XII. 14. ab ervi figura; Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 361. & idem Plinius *orobiten* Chryſocollam ab ervi quoque ſimilitudine lib. XXXIII. 5. dictam ait. Heinsius.

56. *Sed cumulent.*] Forte, *& cumulent.* Idem.

59. *Cadent.*] *Cadunt* ſcripti quinque & prima editio. Idem.

59. *Vivaci.*] Vide quae notavi ad lib. III. Met. 144. Ciofanus.

60. *In hac.*] Lege, *in haec* ex vetuſtis exemplaribus. *in haec* igitur, ſcilicet *cornua*. Marius. Haec mendoſa ſunt. *in hoc ſolida* tres libri. *in hac ſolida* duo. unus, *& hoc ſolido*. Moreti codex, *in hoc ſolida texta fac agis eat. texta* etiam in aliis. Legendum, *& huc ſolidi ſexta face aſſis eat. in haec* lectio eſt Nigri. infra:

Huc novies tanto plus tibi mellis eat.

Sexta ſubintellige pars. ſic *ſextula*, ſexta pars unciae apud Rhemnium de ponderibus. *ſolidus as* vel *aſſis*, idem

Et, quae prima cadunt vivaci cornua cervo,
Contere: in haec ſolidi ſexta face aſſis eat.
Jamque ubi pulvereae fuerint confuſa farinae,
Protinus in cribris omnia cerne cavis.
Adjice Narciſſi bis ſex ſine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat:
Sextantemque trahat gummi cum ſemine Thuſco.
Huc novies tanto plus tibi mellis eat.
Quaecumque adficiet tali medicamine vultum;
Fulgebit ſpeculo levior ipſa ſuo.
Nec tu pallentes dubita torrere lupinos,
Et ſimul inflantes corpora frige fabas.

Utra-

idem qui & *ſolida libra* antiquis. HEINSIUS.

61. *Namque ubi.*] In nonnullis, *jamque*, & fortaſſe rectius. NAUGERIUS. ex manuſcriptis exemplaribus legendum, *jamque*. MARIUS. imo, *jamque*. DAN. HEINS. *Jamque* prima editio & ſcripti. quomodo Marius quoque Niger & Naugerius ex ſuis annotarunt. HEINSIUS.

62. *In numeris omnia cerne ſuis.*] Sic quidem in omnibus adhuc impreſſis exemplaribus legitur: ſed nullus decens ſenſus ex hac lectione elici poteſt. Legendum igitur eſt ex manuſcriptorum exemplarium autoritate, *Protinus in mundis omnia cerne cavis.* Purganda, inquit, haec tibi ſunt cribris. Nec mihi diſpliceret, ſi pro *In mundis*, quae ſunt duo verba, legeres, *Innumeris*, id eſt, denſiſſimis, arctiſſimis, anguſtiſſimis. Nam & inferius ait, *Per denſa foramina cerne.* MARIUS. Legendum, *Protinus innumeris omnia cerne cavis.* Intelligit enim cribrum, cujus cava, hoc eſt foramina, infinita ſunt. MICYLL. *Protinus in numeris omnia cerne ſuis*, legitur in omnibus excuſis. depravate. In ſcriptis autem, *innumeris omnia cerne cavis.* Vere: ut ſit ſetacei cribri periphraſis, quod innumerabilia habet foramina. Aut lege auctoritate aliorum vet. exemplarium, quibus ſe uſum eſſe affirmat Dominicus Marius Niger, homo doctiſſimus, *Protinus in mundis omnia cerne cavis.* Id eſt, ut ipſe loquitur, purganda haec tibi ſunt cribris. CIOFAN. *In mundis*, legit Domitius Marius Niger ex ſuis libris, vel *innumeris*. quod & alii ſecuti ſunt. *in numeris cavis* ſcripti noſtri cum primâ editione praeter duos, qui, *in numeris ſuis. in numeris conde cavis*, Neapolitanus. Lego:

——— *In cribris omnia cerne cavis.*

Ita medici paſſim loquuntur. Noſter infra:

—— *Per denſa foramina cerne.*

Hinc *ſuccernere cribris* apud Plinium XVII. 10. & *cribris incernere* apud Columellam lib. V. 6. HEINS. Plin. XXXVI. 5. *Deinde tenui cribro cernitur, poſtea molitur, ac deinde tenuius cribratur.*

64. *Strenua quas.*] Legendum eſt, *quos.* ſcil. *bulbos.* MARIUS.

64. *Puro marmore.*] Forte, *Pario*, HEINSIUS.

65. *Terat.*] Legitur in exemplaribus etiam *trahat*, ut inferius:

Quod trahat in partes uncia ſexta duas.

Et:

Ponderibus juſtis fac ſit utrumque trahens.

MARIUS. *Terat* ſcripti plerique. Neapolitanus, *ſextanteſque trahat.* alii duo, *ſextantem trahere.* ſic & mox ỳs. 80. lego, *trahant.* bulbi nempe. vide quae noto mox ỳs. 92.

65. *Gummi.*] Caſus eſt rectus. Ordo enim eſt: *Gummi cum ſemine Thuſco trahat ſextantem.* Hic eſt indeclinabile, & generis neutri *gummi.* Columella tamen lib. 13. *Qualis eſt gummis*, inquit. Eſt autem gummis lachryma arborum conglutinata, ut perſici, ceraſi, & ſimilium. Scribendum videtur *gummi* per duplex *mm.* nam Graeci κόμμι dicunt. Fiebat in Italia (ut lib. 15. docet Plin.) è *gummi oleum.* MARIUS.

65. *Semine.*] Semen hic proprium eſt frumenti genus, non diſſimile farri: quod & Zeam appellant, ex quo alica fiebat, ut docet Plin. lib. 18. IDEM.

65. *Thuſco.*] Quia in Thuſcia optimum naſcebatur. Mihi tamen magis placeret, ſi legeretur, *Tuſo*, id eſt, trito in mortario: ſed nullum habeo exemplar, cujus autoritate nitar. IDEM.

66. *Et novies.*] Legendum eſt, ut in manuſcriptis exemplaribus legitur, *Huc.* id eſt, in haec omnia quae ſupra commemoravi. *Novies tanto plus*: hoc eſt, una libra cum dimidia: quod efficit novem ſextantes, id eſt, uncias decem & octo. *Tanto*, ſcilicet ſextante. Nam dixerat paulo ante, *Sextantemque trahat.* IDEM.

67. *Quaecunque adficiet.*] Malim, *inficiet.* HEINS. Vide locum Petronii cap. CII. in initio adductum.

69. *Praebere.*] Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *Nudare:* hoc eſt (quod ſupra dixit) exuere de ſuis tegminibus. MARIUS. *Nudare* eſt ve-

Utraque ſex habeant, aequo diſcrimine, libras:
Utraque da nigris comminuenda molis.
Nec ceruſſa tibi, nec nitri ſpuma rubentis
Deſit, & Illyricà quae venit iris humo.
Da validis juvenum pariter ſubigenda lacertis:
Sed juſtum tritis uncia pondus erit.

Addita

ra lectio. Ciofanus. Poſſet hoc admitti, ſi bona fide ita codices habere conſtaret. nam ita *nuda hordea* ſupr. ℣s. 56. ſic III. Faſt. 557. recte codices:

Tertia nudandas acceperat area meſſes.

Ita *grana veſtita.* Petron. cap. CXXXV. Burm.

70. *Et ſimul inflantis corpora frange ſerae.*] Ita quidem in omnibus, tam impreſſis, quam manuſcriptis exemplaribus, quae ad manus noſtras pervenerint, legitur hoc pentametrum. ſed dubio procul ineſt mendum: nam quid in hoc loco ſignificet *ſera* cum ſuo adjectivo non liquet. ut fortaſſe legendum ſit:

Et ſimul inflantis corpora frange fabae.

Verum nihil ſine exemplarium autoritate eſt immutandum. Poterit enim quandoque in lucem prodire exemplar aliquod, ex quo hic locus, aliique in hoc praeſertim libello, quem non libellum, ſed potius fragmenta libelli de medicamine faciei quis jure appellaverit, emendari poterunt. Marius. Hic verſus aſteriſco notatur, quod haud dubiè corruptus eſt. Placet autem emendatio interpretis, qui putat legendum:

Et ſimul inflantis corpora frange fabae.

Nam & alibi lomentum, hoc eſt, farinam fabaceam legimus veteribus in uſu fuiſſe ad complanandam cutem. Hinc & Martialis dixit lib. III. 42.

Lomento rugas uteri quod condere tentas
Polla: tibi ventrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortaſſe puſillum:
Quod tegitur, majus creditur eſſe malum.

Item lib. XIV. 60. de lomento:

Gratum munus erit, ſciſſo nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes. Micyllus.

Et ſimul inſtantis corpora finge ſerae, in omnibus, quos vidi, libris impreſſis. Peſſime. In uno Maff.

——— *Inſtantis corpora fige fece.*

In altero, & utroque Vaticano:

——— *Inſtantis corpora frugiferae.*

Nullus ex his lectionibus elicitur ſenſus. Placet itaque legere cum Nigro, qui ingenioſſime emendat:

——— *Inflantis corpora frange fabae.*

Fabis enim in his rebus, quae à poëta hic deſcribuntur, utuntur mulieres. *Inflantis* etiam legendum viderat Muretus, antequam ego Nigri commentarios inſpexiſſem. Quod epitheton proprium eſt fabae. M. Tullius lib. I. De Divinat. *Pythagoricis interdictum putatur, ne faba veſcerentur, quod habet inflationem magnam is cibus.* Idem lib. II. *Quaſi vero eo cibo* (faba) *mens, non venter infletur.* Ciofanus. Lege, *inflantis. Et ſimul inflantis corpora frange fabae.* Ac Ciofanum adi. Dan. Heins. *Frugiferae* ſcripti potiores. quomodo & ex ſuis Ciofanus notat. unus ex noſtris, *frigeſere.* Helmaeſt. *frange ferae.* Ciofani unus, *fige fece.* Ipſe Nigri emendationem probat, legentis, *inflantis corpora frange fabae.* quod & Mycillus amplectitur, & Muretus. Ego diu eſt quod, inſiſtens propriis veſtigiis depravatae lectionis, emendabam:

Et ſimul inflantes corpora frige fabas.

Nam *inſtantes* habebat codex unus Patavinus. *inflantes corpora* recte *fabas* dixit, quod nihil ſit flatulentius iis. ſic *inflantes corpora Deos* apud Perſium reperies Satyra V. quo & Juvenalis illa Satyr. III. 293. referenda:

Cujus conche tumes? quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?

Ubi Scholiaſtes antiquus, *cujus faba inflatus es?* Eſt autem *frigere*, idem quod *torrere.* Plinius XVIII. cap. VII. *Graeci perfuſum aqua hordeum ſiccant nocte una, ac poſtero die frigunt, deinde molis frangunt.* Hinc *frictum cicer* apud Plautum, *frictum triticum*, *frictum ſal*, *fricta ova* apud alios paſſim. Produci autem primam ſyllabam inde liquet, quod Nonius Marcellus obſervet, *Frigit, quando ſignificat erigit, corripere primam ſyllabam.* quod non addidiſſet, ſi in *frigit* pro *torret* eundem uſum obtinere opinatus eſſet. Diomedes lib. I. *Sunt quaedam perfecta à diverſis inſtantibus derivata. ut frigeo, friges, frixi. & frigo, frigis, frixi.* Idem notat Phocas Grammaticus. Apud Feſtum, *Frigere & frictum à Graeco venit* φρικεῖν. Lege, φρυγεῖν. Nam vetuſtus codex Voſſianus, *frigin.* Gloſſae Stephani: *Frigit*, φρύγει, τηγανίζει. bene. Fuit cum *pinſe fabas* legendum putarem. ut auctor Panegyrici apud Piſonem:

Humida calloſa cum pinſeret hordea dextrâ.

Superiori verſu pro, *nudare lupinos*, quod Marii Nigri commentum eſt, (nam in ſcriptis *nudare* nuſquam comparet, quicquid ille de ſuis id adfirmet, probetque Ciofanus) prima editio & tres ſcripti, *praebere.* Moreti codex, *pallere* & ſex alii. Ambroſianus & Helmaeſtadienſis, *torrere. Torrida farra* Faſt. II. initio de februis. non male unus Patavinus S. Antonii, *terere.* Palatinus, *ferrere.* Scribo, *frendere lupinos.* Seren. Sammon. cap. IV. *Copia farris uti frendentibus edita ſaxis.* Feſtus:

Fren-

Addita de querulo volucrum medicamina nido
Ore fugant maculas: Halcyonea vocant.
Pondere, si quaeris, quo sim contentus in illis;
Quod trahit in partes uncia sexta duas.
Ut coëant, apteque lini per corpora possint,
Adjice de flavis Attica mella favis.

Quam-

Frendere est frangere. unde & faba fressa. inde & dentibus dicimus frendere. Pacuvius apud Nonium Antiopa. *Fruge frendo solas ac sic probere. Accius Troadibus, Saxo fruges frendas.* Nihil his inquinatius. Lege, *Fruges frende molae saxis probe.* Papias: *Fresa, fracta, divisa, molita, à frendeo dicta.* Hinc *fressa faba* apud Martialem, Columellam, alios. & *cicera fressa* apud eundem Columellam. lib. II. II. Varro de Re Rust. lib. II. cap. 4. *Amisso nomine lactentis dicuntur nefrendes, ab eo quod nondum fabam frendere possint. Pallentes lupinos* dixit, ut *pallentem fabam* Martialis. HEINSIUS.

71. *Habeat.*] Lego, *habeant*, ut est vetus lectio. MARIUS.

72. *Utraque de nigris comminuenda molis.*] Vetus lectio est, *da*, id est, praebe. MARIUS. Alius, *det nigris.* Puto, *scabris molis*, ut supra, *Lenta jube scabra frangat asella mola.* ubi Moreti codex, *scribra*, posset & legi:

Utraque puniceis sunt minuenda molis.

Vel, *da minuenda.* sed hoc à vulgata lectione longius abit. Melius, *da pigris comminuenda molis. libris* est in Patavino. *pigras* autem molas propter asellum. supra *lentam asellam* dixit vers. 58. pro *utraque* vetustae editiones & duo scripti, *Lectaque*, unus, *Letaque.* Forte, *Frictaque.* HEINSIUS.

73. *Nec cum ceruса.*] Legi ex vetustis exemplaribus, *nec ceruса tibi.* MARIUS.

73. *Nitri.*] *Vitri* editiones priscae & scripti octo. nitrum fuci genus apud Theocritum initio Syracusanorum. HEINSIUS.

74. *Iris.*] Vid. Rhod. ad Scribon. Larg. cap. XLIV. LXXXIX. & alibi.

75. *Juvenum.*] Ancillarum. MARIUS.

76. *Sed justum.*] *Et* unus. Lege, *Quis justum tritis.* HEINSIUS.

77. *Addita da.*] Id est, adde. Sed rectius legeretur, *Addito de querulo.* Permisceto, inquit, & Halcyoneum medicamentum: de quo sic ait Plin. lib. 32. *Fit & mari Halcyoneum appellatum ex nidis (ut aliqui existimant) halcyonum & ceycum: ut alii, è sordibus spumarum crassescentibus: alii è limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor ejus genera: cinereum spissum, odoris asperi: alterum molle lenius, odore fere algae: tertium candidioris vermiculi: quartum pumicosius, spongiaeque putri simile, pene purpureum. Quod optimum, id & Milesium vocatur: quo candidius autem, hoc minus probabile est.* De Halcyoneo multa Dioscorides lib. 5. *Querulo* ut Naso lib. XI. Met. 734. ubi Halcyones fabulam describit, inquit:

Dumque volat moesto similem, plenumque querelae
Ora dedere sonum tenui crepitantia rostro.

MARIUS. *Addita da*, vulgo, sed placet commentatoris lectio, qui pro *addita da* legit, *addito de:* nam ablativi, *Querulo nido* praepositionem *de* requirunt. MICYLLUS. Legendum ex altero Maff. *Addita de querulo. &c.* Ut sit praepositio, non autem imperandi verbum. Male aliter emendandum putavit Niger. CIOFANUS. In Palatino erat, *Additaque.* Hoc est, *Additaque è querulo volucrum medicamina nido.* DAN. HEINSIUS. *Addita de* quatuor libri. *Additaque* duo, *Addita quod* unus. alius, *Addita que.* Lego, *Adjice & è querulo.* Marius Niger, *Addito*, quod Mycillus probat. Ciofanus *Addita de. querulos* etiam *nidos* dixit Seneca Hercule Furente 147.

Pennasque novo credere soli
Gestit querulos inter nidos
Thracia pellex.

De Halcyoneis medicamentis Plinius libro XXXII. cap. VIII. HEINSIUS. Ego Ciofani lectionem recepi, quae sententiam efficit rotundiorem, *Nidus querulus vero dictus* pro pullis. Glossae veteres, *Νέοσσος. nidus, pullus. Querulas domos* dixit Claudian. praef. ad III. Cons. Honor. ῥs. 5. ubi vid. Barth. & ad Stat. v. Theb. 601. & Heinsium ad Claudiani d. l. *loquacem nidum* dixit Juvenalis Sat. v. 142. de pueris, imitatus Virgilium. lib. XII. 475. qui ita pullos vocaverat. Plinius quoque de liberis dixit. lib. XXXV. 3. *Decora res, utique, si liberorum parvulis imaginibus, ceu nidum aliquem sobolis pariter ostendat.* vide Vales. ad Ammian. XIV. 6. ubi nescio cur *nidus liberorum* non possit notare multitudinem liberorum. de Ibide Solinus cap. XXXIII. *Serpentium populatur ova, gratissimamque ex his escam nidis suis defert.* & Amm. Marc. XXII. 15. *Inter Aegyptias alites Ibis sacra & amabilis & innocua, ideo quod nidulis suis ad cibum suggerens ova serpentum efficit, ut rarescant mortiferae pestes absumptae.* ubi vide Lindenbrog. BURM.

80. *Quas trahit.*] Legendum est ex vetustissimis exemplaribus *Quod*, scilicet pondus. MARIUS. Bene Scaliger:

Quod trahit in partes uncia secta duas.

DAN. HEINSIUS. *Quos trahit* duo libri. unus, *Quo*, per *unciam sextam* Marius Niger selibram intelligit. Scribe cum Scaligero, *uncia secta.* HEINS.

Quamvis tura Deos, irataque numina placent;
Non tamen accensis omnia danda focis.
Tus ubi miscueris radenti tubera nitro;
Ponderibus justis fac sit utrimque triens.
Parte minus quartà dereptum cortice gummi,
* Et modicum è myrrhis pinguibus adde cubum.
Haec ubi contrîris, per densa foramina cerne:
Pulvis ab infuso melle premendus erit.

Pro-

81. *Ut coëant apteque lini per corpora possint.*] *Lini* expone pro illini & inungi, non per lineas induci, ut commentatur. Micyllus.

85. *Tubera.*] Quaedam exemplaria scriptum habent, *Corpora.* Sed & *Tubera* optimè legetur: hic enim *Tubera* non significabit terrae fructum, sed morbi genus, hoc est, tumores quosdam in corpore humano, in facie praesertim: quales sunt clavi, papulae, ficus, verrucae, & id genus alia. de quibus Plin. lib. 21. inquit: *Prima propolis alveorum aculeos, & omnia infixa corpori extrahit, tubera discutit.* Idem lib. 20. *Tubera, & quaecunque emolliri opus sit efficacissime, anserino adipe curantur. & alibi saepius.* Marius. *Radenti corpora*, boni libri, Ciofanus. Male multi ex scriptis *radianti.* illud vero recte, quod quinque exhibent, *radenti tubera nitro.* Metam. viii. 808. *immodico prodibant tubere tali. tubera* hic posuit pro furunculis, papulis, pustulisque. de hac nitri vi vide Plinium lib. xxxi. cap. x. Viderat ex suis libris veram lectionem Marius Niger; sed in contraria itum est inscite à Ciofano. *radere*, pro eradere. ut monui Amor. lib. iii. Eleg. ult. *radere tubera* etiam Juvenalis dixit, sed de terrae tuberibus. Satyra v. 114.

Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
Altilis, & flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper. post hunc raduntur tubera. si ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua coenas
Majores.

Ita veterrimi codices locum illum exhibent. Perperam vulgo, *Spumat aper*, & *traduntur tubera.* Idem. Juvenalis Satyr. xiv. 6.

Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet juvenis, qui radere tubera terrae,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Ceterum in superiori Juvenalis loco pro & *flavi Meleagri*, epitheto otioso, libens reposuerim:

—— *Validi dignus ferro Meleagri*
Fumat Aper.

Et vali dignus scriptum fuerat antiquitus, cum τὸ *di* geminare librarius neglexisset. hinc *flavi* postea factum. Si quis malit, *navi*, seu *gnavi Meleagri*, nam utrumque dicebatur, nil repugnem. sic apud Valerium Flaccum lib. iii. 144.

—— *Mihi dextera ferro*
Navet opus. Heinsius.

Flavum vocat non ipsum Meleagrum, qui olim aprum Calydonium fixerat, sed appellat per jocum Ministrum delicatum habitu venatorio, quasi alter Meleager esset, qui scissurus erat aprum, & eo refer illa Petronii, cap. xl. *Ad scindendum aprum non ille Carpus accessit, qui altilia laceraverat, sed barbatus ingens, fasciis cruralibus adligatus, &, alicula subornatus polymita, strictoque venatorio cultro latus apri vehementer percussit.* Burmannus.

86. *Ponderibus justis fac sit utrumque trahens.*] Ita omnes libri excusi: itaque legit Niger. Quae monstrosissima planè est lectio. Germanissima reperitur in utroque Maffeiano:

—— *Utrumque Triens.*

Est enim *triens*, ut Priscianus, cum alibi, tum in carminibus de ponderibus & mensuris, docet, ponderis genus, quod quattuor uncias continet: item mensurae genus, ut idem ait. Interdum, auctore Theophilo lib. ii. Institut. tit. xiv. quartam hereditatis partem significat. Ciofanus. Bene Ciofanus, *triens.* Dan. Heinsius. Jam Ciofanus monuit, *triens* ex libris esse scribendum. quomodo & duo ex nostris cum primâ editione. Sed lege insuper:

Ponderis ut justi fac sit utrimque triens. Heins.

87. *Direptum cortice gummi.*] Lege *dereptum*; & vide quae noto Amor. lib. i. El. v. 13. Idem.

88. *Cibum.*] Sic in omnibus quaecunque vidi exemplaribus legitur. Ego aliud quid desidero: suspicor enim inesse mendum, nisi per *cibum* carnem aut condimentum ex Myrrhis, quale Graecis κυβόκιον vocant, intelligere mavis. Marius. Alter libri Vaticanus, & ambo Maffeiani perspicue habent: *adde cubum.* optime. κύβος Graece: Tessera Latine: *Dado* Italice, est. Talis igitur hoc loco sensus: Et adde modicum cubum è myrrhis pinguibus. Id est, tantum ex myrrhis pinguibus detrahe, & iis, quae jam dicta sunt, adde, quantus est parvus cubus. A κύβος venit κυβεύειν, quod est tesseris ludere. Ciofanus. Palatinus, *cubum.* MSS. Ciofani, *subum.* Dan. Heinsius. *Cubum* Ciofanus ex suis libris. quomodo & duo ex nostris. Sed Palatinus, *medium cubum. cubus* pro Amphora ponitur apud Rhemnium, qui priorem producit. Amphora facit duas urnas. Hui! tantum myrrhae! minus certe liberalis codex Palatinus, qui dimidiam cubo aufert partem. At Ciofanus

pro

Profuit & marathros bene olentibus addere myrrhis;
Quinque trahant marathri ſcrupula, myrrha novem.
Arentisque roſae quantum manus una prehendat,
Cumque Ammoniaco maſcula tura ſale.
Hordea quem faciunt illis adfunde cremorem.
Aequent expenſas cum ſale tura roſas.
Tempore ſis parvo molles licet illita vultus;
Haerebit toto multus in ore color.

Vidi

pro teſſera quadrata interpretatur. Ne illud quidem placet: ut dicat Ovidius myrrham addendam eſſe ad menſuram modicae teſſerae. Sed quare myrrhae hic meminit, cum paulo poſt myrrhae fiat mentio? codex Neapolitanus ante quingentos annos ſcriptus, *modicum emiriris pigribus.* Patavinus, *è mutis.* prima editio, *modicum meritis pigibus.* Bartholini liber τὸ *è* non agnoſcit, ut nec quatuor alii. Vaticanus, *mirtis.* pro *cibum* etiam, *thymum* Patavinus. Scribo, *Et modicum miſtis picribus adde thymum.* niſi malis, *piſtis picribus*, hoc eſt in pilo tunſis. *thymus* certe huic rei non inepta videtur. De Picribus Plinius lib. XXII. cap. XXII. *Picris ab inſigni amaritudine cognominatur, ut diximus: rotundo folio. Tollit eximie verrucas.* poteſt & legi, *modicum miſti thymi.* HEINSIUS. Sligtenhorſtius volebat, *adde ſcrupum*, unde *ſcrupulum*, cujus primam corripuit Remm. Palaemon. qui ſub Claudio vixit:

Gramma vocant, ſcrupulum noſtri dixere priores.

Mox vers 92. *Scrupula* memorat.

89. *Haec ubi contiveris.*] Legitur in exemplaribus etiam, *contereris*, ſed utrobique ſit mendum neceſſe eſt. Nam ſi *Contereris* leges, grammaticalis regula repugnat: *tero* enim verbum habet praeteritum *trivi*, & (quod vel pueris notiſſimum eſt) praeteritum perfectum, pluſquamperfectum, & futurum modi ſubjunctivi debet ſequi formam praeteriti indicativi. Quod ſi quis *Contriveris* legere voluerit, incidet in Scyllam, cupiens vitare Charybdin. Siquidem ſyllaba repugnabit: *Contriveris* enim in hoc loco corripiet ſecundam ſyllabam, alioqui natura longam: cum *trivi* praeteritum biſſyllabum primam producat. Verum quando nuſquam aliter legitur, ſequamur vetuſtiorem lectionem, quae eſt, *Contriveris*: & dicamus eſſe tropum Syſtolen, qui fit, quoties longa ſyllaba corripitur metri neceſſitate. Sic Maro in I. Aeneïd.

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

Sciendum tamen eſt (ut inquit Honoratus) plerumque in compoſitione vel derivatione principalitatis naturam mutari: ergo hic propter compoſitionem mutata eſt natura ſyllabae. Quid ſi *Contrieris* per ſyncopen legamus? id quidem, etſi in nullis vel impreſſis, vel manuſcriptis exemplaribus à me lectum ſit, mihi tamen magis placet, ne aut in ſyllaba carmen claudicet, aut grammaticalis regula repugnet. MARIUS. *Contriveris* prima editio & plerique ſcripti. *contereris* Moreti codex. *Contrieris* pro *contriveris.* Nam Chariſius notat ex Apulejo, *Tero*, *terii* & *trivi.* dicebant & *conterui.* de quo nonnihil jam dictum ad Epiſt. XIX. vers. 17. ut haec cohaereant cum ſequentibus, caſtigandum forte:

His, ubi contrieris, per denſa foramina cretis,
Pulvis ab infuſo melle premendus erit. HEINS.

Poſſet defendi *contriris*, ut *intriſti* apud Terent. Phorm. II. II. 4.

91. *Marathos.*] Flores eſſe autumo, à quorum pulchritudine fortaſſe Tibullus puerum, quem amabat, *Marathum* appellavit. De his tamen nuſquam alibi me legiſſe memini. Sane Graeci μάραθρον dicunt, quod Latini *foeniculum* appellant: licet Graeco vocabulo & Latini utantur. Sed non de hoc agitur hic. MARIUS. Arbitror legendum, *Marathros*, ut foeniculum ſignificet. Neque repugnat genus, cum pleraque ejuſmodi nomina in *us* & in *um* declinata reperiantur. ut *Hiſſopus*, *Hiſſopum*, *Intybus & Intybum*, *crocus* & *crocum*, & id genus alia. MICYLLUS. *Marathros* legit Micyllus. ut foeniculus intelligatur. *Marathus* certe nihili vox eſt. HEINSIUS.

92. *Quinque parent.*] Vetus lectio eſt, *parent*, ut ſit modus imperativus. MARIUS. Muretus legit, *Quinque trahant.* quod verbum ad pondus mirifice accommodatur. Sic Graeci utuntur verbo ἕλκειν. CIOFAN. Rectè Muretus olim, teſte Ciofano:

Quinque trahent marathi ſcrupula: myrrha novem.

DAN. HEINSIUS. *Parant* ſcripti plerique cum prima editione. Unde Muretus, teſte Ciofano, *Quinque trahant.* ut ſupra:

Sextantemque trahat gummi cum ſemine Thuſco.

Et:

Quod trahit in partes uncia ſecta duas.

Pro *novem* quidam libri, *decem.* HEINS.

95. *Hordea quae faciunt.*] Sic equidem in omnibus adhuc impreſſis exemplaribus lectitatum eſt, ſed non recte. Ego vero ex vetuſtis exemplaribus lego, *quem.* MARIUS.

95. *Infunde.*] Rectius tres libri, *adfunde.* HEINS.

95. *Cremorem.*] *Cremor* id fortaſſe eſt, quod Dioſcorides κρέμνον appellat. Cornelius Celſus *cremorem ptiſanae* pro ſucco fere accipit, ut hic Naſo. MARIUS.

96. *Ex-*

Vidi quae gelidà madefacta papavera lymphâ
Contereret, teneris illineretque genis.
* * * * * * * * *

96. *Expenſus.*] Ad libram ſcilicet, id eſt ponderatus. Apparet autem hoc carmen κολυβὸν eſſe ac ſuo fine carere. Nam verſus, qui ultimo loco ponuntur, etiam alios quoſdam ad deſcriptionem coeptam abſolvendam poſtulare videntur. ſed haec hactenus. MICYLLUS.

97. *Mollis.*] Lego ex vetuſtis exemplaribus *mulier*, ut aliquis ſenſus elici poſſit: & ex MSS. codicibus *illita vultum*, ut ſit ſynecdoche: quemadmodum apud Virgilium lib. 1. Aeneïd. 561.

Tum breviter Dido vultum dimiſſa profatur. MARIUS. Scribe, *Tempore ſic parvo mulier linet illita vultum.* vel, *linat.* Deinde, *Haerebit toto multus in ore color.* DAN. HEINSIUS. *Molli vultu* quinque ſcripti. *mollis vultu* prima editio & ſex alii. *molli vultus* duo. Lego:

Tempore ſis parvo molles licet illita vultus.

Non *ſit.* ſupra:

Nec tu pallentes dubita torrere lupinos.

Et:

Nec ceruſſa tibi nec nitri ſpuma rubentis Deſit. HEINSIUS.

98. *Haerebit toto nullus in ore color.*] Duo libri ſcripti: *multus in ore.* Vere omnino. CIOFANUS. *Multus* quinque libri. bene. quod & Ciofanus obſervavit. vid. lib. 1. Amor. Eleg. ult. v. ult. IDEM.

P. OVIDII NASONIS HALIEUTICON.

FRAGMENTUM.

* * * *

ACcepit mundus legem: dedit arma per omnes,
Admonuitque sui. vitulus sic namque minatur,

Qui

Si hoc poëma, quod *Halieuticon* inscripsit OVIDIUS, ad nos integrum perveniſſet, nemo sane esset ex omnibus honestarum artium professoribus, quin ex eo summos fructus summa cum voluptate perciperet. Sed, quando neque spes ulla est fore ut reperiatur, neque ullus hodie, quod equidem sciam, exstat liber scriptus, cujus ope, quae maxima, ac turpissima ei inflicta sunt, vulnera sanari possint, dandam esse operam censui, ut, si quid auxilii, quod perexiguum plane est, industria mea adferre possit, experirer. Evolvi itaque eos, qui penes me sunt, auctores, qui de piscibus aliquid litteris mandarunt, & eruditissimos in Urbe viros conveni, quos rogare non destiti, ut hac in re mihi, quoad possent, auxilio essent: à quibus quid acceperim, ut illustrarem, suis locis significabo. CIOFANUS. Hoc poëmatium cum Ovidianum esse testetur Plinius, idque plus uno loco, non est quod de auctore dubitemus: sed lacerum ad nos pervenit, nec id in fine tantum, cum ipsum quoque initium desideretur. Reliqua adhoc valde luxata ac foedum in modum turbata sunt. Nam nisi justum hoc fuit poëma, inopportune admodum (dicendum enim) inseritur digressio illa de quadrupedibus, nisi & illa ex alio opere huc irrepsit, aut post Nasonis mortem, quae in scriniis ejus inventa erant, aliquis turbato ordine vulgavit. Ceterum Hieronymus Columna Commentariis ad Ennii Phagetica hoc Halieuticon Ovidii longe auctius in lucem profert, descriptum ex veterrimo, ut ait, codice à Sertorio Quadrimano, cui id acceptum refert. Sed nollem vir cetera naris emunctae passus esset sibi fucum hic fieri. Esse enim ab homine mediocris ingenii conficta liquido apparet, nec linguae Latinae satis perito. Porro quicquid in recensione hujus fragmenti castigavimus, id codici Thuaneo ante septingentos annos scripto debetur; ne in singulis, praesertim levioribus, diu sit haerendum cum taedio lectoris. idem vetus codex, INCIPIT OVIDII VERSUS DE PISCIBUS ET FERIS. Codex chartaceus Ambrosianus inscribit HALIEUTICON cum vulgatis. HEINSIUS. Illustravit hoc poëma Scholiis suis Conradus Gesnerus in libellis tribus novis de Piscibus & aquatilibus Tiguri in 8. quem librum ipse vocat Progymnasmata in historiam aquaticûm, quam postea majori mole edidit. Deinde Janus Vlitius in Venatione Novantiqua recensuit, quorum virorum Scholia nostris adjunximus. Primum vero fuisse Paulum Manutium, Aldi fil. qui in lucem edidit, Gesnerus in praefatione docet, attulisse vero Actium Syncerum Sannazarium ex Galliis manu scriptum.

1. *Accepit mundus legem &c.*] Multa hujus principii carmina una cum ingeniosissimis, atque eruditissimis viris Petro Ciaccono, & M. Antonio Mureto, Ovidii non esse censeo. CIOFAN. Swartius lib. 1. Analect. cap. 5. legit, *regem*: inepte, licet approbatorem reppererit magistrum suum Barthium lib. XLIV. Adverſ. 11. *Lex* est constans ille & perpetuus naturae ordo, quem omnia creata sequi debent. quae *jura*, *foedera mundi* passim a Poëtis dicuntur. sic Valer. Flacc. 1. 213.

Legem defendere cuncti.

Qui nondum gerit in tenerâ jam cornua fronte:
Sic damae fugiunt, pugnant virtute leones.
Et morsu canis, & caudae sic scorpios ictu:
Concussisque levis pennis sic evolat ales.
Omnibus ignotae mortis timor, omnibus hostem,
Praesidiumque datum sentire, & noscere teli.

Vimque

Ad quem olim plura notavimus. *accipere legem* etiam dixit Noster lib. x. Met. 50.

Hanc simul & legem Rhodopeïus accipit Orpheus.

Et Petronius cap. XXV. *Nec puella ejus aetatis esset, ut muliebris patientiae legem accipere posset.* vid. ad lib. IV. Met. 703. BURM.

1. *Dedit arma per omnes.*] Nescio an satis Latine. deinde de omnibus falsum est. fors fuerit:

—— *Dedit arma, fere omnes*
Admonuitque sui. HEINSIUS.

Certe corruptus locus. an enim mundus dedit arma? & quibus? forte illa, *accepit mundus legem*, cum praecedentibus, quae periere, includenda parenthesi, & *natura*, de qua antea agebat, intelligenda, quae *dedit arma* animalibus omnibus. per *arma* vero intelligit illa animalium membra, quibus se defendunt, ut Plinius vocat etiam lib. XI. cap. 37. ita *naturae arma* vocat lib. V. Met. 540.

Neve feras, quibus arma dedit natura, lacessas.

Sic *exarmare* Valer. Flac. VII. 597. ubi nos plura. sic contra *inermes* dicuntur imbelles bestiae. vide quae compilavit Ouzel. ad Minut. Fel. cap. XVII. ubi vitio forte operarum mox in Ovidii versibus legitur, *caudae sic strepitus ictu*, qui error nec in renovata editione Clar. Gronovii sublatus est. BURMANNUS.

2. *Minatur.*] Ita Pythoeus edidit ex MS. Thuan. nisi fallor, qui sic habet: *vitulus quae manuque miratur.* Ald. ex MS. Sannazarii edita: *minaci.* forte: *vitulus sic namque minaci, Quae nondum gerit, intentat jam cornua, fronte.* VLITIUS. Thuan. *vitulus quae manuque minatur.* Ambrosian. *vitulus manuque minatur.* quare *minatur* reposuimus. HEINS. *minaci* vulgo. *minatur* Margo Gesneri. mallem, *vitulus sic nempe minatur.* vid. ad II. Met. 474. BURM.

4. *Virtute leones.*] Heinsius conjecerat, *rictuque leones.*

6. *Concussisque.*] *Concursisque levis pennis* MS. VLITIUS. *pinnis* Edit. Gesn. & Pith.

7. *Ignotae mortis.*] Forte, *innatus mortis timor.*

9. *Sic & Scarus.*] MS. *sic Escarus*; & sic itidem Ms. 38. Isidorus quoque *Escarum* pro *Scaro* posuit lib. 12. cap. 6. & ab *esca* dictum finxit. Gesnerus σκάρον aliud aquatile animal a Scaro longe diversum constituit. Nam & hic σκάρος Graecis est. VLITIUS.

10. *Sin* **.] Legi potest: *Contextam si forte levi de vimine nassam incidit.* GESNER. Ita Gesner. supplevit. Ald. hujus versus intervallo hanc vocem servat: * *sin* **. Unde ego olim ita centunculum illum resarciebam:

Sic & Scarus arte sub undis
Utitur & forsan si nassae vimine clausus, &c.

VLITIUS.

10. *Incidit.*] Ita Gesn. ut supplementum juvaret. MS. & Ald. *decidit*, quod meo insititio versui quadraret. IDEM. Ante hunc versum legebatur *sin.* cetera hiatu unius versus relicto. quod ex diversa lectione τοῦ *Decidit* natum puto; cui aliquis superscripserit *In.* hoc est, vel, *Incidit. Incidere escam*, ut *Incidere terras.* Met. VII. 524.

Incidit exosae dictas à pellice terras.

Virgil. Aeneïd. IX. 721.

Bellatorque animos deus incidit.

Ita vetustissimus Mediceus Apulej. II. Metam. *Fortunam scaevam dixerim, an saevam incidit.* Est vero *incidit* verbum piscatorium. idem Apolog. *amicis dato negotio, quicumque minus noti generis piscis inciderit, ut ejus mihi aut formam commemorent, aut ipsum vivum.* nisi malumus legere:

—— *Sic & Scarus arte sub undis,*
Incidit, adsutamque bolo depavit ut escam,
Non audet &c.

Ut Horat. Art. Poët. 15. *Adsuere pannum purpurae, & insuti terrenis vermibus hami*, apud Ausonium. *Boli* & *jactus* nomine censetur quidquid jacitur in mare. sic retis seu everriculi *jactus* Apulejo in Apolog. *Pythagoram memoriae prodiderunt, cum animadvertisset proxime Metapontum a piscatoribus everriculum trahi, fortunam jactus ejus emisse.* Valer. Maxim. IV. cap. 1. *A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam jactum emerat.* Gesneri editio hic uno versu est locupletior aliis. sed nescio qua nitatur auctoritate. HEINSIUS. Swartius d. l. legebat:

Decipit, absumptamque dolo jam depavet escam.

Sed ineptias illas jam olim ad Petronii cap. CVII. ostendimus. an vero hiatus illius versus, qui excidit, supplendus sit nescio, aut an ille, quem Gesnerus addidit, & Vlitius etiam correxit, sit verus, dijudicare non facile est: quamquam non sit pessimae notae. *Incidit* vero praefero τῷ *decidit*, propter exempla ab Heinsio allata. Ita Juvenalis illa IV. Sat. 33.

Incidit Adraci spatium admirabile Rhombi.

Capiebat Glossator MSS. Gerardi Vossii, qui explicabat, *incidit, id est captivus est, Decidit in casses* tamen

Vimque modumque ſui : ſic & Scarus arte ſub undis,
Incidit, adſumptamque dolo tandem pavet eſcam.
Non audet radiis obnixâ occurrere fronte,
Averſus crebro vimen ſed verbere caudae
Laxans ſubſequitur, tutumque evadit in aequor.
Quin etiam ſi forte aliquis, dum pone nataret,

Mitis

tamen dixit lib. II. Art. I. ſed ibi ad aves reſpicitur, qui *decidunt* proprie de coelo. BURM.

10. *Aſſumptamque.*] Forte, *aſſutamque dolo.* VLITIUS.

12. *Averſus crebro ſub verbere caudae, Laxans ſubſequitur, tutumque evadit in aequor.*] Achilles Statius ex Plinio corrigendum putat:

—— *Sed verbere caudae.*

Probo. Plinii autem haec verba ſunt lib. XXX. cap. II. *Scarum incluſum naſſis non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere, ſed averſum caudae ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorſum erumpere. Quem luctatum ejus ſi forte alius Scarus extrinſecus videat, apprehenſa mordicus cauda adjuvare nixus erumpentis.* Quo loco, quem nullis propemodum immutatis verbis ab Ovidio mutuatus eſt Plinius, amici hominis conjectura nititur. *Scarus* autem marinus & ſaxatilis eſt, dictus ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod ſalire eſt; vel, ut alii, paſcere: quamvis in eo ſignificatu vix reperiatur: dentes ſerratos non habet pectinatimque coëuntes, ut ceteri piſces, ſed planos, & latos, ſoluſque inter piſces ruminat, ut infra dicturus eſt Ovidius: alga, herbiſque veſcitur: Coriandro delectatur, ut Ariſtot. lib. II. De hiſt. Anim. cap. XIII. ait. Hunc autem piſcem ob eximiam ſaporis gratiam ac ſuavitatem Ennius Jovis paene cerebrum vocat his verbis, quorum hic non injucunda erit repraeſentatio:

Omnibus at Clupeae praeſtat Muſtella marina.
Mures ſunt Aeni, aſt aſpra Oſtrea plurima Abydi.
Mitylus, & Pecten, Charadruſque apud Ambraciae amnes.
Brunduſi Sargus bonus eſt: hunc, magnus erit ſi,
Sume. Apriclum piſcem ſcito primum eſſe Tarenti,
Surrenti Lopadas, Glaucum Cumas apud. at quid
Scarum praeterii cerebrum Jovis paene ſupremi?
Neſtoris ad patriam hic capitur magnusque bonusque:
Menalurum, Turdum, Merulamque, Umbramque marinam?
Polypus Corcyrae, Calvaria pinguia Atarnae.
Purpura, Muriculi, Mures, dulces quoque Echini.

De Scaro etiam Aelianus cum alibi, tum lib. I. cap. V. CIOFAN.

12. *Averſus crebro veniens ſub.*] Pliniuslib. XXXII. cap. 2. *Mihi videntur mira, quae Ovidius prodidit, piſcium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inſcribitur, ſcarum incluſum naſſis non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere, ſed averſum caudae ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorſum erumpere. quem luctatum ejus ſi forte alius Scarus extrinſecus videat, apprehenſa mordicus cauda adjuvare nixus erumpentis.* GESNERUS. Pro *veniens* cod. Thuan. & Ambroſian. *vimen.* quomodo & Behotius in Apophor. I. 3. conjectabat. in Plinii loco lege, *retrorſum erepere*, ne bis eodem verbo utatur. Caſſiodorus Var. XI. cap. XL. *Scarus eſca pellectus cum junceum carcerem coeperit introire, mox ut ſe ad exitium ſuum invitatum fuiſſe cognoverit, in caudam labitur, paullatim ſe ab anguſto ſubducens.* pro *ſub* margo editionis Geſneri, *ſed.* Lego:

Averſae crebro vimen ſed verbere caudae
Laxans ſubſequitur.

Vimen, naſſam ex viminibus textam vocat. HEINS.

12. *Veniens ſed.*] A. *veniens ſub.* MS. & P. *vimen ſub.* Ita legendum. Plinius enim ſic expreſſit: *Scarum incluſum naſſis non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere, ſed averſum caudae ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorſum erumpere.* Quae verbotenus exſcripſit Iſidorus: ſed perperam editum, *luminibus*, pro *viminibus*; *adverſum*, pro *averſum*, & *redire* pro *erumpere.* VLITIUS.

14. *Quin etiam ſi forte aliquis dampus nataret.*] Si legas, *dum pone nataret*, conſtabit verſus. GESNER. Octavius Pantagathus, vir omnium, dum vixit, ingenioſſimus, & in conjecturis faciendis admirabilis, ita hunc locum emendaſſe dicitur:

—— *Aliquis dum pone nataret.* CIOFAN.

Dum pone nataret, Pantagathus & Geſnerus reſtituerunt ex vet. lect. quae eſt in Al. *damptus nataret.* Pyth. *dampro nat.* ex MS. qui ita: *dam pronatareto.* f. *dum pronatat extra.* Plinius: *quem luctatum ejus ſi forte alius Scarus extrinſecus videat, apprehenſa mordicus cauda, adjuvare nixus erumpentis.* Nec verbo minus Iſidorus: niſi quod iterum *Eſcarum* poſuit, pro *Scaro.* ut & MS hic: *Eſcarum hunc.* VLITIUS. *Aliquis dam pronata retro* Thuan. Ambroſian. *dam pro nata rete.* Scribe, *ſi forte alius, dum praenatat, arto. arto* ſc. vimine, quod ſequitur. *praenatat* pro praeternatat. niſi malis, *prope*, *dum natat.* poſſet & *dum pone nataret* cum Pantagatho & Geſnero. HEINSIUS.

Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit,
Aversam caudam morsu tenet: atque ita *
* Uber servato, quem texit, in * resultet.
Sepia tarda fugae, tenui cum forte sub undâ
Deprensa est, jam jamque manus timet illa rapaces,
Inficiens aequor nigrum vomit ore cruorem.
Avertitque vias, oculos frustrata sequentes.
Clausus rete Lupus, quamvis immanis & acer,
Dimotis caudâ submissus sidit arenis.
. . . . . in auras.

Emi-

16. *Aversi caudam.*] *Aversum* uterque codex. Lege, *Aversam*. *ita* addidi ex utroque veteri libro. Heinsius.

16. *Atque.*] Legi potest, *Atque trahendo Captivum texto socium de carcere solvit.* Gesner. Al. *Atque* * MS. & Pith. *atque ita* *. Vlitius. *Uber servato quem texit inresultet*; Thuan. Ambrosian. *Ubcret nato quem texit quem resultat.* Puto:

——— *Atque ita tandem*
Victor servato, quem texit, cive resultat.

Vel, *quem traxit*, vel, *liber servato quem rexit.* Heinsius.

17. *Liberiore natans.*] MS. & Pith. *uberrer nata.* Unde ego formavi: *atque ita flexu Liberiore natans.* Ausonius Mosella: *Liberior laxos exerces Barbe natatus. Flexus* ita ℣s. 51. etiam usurpat Noster, & ibidem Plinius. Ald. τὸ *Uberrer* non habet; sed ita: * *nato quem texitque resultet* *. *texitque*, servat & Pith. MS. *texit quem resultet.* Ego supplevi: *quem texit nassa* (vel, *rete*) *resultat.* Vlitius.

18. *Saepia tarda fugae.*] Saepia è mollium est genere: marina est & litoralis, saepium habet, quod cum spinis proportionem obtinet, sicut Lolligo, Gladiolum. Mollia omnia proprium attamentum habent, eo tamen plurimum abundant Saepiae, quod litoralem agant vitam, & nihil praeterea illis natura dederit, quo aut sese tueri, aut piscantium manus evadere possint; praesertim cum earum motus tardissimus sit. Haec de Saepia Gulielmus Giscaferius. Vide & Aelianum lib. 1. cap. xxxv. Ciofan. Plinius hanc omittens, a scaro ad Lupum transit. Haec prima illius oscitantia circa Sepiam. Altera, quod cum lib. ix. cap. 15. dicat Sepiam non esse in Ponto; postea tamen, (ut notavi in praef.) de Ponticis piscibus hic tantum agi ab Ovidio arioletur. Vlitius.

19. *Jam jamque manus timet illa rapaces Inficiens aequor nigrum vomit illa cruorem.*] Verbum *illa* bis in hoc districho positum otiosum plane est. lego igitur cum Statio:

——— *Vomit ore cruorem.* Ciofan.

Τὸ *illa* ex praecedente versu repetitum temere est, pro quo forsan scriptum erat: *vomit ore cruorem.* MS. *vomit illace*, quod alteri conjecturae meae adstipulatur: *nigram vomit ilicet iram*, vel *undam.* Vlitius. Lego, *vomit ore*: nam *illa* praecesserat, atque ita Pantagathus. Heinsius.

21. *Avertitque vices.*] Et pericula effugit. Virg. lib. 11. Aeneïd. 431.

Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse vices Danaûm, &c.

Observavit Statius hoc verbum *vices*, nullum hic locum habere, & cum Ciaccono, & Mureto sentio. Ciofanus. MS. & Pith. *avertitque vias.* ita lege. Plin. ix. 29. de Sepiis, *ubi sensere se apprehendi effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur.* & ad verbum Oppianus lib. iii. 162. καὶ ἡμάλδυνε κέλευθα, *obscuratque vias.* Vlitius. *Vias* scripti opinor, *avertitque fugax*, vel *avertitque minas.* Heins. Ita *viae* & *vices* confusae lib. xv. Metam. 238. & apud Val. Flac. 1. 283. & alibi. Burmannus.

22. *Clausus rete Lupus.*] Gulielmus Giscaferius, Lupus, Latine: λάβραξ, Graece: *Spigola*, Italice. E mari flumina ingreditur, in aquis dulcibus non nascitur: à parvis squillis interficitur, Mugiles insequitur, inter quos perpetua est inimicitia. Inter pisces clarissimè audiunt Lupus, Mugil, Salpa, & Chromis: in vado vivit. Ciofanus.

22. *Immanis.*] *Immitis* Thuan. Heinsius.

23. *Dimotis cauda: submissus sedet armis in austri.*] Lego, *Latitat submissus arenis.* post hunc versum inseruerim alium:

At piscis captus, qui Grajo est nomine Cestreus.

Nam hoc de Cestreo (id est mugili, quem forte eundem esse ignoravit Ovidius, cum inferius iterum de mugilis astutia scribat; aut hoc nihil prohibet: nam & de Muraenae astutia denuo scribit) ostendit Oppianus lib. iii. de Piscibus. ubi & alia quaedam similiter, ut hoc in loco Ovidius describit. Lupum Plinius ex Ovidio scribit rete circumdatum, harenas arare cauda, atque ita conditum transire rete. Gesnerus. *Dimotis cauda submissus cedet arenis in austri.* Pantagathus legebat: *Sidit arenis.* Sed inter hunc, & sequentem versum aliquot carmina deesse suspicabatur. Ciofanus. *Sidit arenis.* Ita ego.

Emicat, atque dolos ſaltu deludit inultus:
Et muraena ferox, teretis ſibi conſcia tergi;
Ad laxata magis converſa foramina retis,
Tandem per multos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocet, cunctis intervenit una.
At contra ſcopulis crinali corpore ſegnis
Polypus haeret, & hac eludit retia fraude,
Et ſub lege loci ſumit mutatque colorem;
Semper ei ſimilis, quem contigit. atque ubi praedam
Pendentem ſetis avidus rapit, hîc quoque fallit

Elato

ego. Pith. *ſidet arenis.* MS. *ridet arenis.* Geſner. *latitat ſubmiſſus arenis.* pro eo, quod eſt in A. *ſedet armis in auſtri.* Quorum ultima proximo ſys. ſunt, quae ſequuntur. **** in auras.* Ita MS. & Pith. Quibus ego praefixi: *Atque ubi jam tranſire plagas perſentit, in auras &c.* Praeeunte Plinio: *Lupum reti circumdatum harenas arare cauda, atque ita conditum tranſire rete.* Iſidorus: *denique rete circumdatus fertur arenas arare, atque ita conditus tranſire rete.* Inepte. Non *conditus* plagas tranſit lupus, ſed *conditum* lupum plagae. Hoc voluit Plinius. VLITIUS. Thuan. & Ambr. *ridet arenis in auras.* Lege, *ſidit arenis. in auras* ſequentis verſus duae ultimae ſunt voces. Met. lib. I. 307. ex antiquis libris:

Quaeſitiſque diu terris ubi ſidere detur.

Cum *ſiſtere* illic legeretur in vulgatis, poſſit & ſcribi, *ſe dat arenis.* HEINSIUS.

25. *Dolos ſaltu deludit inultus.*] Lege, *inultos.* Met. IV. 426.

Nil poterit Juno niſi inultos flere dolores.

Ubi *multos* ſcripti plerique perperam. ſic & apud Apulej. I. Met. ſcribendum opinor, *quae cum ſubinde inultis noceretur*, non, *a multis noſceretur.* IDEM.

25. *Deludit.*] *Diludit* Ed. Geſn. Berſm. Vlitii.

26. *Et muraena.*] In Oppiani lib. III. de Piſcibus non recte legitur, *ſphyraena*, pro *ſmyraena*: nam & *ſmyraena* Graece dicitur. *Muraena maculas appetit ipſas, conſcia teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxat, donec evadat.* Plinius ex Ovidio. GESNERUS. Μύραινα, Graece: *Morena*, Italice. Muraena litoralis eſt, & pelagia: rabies ei velut canino generi accidit. Giſcaferius. Hunc locum adumbravit Plinius lib. XXXII. cap. 11. ubi ita eſt: *Muraenam maculas appetere ipſas, conſciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec evadat.* CIOFANUS. *More ferox & reti ſibi conſcia teri.* MS. ſed nihil mutandum Plinius, *Muraenam maculas &c.* VLITIUS.

27. *Converſa foramina.*] *Connexat forma* MS. IDEM.

29. *Exemploque nocet &c.*] Sic & ſcripti. caſtigandum omnino:

Exemploque nocens cunctis iter invenit una.

Quod & Behotio I. Apoph. 3. ſuboluit ex parte, minus bene Conradus Geſnerus:

Exemploque nocet, cunctis quod praevenit una.

Appoſite Philas Sectione LXXXII. de Muraena:

Ἡ μὲν γὰρ ἐνθενδ' εὐθὺς ἀπὸ μετρίου πόρου,
Διηξέδυ σώζουσα καὶ τὰς συννόμους. HEINSIUS.

Berſm. *quod praevenit.* vel rectius, *iter invenit una.* Vlitius in MS. eſſe *intervenitura* teſtatur.

30. *At contra ſcopulis crinali corpore ſegnis Polypus haeret, &c.*] Idem tradit Aelianus lib. VII. cap. XI. & Plin. lib. IX. cap. XXIX. lib. XXXII. cap. II. CIOFANUS.

31. *Hac.*] MS. *haec.* Plinius de hac fraude nihil, niſi quod eam reſpexiſſe videri poſſit lib. IX. cap. 29. de Polypis: *Cetero per brachia veluti acetabulis diſperſis aſtu quodam adhaereſcunt, tenentque ſupinis, ut avelli non queant.* Si bene ita conjicio. Vulgo: *hauſtu quodam.* De quo nihil Ariſtoteles, lib. IV. cap. I. unde illa deſumpſit Plinius. VLITIUS.

32. *Sub lege loci.*] Plinius ibidem: *colorem mutat ad ſimilitudinem loci.* Quod etiam hic ſuo loco praeterit. IDEM. *Loci.* Ovidiana locutio III. Am. II. 20.

Haec ex lege loci commoda circus habet.

I. Art. 142.

Qua tibi tangenda eſt lege puella loci. HEINSIUS.

32. *Mutatque.*] *Mittitque* Ambroſian.

33. *Atque ubi praedam Pendentem retis avidus &c.*] *Setis*, id eſt, lineae, cui annectitur eſca, vel cirris, id eſt capillamentis & brachiis ſuis rapit & invadit. Ovidius ſcribit Polypum hamos appetere, nec prius dimittere, quam eſcam circumroſerit aut harundine levetur extra aquam. Plinius. GESNERUS. Pantagathus legendum putavit, *ſetis*, non *retis.* verè. Equinis enim, ut nunc quoque fit, ſetis albis ad ſuſpendendos hamos captandis piſcibus uſos priſcos, docet Plutarchus in libello De induſtria animalium. Ejuſque rei rationem adfert Oppianus libro III. Eundem morem oſtendit & Ovidius lib. III. Metam. ubi quaedam ad hanc rem pertinentia jampridem notavi, & edidi. CIOFANUS. *Setis* MS. Pith. Geſnerus & Panhagathus. Ald. *retis*

Elato calamo, cum demum emerſus in auras
Brachia diſſolvit, populatumque exſpuit hamum.
At Mugil caudà pendentem everberat eſcam,
Excuſſamque legit. Lupus acri concitus irâ,
Diſcurſu fertur vario, fluctusque ferentes
Proſequitur, quaſſatque caput, dum vulnere ſaevus
Laxato cadat hamus, & ora patentia linquat.
Nec proprias vires neſcit Muraena nocendi:
Auxilioque ſui, morſu nec cominus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaces.
Anthias his, tergo quae concutit, utitur armis,
Vim ſpinae novitque ſuae, verſoque ſupinus

Cor-

VLITIUS. *Setis* bene Thuan. & Ambroſ. HEINS.

34. *Fallit.*] MS. *ſtillit*: & ſupra in fine proximi verſus poſt praedam adjicitur, *praedaret*, quod huc refero, ut reſtituam: *huic quoque adhaeret Elato calamo. Huic* ſc. praedae. τὸ *adhaeret* abſorptum erat in *praedaeret*, atque ita factum, *praeda, ret.* Conjecturae meae adſtipulatur Plinius: *Polypum hamos appetere, brachiiſque complecti, non morſu; nec prius dimittere, quam eſcam circumroſerit: aut arundine levatum extra aquam.* Sed poſtrema non ſatis congruunt. Noſter enim etiam *elato calamo* adhaerere praedae ſuae polypum dicit, donec hamum jam populatum expuat. Iſidorus illa tantum habet: *nec prius dimittit, quam eſcam circumroſerit.* Sequentia omittit. VLITIUS.

35. *Cum demum.*] *Tum demum* Ambroſ.

37. *Et mugil*] *Scit & Mugil eſſe in hamo eſcam, inſidiasque non ignorat: aviditas tamen tanta eſt, ut cauda verberando excutiat cibos.* Plin. GESNER. Ita haec pluſquam παραφράζει qui reliqua vixdum epitomaverat. VLITIUS. De Mugili Plinius, eodem lib. cap. XVII. & XLII. & alibi. CIOFAN. *At* editiones multae. *Mugilis* Heinſius malebat.

38. *Lupus acri concitus ira.*] *Minus in providendo Lupus ſolertiae habet, ſed magnum robur in poenitendo: nam ut haeſit in hamo, tumultuoſo diſcurſu laxat vulnera, donec excidant inſidiae.* Plin. GESNERUS. De Lupo, deque ejus cum Mugili inimicitia, eod. lib. cap. LXII. De Lupo etiam Aelianus lib. I. cap. XXXI. CIOFAN.

38. *Concitus ira.*] MS. *Contricitatus.* Plinius iterum παραφρασικῶς. *Minus in providendo. &c.* Nihil minus quam *iram*, ſed poenitentiam Lupi hic praedicat. vel itaque *in poenitendo* leg. apud Plinium. vel hoc loco, *Lupus acri concitus aere* (puta cum hamo haeſit) aut tale quid ſubſtituendum. VLITIUS.

39. *Diſcurſu.*] MS. *Diſcuſſus* i. e. *diſcuſſu.* IDEM.

42. *Muracna.*] *Muracna etiam non ignorat vires proprias tum nocendi aliis, tum ad auxiliandum ſibi in morſu eſſe ſitas. praemordet enim lineam. neque Mordendi vim remittit, donec omnino debilitata ſe captam & victam fateatur. Muraenae amplius devorant quam hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt.* Plinius ex Ovidio. GESNER. De Muraena idem Aelianus lib. I. cap. III. & lib. X. cap. ult. Plinius multis in locis. CIOFAN.

43. *Auxilioque ſibi.*] Ita A. recte. Ordo eſt: nec auxilio ſibi deficit Muraena, nec morſu. MS. & P. *Auxilioque ſui.* Plinius: *Muraenae amplius devorant, quam hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt.* De his nihil apud autorem noſtrum, niſi ita interpoletur:

Auxilioque ſui dentis ſtridentia furtim
Fila cibosque rapit; *morſu nec, &c.*

Quamquam, cum poſtrema haec plane neglexerit Plinius, fortaſſe, quae alibi legerat, in eorum locum per errorem aſſciverit. VLITIUS. Lege, *ſui* ex Thuan. & deinde, *cominus* pro *eo minus* ex utroque ſcripto. forte:

Auxiliumque ſui morſu nec comminus acri
Deficit.

Sic illa tempeſtate loquebantur, & τὸ *deficere* cum quarto caſu conjungebant, ut alibi pluribus eſt demonſtratum. ſequenti verſu, *hamos ponat captura minaces.* Thuan. HEINSIUS. *eo nimis* Marg. Berſm.

43. *Cominus.*] Ita MS. recte. Ald. *nec eo minus.* VLITIUS.

45. *Anthias his.*] *Pytheas id tradit* (lego, *Anthiam tradit idem*) *infixum hamo invertere ſe, quoniam ſit dorſo cultellato, ſpinaque lineam praeſecare.* Plinius. GESNERUS. De hoc piſce idem Plinius lib. IX. cap. 59. Eſt autem à Graecis vocatus ἱερὸς ἰχθύς, ut ait Ariſtoteles lib. IX. De hiſt. anim. cap. 37. quod in eo loco ſit, ubi nulla reperiatur bellua. De eodem etiam piſce Aelianus lib. I. cap. 3. & lib. VIII. cap. 27. Plutarchus in libro, cui titulum fecit, an terrenae beſtiae aquatilibus ſint prudentiores. CIOFAN.

45. *Tergo quae non videt.*] *Vidit* Thuan. *quem non vidit* Ambroſ. Lege, *quae concutit*, vel, *quae continet.* Met. I. 143.

Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.

Met.

Corpore lina ſecat, fixumque intercipit hamum.

* * *

Cetera quae denſas habitant animalia ſilvas,
Aut vani quatiunt ſemper lymphata timores,
Aut trahit in praeceps non ſana ferocia mentis.
Ipſa ſequi Natura monet, vel cominus ire.
Impiger ecce Leo venantum ſternere pergit
Agmina, & adverſis infert ſua pectora telis.
Quoque venit, fidens magis & ſublatior ardet,
Concuſſitque toros, & viribus addidit iram.
*Prodidit; atque ſuo properat ſibi robore letum.

Foedus

Met. XII. 468.

Armaque concuſſit, certumque equitavit in orbem. Sic & ſaepe alibi. HEINSIUS. Conjecerat & Heinſ. *Anthias aſt tergi, q. n. v. u. armis.*

46. *Novitque ſuae.*] *Vometque ſua &c.* MS. VLITIUS.

47. *Corpore lina ſecat fixumque &c.*] His carminibus, quae poſt hunc verſum ſequuntur, uſque ad illud, *Nec tamen in medias*, & reliqua, quidvis aliud, quam quod ad piſcationem pertineat, continetur. iis enim omnibus carminibus de venatione ſermonem eſſe perſpicue cognoſcitur. Unde facile crediderim fragmentum hoc jam deploratum totum eſſe perturbatum, & ex duobus non ſanis corporibus unum non integrum ac vegetum effectum. Viſum itaque eſt utroque loco aſteriſcos apponere. CIOFANUS.

47. *Corpore lina.*] Ita diſtinxi. vulgo: *Corpore lina ſecat.* Inepte. Pejus eſt, quod Rondelet. citat: *verſuſque ſupino Corpore lina ſecat.* Non *Corpore*, ſed ſpina lineam ſecat. Plinius lib. IX. cap. 59. *Anthiae, cum unum hamo teneri viderint, ſpinis, quas in dorſo ſerratas habent, lineam ſecare traduntur: eo, qui tenetur, extendente, ut praecidi poſſit. At inter ſargos ipſe qui tenetur, ad ſcopulos lineam terit.* Imo & ipſe Anthias ſibi id praeſtat, ut Noſter tradit; quem, oblitus ſui, ita hic ſequitur Plinius: *Anthiam tradit idem infixum hamo invertere ſe, quoniam ſit dorſo cultellato, ſpinaque lineam praeſecare.* Ita jam dudum reſtitui corruptiſſimum locum, quem aut fruſtra tentant, aut temere nimis proſtituunt editores: quibus eo magis ſuccenſeo, cum Geſnerum τὸν πάνυ ante ſaeculum fere ita emendaſſe poſtmodo videam. vulgo in omnibus Edd. extat, *Pytheas id tradit: idem infixam hamo &c.* quod nec ipſe Pythius mihi interpretetur. *Idem*, puta Ovidius, ex quo hactenus illa verbotenus deſumpſit: nam deinceps ex Licinio Macro ſequentia retulit. Noſter quoque abhinc è mari in terras & ſilvas excurrit. VLITIUS.

48. *Cetera.*] Digreditur ad animantes terreſtres, ut eas minus induſtriae vel aſtutiae, quam plerosque piſces habere oſtendat. Equos tamen & canes laudat. GESNERUS.

48. *Cetera quae denſas.*] *Et cetera* Thuan. *Aethera* Ambroſ. Puto:

At fera quae denſas habitant animalia ſilvas.

Multa hic deërant in Ambroſiano, videlicet de quadrupedibus agentia & adſcriptum, *multa hic deſunt.* HEINSIUS.

49. *Aut vani.*] Id eſt, aut nimis ſunt timida, aut nimis audacia. & animi tantum affectu, non ingenio aut aſtutia aliqua utuntur. GESNER.

51. *Ipſa ſequi natura, &c.*] Sequi fugientia, & cominus ire reſiſtentibus. IDEM Hic verſus eſt infra. Unde haec omnia è ſuis locis convulſa, & turpiſſimo mendo deformata, vel etiam adulterina eſſe, qui judicio pollet, nullo negotio animadvertet. Poſt hunc verſum reponendum putat, qui legitur ſextus ab hoc, *Foedus, &c.* Aldus Manutius, Pauli F. Aldi N. CIOFANUS.

51. *Movet.*] Alii, *monet*, vel *docet.* GESNERUS. *monet* MS. & Pith. *movet.* Ald. VLITIUS.

52. *Impiger.*] Hos verſus omnes accipio de urſo & eo ordine lego:

1. *Foedus &c.*
2. *Quid &c.*
3. *Impiger* & deinde porro. GESNER.

52. *Impiger & telo venantum ſternere pergit Agmina.*] In verbo *telo*, mendum ineſſe rectè putavit Ciacconus, & *Leo*, cum de aliis infra feris agat, legit. Ego vero, quoniam ſyllaba *le* brevis eſt, & carmen claudicat, à veteribus editionibus parum recedens, lego, *Impiger ecce Leo, &c. Venantum* autem emendavit idem Ciacconus, cum antea male legeretur, *Venatum.* CIOFANUS. *Ecce leo* MS. & Pith. & Ciofan. Ald. *& telo.* VLITIUS. Scribe cum Thuaneo, *ecce Leo.* & ſic Ciofan. HEINS.

52. *Sternere pergit.*] Putabam, *ſervet*, vel quid ſimile. Sed & Valerius Flaccus lib. I. 31.

Ergo antiire metus, juvenemque extinguere pergit Aeſonium. de Pelia. HEINSIUS.

54. *Quoque venit.*] Senſus videtur, quo propius venit,

Foedus Lucanis provolvitur Urſus ab antris,
Quid niſi pondus iners, ſtolidaeque ferocia mentis?
Actus Aper ſetis iram denuntiat hirtis:
Et ruit oppoſiti nitens in vulnera ferri,
Preſſus & emiſſo moritur per viſcera telo.
Altera pars fidens pedibus, dat terga ſequenti,
Ut pavidi Lepores, ut fulvo tergore Damae,
Et capto fugiens Cervus ſine fine timore.
[Ipſa ſequi natura docet, vel cominus ire.]
Hic generoſus honos, & gloria major Equorum:
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.
Seu ſeptem ſpatiis Circo meruere coronam;

Nonne

venit, vel quo magis vulneratur. GESNER. *Quoque* Ald. *quodque* MS. & Pith. pro *ſublatior*, MS. *ſibi latior*. VLITIUS. Heinſ. malebat, *quaque venit*.

55. *Concuſſitque toros & viribus addidit iram.*] *Addit iram* Thuan. HEINSIUS.

55. *Toros.*] Id eſt partes corporis carnoſas. GESNERUS.

56. *Prodidit.*] Mallem, *proruit*, ſi active acciperetur. *ſimul omnes foras proruunt ſe*, Terentius. IDEM. *Prodigus* conjeci. Horatius lib. I. Od. 12. *animaeque magnae prodigum Paulum.* Ovidius III. Am. 9. *Sanguinis atque animae prodige, Galle, tuae.* vulgo in omnibus libris, *prodidit atque ſuo &c.* VLITIUS. Thuan. *Prodedit* pro *prodidit*. Lego:

Concuſſatque toros, & viribus adjicit iram,
Prodigus.

Tò *Prodigus* à viro clariſſimo mihique conjunctiſſimo Jano Vlitio jam occupatum video. HEINSIUS. ego legerem, *Procidit*. vid. ad IX. Met. 649. *addidit* vero non mutandum. ſic lib. III. Met. 306.

Saevitiae, flammaeque minus, minus addidit irae. BURMANNUS.

58. *Ferocia mentis.*] *Menti* reponit Aldus. CIOF.

59. *Actus aper.*] *Actus & per retis* MS. *τὸ agere* ita paſſim ponit Gratius, *Glympice te ſilvis egit &c. ſtimulisque potentibus acti In furias vertere canes.* Item alibi, *ille vigebit Centus actus ſpatiis.* VLITIUS.

60. *Et ruit.*] MS. *ſe ruit.* IDEM. *Se ruit* Thuan. Forte, *iram dum nunciat* (vel *concitat*) *hirtis, ſe ruit*. Eleganter. ſic *omnia ruere* Germanicus, Fragmento Prognoſticorum:

Scorpios at raris ne quis cava terra gravetur;
Horrebit pluviis: ac diris omnia nimbis
Continuiſque ruet.

Ita ex veſtigiis codicis Puteanci eſt ſcribendum. HEINSIUS.

61. *Emiſſo.*] Forte, *immiſſo*. HEINS.

63. *Et fulvo tergore.*] *Ut* Thuan. IDEM.

64. *Et capto fugiens cervus ſine fine timore.*] Capto, id eſt concepto, ut paulo poſt; *nam capiunt animis palmam.* GESNERUS. Repoſui, *cauto timore*. quod paſſim in vetuſtiſſimis Ovidii codicibus pro *cauto, capto* ſcribi animadverterim. Triſt. III. Eleg. IV.

Sed timor officium cautas compeſcit.

Sequens verſus ex quinquageſimo primo hujus poëmatii repetitus perperam videtur. HEINS. vid. Rem. 34.

65. *Ipſa ſequi.*] Abundat hic verſus, paulo ante ſuo loco poſitus, aut ita legendum, *Ipſa fugam natura docet non comminus ire.* GESNERUS. Inſeritur iterum ille:

Ipſa ſequi natura monet, vel comminus ire.

Ita P. ex MS. niſi quod MS. *irate docet, vel cominus.* Quamquam ſupra habeat: *movet*. Pythoeus notat tertio etiam hunc verſum paulo poſt intercalari in vet. cod. in quo fallitur, aut numerus paginae debet eſſe 91. non 92. utraque enim exſtat, nec noſter ullibi repetitur. Ego vero etiam hic ejeci, quem ſemel legi ſufficit. VLITIUS.

66. *Hic generoſus.*] Equorum animus generoſus eſt, neque timidus, neque inſane audax aut furibundus. GESNERUS. Puto legendum, *Hinc*, & pro *Nam* ſequenti verſu, *Jam*. HEINSIUS.

68. *Seu ſeptem ſpatiis Circo.*] Hinc emenda Gratium ſub finem Cynegetici, ubi legendum:

——— *Ille vigebit*
Septem actus ſpatiis.

De Numida equo. Cum nunc ſcribatur, *Centum ſpatiis*. In Catalectis Pithoei pag. 75. Epigrammate de Circo:

Septem etiam gyris claudunt certamina palmae.
Quod coelum ſtringunt cingula ſorte pari.

Ita vetuſtiſſimus codex. ubi vulgati:

Saepe etiam gyris condunt certamina planae.

Auſonius in Epigram.

Phoſphore clamoſi ſpatioſa per aequora Circi
Septenas ſolitus victor obire vias.

Seneca Epiſt. XXX. *Quomodo manifeſtior notari ſolet agitatorum laetitia, cum ſeptimo ſpatio palmae appropinquant.* Lactantius libro VII. Divinar. inſtitut. cap. XXVII. *Quoniam decurſis propoſiti operis ſeptem ſpatiis ad metam profecti ſumus.* Suetonius Domitiano,

Nonne vides, victor quanto sublimius altum
Attollat caput, & vulgi se venditet aurae?
Celsave cum caeso decoratur terga leone,
Quam tumidus, quantoque venit spectabilis actu,
* Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis:
Quid laus prima Canum? quibus est audacia praeceps,
Venandique sagax virtus, viresque sequendi.
Quae nunc elatis rimantur naribus auras,
Et nunc demisso quaerunt vestigia rostro;
Et produnt clamore feram, dominumque vocando
Increpitant. quem si collatis effugit armis,

Infe-

tiano, *singulos missus à septenis spatiis ad quinos corripuit. Septimam orbitam* & *septimam rotam* dixit Propertius, septem Circi spatia respiciens, *septem gyros* Arnobius. quod & supra in Catalectis Pithoei habuimus. sic & alios locutos recordor. Graecis ἑπτὰ κάμπτοι vel καμπτῆρες. quorum exemplo Cassiodorus in descriptione Circi *septem metas*, etsi parum proprie, dixit. HEINSIUS.

68. *Circo meruere.*] F. *si septem spatiis circi meruere coronam.* MS. *circo movere.* Videtur autem ante hunc talis aliquis intercidisse versus:

Gaudentque triumpho
Seu patrias victrix laurus vectatur ad arceis,
Seu septem spatiis Circo meruere coronam.

Vel alium sensum suppeditet Plin. lib. VIII. cap. 42. qui & postremum ỳs. illustrat. Sensus idem, quem in Cynegetico his versibus decoravit ipse Gratius:

Spatiis qualis permissa Lechaeis
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, & primae spes ambitiosa coronae.

Quae si comparentur inter se, & sequentia cum iis, quae de equis in fine Cynegetici sunt, eundem genium ac Auctorem referre, nemo negaverit. VLITIUS.

69. *Nonne vides.*] Virgilium & hic, quod solet identidem in Cyneg. expressit Noster, Georg. III. *Quae gloria palmae. Nonne vides, cum praecipiti &c.* quae gemina germana sunt, sed longiora, quam ut hic adscribantur. Non enim hic commentarium aut tempus, aut locus admittit. IDEM.

72. *Quantoque venit spectabilis actu.*] MS. *actum.* pari mendo supra *cateso* pro *caeso. leo* pro *leone.* unde decessit, quod hic accrevit. Luculentissima autem haec locutio & vere Gratiana. Cynegetico: *primos nequidquam offenderet actus.* & paulo diverse de equo Numidico, *ille vigebit centum actus spatiis.* IDEM. Malim, *quanto veniat.* vel, *quanto ut veniat.* HEINSIUS.

73. *Compescatque solum.*] Nihil in hoc versu desidero. Asteriscum tamen appositum reliqui. sic & Lucanus eleganter dixit: *Undas compescere remis.* GESNER. Ita MS. & Al. *conpiscatque* Pith. VLITIUS. *Compescatque solum* Thuan. fortè, *concutiatque solum.* HEINSIUS. Sam. Bochartus lib. II. Hieroz. cap. 8. ubi de equo agit, legebat, *conculcatque solum.* Heinsius adscripserat orae suae, *discutiatque*, vel *dispergatque.*

74. *Ungula.*] *Vincula* & *redeunte. MS.* VLITIUS.

75. *Quae laus prima canum.*] Canes, praesertim venatici, similiter ut equi animosi, generosique sunt: non timidi, non cum furore audaces. GESNER. *Qui* Thuan. lego, *Dein* vel, *Quid*, & supra, *quid generosus honor.* plena sit locutio, quid dicam de generoso honore equorum. tum multo post, *Quid laude insignis caudae Melanurus.* HEINS.

75. *Audacia praeceps.*] Mera Gratii phrasis. De cane Hyrcano: *Sed praeceps virtus. &c.* Pertinet hoc ad genus bellicosum, cum *vorat extremo* (ut ibi canit) *praeceps discrimine Mavors.* Ad sagaces, quod sequitur: *Venandique sagax virtus.* Quibus *natura sagax* & *solertia naris* ab eodem attribuitur in Cyneg. Tertium genus faciunt illa: *virosque sequendi*; de quo in Cyneg. ad v. CC. videsis. De tribus his generibus cum ita distincte hic agatur, quis auctorem non agnoscit? Nempe ipsum Gratium; qui primus inter Latinos triplex canum genus instituit, ut late in prolegom. & Comm. dictum. VLITIUS.

77. *Naribus auras.*] Noster in Cyneg. ỳs. 239. *celsisve adprensat naribus auras.* Ubi & hunc locum explicui, pag. 195. IDEM.

79. *Et produnt clamore feram.*] Versum hunc jam diversimode aliquoties exposui in comm. ad Gratium ỳs. 186. & 230. Sed verissime sensus ex Virgilii loco petendus, quem ad ỳs. 186. adduxi, & ex Varii, qui est ad ỳs. 211. Loquitur enim hic de canibus agminatim indagantibus, qui non quidem semper ἅμα ὑλακῇ διιόντες indistincte & indesinenter latrant (quod suo aevo factitatum Longus innuit lib. II. ποιμενικ. & hodie semper fit, maxime in Anglia) sed tum demum, cum ad cubile pervenerunt, *Clamore feram produnt.* Hoc

Insequitur tumulosque canis camposque per omnes.
Noster in arte labor positus: spes omnis in illa.
Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique maris tentare profundum.
Inter utrumque loci melius moderabere funem.
Aspera num saxis loca sint. nam talia lentos
Deposcunt calamos. at purum retia litus.
Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare. nam variè quidam fugiuntque petuntque.
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis.

* *

Objecte-

est, quod expressit Maro: *volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens*, &c. Apulejus Milesius. VIII. de toto agmine sagacium ita loquitur: *Tacitaque prius servata mussitatione, signo sibi repentino reddito, latratibus fervidis miscent omnia.* Statim id, quod dixi, subsequitur: *aper immanis atque invisitatus exurgit*, &c. VLITIUS.

80. *Collatis effugit armis.*] *Effugitque.* & mox: *Insequiturque* MS. quasi non satis numerose celeritatem canis insequentis ipsis quoque numeris expresserit divinus Vates: ut hic armorum collationem & praelium statarium graviori metro stabilivit. Fortean scripsit: *quae si collatis eff. armis.* Nempe fera ipsos canes si effugerit. *Arma* enim canibus passim attribuit Noster, praesertim ubi ad praelia ventum. Ut, *magnique Lycaones armis.* Sed, *arma negant contra, matremque odere Geloni.* Umbro optat, ut *tantum vellet in armis.* Et de equo: *ô quantus in armis Ille meis!* Itaque & hoc Gratianum. IDEM.

80. *Effugit armis.*] Si fera dominum effugerit. GESNERUS. Locus mendosus. puto, *quae si collatis effugit armis.* ut ad feram referatur. HEINS.

82. *In arte labor.*] Non quod venatio pedestris in viribus magis, quam arte consistat (nam *artem* illam specialiter vocat, ut ad Grat. vers. 1. in commen. ostendi.) sed quia initio παρεκβάσεως dixerat reliqua animalia terrestria suo quodam instinctu agi, quae ipsa natura *monet*, vel sequendo, vel cominus depugnando, venari; cumque pisces jam vafritie quadam aut hac aut illac excellere docuerit, ideo jam subjicit, *arte* adversus eos utendum, qui non naturâ suâ, aut viribus, aut fuga, sibi semper consulunt, sed insuper ingenio & fraudibus certant. Hic sensus totius digressionis, & hujus ἐπανόδου. IDEM.

82. *In illa.*] Cane; est enim dubii generis apud Graecos pariter & Latinos. GESNERUS.

85. *Moderabere funem.*] Ita MS. & Ald. *finem* Pith. VLITIUS. *finem* Thuan. & *quoci* pro *loci*. HEINSIUS.

86. *Aspera.*] Deest verbum *aspice*, vel simile. GESNERUS.

86. *Num saxis.*] Ita MS. & Ald. *non* Pith. VLITIUS.

86. *Lentos calamos.*] Eodem modo Virg. in ecl. dixit *lentam vitem.* CIOFAN.

87. *At purum retia litus.*] Verbum, *deposcit*, hic subaudies. Describit autem qualia esse oporteat loca, in quibus homines piscentur, & quibus uti debeant instrumentis. IDEM.

87. *Purum.*] Sine saxis & algis. GESNER. MS. *pucrum.* id est *pulcrum*, vel *curvum.* VLITIUS.

89. *Quidam.*] Pisces quidam. GESNER.

90. *Num vada.*] Post hunc deest versus talis aut similis:

In fundo, soleatque illic se pascere piscis. IDEM.

ex Oppian. ἁλ. lib. I. ỷs. 102. supplevit Vlitius hoc modo:

Gurgite, limosa num quis pascatur arena.

91. *Oblectetque moras.*] Scribe omnino, *objectetque.* & paullo ante, *non mons horrentis*, & *non vada.* & non multo post, *Quid laude insignis caudae Melanurus.* HEINSIUS.

92. *Descripsit sedes varias.*] *Varie* Thuan. ut supra:

Nam varie quidam fugiuntque petuntque.

An *Dissepsit?* ut in Metam. lib. I. sed nihil temere muta. vide Gifan. Ind. Lucret. IDEM.

94. *Quales Scombrique, Bovesque.*] *Quales*, quemadmodum: sicut Virgilius sub finem lib. III. Aeneïd.

—— *Quales cum vertice celso*
Aëriae quercus, aut coniferae Cypariſſi. CIOFAN.

Lego: *gaudent pelago Squali, Scombrique.* vel, *Squatinae Scombrique.* etsi *Squalus* nominatur ỷs. 147. de quo ibi. VLITIUS.

94. *Scombrique.*] Idem. *Scombrus*, Latin. Σκόμβρος, Graece: *Macarello*, Italice. Marinus in arenosis litoribus est. CIOFANUS.

94. *Bovesque.*] *Boves* Oppianus collocat in coeno maris.

Objectetque moras, & molli ſerviat algae.
Deſcripſit ſedes variè Natura profundi:
Nec cunctos unâ voluit conſiſtere piſces.
Nam gaudent pelago, quales Scombrique, Bovesque;
Hippuri celeres, & nigro tergore Milvi;
At pretioſus Helops, noſtris incognitus undis;
Ac durus Xiphias, ictu non mitior enſis:
Et pavidi magno fugientes agmine Thunni:
Parva Echenëis adeſt (mirum) mora puppibus ingens:
Tuque comes ratium, tractique per aequora ſulci,
Qui ſemper ſpumas ſequeris, Pompile, nitentes:
Cercyrosque ferox, ſcopulorum fine moratus:

Can-

maris. GESNER. De Bobus Aelianus lib. I. cap. XX. CIOF.

95. *Hippuri celeres.*] *Hippurus* à caudae equinae ſimilitudine nomen accepit, pinna ſcilicet à capite ad caudam deducta, quae caudae equinae ſimillima eſt: hieme latitat: aeſtate tantum capitur: carnivorus eſt, noſtris litoribus ignotus: Hiſpanis cognitus, à quibus vocatur *Lampuga*. Giſcaf. CIOFAN.

95. *Milvi.*] *Milvus*, Lat. ἱέραξ Graece. *Rondina*, Italice. Pelagius altius volat, quam hirundo, & ad lapidis jactum: id autem ſolet facere, dum timet: it gregatim. licet edentulus ſit, carnivorus tamen eſt, linguam igneam, rubicundam & ſplendentem habet. IDEM.

96. *Et pretioſus Elops noſtris incognitus undis.*] Quod, ut ſcribit Columella, in mari Pamphylio tantum capitur. Idem tradit Aelianus lib. IIX. cap. XXVI. qui quidem piſcis ſquamas ad os verſas habere dicitur. Et ex Plinio, & infra ex hoc noſtro perſpicue conſtat, Elopen ab Acipenſere diverſum eſſe: qua in re nonnulli eruditi errarunt. CIOFAN. Plinius nullum ordinem ſequitur, quanquam pleraque expreſſit, ſed poſt alios, qui hic ſequuntur, de Helope ita enotat: *Helopen quoque dicit eſſe noſtris incognitum undis.* Quintilianus lib. V. ex Noſtro etiam habet: *nec Helopen noſtro mari ducas:* An ergo in Ponto tantum naſci credidit Plinius? Dixerat enim: *His adjiciemus apud Ovidium poſita nomina, quae apud neminem alium reperiuntur, ſed fortaſſis in Ponto naſcuntur.* Triplici errore. Non Ovidii haec ſunt, ſed, ſi quid probavi, Gratii. Nec hic tantum Helopis mentio, ſed & Ariſtoteles & Heſiodus Scuto Herculis Ἕλλοπας ἰχθῦς indigitavit. Denique non in Ponto, ſed in Pamphylio tantum mari capitur, teſtibus Columella & Aeliano. In eo quoque fallitur, quod lib. IX. cap. 17. dicat de Acipenſere: *nullo in honore eſt, quod quidem miror, cum ſit rarus inventu: quidam eum Elopen vocant.* Noſtro contra eſt, *pretioſus Helops*; qui & πολυτίμητος, Epicharmo. ſed ipſe ſibi etiam obloquitur Plinius, ut oſtendam ad vers. ult. VLITIUS.

96. *Pretioſus.*] Praeclarus dicitur à Lucilio: *Quem praeclarus Elops, quem Aegypto Sargus movebit. Elops* autem per ſimplex *l* metri cauſa hîc ſcribendum. CIOFAN.

97. *Xiphias.*] Plinio cap. XLIX. lib. IX. *Trygon* vocatur. De quo Aelianus lib. IX. cap. XL. & lib. XIV. cap. XXII. Oppianus lib. II. Latine, *Gladius:* Italice, *Peſce ſpada.* Giſcaferius. Pelagius eſt, & Thunni & Gladii agitantur Aſilo circiter Canis exortum: habent enim utrique per id tempus ſub pinna ceu vermiculum, effigie Scorpionis, magnitudine Aranei: ad Cetaceam magnitudinem pervenit: roſtro eſt mucronato, utramque maxillam roſtratam habet: inferiorem tamen brevem, & triangularem: ſuperiorem magis oſſeam, duriorem, longiſſimam, enſiformem. IDEM. *Ac durus* bene. ſcripti. HEINSIUS.

98. *Thunni.*] *Thunnus*, Latine: θύννος, Graece: *Tonno*, Italice. Ubi primum natus eſt, Latinis *Cordila*; ubi ad ſex menſes pervenit, *Pelamis*; ubi ad annum, *Thunnus* dicitur. A verbo Graeco θύνειν, quod eſt cum impetu promoveri: ubi major factus eſt ὄρκυνος· in immenſum auctus, κήτη. Giſcaf. CIOFANUS. MS. *dunni.* Plinius initio excerptorum. *Orphum rubentem, racinumque * pullum.* Forte: *pavidumque Thunnum.* Nam *pavidi* hic dicuntur *Thunni.* VLITIUS.

99. *Parva Echenëis adeſt, mirum, mora puppibus ingens.*] Plinius lib. IX. cap. XXV. *Parvo admodum piſce, Echeneide carinis adhaerente, naves tardius ire creduntur: inde nomine impoſito.* quem piſcem Latini *Remoram* vocant: ſed qui ſit, & quae ejus notae, diverſa inter ſe tradiderunt Oppianus, Aelianus, & Ariſtoteles. CIOFANUS. MS. *Etheneir.* F. *parva & Echeneis, mirum.* nam τὸ *adeſt* infititium eſt. Plinius: *Eſt parvus admodum piſcis, Echeneis appellatus: hoc carinis adhaerente naves tardius ire creduntur, inde nomine impoſito, &c.* ἀπὸ τοῦ τὰς νῆας ἔχειν. VLITIUS. Puto, *Parva Echineis, ut et (m) m. p. i.* HEINSIUS.

100. *Tractique.*] *Factique* MS. Plinius, *Pompilum, qui ſemper comitetur navigiorum curſus.* IDEM.

Cantharus, ingratus ſucco: tum concolor illi
Orphas, caeruleâque rubens Erythinus in undâ:
Inſignis Sargusque notis, inſignis & alis:
Et ſuperauratâ Sparulus cervice refulgens;
Et rutilus Pagur, & fulvi Synodontes, & ex ſe
Concipiens Channe, gemino fraudata parente.
Tum viridis ſquamis, parvo Saxatilis ore,
Et rarus Faber, & pictae Mormyres, & auri-

Chry-

101. *Pompyle.*] Oppianus I. 186. penultimam corripit, Ἐν κείνοις νέμεται καὶ Πομπίλος οὔποτε ναύτῃ ἄζονται. GESNERUS. De Pompyli natura Aelianus lib. II. cap. XV. & lib. XIV. cap. XXXIII. Plinius lib. IX. cap. XV. & alibi. Hic autem piſcis Neptuno ſacer eſt, quod navigia ad portum uſque ſequatur. CIOFANUS.

102. *Cercyrosque.*] Κέρκυροι Oppiano circa petras degunt. apud Plin. circa finem lib. XXXII. perperam legitur, *Bopgyros.* GESNER. MS. *Cercyroesque.* Plinius: *Cercyron in ſcopulis viventem.* Ita dudum ego, & pridem Geſnerus. Vulgo *Bopgyron.* monſtroſe. MS. Chiffl. *boucuam per gyrum.* Forte: *Saevum Cercyrum*: quia *ferox* hic dicitur à Noſtro. VLITIUS.

103. *Cantharus.*] De hoc piſce Aelianus lib. I. cap. XXVII. CIOFANUS.

103. *Tum concolor illis Orphas.*] Plinius ex Ovidio nominat *Orphum rubentem, Rhacinumque pullum.* perperam, ut apparet. niſi *coracinum* legas *pullum.* & forte carmen unum deſit. ſcio quidem etiam Orphum rubere. Graecis Ὀρφὺς, vel Ὀρφῶς Attice. GESNERUS. *Orpham Cernuam* vocat Gaza Latine: adeo ὀψίμορος eſt, ut etiam diſſectus diu vivat, ut ait Ariſtoteles: cito adoleſcit, cum biennium vita non ſupereſt. Giſcaf. CIOFAN. MS. Al. & Pith. *Orphas.* Plinius *Orphum rubentem rhacinumque pullum.* MS. Chiffl. *orphym, rubentemque acynum pulum.* Forte: *Orphum pullum, rubentemque Erythinum.* quod ſequitur: *caeruleaque rubens Erythinus in unda.* Non enim rubet Orphus, ſi Cantharo concolor (qui ſcarabaeum refert) ſed nigricat, maxime ſuperius. Capite tamen rubet. Ideo malit quis apud Plinium: *Orphum rubentem, & aliquantum pullum;* vel *orphum pullum rubentemque aliquantum.* Sed mihi prior conjectura praeridet, quia ita propius Poëtae noſtri verba, ut ſolet, repraeſentat Plinius. Fuit tamen, cum antiquae ſcripturae inſiſtendum potius crederem: *Orphum rubentem, acidumque paulum.* Quia Cantuarus, cui Orphum confert Noſter, *ingratus ſucco*, i. ſapore, ut late docet Geſnerus. VLITIUS.

104. *Erythinus.*] Plinius lib. IX. cap. XVI. & XII. & alibi. Giſcaf. Latinis, *Rubellio*: Italis, *Fravolino*, dicitur. Pelagius eſt Ariſtoteli: Oppiano vero litoralis: in mari tantum reperitur: omnes foeminae ſunt. eo quod omnes gravidae capiantur, ſicut & Hiatulae: hoc autem non toto anni tempore, ſed ineunte aeſtate intelligendum eſt. CIOFAN. *Erythrinus* Bellonius. VLITIUS.

105. *Inſignis Sargus.*] Feſtus: *Sargus piſcis genus, qui in Aegyptio mari fere naſcitur.* Lucil. *Quem praeclarus Elops, quem Aegypto Sargus movebit.* De Sargo Plinius quinque in locis, quos parcam ſcribere: & Aelianus lib. I. cap. XXIV. Giſcaf. σάργος, Graece: *Sargus*, Latine: *Sargo*, Italice: littoralis, marinus, Auratis, & Sparis fere ſimilis, latior, rotundior tamen eſt: bis parit, Vere, & Autumno: plures habet uxores, & pro iis certamen init: caprarum eſt amantiſſimus: Mulli lutarii reliquias ſequitur. IDEM.

106. *Sparulus.*] Sparus Auratae ſimillimus eſt, adeo ut etiam piſcatoribus frequenter imponat. Verum rotundiore, minore, & magis compreſſo eſt corpore. Giſcaf. IDEM.

107. *Et rutilus Pagur.*] *Pager* vel *Pagrus*, Graecis φάγρος vel πάγρος, qui ſaxatilibus adſcribunt. GESNERUS. *Pagur*, Graece πάγρος, ſeu φάγρος, quod voraciſſimus ſit, ab Erythino diverſus eſt, ut notat Rondeletius: diſtinguitur magnitudine corporis, & latitudine, & roſtri figura. Fallitur Jovius, qui Pagrum eum eſſe exiſtimat, qui vulgo Romanis Fravolino, & Gallis Narbonenſibus Fragellus vocatur, cum is potius Erythinus ſit. CIOFANUS. MS. *arcer.* lego: *Pager*, pro *Pagrus*, quod Geſnero placuit, ut *conger*, *congrus.* VLITIUS. Caſaubonus ad Athen. VII. 22. φάγρους in Gloſſario verti *dentatos* notat. additur & *barbulus.*

107. *Et fulvi Synodontes.*] Συνόδους, συνάγρις, χαράξ, & Latinis *Dentix*, eumdem piſcem ſignificant: nomen enim ab extantibus, & prominentibus dentibus impoſitum eſt. Romanis *Dentale.* Giſcaf. De eodem piſce Aelianus lib. I. cap. XLIX. CIOFANUS.

108. *Et ex ſe Concipiens Channe gemino fraudata parente.*] Idem tradit Plinius lib. IX. cap. XVI. & lib. XXXII. cap. ult. CIOFAN. MS. *Channem gemino ſibi fundata parente.* Plinius: *praeter haec inſignia piſcium tradit, Channem ex ſe ipſa concipere &c.* Lego: *ingenia piſcium tradit.* Ita de noſtro auctore etiam loquebatur cap. II. *Mihi videntur mira, & quae Ovidius prodidit piſcium ingenia, in volumina.*

Chryſophrys imitata decus: tum corporis Umbrae
Liventis, rapidique Lupi, Percaeque, Tragique.
Quin laude inſignis caudae Melanurus, & ardens
Auratis Muraena notis, Merulaeque virentes,
Immitisque ſuae Conger per vulnera gentis;
Et capitis duro nociturus Scorpios ictu,
Ac numquam aeſtivo conſpectus ſidere Glaucus.
At contra herboſâ piſces laxantur arenâ,

Ut

lumine quod Halieuticon inſcribitur: Nam *inſignia* piſcium, quae ad colores ſpectant, jam antea recenſuerat. VLITIUS.

109. *Tum viridis.*] Lego, *Tum viridis Teragus parvo ſaxatilis ore.* Nam Plinius *parvum Teragum* ex Ovidio nominat. GESNER.

110. *Et rarus Faber.*] *Faber* is eſt, qui χαλκεὺς Graecis, vel τεὺς. Plinio *Faber* dicitur: Romanis *peſce S. Pietro:* Gallis *Dorce.* Captus grunnit ſuum more: Romae in foro piſcario frequens eſt. CIOFAN.

110. *Et pictae Mormyres.*] Plinius etiam *pictas Mormyras* ex Ovidio nominat. Graecis *Mormyros*, & *Mormylos* penultima brevi. καὶ μόρμυλος ἄιολος ἰχθύς. GESNER. Mormures *gazae* dicuntur: Graecis μόρμυροι, vel μόρμυλοι. quod etiam nomen hodie Romani imitari videntur, à quibus *Mormilli* vocantur. Lyncis pullis in lateribus paralellis inſignis eſt, unde ab Ovidio pictae dicuntur. Giſcaf. CIOFANUS. MS. *pietate.* Plinius: *pictas Mormyras, aureique coloris Chryſophryn.* Ita emendaveram, cum poſtea vidi Geſnerum praeoccupaſſe. Hoc ultimum de Chryſophry eſt, quod ſequitur: *& auri Chryſophrys imitata decus.* VLITIUS.

111. *Chryſophorus.*] *Aureique coloris Chryſon:* apud Plinium non recte pro, *Cryſophryn.* GESNER. *Aurata*, Latine: *Orata:* Italice; Litoralis, marinus, & in marinis ſtagnis capitur, aeſtate mediis fervoribus, diebus circiter ſexaginta, ut Glaucus, & Aſellus, latet. hieme etiam laborat, ſolùm carne veſcitur; timidiſſimus eſt. Giſcaf. CIOFAN.

111. *Umbrae.*] Umbram alii ſaxatilem faciunt, & alios quoque ex his, quos Ovidius hic pelagios facit, ut Merulam, ſcorpium. litorales vero Melanurum & Mormylum. Lupos circa oſtia fluminum &c. GESNER. Idem Giſcaf. σκίαινα, Graece: *Umbra*, Latine: *Ombrina*, Italice; quod ſuo natatu oculos effugiens piſcis umbra potius quam verus piſcis intuentibus appareat. Auſonius: *Effugiens oculos celeri levis Umbra natatu.* Marinus piſcis eſt, loca ſaxoſa, & herbis virentia incolens, carnivorus eſt, & ſolivagus. CIOFANUS.

112. *Percaeque.*] Plinius lib. IX. cap. XVI. & Auſonius in Moſella, ubi ita ſcribit:

Nec te delicias menſarum Perca ſilebo
Amnigenos inter piſces dignande. IDEM.

MS. *Percataeque.* Pergit cum Noſtro Plinius: *Praeterea parvum Teragum, & placentem cauda Labrum.* In his ego invicem Geſnerum praevertam. Ille ex Plinio ſuperiore verſu legebat: *Tum viridis Teragus parvo ſaxatilis ore.* Ego contra monſtra illa non hinc modo, ſed & ex Plinio exſtirpanda cenſeo, quem ita emendo: *Praeterea Percam, Tragum, & placentem cauda Melanurum.* Quibus veſtigiatim Noſtrum expreſſit. Qui vero *parvum Tragum* potuit dicere, quem ne fando quidem cognoverat, ut ipſe fatetur, cumque nihil tale quid hic de magnitudine ejus traditum inveniſſet? VLITIUS.

112. *Tragique.*] Oppiano Maenae & Tragi in caeno maris degunt. GESNER.

113. *Laude inſignis caudae Melanurus.*] Plinius inter alios ex Ovidio, *Labrum cauda placentem* nominat; corrupta nimirum pro *Melanuro* voce: nam *Labrum* pro piſce nullus auctorum habet. Labrax vero Lupus eſt proxime ab eo nominatus; nec refert quod hunc Ovidii piſcem ceu novum Plinius proferat, antea quoque ab eo nominatum, cum in aliis etiam idem fecerit, vel oblivione, vel ignorantia, ut Orpho, Erythrino. IDEM. Aliter videtur tradere Aelianus lib. I. cap. 43. CIOFANUS.

114. *Merulaeque virentes.*] Idem eodem lib. cap. XIX. ejus mentio eſt apud Plinium. IDEM. MS. *Munera notis merelateque.* VLITIUS.

115. *Conger.*] Idem Plinius lib. IX. cap. XX. Giſcaf. κόγγρος, Graece: *Groncho*, Italice. Pelagius eſt, & litoralis, albicans, nigrans ambigue. CIOFAN. Ita Ald. Congri (inquit Geſnerus ad hunc locum) ſe invicem maxime vorant, authore Ariſtotele. Si id verum eſt, leg. *Immitisque ſuae c. p. v. genti.* Sed cum id apud neminem, nec quidem in Ariſtotele inveniam, praeplacet mihi lectio, quam Pithoeus edidit ex MS. *Cancer:* praeſertim cum Scorpius ſequatur. Reliqua tamen in mendo cubant. Forte: *ſuae per vulnera chelae.* Vel, ſi de Congro loquitur: *ſui per vulnera dentis.* VLITIUS. Non ad hunc locum, ſed in libro de Aquatilibus IV. in Congro hoc notat Geſnerus.

116. *Et capitis duro nociturus Scorpius ictu.*] Ciacconus legit, *Et captus duro, &c.* probabilis admodum conjectura: utpote quae eaedem paene

Ut Scarus, epaſtas ſolus qui ruminat eſcas;
Fecundumque genus Maenae, Lamirosque, Smarisque,
Atque immunda Chromis, merito viliſſima Salpa.
Atque avium dulces nidos imitata ſub undis,
Et Squalus, & tenui ſuffuſus ſanguine Mullus:
Fulgentes Soleae candore, & concolor illis
Paſſer, & Adriaco mirandus litore Rhombus:
Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranae.

Ex-

litterae ſunt, & ſenſus talis requiritur: Scorpii autem non ſemel mentio eſt apud Aelianum, & apud Plinium lib. IX. cap. LI. Giſcaf. de eo ita: Litoralis, in ſaxoſis, & arenoſis litoribus maris, Oppiano teſte, aut in alto agit, Ovidio teſte. bis in anno parit, & alga, & carne veſcitur: cujus ictus venenatus eſt: ſolivagus eſt. Graece Σκορπίος· Latine, *Scorpius*: Italice, *Strofano*: Gallice, *Scorpeno*. CIOFANUS. MS. *Scorpio jactu*, vel *Scorpios ictu*. ita *Scorpion* dixit Noſter II. Met. initio. VLITIUS. *Scorpios* libri veteres. HEINSIUS.

116. *Capitis.*] *Captus* Ciaccon. VLITIUS.

117. *Aeſtivo ſidere.*] Exorto Cane, id eſt, quo uſque in caelo Canis conſpicitur. CIOFANUS. MS. *Stivo* Plinius, *Glaucum aeſtate numquam apparere*. VLITIUS.

117. *Glaucus.*] De Glauco Aelianus cap. XVII. lib. I. ſed ne verbum quidem de hoc, quod hic ait Ovidius. CIOFAN.

118. *Laxantur.*] MS. *luxantur*. an *laetantur?* minime. Gratius n. ita τὸ *laxare* utitur pro expandere in Cyneg. de retibus: *laxanda reponite fumo*: ſupra, *laxare vimen, os, &c.* VLITIUS.

119. *Ut ſcarus, epaſtas ſolus qui ruminat eſcas.*] Idem auctor lib. II. cap. LIII. ubi, quod poëta noſter hic adfirmat, ſe ab aliis accepiſſe teſtatur: idem fere Plinius lib. IX. cap. XV. & alibi. CIOFAN.

119. *Ruminat.*] MS. *ruminet*. Plinius de Scaro: *ſolus piſcium dicitur ruminare, herbisque veſci*. VLITIUS.

120. *Foecundumque genus Menerelamiroſque, Smariſque.*] Lego, *Maenae, lamyroſque*. nam & *Maenae* foecundae ſunt, & *Lamyrus* piſcis a Plinio nominatur. idem forte qui *Larimus* Oppiano lib. III. GESNERUS. Depravatus locus, ita ab Octavio Pantagatho reſtitutus eſt, *Maenae, Lamiroſque, &c.* CIOFANUS. Ita MS. & Pith. ut dudum conjecerat ante Geſnerus. Ald. *Maenerelamiroſque*. Forte: *Maenae, Gerraeque, Smarisque*. Nam hi tres piſciculi ejuſdem fere generis. Martialis lib. XII. Epiſt. 32. *Fuiſſe Gerres, aut inutiles Maenas. Lamyros* autem nihil, ſed λάμυρος Oppiano, qui hic locum habere nequit. VLITIUS. Lege, *Maenae lamyroſque* de Lamyro Plin. lib. XXXII. II. de Maena egimus Faſt. II. ỳs. 578. HEINSIUS.

120. *Menae.*] *Menule* vulgo Romae dicuntur. CIOF.

120. *Smarisque.*] De hoc piſce Plin. lib. XXXII. cap. ult. *Smyruſque*, alii legebant. *Meryxque* alius. IDEM.

121. *Chromis.*] Chromin qui nidificet in aquis Plinius ex Ovidio nominat, ſed inepte, niſi librarii corruperint: Ariſtoteli Phycis ſive Fuca piſcium ſolus nidificat. Quam ob rem poſt ſequentem verſum:

Atque avium dulces nidos imitata ſub undis.

Addo:

Fuca ſagax.

Principium alterius verſus, cujus reliqua deſunt: quamvis ſcio *Fuca* pro *Phycide* a Gaza factum eſſe nomen. GESNER. Plinius lib. IX. cap. XV. & alibi. De Chromi ſic Boſſuetus:

Humidior χρόμις eſt, ſitque hinc optatior aſſus,
Ac melior vili ſit licet in pretio.
Aeſtate excellit, doleat cum tempore bruma,
Nam duros lapides in capite ille gerit.
Majorem ergo χρόμιν ſumes, ſed tempore meſſis,
Namque χρόμις tum fit pinguior & melior.
Archeſtratus enim talem vult eſſe, tametſi
Immundam, & recte, NASO *poëta putet.*

CIOFANUS.

121. *Salpa.*] Idem auctor non uno loco. Giſcaf. σάλπη, Graece: *Salpa*, Italice. Marinus piſcis eſt, & in marinis lacubus vivit, & herboſa arena laxatur: autumno tantum parit, ſicut & Sargus, clariſſime audit: erro non eſt, ſtercore, & alga veſcitur. IDEM.

122. *Atque avium dulces, &c.*] Phycidi uni id tribuit Ariſtoteles, Plutarchus, & Plinius. Haec Pantagathus, qui verſum deeſſe ſuſpicabatur. CIOF. Geſnerus periphraſtice hiſce Phyciden innui ait. Bellonius ad Chromidem retrahit, omiſſa per intervallum Salpa, uſque adeo jam *merito viliſſima*, quaſi nec nominata quidem fuiſſet. Plinium forte ſecutus eſt, qui eadem oſcitantia, qua reliqua inter ſe confudit, hic Delfinum ſilvis appingit, quod Flaccus canit. Excerpſit enim: *Chromin, que nidificet in aquis* (lege *quae*, & ita etiam apud Plinium.) Hoc pignore Ovidium autorem hujus opuſculi eſſe conceſſero lubens, ſi tam ſincere nomen ejus in titulo legerit Plinius, quam hic Chromin in aquis nidificare Sin in altero fallit, ne ſuper autore quoque vadimonium deſerat, quis non vereatur? Nihil tale quid umquam vel meditata eſt Chromis: multo minus Noſter, ut de ea id diceret. Sola Phucis eſt, quae in aquis nidificat. Ariſtoteles

Extremi parent

*
*
*

Lubricus & ſpinâ nocuus non Gobius ullâ,
Et nigrum niveo portans in corpore virus
Loligo, durique Sues, ſinuoſaque Caris:

Et

ſioteles lib. VIII. fine. *Μονὴ δὲ φυκὶς τῶν θαλαττίων ἰχθύων ϛιβάδας ποιεῖται.* &c. Quae ita vertit Plinius lib. IX. cap. 26. *Eadem piſcium ſola nidificat ex alga, atque in nido parit.* Lego itaque hoc loco: *Atque avium Phycis nidos imitata.* An aliter in ſuo libro invenerit Plinius, plane mihi incertum eſt. Sed etiamſi corruptus jam tum fuerit hic locus, non ideo Chromidi hoc attribuere debuit, quod ipſe ſcivit ſoli Phycidi convenire. Cur etiam non potius ad Salpam retulit, quae gradu proxima erat? Quo magis inducor, ut credam hallucinatione magis, quam ex corrupta ſcriptura ita excerpſiſſe Plinium, eamque a librariis haud ita dudum depravatam, nam in MS. eſt; *dulcis nives.* VLITIUS. Ingenioſiſſimus Vlitius noſter notis ad Halieuticon ſuis ex Plinio emendat feliciter, *Atque avium Phicis nidos imitata.* qui videatur tam hoc, quam aliis hujus poëmatii locis egregie à ſe illuſtratis. ſub nomine *dulcis* latet nomen piſcis. HEINS. Harduinus ad Plin. lib. IX. cap. 26. legit etiam: *Atque Avium Phycis nidos imitata ſub undas.* Perinde quaſi Vlitii notas numquam inſpexiſſet. ſed ſic ſolet.

123. *Et ſqualus tenui ſuffuſus ſanguine Mullus.*] Videtur *ſqualum* pro Cephalo dixiſſe per ſyncopen. ſic *ſquilla* pro *Scilla*, ſed nulla ſyncope. GESNER. Aſſentior Aldo, Aldi N. qui legit, *Et ſquamas tenui, &c.* Eſt autem uſitata figura: ut, *Oculos ſuffuſa nitentes*; & ſenſus optimus. Auſonius in Moſella eodem ſenſu vocat Mullos Puniceos. ubi ita eſt:

— *Marinis ſolus puniceis facilis contendere Mullis.*

CIOFANUS. *Et ſqualus, &*; Ita Geſnerus & recentiores Edd. Ald. & Pith. *& ſqualus tenui.* Nam prima potius producenda eſt, ſive ex *κέφαλος* contrahitur, quod Geſnero viſum, ſive, ut veriſimilius, a *ſqualeo.* MS. *Et ſqua & tenui.* Hic itaque malim: *Et ſquatus & tenui.* Et *ſqualum* ſupra ad ℣s. 118. relegare: *Squali, Scombrique, Boveſque. ſquatus* autem idem, *qui ſquatina*, ut oſtendit Geſnerus. VLITIUS.

123. *Mullus.*] Hujus piſcis apud utrumque, quibus potiſſimum utor auctoribus, frequens mentio eſt. Giſcaf. Graece, *τρίγλα*: Italice, *Triglia.* Pelagius eſt Galeno: Ariſtoteli vero litoralis: Oppiano ſaxatilis dicitur: parit ter in anno: Dianae ſacrificabatur. Oceanus Septemtrionalis, & Occidentalis hunc non gignit. Carne, alga, concha, & coeno veſcitur. Leporem marinum inſequitur: homini nocuus, & eo veſcitur. CIOFANUS.

124. *Soleae.*] Hujus item piſcis creberrima apud eundem Plinium mentio. IDEM.

125. *Paſſer.*] In coeno degit Oppian. GESNER. Idem cap. XX. lib. IX. CIOFANUS.

125. *Rhombus.*] Idem auctor. IDEM. Juven.

Incidit Adriaci ſpatium admirabile Rhombi.

DOUZA.

126. *Tunc Epodes lati.*] Sic etiam Plinius nominat ex Ovidio. Ex aliis (quod ſciam) nemo hoc nomen poſuit. *Lopidae* vulgo dicuntur piſces quidam plani & lati. GESNERUS. MS. *Lepores laeti.* Plinius excerpſit, *Epodes lati generis.* VLITIUS.

126. *Ranae.*] Ranas marinas de piſcium genere intelligo. GESNER.

127. *Paſcunt.*] Ald. *extremi pas.* * MS. & Pith. *extremi pareuc* *. Ego reliqua ex Oppiani ἁλ. I. initio ita ſupplevi:

Extremi paſcunt propter confinia ripae,
Aut fixae ſcopulis haerent, Pernaeque Sudesque.

Pernaeque Sudesque ex Plinio, qui hinc citaverat, in locum hunc poſtliminio reſtitui. Ait enim: *Sunt praeterea a nullo autore nominati, Sudis Latine appellata, a Graecis Sphyraena, roſtro ſimilis nomine, magnitudine inter ampliſſimos, rarus, ſed tamen non degener. Appellantur & Pernae concharum generis, circa Pontias inſulas frequentiſſimae, &c.* Haec duo in iis, quae hodie extant, ſolummodo requiruntur vocabula: reliqua omnia, quae citavit Plinius, ſupereſſe jam oſtendi. Quod vero in fine capitis adjicit: *Praeter haec purgamenta aliqua relatu indigna, & algis potius annumeranda, quam animalibus.* Non ideo cenſendum plura ad Plinium, quam ad nos perveniſſe. Vel enim illa intelligit, quae ſubinde omiſit, ut *Squalos, Lamyros, Maenas*, multaque id genus alia: vel illa, quae in paucis iis, qui interciderunt, aut in fine conſumpti vetuſtate legi non poterant, verſibus continebantur. VLITIUS. *Pareuc* Thuan. *Parcus* Ambroſ. HEINSIUS.

128. *Gobius.*] *Gobii* vel *Cobii* in petris & arenis degunt Aeliano. *Lubricus* Gobii epitheton dixerim: quamquam *Oliſthos* id eſt lubricus ſui generis piſcis eſt Oppiano prope oſtia fluviorum. GESNERUS. Giſcaf. *Γωβίος*, Graece. *Govion*, Gallice. Fluviatilis eſt, calvariis cadaverum in aquam projectis maxi-

Et tam deformi non dignus nomine Aſellus:
Tuque peregrinis, Acipenſer, nobilis undis.

* * * * * * * *

maxime delectatur: qua induſtria Galli piſcatores equorum, & boum capitibus plurimos una capiunt. Sunt etiam Gobii marini, & litorales, in arenoſis, aut ſcopulis degentes, quorum tres ſunt differentiae, albicantium, nigrorum, & flaveſcentium: ejuſdem tamen ſpeciei: luto, alga, & muſco veſcitur: gregalis eſt, nobilis, & ſuaviſſimus. CIOFANUS.

130. *Lolligo.*] Pelagia eſt Lolligo magna. GESNER. Plinius multis in locis: Aelianus lib. IX. cap. LII. Giſcaf. τευθις, Graece: *Calamaro*, Italice: *Lolligo*, Latine. Pelagius eſt, ex mollium genere, ſicut Polypus, & Saepia: proprium habet, inter molliа ut volet, & volitans Conchae adhaerens, & ita affixus, aut arena ſeſe ſuburrans, tempeſtatis ſignum eſt: vivendi ſpatium tam Saepiae, quam Lolligini breve eſt. Nam, paucis excerptis, bimatum non complent: numquam illi deeſt copia atramenti; ſuis promuſcidibus piſces venatur. CIOFANUS.

130. *Durique ſues.*] *Dirique* paſſim citat Geſnerus. VLITIUS.

130. *Sinuoſaque Ceſſ.* *] Piſcis alicujus nomen deeſſe apparet, aut forte *ſerpens* legendum: conſtat enim marinas quaſdam ſerpentes eſſe, eaſque circa litora magis. *Theſſa* quidem piſcis eſt Plinio, idem ſcilicet *Thriſſae*: cui tamen *ſinuoſae* epitheton non convenit. GESNERUS. Praeclare, ut omnia, hoc vulnus ſanavit Pantagathus; legit enim, *Ceſtra*. Eſt autem Ceſtra, piſcis, quae in capite habet duos aculeos, quibus Thunnum vel maximè infeſtat, ac perſequitur. Aldus Aldi N. reponebat, *Theſſa*, quo de piſce Plinius. lib. XXXII. cap. XI. CIOFANUS. *Serpens* ita conjiciebam. MS. *ſinuora Caris*: Pith. quoque *Caris*. Ald. *ſinuoſaque ceſs.* forte, *Theſſa*. quae a Plinio nominatur in Catalogo piſcium. Pantagathus: *ceſtra*. VLITIUS. *Caris* libri ſcripti: *Concha* Behot. lib. I. Apoph. 3. male. forte, *ceſtris*. qui mugil. vid. Athenae pag. 306. vel *ceſtris*. vid. Zenob. Paroem. pag. 97. & ibi Schott. Pantin. in Apoſtol. pag. 320. vel *Ciſſa*. vid. Caſaub. ad Athen. lib. VII. pag. 353. HEINSIUS.

131. *Et tam deformi non dignus nomine Aſellus.*] Ingenioſe admodum dictum. Aelianus lib. V. cap. XX. & VI. cap. XXIX. Giſcaf. ὄνος, Graece: *Aſellus*, Latinè: *Merluccio*: Italice. Duo Aſellorum genera, primum, ὄνους, Plinio *Bacchus* vocatur, hi in alto mari capiuntur: alterum genus, *Gallarius* dicitur: litoralis eſt; latet plurimum temporis. CIOFANUS.

132. *Tuque peregrinis Acipenſer nobilis undis.*] *Helopem quoque dicit Ovidius eſſe noſtris incognitum undis: ex quo apparet falli eos, qui eundem Acipenſerem exiſtimaverunt.* Plinius. quaſi acipenſer Romae cognitus eſſet, cum tamen Ovidium eum quoque peregrinum eſſe canat. GESNER. De Acipenſere Plinius lib. IX. cap. XVII. & alibi. Italice, *Storione*. Senſit mecum clariſſimus Muretus: & alii viri eruditiſſimi, inter quos Rondeletius cap. ult. lib. XIV. id litteris conſignarunt. At aliter Giſcaferius, qui haec notat in hac ſecunda editione. De Acipenſere, inquit, varia eſt inter ſcriptores ſententia, quiſnam ſit, & quo apud nos vocetur nomine. Jovius eumdem eſſe vult cum Ellope: idque probare contendit nonnullis argumentis. Rondeletius diverſos eſſe inter ſe exiſtimat, Ellopenque ſquamoſi, Acipenſerem muſtellini generis, eumque eſſe, qui apud nos Sturio vocatur. quod quidem non paucis rationibus & auctorum teſtimoniis confirmat. Paulus tamen Jovius Silurum Sturionem eſſe noſtrum arbitratur. In hac tam ancipiti pugna perdifficile eſt noſſe in utram magis partem inclinet victoria. Hoc tamen animadvertendum exiſtimo, mirum videri Acipenſerem ab Ovidio peregrinum vocari, ſi noſter Sturio ſit, cum non procul à moenibus Urbis in Tiberi vere, & aeſtate Sturiones laudatiſſimi frequenter capiantur. Hoc autem argumento facile credi poſſe alium eſſe Acipenſerem, qui è remotis maribus Romam vehi ſolitus eſſet. Haec Giſcaferius. Ego verò in ea, quam jam expoſui, ſententia maneo, atque ab Ovidio ſignificari arbitror Acipenſerem eſſe nobiliorem ac praeſtantiorem in peregrino mari, quam in noſtro, & propterea dici:

Tuque peregrinis Acipenſer nobilis undis.

Hujus tam foede, ac miſere corrupti, ac mutilati operis bis mentio eſt apud Plinium: ſemel lib. XXXII. cap. II. his verbis: *Mihi videntur mira, quae Ovidius prodidit piſcium ingenia in eo volumine, quod Halieuticon inſcribitur.* Secundo: Eodem lib. cap. ult. ubi ita eſt: *His adjiciemus apud Ovidium poſita nomina, quae apud neminem alium reperiuntur; ſed fortaſſis in Ponto naſcuntur, ubi id volumen ſupremis ſuis temporibus inchoavit.* Conjecturas cum notis, quas poſui, quasque Pantagathi eſſe teſtatus ſum, acceptas referre debes, qui ſumma mihi junctus amicitia eſt, ALDO JUNIORI; qui, ut ea eſt humanitate, non tantum mihi eas impertiit, ſed divulgari, & cum ſtudioſis communicari, paſſus eſt. Ob quod beneficium me ei plurimum debere ſentio. Hoc autem opus Attius Sincerus Sannazarius Neapolitanus, poëta clariſſimus, & ad priſcorum illorum laudem proxime accedens, ex Aeduorum finibus, & è Turonibus, ubi ipſum invenerat, in Italiam detulit; & Aldus ſenior primum edidit. CIOFANUS.

EPICE-

EPICEDION

DRUSI CAESARIS,

ET NUX, ELEGIA,

Quae Ovidio dubiè adſcribuntur.

A. SABINI

EPISTOLAE TRES,

QUAE

Penelopae, Phyllidi, & Oenonae
Naſonianis reſpondent.

INCERTI AUCTORIS
CONSOLATIO
AD
LIVIAM AUGUSTAM,
DE
MORTE DRUSI NERONIS,
FILII EJUS,
QUI IN
GERMANIA MORBO PERIIT.

VIsa diu felix, mater modo dicta Neronum,
Jam tibi dimidium nominis hujus abeſt.

Jam

Hujus Elegiae idem Auctor, qui & alterius de obitu Maecenatis. Quamquam enim in illa mollem virum Maecenatem & diſcinctum, pari ac ipſe vixit licentia, hoc eſt molli ac remiſſo ſtilo proſecutus eſt; hic vero principem Matronam accuratiore, ac graviore dicendi genere alloquitur, non tamen in omnibus ſui diſſimilis eſt. Quod enim hic legitur:

Non nocuiſſe ulli, & fortunam habuiſſe nocendi.

Quid aliud eſt, quam id, quod ibi dixerat?

Omnia quum poſſes tanto tam carus amico,
Te ſenſit nemo poſſe nocere tamen.

Item quod hic de Fortuna:

Illa rapit juvenes, ſuſtulit illa ſenes.

Idem extulerat de morte:

Illa rapit juvenes prima florente juventa:
Non oblita tamen, & rapit illa ſenes.

Quamquam hic pro *ſuſtulit* quidam veteres codices habent, *ſuſtinet:* Videtur autem Neronum vel potius Druſorum familiae cliens fuiſſe C. Albinovanus. Nam & is ejuſdem Druſi navigationem in Oceano carmine conſcripſit, cujus hodieque fragmentum exſtat. Deinde Tiberii, Fratris Druſi, comes & ſcriba fuit, ut ex Horatio odoraſti ſumus. Quod enim Ovidio hanc Elegiam attribuerint, fruſtrati ſunt. Nihil enim diſſimilius, Quamquam verſiculum, qui hic legitur. *Vs.* 46.

Altius & vitiis exſeruiſſe caput.

Invenias in Faſtis 1. 299.

Altius humanis exſeruiſſe caput.

Sed haec non mirabitur, qui ſcit & Tibullinum verſiculum in Ovidio repperiri:

Cum cecidit fato Conſul uterque pari.

Et multa talia. Quare quum hanc opinionem ex hominum mente ſuſtulerimus, extorquenda & alia quoque iis, qui putant haec ſcripta eſſe de morte Druſi ejus, qui in Germania periit, filii. Nam quum Livia convenit in manum mariti Auguſti, erepta priori viro Tiberio Neroni, non multo poſt eum enixa eſt, jam gravida ex priore viro, ex quo & ante Tiberium Claudium Neronem, qui poſtea rerum potitus eſt, primo partu ediderat: poſtea in domo Auguſti hunc Druſum, nulla poſtea ſobole. Eſt ergo is Druſus, frater Tiberii, qui poſtea, ut dixi, rerum potitus eſt. Is cum poſt partam de Suevis ac Sicambris victoriam Conſul abſens factus eſſet, morte praeventus, nec triumphum nec honorem inire potuit. vide Epitomen

Jam legis in Druſum miſerabile, Livia, carmen.
Unum, qui dicat jam tibi, Mater, habes.
Nec tua te pietas diſtendit amore duorum:
Nec poſito filî nomine, dicis; Uter?
Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?
Et quisquam lacrimas temperat ore tuas?
Hei mihi, quam facile eſt (quamvis hic contigit omnes)
Alterius luctu fortia verba loqui!
Scilicet exiguo percuſſa es fulminis ictu;
Fortior ut poſſis cladibus eſſe tuis.
Occidit exemplum juvenis venerabile morum:
Maximus ille armis, maximus ille togâ.
Ille modo eripuit latebroſas hoſtibus Alpes,
Et titulum belli dux, duce fratre, tulit.

Ille

Livii & Dionem. Sunt quaedam pauca admodum hic animadvertenda, in ceteris diutius nobis immorandum eſſe non duximus. SCALIGER. Poëmatium hoc quantivis pretii, & dignum genio ac majeſtate ſaeculi Naſoniani, qui primus eruit è tenebris, nae ille inſignem theſaurum uſibus publicis eſt largitus! Pedonem Albinovanum ejus auctorem Scaliger aliique conſtituunt. Ego etſi nihil temere adfirmo, videor tamen mihi non omnino falli, qui Naſoni hunc foetum haud eſſe adſcribendum arbitrer. Inſcriptionem ejus, quam primae editiones & ſcripti codices conſtanter agnoſcunt, admittendam duxi, niſi quod in iis ad Ovidium auctorem haec elegia refertur, cum ad alium potius quemvis illorum temporum poëtam debuerit. Eſt quidem carmen longe praeſtantiſſimum indignis modis acceptum per librariorum oſcitantiam, nobis tamen vel ſic curae erit, ut aliquanto emendatius in poſterum legatur: quanquam in libris vetuſtis minimum praeſidii fuit. quorum unum Romae apud amicum vidi, ſecundum Florentiae in Medicea bibliotheca. Tertius & quartus penes me extant, quorum altero heredes Combiani Venetiis me donarunt, altero vir amiciſſimus Lucas Langermannus Neapoli advecto. Omnes poſt inventam jam artem typographicam exarati, & per omnia propemodum primis editionibus reſpondentes, quas etiam religioſe conſuluimus. Interim, dum ſubſidia majoris momenti circumſpiciuntur, videamus, ſi quid conferri à nobis poſſit ad detergendos naevos, qui ſcripto pulcherrimo non pauci etiamnum adhaerent. In iis autem indagandis quemadmodum non omnino infeliciter verſati ſumus, ita conjecturae interdum nobis ſunt ſubnatae, quas Scaligero, Lipſio, Rutgerſio, aliis in mentem ante nos veniſſe ſerius cum eſſemus edocti, viros tamen praeſtantiſſimos ſua laude non fraudavimus, id quod ſuis locis, ni fallor, apparebit. HEINSIUS. Pedonem Albinovanum eſſe auctorem hujus elegiae, communi fere doctiſſimorum virorum ſuffragio jam eſt receptum, quamquam Ovidio qui adſcribunt etiam fuerint. inter illos Paſſeratius in praefatione, quam interpretationi hujus Poëmatis, (quae utinam prodiiſſet) praemiſit, contendit ab Ovidio conſcriptum. cui ſuffragatur Barthius lib. x. Adverſ. cap. 9. & xxi. 2. & xxx. 11. & 1111. 13. qui invalidas eorum rationes, qui Ovidio eripiunt, arbitratur. id vero amplius ſe ſecundo Adverſariorum volumine docere, dicit ad Stat. 11. Theb. 345. praeterea idem adfirmat ad ejuſdem Statii lib. 11. Theb. 134. & alibi. Voſſius vero Artis Grammaticae lib. 11. cap. 2. indignum quidem non eſſe Ovidio, ait, ſed Pedoni tamen tribuendum cum Scaligero cenſet, quamvis cum eo non faciat, qui elegiae in obitum Maecenatis Pedonem auctorem ſtatuat, quippe quae tota langueat, nec aliquid dignum habeat Auguſteo aevo, ſed eſſe foetum credat Scholaſtici cujuſdam ſequioris aevi. vid. & eundem de Poëtis Latinis cap. 2. Quam doctiſſimi viri ſententiam veriſſimam eſſe arbitramur. Non vero Voſſio aſſentiri poſſumus, qui lib. 111. Inſtit. Poëtic. cap. 11. ſagacitatem Scaligeri laudat, qua ille ex Horatio odoratum ſe jactat, hunc Pedonem Albinovanum eſſe eumdem, qui ut comes & ſcriba Tiberii ab illo Poëta laudatur; cum Torrentius recte ad lib. 1. Epiſt. 8. oſtenderit diverſos hos eſſe, & Celſum illum Albinovanum, noſtrum vero Pedonem eſſe dictum, quod & Paſſeratius jam olim in praefatione illa demonſtraverat. Pedonem vero ex gente Popilia fuiſſe, & Albinovanum dictum a patria Alba Nova, erudite admodum conjicit Reineſius in commentario ad Claſ. 1. inſcr. 105. cujus rationes ibi videri poſſunt. Ceterum hanc elegiam impuris nuper manibus attrectavit Gorallus ille, ſive Joannes Clericus, opprobrium Latinae Poëſeos & linguae, qui mercenaria opera, & collectis frigidiſſimis & ineptiſſimis notulis, ex ſcriptoribus rei

fune-

Ille genus Suevos acre, indomitosque Sygambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit:
Ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum;
Protulit in terras imperiumque novas.
Solvere vota Jovi, fatorum ignara tuorum,
Mater, & armiferae solvere vota Deae,
Gradivumque patrem donis implere parabas;
Et quoscumque coli jusque piumque Deos.
Maternàque sacros agitabas mente triumphos:
Forsitan & curae jam tibi currus erat.
Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis,
Et tumulus Drusum pro Jovis arce manet.
Fingebas reducem; praeceptaque mente fovebas
Gaudia; & ante oculos jam tibi victor erat.

Jam

funebris, & observationibus Micyllo & aliis subjectis, & auctoritatibus ex unico Stephani Thesauro Linguae Latinae per impudentissimum furtum adductis, ridendum se omnibus eruditioribus praebuit, & cujus insscitiam ut posteritas ne nesciat, diligentius in hoc opusculo cavebimus, & oblatrantem Scaligero, Heinsio, & aliis in hoc studiorum genere viris principibus, (hic enim unicus scriptionis tam putidae finis) canem, ut meritus est, confutabimus. Burmannus.

2. *Abest.*] Scaligeri, Pithoei, Micylli & Bersmanni editiones, *adest*, ut &. veteres. sed jam Pithoeus restituit, *abest.*

5. *Tua te pietas distendit.*] Malim, *se distendit.* Heinsius. imitatus hoc Statius, qui lib. VII. Theb. 505. Matris *pietatem suspensam* dixit inter duos filios.

5. *Duorum.*] Ita recte Heinsius. perperam Scaligeri, Pithoei, Gryphii & aliae editiones, *tuorum.*

6. *Dicit uter.*] Francius malebat, *quaeris, uter?* quia verbum hoc *dicere* modo praecessit, & etiam subsequitur.

7. *Et quisquam.*] Vid. ad III. Amor. VIII. 1.

7. *Audet.*] Malim, *ausit*, & mox, *lacrymas temperet, oro, tuas.* forte etiam, *suas*, non *tuas.* Heinsius. Respexit forte & hunc locum Statius lib. v. Silv. v. 60.

—— *Qui dicere legem*
Fletibus, aut fines audet censere dolendi.

Burmannus.

9. *Hei mihi quam facile est.*] Eam sententiam prius extulerat Aeschylus Prometheo:

Ἐλάφρον, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
Ἔχει, παραινεῖν, νουθετεῖν τε τοὺς κακῶς
Πράσσοντας.

Dio Historicus: ὅθεν που πάνυ, καλῶς εἴρηται, ὅτι ῥᾷον παραινέσαι ἑτέρους ἐστὶν, ἢ αὐτὸν παθόντα καρτερῆσαι. Terentius Andr. II. 1. 9.

Facile cum valemus recta consilia aegrotis damus.

Scaliger.

9. *Quamvis hoc contigit, omnes Alterius luctu, &c.*] Ita quidem in plerisque editionibus legitur, ut post verbum *contigit* ponatur distinctio, & nomen *omnes* ad sequentia referatur. Sed cum lectio haec nullam idoneam, aut certam sententiam reddat, videndum igitur, num potius legendum, *Quamvis hic contigit omnes.* Ut sit sensus: Facile est, in alterius luctu fortia verba loqui, quamvis hic luctus non alterius, hoc est, privati alicujus sit, sed aeque ad omnes pertineat. Micyll. *Quamvis hic contigit omnes.*] Hoc est quamvis hic luctus ad omnes pertinet. Menander, ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ. Eurip. ῥᾷον παραινεῖν, ἢ πάσχοντα καρτερεῖν. Bersman. Scribe:

Hei mihi! quam facile est (quamvis hic contigit omnes)
Alterius luctu fortia verba loqui!

Quamvis hic luctus omnes contingit. Viderunt ex parte veram lectionem in Variis Rutgersius & Behotius in Apophoretis lib. III. 17. *Luctum publicum* designat, ut inferius loquetur. Heins.

10. *Fortia verba.*] *Fortia consilia* reddit Gorallus. male: est ita loqui, ac si luctus ille animum non frangeret. constantiam prae se verbis ferre. vid. ad I. Art. 281. & Remed. 463. infr. 446. *Forti verba tot ore sonet.* ubi Gorallus in paraphrasi illud *forti* etiam omisit. in aliis rebus etiam *fortiter loqui*, *fortia verba*, sunt plena confidentiae. Propert. I. v. 14.

Quum tibi singultu fortia verba cadent.

Ovid. IV. Met. 652.

Placidis miscentem fortia dictis.

Vid. ad Quinct. Decl. XIII. 6. Burmannus.

13. *Venerabile.*] *Memorabile* Medic.

24. *Et quoscumque coli est.*] Tollendum *est*, ex fide priscarum editionum. Heinsius.

27. *Funera pro sacris &c.*] Et hinc forte & ex versibus 125. & 139. colorem duxit Statius lib. XII. Theb. 322.

Jam veniet: jam me gratantem turba videbit:
Jam mihi pro Druſo dona ferenda meo.
Obvia progrediar, felixque per oppida dicar;
Collaque & hoc oculos illius ore premam.
Talis erit: ſic occurret: ſic oſcula junget:
Hoc mihi narrabit: ſic prior ipſa loquar.
Gaudia vana foves: ſpem pone, miſerrima, falſam.
Deſine de Druſo laeta referre tuo.
Caeſaris illud opus, voti pars altera veſtri,
Occidit. indignas, Livia, ſolve comas.

Quid

Hunc ego te conjux ad debita regna profectum;
Ductorem belli generumque potentis Adraſti
Aſpicio? talisne tuis occurro triumphis?

29. *Perceptaque mente.*] Lege, *praeceptaque.* Pithoe. Lege, *praeceptaque mente.* Virgil. Ecl. III. *Si lac praeceperit aeſtas.* Scaliger. Vid. ad Epiſt. XVII. 207. Francius, *praecerptaque* praeferebat.

31. *Jam veniet.*] Vid. ad Quinctil. Decl. x. 7.

34. *Collaque & os oculoſque.*] Libri ſcripti cum priſcis editionibus partim, *oſque oculoſque*, partim, *os oculos*, ut fortaſſis legendum ſit, *hos oculos*, vel, *hoc oculos illius ore premam.* hoc meo ore premam illius oculos. vel quod malo:

Hos oculos illius ore premar.

Ut ſit Graeciſmus. Heinsius. *Os ore premere* hic locum non habet, & laſcivius dictum, quam ut matrem deceret; & de oſculis verſu proximo ſubjungit. *hoc* vero *ore* de ſuo dicit, ut infra 134.

Et vorat hos ipſos flamma rogusque ſinus.

Carmen eſſe Catullianum notavit Douza, ſcilicet ut ediderunt olim. ſed jam Ovidianis numeris reſtitutus eſt. Burmannus.

37. *Gaudia magna foves.*] *Vana* omnino legendum, quod notat ex libris Berſmannus. nec aliter poſtrema Aldi. In Catalectis Pithoei, capite *de vitae Tranquillitate;* qui verſus vulgo mendoſi leguntur:

Caſtra alios operoſa vocent, ſellaeque curules,
Et quidquid vana gaudia mente fovet.

Ita Faſt. v. 684. in MSS. *numina magna*, pro *vana.* Heinsius.

38. *Laeta referre.*] Tamquam opus eſſet monere, notat Gorallus hoc eſſe, *narrare;* ſed ne ſic quidem in puerili facilis verbi interpretatione ſenſum vidit; nam omnia praecedentia ſecum, & mente ſua finxit Livia; vide ℣s. 29. Eſt ergo, *referre*, menti ſuae praeſentia fingere, ut centies Ovidius, & de praeteritis & futuris utitur, ſicut & *recolo* & *repeto.* vid. ad Ovid. Epiſt. XV. 113. aliter paullo ita Rem. Amor. 695. *nec peccata refer*, id eſt praeterita repete, renarra. Burmannus.

39. *Caeſaris illud opus.*] Ita vocat inſtitutum & formatum a Caeſare, in Maecenatis Epicedio:

Et magnum magni Caeſaris illud opus.

Ergo ſe ipſe imitatur. Scaliger. Hac Scaligeri explicatione contenti eſſe poteramus, ſed Patricius Genevenſis, quem in aula principis alicujus natum jurares, putat decorum magis Poëtae fore, ſi hic Auguſto exprobraret Druſum per adulterii conſuetudinem cum Livia ab eo procreatum, quem in finem verba Suetonii interpretationis loco adponit. O egregium adulationis Poëticae vindicem! Quam gratus Liviae veniret ejus incontinentiae admonitor? ſed vereor, ſi tam male palpatus fuiſſet noſter Poëta, ne recalcitraſſet Auguſtus. Miror autem Gorallum huic illuſtrando non ipſius Ovidii locum lib. XV. Met. 751. adduxiſſe:

Neque enim de Caeſaris actis,
Ullum majus opus, quam quod pater exſtitit hujus.

Sed miſer & pauper Gorallus, quotiescumque copiae Stephanianae deficiunt, tacere cogitur: recte vero Scaliger. & ita Senec. Ep. XXXIV. *Aſſero te mihi, meum opus es.* Audaciori figura Manilius lib. I. 772. De Platone diſcipulo Socratis, *& qui fabricaverat illum.* ubi vide etiam Scalig. Burmannus.

39. *Veluti pars altera veſtri.*] Caſtigetur, etſi membranae nil hic juvant, *voti pars altera veſtri.* Ovidius lib. v. Faſtor. 459.

En ego dimidium veſtri, parſque altera, voti.

Sic idem Druſus, *duplicis pars altera partus* non ſemel infra vocabitur. Niſi quis malit, *uteri pars.* ut Statius III. Theb. 154.

Voſne illa potentia matris,
Vos uteri fortuna mei? Heinsius.

Vide ibi Barthium. nihilominus ego *voti* retinerem: ſic Ovidius lib. IV. Pont. 13.

Sic valeant pueri, votum commune duorum.

Adeantur, quae ad Petronii cap. CXL. viri docti adnotarunt. Burmannus.

42. *Tam placuiſſe.*] *Jam* editiones priores.

43. *Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum, Ultima ſit laudes inter ut illa tuas.*] Locus dubius, & ut nunc legitur, non ita facile explicandus. Nam ſive nominativo caſu accipias nomen *Pudicitia* (cui tamen repugnat quantitas, niſi caeſura ſyllabam brevem pro longa defendat) ſive ablativo poſitum, ſententia atque ordo verborum non

ſatis

Quid tibi nunc mores profunt, actumque pudice
Omne aevum, & tanto tam placuiſſe viro?
* Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum, *
Ultima ſit laudes inter ut illa tuas?
Quid tenuiſſe animum contra ſua ſecula rectum;
Altius & vitiis exſeruiſſe caput?
Nec nocuiſſe ulli, & fortunam habuiſſe nocendi?
Nec quemquam nervos extimuiſſe tuos?
Nec vires erraſſe tuas Campoque Foroque;
Quamque libet citra conſtituiſſe domum?

Nem-

ſatis conſtabunt. Proinde dubito; an pro voce *Inviolata* verbum aliquod infinitivum, quale fuerit *meruiſſe*, *quaeſiſſe*, *cumulaſſe*, aut ſimile reponi debeat. ut ſit ſenſus: Quid tibi nunc prodeſt, tot ac tantos honores per pudicitiam quaeſiviſſe, ut ſi illi cum hac conferantur, haec, quamquam alias praecipuam ac primam laudem meretur, inter illos tamen ultima videri queat? Quanquam & alia conſtructio fieri poterat, ſi nomen *pudicitia* nominativo caſu dictum acciperetur, & genitivus *bonorum* cum ſequentibus jungeretur: ſed tunc nomen *Ultima*, pro ſumma, vel prima accipiendum erat, quod inſolens & inuſitatum eſt. Proinde hunc locum aliis diſcutiendum relinquo. Micyllus. forte, *in tantum*. Pithoe. *Meruiſſe* pro *inviolata* MSS. *Quidque pudicitia inviolata*, ſi tibi prodeſt, tantum bonorum: ut ſit ſyntheſis epexegetica, quaſi dicat, quae eſt tantum bonum. ita infra. *Nam cui tot turba bonorum &c.* Bersmannus. Locus contaminatiſſimus, cui utcunque conſuletur, ſi *meruiſſe* pro *inviolata* reponas, quod ex veteri libro Berſmannus notat. Sed cum noſtri omnes pro vulgata lectione ſtent, Berſmanno nihil temere hic deferam. Muretus notarat in libro ſuo corrigendum, *Cumque pudicitia*. Sed ne ſic quidem ſenſus conſtabit. Cogitabam aliquando:

Quidque pudicitiia tantum cumulaſſe bonorum.

Certe tale quid voluit auctor. Heinsius. Hic audaciam temerarii Galluli mirari libet, qui ſine ulla codicum auctoritate, in ipſum contextum recepit emendationem ineptiſſimam, & quam ex interpretatione Berſmanni & aliorum conflavit:

Quidve pudicitiae turba inviolata bonorum.

Quid enim? an quaeritur hic, quid pudicitiam adjuvent aliae Liviae virtutes? immo quid pudicae & caſtae illa virtus proſit, cum eadem patiatur, quae mulieres libidinoſae. denique, quis umquam audivit, *turbam inviolatam bonorum?* an non praeſtaret hic ampliare, donec a codicibus MSS. major lux appareret? ſed omnia ſe ſcire profitetur Philoſophus, qui in literis his nihil umquam ſapit. illud *meruiſſe* ex Micylli notis arripuit Berſm. Burm.

46. *Altius.*] Sic in Fait. 1. 299.

Credibile eſt illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis exſeruiſſe caput. Douza.

47. *Nec nocuiſſe ulli.*] Expreſſit mores potentum amicorum Regis eleganter Seneca Herc. Oet. 637.

Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdatque alios, nullumque levet;
Tantum ut noceat, cupit eſſe potens.

47. *Nervos.*] Id eſt vires. Caeſ. 1. de Bell. Gal. 22. *Quibus opibus ac nervis, non ſolum ad minuendam gratiam, ſed pene ad perniciem ſuam uteretur.* vid. ad 1. Amor. 1. 18.

49. *Campoque foroque.*] Ovidianum videtur. ita enim illa conjungit Naſo III. Amor. VIII.

Omnia poſſideant, illis campuſque forumque
Serviat. hi pacem crudaque bella gerant.

Et 1. Pont. 8.

Te modo campus habet, denſa modo porticus umbra;
Nunc, in quo ponis tempora rara, forum.

Vell. Paterc. II. 126. *Revocata in forum fides, ſummota è foro ſeditio, ambitio campo.* Laudat autem Liviam, illam non abuſam potentia ſua, in honoribus mandandis indignis (*jus electionum* Barbarus noſter Gorallus vocat) nec in judicibus ad ambitioſas ſententias inducendis. Hanc ambitionem notat Livius in Appio lib. IX. cap. ult. *nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes urbanas, humilibus per omnes tribus diviſis, forum & campum corrupit.* Burmannus.

50. *Quamque libet citra conſtituiſſe domum.*] Forte, *Quaque*. Pith. Puto *continuiſſe* legendum. continuiſſe te vires tuas citra quamcunque domum. Heinsius. Non video in his ſenſum, inepta enim eſt Goralli expoſitio. Puto ſcripſiſſe Poëtam:

Quamque libet citra continuiſſe modum.

Hoc ſenſu, & vires continuiſſe citra modum, quam licebat, non ultra modum exeruiſſe vires. ita Ovidius X. Met. 607. *Nec virtus citra genus eſt.* id eſt minor genere. ut contra, *ultra modum.* & ita veteres dixerunt, *citra modum*, & *intra modum*, quod modice fit & temperanter. quod praeclare docet Gellius XII. Noct. Attic. cap. 13. Ubi locum Ciceronis ex IV. ad famil. Epiſt. 4. explicat. dixerat Cicero, *modice hoc faciam, aut etiam intra modum, ut & illius voluntati, & meis ſtudiis ſerviam,* ad quae Gellius, *modice dixit, id eſt cum modo*

aequo

Nempe per hos etiam Fortuna injuria mores
Regnat; & incertâ eſt hîc quoque nixa rotâ.
Hîc quoque ſentitur: ne quid non improba carpat,
Saevit; & injuſtum jus ſibi ubique facit.
Scilicet immunis ſi luctûs una fuiſſet
Livia, Fortunae regna minora forent?
Quid? ſi non habitu ſic ſe geſſiſſet in omni,
Ut ſua non eſſent invidioſa bona?
Caeſaris adde domum. quae certe, funeris expers,
Debuit humanis altior eſſe malis.
Ille vigil, ſummâ ſacer ille locatus in arce,
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.

Nec

aequo & pari. deinde quaſi hoc diſpliceret & corrigere id vellet, addit, aut etiam intra modum. *per quod oſtendit minus ſeſe id facturum eſſe, quam quod fieri modice videretur, id eſt non ad ipſum modum, ſed retro paullulum & citra modum.* Et ibidem docet *intra Kalendas*, idem ſignificare quod citra Kalendas vel ante Kalendas. unde *ſtupor* Goralli, qui *citra* opponi τῷ *intra* vult, manifeſtus. nimirum pro materia, quae ſub manibus eſt, dicimus *citra* pro *ante*, vel pro *intra*. ita *citra tempus* eſt ante tempus. *citra modum*, intra modum. ſic Ovidius *citra* pro ante, VIII. Met. 365.

Forſitan & Pylius citra Trojana periſſet
Tempora.

Et lib. x. 84.

Citraque juventam
Aetatis breve ver, & primos carpere flores.

Quinct. Decl. XII. 9. *Aut citra rogos, aut ad rogos pugna eſt*, id eſt antequam ad rogos ventum eſt. & Decl. CCXLVI. *ut ſtetur citra mortem.* ubi vide Notas. & ita regiones *citra fluvium* ſunt ſitae ante fluvium, ab hac parte, ut recte etiam *citra Oceanum* terrae, reſpectu inſularum vel continentis vel *ultra Oceanum*, ab altera parte Oceani, ut *citra mare* Horatius dixit I. Sat. x. 31. & II. Sat. VIII. 47. Et hinc haec duo Horatius *ultra & citra*, de modo & finibus agens, conjungit libro I. Sat. I.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Et hinc *citra* pro *minus* ponitur, ut Ovidius I. ex Pont. VII.

Culta quidem fateor, citra quam debuit illa.

Et III. Art. Amand. 757. ubi vid. & *ultra* pro plus, ut Vellej. II. 68. *ultra fortem temerarius.* & ita *ulterius juſto rogare* lib. VI. Met. 470. Ceterum *domus* & *modus* centies a librariis confuſa vocabula. ſic apud Ovid. VIII. Met. 748. *Trunci circüere modum.* MSS. plurimi habent *domum.* vid. & ad II. Artis 361. *licet* vero eſt in omnibus antiquis editionibus & MSS. & ut hic, *citra quam licet*, ita *ultra quam vis.* III. ex Pont. VI. 56. vulgatam qui tueri vult ita explicet; & conſtituiſſe, id eſt coërcuiſſe, certis limitibus, vires tuas citra etiam humillimas familias & gentes; nam *quilibet, quicumque*, de viliſſimis dicitur. ſed tamen praeſtat cum Heinſio, *continuiſſe.* BURMANNUS.

52. *Regnat.*] *Regnet* editiones priores.

53. *Ne quid non improba carpat.*] Puto, *neu quid.* HEINSIUS.

54. *Et injuſtum jus ſibi ubique facit.*] Expoſtulat cum Fortuna, non tam in omnes, quam in Liviam ſaeviente. Quare refinxerim libens, *iniqua facit.* Similis error infra quoque commiſſus ℣s. 371. IDEM. Nihil mutem; ſenſus eſt, Fortuna ubique ſibi adrogat regnum, quaſi jure hoc ſibi ſuper omnes competeret. Ovidiana & haec Phraſis. ſic enim lib. IV. ex Pont. 8.

Jus aliquod faciunt adfinia vincula nobis.

XV. Met. 39.

O cui jus coeli bis ſex fecere labores.

Et illae locutiones, *jus facere, uſurpare, dare*, de illis dicitur, qui faciunt aliquid, quaſi jus id haberent. ſic illa Lucani initio lib. I. *Juſque datum ſceleri* male Barth. lib. IX. Adv. 10. explicat, juri ſucceſſit ſcelus; cum notet, ſcelera tam impune & frequenter commiſſa, ut jam moris & juris eſſet ea facere; nam exempla eorum, qui impuniti admiſerant, faciebant, ut viderentur jure fieri. ſic idem Lucanus lib. IV. 811.

Jus licet in jugulos noſtros ſibi fecerit enſe
Sylla.

Id eſt, Sylla exemplum prodidit jugulandi, quod nunc impune imitari licet, & idem lib. IX. 1073.

Ergo in Theſſalicis Pellaeo fecimus arvis
Jus gladio.

Lib. VIII. 642.

Nam cui jus alii ſceleris.

Ovid. V. Faſt. 203.

Et dederat fratri Boreas jus omne rapinae.

Quinct. Decl. XII. 9. *Poſtquam jus factum eſt.* ubi quaedam notavimus. Salluſt. Jugurt. cap. 3. *Neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem*

jus

Nec fleri ipſe ſuis, nec quemquam flere ſuorum;
Nec, quae nos patimur vulgus, & ipſe pati.
Vidimus ereptâ moerentem ſtirpe Sororis.
Luctus, ut in Druſo, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, ſepulcro:
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix poſito Agrippâ tumuli bene janua clauſa eſt:
Perficit officium funeris, ecce, ſoror.
Ecce, ter ante datis, jactura noviſſima, Druſus
A magno lacrimas Caeſare quartus habet.
Claudite jam, Parcae, nimium reſerata ſepulcra;
Claudite: plus juſto jam domus iſta patet.

Ce-

jus fuit, tuti, aut eo magis honeſti ſunt. Et hoc exprimit Claudian. II. de Laud. Stilic. 118.

In legem rapiendi verterat uſus.

Sic quoque *jure ſuo* aliquid facere dicitur, qui pro arbitrio impotenter, quaſi ſibi omnia licerent, facit. de quo egit Hottom. ad Cicer. pro Arch. cap. 1. & nos ad Petron. cap. LXXVIII. & ad Quinct. Decl. XII. 2. Haec credo melius ſenſum auctoris illuſtrabunt, quam jejuna illa & emendicata Goralli expoſitio. *injuſtum* vero *jus* dixit per ὀξύμωρον ut Met. II. 627.

Injuſtaque juſta peregit. BURMAN.

55. *Si luctus.*] *Si luctibus* olim Heinſius volebat. ſed nihil muto. vid. ad Quinctil. Decl. XII. 15.

61. *Sacer ille locatus in arce.*] *Sacer ipſe* priſcae editiones cum membranis conſtanter. forte etiam, *ſumma patriae ille locatus in arce.* HEINSIUS. Miremini, Lectores, fecundum Goralli ingenium, qui cum in Stephani & Fabri Theſauris inveniſſet, *arcem* pro Tyrannide poni, hinc ſibi jus fecit ineptiſſimam adulationem affingendi noſtro Poëtae, qui, ſcilicet Auguſto occineret, ideo illum non debere illa pati, quae patitur vulgus, quia fuit Tyrannus Patriae ſuae. En elegantiam politiſſimorum Gallulorum! ſed ſi verſatus fuiſſet in Poëtarum veterum lectione, facile potuiſſet ſcire, *ſummam arcem* pro coelo poni. Ovid. I. Met. 163.

Quae pater ut ſumma vidit Saturnius arce.

Et II. Met. 106.

Summam petit arduus arcem,
Unde ſolet latis nubes inducere terris.

Et alibi ſaepe Noſter & omnes Poëtae. vid. ad III. Amor. X. 21. Sed ne Spudaeum compilaſſe videar, hic quieſco, & ad Micyllum provoco. praeterea quam ineptum eſt fingere, Auguſto, exemplo aliorum Deorum, templum in aliqua arce jam fuiſſe poſitum? pudet ſtultitiae. BURM.

70. *Perficit.*] *Percipit* Lipſius animadverſis in Conſolationem Senecae ad Marciam cap. II. HEINS. Chifletius, ad Titulum Septimiae, capit, quaſi Octavia Marcelli funus eodem modo perfecerit, ut antea Agrippae Auguſtus, cum Marcellus diu ante Agrippam ſit mortuus. pudendo errore. praeterea obſervandum eſſe dicit, januam non dici nude *clauſam*, ſed *bene clauſam* inepte hoc quoque; cum vox *bene* cum τῷ *vix* ſit jungenda, ut millies *vix bene* pro modo, commodum. Ovid. Ep. III. 2. *Vix bene Barbarica Graeca notata manu.* II. Met. 47. *Vix bene deſierat.* III. 14. *Vix bene Caſtalio Cadmus deſcenderat antro.* & millies alibi. BURMAN.

71. *Ecce ter ante datis.*] Hic vero ſe ingenium & acerrima dijudicandi vis in Gorallo prodit. qui ita commentatur, *Ter ante datis, hoc eſt tribus ante orco datis, vel ter ſepulchro datis Auguſti conſanguineis ac propinquis.* & in paraphraſi, *poſt tria cariſſima capita ſepulchro illata.* Quis umquam talia mente ſua conciperet, niſi cui illa ſede ſua emota eſſet. tutius fuiſſet Micyllum ſequi, qui *ter datis*, ſcilicet *lacrimis*, vere ſupplet. ſi umquam Poëtas, & in primis Ovidium legiſſet, deprendere potuiſſet vulgatiſſimam eſſe locutionem, *dare lacrimas.* ſic enim Naſo III. Ep. 15.

At lacrimas ſine fine dedi, rupique capillos.

Remed. 129.

Cum dederit lacrimas, animumque implevrit aegrum.

I. Am. VII. 60.

Sanguis erant lacrimae, quas dabat illa, meus.

IV. Met. 117.

Utque dedit notae lacrimas, dedit oſcula veſti.

XI. Met. 669.

Surge, age, da lacrimas.

Et 720.

Et tamquam ignoto lacrimam daret.

Et paſſim alibi. quid facilius & expoſitum magis? ſed ſine dubio in Theſauro Stephani ſui repererat illa Ovidii II. Met. 326.

Corpora dant tumulo.

Quod, ne periret, ineptire inſtituit. ſi legiſſet etiam *humi dare corpus* apud Scaevolam l. ult. §. ult. ff. de aur. arg. leg. inde firmare potuiſſet ſa-

Cedis; & incaſſum tua nomina, Druſe, levantur.
Ultima ſit fati haec ſumma querela tui.
Iſte poteſt implere dolor vel ſecula tota,
Et magni luctus obtinuiſſe locum.
Multi in te amiſſi: nec, cui tot turba bonorum,
Omnis cui virtus contigit, unus eras.
Nec genetrice tuâ fecundior ulla parentum:
Tot bona per partus quae dedit una duos.
Heu! par illud ubi eſt, totidem virtutibus aequum?
Et concors pietas, nec dubitatus amor?
Vidimus, attonitum fraternâ morte, Neronem
Squalida promiſſâ flere per ora comâ,

Diſſi-

tuam expoſitionem. ſed & *dare* & *habere*, quae aptiſſime hic opponuntur, admonere eum potuiſſent. BURMANNUS.

74. *Jam domus iſta.*] Ita Sepulchrum vocari jam docuit Rutgerſius in Venuſinis Lectionibus cap. 2. cui Gorallus ſuas opes debet. quibus adde, quae viri docti & nos ad Petron. cap. LXXI. olim notavimus. praeterea *parcite*, *plus juſto* &c. Medic. BURMANNUS.

75. *Cedis & incaſſum.*] Incaſſum & fruſtra Conſul inſcriberis. infra 139.

Nunc primum adſpiceris Conſul, victorque parenti?
Sic mihi, ſic miſerae nomina tanta refers?

SCALIGER. Concedis fatis, hoc eſt moreris. *Numina* alii male: intelligit enim nomen conſulare ſublatum in altum, hoc eſt inſcriptum vel celebratum. BERSMAN. Pro *incaſſum*, *in longum* eſt in pr. editione. ut inf. ỳs. 251. haec mihi obſcuriſſima ſunt, neque viri docti ſe expedire potuerunt, ſed a melioribus exemplaribus exſpectandam medicinam arbitrati ſunt. Heinſius tentabat olim:

Cedis, ut incaſſum tua nomina, Druſe, legantur.
Ultima ſit factis haecce querela tuis.

Vel, *ultima de fatis ecce* (vel *fitque*) *querela tuis.* Sed in nulla harum conjecturarum acquieſcere potuit. Clericus tamen, qui omni nodo cuneum paratum habet, & interpretes ante oculos poſitos compilans, deinde ellipſes, analogiam & ſimilia ſubſidia ſtatim advocans, hic *cedere* pro *mori* poni dicit, ut *cedere è vita* dicimus, & *nomina levari* eſſe, attolli inſcripta imaginibus praeliorum, ſine ulla auctoritate, & cum confidentia ſumma, adfirmat. pentametri etiam intricatum ſenſum faciunt duo illa epitheta, *ultima* & *ſumma*. nihil me hic videre, quod ſatisfaciat, fateor. niſi forte, *nomina vocantur*, vel *novantur*, legendum ſit, ut de ſupremo clamore, quo mortuos ciebant & eorum nomina vocabant, agatur, quam querelam ultimam Liviae fore vovet. vid. ỳs. 219. ſed praeſtat filere. BURM.

79. *Nec tu tot verba bonorum.*] Lege:

Multi in te amiſſi. Nam cui tot turba bonorum,
Omnis cui virtus contigit, unus erat.

SCALIGER. Optime avunculus meus Joannes Rutgerſius in Variis Lectionibus, lib. VI. cap. 19. *nec cui tot turba bonorum.* atque ita tres ſcripti, cum veterrima editione. minus bene Scaliger, *nam cui tot turba bonorum.* HEINSIUS.

82. *Quae dedit.*] Rotundiorem ſenſum diſtichi putabat Heinſius ſi legeretur, *edidit.*

86. *Pallida promiſſa.*] Malim, *Squallida ora.* & ſequenti verſu, *profitente colorem.* vel *prodente.* Noſter infra:

At comitum ſauallent immiſſis ora capillis.

Pont. lib. III. El. IV. 107.

Squallidus immittat fracta ſub arundine crines
Rhenus.

Triſt. lib. I. Eleg. III. 96.

Squallidus immiſſis hirta per ora comis.

Libro IV. Eleg. II.

Squallida promiſſis qui tegit ora comis.

Faſtorum III. 140.

Squallenti Dido ſanguinolenta coma. HEINSIUS.

Heinſii emendationem, *vultu profitente colorem* malit quis, quam *dolorem.* ut hoc de pallore intelligatur, quia de dolore ſeu luctu mox ſequitur. ita Art. Am. III. 730.

Et mens & rediit verus in ora color.

Ubi antea dixerat, ỳs. 709. *palluit.* D'Orleans ad Tacit. I. Annal. p. 16. corrigebat:

Diſſimilemque ſui vultu perhibente colorem.

Nam vultui non diſſimilis dolor, ſed diſſimilis color eſt. ſed optime hunc locum vindicavit doctiſſimus Bentlejus ad Horat. II. Sat. V. 104. qui legit, *diſſimilemque ſui*; (nempe Neronem) *vultu profitente dolorem.* quem vide. & ibi egregie Gorallianae ignorantiae aſyla offendit, qui quidvis & quamtumvis ineptum defendere ſolet, favente figurae alicujus numine. in editione Veneta etiam hic fuiſſe, *permiſſa coma*, notavit Heinſius. BURM.

88. *Quam toto luctus in orbe fuit.*] *In ore* omnino ſcribendum cum Rutgerſio. HEINSIUS.

91. *Ad-*

Diſſimilemque ſui, vultu profitente dolorem:
Hei mihi, quam toto luctus in ore fuit?
Tu tamen extremo moriturum tempore fratrem
Vidiſti: lacrimas vidit & ille tuas.
Adfigique ſuis moriens tua pectora ſenſit,
Et tenuit vultu lumina fixa tuo:
Lumina, caeruleâ jam jamque natantia morte,
Lumina, fraternas jam ſubitura manus.
At miſeranda parens ſuprema neque oſcula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente ſinu.
Non animam adpoſito fugientem excepit hiatu;
Nec traxit caeſas per tua membra comas.

Raptus

91. *Adfigique.*] Malim, *Adfligique.* quia *fixa lumina* ſequitur. vid. ad. XII. Met. 139. poſſet &,
Effingique tuis moriens tua pectora ſenſit. HEINS.

93. *Jam jamque natantia.*] In prioribus editionibus, *jam jam nutantia*; ſed Pithoeus, *natantia* reſcribi juſſit, & Berſman.

95. *Suprema neque oſcula fixit.*] *Fregit* duae editiones ex vetuſtioribus. Forte, *legit.* ut de Hecuba Met. XIII. 491.
Oſculaque ore legit, conſuetaque pectora plangit.
Sic enim veteres nonnulli libri exaratum illic exhibent. *lambere oſcula* dixit Statius Epicedio Pileti. & *frigida lambere oſcula* in Epicedio Glauciae. *ſumpſit* tamen hic codex unus. alii tres, *figit.* an, *fingit?* ut Met. IV. 141. de Thisbe, *gelidis in vultibus oſcula fingens.* ſed *figere oſcula* uſitatum. nec loco movendum. HEINSIUS.

96. *Frigida nec movit.*] Fortaſſis legendum, *fovit:* ut ſit ſenſus, *Nec fovit*, hoc eſt calefecit, aut excitavit ſinu ſuo membra filii jam frigeſcentia morte. MICYLLUS. Ne dubita *fovit* reponere vel contra libros. quod & Lipſio in Epiſtolicis Quaeſtionibus lib. III. cap. 3. probabatur. & Pithoeus expreſſit. Tibullus libro I. Eleg. VIII.
Ut foveat molli frigida membra ſinu.
Et apud Maronem Aen. IV. 686. de Anna:
Semanimemque ſinu germanam amplexa fovebat.
Phaedr. lib. IV. fab. 18.
Gelu rigentem quidam colubram ſuſtulit,
Sinuque fovit.
Stat. lib. I. Silv. II. 109.
Tellure cadentem
Excepi, fovique ſinu.
Sic & *gremio fovere* idem, lib. II. Silv. I. 121. *Gremio puerum complexa fovebat*, & Theb. I. 60.
Si me de matre cadentem
Foviſti gremio.
Virgil. I. Aen. 692.
Fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliae lucos.
Claudian. Conſ. Olybr. 142.
Sunt mihi pubentes alto de ſemine fratres,
Pignora cara Probi, feſta quos luce creatos
Ipſa meo fovi gremio.
VI. Conſ. Honor. 65.
Teque rudem vitae, quamvis diademate necdum
Cingebare comas, ſocium ſumebat honorum
Purpureo fotum gremio.
Nemeſian. Eclog. III. *Et gremio fovet.*
Maximian. Eleg. I.
Membra velis gremio feſſa fovere tuo. HEINSIUS.
Fovit etiam Meurſ. Spicil. ad Theocrit. pag. 135.

98. *Nec traxit caecas per tua membra comas.*] *Sectas comas* corrige. atque ita idem Lipſius. Ovidius Met. III. 506.
Naïdes & ſectos fratri impoſuere capillos.
Statius Theb. XII. 489.
Moeſtarumque ſuper libamina ſecta comarum.
Ita ſcribe, cum vetus liber Tiliobrigae *ferta* exhibeat. Idem Statius lib. VI. 195.
Caeſariem ferro minuit, ſectiſque jacentis
Obnubit tenuia ora comis.
Martialis lib. II. Ep. LXVI.
Hoc facinus Lalage ſpeculo, quo viderat, ulta eſt,
Caeditur, & ſectis ićta Plecuſa comis.
Sic emendo. *Et cecidit ſectis* inconcinne illic nunc legitur. Propertii enim illa cogitabat, libro IV. Eleg. VII.
Caeditur & Lalage tortis ſuſpenſa capillis.
De quo nos alibi. Val. Flaccus lib. II. 141.
Huic dea cum lacrymis & nota veſte Neaerae,
Sećta genas: Utinam non hic tibi nuncius eſſem
O ſoror!
Sic corrigo. Vulgo perperam, *Ićta genas.* Unde *Pićta* & *Fićta* faciunt. Epiſt. V. 72.
Et ſecui madidas ungue rigente genas.
Hoc tamen loco fortaſſe *caeſas comas* legi ſit ſatius, ut Mediceus liber agnoſcit. HEINSIUS. Roverium voluiſſe *canas*, vel *laceras*, ut prima ſyllaba in *laceras* fuerit vetuſtate deleta, & *ceras* remanſerit, unde *caecas* deinde fecerint, notavit in ora codicis ſui Heinſius. ſed *caeſas* rectum eſt. ſic apud

Raptus & abſenti, dum te fera bella morantur,
Utilior patriae, quam tibi, Druſe, tuae.
Liquitur; ut quondam, Zephyris & ſolibus ictae
Solvuntur tenerae, vere tepente, nives.
Te queritur, caſusque malos, irriſaque tales, *
Accuſatque annos, ut diuturna, ſuos.
Talis in umbroſis, mitis nunc denique, ſilvis
Deflet Threïcium Daulias ales Ityn:
Halcyonum tales ventoſa per aequora queſtus
Ad ſurdas tenui voce ſonantur aquas.
Sic plumoſa novis plangentes pectora pennis
Oeniden ſubitae concinuiſtis aves.
Sic flevit Clymene: ſic & Clymeneïdes, altè
Cum juvenis patriis excidit ictus equis.

Con-

Claud. bell. Get. 33. pro *caeſa Getarum agmina*, in vetuſto Heinſii codice legebatur, *caeca*. BURM.

101. *Ictae.*] Vid. ad III. Faſt. 236.

103. *Te queritur, caſusque malos, irriſaque tales.*] Locus haud dubiè corruptus & mendoſus. Quid enim ſibi volunt verba haec, *Irriſaque tales?* Neque video quo pacto corrigi poſſit, niſi auxilio vetuſtioris alicujus exempli. MICYLLUS. Haec etiam foede corrupta ſunt. Combianus liber, quod interpolatricem manum ſapit:

Te queritur, caſuſque etiam deriſa malignos,

Scribe:

Te queritur caſusque malos, irriſaque vota.

Duae poſtremae ſyllabae in *irriſaque* priorem ſyllabam abſorbuere vocabuli ſequentis *vota*. itaque ex *ta*, ne claudicaret, fecerunt *tales*. Gisbertus Cuperus, vir politiſſimus lib. IV. Obſer. 3. reponebat, *irriſaque tabet*. HEINSIUS. Hic iterum temerario auſu Gorallus, poſtquam fabulam lectori narraverat, quo pacto librarii potuiſſent hunc locum corrumpere, elumbem & frigidum, ut ipſe fatetur, verſum nobis cudit, & audacia incredibili in ipſum contextum recipit:

Te queritur caſuſque malos atque exitiales.

O Criticae admirandae ſpecimen, & ſcabrae emendationis unicum poſt literas renatas exemplum! Quis enim, quaeſo, elegiacorum Poëtarum, Auguſtei aevi, verſum aliquem in quinque ſyllabarum vocem exeuntem fecit? ſi Barthii notas ad Claudiani IV. Conſ. Honor. 365. legiſſet, ſanctiſſimos vates ab hac ſcabritie religioſe ſibi caviſſe diſcere potuiſſet. qui duos modo ſe repperiſſe dicit; unum in Sidonio, ferreo Poëta:

Innumerabilibus legionibus imperitabant.

Quem ille tamen ex Horatio lib. I. Sat. VI. 4. effinxit, qui ibi ſatyrice tangit veterum Poëtarum inconditos numeros, ut Lucretium lib. III. 1041. apud quem ejus notae plures tales verſus occurrunt. alterum produxit ex Juvenco, at quo Poëta!

Luxurioſorum convivia concelebrabant.

Sed ipſe Virgilius, aut aequales illi Poëtae, etiam in Heroico carmine ab his abſtinuerant, qui ſpondaicos verſus ad ſummum in quadriſyllaba exire patiebantur. vide Voſſ. lib. III. Poët. Inſt. cap. 7. qui in cap. XI. ubi de Elegiaco carmine agit, nihil ſimile producere potuit. Sacrum ergo & deteſtabilem verſum faciunt illa, *atque exitiales.* praeterea Heinſium edidiſſe *eriſaque* notat, cujus editio tamen, (nam veram Heinſii ipſius auſpiciis editam numquam, ſed ſolam a Cnippingio depravatam vidiſſe puto) habeat, *irriſaque:* notam etiam Heinſii ad hunc locum omiſit, quia Cnippingii ſupinitas oblita erat Heinſii nomen notae adponere. deinde Thraſonica arrogantia ſubjicit, *donec melius quidquam afferatur, hanc emendationem retinebimus;* quaſi jam non melius adlatum eſſet ab Ampliſſimo Cupero, cujus emendatio molli pede incedentem verſum exhibet. Cuperi vero Obſervationes legiſſe Clericum apparet ex notis ad vers. 236. ubi emendationem Viro Illuſtri ſuffuratur. Grangraeus quoque ad Juvenalis Sat. X. ℣s. 251. citat hunc verſum hoc modo:

Te queritur caſuſque malos, inviſaque fata.

Sed an ex conjectura, an ex codice aliquo non addit. Roverium maluiſſe, *irriſaque clamat*, Heinſius notavit. Francius violentiori medicina tentabat:

Te queritur caſuſque tuos luctu obruta mater.

Nos exſpectamus meliorem medicinam, & molliorem Goralliana. ille tamen, credo, ſi verſus faceret lingua vernacula, Clementis Maroti venam exprimeret potius, quam hujus aevi mollius fluentia carmina. Si vero verſatus eſſet in lectione veterum Poëtarum, potuiſſet producere verſum in vocem *exitialem* exeuntem, ex Sedulio lib. V. 123.

Ar-

Congelat interdum lacrimas, duratque, tenetque,
Suſpenſasque oculos fortior intus agit.
Erumpunt, iterumque gravant gremiumque ſinusque,
Effuſae gravidis uberibusque genis.
In vires abiit flendi mora. plenior unda
Defluit, exiguâ ſi qua retenta morâ.
Tandem, ubi per lacrimas licuit, ſic flebilis orſa eſt,
Singultu medios impediente ſonos.
Nate, brevis fructus, duplicis ſors altera partûs,
Gloria confectae, nate, parentis, ubi es?
Sed neque jam duplicis, neque jam ſors altera, partûs,
Gloria confectae nunc quoque matris, ubi es?
Heu! modo tantus, ubi es? tumulo portaris & igni.
Haec ſunt in reditus dona paranda tuos?

Sic-

Arboris infandae radicibus exitialem
Quae peperit fructum.

Sed & hunc habeat ſibi, dum noſtras aures adſuetas lenioribus numeris non laedere pergat. alterum poterit reperire apud neſcio quem ineptum, & ut ejus verbo utar, *merdacem* poëtaſtrum, cujus epigramma inter Catalecta Pithoeus edidit pag. 80.

Cor non laudo hominis: nam perfidum & exitiale.

BURMANNUS.

111. *Sic & Clymeneïdes altae.*] *Alto* Rutgerſius. *alte* libri ſcripti. diſtingue:

—— *Sic & Clymeneides, alte*
Cum juvenis patriis excidit ictus equis.

Martialis lib. XII. Ep. XXIX.

Caſuras alte ſic rapit Iris aquas.

Seneca Hercule Furente ỳs. 101. ex veteri codice, *Alte virtus animoſa cadit.* nam *Altò* nunc vulgatur. Hercule OEtaeo 406.

Alte illa cecidit, quae viro caret Hercule.

Varro Marcipore apud Nonium in *bipenne*. *Alte moeſti in terram decidimus.* Noſter infra, ut eſt in antiquis libris:

Impoſuit te altè Fortuna.

Et poſtea:

Nata quod es altè.

Sed de hiſce duobus locis nil temere aſſeverarim. Valer. Flacc. III. 131. de Typhone:

Quem Jupiter alte
Crine tenet. HEINSIUS.

113. *Congelat interdum.*] Homerus de lacryma, ὥϛε κερὰ ἴϛατο. SCALIGER. Puto cum Gorallo Scaligerum reſpicere ad locum ex Odyſſ. T. 211. ubi non de lacryma, ſed de oculis dicit, ὀφθαλμοὶ δ' ὥσεὶ κερὰ ἕϛασαν, ὑὲ σίδηρος. ubi recte Scholiaſtes κερὰ, τόξα interpretatur. oculi ergo ſtant ut arcus, nimirum contentus. & hinc explica *contentos* illos Tiberii *oculos* apud Sueton. cap. VII. qui lacrimas oborientes, unde jam tumebant oculi, durabant & introrſus agebant. BURM.

114. *Suſpenſaſque oculis fortior ictus agit.*] Lege:

Suſpenſaſque oculus fortior intus agit.

Vidit ex parte veram lectionem Rutgerſius. *introrſus agere lacrymas* dixit alicubi M. Seneca Pater, *reſorbere fletum*, Filius Herc. Oetaeo. ỳs. 1285. Idem ibid: 1674.

Compeſce lacrymas, inquit. introrſus dolor
Femineus abeat.

Noſter Epiſtola XI. 54. dixit:

Combibere lacrymas. HEINSIUS.

Ita forte apud Martial. lib. X. 80. legendum:

Pars major lacrimas ridet, & intus agit.

115. *Gravant gremiumque.*] *Gemitumque* editiones priores. *fremitumque* Berſmanni. dubito etiam an non rectius *lavant* legeretur, id eſt aſpergunt, *humectant*, ut Virgil. I. Aen. 465. ſic *lavare* pro adſpergere Ovid. I. Am. XIV. 40. & IV. Faſt. 768. ita & III. Art. 726.

Oraque fontanâ fervida lavit aquâ.

Quidam codices, pro *ſpargit*. BURM.

119. *Sic flebilis.*] *Sed flebilis* Scal. Pith. & aliae editiones, de *flebili* vid. ad Ovid. III. Am. VI. 68.

122. *Gloria confectae, nate, parentis.*] *Confectae*, ſcilicet moerore. at veteres editiones, *conſpectae*. HEINSIUS. Non temere illud *conſpectae* damnarem, quod eleganter reſpondet τῷ *gloria*. ex natis enim gloria nata matri, quae ideo conſpiciebatur. ita Juſtinus lib. XI. cap. 15. dixit, *reges conſpectioris ingenii*. Val. Flac. VI. 296.

Populeus cui frondis honor, conſpectaque glauco
Tempora nectuntur ramo.

Ovidius II. Triſt. 114.

In neutrum conſpiciendus eques.

Liv. IV. 60. *Tamquam bonos cives conſpici vulgus hominum vidit.* & ſic paſſim Latini: & ita Graecos περιβλέπεσθαι uti, apparet ex Euripide Phoenis.

Siccine dignus eras oculis occurrere matris?
Sic ego te reducem digna videre fui?
Caesaris Uxori si talia dicere fas est;
Jam dubito, magnos an rear esse Deos.
Nam quid ego admisi? quae non ego numina cultu,
Quos ego non potui demeruisse Deos?
Hic pietatis honos? artus amplector inanes.
Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.
Tene ego sustineo positum scelerata videre?
Tene meae poterunt unguere, nate, manus?
Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque?
Effingoque manus? oraque ad ora fero?
Nunc primum adspiceris consul victorque parenti?
Sic mihi, sic miserae nomina tanta refers?

Quos

554. & Aelian. II. Var. 12. Plutarch. de flum. pag. 148. περίβλεπτος κάλλει. BURMANNUS.

125. *Heu modo.*] MSS. Combii.
Qui modo tantus eras.
Ut in Fastis lib. v. 460.
Cernite sim qualis, qui modo tantus eram.
Posset & legi, *Heu modo quantus ubi es?* HEINS.

132. *Non potui demeruisse.*] Heinsius conjiciebat:
Quos ego non fovi, demeruique Deos?

134. *Rogusque suus.*] Proprius, & ipsi destinatus. Poterat tamen & *suos* legi, pro eo quod est, Rogus vocat hos artus tanquam suos, ac proprios. MICYLLUS. *Evocat* libri veteres. Combianus praeterea, *sinus* pro *suus*. Rutgersius, *suos*. parvo negotio corrigendum,
Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.
In Ibid. 316. *Sic tua subsidens devoret ora cinis.*
Prudentius περὶ στεφάν. Passione Sancti Hippolyti:
Sit pyra, quae multos devoret una reos.
Et Passione Sancti Romani:
Ignis parandus jam tibi tristis rogi,
Qui fine digno corpus istud devoret.
Sic *edere flamma* dicebatur pro *urere. vorax flamma* Am. Marcel. lib. XXVII. Orientius Commonitorio:
Nam rogo ne credas dirae ad compendia poenae,
Quod raptim sontes debita flamma voret.
Vide Notas ad Eleg. ult. lib. I. Amor. ỷs. 41. HEINS. Hic iterum venditat se pueris Gorallus, qui *sinus* interpretatur *viscera*, *quod vestium sinu teguntur*, quae nos credimus cute tegi. sed retudimus jam ferocem illum impetum ad Petronii cap. CXX. ubi de hoc loco egimus. BURMANNUS.

136. *Ungere, nate, manus.*] Respicit ad morem antiquis usitatum, videlicet ut mortui ungerentur. Virgil.
Corpusque lavant frigentis & ungunt.
Dicebatur hoc *pollingere*. Glossarium *Pollingo*, περιστέλλω νέκρον, σοροπλοκέω, ἐνταφιάζω. Videtur confundere cum vespillonibus (eorum enim officium mortuos sepelire) in quo tamen subscriptorem habet Sidon. Apollin. lib. III. Ep. 13. *Moxque sidente strue torrem devolutum reddere pyrae fastidiosus pollinctor exhorret.* Tertullianus quoque adversus Gnosticos. cap. VII. sic inquit: *Si noster quoque Deus propriae hostiae nomine Martyria sibi depostulasset, quis illi exprobrasset funestam relligionem & lugubres ritus, & aram rogum, & pollinctorem sacerdotem, & non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset.* Obscurior paullo locus, & ut mihi videtur corruptus, quem tamen sic restituendum puto: *Et aram sacerdotis, & rogum pollinctoris.* Sacerdotes enim aram tractant, quod eleganter *funestam religionem* vocat: pollinctores rogum, quod *lugubres ritus*. Et saepius ita ab exscriptoribus erratum, curioso harum rerum deprehendere licet. Velut in hoc Panegyrici Max. Augusto dicti loco, *Concursare inter se agricolae, nuntiare totis visa* (sic Tertull. de Spec. cap. XVI. *Nuntiant invicem quod simul ab omnibus visum est*) *arae incendi, thura poni, vina libari, victimas caedi.* Legendum enim, *arae poni, thura incendi.* Eodem modo & in Apulejo erratum de Deo Socratis libro: *Tranquillitas maris & clementia ventorum per fibrarum notas, & alitum vias, & serpentum escas exploratae.* Malim legere, *alitum escas & serpentum vias.* Quid enim magis usitatius fuit, quam ex avium esu omen captare? unde etiam priva illa ad hanc rem nata vocabula, *solistimum*, & *sonivium tripudium.* Nimirum quae dicebantur, cum pullo puls ex ore cecidisset, de quibus legendus Festus. Ominosum etiam fuisse, si serpens in via occurrisset, vel unus Horatii versus fidem fecerit:
Rumpat ut serpens iter institutum.
Posset tamen, ut ingenue quod sentiam fatear, Apuleji recepta lectio aliquo modo tueri hisce Propertii versibus, lib. IV. Eleg. 8.
Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,
Hic ubi Tartareae non perit hora morae. &c.

Ille

Quos primum vidi fasces, in funere vidi:
Et vidi eversos, indiciumque mali.
Quis credat? matri lux haec moestissima venit,
Quâ natum in summo vidit honore suum.
Jamne ego non felix? jam pars mihi rapta Neronum,
Materni celeber nomine Drusus avi?
Jamne meus non est, nec me facit ille parentem?
Jamne fui Drusi mater? & ipse fuit?
Nec cum victorem referetur adesse Neronem,
Dicere jam potero, Major, an alter, adest?
Ultima contigimus. jus matris habemus ab uno.
Unius est munus, quod tamen orba negor.
Me miseram! extimui, frigusque per ossa cucurrit.
Nil ego jam possum certa vocare meum.

Hic

Ille sibi admotas a virgine corripit escas,
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.

Quò pertinet etiam Tertull. libro ad uxorem cap. VI. *Romae quidem, quae ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia poenae suae cum ipso Dracone curantes, de virginitate censentur.* Qui locus absque Propertio non facile poterat explicari. nec minus Propertius absque hoc Tertulliani. sed haec extra ordinem dicta sunto. Ergo Vespillonum, ut monui, officium, quae ad lugubres ritus, hoc est, rogum spectant curare. unde Glossarium, *Vespillo*, νεκροβάπτης. in alio Glossario, *Vespino*, νεκροδότης. Lego, *Vespillo*, νεκροβάπτης. de Pollinctoribus Fulgentius Planciades ita: *Pollinctores qui funera morientium accurant. Plautus Poenulo, Quia mihi pollinctor dixerat, qui eum pollinxerat. dicti pollinctores, quasi pollutorum unctores.* Ubi etiam vides mortuos *pollutos* dici: unde *domus polluta*, in qua mortuus, quae idcirco expiatione indigebat. Flamini etiam Diali mortuum tangere non licebat; causa, ne quid morticinum eum contaminaret, quod non vetitum, nisi mortuos pollutos putassent. Gellius lib. x. cap. 15. *Locum in quo bustum est, nunquam ingreditur; mortuum nunquam adtingit; funus tamen exequi non est religio.* LINDENBR.

137. *Summum.*] Postremùm. adverbium. Virgil. VI. 466.

Extremum fato quod te adloquor, hoc est.

BERSMAN. Ita *supremum* Quinct. Decl. VI. 6.

138. *Affigoque manus?*] Recte veteres editiones, *Effingoque*, ut jam monuimus ad Epistolam XX. vs. 134. HEINSIUS.

141. *Quos primo vidi.*] Scribe, *quos*, & paullo post, *materni celeber*. PITHOE. *Quos* probe Combianus liber, & vetus editio, ut & Pithoeus. *quum* Rutgersius. HEINSIUS. *Quo* editiones priscae, quod Bersmannus per ellipsim capit, pro quo tempore. in margine habet, *quum*.

142. *Et vidi eversos.*] Ut Virgil. XI. Aen. 93.

Et versis Arcades armis. SCALIGER.

Lege, *inversos*. mos hic priscus; nempe in funere magnorum virorum insignia & imagines eorum anteferre. Horat. Epod. VIII.

Funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Ubi vetus commentator: *Solebant in funere nobilissimi cujusque imagines majorum praeferri ad ostentationem nobilitatis, quod adhuc observari videmus in funeribus Principum virorum.* Observabant autem ne erecta, sed inversa gererentur, id quod hic factum vides & apud Statium Thebaid. VI. 213.

Tunc septem numero turbas (centenus ubique
Surgit eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenae reges, lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum. LINDENBROGIUS. *Inversos* Lipsius Epist. Quaest. III. 3. & ad Catalecta Lindenbrogius. nil temere mutem. Ovidius in mortem Tibulli, III. Amor. 9.

Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram.

Si quid immutandum tamen, rescripserim; *sed vidi aversos indiciumque mali.* Tertull. libr. Adv. Physic. *Cum stupet coelum, & aret annus, nudipedalia denunciantur, Magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt.* HEINSIUS.

143. *Lux haec carissima venit.*] Contrarium vult poëta. Quare, *moestissima* legendum cum postrema Aldi. HEINSIUS. Conjecerat & Heinsius, *lux ingratissima*; vel, *lux haec durissima*. mox, *quae natum* Bersmanni editio.

146. *Materni.*] *Materno* minor editio Gryphii.

147. *Nec me facit illa parentem.*] Puto:

Nec me vocat ille parentem,

Facit enim parentem puer recens natus.

149. *Referatur.*] *Referetur* veteres. HEINSIUS.

161. *Quod*

Hic meus ecce fuit: jubet hic de fratre vereri.
Omnia jam metuo: fortior ante fui.
Soſpite te ſaltem moriar, Nero, tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Druſi manus altera, & altera fratris,
Formarent oculos, comprimerentque, meos!
Quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
Druſe: neque ad veteres conditus ibis avos.
Miſcebor cinerique cinis, atque oſſibus oſſa.
Hanc lucem celeri turbine Parca neat!
Haec & plura refert: lacrimae ſua verba ſequuntur,
Oraque nequicquam per modo queſta fluunt.
Quin etiam corpus, matri vix vixque remiſſum,
Exſequiis caruit, Livia, pene ſuis.
Quippe ducem arſuris exercitus omnis in armis,
Inter quae periit, ponere certus erat.

Ab-

161. *Quod licet, hoc certe.*] *ô certe* ſcribendum videri monuimus ad Epiſtolam Penelopes. HEINS.

162. *Ad veteres conditus ibis avos.*] Egregie hic Gorallus, ſubaudiendum notat, *ſolus*; & *ad avos ire*, idem ſignificare, quod *neque ſolus te conferes ad majores tuos in campis Elyſiis agentes*; & quod apud Orientales, *ire ad patres*, *aggregari populis ſuis*: Quid non ſacrae literae a tam docto commentatore ſperare poſſent? ſed quid ineptius dici aut fingi poteſt tali ellipſi & locutione, cujus exempla nulla proferre poteſt? quamquam infra vers. 452. iterum talem ellipſin fingat. ſed mittamus ineptias. ſenſus enim unicus & verus hic eſt: Tu Druſe, non ſepelieris in monumento Claudiae vel Liviae Gentis, in quo avi tui ſunt conditi, ſed & tu, & ego in Mauſoleum Caeſarum & Juliae gentis monumentum inferemur. quod egregie deſcribit Strabo lib. v. & cujus ſaepius meminit Suetonius. Et ita factum quoque eſſe narrat Dion lib. LV. pag. 549. ubi cadaver Druſi in campo Martio crematum, & reliquias in Auguſti monumentum illatas ait: & initio libri LVIII. Liviam quoque eodem Mauſoleo compoſitam, & ita compotem voti, quod hic ſuſcipit, factam, refert. Hic neceſſe fuerat Dionem inſpexiſſe, quem toties advocat mercenarius compilator. Praeterea ipſa illa locutio in Oriente, *ire ad patres*, nihil aliud notat, quam patrio ſepulchro, cujus magna erat ſuperſtitio, inferri. quae hic illuſtrare putidum foret. de abitu ad Elyſios campos, & avis, qui ibi ſunt, demum Poëta aget inf. vers. 329. BURMANNUS.

164. *Hanc lucem celeri turbine Parca neat.*] Variae lectionis & diffuſae eruditionis homuncio Clericus, hic, *nere lucem*, an alibi occurrat, neſcire ſe fatetur. Nimirum unicum doctrinae Gorallianae ſubſidium Theſaurus Stephani exempla negabat. ſed ita Martialis lib. I. Epig. 89.

Cum mihi ſupremos Lacheſis perneverit annos.

O male factum Stephane, & tu, o Faber, quantum admiſiſtis ſcelus! quod verbum *pernere* omiſeritis in illis veſtris Theſauris; & ita Clericum ad paupertatis confeſſionem adegeritis? ſed legiſſet modo ille Heinſii notas ad Epiſtolam Sabini I. vs. 71. jam via fuiſſet facta; ſed ultra Albinovani Epicedion non ſapit. ſuppetias tamen inopi Sopho recte fers, Stephane, in voce *Turbinis*, ubi circumactionem celerem fuſi ita dici a te didicit; ſed malo quodam fato locum Virgilii, apud ipſum Poëtam numquam ſibi lectum, tibi ſublegit, ubi non de fuſo muliebri, ſed de turbinis puerilis luſu agitur. monere talia debueras, Lexicographe doctiſſime, ne ſerum ſtudiorum & properantem commentatorem in fraudem deduceres, qui nihil inexplicabile repperit in Albinovano, modo tu favens propitiuſque adſis. IDEM.

168. *Exequiis caruit, Livia, pene ſuis.*] *Tuis* olim legebam. quod Barthio quoque in Adverſariis lib. XXX. II. & ad Claud. II. in Rufin. 245. Edit. primae, eſt probatum. ſed nil neceſſe. ut *ſuis* ſit, ſibi debitis exequiis. HEINSIUS.

170. *Inter quaeque ruit.*] *Inter quae periit* vere legebat Rutgerſius. infra:

Ille meus periit, periit arma inter & enſes.

Barthius in Adverſariis. ibid. *meruit. Inter quaeque ruens* veteres nonnulli. quod Naugerius ſecutus. IDEM.

170. *Ponere certus erat.*] Ita infra 228.

Corpus & intactum tollere certus erat.

Saepe Ovidius, ut Epiſt. VI. 51.

Certa

Abſtulit invitis corpus venerabile Frater;
Et Druſum patriae, quod licuitque, dedit.
Funera ducuntur Romana per oppida Druſi;
(Heu facinus!) per quae victor iturus erat.
Per quae deletis Rhaetorum venerat armis.
Hei mihi, quam diſpar huic fuit illud iter!
Conſul init fractis moerentem faſcibus Urbem.
Quid faceret victus, ſic ubi victor init?
Moeſta domus plangore ſonat, cui figere laetus
Parta ſuâ dominus voverat arma manu.
Urbs gemit, & vultum miſerabilis induit unum,
Gentibus adverſis forma ſit illa; precor!
Incerti clauduntque domos, ſtrepitantque per urbem;
Hîc illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura ſilent, mutaeque tacent ſine vindice leges:
Adſpicitur toto purpura nulla foro.

Dîque

Certa fui primo. &c.
Epiſt. VII. 7.
Certus es ire tamen.
Et Ÿs. 9.
Certus es, Aenea, cum foedere ſolvere naves.
Et millies alibi. quae annotare eſſet otioſum, niſi Gorallus noſter hic, ut egregium quid, & a vulgo remotum, notaret, frequentius dici, *certum ei erat*, ut Graecis ἐκέκριτο ταῦτα ἀυτῷ. Sed ut pateat, quam Graece etiam calleat Paedagogus ineptiſſimus. an non Lucas Act. XX. 16. dixit ἔκρινε ὁ Παῦλος, & ſaepe alibi. ut cap. III. 13. XXV. 25. & ita profani paſſim. & *certi eſſe* dicuntur, qui aliquid decernunt, & poſt deliberationem eligunt & praeferunt. ſic certe ipſe ad Menandri Fragmenta ex incertis N°. 115. docuerat, κρίνειν eſſe eligere & praeferre, ſed quia Lexica exempla non dant homini pauperi, ipſi unum ex Aeſchyli Agamem. Ÿs. 479. ſuppeditare poſſum: mox, ubi capax eſt majorum divitiarum, plura ſuffecturus. BURMANNUS.

172. *Et Druſum prunae.*] *Primae* plerique veteres. niſi quod Combianus cum duabus vetuſtis editionibus, *patriae*. eleganter. quomodo Andreas quoque Naugerius nitidiſſimi vir ingenii, & ad Senecam Lipſius. HEINSIUS. vid. ad Conſ. ad Polyb. cap. XXXIV. ubi & legit, *qua licuitque*. Francius legebat, *quem licuitque*. ſed nihil neceſſe. vide ſupr. 161. & inf. 350. III. Triſt. v. 29. Gorallus *quod* hic exponit *quoad*. ὁ Barbarum & indoctum Poëtarum interpretem. ubi vero didicit hanc explicationem, certe non in literaria Palaeſtra: nam ſi praeter Logicas & Theologicas ſordes, legiſſet umquam Latinos ſcriptores, noſſet, *quoad* idem eſſe quod *donec*, *quouſque*. videat Vorſſii librum de Latinitate merit. ſuſp. cap. XXXIII. idem committit infr. 354. BURM.

177. *Conſuluit fractis moerentem faſcibus urbem.*] Verſus haud dubie corruptus: neque enim ſententia, neque verborum conſtructio conſtat. Lego igitur pro *Conſuluit*, *Conſul init fractis*, &c. ut ſit ſenſus: Is qui tum conſul erat, ingreditur urbem conſul ac victor, fractis faſcibus, & everſis inſignibus, (quibus ſcilicet caſus, ſive clades illius ſignificetur.) qualis ergo ingreſſurus, & qua ſpecie foret, ſi non victor, ſed victus fuiſſet? MICYLL. forte, *Conſul init*. PITHOE. Lege, *Conſul init fractis*. SCALIGER. *Conſul init* veteres nonnulli, id quod jam aliis eſt deprehenſum. HEINSIUS. Noriſius ad Cenotaphia Piſana Diſſert. III. cap. 2. legit, *Cum ſubiit*.

182. *Gentibus adverſis.*] *Adverſis ἀντὶ τοῦ adverſariis*. Ammian. Marcel. *Adverſos fortius oppreſſerunt*. dixerunt etiam, *advoſes*. Feſtus *Advoſem, adverſarium hoſtem*. Gloſſarium *Advoſes ἐνάντιοι*: eſt autem in his verbis formula ſolemnis, qua utebantur, quando hoſtibus mala imprecabantur. Plautus de eo qui malum nuntium adferebat:

Principium inimicis dato.

Apulej. *Hoſtes & omnes inimici tam duram imo vero Ulixeam peregrinationem incidunt*. LINDENBR. Quinctil. XII. de Inſtit. Orat I. *Facultas dicendi ſocia ſcelerum, adverſa innocentiae*. Ita *adverſi* pro adverſariis Quinctil. Decl. VII. 2. *Eſt adverſorum meorum & iſta novitas*. vid. & ad Argum. lib. IV. Metamorph. fab. XIII. BURMANNUS.

183. *Incerti clauduntque domos.*] Tacit. Annal. lib. II. 82. de hoc ipſo agens, ſic ſcribit, *Hos vulgi ſermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magiſtratuum, ante Senatusconſultum, ſumpto juſtitio deſererentur fora, clauderentur domus, paſſim ſilentia & gemitus, nihil compoſitum in oſtentatio-*

Dîque latent templis: neque iniqua ad funera vultus
Praebent: nec poſcunt tura ferenda rogo.
Obſcuros delubra tenent. pudet ora colentum
Adſpicere, invidiae, quam meruere, metu.
Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
Suſtulerat timidas ſidera ad alta manus:
Jamque precaturus, Quid ego autem credulus, inquit,
Suſcipiam in nullos irrita vota Deos?
Livia, non illos pro Druſo Livia movit.
Nos erimus magno maxima cura Jovi?
Dixit: & iratus vota inſuſcepta reliquit;
Duravitque animum, deſtituitque preces.
Obvia turba ruit: lacrimisque rigantibus ora
Conſulis erepti publica damna refert.

Omni-

nem. Non ſolum autem domos, in quibus mortuus ſervabatur, claudere moris erat, ſed ne focum quidem in iiſdem facere. Apulej. Mileſ. lib. II. *Abi, inquit, fatue, qui in domo funeſta caenas & partes requiris, in qua totijugis jam diebus ne fumus quidem viſus eſt ullus.* LINDENBRUCH. De Germanico ibi agi, Tacitum inſpicenti patet.

184. *Hic illic.*] *Hic illi* editiones veteres. nihil muta. VII. Met. 581. vid. ad. Epiſt. XX. 130.

185. *Tacent.*] Heinſius & Francius malebant, *jacent.* ut I. Met. 149. *Victa jacet pietas.*

187. *Dîque latent templis.*] Ovid. II. Faſt. 563.

Di quoque templorum foribus celentur apertis,
Ture vacent arae, ſtentque ſine igne foci.

Dî latitant malebat Francius.

190. *Invidiae quam meruere metu.*] Acutos hic Poëtas in nugis traducit Gorallus, quo nemo in nugis ipſis his capiendis ſtupidior umquam exſtitit. Melius famae ſuae conſuluiſſet, ſi quae de hac *invidia* obſervavit Ampliſſimus Cuperus lib. II. Obſerv. cap. IV. ubi hoc *artificium Poëtarum*, non *nugas* vocat, diligenter legiſſet, & *invidiam* hic nihil, niſi querelas invidioſas, quibus imperitum & indoctum vulgus Deos onerare ſolet, eſſe didiciſſet. & licuiſſet tunc ſevero Theologo, in impietatem Gentium invehi, quae tam perverſe de Diis ſuis ſentiebant. ſed poëtis parcere potuiſſet, qui ſe numeros artis impleſſe credunt, ubi ea exprimunt, quae vulgi opinionibus, etiam erroribus, ſunt pervulgata, licet ſint deliria humanae mentis. & ſi Pſalmum LXXIII. revocaſſet in memoriam, quam parum ab his invidioſis Dei criminationibus ſaepe pii abſint, animadvertiſſet. ſi igitur Chriſtianum quis acerbe querentem, *Deo invidiam facere* hodie Poëta diceret, vapularet Gorallo, ſed non hominibus ſanis, qui riſum tenere non poterunt, ubi tam pium & ſanctum ſacerdotem tragicis ululatibus, *Poëtarum acumina in nugis, & ſtuporem in iis, in quibus ſine piaculo errare non licet*, deplorantem legerint. Sed perverſe ingenioſum, *Eccleſiaſticae hiſtoriae* nuper effuſae auctorem, Gorallum pipulo differre non ceſſabunt, qui, verſatiores in primae Eccleſiae Patrum ſcriptis noſtro compilatore, noverunt, hoc minime eſſe *abuti ſua dicendi facultate, ut Numini maledicant*, ſi etiam hodie *invidiam Deo facere* dicere audeant. Nam & ita locutos olim Chriſtianae religionis antiſtites ſciunt, cum poenitentes, ut vocare ſolent, ſordidatos & ad miſericordiam movendam aſſumpto habitu procedentes deſcribunt; qui videbantur in Deum invidiam concitare, ni eos dignos haberet, quibus veniam daret, ut hoc Tertulliani, Cypriani & aliorum auctoritate egregie demonſtravit Albaſpinaeus ad Tertull. de Poenitentia cap. V. Talia ſcire debebat Gorallus ille τρισμέγιστος, qui hiſtoriae eccleſiaſticae ſe non peritum modo, ſed ex ejus ſtudio magnum ſibi nomen parare conatus eſt. lepidum vero, quod hic Martialis *Epiſtolam* ad teſtimonium citet, qui *Epigrammata* ſcripſit: ſed hoc librariis adſcribi poſſet, quos ſimiliter errare, & in his ipſis ad Ovidium notis deprehendi. ſed quod pro 13. epigrammate, 85. laudet in fraudem eum, credo, induxit caecus aliquis dux, cujus ſcrinia compilavit: nam & Epigramma 85. de eodem eſt argumento, ſed diverſo metro effuſum. BURMANNUS.

193. *Quid ego jam credulus, inquit.*] Lege cum vetuſtis libris, *Quid ego autem credulus.* alii, *quid ego aut*, mendoſe, ſed proxime verum. ut falſi ſint illi, qui poſteriorem, in *ego*, etiam Auguſti aevo produci ſolere contendebant ex hoc loco, & altero Naſonis Epiſt. XIII. ℣s. 135. de quo illic. HEINSIUS.

394. *In nullos irrita vota Deos.*] Qui nulli ſunt, vel, quaſi nulli ſint, ita neminem audiunt. Ovid. III. Amor. 9. *Sollicitor nullos eſſe putare Deos.*

Votis

Omnibus îdem oculi; par eſt concordia flendi.
Funeris exſequiis adſumus omnis Eques.
Omnis adeſt aetas. moerent juvenesque ſenesque;
Auſoniae matres, Auſoniaeque nurus.
Auctorisque ſui praefertur imagine moeſtâ,
Quae victrix templis debita laurus erat.
Certat onus lecti generoſa ſubire juventus:
Et ſtudet officio ſedula colla dare.
Et voce & lacrimis laudaſti, Caeſar, alumnum;
Triſtia cum medius rumperet orſa dolor.
Tu letum optaſti, Dis averſantibus omen,
Par tibi: ſi ſinerent te tua fata mori.
Sed tibi debetur coelum: te, fulmine pollens,
Accipiet cupidi regia magna Jovis.

Quod

Votis ratis *irrita* opponuntur. Idem IV. Faſt. 642.

Irrita decepti vota colentis erant. BERSMAN.

198. *Duravitque animum.*] Id eſt, obfirmavit. ſic Paulus J. C. leg. XVIII. de Quaeſtion. *Repeti in quaeſtionem poteſt, maxime ſi in tormenta animum corpusque duraverit.* Quintilian. Declamat. CCLXXIX. *Non omnium animos maritorum durare ad ſanguinem. eſſe quosdam mitiores, qui conſpicere quidem cruorem ſufficerent.* Et alibi paſſim hoc verbum ita uſurpatum reperitur. LINDENBRUCH. vid. ad Quinct. Decl. VI. 3.

202. *Exſequiis adſumus omnis Eques.*] Hic ſtupore incredibili ſe ipſe ſuperat Clericus, ita commentans: *Non quivis Equites lectum ejus ſubierunt, ſed ii tantum, quibus equeſtrem cenſum eſſe plane conſtabat.* Quis fando audivit Equites fuiſſe aliquos, quibus cenſus equeſter non eſſet? ſed non intellexit magiſter Logicus Dionem, quo fruſtra quis utitur Graece linguae imperitus, & rudis Romanae reipubl. ſi diſcrimen noviſſet inter ipſos Equites, quorum aliqui modo Splendidi & Anguſticlavii, alii Illuſtres & Laticlavii erant, facile ſenſum Dionis percepiſſet, & ibi agi de Equitibus Senatorio loco natis, & qui Senatorium cenſum poſſidebant, qui erant ſeminarium ſenatus. videre poterit, quae Lipſius ad Tacit. IX. 1. Ann. 4. & Ryck. ad lib. II. 59. obſervarunt. deinde incongruus hic eſt locus ille Dionis, qui de illis Equitibus agit, qui lectum ſubiere, & de quo mox Noſter *vs.* 207. loquetur. hic vero de pompa funebri. unde eleganter dicit, *omnis Eques*, id eſt univerſus ordo Equeſtris, non modo Illuſtres. ridicula ergo & ſupervacua ſit haec nota, quae *generoſam juventutem* melius illuſtraret. *juventus* enim proprie de equitibus dicebatur. ſed:

Talis iſte meus ſtupor, nil videt, nihil audit. BURMANNUS.

202. *Omnis Eques.*] Monachi manum non olere hanc locutionem probavimus ad Petron. cap. CVII. ſic *Deus omnis* Ovid. IV. Faſt. 270. & IX. Metam. 425. ubi plura Heinſius. Valer. Flac. I. 706.

Viſu laſſatur inani
Omnis eques.

Lib. II. 202.

Pariterque exhorruit omnis
Mater.

In Mediceo erat, *adſtitit.* male. nam locutio elegans; & ſimilis illi Horatii Epod. XV. *Eamus omnis civitas.* Stat. III. Silv. 185.

——— *Huc omnis turba coïmus.*

Noſter VII. Met. 765. *Vicina juventus Venimus.* vid. ad Ovid. V. Met. 343. BURMANNUS.

207. *Certat onus luctu.*] Imo *lecti* cum uno veteri libro & Naugerio. apud Perſ. Satyra III.

Tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſisque luctatus amomis
In portam rigidos calces extendit: at illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

Recte autem Noſter, *juventus generoſa*; cum credibile ſit huic funebri officio nobiliſſimum quemque fuiſſe delectum. is enim honos viris principibus habitus. ſic de Scipione Africano Valer. Max. lib. IV. cap. I. HEINSIUS. ſimili locutione utitur Curtius lib. VII. cap. 6. *Caſtris inde motis lectica militari ferebatur, quam pro ſe quisque eques pedeſque ſubire certabant.* BURMANNUS.

210. *Ora dolor.*] Ita duo MSS. alii totidem & prima editio, *oſſa*; ut Epiſt. XIV. 18.

Et ſubitus dextrae praepedit oſſa tremor.

Sed recte *orſa* alii. Stat. lib. V. Sylv. V. 27.

Orſa dolor prohibet atque ira tacendi
Impatiens. HEINSIUS.

211. *Tu letum optaſti, Dis adverſantibus, omen, Par tibi.*] Legendum & diſtinguendum aliquando videbatur hoc modo:

Quod petiit, tulit ille; tibi ut ſua facta placerent:
Magnaque laudatus praemia mortis habet.
Armataeque rogum celebrant de more cohortes:
Et pedes exſequias reddit equesque duci.
Te clamore vocant iterumque iterumque ſupremo.
At vox adverſis collibus icta redit.
Ipſe pater flavis Tiberinus inhorruit undis:
Suſtulit & medio nubilus amne caput.
Tum ſalice implexum, muſcoque & arundine, crinem
Caeruleo magnâ legit ab ore manu:
Uberibusque oculis lacrimarum flumina miſit.
Vix capit adjectas alveus altus aquas.
Jamque rogi flammas extinguere fluminis ictu,
Corpus & intactum tollere, certus erat.

Suſten-

Tu lethum optaſti, Dîs averſantibus omen
Par ſibi, ſi ſinerent te tua fata mori.

Agit hoc loco, ut paſſim, poëta de Auguſto, tanquam de Deo. Optaſti, inquit, mori, jure Dîs omen averſantibus, quod & ipſis par foret ac conveniret morituris, ſi fata te mori ſinerent. Vulgata tamen ſcriptura defendi poteſt. HEINSIUS.

215. *Quid petiit? vult ille tibi ut.*] *Quod petiit* libri veteres. Corrigendum itaque:

Quod petiit, tulit ille, tibi ut ſua facta placerent.

Et ſic cum Naugerio codex unus antiquus. *Quod petii, tulit ille* Lipſius Epiſtolicis Quaeſtionibus lib. III. Epiſt. 3. minus bene. IDEM. Forte, *tibi ut ſua facta probaret.* memoria lapſus vir ſummus in Lipſii correctione; ille enim III. Epiſt. Q. 3. *quod petiit* habet.

217. *Armatae cohortes.*] Milites, qui ſub Druſo meruiſſent, hic forte adfuiſſe ſuſpicatur Gorallus, immemor, illos in Germania manſiſſe, ubi honorarium tumulum ei erexerunt; vid. ſupr. ℣s. 171. ſed Tiberius cum paucis comitibus corpus in Urbem duxit, ubi exſequiae militares ab Urbanis & Praetorianis militibus fuere celebratae. BURMANNUS.

218. *Aſt pedes.*] Scribe, *ac pedes.* PITHOEUS. Libri veteres, *Aſt*, praeter Combianum. in quo, *at.* HEINSIUS.

221. *Adhorruit undis.*] Tres libri, *abhorruit*, unus, *inhorruit*, quod Naugerio arridebat. IDEM. recte hoc receptum. ſubitam enim mentis conſternationem indicat, quam ut homines motu trepido corporis produnt, ita Poëtae fingunt Fluviorum urnas, comas, capita, & undas tremiſcere, ubi indicia luctus edere volunt. Claud. II. in Eutr. 173.

Et aurata Pactolus inhorruit urna.

Ille porro tremor pro re & cauſa major & minor fingi poteſt, unde & ſuavem concuſſionem hoc verbo notari docet Barth. ad Stat. I Theb. 309. contra, tempeſtate *inhorreſcit* mare, & aether &c. vide ad Petronii cap. CXIV. Poëtice ergo & eleganter hic fingitur Thybris concuſſiſſe undas, deinde lacrimis ita auxiſſe aquas, ut campum Martium videretur inundare velle, niſi a Marte repreſſus fuiſſet. vide & Sil. IV. 640. & ſeqq. BURM.

222. *Suſtulit è medio.*] *Et medio* priſcae editiones, cum Naugerio. *Et tulit è medio* Combianus. lege, *Extulit & medio.* Faſt. II. 149.

Quintus ab aequoreis nitidum jubar extulit undis.

Virgil. I. Aeneïd. 127.

Summa placidum caput extulit unda.

Lib. III. 215.

Nec ſaevior ulla
Peſtis, & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis.

Et IV. Georg. 352.

Summa flavum caput extulit unda.

Vide ad Claud. II. in Eutrop. v. 165. HEINS.

224. *Caerulcum magna legit ab ore manu.*] Fortaſſe legendum, *Caeruleo magna legit ab ore manu.* aut etiam, *Caerulea magno legit ab ore manu.* Nam pleraeque editiones poſt *Crinem*, diſtinctionem habent. MICYLLUS. Scribe, *Caeruleo magna legit ab ore manu.* LINDENBRUCH. *Caeruleo* margo Gryphiana. ſimiliter peccatum erat I. Met. 333. Lego vero:

Caeruleo magna tergit ab ore manu.

Sic Epiſtola XXI. 166.

Spiſſaque de nitidis tergit amoma comis. HEINS.

Recte, *magna manu.* ut omnibus Diis & Heroibus adſcribunt Poëtae ingentia corpora & membra. ita XIV. Met. 8.

Inde manu magna Tyrrhena per aequora lapſus.

Virgil. V. Aeneïd. 241.

Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit.

Et 487.

Ingentique manu malum de nave Sereſti
Erigit.

Stat.

Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum,
Ut posset toto proluere amne rogum.
Sed Mavors templo vicinus, & accola Campi,
Tot dixit siccis verba nec ipse genis.
Quamquam amnes decet ira; tamen, Tiberine, quiescas:
Non tibi; non ullis vincere fata datur.
Iste meus periit: periit arma inter & enses:
Et dux pro patriâ. funere caussa latet.
Quod potui tribuisse, dedi: victoria parta est.
Auctor abît operis, sed tamen exstat opus.
Quondam ego tentavi Clothoque, duasque sorores,
Pollice quae certo pensa severa trahunt,
Ut Remus Iliades, & frater conditor Urbis
Effugerent aliquâ stagna profunda viâ.

De

Stat. VI. Theb. 701.

Ille manu magna & multum felicior exit.

Sic Jupiter *magna manu* fulmina jacere dicitur. Silius VII. Vs. 371.

Et magna fulmina dextra
Torserit omnipotens.

Horat. III. Od. 3.

Nec Fulminantis magna manus Jovis.

Vid. I. Met. 268. & 595. & v. 616. Val. Fl. I. 658. Ita *magna cervix* Stat. III. Silv. III. 188. ubi vid. Barth. *magni Gradus*, idem ad Stat. X. 640. BURMANNUS.

226. *Alveus altus.*] Conjecerat olim Heinsius; *artus.* mallem ego, *amplus*; licet sit ampliſſimus, vix tamen capit adjectas aquas. & hic Ovidii quis manum deprehenderet, qui lib. I. Met. 343.

Plenos capit alveus amnes. ubi vide. BURM.

227. *Fluminis ictu.*] *Auctu* Rutgerſ. VI. Var. cap. 19. Ego nihil tentem temere. quamquam poteram, *actu.* HEINSIUS. Francius volebat, *fluminis unda.*

229. *Cursusque inhibebat equorum.*] Quid cum equis Tiberino? Unus vetus, *aquarum*, quod ex suis arripuit Naugerius; sed hoc jam praeceſſit. locus mendo inquinatus. forte, *cursusque inhibebat in aequor*, vel, *ad aequor.* Ovid. Remed. 257.

Ut solet, aequoreas ibit Tiberinus in undas.

HEINSIUS. *Equos*, hic Micyllum impudenter compilans, tuetur Gorallus, sed nulla auctoritate; ego Heinsii conjecturam probo, ut ab ultima syllaba τοῦ *inhibebat* absorptum sit *ad*, & cum restaret *aequor*, inde *equorum* fecerit librarius. sic Ovid. II. Fast. 68.

Qua petit aequoreas advena Thybris aquas.

Conjecerat & Heinsius, *sustentabat atrox, cursumque inhibebat aquarum. atrocem* dixit, cui mox *iram* tribuit. BURMANNUS.

234. *Non tibi; non ullis.*] *Nullis* veteres libri. forte, *aliis*, vel, *ulli.* HEINSIUS.

235. *Periitque arma inter & enses.*] *Periit arma inter* bene veteres: producitur enim ultima syllaba, ut jam alibi non semel monuimus. Juvenal. Sat. X. 10.

Viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.

Mox 118.

Eloquio sed uterque perit orator. HEINSIUS.

236. *Et dux pro patria. funere caussa latet.*] Cur illum Dii, seu fata tam cito sustulerint, in obscuro est. Videtur autem *funere*, dictum esse pro *funeri*, vel *funeris*, κατ' ἀντίπτωσιν. MYCILLUS.

Et lux proh! patriae funere clausa latet. SCALIGER.

Haec corrupta sunt haud dubie. Scaliger:

Et lux proh! patriae funere clausa latet.

veteres omnes, *funera.* unus etiam, *patriae.* cogitabam aliquando:

Et lux proh! patriae lumine cassa latet,

vel *jacet.* Notum illud Maronis, *nunc cassum lumine lugent*; sed hoc agit hic Mavors, ut Drusum sibi vindicet, quare aliud quid exsculpendum. HEINSIUS. Ampliſſimus Cuperus IV. Observ. III.

Et dux pro patria: funere caussa patet.

Ut ex triumphali funere, quale decretum Druso, patuerit caussa, quod periisset pro patria, & quidem dux. Impudentissime vero, nulla viri Ampliſſimi mentione facta, hanc emendationem sibi vindicavit Gorallus. Ego vero, recepta ea lectione, mallem legere:

Periit arma inter & enses,
Ut dux pro patria: funere caussa patet.

Licet in bello non occubuerit, sed morbo, periit tamen, ut dux, inter arma pro patria, & eodem honore adficitur, quo dux aliquis mortem pro patria in proelio oppetens. BURMANNUS.

240. *Pensa severa trahunt.*] *Trahere pensa* eleganter. Martialis in Xeniis, Epig. 57.

Improba cum morsu fila manuque trahes.

De tribus una mihi, Partem accipe, quae datur, inquit,
Muneris: ex iſtis, quod petis, alter erit.
Hic tibi; mox Veneri Caeſar promiſſus uterque.
Hos debet ſolos Martia Roma Deos.
Sic cecinere Deae: nec tu, Tiberine, repugna,
Irrite; nec flammas amne morare tuo.
Nec juvenis poſiti ſupremos deſtrue honores.
Vade age, & admiſſis labere pronus aquis.
Paret: & in longum ſpatioſas explicat undas;
Structaque pendenti pumice tecta ſubit.
Flamma diu cunctata caput contingere ſanctum,
Erravit poſito lenta ſub usque toro.
Tandem ubi complexa eſt ſilvas, alimentaque ſumſit,
Aethera ſubjectis lambit & aſtra comis.
Qualis in Herculeae colluxit collibus Oetae,
Cum ſunt impoſito membra cremata Deo.
Uritur heu decor ille viri, generoſaque forma,
Et faciles vultus; uritur ille vigor!
Victricesque manus, facundaque principis ora,
Pectoraque, ingenii magna capaxque domus!

Spes

Hinc *Tracta* Gloſſarium. Tracta ἑλκύσματα, μηρύματα. Varro, *Lanea tracta miniſtraſſet infectori.* contrarium huic *Retractare.* Apulej. Mil. xi. *Qui fatorum etiam inextricabiliter retractas licia.* Lindenbruch. Sappho Epiſt. v. 82.

Et data ſunt vitae fila ſevera meae.

Perperam igitur vetuſtae editiones, in quibus,

Impia quae certo pollice penſa trahunt.

Niſi *Invida penſa* reponis. Heinsius. vid. ad Ep. xix. 49.

248. *Irrita.*] Legendum, *irrite*, ut ex ſuis jam notavit Naugerius. Heinsius.

250. *Admiſſis.*] *Immiſſis* veteres omnes. nec damno, atque ita ex ſuis Naugerius. vid. ad. i. Amor. viii. 50. Idem.

252. *Structaque pendenti.*] Ita paſſim Poëtas loqui de antris docuit egregie Broukhuſius ad Propertii lib. iii. Eleg. 2. cujus opes hic Cacus ille nefarius ſuffuratur, & expudorata fronte Valeſii errorem refutat, quod vir eruditiſſimus jam praeſtiterat. ſic ſolent tenebriones, quos vivos exhorruerunt, & metu, ne dignis modis exciperentur, ſi vel hiſcere auſi fuiſſent, etiam adulati fuerunt, in eorum umbras degeneri animo graſſantur. vide & ad lib. iii. Amor. i. 3. *Strictaque* Edit. veteres. Burmannus.

254. *Lenta ſub uſque toro.*] Veteres, *ſibi uſque.* Lege, *ſubitque* cum Lipſio Epiſtolicis Quaeſtionibus:

Flamma diu cunctata caput contingere ſanctum
Erravit, poſito lenta ſubitque toro.

Niſi malis, *lenta ſubiſſe.* ſic *lentus ſedere* Tibullo libro i. Eleg. x. quod perperam mutant. Heins. Non video cur Scaligeri, *lenta ſibi uſque*, aut Lipſii, *lenta ſubitque*, praeferam. ſignificat certe Τὸ *uſque* continuum alicujus temporis aut morae. Plaut. Pſeudolo Act. i. Sc. 5. *Sed te volo domi uſque adeſſe.* Terent. Adelph. Act. ii. Sc. 2. *cui hodie, uſque os praebui.* Virgil. Eclog. ix. 64.

Licet uſque, minus via laedet, eamus.

Flamma igitur dum diu metuit attingere ſanctum corpus, ſub poſito toro uſque lenta erravit, lente ambedit & corripuit circumjecta ligna, non recta emicuit in ſummum, ubi corpus erat. Gronovius. lib. iii. Obſerv. cap. 19. ita & *uſque* debet capi infr. ℣s. 354. *ſubitque* Pithoei & aliae edit.

256. *Aethera ſubjectis lambit & aſtra comis.*] Cave quicquam immutes hoc loco. ſic & de arbore in altum erecta apud Maronem habes Ecloga x. *Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.* &, quod magis ad rem facit, Georgicôn quarto idem 385.

Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.

Idem Aeneïdos ii. 36.

Aut pelago Danaum inſidias ſuſpectaque dona,
Praecipitare jubet, ſubjectisque urere flammis.

Certe Diomedes Grammaticus obſervat *ſub* propoſitionem modo ſupra denotare, ut in illo Maronis,

Spes quoque multorum flammis uruntur in îsdem.
Iſte rogus miſerae viſcera matris habet.
Facta ducis vivent, operoſaque gloria rerum.
Haec manet: haec avidos effugit una rogos.
Pars erit hiſtoriae, totoque legetur in aevo:
Seque opus ingeniis carminibusque dabit.
Stabis & in roſtris tituli ſpecioſus honore;
Cauſſaque dicemur nos tibi, Druſe, necis.
At tibi jus veniae ſupereſt, Germania, nullum.
Poſtmodo tu poenas, barbare, morte dabis.
Adſpiciam Regum liventia colla catenis;
Duraque per ſaevas vincula nexa manus:
Et tandem trepidos vultus: inque illa ferocum
Invitis lacrimas decidere ora genis.
Spiritus ille minax, & Druſi morte ſuperbus,
Carnifici in moeſto carcere dandus erit.
Conſiſtam, laetisque oculis, lentusque videbo
Strata per obſcaenas corpora nuda vias.
Hunc Aurora diem, ſpectacula tanta ferentem,
Quam primum croceis roſcida portet equis.

Ad-

nis, *corpora ſaltu ſubjiciunt in equos*, modo infra, ut, *caudamque remulcens ſubjecit pavitantem utero.* Vide annotata noſtra ad Maronem Georg. III. ỳs. 241. Propertius libro III. El. VII. *Tu minitare oculos ſubjecta exurere flamma. ſubjectus ignis* in Catilinariis Ciceronis. HEINS. ſed diverſa ſunt *ignis ſubjectus*, ſcilicet ſub lebete, vel alio, quod imponitur igni, *& ſubjecta flammae coma*, quae ad aſtra tollitur, quae eſt in altum erecta. Quae Gorallus habet, omnia debet Lexicographis. vid. Gronov. ad Liv. VI. 24. Gifan. Ind. Lucret. in *ſubjectare*. ita & *ſubmittere* poni docuit Creech. ad Lucret. I. 8. vid. ad Petron. 126. BURMANNUS.

260. *Et facilis vultus.*] *Faciles* vetuſtae editiones. HEINSIUS. Scaligeri, Aldi & Pithoei editiones & aliae, *facilis*. recte ut puto, ſi legatur:

Et facilis vultus uritur ille rigor.

Ut ſenſus ſit, vultu quidem rigorem quemdam, ut bellatorem decebat, praetuliſſe Druſum, ſed non trucem & ſaevi animi indicem, ſed facilitate & benignitate temperatum. Sic Epiſt. IV. 77.

Te tuus iſte rigor poſitique ſine arte capilli,
Et levis egregio pulvis in ore decet.

Stat. VI. Theb. 837.

Sed non ille rigor patriumque in corpore robur.

Talem Domitiano tribuit adulator Statius. I. Silv. I. 15.

Juvat ora tueri
Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.

Et Stiliconi Claudianus Bell. Getico 375.

Frons laeta parum, non triſtior aequo,
Non dejecta malis, mixtâ ſed nobilis irâ.

Et quis non Poëtarum. vid. ad Vell. Paterc. II. 98. ubi etiam *vigor & rigor* permutantur. Francius conjecerat, *& graciles vultus*. BURMANNUS.

272. *Barbare.*] Mallem, *barbara morte dabis*, HEINSIUS. certe *barbara* requirit praecedens *Germania*.

274. *Per ſaevas.*] Francius conjiciebat, *per ſervas*. ſed *ſaevas* manus vinciri majoris laudis erat; & hoc exigunt reliqua, *barbara*, & *tandem trepidos vultus*, & *ferocum* &c.

275. *Trepidos.*] *Intrepidos* codex Berſmanni.

279. *Laetiſque oculis laetuſque videb°.*] Ne bis idem dicat, videtur ſcribendum:

—— *Lentiſque oculis laetiſque videbo.*

Sueton. Calig. 36. *Quas plerasque cum maritis ad coenam vocatas, praeterque pedes ſuos tranſeuntes, diligenter ac lente mercantium more conſiderabat.* Sic *lentum riſum* dixit Horatius libro II. Od. XVI. eleganter:

Laetus in praeſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare: & amara lento
Temperet riſu.

Ita codices plerique. perperam *laetum riſum* Muretus repoſuit, cum *Laetus* paulo ante praeceſſerit. HEINS. vid. ad Epiſt. XVIII. 81. & Eleg. in Druſ. 564.

282. *Roſcida*

Adjice Ledaeos, concordia ſidera, fratres;
Templaque Romano conſpicienda foro.
Quam parvo numeros implevit principis aevo,
In patriam meritis occubuitque ſenex!
Nec ſua conſpiciet (miſerum me!) munera Druſus,
Nec ſua pro templi nomina fronte leget.
Saepe Nero, illacrimans, ſubmiſſâ voce loquetur,
Cur adeo fratres, heu ſine fratre, Deos?
Certus eras numquam, niſi victor, Druſe, reverti.
Haec te debuerant tempora: victor eras.
Conſule nos, duce nos, duce jam victore, caremus:
Invenit en totâ moeror in urbe locum.
At comitum ſqualent immiſſis ora capillis,
Infelix, Druſo ſed pia turba ſuo.
Quorum aliquis, tendens in te ſua brachia, dixit,
Cur ſine me, cur ſic incomitatus abis?
Quid referam de te, digniſſimâ conjuge Druſo,
Atque eadem Druſi digna parente nurus?

Par

282. *Roſcida.*] *Roſida* Venetae, Pithoei, & Scaligeri & aliae editiones. & duo Berſmanni libri.

288. *Prae templi.*] *Pro templi* unus ex noſtris. quod Naugerio placebat. Noſter Pont. II. 9.

Victima pro templo cur cadat icta Jovis?

Apulej. Met. IV. *Saxo grandi pro pedibus arrepto.* A. Gell. II. cap. II. De Tauro Philoſopho. *ſedebat pro foribus cubiculi ſui.* Plura idem Gellius lib. XI. cap. III. idem libro XIII. cap. VIII. *Quae Macedo Philoſophus ſcribi debere cenſebat pro foribus omnium.* HEINSIUS.

289. *Nero in lacrimas.*] *Illacrymans* cum eodem Naugerio ex veteri libro. IDEM.

290. *Cur adeo fratres, heu ſine fratre, Deos.*] Ego lego:

Cur adeo, frater, heu ſine fratre tuo es?

Sic infra 298.

Cur ſine me, cur ſic incomitatus abis? SCALIGER. Sed vulgata lectio optime habet. *adire Deos* uſitatus loquendi modus, & apud Graecos προσίενναι πρὸς τοὺς θεούς. hinc lib. III. Amor. Eleg. VI. Naſo:

A tenerâ ſurgit ſic quiſquam mane puella,
Protinus ut ſanctos poſſit adire deos.

Propertius libro II. Eleg. ult.

Solum te noſtros lictor adire Deos.

Et libro III. Eleg. XXIII.

Cogor & undiſonos cum prece adire Deos.

Tibullus lib. I. Eleg. II.

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum?

Caeſar lib. II. Bell. Civ. 5. *Omnes aut ex muro ad coelum manus tenderent, aut templa Deorum immortalium adirent.* Accius in Atreo. *Quoi me oſtendam, quod templum adeam.* Maro Aeneïd. IV. 56.

Principio delubra adeunt.

Auctor Queroli loco mendoſo:

Deus facilius aditur, quam prole cognitus.

In obſcoeno carmine ſimiliter Ep. XIII. Lex XII. tabb. apud Ciceronem lib. II. de Legibus. AD DIVOS ADEUNTO CASTE. Fratres autem Dei, Caſtores dicebantur, aut fratres κατ' ἐξοχήν. quomodo eoſdem τὼ θεὼ Graeci, Lacones τὼ σιὼ dixerunt. Naſo Pont. II. El. II.

Fratribus aſſimilis, quos proxima templa tenentes
Divus ab excelſa Julius aede videt.

Libro I. Faſtorum 707.

Fratribus illa Deis fratres de gente deorum
Circa Iuturnae compoſuere lacus.

Suetonius Caligula: 22. *Aede Caſtoris & Pollucis in veſtibulum transfigurata conſiſtens, ſaepe inter fratres Deos medium adorandum ſe adeuntibus exhibebat.* Quare & gratificaturi Tiberio poſtmodum, affectum ejus erga Druſum cum adfectu Caſtorum componebant. Valerius Maximus lib. V. cap. V. poſtquam Tiberii pietatem in Druſum multis commendarat: *His ſcio equidem nullum aliud, quam Caſtoris & Pollucis ſpecimen conſanguineae caritatis convenienter adjici poſſe.* HEINSIUS.

294. *Invenit in totâ.*] Ita quidem vulgo legitur. Puto autem legendum eſſe:

Invenit hic tota moeror in urbe locum.

Eſt autem translatio, quaſi dicat: neque hic moeror ad tuos tantum pertinet, ſed & ad omnes, qui in tota urbe ſunt, pervenit. MICYLLUS. *Invenit* & Mediceus. reliqui omnes, *Invenit in tota.* Puto,

In-

Par bene compoſitum; juvenum fortiſſimus alter,
Altera tam forti mutua cura viro.
Femina tu princeps; tu filia Caeſaris: illi
Nec minor es magni conjuge viſa Jovis.
Tu conceſſus amor, tu ſolus & ultimus illi,
Tu requies feſſo grata laboris eras.
Te moriens, per verba noviſſima, queſtus abeſſe:
Et mota in nomen frigida lingua tuum.
Infelix recipis, non quem promiſerat ipſe:
Nec qui miſſus erat: nec tuus ille redit.
Nec tibi deletos poterit narrare Syganbros,
Enſibus & Suevos terga dediſſe ſuis.
Fluminaque, & montes, & nomina magna locorum:
Et ſi quid miri vidit in orbe novo.
Frigidus ille tibi, corpusque refertur inane:
Quemque premat ſine te, ſternitur ecce torus.
Quo raperis, laniata comas, ſimilique furenti?
Quo ruis? attonitâ quid petis ora manu?

Hoc

Invenit en tota. Heinsius. *Invenit tota* Douza. Berſmannus notat alios legere, *invenis in tota maeror in urbe.* & Scaliger edidit, *invenit &*, ut & alii.

295. *At comitum*] Hoc diſtichon frigidum & alieno loco poſitum cenſet frigidiſſimus & aliena ſemper loquens Clericus. & legi debuiſſe ſupra, ubi de funere & exſequiis Druſi agitur. at bonus ille vir non intellexit *comites* illos, & putavit ita vocari, qui funus ſequebantur. ô argutum caput! comites Magiſtratibus & ducibus in bellum proficiſcentibus fuiſſe ignorat ille, cui nihil latet; ſed quod ne pueri quidem hodie neſciunt. & ut manifeſtius probet inſcitiam, mox ad vocem *aliquis* adnotat haec, *forte, Livia mater, aut uxor Antonia.* cur non ex Plauto & caſcis illis Poëtis probavit, *aliquis* etiam de *feminis* dici? quia ſcilicet ignorabat, nec in Stephani Theſauro id notatum legerat. At tu, lector, intellige cohortem illam amicorum & comitum, qui in Germania Druſo aderant, & quorum nunc aliquis, Tiberio corpus Romam avehente, clamabat:

Cur ſine me, cur ſic incomitatus abis? Burm.

301. *Par bene compoſitum.*] Hic vero calumniam Goralli & in Poëtas maledicum calamum ſilentio praeterire non poſſumus; qui Pedonem, verſus *neceſſitate veluti fluctu alio delatum*, arguit, quod non, ut Druſum fortiſſimum, ſic Antoniam caſtiſſimam fuiſſe dicat. quaſi vero ex ineptiſſimi Dialectici dictatis Poëtae deberent carmina ſua componere, & cum inſanientibus furere. quae enim haec eſſet ratiocinatio? ut tu fortis, ita illa caſta, & ita par bene compoſitum eratis? immo vero, ut tu fortis, neque molli & muliebri animo, ita illa non humilis animi, quae viri pectus frangeret, ſed virilis indolis femina, quae requies erat feſſo laboris, quam queſtus fuit ſibi abeſſe in ultimis verſanti, quae potuiſſet levare alloquio & adhortationibus ſuis: comparat vero Antoniam non Junoni; ſed Liviae; nam per Jovem Auguſtum, & Junonem Liviam intelligit, quod Gorallus, alios duces ſecutus, non vidit. Quanti vero animi Livia fuerit, cujus conſiliis Auguſtus ſemper uſus fuit, nemini niſi Gorallo, latere poteſt. nihil ergo hoc in loco incongruum & ineptum, niſi ſola Goralli nota. Burm.

302. *Altera jam forti.*] Lege, *tam forti.* Heins.

304. *Nec minor es magni conjuge juſſa Jovis.*] Puto legendum:

Nec minor es magni conjuge viſa Jovis?

Quaſi dicat eodem honore & loco habenda tu illi, id eſt marito, viſa tuo es, quo eſt Juno apud Jovem. Micyllus. Lego:

Nec minor & magni conjuge viſa Jovis. Scaliger. Diſtingue cum priſcis libris:

—— *Tu filia Caeſaris: Illi*
Nec minor es magni conjuge viſa Jovis. Heins.

305. *Tu conceſſus.*] Forte, *confeſſus amor* legendum, id eſt legitimus, ut Prop. IV. III. 49. *apertus conjux* & *Juno confeſſus amor*, dicitur Petron. cap. 127. vide quae ad II. Art. 556. notamus ſed & vulgata recte poteſt explicari. vide ad eumdem Petron. cap. XCI. Burmannus.

308. *Mota in nomen.*] *Ad nomen* volebat Francius.

314. *Et ſi quid.*] *Et quidquid* conjiciebat Francius.

Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axem
Terruit admiſſos ſanguinolentus equos.
Hoc fuit Evadne, tunc cum ferienda coruſcis
Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.
Quid mortem tibi moeſta rogas? amplexaque natos,
Pignora de Druſo ſola relicta tenes?
Et modo per ſomnos agitaris imagine falſa,
Teque tuo Druſum credis habere ſinu?
Et ſubito tentasque manu, ſperasque receptum;
Quaeris & in vacui parte priore tori?
Ille pio (ſi non temere haec creduntur) in arvo,
Inter honoratos excipietur avos.
Magnaque maternis majoribus, aequa paternis
Gloria, quadrijugis aureus ibit equis:
Regalique habitu, curruque ſuperbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Acci-

319. *Ad axem.*] *Ad axes* editiones priores.

321. *Ferienda.*] *Furibunda* prima editio. Puto, *feriunda.* ſic *potiunda*, & ſimilia apud Ovidium. HEINSIUS.

325. *Agitaris.*] *Mente agitas* reddit ſomnolentus interpres. cum ponatur hoc verbum de iis, qui curis, ſpectris, & etiam furiis inquietantur. Virgil. III. 331.

Scelerum furiis agitatus Oreſtes.

vid. lib. VI. Met. 595. Et ita paſſim. Nec ignorat, niſi plane ἄμουσος. BURMANNUS.

330. *Honoratos.*] Imitatus hoc ex ultima elegia Propertii IV. XI. 102.

Cujus honoratis oſſa fruantur avis.

Ita enim ſcribendum; nam de *equis* nugae, & quidam codices habent, *aquis*; proxime ad verum. ſic ſup. 162. *Ad veteres conditus ibis avos.* ita *Honoratus Praetor.* I. Faſt. & IV. Pont. V. Pompejum conſulem *honoratum virum* vocat Auſon. praefat. in Idyll. XXXI. *Honoratiſſimus Conſul.* Vellej. Paterc. cap. I. XI. de Metello. *Omnes filios adultae aetatis vidit, omnes reliquit ſuperſtites & honoratiſſimos.* HEINSIUS.

338. *Quod ſolum.*] Scribe, *ſolus* cum veteri libro: Primo enim Druſo inter Romanos Germanici nomen eſt delatum. IDEM. Dubito an non ſit melius, *ſolum*, ſi cum Micyllo explicetur, quod nil niſi nomen retulerit, impeditus morte, ne triumphum & cetera inſignia referret.

339. *Tot annos.*] *Tot* pro tam paucis vix alibi reperiri notat Gorallus, lexicorum ſuorum opibus deſtitutus, ſed de tribus etiam dixit Ovidius IV. Met. 418.

De totque ſororibus expers
Una doloris erat.

& II. Am. XII. 3.

Quam vir, quam cuſtos, quam janua firma, tot hoſtes &c.

Et Seneca Thyeſtes 523.

Vos quoque ſenum praeſidia tot juvenes meo
Pendete collo.

ubi videndus longe melior Gorallo Poëtarum interpres Gronovius. immo de duobus Calpurn. Flac. Decl. XXVIII. *Per tot innocentium capita.* BURM.

340. *Locum.*] *Locum* hic pro tempore ſumi, Micyllum compilans notat Gorallus. ſed, ut imparatus eſt ab omni Latini ſermonis copia, nullo idoneo veteris teſtimonio firmat. ſubveniamus plagiario & monſtremus miſero theſauros, quos diligentia ſummi Gronovii ad Livii lib. XXXVI. 7. aperuit. ſic & Terent. Eun. Act. I. Sc. 2. *Te interea loci cognovi.* & Act. II. 2. *Dum haec loquimur, interea loci ad macellum advenimus.* & ita ſaepe Plautus. an tamen *latus locus* de tempore poſſit capi, non immerito dubito. & forte rectius haec verba ad amplum locum inter honoratos avos referantur, quae eſt prima Micylli interpretatio. poſſet tamen non inconcinne legi, *magna viri latum quaerere facta modum.* ut *modus latus* temporis, ſit longum ſpatium, non artis finibus circumſcriptum. ita Statius VII. Theb. 297.

Pater eſt, natusque, ſed aevi
Confudere modos.

Ubi Lutatius *ſpatia* interpretatur. Livius lib. IV. 24. *Maximam libertatis cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponatur, quibus juris imponi non poſſet. modus* vero & *locus* ſaepe a librariis permutari videbis ad Ovid. I. Met. 628. VI. Faſt. 118. *quaerere* vero hic eſt deſiderare, requirere. Salluſt. Jug. 98. *collis, qui magna parte*

Accipient juvenem Germanica ſigna ferentem
Conſulis imperio conſpicuumque decus.
Gaudebuntque ſuae merito cognomine gentis;
Quod ſolum domito victor ab hoſte tulit.
Vix credent tantum rerum cepiſſe tot annos.
Magna viri latum quaerere facta locum.
Haec ipſum ſublime ferent: haec, optima mater,
Debuerant luctus attenuare tuos.
Femina digna illis, quos aurea condidit aetas,
Principibus natis, principe digna viro.
Quid deceat Druſi matrem, matremque Neronis,
Adſpice. quo ſurgas, adſpice, mane toro.
Non eadem vulgusque decent, & lumina rerum.
Eſt quod praecipuum debeat iſta domus.
Impoſuit te alto Fortuna, locumque tueri
Juſſit honoratum, Livia: perfer onus.

Ad

parte editus & praeceps, pauca munimenta quaerebat. ita ſine dubio legendum. Cicer. I. in Verr. 10. *Nego eſſe quidquam dictum à teſtibus, quod aut veſtrum cuipiam eſſet obſcurum, aut cujusquam oratoris eloquentiam quaereret.* Tertull. de Iejun. cap. XII. *Veſtrum eſt, in carceribus popinas Martyribus exhibere incertis, ne conſuetudinem quaerant.* ſimilis illa locutio lib. II. Met. 239. *Quaerit Baeotia Dircen.* ut quidam ibi legunt. ubi vide. credent ergo avi facta magna longam etiam vitam requirere, latum vivendi ſpatium. ut idem dicat, quod VII. Metam. 447.

Si titulos annosque tuos numerare velimus,
Facta premant annos. BURMANNUS.

343. *Condidit aetas.*] More ſuo, id eſt inepte & ſtulte, Gorallus explicat, qui mortui ac ſepulcro conditi ſub aurea aetate. Itane vero? tam ξυσφιμῶς Poëta compararet Liviam ſepultis. immo quos ſeculum, quod aureum vocant, protulit, vel (ut Micyllus videtur legiſſe, *quas aurea condidit aetas*) digna matronis, quae aureo ſeculo vixerunt: & duplex vocis *condere* explicatio ad manum eſt. vel *condere* notat producere, & praecipue de primis mortalibus. ut Virgil. I. 33.

Tantae molis erat Romanam condere gentem.

Et ita Juſtinus lib. II. *Genus humanum a Deucalione conditum* dicit: vel *condere*, eſt *celebrare*, ut Servius, *condere bella* apud Virgilium Eclog. VI. interpretatur. & eo ſenſu Plinius lib. II. cap. 9. *Mira humani ingenii peſte ſanguinem & caedem condere annalibus juvat.* & lib. XXXIV. 8. *Artifices, qui compoſitis voluminibus condidere haec, miris laudibus celebrant.* Ovidius II. Triſt. 336.

Divitis ingenii eſt immania Caeſaris acta
Condere.

IV. Pont. XII. 27.

Dignam Maeoniis Phaeacida condere chartis.

Quinct. lib. III. I. *Romanorum primus hanc materiam condidit M. Cato.* ubi perperam *tradidit* edidit Obrechtus. ſed reclamabit Gallulus, & res & acta *condi*, id eſt celebrari, recte dici contendet, non homines, quorum memoria poſteritati commendatur a Poëtis. ſatisfaciamus faſtidioſo Philoſopho. Ovidius IV. Pont. X. 75. de Theſeo, ab Albinovano in Theſeide ſua celebrato:

Qui quamquam eſt factis ingens, & conditur a te,
Vir tanto, quanto debuit ore cani.

& ita poſſent illa ex IX. Met. 626. capi, ſi cum duobus codicibus legas, *ſed victa libidine condar.* ubi vulgo, *credar*, qualis & varietas eſt apud Apulej. lib. I. Mileſ. initio: *Hymettos Attica, & Iſthmos Ephyraea, & Tenaros Spartiaca, glebae felices aeternum libris felicioribus conditae.* ubi multi codices, *creditae.* vide plura apud Barth. ad Gratii Cyneget. ῾s. 96. BURMANNUS.

347. *Et lumina rerum.*] Non damno hanc lectionem, quia in exemplum plebis principes propoſiti, ut mox indicat, recte *lumina* dicuntur, & ita Vellejus lib. II. 99. *alterum reipub. lumen & caput* Tiberium vocat. ubi vid. Acidalii notas. neſcio tamen an praeſtet, *culmina rerum.* quae rectius humili vulgo opponuntur. & ita Scaligerum voluiſſe notaverat Francius. Voces hae ſaepe a librariis confuſae. vid. Heinſ. ad Claud. I. Rapt. 8. idem praef. Conſ. Manl. 7.

Culmina Romani majeſtatemque ſenatus,
Et, quibus exſultat Gallia, cerne viros.

Ubi *lumina* habent Claverii codices. Stat. III. Theb. 207.

Ad te oculos, auresque trahis. tua facta notamus.
Nec vox missa potest principis ore tegi.
Alta mane; supraque tuos exsurge dolores:
Infragilemque animum, quod potes, usque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus,
Quam si Romanae principis edis opus?
Fata manent omnes. omnes exspectat avarus
Portitor: & turbae vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes: metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.
Ecce necem intentam coelo, terraeque, fretoque,
Casurumque triplex vaticinantur opus.
I nunc, &, rebus tantâ impendente ruinâ,
In te solam oculos & tua damna refer.
Maximus ille quidem juvenum, spes publica vixit:
Et, quâ natus erat, gloria summa domûs.
Sed mortalis erat: nec tu secura fuisti,
Fortia progenie bella gerente tuâ.

Vita

Nunc regis iniqui
Ob noxam immeritos, patriae tot culmina, cives
Exsuimus. BURMANNUS.

349. *Imposuit te alto fortuna, locumque teneri.*] Libri veteres, *alte.* ut supra diximus. nihil muto tamen. deinde *locumque tueri* ex Combiano & priscis editionibus scribendum. HEINSIUS.

454. *Quo potes.*] *Quod* cum veteribus libris. IDEM. Recte, sed non cum Barbaro interprete *quoad*, ut & supra fecit, 172. est interpretandum, haec enim injuria esset, quasi dubitaret an posset Livia: nam notaret, tene animum infragilem, quamdiu potes. sed affirmantis est, animum invictum tene; quod certe potes facere. ut in illa formula, *nam potes, quoniam potes.* de qua Heins. ad Valer. Flac. 1. 12. aliter *quod potes* etiam notat *quantum potes*, sed huic loco incongruum hoc. BURMANNUS.

354. *Usque.*] Vid. supr. ad vers. 254.

356. *Quam si.*] *Quin tu* vetustae editiones, & tum superioti versu, *jam melius* legendum sit. HEINSIUS.

357. *Avarus.*] Forte, *Avernus.* vide ad II. Amor. VI. 39. IDEM.

358. *Turbae vix satis una ratis.*] Petronius Arbiter cap. CXXI.

Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulachra virum traducere cymba;
Classe opus est. LINDENBR.

361. *Ecce necem in tantam.*] Alii, *intentam*; lego ergo:

Ecce necem intentam, caelo, terraeque, fretoque,
Causarumque triplex vaticinatur opus.

Opus Lucretii. Ovidius II. Trist.

Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
Causarumque triplex vaticinatur opus.

Multa enim alia scripsit Lucretius, ex cujus XXI. libro citat Varro:

Arboris & terrae genitabile quaerere tempus.
SCALIGER.

362. *Causarumque triplex.*] Videtur significare hic tria volumina illa Sibyllae Cumanae a Tarquinio mercede comparata, & magna cum veneratione in Capitolium reposita, unde Quindecimviri fatalium librorum, si quid forte durius incideret, oracula ac sortes rerum futurarum peterent sibi. dicit ergo secundum illorum Vaticinia mundum hunc, & quidquid sub ipso est, finem suum sortiturum. Haec Janus Douza Pater. LINDENBR. Lege, *Casurumque triplex vaticinantur opus.* Ut Sibyllina Oracula aut Philosophos intelligat, Epicureos potissimum, qui mundum non fore aeternum censebant. Ovidius Trist. lib. II. 425.

Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
Casurumque triplex vaticinatur opus.

Sic enim scribendum, cum *Causarumque* insulse extet in libris vulgatis. quod magno Scaligero temere persuasit, hoc etiam loco *Causarum* reponendum esse. ad Lucretii illa respexit Noster. lib. V. 95.

—— *Tria talia texta*
Una dies dabit exitio. HEINSIUS.

367. *Sed mortalis erat.*] *Erit* veteres plerique.

Forte

Vita data eſt utenda: data eſt ſine foenore nobis
Mutua, nec certâ perſoluënda die.
Fortuna arbitriis tempus diſpenſat iniquis.
Illa rapit juvenes: ſuſtinet illa ſenes.
Quâque ruit, furibunda ruit: totumque per orbem
Fulminat, & caecis caeca triumphat equis.
Regna Deae immitis parce irritare querendo:
Sollicitare animos parce potentis herae.
Quae tamen hoc uno triſtis tibi tempore venit,
Saepe eadem rebus favit amica tuis.
Nata quod en alte es, quod foetibus aucta duobus;
Quodque etiam magno conſociata Jovi:
Quod ſemper domito rediit tibi Caeſar ab orbe,
Geſſit & invictâ proſpera bella manu:
Quod ſpes implerunt maternaque vota Nerones;
Quod pulſus toties hoſtis utroque duce.
Rhenus, & Alpinae valles, & ſanguine nigro
Decolor infectâ teſtis Itargus aquâ.

Danu-

Forte refingendum, *enim.* nam *erat* jam praeceſſit. Heinsius.

362. *Vita data eſt utenda.*] Sine dubio imitatione Lucretii, qui (lib. III. 984.) dixit:

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus uſu.

Scaliger. Salmaſius diſquiſitionis de Mutuo pag. 225. profert hunc verſum, tamquam Horatii, & citat hoc modo:

Vita data eſt utenda, data eſt ſine tempore nobis.

Nimis vir ſummus memoriae fidebat. locutionem illam *utenda data* &c. illuſtravimus ad Ovidii lib. I. Art. 433. Burmannus.

371. *Arbitriis tempus diſpenſat ubique.*] *Inique* veteres nonnulli. Emenda, *arbitriis iniquis.* Heins.

372. *Illa rapit juvenes: ſuſtulit illa ſenes.*] Imo *ſuſtinet*, cum iiſdem veteribus libris, etiam Naugerianis. Fruſtra vulgatam lectionem Scaliger tuetur. Ad verbum fere haec expreſſit Caelius Firmianus Sympoſius in Catalectis veterum poëtarum, carmine de Fortuna:

Haec aufert juvenes & retinet ſenes,
Injuſto arbitrio tempora dividens. Idem.

Suſtinet etiam Marcilius ad leg. XII. Tab. cap. XXX. pag. 143. ſed non apte ſatis mihi pro inhibere capere videtur. melius, eorum mortem differt. vid. ad Epiſt. I. 114. *ſuſtinet* & *ſuſtulit* etiam variarunt librarii lib. XI. Met. 463. Burmannus.

379. *Nata quod es alte.*] *Alte es* veteres plerique, ne peccet in rationem metri verſus. Sed puto ſcribendum, *Nata quod es celſe.* ut in illo Statii, *& celſe natorum aequavit honori.* vel, *Nata quod excelſe es.* Nam Naugerii codices, *Nata quod ex alto es.* Heinsius. Broukhuſius ad Propert. lib. II. Eleg. XXIII. ℣s. 117. vulgatam tuetur, cum quo tamen vix facere poſſum. Davief. ad Caef II. de Bel. Gall. 25. quia in Naugerii codicibus legitur, *nata quod ex alte es*, legit, *quod ex alto es.* quod ipſum ex codicibus Naugerii laudat Heinſius, & perperam, *ex alte es* Davieſius producit, deceptus vitioſa, ut puto, Goralli editione. putat vero hanc lectionem probari ex ℣s. 62. ubi *ex tuto*, & vers. 349. ubi *impoſuit te alto Fortuna.* ſed ſi non aliis poſſit hanc lectionem firmare praeſidiis, vereor, ut perſuadeat. nam *ex alto naſci* non puto recte dici. ſed *ex alto* aliter uſos veteres vidimus ad lib. II. Amor. Eleg. 4. edidit vero Heinſius, *nata quod en alte es.* non monito lectore in notis, unde petierit: quam nos lectionem commodiſſimam credimus. *quod eſt alte* edidit Berſmannus. Burmannus.

382. *Geſſit & invictâ.*] *Geſtat* libri veteres. an *Geſtat tela?* Heinsius.

385. *Rhenus.*] Lege, *Rhaetus*; ut ſupr. 175. Horat. lib. IV. Od. 4.

Videre Rhaeti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem. Heinsius.

Heinſius conjecerat &, *Oenus*, quia de Germania poſt agit.

386. *Decolor infectâ teſtis Itargus aquâ.*] Ita quidem vulgo legitur, quaſi Itargus fluvii alicujus nomen circa Alpes, aut etiam in Germanis fuerit. Sed quia de hoc nomine alias nihil extat, quod quidem ipſe viderim, locum hunc, ut & ſequentem ſuſpectum habeo: dubitaremque, an potius legendum foret, *Decolor infecta teſtis it Albis aqua*

Danubiusque rapax, & Dacius orbe remoto
* Apulus huic hoſti perbreve Pontus iter:
Armeniusque fugax, & tandem Dalmata ſupplex,
Summaque diſperſi per juga Pannonii:
Et modo Germanus Romanis cognitus orbis.
Adſpice quot meritis culpa ſit una minor.
Adde quod eſt abſens functus: nec cernere nati
Semineces oculos ſuſtinuere tui.
Quique dolor menti leniſſimus influit aegrae,
Accipere es luctus aure coacta tuos.

Prae-

(nam ad Albim uſque progreſſus eſt Druſus, Germaniamque hactenus Romanis incognitam aperuit) Niſi rurſum illud obſtaret, quod eodem loco infra paulo ſequitur, *Et modo Germani Romanis cognitus orbis.* Neque enim ſeparaturus Poëta videtur Albim & Germaniam fuiſſe, ſi ſupra Albim ipſe poſuiſſet. Quare hunc locum, ut eſt, ita quidem relinquimus, ſed tamen & aliis dijudicandum. Micyllus. *Iturgus* dicitur & *Viſurgus* pro varietate idiomatum linguae Germanicae. Nam Saxones & omnes Oceani accolae T. uſurpant: alii duplex SS. ὕλαττα, ὕλασσα. ſic waſſer / water / aqua. Scaliger. *Iturgus* Scaliger. Sed omnino de hoc loco conſulendus in Germania antiqua diligentiſſimus Cluverius, qui receptam ſcripturam tuetur. Heins. vide Turneb. Adv. xxii. cap. ii. conjecerat & hic Heinſius, *teſtis it Oenus.* ſi *Rhenus* retinendus.

387. *Danubiuſque capax.*] Nam amplus ac vaſtus, & qui multa alia flumina capiat, ut Savum, Dravum, Tibiſcum & ſimilia. Micyllus. bene; ſed & *rapax* legi poteſt. Scaliger. *Rapax* in Combiano eſt & duabus vetuſtis editionibus. ii. Faſt. 205. *Cremera rapax.* & iv. 279. Virg. iii. Georg. *Fluviosque innare rapaces.* vide Notas lib. iv. Faſt. v. 568. Sequentia valde depravata ſunt. Heins.

387. *Et Dacius orbe remoto Appulus huic hoſti perbreve Pontus iter.*] Locus aeque difficilis & obſcurus. Quid enim per *Dacium* accipiamus, aut per *Appulum?* utrum propria locorum, aut fluviorum ea, an ſimpliciter gentilia dicamus? Ego ſane ut quidem certi aliquid non habeo, quod hic afferam, ita locum ipſum haud dubie corruptum exiſtimo. Sed tamen interea exponendi cauſa, Appulum pro fluvii proprio ſumamus, perinde ut Rhenum, Danubium, & ſupra Itargum: ut ſit Dacius Appulus, qui per Daciam fluit. Nam & Dacos ab Auguſto iiſdem temporibus victos, & in ulteriorem ripam Danubii ſubmotos fuiſſe, Florus autor eſt. Deinde quod ſequitur, *Huic hoſti per breve Pontus iter:* à ſuperioribus diſtincta legamus. ut ſit ſenſus: Huic hoſti, ſcilicet Appulo, ſive Daco, Pontus perbreve iter, hoc eſt, parvo ſpatio diſtat. vel, quod magis probarim, *Hinc hoſtis perbreve Pontus iter:* ut intelligamus, etiam Pontum, qui non longe à Dacia abeſt, ſenſiſſe Caeſaris & ſuorum arma, teſtemque victoriarum illius eſſe, ſive de mari intelligas, ſive de terra. Nam mox & Armeniorum mentionem facit, qui & ipſi non longe à Ponto abſunt. Sed haec eo valeant, quatenus ab aliis quoque recipientur. Neque enim hic quicquam praeter conjecturas, quod ſequamur, habemus. Micyllus. Valde depravatus locus, lego:

Danubiusque rapax, & Dacius orbe remoto
Angulus: hinc hoſti perbreve pontis iter.

Veteres ſcribebant *aggulus*, unde *Appulus* fecerunt. Dacia tunc finis imperii Romani Danubio terminata. Itaque pons jungens Danubium fuiſſet perbreve iter hoſti ad fines imperi Romani. Scalig. Hic magnifice ſe effert Gorallus, qui magnum facinus ſe edidiſſe putat, cum Ἄπουλον Urbem Daciae in Ptolemaeo reppererit. ſed mediam producendam eſſe vidiſſet, ſi ullus rei poëticae ipſi uſus eſſet. Quantum praeſtat à talibus ulceribus manum continere, quam inepta medicina ſe ridendum praebere. nos felicioribus ingeniis haec relinquimus. Burmannus.

391. *Et modo Germani.*] *Germanus orbis* cum Mediceo reponatur. Heinsius. malleni etiam *Romano cognitus*, ne tot voces in ſibilum exeuntes offendant. vid. ad lib. i. Met. 327.

392. *Adſpice quam meritis.*] Emendandum puto: *Aſpice quot meritis culpa ſit una minor.* Heins. Hic Gorallus inſigne negligentiae ſpecimen edidit; Heinſium ſcilicet malle *quod* ſcribit, ſed ſe praetuliſſe *quot.* ubi vero Heinſius *quod* maluit? in vitioſiſſima nempe Knippingii, & quidem recentiori, editione, quam ſolam habuit Gorallus, ſed in illa, quam ipſe edidit vir illuſtris, & Hackiana etiam Knippingii, *quot* legitur. an vero illas vidit, & impudenter furtum gloriae cupidine admiſit? non credo; nam alia indicia ad manum ſunt, illum numquam fontes adiiſſe, ſed ſemper ex ſordidis lacunis bibiſſe. Burmannus.

393. *Adde quod eſt abſens foetus, &c.*] Ita quidem vulgo legitur: ſed mihi verſus hic non abſque menda eſſe videtur. Quid enim per *foetum* accipias? an filium? ſed tamen amplius abſens dici non

Praevertitque metus per longa pericula luctum;
Tu quibus auditis anxia mentis eras.
Non ex praecipiti dolor in tua pectora venit,
Sed per mollitos ante timore gradus.
Juppiter ante dedit fati mala signa cruenti,
Flammiferâ petiit cum tria templa manu:
[Junonisque gravi nocte impavidaeque Minervae,
Sanctaque & immensi Caesaris icta domus.]
Sidera quin etiam coelo fugisse feruntur;
Lucifer & solitas destituisse vias.

Lu-

non poterat, qui Romam revectus, & jam sepultus erat. An mortuum? sed nec hoc exemplo aliquo idoneo possumus. Quis enim *foetum* pro mortuo usquam usurpavit? Proinde dubito, an sit legendum, *Fletus*, aut *Functus*, aut simile aliquid. Ita enim & sententia postulat. Cum enim Liviam moneat Poëta, ut praesentem cladem moderatius ferat, etiam illud pro argumento adducit, ut dicat: Adde, scilicet ad superiora, quod absens defletus est, aut absens defunctus est, neque tibi necesse fuit coram & ob oculos morientem illum aspicere: levius enim feriunt animos mala, quae absentibus accidunt, quam quae in oculos incurrunt, & coram aspiciuntur. Micyllus. *Functus* cum Mediceo & Combiano repone. Sic in Sabini Epistola secunda, *functae prope sortis anus*, est prope mortua. idque Lipsio in mentem venit. alii duo codices, *foetus*, quod editiones nonnullas occupavit. Heinsius. Nihil certius quam *Functus* legendum; de qua voce hic Gorallus multa constipat, quae nihil ad rem faciunt. nam quin *vita*, *morte*, *diem fungi* dicatur, nullum est dubium, quamquam hoc ultimum rarius occurrere notet Vorst. ad Sulp. Sever. 1. 8. sed an absolute *Functus* pro defuncto poni possit, docere debuisset. & memini mihi a viro docto controversiam injectam, an liceat ita voce ea uti, cum in carmine recentioris Poëtae eam offendisset. ad Stephani Thesaurum nos mittit Gorallus, qui ne unicum quidem ejus significationis exemplum habet, ut nec Faber. neque ego in usu admodum fuisse optimo Latinitatis tempore arbitror, sed, ut plura in Ovidio recentioris notae vocabula deprehendere licet, ita & in hoc Poëmate, de hac voce observare licet, eam nunc forte demum coepisse ita usurpari. ita xi. Met. 583. plurimi codices:

Pro functi morte rogari,

Vulgo, *functo morte*. apud sequentis vero aevi scriptores saepius ita reperitur. Seneca Thyeste 13.

O quisquis nova
Supplicia functis durus umbrarum arbiter
Disponis!

Medea 999.

Conjux socerque justa jam functis habent,
Ame sepulti...

Ubi vide Gronovium ex Statio duo loca adferentem, qui frequentissime ita usus est. lib. iii. Theb. 143.

Versatque in sanguine functum
Vulgus.

Lib. iv. 483.

Contra per crimina functis.

Lib. viii. 10.

Coetibus adsumtum functis.

xii. 137.

Nec non functa ducum refovendi corpora curam
Iris habet.

Apud Prudentium in Cathem. Hymn. v. ℣s. 135. pro *umbrarum populus* MSS. *functorum* habent. ad has *Gargaridiationes*, ut tot exemplorum constipationes vocabat ὁ δεῖνα, nos Goralli insscitia & impudentia compellat. Quem ut Criticum sciat fuisse posteritas, in Glossis Isidori, ubi legitur, *fungitur*, *solvit*, imperitissime corrigit, *absolvit*. cum apud Jurisconsultos illa vox, & *functio* de solutione passim sumatur. vide Hottoman. ad Cicer. iii. Verr. 6. sed quid Logico cum juris vocabulis? non amplius quam asino cum lyra. Burman.

395. *Qui dolor & menti.*] *Quique dolor menti* vetustae editiones. Heinsius. *Levissimus* etiam Pith. & Scal. Editt.

396. *Acciperes luctus.*] Pro potuisti accipere, sive audire tuos luctus, coactis sive invitis auribus. quamquam neque hic verbum *acciperes*, pro *accepisti* per omnia placet. Micyllus. Lege *Accipere es*. quomodo Rutgersius. neque aliter veteres libri. Heinsius. Vide ad Epist. ix. 119. minor Gryphii, *accipis en luctus*.

399. *Non ex praecipiti.*] Similis locus Vellej. Paterc. ii. 1. *Non gradu, sed praecipiti cursu, a virtute descitum, ad vitia transcursum.* ubi vide Heinsium.

403. *Junonisque gravi nocte.*] Hoc distichon aut adulterinum est, aut pro conclamato habendum. Combii codex, *Junonisque Grais notae* primae editiones, *gradus note*. Heinsius. Egit de hoc loco olim Amplissimus Cuperus cum Nobilissimo Heinsio, ut apparet ex illius Observ. lib. iv. cap. 3. qui volebat:

Flam-

Lucifer in toto nulli comparuit orbe,
Et venit ſtellà non praeeunte dies.
Sideris hoc obitus terris inſtare monebat;
Et mergi Stygia nobile lumen aquâ.
At tu, qui ſuperes moeſtae ſolatia matri,
Comprecor, illi ipſi conſpiciare ſenex.
Perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque;
Et vivat nato cum ſene mater anus.
Eventura precor. Deus excuſare priora
Dum volet; à Druſo cetera laeta dabit.
Tu tamen auſa potes tanto indulgere dolori:
Longius ut nolis, heu male fortis, ali. *
Vix etiam fueras paucas vitalis in horas,
Obtulit invitae cum tibi Caeſar opem:
Admovitque preces, & jus immiſcuit illis:
Aridaque adfuſâ guttura tinxit aquâ.
Nec minor eſt nato ſervandae cura parentis:
Hic adhibet blandas, nec ſine jure, preces.

Con-

Flammifera petiit cum ſua templa manu,
Junonisque gravis, doctae impavidaeque Minervae,
Sanctaque divini Caeſaris icta domus.

Cujus ibi rationes, & Heinſii reſponſum videre poteris, ex quo Gorallus ſuam conjecturam de *gradus* videtur ſuffuratus. *tua templa* in MSS. eſſe teſtatur Heinſius. ſed *tria templa* retinenda puto, ut Jovis, & συννάων, Junonis & Minervae intelligat; quae tria Ovidius quoque conjungit lib. II. Triſt. 289. & ſeq. in eo vero differt a Dione Noſter, quod is Jovis Capitolini templum, & alterum illi adjunctum fulmine tactum ſcribat, non exprimens cujus numinis fuerit. fuiſſe vero Junonis & Minervae proxima Jovis templo, probat ſatis Rykius de Capitolio cap. XIII. ſed illud *gravi nocte* merito ſuſpectum eſt, nam de procelloſa interpretari cum Gorallo non placet, ſine ulla auctoritate, *Gravem autumnum, aeſtatem, & tempora*, quibus morbi graſſantur, dici ſatis novimus. vid. ad V. Met. 481. in ceteris ampliandum cenſemus, licet non deſint conjecturae. nam cum vulgata, *icta manus* habeat, poſſet legi:

Junonisque gravi caſtae, impavidaeque Minervae,
Signaque divini Caeſaris, icta manu.

Gravi manu Jovis ſcilicet, ut *magna manus*, de qua ſupra egimus. & *gravi curru quaties olympum* Horatius lib. I. Od. 12. ſed praeceſſit *flammifera manu*. niſi ibi *flammifera face* velimus. ſed praeſtat exſpectare auxilium a libris melioribus. BURM.

404. *Sanctaque & immenſi Caeſaris icta manus.*] Intelligo ſtatuam Caeſaris de caelo tactam, manumque ejusdem aliqua parte laeſam. MICYLLUS. *Sanctaque divini* quidam ex veteribus. Forte:

Sancta quoque immeriti Caeſaris icta domus.

Nam *domus* in ſuis invenit Naugerius. HEINSIUS. Micylli expoſitio ſi probari poſſet, mallem, *incenſi Caeſaris icta manus*, ſed non puto id Poëtam velle.

409. *Sideris hoc obitus terris inſtare monebat, Et mergi Stygia nobile numen aqua.*] Conſtruo: Obitus ſideris, hoc eſt, obſcuritas iſta, & nulla Luciferi apparentia, monebat, ſeu ſignificabat hoc, id eſt, hanc mortem terris inſtare: & *nobile numen* (ſeu potius *nomen* legendum eſt) hoc eſt, Druſum, mergi aqua Stygia, hoc eſt, moriturum eſſe. Tametſi haud ſciam, an hic quoque verſus non ſatis integer ſit. MICYLLUS. Francius malebat, *ſideris hic obitum terris.* ſed tunc non exprimit cujus obitum oſtenderet obitus ſideris; rectius itaque legeretur, *ſideris hunc obitus.* obitus ſideris monebat hunc Druſi obitum inſtare. BURM.

410. *Et mergi Stygia nobile numen aquâ.*] Lege: *lumen*: nam *ſidus* ſupra vocavit. SCALIGER. Lege omnino, *lumen.* & ſic una ex vetuſtis editionibus cum Scaligero. HEINSIUS.

413. *Perque annos diuturnus eas. &c.*] Quae ratio quaeſo, quod Gorallus, qui toties iraſcitur, & ſuperbiae crimen dicit ſupercilioſis Criticis, qui loca veterum adducunt ſine nota librorum, unde deſumta ſint, (unde & Scaligerum corripiendi captat occaſionem inf. 448.) hic contra propria praecepta peccaverit, & morientis, neſcio cujus, apud Statium, non indicato loco, verba adduxerit? nempe, quod impudentiſſimo furto haec, quae hic

Conjugis & nati meritum pervenit ad omnes:
Conjugis & nati, Livia, ſoſpes ope es.
Supprime jam lacrimas. non eſt revocabilis iſtis,
Quem ſemel umbriferâ navita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot deflevere ſorores;
Et pater, & conjux, Aſtyanaxque puer,
Et longaeva parens. tamen ille redemtus ad ignes
Nullaque per Stygias umbra renavit aquas.
Contigit hoc etiam Thetidi. populator Achilles
Iliaca ambuſtis oſſibus arva premit.
Illi caeruleum Panope matertera crinem
Solvit, & immenſas fletibus auxit aquas.
Conſortesque Deae centum, longaevaque magni
Oceani conjux, Oceanusque pater;
Et Thetis ante omnes: ſed Nec Thetis ipſa, neque omnes
Mutarunt avidi triſtia jura Dei.
Priſca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit,
Et flevit populo Caeſar utrumque palam.

Sed

hic obſervat, Lipſio ſublegerit ad Senecam de Vitae brevitate cap. 8. qui eodem modo citat. ſed tu, lector, reperies apud Statium lib. v. Silv. 1. 177. & vide, quae ibi notat Barthius. loca Statii ſatis invenire ſcit Clericus, ubi indicem Stephanum habet, ut ad vers. 428. ubi duo ex ejus Theſauro ſurripuit. Sed hoc duce deſtitutus in tenebris micat. BURMANNUS.

415. *Eventura precor.*] *Et ventura* editiones priſcae, Pithoei quoque & Scaligeri. male: & recte Berſmannus huc advocat illa Tibulli II. 1. 25.

Eventura precor, viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?

vide ad Ovid. Ep. VII. 21. & quae nos ad Petronii cap. CXXXVII. diximus. IDEM.

416. *A Druſo.*] Id eſt, poſt Druſi mortem. vid. ad Epiſt. v. 252.

417. *Tu tamen auſa potes tanto indulgere dolori, Longius ut nolis, heu male fortis! ali.*] Redit ad Liviam, & tacite corripit, quod tantum dolorem ob filii mortem ceperit, ut etiam inedia perire ſtatuerit: adeoque etiam periiſſet, inquit, niſi Caeſar illi ſubveniſſet, &c. *Ut nolis ali longius:* ulterius uti cibo, ſed inedia perire. MICYLLUS. Haec omnia corruptiſſima ſunt. Senſus utcunque conſtabit ſi, *uſque potes*, vel, *ora potes*, refingatur. HEINS. forte,

Tu tamen auſa forès tantum indulgere dolori,
Longius ut nolles heu male fortis!) ali.

Pro fuiſſes auſa indulgere dolori, uſque ad inediam, niſi Caeſar revocaſſet: *fores* pro fuiſſes, ut Ovid. Epiſt. XVII. 170.

Et melius famae verba dediſſe foret.

Remed. 458.

Si non Oebalia pellice laeſa foret.

& paſſim. BURMANNUS.

419. *Fueras vitalis in horas.*] Parvo tempore ſupervictura. Neſcio autem an rectius *fueris* legatur, ut ex ſuperiore conjunctione dependeat. MICYLLUS. *Quin etiam* Combianus liber.

423. *Servandi.*] Imo, *ſervandae*, ut vere Combianus & primae editiones. HEINSIUS. vid. ad Epiſt. XX. 74.

428. *Umbrifera lintre.*] Vid. ad II. Faſt. 884.

433. *Populator.*] Ut ſemper aliquid carpat, hic ferre hoc epitheton non poteſt Philoſophus, quod ſummo judicio hic ponit Poëta: ideo enim in exemplum adducitur Achilles, quia fortis ille, & omnia vaſtans & ſuperans, vix videbatur alium reperturus, qui eum ſternere poſſet, ſed & ille victor omnium a victis caeſus occubuit, & populator Troadis Iliaca arva nunc oſſibus premit. Quid mirum ergo, ſi & Druſus, Achilles quaſi alter, & populator Germaniae, obierit. ſed talia non capit mens obtuſa Goralli. BURMANNUS.

441. *Priſca quid huc.*] *Haec* Mediceus. HEINS. vid. Epiſt. XIV. 109.

442. *Populo palam.*] Ita Livium lib. VI. *Creditori rem palam populo ſolvit* dixiſſe obſervat Gronovius ad ejus ſcriptoris lib. XXV. 18. Ovid. v. Triſt. x. 39.

Meque palam de me tutò male ſaepe loquuntur.

vid. ad Quinctil. Decl. II. 13. & VI. 14. BURM.

Sed rigidum jus eſt, & inevitabile mortis.
Stant rata, non ullâ fila renenda manu.
Ipſe tibi emiſſus nebuloſi litore Averni,
Si liceat, forti verba tot ore ſonet.
Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta ſenem faciunt: haec numeranda tibi.
His aevum fuit implendum, non ſegnibus annis.
Hoſtibus eveniat longa ſenecta meis.
Hoc atavi monuere mei, proavique Nerones.
Fregerunt ambo Punica bella duces.
Hoc domus iſta docet, per te mea, Caeſaris alti.
Exitus hic, mater, debuit eſſe meus.

Nec

444. *Non ulla fila tenenda manu.*] *Renenda.* quomodo & Salmaſius ad Inſcriptionem Herodis Attici tam hic, quam lib. VI. Faſtorum 757.

At Clotho Lacheſisque dolent ſua fila reneri.

apud Statium tamen in Silvis lib. III. 1. 172.

—— *Parcarum fila tenebo,*
Extendamque colos.

Niſi & illic *renebo* legendum. ἀνακλώθῃνσι Graecis. apud Lucianum, τὰ μὲν πραχθέντα οὐδὲ ΚΛΩΘΩ ἔτι ἀνακλώσειεν ὤν. *revolvere fila* dixit Met. lib. II. v. 654. ubi vide quae notamus. HEINSIUS.

445. *Ipſe tibi emiſſus nebuloſum litus Averni.*] Mediceus & Combianus cum prima editione, *nebuloſi in littore.* recte ſi tollas τὸ *in*, quod ſupervacuum eſt. vel poſſis etiam, *nebuloſo litore Averni.* IDEM. Roverius volebat, *emenſus nebuloſum litus.*

446. *Si liceat.*] *Sic liceat* editiones priores.

448. *Acta ſenem faciunt.*] Martialis X. 53.

Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

SCALIGER.

450. *Longa ſenecta metu.*] Scribe, *hoſtibus meis*, etiam Scaligero id probante. ſic III. Triſt. V. 5.

Ut cecidi cunctique metu fugêre ruinae.

quidam codices habent, *meam ruinam.* HEINSIUS.

452. *Fregerunt ambo Punica bella duces.*] Arbitror Claudium Caudicem intelligi, & Claudium Neronem: quorum qui Caudex cognominatus fuit, primus freto claſſe trajecto, Poenos Sicilia expulit, bello Punico primo. Alter autem advenientem ex Hiſpania cum ingentibus copiis Aſdrubalem, priuſquam Annibali fratri conjungeretur, oppreſſit: de quo & Livius meminit libr. 27. cetera apud Suetonium vide in Tiberio. MICYLLUS. *Fregerunt ambo Punica bella duces*; rarior locutio, ad quam illuſtrandam Stephanus benigne Gorallo locum ex Ciceronis oratione de Provin. Conſul. cap. XVIII ſuppeditavit, cui adde Silii locum lib. XVIII. 828.

Illa eſt quae Thybrim, quae fregit Lydia bella.

Fateor tamen aquam mihi haerere in hoc loco: non enim, ſi de M. Livio Salinatore & C. Claudio Nerone ſit capiendus poëta, video quid huc faciant, qui ad ſenectutem ambo pervenerunt, cum debeant hic exempla proponi eorum, qui actis ſenes, ſed aevo breves, ante diem obierunt. Gorallus vero, quem nullae ſalebrae morantur, hic in locum communem de Poëtarum labore, qui, ob neceſſitatem metri, obſcuri, nec plena oratione eſſe ſolent, excurrit, & ex ſua paupertate, alios aeſtimans, ridendum ſe eruditis praebet. Heinſius etiam accipiebat, *ambo* dictum pro *ambos*, ut dicat bella Punica exitium attuliſſe ducibus, quod ſi de duobus Scipionibus ageretur, rectum foret. ut Vellejus lib. II. 90. *Illae provinciae Scipiones conſumſerunt.* ſed cum de Majoribus Druſi agatur, nihil habeo, quod huic loco illuſtrando valde conveniat, niſi dicamus, atavos & proavos hoc monuiſſe nepotes, licet ipſi non occubuerint juvenes, nec mortem invenerint, non tamen hoc accidiſſe eorum ignavia, cum ſe omnibus periculis objecerint. ita ut cum Aenea dicere potuerint: II. Aeneïd. 432.

Nec tela, nec ulla,
Vitaviſſe vices Danaum, & ſi fata tuliſſent,
Ut morerer, meruiſſe manu. BURM.

453. *Hoc domus iſta docet.*] Scilicet Caeſaris. ita enim conſtruo: Hoc domus iſta Caeſaris alti docet, mea ſcilicet facta, per te, hoc eſt, in quam ipſe quoque aſcitus ſum per te, ducta uxore ſcilicet altera Antoniarum ex Antonio & ſorore Auguſti Octavia genita, & cohaeres ceteris Auguſti liberis inſtitutus: ut Suetonius in Claudio. MICYL.

455. *Nec meritis quicquam illa juvant, magis affuit illis Mater honos.*] Sic quidem legitur in omnibus editionibus, quas mihi videre contigit: ſed corrupte, ut puto. Quorſum enim referes verba, *illa juvant*, eaque diſtincta à ſequenti ad nomen *magis?* Quanquam igitur certi nihil habeo, quod ſequar hoc loco, exponendi tamen cauſa lego:

Nec meritis quenquam ulla juvant magis.

Ut adverbium *magis* ad praecedentia referatur, ſitque ſenſus: Nec ulla, hoc eſt, non ullae res magis juvant, virum ſcilicet gloriae & immortalitatis ſtudio-

Nec meritis (quamquam illa juvant magis) abfuit illis,
Mater, honos: titulis nomina plena vides.
Conſul, & ignoti victor Germanicus orbis,
(Cui fuit heu! mortis publica cauſſa) legor.
Cingor Apollineâ victricia tempora lauro,
Et ſenſi exſequias funeris ipſe mei.
Decurſusque virûm notos mihi, donaque Regum,
Cunctaque per titulos oppida lecta ſuos.
Et quo me officio portaverit illa juventus,
Quae fuit ante meum tam generoſa torum.
Denique laudari ſacrato Caeſaris ore
Emerui, lacrimas elicuique Deo.

Et

ſtudioſum, quam merita, hoc eſt, de patria bene meritum eſſe. Vel rurſum, ſi cui vox *ulla*, neutro genere ſubſtantive poſita, minus placet:

Nec meritis quicquam illa juvat magis:

Ut verbum *juvat* ſimpliciter ponatur, ſitque ordo: Nec illa, ſcilicet domus Caeſaris, per te mihi acquiſita, quicquam magis (ut *quicquam* adverbialiter quoque poſitum accipias) me juvat, quam merita, &c. Sed haec conjecturaliter, & (ut dixi) exponendi cauſa hoc vel illo modo lego, alias certi nihil habens, quod de hoc loco affirmem. Niſi quis & tertiam expoſitionem iſtam recipiat, ut legatur: *Nec meritis quicquam illa juvant magis.* Pronomenque *illa* ad praecedentia, hoc eſt, ad avos, domum Caeſaris, &c. neutro genere referatur. Sed de hoc alii viderint. *Affuit illis*, ſcil. meritis, & rebus geſtis meis. Micyllus. Locus corruptus. quid ſi reponamus:

Nec meritis quicquam illa juvat, magis obfuit iſte,
Mater, honos.

Nil, inquit, mihi adoptivo profuit domus Caeſaris: imo magis obfuit. dum tituli & honores feſtinantur. Lipſius in Epiſtolicis lib. III. 3. *magis affluit illis*, & ſic codex Romanus. Gronovius ſuis ad me literis:

Nec meritis (quanquam illa juvant magis) abfuit
iſtis,
Mater, honos.

inducit ipſum Druſum matri pro ſolatio ingerentem res à ſe geſtas. tum ſubjicit: Etſi majus in his momentum, tamen & illud pro ſolatio valere poteſt, quod virtus mea illuſtri gratia excepta eſt, quod pro ea honores & praemia tributa ſunt. Haec vir ille ſagaciſſimus, quibus ſubſcribo. Heinsius.

456. *Nomina plena.*] Forte, *omnia plena.* quid enim *nomina plena titulis?* niſi ſtatuas & imagines intelligamus, ſub quibus tituli, ut notum. ſed maliem faſtos & annales publicos intelligere. Gorallus de ferculis triumphalibus intelligit, omnia corradens ex *Bulengero*, quem numquam inſpexiſſe indicio eſt, quod ſemper fere *Bullingerum* vocet, qui Theologus Helvetius fuit, longe diverſus a Jeſuita. Burmannns.

458. *Qui fuit (heu) mortis publica cauſa.*] Qui titulus ſcilicet, hoc eſt, quod bellum, unde hoc titulo donatus ſum. Sed rectius fortaſſis legeretur, *Quae fuit (heu) mortis publica cauſa*: ut pronomen *Quae*, cum ſequenti ſubſtantivo *Cauſa* jungatur. Micyllus. Lege, *Cui fuit*, atque ita Lipſius ad Tacitum II. An. 83. Heinsius.

462. *Cunctaque per titulos.*] *Victaque* praeſtabit ſcribi, ni fallor. pro *oppida lecta* malim quoque, *lata*, à ferendo. cujus verbi uſus eſt frequens, cum de tropaeis aliisque rebus agitur, quae in triumpho aut ferali pompa circumferebantur. Ipſe Ovidius Triſt. IV. 2.

Crinibus en etiam fertur Germania paſſis.
Heinsius.

464. *Quae fuit ante meum tam generoſa torum.*] Neque hic locus omnino planus eſt. Quid enim per *generoſitatem* iſtam intelligamus, quam juventus ante torum, ſive lectum, in quo cadaver mortui Druſi poſitum, & ad ſepulturam elatum fuit, ſpectandam dedit? niſi ſi quos fuiſſe Poëta innuit, qui ſe quoque interfecturi fuerint dolore amiſſi ducis: quod tamen ipſe alibi hactenus non legi. Certum autem eſt, aliud quiddam Poëtam intelligere voluiſſe per hoc, quod ante torum Druſi generoſos fuiſſe dicit, quam vulgaria officia illa, quae defunctis exhiberi ſolent. Quare & aliis hunc locum conſiderandum relinquimus. Micyllus. Parum abeſt, quin reſingam, etſi audaciori conjectura:

Quae ſubiere meum tam generoſa torum.

Ut ſupra 207.

Certat onus lecti generoſa ſubire juventus. Heins.

Defendit vulgatam Gorallus, quia vicibus ſubeuntes torum, debebant eſſe circa lectum, tam ante, quam poſt. ſed cur tunc non dixit etiam, *poſt torum*? Et quis unquam *ante torum* dicens voluit intelligi & *poſt torum* ſtetiſſe. An & Niobes filiae, quae *ante toros* fratrum poſitorum *ſtabant*, lib. VI.

Et cuiquam miſerandus ero? jam comprime fletus.
Hoc ego, qui flendi ſum tibi cauſſa, rogo.
Haec ſentit Druſus, ſi quid modo ſentit in umbrâ.
Nec tu de tanto crede minora viro.
Eſt tibi, ſitque precor, multorum filius inſtar:
Parsque tui partûs ſit tibi ſalva prior.
Eſt conjux, tutela hominum: quo ſoſpite veſtram,
Livia, funeſtam dedecet eſſe domum.

Met. 288. erant poſt torum? quare ſi vulgata ſana eſt, intelligenda de iis, qui praecedebant torum, & laſſis iis, qui ferebant, ſuccedebant, ut & hodie fieri in funeribus videmus. poſſet tamen etiam legi:

Quae fuit ante meum tam generoſa rogum.

Nam *torus* & *rogus* paſſim confunduntur. vid. ad Ovid. II. Amor. XIV. 39. & laudatum locum VI. Met. 288. BURMAN.

465. *Denique laudari.*] Suetonius in Claudio. cap. I. *Auguſtus tantopere & vivum* (Druſum) *dilexerit, ut cohaeredem ſemper filiis inſtituerit, ſicut quondam in Senatu profeſſus eſt, & defunctum ita in concione laudaverit, ut Deos precatus ſit, ſimiles ei Caeſares ſuos facerent.* LINDENBROGIUS.

466. *Et merui.*] *Emerui* cum Mediceo, nec aliter Naugerius. ſic Ovidius paſſim, pro *merui.* HEINSIUS.

469. *In umbra.*] Cicer. X. Philipp. *ſi quis in morte ſenſus.* Senec. Octav. 12. *Triſtes queſtus Natae exaudi, ſi quis remanet ſenſus in umbris.* BERSM. Heinſius malebat, *in umbris*, quod eſſet, pro inter umbras. ego mallem, *ſi quid modo ſentiat umbra.*

472. *Parſque tui partûs ſit tibi ſalva prior.*] Lego, *it tibi ſalva.* ut in iſtis Ovidii Faſt. IV. 519. *Soſpes eas ſemperque parens.* Elegia de Nuce 144.

Incolumis tanto praeſide raptor eat.

Ut ſcribendum cenſeo. Met. II. 696.

Tutus eas. lapis iſte prius tua furta loquetur.

Epiſt. XVIII. 15.

——— *I felix littera, dixi.*

Rem. Amor. 546.

Ille Machaoniâ vix ope ſanus eat.

Sic vetus liber. HEINS. Francius volebat, *eſt tibi ſalva.*

CONSOLATIONIS AD LIVIAM FINIS.



NUX,

NUX,

ELEGIA.

NUx ego juncta viae, cum ſim ſine crimine vitae,
A populo ſaxis praetereunte petor.
Obruere iſta ſolet manifeſtos poena nocentes,
Publica cum lentam non capit ira moram.
Nil ego peccavi: niſi ſi peccaſſe vocatur,
Annua cultori poma referre ſuo.

At

1. *Nux ego juncta viae, cum ſim ſine crimine vitae.*] Sunt qui aſſerant, hoc quoque opuſculum de Nuce falſo adſcribi Naſoni. Ego vero, ut non negarim, Ovidium juvenem, & adhuc tyronem in Muſarum militia, haec quaſi ſui praeexercitamenta ſcripſiſſe, meliora quidem futura, ſi in provectiorem aetatem diſtuliſſet; ſic ipſius, non alterius poëtae partum eſſe aſſeverarim, quod ex dicendi charactere quivis vel mediocriter eruditus deprehendere poterit. Sed (ut ad opuſculi ipſius argumentum deveniam) inducit Poëta arborem nucis, quae in publica via confita erat, conquerentem, quod à tranſeuntibus & viatoribus frequenter ſaxis feriatur. Et ab hac Nucis querela occaſione capta, latenter carpit ſui temporis avaritiam ac luxuriam, antiquorumque laudat ſeveritatem & continentiam. Obiter autem omneis ludos deſcribit, quos nucibus pueri ludere aſſolent. Tum ab Auguſto Caeſare benevolentiam captat, ejus juſtitiam ac prudentiam laudans. Marius. Quae illuſtranda ſupereſt, elegiam de Nuce aut ſcriptam eſſe ab hoc noſtro Sulmone, aut eum ad Sulmonenſem agrum, cùm hanc ſcriberet, reſpexiſſe video. Siquidem univerſus fere aquâ, quae illac labitur, vel ipſius Ovidii aetate, ut & nunc, irrigari ſolitus fuiſſe cognoſcitur ex Elegia XVI. lib. II. Amor. ubi ita eſt:

Arva pererrantur Peligna liquentibus undis,
Et viret in tenero fertilis herba ſolo:
Perque reſurgentes rivis labentibus herbas,
Gramineus madidam ceſpes obumbrat humum.

Idem ex hac ipſa elegia perſpicitur:

Sole licet, ſiccaque ſiti peritura laborem,
Irriguae dabitur non mihi ſulcus aquae.

Ciofanus.

1. *Juncta.*] Contigua, proxima. Idem. vid. ad I. Pont. IV. 31.

2. *Petor.*] Percutior. Val. Maximus lib. V. cap. III. *Lycurgus ſaepe lapidibus petitus eſt.* Ciofanus. vid. III. Am. III. 37.

3. *Obruere.*] Proprie. Dicitur enim elegantiſſime, ſaxis & lapidibus aliquem *obruere.* Ciofanus. Petron. cap. XCIII. *Nos omnes ſub eadem cauſſa obruet.*

3. *Nocentes.*] Sontes. Ciofanus.

5. *Niſi ſi peccare fatemur.*] Legitur fere in manuſcriptis exemplaribus, *videtur.* Marius. *Fatemur*, eſt in bonis libris, itaque legendum. Ciofan. Rectius legitur, *niſi ſi peccare videtur*, ut in Aſculanio. aut (ut in MS.) *peccare docetur. Peccare* pro peccatum Minutius in Octavio. *Apud nos & cogitare, peccare eſt*, pro ipſa cogitatio eſt peccatum. Georg. Fabric. Quidam ſcripti *fatetur*, vel *fatemur.* Meliores tamen, *docetur.* Regius, *vocetur.* recte. niſi quod *vocatur* malo: id enim Latinius. Met. X. 200.

Quae mea culpa tamen? niſi ſi luſiſſe vocari
Culpa poteſt, niſi culpa poteſt & amaſſe vocari:

Heinsius. *Vocatur* praetuli. eadem varietas II. Pont. II. 19.

Utque magis cauti poſſunt timidique videri.

Ubi *vocari* codices nonnulli. ſic IV. Met. 319. *meruit formoſa vocari*, Balliol. vulgo *videri.* vid. & XI. Met. 287. *Peccare* vero etiam pro peccato Terent. Andr. V. 3. *Si id peccare eſt, fateor quoque*, unde hic *fatemur* poſſet defendi. vid. ad Remed. 99. Nec tamen *docetur* admodum diſplicet, ut ſit pro oſtenditur, probatur. ita Terent. Adel. I. 2. *te plura in hac re peccare oſtendam.* Burmannus.

6. *Referre ſuo.*] *Meo* Bodlejanus a manu ſec.

At prius arboribus, tum cum meliora fuere
Tempora, certamen fertilitatis erat.
Cum domini memores fertis ornare solebant
Agricolas, fructu proveniente, Deos.
Saepe tuas igitur, Liber, miratus es uvas:
Mirata est oleas saepe Minerva suas.
Pomaque lacsissent matrem; ni subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.
Quin etiam exemplo pariebat femina nostro;
Nullaque non illo tempore mater erat.
At postquam platanis, sterilem praebentibus umbram,
Uberior quàvis arbore venit honos;
Nos quoque frugiferae (si nux modo ponor in illis)
Coepimus in patulas luxuriare comas.

Nunc

7. *At.*] Adversativa particula. CIOFANUS.

9. *Tunc domini.*] Iterum in MSS. *Cum domini memores. cum*, quo tempore, nempe vetusto. FABRIC.

10. *Agricolae fructu proveniente Deos.*] Lege, *Agricolas Deos*, quicquid libri veteres dissentiunt. Met. VIII. 226.

Coeptus ab agricolis superos pervenit ad omnes
Ambitiosus honos.

Sic & Priapus *Ruricola Deus* poëtis, posset & *Agricolam Deum* legi. quemcumque Deum agricolam. sic Tibullus libro I. Eleg. prima:

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante Deo.

Ubi nihil mutandum: quamquam *Agricolas ante Deos* nonnulli legunt. aut si quid mutetur, pro *libatum* libens reponam, *libandum*. Idem Tibullus Eleg. V.

Illa Deo sciet agricolae pro viribus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

Et libro II. Eleg. I.

——— *Dum carmine nostro*
Redditus agricolis gratia Caelicolis. HEINSIUS.

Agricolas f. praeveniente Deos: dicebatur enim *Praecitio* in sacris. DOUZA. *Praeveniente* etiam legebat Pricaeus ad Apul. Apol. pag. 132. ubi de Diis Agricolis plura. *proveniente*, licet codices negent, recipiendum est. Fast. IV. 617.

Largaque provenit cessatis messis in arvis.

Et ita passim. Bersmannus explicat *praecoci fructu.* sed quis ita veterum loquitur? *provenire, proventus* millies de fertilitate tam hominum & animalium, quam agrorum apud veteres occurrit. vid. Gronov. ad Tacit. XVI. Ann. 2. BURMAN.

10. *Proveniente.*] *Praeveniente* est vetus lectio. CIOFANUS.

12. *Oleas.*] Pro olivis dixit. Contra Maro in Bucol. *olivam* pro olea, inquiens: *Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.* Est enim *olea* arbor; *oliva* bacca. Licet hic in proprio quoque significatu pro arbore dictum accipere possimus. Sed melior tamen prior sententia. nam supra non vites; sed uvas dixit. MARIUS. Si liceat producere τὸ *es*, ut ad Eleg. in Drus. 379. notant viri docti, mallem hic quoque, *Mirata es oleas saepe Minerva tuas.* Sed dubito vehementer. BURMANNUS.

13. *Matrem.*] *Matres* alii, id est, suas pomos. DOUZA. vid. Rutgers. Lect. Venus. cap. XI.

13. *Nisi subdita ramo.*] Idem sunt significatione *nisi* & *ni*: sed non idem sono. lego è MS. *ni subdita*, & puto iis placere, qui aures habent purgatiores. *Matrem* appellat arborem foecundam. Ita Plinius lib. XII. *Rami in excelsum emicant sylvosa multitudine vasto matris corpore.* FABRIC. *ramis* margo Bersmanni.

17. *Steriles umbras.*] *Sterilem umbram* meliores libri. & sequenti versu, *honos* pro *honor.* HEINS.

19. *Nos quoque fructiferae.*] *Frugiferae* scripti plerique. nec respuendum. Jurisconsulti certe tam *frugiferas* arbores, quam *fructiferas* agnoscunt. *frugiferarum* Columella non semel meminit. Tacitus de Germania, *Satis ferax, frugiferarum arborum impatiens.* apud Plinium lib. XV. titulus est: *Natura frugiferarum arborum.* habes & *frugifera arbusta* apud Minutium Felicem in Octavio. Cicero lib. V. Tusc. Quaest. 13. *Neque est ullam* (arboris genus,) *quod non ita vigeat interiore quodam motu, & suis quoque seminibus inclusis, ut aut flores, aut fruges fundat, aut baccas.* Cornificius apud Servium ad lib. I. Georg. 55. *Ut folia, quae frugibus arborcis tegmina gignuntur.* Quercum & ilicem inter frugiferas ponit Horatius, sed improprie. lib. I. Sat. XVI.

——— *Si quercus & ilex*
Multâ fruge pecus, multa dominum juvet umbrâ,

Nemesianus Eclog. I.

Dant

Nunc neque continuos naſcuntur poma per annos:
Uvaque laeſa domum, laeſaque bacca venit.
Nunc uterum vitiat, quae vult formoſa videri:
Raraque in hoc aevo eſt, quae velit eſſe parens.
Certe ego, ſi numquam peperiſſem, tutior eſſem.
Iſta Clytemneſtrae digna querela fuit.
Si ſciat hoc vitis, naſcentes ſupprimet uvas:
Orbaque, ſi ſciat hoc, Palladis arbor erit.
Hoc in notitiam veniat maloque piroque;
Deſtituent ſilvas utraque poma ſuas.
Quaeque ſibi vario diſtinguit poma colore,
Audiat hoc ceraſus, ſtipes inanis erit.
Non equidem invideo: numquid tamen ulla feritur,
Quae ſterilis ſolâ conſpicienda comâ eſt?

Cerni-

Dant Fauni quod quiſque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnique ex arbore fruges.
Columella:
Quo Bacchi genus, aut alienâ ſtirpe gravatâ
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbor. HEINS.
Frugiferas arbores rectè dici obſervavit jam olim Parrhaſius ad Claudian. 1. de Rapt. Proſ. ỹs. 187. & nuper Broukh. ad Tibul. lib. 1. Eleg. 1.5. *Frugiferam* etiam *Quercum* dixit Sueton. Galb. 4. ex Juriſconſultorum ſententia in l. 77. ff. de V. S. Obſequens tamen cap. xc. inter prodigia refert, *arborem fruges tuliſſe.* BURMANNUS.

19. *Ponor.*] *Ponar* Regius & duo alii.

20. *Luxuriare.*] Eleganter hoc de arboribus late creſcentibus. ſic XIV. Met. 629.
Qua modo luxuriem, premit & ſpatiantia paſſim
Brachia compeſcit.
Sic tellus *luxuriare* Ep. 1. 53. Plinius de loto loquens lib. XVI. 30. *ramorum petulantiam* vocat.

20. *Comas.*] Lib. 1. De Remedio 196.
Stetque peregrinis arbor opaca comis.
Et Horat. IV. Od. 7. — *Arboribuſque comae.* CIOFAN.

21. *Nos neque.*] Maluerim, *hinc neque.* cauſam reddit infoecunditatis. HEINSIUS.

23. *Nunc uterus vitio eſt, quae vult formoſa videri.*] Rectius fortaſſe in nonnullis, *nunc uterum vitiat*, quod & 11. Amor. idem Ovidius Eleg. XIV.
Scilicet ut careat rugarum crimine venter,
Sternetur pugnae triſtis arena tuae.
Quin tota elegia de hac re conqueritur. NAUGER. Deeſt *ei*, quae formoſa videri vult. Alii emendarunt, *nunc uterum vitiat*, quod ſi in uno eſſet vetere, probarem propter ſententiam. *uterum vitiare* eſt, *labefactare onus uteri*, vel, *excutere onus viſceribus*, ut alibi ſolet Poëta loqui. FABRIC. Bonis exemplaribus & ratione legendum, *Nunc uterum vitiat &c.* CIOFANUS. Varie exhibent codices hunc locum, *nunc uterus vitii eſt* Regius & tres alii, *nunc mulier vitio eſt.* Palatinus. *uterum ſervat.* Mentel. Schottus lib. 11. Obſ. 53. è membranis legit, *nunc uterus vitis.* quod in Lovanienſi eſt. ſed praefero receptam a viris doctis, & de abortu intelligo, qui medicamentis curatus, vitiat uterum, ne facile iterum concipiat. ita Columella lib. VII. 6. *Huic pecudi nocet aeſtus, ſed magis frigus, & praecipue foetae, quia gelicidio hiemis conceptum vitiat.* ita ex veteri codice legendum, inepte vulgo, *quae conceptum fecit.* BURM.

25. *Certe ego.*] *Ecce ego* Junii codex.

26. *Clytemneſtra.*] *Clytemneſtrae* Francof. & Mentelianus optime. vide ad Epiſt. XVII. 256.

30. *Utraque poma ſuas.*] Poſt hunc verſum in multis codicibus adſcripti erant ineptiſſimi quidam verſus, quae Monachorum ſordes facile produnt:
Audiat hoc prunus, dare deſinet utile munus.
Audiat haec ceraſus, ſtipes inanis erit.
Audiet haec ficus, ficu privabit amicum (vel *amicos.*)
Eſcule ne parias, ne quoque tu pereas.
Fraxinus horroris cauſſam cum veſtit honoris.
Et haec ipſa etiam diverſo modo leguntur in codicibus, & multa etiam deeſſe hujus Poëtaſtri, indicium dabat Junianus codex, ubi inter primum & ſecundum verſum intervallum erat, unde excidiſſe quaedam conſtat. in aliis erat:
Fructus jucundos, qui fert ſimul & rubicundos
Audiat hoc ficus, ficus privabit amicus.
Audiat hoc ceraſus &c.
In alio poſt, *Audiat hoc prunus &c.*
Doctanus excutiet quae gignit & arida fiet.
Contra in Moreti codice a ỹs. 27. deerant quatuor diſticha. *deſtituant* idem Moreti codex & alius. Francius volebat, *deſtituet ſilvas utraque paene ſuas.* BURM.

31. *Vario colore.*] Sic *variae uvae* apud Columellam, cujus verba poſui in epiſt. Oenonis; quae, ſi placet, conſule. CIOFANUS.

31. *Di-*

Cernite ſinceros omnes ex ordine truncos,
Qui modo nil, quare percutiantur, habent.
At mihi ſaeva nocent mutilatis vulnera ramis;
Nudaque dejectâ cortice ligna patent.
Non odium facit hoc, ſed ſpes indulta rapinae.
Suſtineant aliae poma; querentur idem.
Sic reus ille ferè eſt, de quo victoria lucro
Eſſe poteſt: inopis vindice facta carent.
Sic timet inſidias, qui ſcit ſe ferre viator,
Cui timeat: tutum carpit inanis iter.
Sic ego ſola petor; ſoli quia cauſſa petendi eſt.
Frondibus intactis cetera turba virent.
Nam quod habent frutices alii quoque proxima nobis
Fragmina, quae laeſo vimine multa jacent;
Non iſtis ſua facta nocent: vicinia damno eſt.
Excipiunt ictu ſaxa repulſa meo.
Idque fide careat; ſi non, quae longius abſunt,
Nativum retinent inviolata decus.

Ergo,

31. *Diſtinguit.*] *Veſtit ſua poma colore*, Lovan.

33. *Numquam tamen ulla feritur.*] Quanto alacrior figurae mutatio in libro vetuſto? *numquid tamen ulla feritur?* Fabric. Repone, *nunquid* ex melioribus libris. & ſequenti verſu, *ſola conſpicienda coma eſt.* Vide Notas Epiſt. xvi. ℣s. 364. Heinsius..

34. *Sola conſpicienda coma eſt.*] Ita lego ex uno Maffejano. Ciofanus.

35. *Sinceros.*] Id eſt integros & illaeſos. Ovid. iv. Pont. ix. 10.

Et mea ſincero curreret axe rota. Douza.

Male unus codex, *ſecuros.* vid. ad Met. viii. 664.

37. *Saeva nocent.*] *Scaeva* duo codices. *ſaeva nocent nudatis vulnera.* Francof. non male.

38. *Decerpto.*] Licet nonnulla ex manuſcriptis exemplaribus habeant *detecto*, tamen legendum omnino eſt, ut in pluribus exemplaribus legitur, *decerpto*: quod participium ante oculos ponere videtur vulnera illa, quae cortice illiſo & detracto à ſaxis carptim inferuntur arboribus. Marius. Alii, *detecto.* Merula, *decerpto.* ſed ex alio Ovidii loco ſcribimus, *direpto.* ut i. Amor. 14. *Qualem direpto cortice cedrus habet.* direpto, detracto, abſciſſo. Fabric. *Dejecto* ſcripti plerique. unus, *delecto.* alius, *dijecto.* vetuſta editio, cum Bartholini & Langermanni libris, *decerpto.* Lege, *derepto cortice.* Adi notas ad lib. i. Amorum Eleg. v. *direpto* Fabricius. Heinsius. *Derepto* tamen eſt in nullo codice. *dejecto* optimi quique. ſed *dejecta* Francof. quod amplexi ſumus: non enim lapidibus deripitur cortex, ſed dejicitur. vide ad iv. Met. 376. Burmannus.

39. *Sed ſpes inducta rapinae.*] In vetuſto, *ſpes indulta.* Fabric. *Indicta* Mentelii liber. alius *illuſtra. indulta* Fabricii codex. Heinsius.

40. *Querentur.*] *Querantur* Regius & alius: *queruntur* Lovan.

41. *Sic reus.*] *Fit reus ille fere* ex Vaticano legebat olim Heinſius. ſic *facere reum* Suet. Tib. 8. & paſſim alii. vid. ad. Calp. Decl. 50.

41. *De quo victoria lucro.*] In multis legitur, *victoria laeta*, etiam in MSS. unde ſuſpicor lectionem ab alio emendatam. *laeta* autem lucroſa, triumpho digna. Fabricius. forte animo librarii obverſabantur illa Horat. i. Sat. i.

Momento cita mors venit, aut victoria laeta.

43. *Qui ſe ſcit ferre viator. Quod timeat.*] Aut legendum eſt, *cui timeat*, aut *quod* poſitum eſt pro quare; ut, *non eſt quod metuas.* Erasmus. Maff. liber, *Cur timeat.* Verè. Atque ita legit Niger. Ciofanus. Lege, *Cui timeat.* quod & Mario Nigro videbatur. Heinsius.

44. *Carpit.*] In Patavino erat, *curris.* vid. ad v. Triſt. vii. 36.

45. *Soli quia cauſſa.*] *Soli mihi cauſſa* Neapol. *quia fructus cauſſa* alius.

46. *Viret.*] *Virent* Ambroſianus. Heinsius. vid. ad ii. Amor. ii. 30.

47. *Nam quod habent frutices aliquando proxima noſtro.*] Manuſcriptum, *alioquin.* ſed adverbium alterum probe facit ad ſententiam. Fabricius. *Nobis* potior ſcriptorum pars. pro *aliquando* legendum,

alii

Ergo, ſi ſapiant, & mentem verba ſequantur;
Devoveant umbras proxima quaeque meas.
Quam miſerum eſt, odium damnis accedere noſtris;
Meque ream nimiae proximitatis agi!
Sed, puto, magna mei eſt operoſo cura colono.
Invenias, qui det nil mihi, praeter humum.
Sponte meâ facilis contemto naſcor in agro:
Parsque loci, quâ ſto, publica pene via eſt.
Me, ſata ne laedam, (quoniam ſata laedere dicor)
Imus in extremo margine fundus habet.
Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras:
Duratam renovat non mihi foſſor humum.
Sole licet ſiccâque ſiti peritura laborem;
Irriguae dabitur non mihi ſulcus aquae.
At cum maturas fiſſo nova cortice rimas
Nux agit; ad partes pertica ſaeva venit.
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis;
Ne poſſim lapidum verbera ſola queri.

Poma

alii quoque cum Moreti codice. Lovanienſis ex noſtris, & Fabricii codex, *alioquin*. HEINSIUS.

48. *Quod laeſo vimine.*] *Collaeſo* duo veteres. ſed probo quod Ambroſianus habet, *quae laeſo*. IDEM. In codice Moreti, *quod multo vimine laeſa jacent*. unde Heinſius, *mutilo*. In Lovan. *laeſo vimine junĉta*: forte, pro, *laeſo vimine trunca jacent*. vel, *quod laeſae vimina junĉta jacent. laeſae* ſcilicet mihi. BURM.

51. *Idque fide careat.*] *Atque fide careant*. Ed. pr. forte, *hacque fide caream*. HEINSIUS.

55. *Odium damnis accedere noſtris.*] Eleganter in uno codice, *accreſcere*. de qua voce, cum τῷ *accedere* confuſa, vide Heinſ. ad Val. Flac. I. 178.

56. *Proximitatis.*] Utitur & hoc verbo alibi. CIOFANUS. II. Art. 662.

58. *Inveniat.*] Modus eſt imperativus, in quibusdam exemplaribus legitur &, *invenias*. MARIUS. Vetuſta editio cum Mediceo codice, *Invenies quod det nil mihi*. alia cum tribus ſcriptis, *Invenias dederit quid mihi*. unus, *Invenies dederit quid mihi*. alius, *Inveniat*. duo, *Inveniat ſi quid det mihi*. Lege, *Invenias, qui det nil mihi, praeter humum*. nam in uno Vaticano, *Inveniet qui det nil*. HEINS. Recte *invenias* Heinſius. nam ita ſolet Noſter. ſic Epiſt. XVII. 235. optimi codices:

Omnibus invenias, quae nunc jactantur in alto,
Navibus a portu lene fuiſſe fretum.

Et XVI. 174.

Pliada ſi quaeras, in noſtra gente, Jovemque
Invenias.

Sic quoque III. Faſt. 659. ſcriberem:

Invenias, qui te Nymphen Atlantida dicant.

Infr. 97.

Jam tamen invenias, qui me jaculentur.

Quinct. VIII. Inſt. I. *Multos enim, quibus loquendi ratio non deſit, invenias*. ubi & *invenies* Vidovei editio. Douza legebat, *Invenias dederit quod mihi p. h.* BURMANNUS.

60. *Quo ſto.*] *Qua* omnes fere libri.

62. *Imus.*] *Imus fundus* pro *ager poſtremus*; quomodo *Faber imus*, in extrema vici parte habitans, apud Horat. in Art. Poët. ex quo nomen proprium Fabri qui faciunt, valde ridiculi ſunt. FABRICIUS. ſic *prima fabula*, *extrema platea*, *medius Janus*. CIOFANUS.

63. *Non mihi falx.*] Oxonienſis ex vetuſtioribus, *Nunc*. Lege hoc & ſequenti verſu, *Num*. HEINSIUS. *Saturni* Marg. Berſm.

66. *Sulcus aquae.*] Multi libri, *ſuccus*. nil muta. vid. ad I. Faſt. 351. in tribus erat, *rivus*.

68. *Pertica ſaeva.*] *Longa* duo libri. ut in iſtis Ovidii III. Faſt. 117.

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos. HEINS.

Scaeva Palatinus; & mox Neapolit.

Pertica ſaeva venit, plenis dans vulnera ramis.

Francof.

Pertica dat plenis inimicaque vulnera ramis.

70. *Ne poſſim.*] *Nec poſſim* Berſm. Ed. *nec poſſum* Lovan.

Poma cadunt, menſis non interdicta ſecundis;
Et condis lectas, parca colona, nuces.
Has puer aut rectus certo dilaminat ictu;
Aut pronus digito bisve ſemelve petit.
Quattuor in nucibus, non amplius, alea tota eſt;
Cum ſibi ſuppoſitis additur una tribus.
Per tabulae clivum labi jubet alter; & optat,
Tangat ut è multis quamlibet una ſuam.

Eſt

71. *Poma cadunt menſis non interdicta ſecundis.*] Locum hunc illuſtravi in meis in Metam. obſervationibus. CIOFANUS.

72. *Parca colona.*] Vid. IV. Faſt. 692. & *comedit* Moreti. *ſed condis* Junii.

73. *Has puer, &c.*] Nihil addubito, quin Ovidius ita ſcripſerit hoc carmen: *Has puer aut certo rectas dilaminat ictu.* Siquidem *dilaminare* dixit, pro in duas laminas diducere. Id fit quoties ſolutis commiſſuris, finditur nux in duas partes. Unde paulo poſt laminam vocat putamen fiſſile. Illud interim erat artis, certo ictu tangere commiſſuram. Nam *dilaniandi* verbum, quod in Aldinis quoque codicibus legitur, etiam carminis ratio reſpuit. Porro quod ait, *Rectas*, opponitur illi quod mox ſequitur, *Pronas*, hoc eſt, transverſas. Suſpicor autem hunc eſſe luſum, quo findimus etiam mala praedura. Imponitur index ſiniſtrae mali pedunculo, & in hunc pugnus dexter ſubito impingitur. In impetu ac celeritate ſita eſt victoria. Etenim ſi leviter impingas, & digitum offendis, nec findis malum. ERASMUS. Legendum omnino ex manuſcriptis exemplaribus eſt, *Rectas*, nam ſequitur, *Aut pronas. Rectas*, caſtellatim diſpoſitas. quod inferius exponet, dicens: *Cum ſibi ſuppoſitis additur una tribus.* pro, *Dilaniat.* Lego ex manuſcriptis, *Diverberat.* Hoc ludendi genere noſtrates pueri & puellae praeſertim utuntur, & nucibus, & frequentius perſicorum oſſibus. Puer duas aut plures ex ſuis nuces accipit, totidemque à ſocio, quas omnes altius ſublatas in ſolum cadere ſinit: tum eas ſpacio diſtantes ſingulatim alteram in alteram impellit, digito medio pollici ſubjecto, atque inſtar balearicae fundae cum impetu emiſſo: quod ſi nux illa digito impulſa ex caeteris aliquam tetigerit, ambas ut ſuas reponit: tum ceteras eodem modo aggreditur. Sin nux fruſtra digito impulſa nullam tetigerit, ſocius ſubit, & ex nucibus quam ſibi libuerit, impellit eodem modo & lege, ut primus: atque eo pacto ſibi invicem cedunt, donec omnes nuces tollantur. Optimè igitur Naſo *Bisve ſemelve* dixit. MARIUS. *Delineat* deſignando dividit, delineando *dilaminat*, ita expreſſe in manuſcripto, quod ſequimur, quodque a fratre Blaſio Fabricio è Trebocis accepimus. hujus loci facta obiter mentio in Hippolyto fuit, ſeu, (ut alii) in Phaedra Senecae. vulgo lectum fuit *dilaniat* contra numeros. quod tamen ad veritatem proxime accedit. FABRICIUS. *Dilaniat* multi ex ſcriptis. Unde Eraſmus, *dilaminat.* ingenioſe. quomodo & codex Mediceus cum priſca editione. etſi verbum id ſit novum. certe *Laminam* nucis infra hic idem auctor appellat. Politianus conjiciebat, *deliniat. delineat* Fabricius, *divulnerat* codex Patricii Junii. *diſſeparat* duo alii. Mureti, *delaniat.* pro *rectas* etiam in multis veteribus, *lectas.* Puto ſcribendum, *ſectas dilaminat.* HEINSIUS. *Deverberat* emendo ex ſententia Auſonii ſcribentis:

Nunc ego pubentes ſalicum deverbero frondes.

Id quod etiam idiotiſmo noſtro reſpondet propius, afſimpten / DOUZA. *diverberat* etiam Conſtantius Landus ad Catulli nuptias Juliae & Manlii Epigr. LXII. & hic Marius. hos ludos pueriles & ſequentes verſus expoſuit docte Sentlebius in Nucibus Saturnalitii cap. IX. & ſeqq. qui hic *dilaminat* praefert. ſed *rectae* illae nuces non placent, quare ego legerem hic:

Has puer aut rectus certo dilaminat ictu,
Aut pronus digito bisve ſemelve petit.

Rectus eſt in Regio. duas ſpecies ludorum memorat, aut puer erecto corpore dilaminat, aut pronus & inclinato corpore petit. ſed quales illi ludi fuerint me non plane ſcire fateor. *Rectus* vero ita ſaepe occurrit. Lucan. VIII. 821.

Quod non legat advena rectus.

Ovidius III. Met. 78.

Longa trabe rectior adſtat.

Petron. LXXIII. *In qua Trimalchio rectus ſtabat.* BURMANNUS.

74. *Aut pronas.*] Rectius *pronus* cum Regio & Menteliano codice. HEINSIUS.

76. *Cum ſibi ſuppoſitis.*] Elegantiſſime deſcripſit aleae illud genus, cum pueri caſtellatim ſibi nuces conſtruunt, quas procul diſtantes ſi everterint nuce emiſſa, quotquot everſae fuerint, atque etiam quae diſpoſitae ſunt infra everſas, omnes lucrantur. Hinc quidam apud Tranquillum in Auguſto cap. 83. legunt ſic illud membrum: *Animi laxandi cauſa modo talis, aut caſtellatis nucibus ludebat cum pueris minutis.* Tranquilli tamen plura exemplaria, *Ocellatis nucibus*, id eſt, perforatis inſtar ocel-

Eſt etiam, par ſit numerus qui dicat, an impar:
Ut divinatas auferat augur opes.
Fit quoque de cretâ, qualem coeleſte figuram
Sidus, & in Graecis litera quarta gerit.
Haec ubi diſtincta eſt gradibus; qui conſtitit intus,
Quot tetigit virgas, tot rapit inde nuces.
Vas quoque ſaepe cavum, ſpatio diſtante, locatur;
In quod miſſa levi nux cadat una manu.

Felix,

ocellorum; ſcriptum habent. MARIUS. vid. Sentleb. cap. IX. & Caſaubon. ad d. Suetonii locum.

77. *Per tabulae.*] Altera ludendi ſpecies eſt, ut diſpoſitis in ſeriem nucibus, per tabulam declivem volvatur nux: quae ſi tangat quam oportet, vincit qui miſit. ERASMUS. Hoc quoque ludi genus hodie noſtrates pueri exercent. Se enim conferunt ad loca declivia, ibique aſſidentes alternatim nuces aut perſicorum oſſa ſingula labi ſinunt: ille autem, cujus nux tetigerit aliquam ex illis quae jam labi deſiverunt, & ceſſant, omneis aufert nuces, & lucratur. *Clivum*, declivitatem & deſcenſum. Virgil. in Bucol. *Qua ſe ſubducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo.* MARIUS. vid. Sentleb. cap. XI.

78. *Quaelibet una.*] *Quamlibet* meliores. HEINS.

79. *Eſt etiam, par ſit.*] Sic hodie quoque ludentes pueros conſpicimus. Nuces enim, quotquot voluerint, manibus premunt, & tanquam problema quiſque compari ſuo proponens interrogat, par inſit numerus, an impar. quod ſi ille divinaverit, omneis nuces aufert: ſin minus, totidem amittit. Hujus ludi meminit & Flaccus in Sermonibus, dum pueriles ludos recenſet, inquiens: *Ludere par impar, equitare in arundine longa.* Nec vero nucibus tantum aut caſtaneis ludere par impar ſoliti erant antiqui, ſed etiam nummis. Legimus enim apud Tranquillum, Auguſtum ſic ad filiam ſcripſiſſe: *Miſi tibi denarios ducentos & quinquaginta, quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter coenam vel talis, vel par impar ludere.* MARIUS.

81. *Fit quoque.*] Aliud tangit ludi genus, quod jam obſoletum eſt, ideo nobis minus notum. *Fit quoque.* ordo eſt: Figura quoque de creta fit, ſupple talis, qualem coeleſte ſidus, & litera quarta in Graecis gerit. pro *Decerta*, legendum eſt ex manuſcriptis exemplaribus, *De creta*, ut ſint duo verba. Creta eſt terra alba, cujus genera plura recenſet Plin. lib. 17. cap. 8. *Sidus coeleſte*, Deltoton dicit: quod ſidus (ut Higinius inquit) velut litera eſt Graeca in triangulo poſita: itaque appellatur, quod Mercurius ſupra caput Arietis ſtatuiſſe exiſtimatur: ideo ut obſcuritas arietis hujus ſplendore, quo loco eſſet, ſignificaretur, & Jovis nomine Graece διὸς primam literam deformaret. Nonnulli Aegypti poſitionem, alii, qua Nilus terminaret Aethiopiam & Aegyptum, dixerunt. Alii Siciliam figuratam putaverunt: alii, quod orbem terrarum ſuperiores trifariam diviſerunt, treis angulos eſſe conſtitutos dixerunt. Deformatur igitur in triangulum aequis quodammodo lateribus duobus: uno breviore, ſed prope aequali reliquis. Inter aeſtivum & aequinoctialem circulum, ſupra caput Arietis, non longe ab Andromadae dextro crure, & Perſei manu ſiniſtra collocatum: cum Ariete toto occidens, exoriens autem cum ejuſdem dimidia priore parte. Habet autem ſtellas ſingulas in ſingulis angulis. MARIUS. Tertium luſus genus deſcribit. E creta pingitur ampla figura triangula, qualem habet apud Graecos Δέλτα majuſcula forma ſcriptum. Eandem figuram apud Aegyptios curſu ſuo facit Nilus: unde & loco nomen inditum. Et huic ſimilis oſtenditur in coelo ſuper caput Arietis. Hac notant tres ſtellae, duabus lineis aequalibus, tertia breviore: ſed quae in angulo ſtellam clariorem habeat, Graeci δέλτωτον appellant. In lineis itaque pictis, certis intervallis, quos hic *gradus* vocat, diſponuntur nuces. Puer qui ſtat in medio, jactu virgae quot tetigerit, tot aufert. ERASMUS. Obſcurus locus, quod hujuſmodi ludus in deſuetudinem abiit. Verborum autem ordo hic videtur: Deltae, litterae Graecae figura, ubi numeris, notis, aut lineis diſtincta ac notata eſt, tot puer, qui luſit, ex ea nuces capit, quod numeros virga, quae intus conſtitit, attigit. CIOFANUS.

81. *Figuram.*] *Figura* Conſtant. Landus ad Catull. Epith. Manlii & Juliae, & ita Ald. Berſin. & alii.

84. *Quot tetigit virga, tot capit ipſa nuces.*] *Ipſe* nonnulli. *ille* duo. Sed vetus editio, codex Regius, & Langermanni recte, *tot capit inde.* quare & in ſuperiori verſu ſcribendum; *qui conſtitit intus*; non, *quae.* HEINSIUS. De hoc ludo ita Barth. x. Adv. 23. *Hactenus de pueris locutus eſt, nunc aliud genus puellaris ludi proponit: fingebatur Δέλτα Graecum, ſive Trianguli forma, quam Deltoton in caelo gerit. in medio ſtatuebatur puella obnuptis oculis, Delta ipſum in gradus diſtinguebatur, gradibus ſingulae nuces imponebantur, quas cum virguncula attigiſſet nuces vicerat. una litera claram ſententiam facit.*

Felix, ſecreto quae nata eſt arbor in arvo;
Et ſoli domino ferre tributa poteſt!
Non hominum ſtrepitus audit, non illa rotarum:
Non à vicinâ pulverulenta viâ eſt.
Illa ſuo, quaecumque tulit, dare dona colono,
Et plenos fructus adnumerare poteſt.
At mihi maturos numquam licet edere foetus;
Ante diemque meae decutiuntur opes.
Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intro eſt;
Nec mala ſunt ulli noſtra futura bono:
Jam tamen invenias, qui me jaculentur, & ictu
Praefeſtinato munus inane petant.

Si

facit. nam Virgo *ſcribendum. Ne autem una chorda aberret puellam puero ſubjungit. Ciofanus hic nihil expedivit, nec alii interpretes.* ſed non perſuaſit Sentlebio Barthius, qui legit:

Quae conſtitit intra
Quot tetigit virgas, tot capit inde nuces.

Et ita explicat. Delta Graecorum triangulari forma pingebatur, idque gradibus invicem diſtinguebatur, in hunc modum:



Colludentes ergo pueri procul ſtantes nuces ſingulas in Deltoton mittebant, & cujuscunque nux in illo ſchemate conſiſtebat, tot lucrabatur nuces quot tangebat virgas, ſeu lineas, ſi vero nux miſſa Deltoto penitus emigraſſet, miſſio iſta erat irrita, & alius ex ſociis admittebatur. recte, ut puto, Sentlebius, qui uberius hunc locum illuſtrat: nam *conſiſtere* nux dicitur, quae è manu emiſſa & evoluta quieſcit & curſum finit, ut millies ea vox occurrit. ut III. Amor. 4.

Conſtitit ut primum conceſſas ſenſit habenas.

Curt. VIII. 4. *Nec progredi nec conſiſtere audebat.* Iuſt. XLI. 3. *Super illos ire, conſiſtere.* Petron. XLVI. *nec uno loco conſiſtit.* ubi vide quae notamus, & ad Metam. v. 280. poſſet tamen & legi:

Qui conjicit intus,
Quot tetigit virgas, tot capit inde nuces.

In Ambroſiano etiam legitur, *tot rapit*; eleganter, & quod puerorum ludentium aviditatem optime exprimit. BURMANNUS.

85. *Vas quoque.*] Sic à quibusdam & noſtra tempeſtate ludi videmus: Alter enim puerorum vaſculum aliquod, ut pelvim, ponit, & cum altero convenit: ut quot ille procul ſtans in pelvim nuces miſerit, tot lucretur: quaecunque autem extra pelvim ceciderint, amittantur. MARIUS. Meminit hujus luſus & Perſius, *Et anguſtae collo non fallier orcae.* Singuli pueri deponunt nuces aliquot in orcam, id eſt ollae genus: deinde ex intervallo ſinguli per vices petunt os ollae: qui ſolus, aut frequentius immiſerit, aufert omnes nuces. ERASMUS. Vid. Sentleb. cap. XIV. qui Perſii locum ex Satyr. III. huc male advocari contendit. quamvis Scholiaſtes Perſii, quisquis ille ſit, huc referat. ſed ad Talorum jactum eſt referendus, ut idem Sentlebius de alea cap. XII. probavit.

87. *In agro.*] *In arvo* Edit. prima & meliores ſcripti.

88. *Et ſoli domino.*] *Quae ſoli domino* Palatinus.

90. *Non a vicina.*] *Non eſt vicina via* duo libri. *non ſibi vicina pulverulenta via* Regius, quod non diſplicebat Heinſio.

91. *Dare dona colono.*] Emenda ex lib. Maff. qui, ut dixi, fuit Pauli Marſii: *poma colono.* CIOFANUS.

92. *Et plenos fructus annumerare poteſt.*] Proprie uſus eſt verbo *annumerandi.* IDEM.

93. *At mihi maturos.*] Rurſus manuſcriptum, *At mihi maternos.* quod ſequentia declarant, non plane eſſe ineptum. nam ad arbores transferri modo diximus. FABRICIUS.

94. *Percutiuntur.*] Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *decutiuntur.* MARIUS. *Decutiuntur* eſt genuina lectio è veteribus exemplaribus. CIOFANUS. *Ante diem noſtrae dejiciuntur* editio prima & duo ſcripti.

95. *Tenero eſt in lacte quod intra eſt.*] *Tenero de lacte quod intro eſt* Oxonienſis. *tener & de lacte quod intro eſt* Neapolitanus. *tenero de lacte quod intus*

Si fiat rapti, fiat menſura relicti,
Majorem domini parte, viator, habes.
Saepe aliquis, foliis ut nuda cacumina vidit,
Eſſe putat Boreae triſte furentis opus.
Aeſtibus hic, hic me ſpoliatam frigore credit:
Eſt quoque, qui crimen grandinis eſſe putet.
At mihi nec grando, duris inviſa colonis,
Nec ventus fraudi, ſolve, geluve fuit.
Fructus obeſt: peperiſſe nocet: nocet eſſe feracem.
Quaeque fuit multis, & mihi praeda malo eſt.
Praeda malo, Polydore, fuit tibi: praeda nefandae
Conjugis Aonium miſit in arma virum.

Heſpe-

intus vetus editio, & quinque ſcripti. *tenero de lacte quod intra eſt*, duo. *teneroque in lacte quod intro eſt*, Vaticanus. Scribo, ut cum ſuperioribus haec cohaereant, *Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intus*, vel, *intro eſt*. Heinsius. Non inepta videri poteſt Vaticani codicis ſcriptura, *teneroque in lacte quod intro eſt*. ut ſit locutio ſimilis illi, qua *in herbis* dicitur eſſe ſeges vel meſſis, de qua vide ad Epiſt. XVII. 363. Burmannus.

97. *Jam tamen.*] Eſt autem *jam* inceptiva particula. Ciofanus.

97. *Invenio.*] In quibuſdam rectius, *invenias qui me jaculentur*. Naugerius. Multo rectius in iiſdem libris legitur, *Invenias*. ut ſupra 58.

Invenias, qui det nil mihi praeter humum. Heins. *Qui me jaculetur*, & mox, *petat* Moreti codex. *jaculantur* & *petunt* Palatinus. *numen inane* etiam Moreti, quod pro *nomen inane*, ut ſaepe alibi, poſitum videbatur Heinſio.

100. *Habes.*] Lego ex MSS. *habet*. Marius. Ita & editi quidam, ſed omnes fere libri ſcripti, *habes*. *domino* etiam Palatinus. unde tentabat Heinſius, *domina parte*.

101. *Ubi nuda cacumina vidit.*] *Ut vidit* vetus editio & ſcripti nonnulli. & ſequenti verſu eadem editio cum Mediceo, *Boreae frementis*. ut in Triſtibus I. 2.

Inter utrumque fremunt immani turbine venti.

Heinsius. *Ut* pro *ubi* ſaepe Noſter. vid. ad Epiſt. IV. 25. *fremere* & *furere* etiam confuſa I. Met. 244. ſic apud Virgil. X. 603.

Torrentis aquae vel turbinis atri
More furens.

Quidam codices, *fremens*. & apud Lucan. VI. 274.

Cumulumque furentem
Undarum non paſſa.

Etiam *frementem* Rottendorfianus. ſed cum & ſaepe venti *furere* dicantur, (vid. Drakenb. ad Sil. XIV. 74.) nihil eſt temere mutandum. Burm.

103. *Aeſtibus hic, hic me.*] Odioſa repetitio & ingrata τοῦ *hic*. ſcribe cum Neapolitano:

Aeſtibus hic, alius ſpoliatam frigore credit.

Sic I. Met. 293.

Occupat hic collem, cymba ſedet alter adunca.

In Moreti erat, *aeſtibus hic veris*. unde olim Heinſius faciebat, *aeſtibus hic vernis, ſpoliatam hic frigore credit*. Burmannus.

105. *Duris inviſa.*] *Magnis* Bodlejanus.

106. *Nec ventus fraudi.*] *Fraus* verbum Juris. Alii perperam legunt, *damno*: quod gloſſema eſt. Terent. in Heautontimorumeno Sc. I. Act. III.

In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa incides.

Utitur & hoc verbo eo ſenſu hic Noſter lib. III. Amor. Eleg. item III. Horat. lib. II. carm. Oda XIX. M. Tullius in Epiſt. XVI. lib. XI. ad Attic. & alii auctores. Ciofanus. Septem ſcripti meliores cum veteri editione, *fraudi*. probe. Neque aliter ex ſuis Ciofanus. qui videatur. ſic Faſt. VI. 173.

Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat.

Triſt. II. 463.

Non fuit hoc illi fraudi.

Vide Serv. ad Virg. X. Aeneïd. 72. Heinsius. & *fraudi* Douza legebat. *damno* alii, quod gloſſatoris eſſe recte judicant viri docti.

107. *Fructus obeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem.*] Expreſſiſſe videtur Epigr. Graecum è lib. I. Epigram. εἰνοδίην κεφάλην &c. Quod Latine ſic vertit eruditiſſ. Alciatus in ſuis emblematis:

Ludibrium pueris lapides jacientibus, hoc me
In trivio poſuit ruſtica cura nucem.
Quae laceris ramis perſtrictoque ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid ſterili poſſet contingere turpius? eheu!
Infelix fructus in mea damna fero. Ciofan.

Malim, *feraci*, ſi per libros liceat. ſic lib. IX. 477. Metam. *verum nocet eſſe ſorori* lib. I. 662. *Sed nocet eſſe Deo*. ut & illic ſcribendum cenſeo. Sympoſius Aenigm. LIII. *quamvis placet eſſe maritae*. ita lego. nam V. C. Voſſianus *marito*. Vulgati, *maritam*. vide quae noto ad Epiſt. XIV. Vs. 4. & 64. Lucretius lib. V. 180, ut quidam codices:

Heſperii regis pomaria tuta fuiſſent:
Una ſed immenſas arbor habebat opes.
At rubus, & ſentes tantummodo laedere natae;
Spinaque vindictâ cetera tuta ſuâ eſt.
Me, quia nec noceo, nec obuncis vindicor hamis;
Miſſa petunt avidâ ſaxa proterva manu,
Quid, ſi non aptas ſolem fugientibus umbras,
Finditur Icario cum cane terra, darem?
Quid, niſi ſuffugium nimbos vitantibus eſſem;
Non exſpectatâ cum venit imber aquâ?
Omnia cum faciam, cum praeſtem ſedula cunctis
Officium, ſaxis officioſa petor.

Haec

Qui numquam vero vitae guſtavit amorem,
Nec fuit in numero, quid obeſt non eſſe creato?
Sic contra, *profuit* Noſter Met. VIII. 553.
—— *Nec fortibus illic*
Profuit armentis, nec equis velocibus eſſe.
Met. XI. 317. ut quidem legendum puto:
Quid peperiſſe duos & Dis placuiſſe duobus,
Et forti genitore, & progenitore Tonanti
Eſſe fatae prodeſt!
Propertius libro III. El. XVII.
Quid genus aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Caeſaris eſſe focos?
Ita recte Scaliger ex veſtigiis vetuſti codicis. HEINSIUS.

108. *Haec mihi.*] Rectius in manuſcriptis exemplaribus legitur, *eſt*. MARIUS. querelae magis convenit lectio manuſcripti, *hei mihi praeda malo eſt.* convenit etiam exemplis triſtibus Polydori Trojani, Amphiarai Thebani, Atlantis Libys. FABRIC.
Quaeque fuit multis, eſt mihi praeda malo.
Hanc retinet lectionem alter ex Maff. liber. CIOFAN. Scripti veteres magna ex parte, *heu mihi praeda malo eſt*; vel, *haec*; vel, *hei*. Lege, *& mihi praeda malo eſt*. HEINSIUS.

109. *Praeda malo Polydore fuit tibi.*] Longe melior numerus eſt in eodem lib. *Praeda fuit Polydore malo tibi.* CIOFANUS.

109. *Praeda.*] Aureus torquis. IDEM.

109. *Nefandae conjugis.*] Eripyles. IDEM.

110. *Miſit ad arma.*] Polynicis opera ac dolo Eripyle accepto aureo monili Amphiaraum virum ſuum ad bellum Thebanum ire induxit. *Aonium* Quod divinandi eſſet peritiſſimus, ac velut Apollo futura praediceret. Fabulam narrat Apollodorus lib. III. & hic Niger. CIOFANUS. *Miſit in arma* meliores. HEINSIUS. ita & Douza. Virgil. II. Aeneïd. 87.
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.
Val. Flac. VI. 65.
Datin Achaemeniae gravior de vulnere pugnae
Miſit in arma Daraps.

Vid. ad Epiſt. III. 136. Male Eraſmus de Helena capit.

111. *Heſperii regis.*] Moreti codex, *Heſperiique ducis.* quod nobis magis placet. ſic IV. Faſt. 884. ex melioribus:
Haec contra Dux ita Tuſcus ait.
In aliis, *rex.* vid. ad Ep. XIII. 43. BURMAN.

113. *At Rubus, & ſentes tantummodo laedere natae.*] Perſimile apud Terentium in Phormione; Act. & Scena II.
— *Non rete accipitri tenditur, neque milvio,*
Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt,
tenditur:
Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur.
CIOFANUS.

115. *Nec aduncis.*] *Obuncis* duo libri. unus, *abuncis*. HEINSIUS. vid. VI. Metam. 517. & Claud. I. Rufin. 383.

116. *Saxa proterva.*] Eodem modo *impudens lapis* dicitur ab Homero, qui commendatur ab Ariſt. lib. III. Rhetoricorum. CIOFAN.

117. *Solem vitantibus.*] Hi verſus non uno modo erant depravati. pro *vitantibus* ſcriptum erat, *nutantibus*, & mox pro *ſuffugium*, *ſuffragium*. reclamante etiam carminis lege. Non ſolum, inquit, fructifera & innoxia, verum etiam aliis modis commoda ſum viatori: videlicet ſub umbram meam confugit, quum non tolerat aeſtum ſolis, aut quum ſub dio ſubito oborta pluvia occupavit. ERASMUS. *Mutantibus* ſincera eſt lectio, ut Horat. I. carm. 17. *Lucretilen mutat Lyceo Faunus.* aliud eſt ſolem *fugere*, aliud *mutare*. *Fugiunt*, qui abhorrent: *mutant*, qui repetunt. FABRICIUS. In libris veteribus, *fugientibus*: omnino melius. CIOFAN. *Mutantibus* ſcripti fere omnes. quod quamvis video, quomodo explicari poſſit, tamen *vitantibus* reponi debere exiſtimo. Amor. III. Eleg. VI.
Ipſe ſub arboreis vitabam frondibus aeſtum.
Tibullus libro primo Eleg. I. *canis aeſtivos ortus vitare ſub umbra Arboris* pari modo dixit. HEINS. Sed mox iterum ſequitur, *vitantibus*, quare dubito

Haec mihi perpeſſae, domini patienda querela eſt.
Cauſſa habeor, quare ſit lapidoſus ager.
Dumque repurgat humum, collectaque ſaxa remittit;
Semper habent in me tela parata viae.
Ergo inviſa aliis, uni mihi frigora proſunt:
Illo me tutam tempore praeſtat hiems.
Nuda quidem tunc ſum; nudam tamen expedit eſſe:
Nec ſpolium de me, quod petat, hoſtis habet.
At ſimul induimus noſtris ſua munera ramis;
Saxa novos fructus grandine plura petunt.
Forſitan hîc aliquis dicat, Quae publica tangunt,
Carpere conceſſum eſt: hoc via juris habet.

Si

bito, an non hic *fugientibus* ſit retinendum, niſi ſequenti verſu *nimbos fugientibus* malis. quod commodius, cum nimbi ſubiti, & non exſpectati plerumque incidant, quos melius *fugere*, quam *vitare* dicimur. *vitamus* vero aeſtum. id eſt meditata cura cavemus, ut hujus vocis vim explicuit Barth. ad Stat IV. Theb. 618. & Calpur. Eclog. IV.

Forte Mycon ſenior, cantusque Myconis alumnus
Torrentes patula vitabant arbore ſoles.

Imbrem tamen *vitare* dixit & Noſter v. Met. 282. ita ut incertus haeream. alterutro tamen loco movenda vox eſt, & ideo priori, *fugientibus* ſervo. ita *fugio* & *vito* permutatum a librariis Remed. 735. niſi cum Fabricio malis, *mutantibus*. ſic apud Lucan. VI. 815. *Quas jubeat vitare plagas.* Ubi codices ſcripti etiam, *mutare*. de verbo *mutare*, vid. ad XIII. Met. 937. *Nimbis nutantibus* olim lectum fuiſſe patet ex Notis Obrechti ad Spart. Peſcen. cap. II. BURMANNUS.

119. *Nimbos vitantibus.*] Horat. lib. I. Od. 17.

Caniculae vitabis aeſtum. CIOFANUS.

121. *Cum praeſtem ſedula cunctis.*] *Cum cunctis ſedula praeſtem* Neapol. *ſedula nutrix* Junian.

122. *Officioſa.*] *Invidioſa* duo libri & Berſmanni, qui id minus belle legi cenſet.

123. *Patienda.*] Sic lib. I. Triſt. Eleg. III.

Ne mihi mors miſero bis patienda foret.

CIOFANUS.

124. *Cauſabor.*] Tibullus lib. I. elegia III.

Aut ego ſum cauſatus, aves dant omina dira,
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem. IDEM.

Recte Salmaſius Epiſt. 103. ad Gronovium, *cauſſa habeor.* Oxonienſis, *cauſabor queritur.* HEINSIUS. Douza explicabat pro accuſabor, & *quare* ſignificare *cur*, *quod*, aut *quoniam* notabat. Francius malebat, *cauſa feror.*

126. *Habent in me.*] *Habent mediae* cogitabat aliquando Heinſius.

128. *Illo me tutam.*] In nonnullis impreſſis, *Illo ne metuam tempore.* FABRICIUS. Scripti nonnulli, *Illo ut non metuam.* Forte, *Illo, ne metuam.* HEINSIUS.

130. *Nec ſpolium.*] Francofurtenſis habebat: *Non ſpolium de me, qui petat, hoſtis habet.*

131. *Sua vellera.*] In omnibus adhuc impreſſis exemplaribus legitur aut *vellera*, aut *vulnera*; ſed depravata eſt dictio. legendum enim eſt ex manuſcriptorum codicum auctoritate, *ſua munera*, id eſt fructus, ut etiam ex ſequenti pentametro cuivis conſtare poteſt. MARIUS. *Munera* ramorum, ſunt folia & fructus. Qui legunt, *ſua vellera* improprie dicunt, qui *ſua vulnera*, dicunt plane nihil. FABRICIUS. Liber Maffeian. *munera*. vere. quam lectionem agnoſcit Niger. CIOFAN. *τὸ ſua* hic non placet. Puto ſcribendum:

At ſimul induimur noſtris nova munera ramis.

Sova ſcriptum fuerat. HEINSIUS. Aliis quoque locis *ſuus* & *novus* permixta fuere. vid. ad II. Amor. V. 37. III. Faſt. 34. ſed, ut verum fatear, non video cur hic diſpliceat vocula, toties Heinſio, etiam ultra modum, adamata, praecipue cum ſequatur, *novos fructus.* neque etiam illud *munera* ſatis placet. forte ſcripſerit:

At ſimul induimus noſtris ſua funera ramis.

Ut fructus vocet funera, id eſt cauſſam exitii ramorum: nihil tamen moveo, ſed eruditis conſiderandum relinquo. ſic pro *funera*, *munera* ſcribere viros doctos lib. III. Met. 137. vidimus. & apud Stat. lib. V. Th. 710.

Quis ſuperum tanto ſolatus funera voto.

In MSS. eſt *munera*, & ita alibi. BURM.

133. *Forſitan hic aliquis dicat, quod publica tangunt.*] Sic legendum eſt hoc carmen ex manuſcriptis exemplaribus:

Forſitan hoc aliquis dicat, quae publica tangunt.

Hoc, ſcilicet quod ſequitur. Ordo autem eſt: Conceſſum eſt carpere, ſcilicet ea quae publica tangunt, hoc eſt, quibus publica contigua ſunt. MARIUS. Quod ſibi objici poſſet, confutat exemplis. Quae cujusquam civitatis publica ſunt, communi omnium, qui ex eadem ſunt civitate, uſui deſerviunt. Nux igitur in publica via ſita communis

Si licet hoc; oleas deſtringite: caedite meſſes.
Improbe, vicinum carpe, viator, olus.
Intret & urbanas eadem petulantia portas;
Sitque tuis muris, Romule, juris idem.
Quilibet argentum primâ de fronte tabernae
Tollat: & ad gemmas quilibet alter eat.
Auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos;
Et quaſcumque poteſt tangere, tollat opes.
Sed neque tolluntur: nec, dum regit omnia Caeſar,
Incolumis, tanto praeſide, raptor erit.
At non ille Deus pacem intra moenia finit.
Auxilium toto ſpargit in orbe ſuum.
Quid tamen hoc prodeſt, mediâ ſi luce palamque
Verberor, & tutae non licet eſſe mihi?
Ergo nec nidos foliis haerere, nec ullam
Sedibus in noſtris ſtare videtis avem.

At

munis eſt, ex qua omnes ejus civitatis homines fructus capere poſſunt. Eodem ſenſu ſunt illa Ciceronis lib. 1. Offic. *Multa*, inquit, *ſunt civibus inter ſe communia, forum, fana, porticus, viae, leges &c. Publica* autem & *communia* interdum apud Juriſconſultos confunduntur. Ciofanus. *Hic aliquis dicat*, cum veteri editione & quatuor ſcriptis legendum. Heinsius. Recte: ſic 11. Art. 585.

Hic aliquis ridens, in me fortiſſime Mavors,
Si tibi ſunt oneri, vincula transfer, ait.

& ita IV. Pont. x. 65. mallem, *ſi roget hic aliquis.* vid. ad 1. Met. 278. & 11. 126. Burm.

134. *Hoc juris.*] Sic elegia 1. lib. 1. Amor.

Quis tibi ſaeve puer dedit hoc in carmina juris?

Id eſt, hoc jus, hanc facultatem. Ciofan.

135. *Deſtringite.*] Lego ex manuſcriptis exemplatibus, *diſtringite:* id eſt, vulnerate, ſaxis conjectis radite. Marius. Captioſa & fallacia exempla, ſed tamen ingenioſa. Ciofanus. Scripti plerique, *Scilicet.* & pro *hoc*, prima editio & quinque manu exarati, *has.* duo, *hic.* unus, *huc.* Opinor refingendum, *Scilicet ite, oleas diſtringite.* de quo loquendi modo à me actum Amor. III. El. III. vs. 1. *diſtringere*, quomodo Columella lib. XI. cap. II. *Tum & olea diſtringenda eſt, ex qua velis viride oleum efficere.* Martial. lib. XII. Epigr. XXIX.

Hoc quoque ſi deerit, medios diſtringere lectos,
Menſarumque pedes non timet Hermogenes.

Heinsius. *Deſtringite* praefert Ampl. Cuperus lib. IV. obſer. 5. cui lubens accedo.

137. *Intret &.*] *Intret in urbanas* Ambroſianus. *violentia* Bodl. & Junii.

138. *Sitque tuis muris, Romule, juris idem.*] Vide quae collegi lib. IV. Triſt. *Romulus* autem blandiendi cauſa vocatus eſt, cum antea, ut ait Servius, vocaretur *Romus*, unde *Roma* dicta eſt. Atque hinc carmen illud Ennianum de Romo & Remo facile intelligitur:

Certabant urbem Romamne, Remamne vocarent.

Ciofanus.

139. *Prima de fronte tabernae.*] *Primae* concinnius vetus editio, & quatuor ſcripti. ſic in Triſtibus 1. 6. *Primi fronte libelli.* Heinsius. Nihil muta: ita *prima frons*, paſſim, etiam de aliis rebus. vid. ad Phaedr. prolog. lib. IV. Quinct. VII. Inſt. 1. & alibi.

140. *Et ad gemmas quilibet alter eat.*] Adnota hic vim verbi *ire.* Donatus in Terent. And. Act. 1. Scena V. *Itur ad me, quaſi ad hoſtem.* Plautus in Pſeud. *Itur ad me.* Virg.

— *Simul enſe relicto*
Ibat in Euryalum propere.

Lapillos, uniones. Ciofan.

141. *Auferat hic aurum.*] *Hinc* Bodlejanus, forte:

Auferat hinc aurum, peregrinos inde lapillos.

Heinsius.

142. *Poteſt tangere, tollat opes.*] Vetus lectio, & ſic omnino legendum. id eſt quaecumque ſunt vicinae, aut contiguae viae publicae. ita recte Merula; tangimus obvia, tollimus etiam ſepoſita. tabernas argentarias & Margaritam circa forum urbis Pub. Victor ponit. Fabricius. Quidam libri, *tollere tollat*, Neapolitanus, *tangere tangat.* Heins. mihi Fabricii lectio non diſplicet; *tangere* enim proprium furti verbum. vide Paſſerat. ad Propert. lib. III. Eleg. 3. pag. 417. unde *tagax Quaeſtor* apud Ciceronem VI. ad Att. 3. Burmann.

143. *Dum regit.*] *Dum reget* legebat Douza.

144. *Incolumis tanto praeſide raptor erit.*] *Eat* praeſtare dixi ſupra notis in Conſolationem ad Liviam

At lapis, in ramo ſedit quicumque bifurco,
Haeret, & ut captâ victor in arce manet.
Cetera ſaepe tamen potuere admiſſa negari,
Et crimen nox eſt inficiata ſuum.
Noſtra notat fuſco digitos injuria ſucco,
Cortice contactas inficiente manus.
Ille cruor meus eſt: illo maculata cruore
Non profecturâ dextra lavatur aquâ.
O ego, cum longae venerunt taedia vitae,
Optavi quoties arida facta mori!
Optavi quoties, aut caeco turbine verti,
Aut valido miſſi fulminis igne peti!
Atque utinam ſubitae raperent mea poma procellae:
Vel poſſem fructus excutere ipſa meos.
Sic, ubi detracta eſt à te tibi cauſſa pericli,
Quod ſupereſt, tutum, Pontice caſtor, habes.

Quid

viam ſub finem. HEINSIUS. Sed tunc etiam *tollantur* verſu priore legerem.

144. *Raptor.*] Recte: quaſi fur manifeſtus. CIOFANUS.

145. *At non ille Deus pacem intra moenia finit, Auxilium toto ſpargit in orbe ſuum.*] Sic liber, quo potiſſimum utor, vetus. CIOFANUS. *Finit* libri veteres magna ex parte. duo, *figit*. Mediceus & vetus editio, *pater intra moenia ſumit*. Latet aliquid. HEINSIUS. vid. II. Faſt. 222.

146. *Sparſit in orbe ſuum.*] *Spargit* veteres libri. HEINSIUS.

147. *Luce palamque.*] Sic Virgil. lib. IX. *Luce palam certum eſt igni circumdare muros.* M. Tullius lib. ult. Offic. *Luce palam in foro ſaltet.* CIOFAN.

148. *Et tutae non licet eſſe nuci.*] Legitur etiam in manuſcriptis exemplaribus, *Et tutam non licet eſſe nucem:* recte utrunque. Nam & Flaccus lib. I. Serm. *Atqui licet eſſe beatis:* inquit, cum dativo caſu. Quin & in Amoribus Naſo: *Grato licet eſſe, quod optas.* MARIUS. Eodem modo paulo ante, *nudam tamen expedit eſſe.* in aliis, *tutae non licet eſſe nuci.* ut alibi, *vobis immunibus hujus eſſe mali dabitur.* &, *nec equis velocibus eſſe profuit.* Si mihi dicendum ſit, dicam quod obſervavi, ſed dicam te judice, Giſeline, hoc Ovidii familiare atque perpetuum cum dativo, quemadmodum nomen *dignus* cum genitivo. Mea conveniunt exemplaria vetuſta, tu in tuis inquire, pro tua eximia diligentia. FABRITIUS. *Tutae nuci* plerique ſcripti. Sed verum eſt, *tutae mihi.* quod vetus editio cum Mediceo & Erfurtano libro agnoſcunt. vide notas in Epiſtolam XIV. ỳs. 64. HEINSIUS.

150. *Videtis.*] *Videbis* duo ſcripti.

151. *Bifurcos.*] *In ramos biſulcos* Neapolit. *venit* unus liber. *ut lapis* aliae editiones.

154. *Et crimen vox eſt.*] *Nox eſt* Vaticanus, non male. *nux eſt* vetus editio cum Ambroſiano. Multi alii, *Crimen ut eſt uxor.* Cogitavi aliquando, *Et crimen noxa eſt inficiata ſuum.* ut *noxam* pro quocunque noxio ponat. HEINSIUS. Schottus quoque in ſuis repperit, *Crimen ut eſt uxor inficiata ſuam.* lib. II. Obſer. cap. 53. *crimen ut & nux eſt* Francof.

157. *Ille cruor.*] *Ille color* Francof.

161. *Caeco turbine verti.*] *Verti* pro everti capiendum eſſe notavit Douza. ut apud Virg. I. 20. *Tyrias olim quae verteret arces.* Quod Pierius efficacius eſſe docet, quam *evertere.* vide etiam Emmeneſſii notas. ita Epiſt. Sabin. I. 99. *Verſae poſt funera Trojae.* Sed MSS. Moreti & alius, *venti.* forte, *caeci turbine venti Aut valido. &c. Certo turbine*, duo libri. *aut rapido* ſex ſcripti cum prima editione. etiam bene. nam ignis proprie *rapidus.* vid. VII. Metam. 326. BURMANNUS.

165. *Sic ubi detracta eſt à te tibi cauſa pericli, Quod ſupereſt tutum, Pontice caſtor, habes.*] Fabulis receptum eſt Fibrum, cum venatores, ut eum capiant, inſequuntur, teſtes ſibi amputare, illisque eos abjicere, atque ita venantium inſequentiumque manus effugere. Hac de re Aeſopus fabula XXXIII. & Alciatus Emblem. LXXXV. Sed ſilentio praetereunda non puto, quae de Caſtore cognitu digniſſima collegit Rondeletius lib. I. de Amphibiis cap. IIX. cujus haec ſunt verba: *Caſtor animal eſt amphibium, ac veluti Sciurus aquatilis. Capite, oculis, dentibus murem refert, lingua ſuem, maxillis leporem, roſtro canem barbatum. Habet priores pedes Simiae pedibus, poſteriores anſerinis ſimiles,*

Quid mihi tunc animi eſt, cum ſumit tela viator;
Atque oculis plagae deſtinat ante locum?
Nec vitare licet moto fera verbera trunco,
Quem ſub humo radix vinclaque firma tenent.
Corpora praebemus plagis: ut ſaepe ſagittis,
Cum populus manicas depoſuiſſe vetat:
Utve gravem candens ubi tolli vacca ſecurim,
Aut ſtringi cultros in ſua colla videt.

Saepe

quibus potiſſimum & caudae latitudine natat, prioribus foveam ſibi cavat in ripis amnium, eamque componit lignis à ſe caeſis ea arte collocatis, ut vel decreſcente, vel increſcente aqua, partem anteriorem corporis in ſicco, caudam vero in aqua habere poſſit. & multis interpoſitis verbis: *Veſicam ſuillae ſimilem habet, teſtes parvos ſubſtrictosque, & adhaerentes ſpinae, qui adimi ſine vita animalis non poſſunt. Quare amputari hos ab ipſis cum capiuntur negat Seſtius diligentiſſimus medicinae, auctore Plinio lib. xxxii. cap. iii. quod tamen videtur affirmare Plinius lib. iix cap. xxx. Eaſdem partes ſibi ipſi Pontici amputant Fibri periculo urgente, ob hoc ſe peti guari, Caſtoreum id vocant Medici, alias animal horrendi morſus. Priorem ſententiam ſecutus eſt Dioſcorid. lib. ii. cap. xxvi. Vanum eſt, quod traditur teſtes ab ipſis evelli, & à ſeſe abjici cum venatu urgentur. Siquidem tangi nequeunt: ita ut in ſue ſubſtricti. Parcam plura ſcribere.* Ciofanus. *Dejecta* vetus editio & Mediceus liber. puto, *rejecta.* in Metam. vi. 385. tamen, *Quid me mihi detrahis inquit.* Heinsius. Amm. Marc. xvii. 5. *Hoc beſtias factitare, quae cum advertant cur maximopere capiantur, illud propria ſponte amittant, ut vivere deinde poſſint impavidae.* vide Patricium ad Fragmenta Ciceronis Orat. pro Scauro.

167. *Quid mihi tunc animi eſt.*] Summam movet commiſerationem. Virg. de Didone:

Quis tibi tunc Dido cernendi talia ſenſus?

Ciofanus.

167. *Tela.*] Proprie. quid autem ſint *tela*, omnium optime docent Juriſconſulti: ſi *ſaxa* dixiſſet, rem non ſatis expreſſiſſet. Idem.

168. *Deſtinat.*] Proprie. Q. Curtius lib. vii. *Namque adeo certo ictu deſtinata feriebant, ut aves quoque exciperet.* Idem.

169. *Fera vulnera trunco.*] Ita legitur in eodem exemplari. Probo. Idem. *verbera* duo libri Berſmanni & editiones veteres. ſed *vulnera* novem ſcripti.

170. *Radix vinclaque firma.*] *Vinclaque ſaeva* Lovanienſis. *curvaque vincla.* Francof. & editiones veteres, ſed Mediceus, & editio una vetus, *vincula curva.* recte, judice olim Heinſio, ſi *vincula firma* reponas, & per appoſitionem capias. *firma*, ut i. Faſt. 370. licet in alia re,

Impediunt geminas vincula firma manus. Burm.

171. *Corpora praebemus plagis.*] Lib. ii. De Arte:

Corpora nec miſſis jubeo praebere ſagittis.

Ciofanus.

172. *Cum populus.*] Legendum eſt, *Quem populus manicas depoſuiſſe vetat.* ſenſus eſt, ut ſaepe ſagittis petitur, qui manus vinctas habet. hoc utrum Romanum ſupplicium fuerit, inveſtigandum. Fabricius. *Ut ſaepe ſagittis, Quem populus manicas depoſuiſſe vetat.* Ita emendavi, cum in vulgatis legeretur, *cum populus.* In vet. exempl. *Quum.* eſt autem hujus loci ſenſus, ut aliquis reus actus ſaepe praebet corpus ſagittis, quem (reum) populus & reliq. Ciofanus. Interpretes hic mihi non ſatisfaciunt, neque ego verſum obſcuriſſimum intelligo. Heinsius. Salmaſius in difficili hoc diſticho haeſit quoque, ſed nihil medicinae adfert Epiſt. ciii. nec mihi hic lux quaedam apparet. in ſimilem ſenſum dixit ii. Amor. ix. 35.

Fige, puer, poſitis nudus tibi praebeor armis.

Burmannus.

173. *Utque gravem pavida eſt.*] Quaedam exemplaria ſcriptum habent, *utque gravem patiens.* Marius. Haec lectio (*pavida eſt*) reſpondet ſententiae. Qui aliter legunt ſequentia, non recte conſiderant. Fabricius. *Gravem pavida eſt*, lectio multo aptior & accommodatior illâ eſt, quam alii repraeſentant. Ciofanus. *Paſcens* octo ſcripti ex noſtris. alii duo cum veteri editione; *pavida eſt.* quod & Ciofanus ac Fabricius ex ſuis probarunt. Erfurtanus codex ſatis antiquus, *pandens.* Forte, *candens vacca.* Victimae enim albae, ut ex antiquis auctoribus eſt compertum, niſi quae dîs inferis caedebantur. Triſt. iv. Eleg. ii.

Candidaque adductâ collum percuſſa ſecuri
Victima purpureo ſanguine tingat humum.

Virgilius libro ix.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencam
Candentem.

Atque ita paſſim de victimis poëtae. Heinsius.

177. *Imponite flammae.*] Forte legendum, *Imponite flammam:* ut intelligatur, arborem ſucciſam exuri. Id ſi non placet, intelligamus illam exciſam, illic exuri, ubi nata eſt. Vide num ſic poſſit intelligi, *Urite fumoſis focis*, id eſt, ſuſpen-

dite

Saepe meas vento frondes tremuiſſe putaſtis:
Sed metus in nobis cauſſa tremoris erat.
Si merui, videorque nocens; imponite flammae;
Noſtraque fumoſis urite membra focis.
Si merui, videorque nocens; excidite ferro:
Et liceat miſerae dedecus eſſe ſemel.
Si nec cur urar, nec cur excidar, habetis,
Parcite. ſic coeptum perficiatis iter.

dite in fumo. Solent enim illic durari materiae ſectae. Maro in Georg.

Et ſuſpenſa focis exploret robora fumus. ERASM.

180. *Et liceat miſerae dedecus eſſe ſemel.*] Nihil ſani eſt in hoc verſu, aut quod Latini leporis guſtum prae ſe ferat. Quare aut delendum hoc diſtichon, aut, quod praeſtiterit, totus locus ſic erit conſtituendus:

Si merui, videorque nocens, imponite flammae,
Noſtraque fumoſis urite membra focis.
Si merui, videorque nocens, excidite ferro
Ut liceat miſerae dedoluiſſe ſemel.

Dedoluiſſe ſemel, ut Remedio Amoris 293.

Optimus ille fuit vindex laedentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque ſemel.

Quomodo alibi etiam Ovidius. HEINSIUS. Forte ſcripſerit Ovidius:

Et liceat miſerae deperiiſſe ſemel.

Ita hoc verbo utitur Noſter 1. Amor. 15. & II. 14. & alibi. BURMANNUS.

A. SABINI

EPISTOLAE TRES,

TRIBUS

OVIDII EPISTOLIS

RESPONDENTES.

EPISTOLA PRIMA.

ULIXES PENELOPAE.

PErtulit ad miſerum tandem tua caſus Ulixen,
Penelope, chartis verba notata piis.
Agnovi caramque manum, gemmasque fideles.
Solamen longis illa fuere malis.

Arguis

Nullos videre mihi contigit codices manu exaratos, in quibus hae extarent epiſtolae. In primis etiam editionibus deſiderantur. nec ſatis conſtat, cui gloriam inventi hujus theſauri debeamus. Suſpicor tamen idem exemplar, quod Cydippes, ac Sapphus epiſtolam integram nobis ſervavit, & Paridis auctiorem, uſibus etiam hic publicis conſuluiſſe. Euſtathius quidem Swarthius in Analectis lib. I. cap. II. exemplar calamo deſcriptum epiſtolarum Sabini ad partes interdum vocat, quod Gaſparis Barthii fuerit, ejuſdemque ipſe Barthius in Adverſariis ſubinde mentionem facit. ſed cum & hunc & illum, dum in vivis eſſent, per amicos rogarim, ut uſum iſtius libri mihi praeſtarent, atque alter me ad alterum ablegarit, facile intellexi, vanam à me ſpem foveri. nec tanti ſane ſunt quae ex illo, ſi dis placet, vetuſto codice ab iis promuntur, ut ſalivam nobis de ipſo libro evolvendo excitare debeant. Primas itaque harum epiſtolarum editiones, alteram Venetiis An. MCCCCLXXXV. alteram Parmae procuſam An. MCCCCLXXXIX. adhibendas duxi. in ceteris divinando res à me geſta eſt. HEINSIUS.

1. *Pertulit.*] Mallem:

Pertulit ad miſerum tandem quis caſus Ulyſſem,
Penelope, chartis verba notata tuis? DOUZA.

5. *Mallem quoque.*] Forte, *mallem quod.* HEINS.

6. *Quam tibi quaeque tuli dicere, quaeque feram.*] Aut *fero* corrigendum videtur, aut totus verſus ſic conſtituendus:

Quam tibi quae tulerim dicere, quaeque feram.
HEINSIUS.

10. *Cauſſaque fingendae mentis.*] An hoc recte dicatur, pro amentiae fingendae vehementer dubito. & certe plura in his epiſtolis duriora & vere ſcabra occurrunt; quae fere efficiunt, ut de Sabino auctore dubitem. Douza corrigebat:

Et mihi tu falſi cauſſa furoris eras, vel *fingendique mihi.*

Sed ita forte Douza compoſuiſſet verſum: haec autem longius abeunt a vulgatis. quare forte aptius poſſet hic legi, *condendae mentis*, pro abſcondendas

Arguis ut lentum: mallem quoque forsitan esse;
Quam tibi quaeque tuli dicere, quaeque feram.
Non hoc objecit mihi Graecia: cum mea fictus
Detinuit patrio litore vela furor.
Sed thalamis nec velle tuis, nec posse carere:
Caussaque fingendae tu mihi mentis eras.
Nil tibi rescribam curae est, properemque venire.
Dum propero, adversi vela tulere Noti.
Non me Troja tenet, Grajis odiosa puellis;
Jam cinis, & tantum flebile, Troja, solum.
Deïphobusque jacet, jacet Asius, & jacet Hector:
Et quicumque tui caussa timoris erat.
Evasi & Thracum caeso duce proelia Rheso,
In mea captivis castra revectus equis:
Tutus & è mediâ Phrygiae Tritonidis arce
Fatalis palmae pignora capta tuli.
Nec timui commissus equo; malè sedula quamvis
Clamabat vates, Urite, Troës, equum:
Urite. mendaci celantur robore Achivi:
Et Phrygas in miseros ultima bella ferunt.
Perdiderat tumuli supremum munus Achilles,
Sed Thetidi est humeris redditus ille meis.
Nec laudem Danai tanto renuêre labori:
Erepti pretium corporis arma tuli.
Quid refert? pelago sunt obruta, non mihi classes;
Non socii superant: omnia pontus habet.

Solus

dendae. sic Remed. 465. *condere* & *fingere* permutata à librariis. sed frustra, credo, in his emendandis saepe laboramus. BURMANNUS.

11. *Nil tibi rescribam curas.*] Lege minima mutatione meo periculo, *curae est.* Curae, inquit, mihi est, ut nil rescribam, utque properem venire. Respiciebat nempe illa Penelopes:

Nil mihi rescribas ut tamen ipse veni.

Non absimilis locus sequenti epistola:

Est animus reditus, sed pia causa tenet.

Swarthio placebat:

Nil tibi rescribam cur vis? HEINSIUS.

15. *Asius.*] Hyrtaci filius. Hom. Il. B. 837. & alibi memoratus, interfectus ab Idomeneo Il. N. 184. & seq. Nisi ergo fuit frater, quem Noster Hyrtaciden vocat. 1. Trist. 4. & in Ibin. 632.

16. *Timoris erant.*] *Erat* primae editiones. HEINSIUS.

17. *Evasi & Thracum caeso duce proelia Rheso.*] Ita distingue. Evasi, inquit, Thracum gentis pugnacissimae arma, dum necopini & sopiti cum duce Rheso à me opprimuntur. Aliud agebat Swarthius, dum corrigit:

Evasi, ut Thracum ceciderunt praelia Rheso.

HEINS.

21. *Male sedula.*] Lege, *male credita quamquam.* Met. xv. 73. de Pythagora.

Talibus ora
Docta quidem solvit, sed non & credita verbis.

Phaed. lib. III. Fab. x.

Cassandrae, quia non est creditum, ruit Ilium.

v. Hygin. fab. 93. IDEM. Retineo, *male sedula.* nam *male credita* contra mentem Poëtae mihi videtur, non enim credita fuit. *male credita* vero significat; cui creditum quidem fuit, sed frustra, vel temere, ut centies Noster & alii τῷ *male* utuntur. sed *male sedula*, est quae frustra volebat Trojanis persuadere dolum latere. ita *male solers.* Gel. x. 12. *male pertinax* Horat. 1. 9. & alia passim. BURM.

24. *Ultima bella.*] Mallem, *ultima tela.*

Solus adhuc mecum, qui me tot casibus unus
Duravit, patiens ad mala, perstat Amor.
Illum non avidis canibus Nisëia virgo
Fregit: non tumidis torta Charybdis aquis:
Non ferus Antiphates, nec in uno corpore dissors
Parthenope, blandis insidiosa modis.
Non quod Colchiacis Circe tentaverit herbis,
Non quod sollemnes altera Diva toros.
Utraque se nobis mortalia demere fila
Spondebat, Stygias utraque posse vias.

Te

31. *Qui me tot casibus unus Duravit.*] Puto, *unum Duravit.* Nam post τὸ *solus* odiosa & superflua sit repetitio τοῦ *unus.* HEINSIUS.

33. *Illum non avidis canibus Nereïa virgo.*] De Scylla haud dubie agit, quam cur *Nereïam* appellet virginem, fateor me non videre. Ne quid te morer, refinge, *Nisëia virgo.* Virgilius in Ciri:

Per mare caeruleum trahitur Nisëia virgo.

Recte, inquis. Agitur enim illic de Scylla Nisi. Sed quid hoc ad alteram à Glauco amatam, Phorci & Crateidis nymphae filiam (nam apud Servium in Eclog. VI. *Cretheidis filia* mendose dicitur) sive, ut veteri Scholiastae in Odysseam Homeri aliisque placet, ex Phorco & Hecate genitam, quam Sabinus nunc innuit? At confundunt promiscuè ambas poëtae, quod ut liquidius appareat, exemplis evincetur. Noster ipse Metamorphoseon libro octavo, & decimo tertio ac quarto etsi manifeste distinguat, tamen in Remediis Amoris 537.

Praeterita cautus Nisëide navita gaudet.

Et Fastorum IV. 500.

Et vos Nisaei naufraga turba canes.

Ubi *Scyllaei canes* perperam membranae complures reponunt: ut & *Ripheide* in superiori versu frustra. Artis Amatoriae libro primo 329.

Filia purpureos Niso furata capillos
Puppe cadens celsâ facta refertur avis.
Altera Scylla maris monstrum, medicamine Circes
Pube premit rabidos inguinibusque canes.

Ubi interpolatores strenuè grassati sunt, cum versus duo medii ab optimis ac veterrimis libris absint. idque recte, ut suo loco monuimus. Ne dubites, en id ipsum distichon Amorum lib. III. Eleg. XII. paucis mutatis.

Per nos Scylla patri canos furata capillos
Pube premit rabidos inguinibusque canes.

Nec desunt codices, qui eos versus pari modo interpolent, quo in Arte Amatoriâ est factum. Sic Philomelam ubique Ityli matrem facit Ovidius, in Metamorphosi Prognen. Ibidem Oenei filiam Deianiram, at Dexameni in Ibide. Adeo rari sibi constant poëtae in narrandis fabulis. Id enim velle nunc probare, immensi voluminis foret argumentum. Virgilius Ecloga VI.

Quid referam aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates.

Sic enim cum aliae membranae ex optimis, tum codex Mediceus longe praestantissimus scriptum exhibent. Nam in vulgatis nunc invenias, *aut quam fama secuta est.* Agnoscit etiam dubiam Servius illic lectionem, sed incertus, quod mirere, quamnam amplectatur ex duabus. Ipse quoque Virgilius in Ciri Scyllam utramque à poëtis confundi asseverat. Versus non adscribam: jam enim sum nimius. HEINSIUS.

35. *Nec in uno corpore discors Parthenope.*] *Dissors* reponendum. *dissors* quod diversae sortis est aut naturae, cui opponitur τὸ *consors*, vox Ovidio usitata. sic & *exsors* sine sorte, ἄκληρος. ita *exsortem honorem* apud Virgilium interpretatur Servius. sic *compar*, *dispar* & *separ*. *separem urnam* dixit Val. Flaccus lib. V. quomodo & *separem ductum* Prudentius dixit. similiter, *congrex* & *segrex*. Error hic frequenter apud optimos auctores commissus. ut *discors* pro *dissors* legatur voce parum notâ hactenus. Lucanus libro I. v. 584.

Monstra jubet primum, quae nullo semine dissors
Protulerat Natura, rapi.

Non *discors*, quod descriptos manu ac typis codices occupavit. Seneca Medea vs. 773.

Tibi haec Typhoëus membra quae dissors tulit.

Sic scribo. Typhoëum vocat dissortem, quod corpori humano pedes anguineos & centum brachia committeret. Nam quod apud eundem Senecam Hercule Furenti 711. de Styge in membranis Mediceis scriptum offendi:

A fonte dissors manat hic primo latex.

Si admittimus, dissors erit, ab aliis amnibus diversus. Illud vero certum, eandem vocem esse reddendam Nasoni Met. VIII. 132. de Pasiphaë:

Quae torvum ligno decepit adultera taurum,
Dissortemque utero foetum tulit.

Hoc est foetum sortis non humanae. Minotaurum videlicet. qui Claudiano in Epigrammatis, *disparíles monstro commissus in artus Cres puer.* Lucretius libro V. 890.

Aut

Te tamen, hac etiam ſpretâ mercede, petivi,
Paſſurus terrâ tot mala, totque mari.
Sed tu femineo nunc forſan nomine tacta,
Non ſecura leges cetera verba mea.
Quaeque mihi Circe, quae ſit mihi cauſſa Calypſo,
Jamdudum ignoto ſollicitere metu.
Certe ego cum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi,
Heu toto ſanguis corpore nullus erat!
Tot juvenes inter, tot vina licentia, ſemper
(Hei mihi! quo credam pignore?) caſta manes.

Curve

Aut rabidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas, & cetera de genere horum
Inter ſe quorum diſſortia membra videmus.

Ita & ibi corrigendum. *rabidis* praeterea *canibus* pro *rapidis* reponendum puto: quod ita de canibus Scyllaeis paſſim auctores. Hinc *Scyllae rabidum voracis inguen* Sidonio. Statio, quoque Thebaïd. IX. 376.

Hoc tibi ſemidei munus tribuere parentes,
Nec mortalis avus? ſic noſtro in gurgite regnas;
Mitior heu miſero diſſors alienaque tellus,
Mitior unda maris.

De Crenaeo agitur, Fauni & Iſmenidis nymphae filio, quem in Iſmeno amne occiſum mater deplangit. *diſſortem alienamque igitur tellurem* vocat reſpectu aquarum, è quibus originem Crenaeus trahebat. Libri editi & ſcripti mira pertinacia utroque loco mendoſi ſunt. Petronius cap. CXXVI. *Mirari equidem tam diſſortem libidinem coepi, atque inter monſtra numerare, quod ancilla haberet matronae ſuperbiam, & matrona ancillae humilitatem.* Pari modo & illic eſt peccatum. Ovidius denuo libro Amorum II. Eleg. VII.

At mea ſepoſita eſt, & ab omni milite diſſors
Gloria; nec titulum muneris alter habet.

Sic enim manifeſte ſcriptum exhibet optimus Puteanorum fratrum liber, cujus auctoritas mihi praeivit ad reliquos, quos modo produxi, locos in integrum reſtituendos. Apud eundem Ovidium lib. IV. Faſt. 787. ſimiliter cenſeo corrigendum:

An quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo diſſortes, ignis & unda, dei?

Paulinus carmine Sapphico ad Nicetam Epiſcopum:

Te patrem dicit plaga tota Borae:
Ad tuos fatus Scytha mitigatur:
Et ſui diſſors fera te magiſtro
Pectora ponit.

Ita omnino ſcribo, licet veterrimus Iſaaci Voſſii, viri clariſſimi, codex à vulgatis libris nihil diſcedat. Non enim *ſui diſcors*, ſed *diſcors ſibi* Paulinus dixiſſet, ut Latine loquentibus mos eſt. Noſter in Triſtibus lib. V. 5.

Ipſe ſibi diſcors, tanquam mandetur ab illis;
Scinditur in partes atra favilla duas.

Ipſe Paulinus paulo poſt, *Paſcitur conſors vitulus leoni*, ut quidem Voſſianus liber. nam vulgati *concors*. diſſors igitur quod *diſpar ſortis* Silio Italico, apud quem libr. V. 296.

Nec diſpar ſortis Iſalces
Umbonem incerto detorſit futilis ictu.

Sed jam plus ſatis de hac voce. IDEM.

36. *Inſidioſa modis.*] Mallet *notis* Douza. vid. ad Epiſt. Ovidii IV. 5.

37. *Non quod Colchiacas artes tentaverit herbis.*] *Arte* prima editio. divide τὸ *a* in duas literas, & habebis *ci*. *Cirte* pro *Circe*. Emenda igitur locum turbatiſſimum levi mutatione:

Non quod Colchiacis Circe tentaverit herbis.

De Circe profecto hic agi ex ſequentibus liquido apparet. Altera Diva eſt Calypſo. HEINS.

40. *Spondebat.*] Corrigebat Heinſius, *ſpondebant*, vid. ad lib. II. Art. 381.

45. *Cauſa Calypſo.*] *Cauta* Swarthius ex veteri libro. nec obnitor. niſi *cura* mavis. HEINSIUS. Forte ſcripſerit:

Quaeve morae Circe, quae ſit mihi cauſſa Calypſo.

48. *Heu toto.*] *Ut toto.* HEINSIUS. ſed Francius malebat, *in toto*.

49. *Tot vina liquentia ſemper.*] Etſi non ignorem *vina liquentia* Virgilio etiam bis dici Aeneid. V. hoc tamen loco magis appoſite *licentia* legatur. quod Barthio Adv. XLIV. II. etiam Swarthioque eſt viſum. *libera vina* dixerat Horatius. ſic *licentes Faunos* Statius Theb. IV. 695. & *licentem ludum* Theb. V. 195. & in Sylvis lib. I. Saturnal. *licens Lupercus* Propertio lib. IV. Eleg. I. Noſter ipſe paulo poſt *vacantia vina*, quo vacuae & otioſae mentes teneantur, dixit. HEINS. vid. ad I. Art. 569.

50. *Hei mihi! quid credam? pignore caſta manes.*] Lege totum diſtichon hoc modo:

Tot juvenes inter, tot vina licentia, ſemper
(Hei mihi! quo credam pignore?) caſta manes,

Nec aliter Swarthius in Analectis, & in Adverſariis Barthius, niſi quod diſtinctione praeterea locum juvimus. IDEM.

Curve placent ulli, ſi ſunt in fletibus ora,
Deperit & lacrimis non decor iſte tibi?
Pacta quoque es thalamo, niſi mendax tela moretur,
Et coeptum revoces callida ſemper opus.
Ars pia; ſed quoties oculos fruſtrabere lanâ,
Succeſſum toties ars dabit iſta tibi.
Ah melius, Polypheme, tuo ſuperatus in antro,
Finiſſem ingratos ad mala tanta dies!
Threïcio melius cecidiſſem milite victus,
Iſmaron errantes cum tenuere rates:
Crudelemve illo ſatiaſſem tempore Ditem,
Quo redii Stygiis fata moratus aquis.
Vidi ubi (nequicquam quod me tua litera celat)
Soſpes digreſſo quae mihi mater erat.
Retulit illa domûs eadem mala: meque querentem
Fugit, ab amplexu ter reſoluta meo.
Phyllaciden vidi. contemtis ſortibus ille
Primus in Hectoreas intulit arma domos.
Felix laudatâ cum conjuge! laeta per umbras
Illa ſuum fortes it comitata virum.
Necdum illi Lacheſis dictos numeraverat annos:
Sed juvat ante ſuum ſic cecidiſſe diem.

Vidi,

51. *Curve placent ulli.*] Malo, *places.* HEINS.

51. *Si ſunt in.*] Francius legebat, *Si ſordent fletibus ora.*

53. *Thalamo.*] Mallem, *thalamos.* niſi *pacta* paſſive capias, ut infra Epiſt. III. 9. *prima meis tu pacta toris.*

54. *Et coeptum revocas pallida ſemper opus.*] Scribe, ut cum ſequentibus haec cohaereant:

Et coeptum revoces callida ſemper opus.

τὸ *pallida* locum hic non habebat. Tangit dolum nocturnum retextae telae. HEINSIUS. vid. II. Amor. VIII. 29. eadem varietas lib. VI. Met. 576.

55. *Ars pia.*] Scribendum, ni fallor:

Ars pia: ſed quoties oculos fruſtrabere lana?
Succeſſum quoties ars dabit iſta tibi?

Hoc ſenſu: ut collaudet dolum & commentum de retexta tela Ulixes, ſed ut deſperet quodammodo de diuturno rei ipſius ſucceſſu. HEINSIUS.

57. *Tuo ſuperatus in antro.*] *At melius, Polypheme, tuo ſi pranſus in antro* ex veteri libro Swarthius. ego nil temere mutem, niſi *deprenſus* reponatur. IDEM. Forte, *ſi prenſus.*

58. *Ad mala.*] Salmaſius, *ac mala*, Heinſius *ab mala.*

65. *Meque querentem.*] Delrius Commentario Senecae Troad. 459. *terque querentem* legit. ſed nulla opus mutatione. HEINSIUS.

66. *Fugit ab amplexu ter reſoluta meo.*] Malim *revoluta.* non enim amplectebatur umbram maternam, ſed conabatur amplecti. libro Metam. XI. 58. de Orpheo Eurydices umbram geſtiente amplecti:

—— *Prendique & prendere captans*
Nil niſi cedentes infelix arripit umbras.

Ubi etiam habes, *revolutaque rurſus eodem eſt*, quomodo vetuſti codices. probe omnino. apud Virgilium Aen. VI. 449. de Caeni:

Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.

Homerus utique videndus de hoc Ulixis ad inferos deſcenſu. HEINSIUS.

68. *In Hectoreas intulit arma domos.*] Scripſerat, puto, Sabinus, *impulit.* ut Met. XII. 550.

—— *Immeritas urbes Elinque Pylonque*
Diruit, inque meos ferrum flammamque penates
Impulit.

Lucan. lib. VII. 14.

Et quaecumque fugax Sertorius impulit arma.

IDEM.

70. *Illa ſuum forte ſit comitata virum.*] *Fortes it*; refer ad τὸ *umbras*, quod praeceſſit. & hoc vidit Swarthius. IDEM. Douza malebat, *Fortis eſt.* Salmaſ. *fertur ſic.* qui &, *laudato cum conjuge.*

71. *Nec dum illi Lacheſis dictos numeraverat annos.*]

Vidi, nec lacrimas oculi tenuere cadentes,
Deformen Atriden (hei mihi) caede novâ.
Illum Troja virum non laeſerat: ille furentem
Nauplion, Euboïcos tranſieratque ſinus.
Quid refert? animam per vulnera mille profudit,
Jam reduci ſolvens debita vota Jovi.
Tyndaris has illi laeſo pro foedere poenas
Struxerat; externos ipſa ſecuta viros.
Ah! mihi quid prodeſt (captivas Teucridas inter
Cum ſtaret conjux Hectoris, atque ſoror)
Defectis Hecuben potius legiſſe ſub annis,
Ne tibi ſuſpectus pellicis eſſet amor?
Prima meis omen metuendum puppibus illa
Fecit: non membris ipſa reperta ſuis.
Latratu miſeras finivit moeſta querelas;
Et ſtetit in rabidam protinus acta canem.
Prodigio tali placidum Thetis abſtulit aequor,
Aeolus infuſis incubuitque Notis.
Pervagus hinc toto non felix differor orbe;
Et, quocumque vocat fluctus & aura, feror.
Sed ſi Tireſias tam laeti providus augur,
Quam verax vates in mala noſtra fuit;

Et

nos.] Praeſtiterit legi, *perneverat*, ut apud Martial. libro I. Ep. LXXXIX.

Cum mihi ſupremos Lacheſis perneverit annos. HEINSIUS.

74. *Deformem.*] Propert. II. VII. 21.

Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, & ſparſas caede jacere comas.

Caede autem eſt ſanguine. DOUZA.

77. *Animam per vulnera mille profudit.*] *Per adultera tela* vetus liber Swarthii. non inconcinne. HEINSIUS.

79. *Laetas pro foedere poenas.*] *Laetas* dici opinatur Swarthius εἰρωνικῶς ſed non perſuadet. Puto ſcribendum, *laeſo pro foedere*, lecti ſcilicet. Ad Caſſandram ab Agamemnone amatam refer. IDEM.

80. *Externos ipſa ſecuta viros.*] Malim, *toros* haec enim duo in Ovidianis codicibus frequenter confunduntur. ſic ſequenti epiſtola, *Graios viros*, pro *Graios toros*. & epiſtola Herus, *Abydeno viro* in vulgatis. IDEM. Nihil hic mutem: *ſequi* enim *virum* rectius libidinoſa mulier, quam *torum* dicitur. Prop. II. Eleg. XXXV. 8.

Et ignotum nonne ſecuta virum.

Quem locum & Douza adſcripſerat, & Paris Epiſt. XVI. 323.

Si pudet & metuis ne me videare ſecuta,
Nunc tibi conveniunt, quae te per aperta ſequantur
Aequora.

Oenone Epiſt. V. 77.

Val. Flac. VIII. 12.

Non carior ille eſt
Quem ſequimur.

Vide ad Petronii cap. LXXXI. BURMANNUS.

82. *Cum ſtaret.*] Maluerim, *cum ſtarent*. intelligit Andromachen & Caſſandram. HEINSIUS.

83. *Defectis Hecubam potius.*] *Hecuben potui* prima editio. & malim etiam, *effoetis annis*. IDEM. *potui legiſſe* Berſm. Edit. & Plantin.

86. *Non membris ipſa reperta ſuis.*] Non intelligo haec, nec Latina puto. Heinſius conjecerat:

Fecit anus membris orba reperta ſuis.

Sed hoc nimium recedit à ſcriptis. mallem, *Fecit anus membris lapſa* (vel *caſſa*) *repente ſuis*, vel quod magis placet, *fecit, non membris uſa repente ſuis*. ſic *ipſe* & *uſus* confunditur lib. III. Am. I. 42. & alibi. BURMANNUS.

90. *Aeolus infuſis incubuitque notis.*] Malim, *effuſis*. In Ibide 33.

Parſque eadem coeli Zephyros emittet & Euros.

I. Metam. 264.

Emiſitque notum. HEINS. Vid. II. Faſt. 494.

91. *Pervagus.*] *Pervagus hoc totum enim felix differor orbe.* Marg. Berſm.

92. *Quocumque.*] *Quacunque* editi olim. Heinſius

Et terrâ & pelago, quidquid mihi triſte canebat,
Emenſus fato jam meliore vagor.
Jam mihi neſcio quo comitem ſe in litore jungit
Pallas, & hoſpitibus per loca tuta trahit.
Nunc primum Pallas verſae poſt funera Trojae
Viſa mihi: medium temporis ira tulit.
Quidquid Oïlides commiſerat, omnibus unus
Peccavit: Danais omnibus ira nocens.
Nec te, Tydide, cujus modo foverat arma,
Eximit: errato tu quoque ab orbe venis.
Non Telamone ſatum captâ de conjuge Teucrum:
Non ipſum, pro quo mille fuere rates.
Felix Pliſthenide, quacumque in ſorte fuiſti
Conjuge cum carâ: non gravis illa fuit.
Seu venti fecere moras, ſive aequora vobis;
Ad nulla eſt veſter damna retentus amor.
Oſcula nec venti certè tenuere, nec undae:
Promptaque in amplexus brachia ſemper erant.
Sic utinam errarem: faceres tu mollia, conjux,
Aequora: te ſociâ nil mihi triſte foret.
Nunc quoque, Telemacho tecum mihi ſoſpite lecto,
Omnia ſunt animo jam leviora mala.
Quem tamen infeſtas rurſus queror ire per undas,
Herculeam Sparten, Neſtoreamque Pylon.

In-

ſius volebat, *quocumque vocant.* Virgil. Ecl. III. 49. *Veniam quocumque vocaris.*

101. *Quidquid Oïlides.*] *Quidquid & Oenides.* Ed. aliae.

102. *Omnibus ira.*] Forte, *ille.* HEINS.

103. *Cujus modo noverat arma.*] Scribe, *foverat.* Ovidius Triſt. lib. I. Eleg. IV.

Cauſa mea eſt melior, qui non contraria fovi
Arma. HEINSIUS.

106. *Fuere rates.*] Mart. IV. 66.

Nec merſa eſt pelago, nec fuit ulla ratis.

DOUZA. *prae quo* citat Swarthius.

107. *Felix Pliſthenides.*] Imo, *Pliſthenide* Menelaum haec ſpectant, cum Helena uxore ad paternos lares contendentem, Trojâ jam captâ. HEINS.

111. *Oſcula nec venti certe tenuere.*] Malim, *certi*, ſic *certus Boreas*, & *certa mora* Epiſtola Herus, ubi plura congeſſimus. IDEM.

115. *Tecum mihi ſoſpite tecto.*] *Lecto.* atque ita Swarthius, & ad Propertium lib. IV. Eleg. 4. Livineius. IDEM.

117. *Infeſtas rurſus.*] An bis navigavit? *juſſum* vel *miſſum* opinor. a matre videlicet. ut ad illa reſpiciat Epiſtolae Penelopes:

Omnia namque tuo ſenior te quaerere miſſo
Retulerat nato Neſtor. BURMANNUS.

120. *Nam male commiſſus.*] *Jam male* puto. HEINSIUS.

127. *Interque vacantia vina.*] *Licentia vina* jam ſupra habuimus. Janus Gebhardus tamen hoc loco malebat, *inter bacchantia vina*, Antiquarum Lectionum libro II. cap. XV. poſſis, *vocantia vina*, ad ultionem invitantia, tamquam opportuna. ſic infra, *retro Simoënta vocatum* Paridis Epiſtola. IDEM. Illa *vacantia vina* nec intelligo, niſi ſint quae metu carent, & ſecuros convivas faciunt, quod vix puto. nec video etiam qui *ante dapes* & *inter vina* recte jungantur cum notiſſimum ſit, vina apud veteres non appoſita, niſi dapibus & menſis remotis. quare ſaltem *interve* ſcribendum eſſet. forte:

Forſitan ante lares, inter fragrantia vina.

Sed hoc nimis audax. itaque relinquo & haec aliis ſananda. BURMANNUS.

130. *Heu*

Ingrata eſt pietas, cui tanta pericula ſubſunt:
Nam male commiſſus fluctibus ipſe fuit.
Sed labor in fine eſt. occurſum in litore vates
Dixit. in amplexus, care, ferere tuos.
Noſcendus ſoli veniam tibi. tu preme ſollers
Laetitiam, & tacito gaudia conde ſinu.
Non vi certandum, nec aperta in bella ruendum.
Sic cecinit laurus ille monere ſuas.
Forſitan ante dapes, interque vacantia vina,
Ultoris pharetris utile tempus erit.
Et modo deſpectum ſubito mirentur Ulixen.
Heu, precor, ut properet ille venire dies!
Antiqui renovet qui laetus foedera lecti:
Et tandem incipias conjuge, cara, frui.

130. *Heu precor.*] Heinſius malebat, *Hic, precor, hic properes velle venire, dies.* Francius, *Quam precor*, vel, *hic precor, ut properet velle venire, dies.* poſſet & legi:

Heu, precor, heu properes ille venire dies. & mox: *Antiqui renoves qui. &c.* Et deinde, *Quo tandem*, legebat Heinſius: & Francius, *ut tandem.* BURMANNUS.

EPISTOLA SECUNDA.

DEMOPHOON PHYLLIDI.

PHyllidi Demophoon patriâ dimittit ab urbe:
Et patriam meminit muneris eſſe tui.
Nec face Demophoon aliâ, nec conjuge captus,
Sed tam non felix, quam tibi notus erat.
Theſea, (quo ſocero nequicquam, Phylli, tumebas;
Impuleritque ignes forſitan ille tuos)
Turpe pati nobis, regno ferus expulit hoſpes:
Hunc illi finem longa ſenecta dedit.

Qui

1. *Phyllidi Demophoon patriâ demittit ab urbe.*] Videtur ſcribendum:
Phylli, hanc Demophoon patriâ tibi mittit ab urbe.
Ut imitatio ſit iſtius Ovidiani:
Hanc tua Penelope lento tibi mittit Ulyſſe.
HEINSIUS. Forte illud *Phylli* Gloſſatori debetur, qui adſcripſerat τῷ *tibi.* ego malim:
Hanc tibi Demophoon patriâ dimittit ab urbe.
Qui p. &c. male *demittit* aliae editiones. BURM.

4. *Sed tam non felix.*] *Sed tamen felix* prima editio. Latet mendum. Forte, *Eſſet tam felix.* Senſus certe tale quid poſtulat. HEINSIUS. Francius volebat, *Tam felix utinam.* ego mallem:
Sed non tam felix, quam tibi fidus erat.
vel *certus.* BURMANNUS.

5. *Quo ſocero nequicquam, Phylli, timelas.*] *Tumebas* repone. nihil verius. ſic ſequenti epiſtola:
——— *Quo me genitore ſuperbum*
Arguis. HEINSIUS.

6. *Impuleritque.*] *Impulerit ne.* hoc eſt, ne amores tuos averterit. BERGMAN.

Qui modo peltiferas fudit Maeotidas armis,
Alcidae magni, non minor ipſe, comes.
Qui ſocerum Minoa gravi ſibi fecit ab hoſte,
Mirantem monſtri cornua victa ſui.
Arguor exſilii (quis credat?) cauſſa fuiſſe:
Nec tacitum frater me ſinit eſſe reum:
Dum thalamos, inquit, dilectae Phyllidos urgues,
Et tuus externo ceſſat in igne furor;
Fluxere interea pede tempora lapſa fugaci;
Praevenitque tuas flebilis hora moras.
Forſitan aut nondum fractis occurrere rebus,
Aut poteras fractis utilis eſſe tamen.
Cur potiora tibi Rhodopeïa regna fuere,
Quaeque magis regnis cara puella fuit?
Intonat his Acamas: eadem mox objicit Aethra;
Infelix functae jam prope fortis anus.
Et quod non condant nati ſua lumina palmae,
Feciſſe haec noſtras arguit usque moras.

Non

10. *Alcidae magni non minor eſſe comes.*] Imo:

Alcidae magni, non minor ipſe, comes.

Epiſt. xvi. 85.

——— *Pulchrae filia Ledae*
Ibit in amplexus, pulchrior ipſa, tuos.

Amor. lib. iii. Eleg. ii.

Dum ſequitur fortes, fortior ipſa, feras.

Martial. lib. xi. Epiſt. 51.

Silius Andinae ſuccurrere cenſuit umbrae:
Silius en vatem, non minor ipſe, colit.

Ita verſus contaminatiſſimos cenſeo ſcribendos, ex codicum vetuſtorum veſtigiis. Heins.

13. *Arguor auxilii, quem credis cauſſa fuiſſe?*] Prima editio, *Arguor exilii qui credis.* Scribo non audaci conjectura, & diſtinguo:

Arguor exilii, ſi credis, cauſa fuiſſe.

vel, *quis credat*, per parentheſin interrogatoriam. Idem.

14. *Nec tacitum frater, nec ſinit eſſe reum.*] Corrigendum, ſi quid video:

Nec tacitum frater me ſinit eſſe reum.

Tacitum non ſinit eſſe reum, quia palam & aperte accuſat. Idem.

19. *Forſitan aut nondum factis occurrere rebus.*] Reponendum tam hoc, quam ſequenti verſu, *fractis* pro *factis*, ſic poſtulante ſententia. Malim etiam *fractis ſuccurrere rebus*, quam *occurrere*. Naſo in Triſtibus. i. 5.

Quo magis, ô pauci, lapſis ſuccurrite rebus.

Fractae res, ut in illo Horatiano ii. Sat. iii. 18.

——— *Poſtquam res mea Janum*
Ad medium fracta eſt.

Et *fractae opes Teucrûm* Virgilio. iii. Aeneïd. 53. Heinsius. *Occurrere* elegans: eſt enim opem ferre, antequam mala invaluerunt praevenire. ſic Juſtin. xxix. 4. *Quibus tot tantisque rebus obſeſſus cui rei primum occurreret, ambigebat.* Juvenc. i. Hiſt. Euan. 279.

Occurrens aevum ſapientia praeveniebat.

Ubi alia exempla habet doctiſſimus Reuſchius, cujus curâ nuper prodiit hic Poëta. & ita ſaepe. pro praeſto eſſe, uſos veteres docuere Gronovius ad Liv. xxix. 34. & xxxi. 29. & alibi. & Graevius ad Suet. Calig. 26. Vorſt. ad Val. Max. iv. iv. 7. & alii. *& nondum*, & mox, *at poteras* editiones Berſm. & Plant. Burmannus.

21. *Cum potiora tibi.*] Imo *Cur* tam hic, quam proximo verſu. niſi illic *Quo* malis. Praeterea arridet, *Cur potiora tuis.* ut τὸ *regnis* ſubintelligatur. Heinsius. *Cum potiora mihi.* Edd. Ald. Berſm. & Plant. deinde Heinſio placebat, *curve magis regnis c. p. f.* forte: *Num potiora tibi &c.*

23. *Intonat his Athamas.*] Lege, *Acamas.* Is enim Theſei filius, Demophoontis frater, ex belli Trojani, cui interfuit, ſcriptoribus notus. Vide de ejus & Laodices amoribus Parthenium in Eroticis cap. xvi. Simile mendum inſedit Virgilii codices vulgatos Aeneïdos lib. ii. 262. ubi nonnullos ex iis recenſet, qui equo durateo fuerant incluſi:

Demiſſum lapſi per funem Acamaſque, Thoaſque,
Pelideſque Neoptolemus, primuſque Machaon.

Sic

Non equidem inficior: multum clamavit uterque:
Staret Threïciis cum mihi puppis aquis.
Poſcunt, Demophoon, (quid ceſſas?) carbaſa venti:
Demophoon patrios reſpice dure Deos.
Reſpice: & exemplum, quà gaudes, Phyllida ſume.
Sic amat, ut terrâ nolit abire ſuâ.
Utque redire velis, non ut comitetur euntem,
Te rogat: & praefert barbara regna tuis.
Me tamen haec inter tacitum convicia ſaepe
Adverſis memini vota tuliſſe Notis.
Saepe abitura tuo ponentem brachia collo,
Gaviſum in fluctus aequora mota truces.
Nec metuam hoc ipſo coram genitore fateri:
Libertas meritis eſt mihi facta tuis;
Dicere, non duro dilectam Phyllida liqui
Pectore: nec praeceps vela ferenda dedi.
Et flevi; & flentem ſolando ſaepe, remanſi,
Cum ſtaret cursûs jam mihi certa dies.

De-

Sic enim ſcribendum ex vetuſtiſſimis libris. In Mediceo venerandae antiquitatis codice, *Achamaſque* inveni exaratum additâ adſpiratione. unde proclivis error *C* in *T* mutato ex *Acamante* in *Athamantem*, ut vulgati libri nunc exhibent. Servius Fuldenſis ad illum locum, *Athamas Demophoontis filius Perrechiae nepos.* qui locus eſt mutilus. Scribendum enim, *Acamas Demophoontis frater, filius Theſei, Aegei & Aethrae nepos.* Quod eſt verum. Auctor de Origine Romana: *Itaque, Primus, ex ea quoque ſignificatione eſt, è qua illud in ſecundo Aeneidos, de enumeratione eorum, qui equo Durio digrediebantur. Nam cum nominaſſet Theſſandrum, Stenelum, Ulyſſem, Acamanta, Thoanta, Neoptolemum, poſt intulit, Primuſque Machaon.* Male & illic *Athamanta* ſcribitur. Ceterum Acamantem ac Demophoontem fratres equo Trojano cum aliis proceribus ſe credidiſſe teſtatur Quintus Smyrnaeus lib. XII. 321.

Δημοφόωντε καὶ Ἀμφίμαχος, κρατερός τ' Ἀγαπήνωρ,
Σύν δ' Ἀκάμαντε Μέγης τε κρατεοῦ φιλέος υἱός.

Et Triphiodorus in eadem de equo narratione:

Δημοφόωντ' Ἀκάμας τε δοιὼ Θησῆϊ τέκνω.

Ut de Virgiliani loci reſtitutione non ſit dubitandum. Pauſanias quoque in Atticis, ubi donaria Arcis deſcribit, & inter illa equum Durium ex aere conflatum, καὶ Μενεσθέυς, inquit, καὶ Τεῦκρος, ὑπερκύττουσιν ἐξ ἀυτοῦ, προσέτι δὲ καὶ οἱ παῖδες οἱ Θησέως. Virgilius tamen Demophoontem, ut plures alios, omiſit. Apud Harpocrationem Sophoclis *Acamas* Tragoedia citatur, ubi *Athamantis* nomen reponendum cenſet magnus Cauſaubonus; ſed fruſtra. Acamantem enim ſcenis argumentum dediſſe ex Luciani libello περὶ ὀρχήσεως apparet: inter alias enim leges, quas praeſcribit mimo, exactam fabularum cognitionem ab eo exigit, quarum plurimas poſtquam recenſuit. εἶτα, inquit, ὁ Ἀκάμας καὶ ἡ Φυλλὶς, καὶ ἡ προτέρα δὲ τῆς Ἑλένης ἁρπαγὴ, καὶ ἡ στρατεία τῶν Διοσκούρων ἐπὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ Ἱππολύτου πάθος, καὶ Ἡρακλειδῶν κάθοδος. ubi Acamanti amores Phyllidis videtur vindicare, quomodo & Tzetzes Commentario in Lycophronem. Sed reliqui omnes de Demophoonte conſentiunt. Ab hoc Acamante, qui regnum Athenis poſt Meneſtheum obtinuit, tribus Acamantia nomen eſt mutuata, ex qua Pericles fuit; & Acamantium ſeu Acamantis magnae Phrygiae oppidum. Videndus Stephanus in Ἀκάμαντιον. HEINSIUS.

26. *Feciſſe hic noſtras.*] Puto, *haec.* de Aethrâ enim eſt ſermo, non de Acamante. IDEM.

30. *Reſpice jure Deos.*] Scripſerat Sabinus, *reſpice dure.* niſi praefers, *iture.* ſed alterum praeſtat. IDEM.

39. *Hoc ipſo.*] *Ipſum.* probe. BERSM.

40. *Libertas meritis eſt mihi facta tuis.*] Placet reponi:

Libertas meritis haec mihi parta tuis. vel, *pacta.* HEINSIUS.

41. *Dices non duro.*] Ut à ſuperioribus haec aptius dependeant, legendum, *dicere.* IDEM.

Denique Threïcia veni rate. non dare Phyllis
Quam potuit, juſſit tardius ire ratem.
Ignoſce & faſſo; memor es Minoïdos ipſe.
Antiquus necdum pectore ceſſit amor.
Et quoties oculis circumdat ſidera, dixit,
Quae fulget coelo, noſtra puella fuit.
Illum dilecta Bacchus ſibi cedere juſſit
Conjuge: deſertae crimen at ille ſubit.
Exemploque patris perjurus dicor & ipſe:
Nec quaeris cauſſas, Sithoni dura, morae:
Nec ſatis ampla putas redituri pignora, ſi me
Non amor alterius, non amor ullus habet.
Nullane fama tibi turbatos, Phylli, penates
Theſeos, & miſerae retulit acta domûs?
Non laqueos audis carae me flere parentis?
Flebilior laqueis (hei mihi!) cauſſa ſubeſt.
Non fratrem Hippolytum: cecidit miſerabilis ille,
Praeceps attonitis per freta raptus equis.
Non tamen excuſo reditus. licet undique fata
Accumulent cauſſas; tempora parva peto.
Theſea, quod ſupereſt, patrem tumulabimus ante:
Succedat tumulo non ſine honore decens.

Da

45. *Veni rate.*] Atqui ſuis navibus, ſed refectis, rediit Demophoon; & remigium tantum dedit Phyllis. vid. Ovid. Ep. 11. 45. neque etiam ſenſum video in vulgatis. ſi enim venit Demophoon Threïciâ rate, quomodo Phyllis non potuit illi dare ratem? haec contraria mihi videntur. ſi audacia detur, refingerem:

Remige Threïcio veni; nam non dare Phyllis
Quam voluit, juſſit tardius ire ratem.

vel,

Remige Threïcio veni, rate nam dare Phyllis
Quam potuit juſſit tardius ire meam.

Ut excuſet Demophoon ſuas moras, quas in remiges confert, quibus inſtruxit claſſem Phyllis Demophoontis, & ſimul illis mandavit, ut tardius impellerent naves, nunc demum refectas. ipſa aut potuerat dare integram & recentem, ſed noluit accipere. videant me acutiores. mihi hic aqua haeret. BURMANNUS.

49. *Et quoties oculis circumdat ſidera, dixit.*] Opinor à Sabino relictum fuiſſe:

Et, quoties oculis circumſtant ſidera, dixti.

Ut perſtet Demophoon in incepto ad patrem ſermone. aut, ſi propius inſiſtendum vulgatae lectioni:

Et quoties oculos circumſtant ſidera, dixit.

Sed tum paulo ante refingatur:

Ignoſcet faſſo: memor eſt Minoïdos ipſe.

HEINSIUS. *dicis* Marg. Berſm.

59. *Laqueos cari me flere parentis.*] De laqueis Theſei nihil mihi lectum. & de patre, ut adhuc vivo, ſed exſule regni, mox locuturus eſt. quare legendum, *carae me flere parentis.* & ita citat hunc locum Meurſius in Theſeo cap. xxx. ut Phaedram intelligat, quae laqueo vitam finivit. ſed an recte unus idemque Demophoon doleat Hippolyti caſum, & maternae mortis infamiam, viderit Sabinus. niſi per illa verba, *flebilior laqueis hei mihi cauſſa ſubeſt*, indicet, matris crimina cauſſam eſſe triſtiorem ipſa ejus morte. BURMANNUS.

63. *Non tamen excuſo reditus.*] Legerem:

Non tamen excuſo, reditûs (licet undique fata
Accumulent cauſſas tempora parva peto.

66. *Non ſine honore decens.*] Legendum, *decet.* par eſt parentem honorifice mandari terrae mortuum. HEINSIUS.

67. *Da ſpatium.*] Lege, *Des ſpatium veniamque, peto.* IDEM.

68. *Tutior ulla.*] Mallem, *gratior*, vel, *laetior*; Heinſ. malebat, *mitior.* vid. II. Faſt. 98.

70. *Aut bella.*] Francius malebat, *aut belli.*

71. *Patria quoque factor in illa.*] *In ipſa* ſcribendum. De turbata Theſei domo jam ſuſe ſupra à Demophoonte eſt actum. HEINS.

72. *Auxi-*

Da ſpatium veniamque, peto: non perfidus abſum:
Nec mihi jam terrâ tutior ulla tuâ eſt.
Quidquid mite fuit poſt diruta Pergama, quidquid
Aut bella, aut pelagi detinuere morae;
Sola fuit Thrace. patriâ quoque jactor in illâ:
Auxilium ſuperes caſibus una meis.
Si modo mens eadem. nec quod ſit jam mihi dives
Regia, Cecropiâ non minor arce, movet:
Nec patris offendunt caſus; nec crimina matris;
Nec jam non felix omine Demophoon.
Quid? ſi Phoebeam peterem te conjuge Trojam,
Perque annos ſequerer bella gerenda decem?
Penelopen audis: toto laudatur in orbe,
Exemplum fidi non leve facta tori.
Illa piae (ſic rumor ait) mendacia telae
Struxit, & inſtantes diſtulit arte procos:
Cum properata palam revocaret ſtamina noctis,
Atque iterum in lanas omne rediret opus.
At tua ne fugiant ſpreti connubia Thraces,
Phylli, times. ulli nubere, dura, potes?
Eſtque tibi pectus cujusque accedere taedae?
Obſtat perfidiae nec metus iſte tuae?

Ah

72. *Auxilium ſupereſt.*] *Superes* probe prima editio. Heinsius.

73. *Nec quod ſit jam mihi dives.*] Maluerim, *nec tam quod ſit tibi Dives.* Idem. Francius malebat:

Sit tibi mens eadem, nec quod ſit regia dives
Jam mihi,

Tibi ſine dubio legendum.

79. *Toto laudatur in orbe.*] Malo:

Penelopen audis, toto laudetur ut orbe.

Quomodo in Triſtibus Naſo lib. v. 14.

Cernis, ut Admeti laudetur & Hectoris uxor.

Heinsius.

80. *Fidi.*] *Fidei* Edit. Berſm.

81. *Illa pie.*] *Piae telae.* Heins.

82. *Inſtantes diſtulit arte toros.*] Diu eſt, quod *procos* corrigendum vidi. confirmat id prima editio. lib. III. Pont. Eleg. 1.

Aemula Penelopae fieres, ſi fraude pudica
Inſtantes velles fallere nupta procos.

Metamorph. lib. x. 568.

—— *Inſtantum turbam violenta procorum*
Conditione fugat.

Sic enim rectius legas, quam *inſtantem turbam.* Μνηστῆες ſive *proci* Penelopes in proverbium abierunt. Naſo Triſt. lib. II. 375.

Aut quid Odyſſea eſt, niſi foemina propter amorem,
Dum vir abeſt, multis una petita procis?

Ita rectè veteres libri, non *multis viris.* Propertii lib. II. Eleg. IX. illa reſpexit:

Penelope poterat bis denos ſalva per annos
Vivere tam multis foemina digna procis.

Claudianus laude Serenae, *Penelope trahat arte procos.* Auſonius Epiſtola XIII.

Qualem Penelopae nebulonum menſa procorum,
Alcinoique habuit.

Nec aliter paſſim idem Auſonius, Horatius, Virgilius in Culice, Statius in Sylvis, Ovidius, alii, quoties de Penelope ſermo inſtituitur. Heinsius.

83. *Revocaret ſtamina noctis.*] Scribe:

Cum properata palam revocarent ſtamina noctes.

Idem. *Noctu* Marg. Berſmanni, rectè: ut *palam* ſit luce, interdiu vid. ad Nuc. 147. cum Penelope ſtamina palam properata, revocaret noctu.

84. *Omne rediret.*] *Reneret* conjecerat Heinſius.

87. *Eſtque tibi pectus cujusque accedere taedas.*] Puto:

Eſtne tibi pectus cujusquam accedere taedae.

vel, *accendere taedas.* Idem. *accendere taedas*, jam Paſſeratius ad Propert. III. Eleg. 18. pag. 523. produxerat.

Ah tibi quantus erit facti rubor! ah tibi quantus
Tum dolor, adspicies cum mea vela procul!
Damnabisque tuos ferò temeraria questus?
Demophoon, dices, hei mihi, fidus erat!
Demophoon rediit, & saevos forsitan Euros
Passus, & hibernas dum quoque currit aquas.
Ah cur nescio quam properavimus (hei mihi!) culpam?
Rupi, quam ruptam sum mihi questa, fidem.
Sic tamen ah potius, sic perstes; quam mihi de te
Ulterior tangat pectora, Phylli, dolor!
Quos tibi (me miserum!) laqueos, quae fata minaris?
Et nimis audaces gens habet ista Deos.
Parce, precor: famamque domûs mihi crimen habentis
Perfidiae, geminâ ne preme, dura, notâ.
Excuset patrem fatis in parte relicta
Gnosis: non merui, cur ferar ipse nocens.
Nunc venti mea verba ferant, qui vela tulerunt.
Est animus reditûs: sed pia causa tenet.

92. *Demophoon dices.*] *Dicens.* Heinsius. ita Douza correxerat.

93. *Demophoon redit huc.*] *Rediit* recte prima editio. Producit enim ultimam syllabam in *rediit*, *adiit*, *abiit*, *subiit*, *iniit*, Ovidius, nec sine aliorum poëtarum exemplo, quamquam locis ab interpolatrici manu plerumque male acceptis. qua de re jam copiose egimus Notis ad Epistolam VI. Heinsius. *Rediit* etiam Bersm. & Plant. Edit. sed in Marg. Bersmannus notat alios legere:

En mihi Demophoon & saevos redditur Euros
Passus, & hybernas, dum freta sulcat, aquas.

94. *Et hibernas dum quoque currit aquas.*] Prima editio, *dum quoque credit.* Ego ex hoc & sequenti versu sensum commodum non elicio Heins. Conjecerat olim, *dum properavit*, vel, *dum freta currit*, Heinsius. Ego legerem, *& hibernas, dum modo currat, aquas.* dummodo ad me veniat, passus est aquas hibernas. Francius malebat, *huc ubi currit*, sed hoc longius abit, deinde:

Ah cur nescio quam properavi credere culpam.

100. *Et nimis.*] Forte, *Ut nimis audaces gens habet ista Deos!* Heinsius. forte, *Et nimis audaces gens habet ista manus.*

101. *Domus mihi crimen.*] Puto *jam crimen*, vel, *male crimen habenti perfidiae.* Heinsius. *Flammasque domus* pr. edit. *flammaque* Bersm. *flammamque* Plant. malo, *famamque domus modo crimen habentis. modo* & *mihi* centies a librariis confusa.

103. *Excuset patrem fatis in parte relicta.*] Versus mendosus. Videtur corrigendum:

Accuset patrem fatis si forte relicta
Gnossis; non merui cur ferar ipse nocens.

Viderint acutiores. Non enim est unius tot naevis mederi. Heinsius. *Accuset patrem fatis praedaeque relicta* Bersm. Marg. quod ille probat. *cur agar ipse nocens* Francius. forte:

Accuset patrem fatis si nocte relicta
Gnosis.

Nocte enim Theseus reliquit Ariadnen. Burman.

EPI-

EPISTOLA TERTIA.

PARIS OENONAE.

QUae satis apta tibi tam justè, Nympha, querenti
Rescribam, fateor quaerere verba manum.
Quaerit, nec subeunt. sentit sua crimina tantum:
Solvere, quae sentit, non sinit alter amor.
Si levat hoc iras, ipso me judice damnor.
Quid refert? caussâ tu meliore cales.
Damnatumque tibi me sub sua jura Cupido
Retrahit. alterius sic quoque praeda sumus.
Prima meis tu pacta toris: fallusque juventam
Te primum acceptâ est conjuge noster amor.
Nondum tantus eram. quo me genitore superbum
Arguis; hoc dominus tunc retinendus eram:
Non ego Deiphobum sperabam, aut Hectora fratrem,
Cum pastos agerem, te comitante, greges:
Reginamque Hecuben, nisi matris nomine, noram:
Et fueras illi digna manere nurus.

Sed

1. *Tam justè, Nympha.*] Rectius foret, *Nymphae tam justa querenti.* vid. I. Am. III. 1.

2. *Rescribam.*] Malim, *rescribat.* HEINSIUS.

5. *Si levat hic iras.*] *Si levat hoc* doctissimus Gronovius. nec dubium quin recte. IDEM.

6. *Quid refert? causâ tu meliore cares.*] Sensus requirit, ut *cales* pro *cares* substituatur. nisi praeferendum, *cades*, vel *cadis.* Quid refert, inquit, causam meam à me ipso damnari, si tu causa meliore nihilominus cadis. hoc est, si alios amores tuis praefero. ad Helenam refer. IDEM. *Cades* jam Berlmannus conjecerat.

7. *Damnatumque sibi me sub sua jura Cupido.*] *Non sub sua jura* primae editiones. Legendum videlicet, *non sub tua jura.* HEINSIUS. Nihil move: nam est aptissima inter haec oppositio, damnatum Oenonae, retrahi a Cupidine sub sua jura. mallem tamen:

Damnatumque tibi me sub nova jura Cupido
Retrahit.

Novus & *suus* ubique fere confuderunt librarii. vid. II. Am. v. 37. III. Fast. 34. & alibi. *damnatum tibi* eleganter. ita Cicero II. Verr. 8. *hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat.* quae locutio & defendi posset in illis Cicer. III. Ver. 12. *sed quaerent ecquo modo petitorem ipsum Apronio condemnare possent.* in quibus valde aestuant interpretes. Senec. IV. de Benef. 4. *Sic debitori suo creditor saepe damnatur, ubi plus ex alia caussa absolulit quam ex credito petit.* & ita illa Horat. III. Od. 3. *Ilion mihi castaeque damnatam Minervae*, capiunt quidam, quamvis ibi pro damnatam a me posset sumi, ut hic quoque Berlmannus. BURMANNUS.

12. *Hoc dominus tunc retinendus eram.*] *Hoc domino* Gronovius. Putavi quondam, *huic domino tunc renuendus eram.* habeo & alias conjecturas in promptu; sed in quibus mihi non satisfaciam. *rò eram* in fine versus repeti non placet. pro quo *erum* fortassis, aut *era* scriptum fuerit, omissâ, ut solet, aspiratione. sensus erit non incongruus, si legas:

—— Quo me genitore superbum
Arguis, hoc domino, te retinendus herâ.

vel quid simile. HEINSIUS.

15. *Reginamque Hecuben nisi matris nomine noram.*] Scribendum, ni fallor:

Reginaeque Hecuben, non matris nomine noram.

IDEM. *non* etiam Berlm.

16. *Digna manere.*] Mallem, *venire.*

Sed non eſt rationis amor. te conſule, Nympha.
Laeſa es: ſed laeſam ſcribis amare tamen.
Cumque petant Satyri connubia, cum tua Panes;
Rejectae memor es tu tamen usque facis.
Adde, quod hic fatis amor eſt adjutus, & illum
Praeſcia venturi viderat ante Soror.
Nondum Tyndaridos nomen mihi federat aure,
Nec cecinit Grajos illa vocare viros.
Omnia vera vides. ſuperant mea vulnera tantum.
Utque tuam ſupplex poſcere cogar opem.
Te penes arbitrium noſtrae vitaeque necisque:
Victuri jam nunc pectora ſume tibi.
Flevisti, memini, tamen hac in voce canentis:
Et, mala, dixisti, ſint precor iſta procul.
Nec ſi fata ferant, tulerint, ſic cetera quamvis,
Ut poſſim Oenone perdere laeſa Parin.
Tot ſuperare metus, qui me, nec credere cogit,
(Ignoſcas) idem te quoque fallit Amor.
Imperat ille Deis: cum vult, in cornua tauri,
Cum vult, in pennas deſtruit ille Jovem.
Non foret in terris tanto miranda decore
Tyndaris; (heu flammis nata puella meis!)

Si

18. *Laeſa es & laeſam.*] Ut verſui conſulatur, ſcribe:
Laederis, & laeſam ſcribis amare tamen.
Priſcae editiones, *Laedares.* Atque ita Voſſius in Arte Grammatica conjectabat. poſſis etiam:
Laeſa licet, laeſam ſcribis amare tamen.
Heinsius. *laeſa es te laeſam* Berſm. Margo. Heinſius edidit, *laeſa es, ſed laeſam.*
20. *Dejectae memor es tu tamen uſque facis.*] Emenda, *Rejectae facis.* Byblis lib. IX. Met. 512.
Ergo ego, quae fueram non rejectura petentem,
Ipſa petam?
Non *neglectura*, quod eſt in aliis. ibidem paulo poſt 606.
Et, ſi rejicerer, potui moritura videri.
Rejici idem quod repelli in re amatoria. Horatius lib. III. Od. IX.
Si flava excutitur Chloë,
Rejectaeque patet janua Lydiae. Heinsius.
vide tamen ad Epiſt XVII. 231.
21. *Hic fatis.*] *His fatis* editiones Berſm. Plant.
24. *Nec cecinit Grajos illa vocare viros.*] Haec & ſequentia mire perplexa ſunt. Forte:
Et cecinit Grajos illa vocare toros.
vocare ſcilicet, me. vel,
Hanc cecinit Grajos illa vocare viros.
Hoc eſt, poſt ſe trahere. Gronovius tamen:
Hanc cecinit Grajos illa tenere toros. Heins. Forte:
Cum cecinit Grajos illa venire viros;
vel,
Cum cecinit Grajas mille movere rates.
25. *Vera vides.*] *Fides* Berſm. editio.
26. *Utque tuam ſupplex poſcere cogor opem.*] *Cogar* lege. Reliqua, inquit, quae ſoror praedixerat, jam apparuerunt vera: unum ſupereſt, de vulneribus meis, ut cogar tuam opem expoſcere. Heins. forte, *Jamque tuam ſupplex poſcere cogor opem.*
28. *Victuri jam nunc pectora ſume tibi.*] Haec quoque foede corrupta ſunt, nec libet conjecturis minime certis indulgere, ne abutamur otio. Prima editio, *Victurae jam nunc pectore.* Idem. qui & volebat, *victa viri.* forte,
Fixa viri jam nunc pectora ſume tui.
35. *Imperat ille Deis.*] *Deis* ſcribendum: hinc θεῶν δυνάστης Anacreonti Cupido dictus. Epiſt. IV. 12.
Regnat & in dominos jus habet ille Deos.
Apulejus Met. IV. de Cupidine:
Quem tremit ipſe Jovis: quo numina terrificantur;
Flumina quem horreſcunt & Stygiae tenebrae.
Ita lege, non *fluminaque.* Ennodius Epithal. Maximi de Cupidine:
Depromſit jaculum, quo divos fixerat omnes.
Claud. Epith. Honorii de eodem:
Ille Deos caelumque & ſidera cornu
Temperat.

He-

Si ſua non cycno mutaſſet Juppiter ora.
Fluxerat in Danaës aureus ante ſinus:
Piniferamque Iden falſus luſtraverat ales:
Inter Agenoreas conſtiteratque boves.
Victorem Alciden dominae quis penſa tenere
Crederet? at lanas nere coegit Amor.
Dicitur & Coâ ſediſſe in veſte puellae.
Illa Cleonaeo tecta leone fuit.
Te memini Phoebum, Oenone, (mea crimina dico)
Fugiſſe, & noſtros praepoſuiſſe toros.
Non ego praeſtabam Phoebo: ſed tela Cupido
His in te voluit legibus ire ſua.
Conſolare tamen digna tua pellice damna:
Quam tibi praetulimus, nata puella Jove eſt.
Sed quod nata Jove eſt, minimum me tangit in illâ:
Quod non eſt facies pulchrior ulla, nocet.
Atque utinam formae judex incallidus eſſem
Creditus Idaeis, Pegaſi Nympha, jugis!
Non mihi Junonis, nec obeſſet Pallados ira;
Laudata eſt oculis quod Cytherea meis.
Dividit haec aliis flammas celeresque paresque:
Ut libitum eſt, nati temperat ipſa faces.

Non

Heſiodus:

Παντῶν τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων,
Δάμναται ἐν ϛήτεσσι νόον.

Hinc Muſaeo πανδαμάτωρ dictus. Lactantius I. de Falſa Religione: *Non inſuiſe quidam Poëta Triumphum Cupidinis ſcripſit, quo in libro non modo potentiſſimum Deorum Cupidinem, ſed etiam victorem jacit: enumeratis enim amoribus ſingulorum, quibus in poteſtatem Cupidinis ditionemque veniſſent, inſtruit pompam, in qua Jupiter cum ceteris diis ante currum triumphantis ducitur catenatus.* Achill. Stat de Amore, οἷον ἀϊχεῖ βρεφὸς οὐρανοῦ καὶ θαλαττης. Plena ſunt ſcripta veterum amatoria hiſce deliciis, quae nunc non vacat omnia compilare. HEINS.

36. *In pennas deſtruit.*] *Inſtruit* Berſm. edit. Delr. ad Senec. Octav. 766. *diſtrahit*, vel *detrahit* emendabat.

41. *Pinniferamque Iden.*] *Piniferamque.* quo epitheto de Ida etiam uſus Statius libr. III. Silv. IV. 12.

Pinifera multum felicior Ida.

Virgilius lib. V. 449.

Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

Sic & *Pinifer Simois* Statio dictus Theb. XII. eſt enim Phrygia pineis ſylvis inſtructiſſima. unde & Idaeae Matri haec arbor ſacra. ſic *pinus Idaea* ex conjectura in Ibin. 307. & ita de aliis montibus. ſic *pinifera Pyrene* Avien. deſcr. orae marit. *pinifer iſtmus* Moſch. in Megara v. 49. *pinifer Atlas* Auſon. Idyl. 32. *pinifer Olympus* Senec. Agam. *Piniferae Caſii arces* Avien. deſcript. orbis. HEINS.

45. *Dicitur & Coae ſediſſe in veſte puellae*] Lege, *Coâ in veſte.* Omphale enim Lyda, non Coa, Propertius lib. I. Eleg. II.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coâ veſte movere ſinus.

Et lib. II. Eleg. I.

Hoc totum è Coa veſte volumen erit.

Tibullus Eleg. IV. lib. II.

Hic dat avaritiae cauſas & Coa puellis
Veſtis.

In hac inſula Pamphilen Latoi filiam primum inveniſſe ſubtilioris texturae artificium ſcriptores tradunt. videatur ad Solinum Salmaſ. pag. 101. poſſis interpretari, *Coae in veſte puellae* in veſte quam puella laboravit, ſed minus bene. Tibull. II. VI. 35.

Veſtes quas femina Coa texuit. HEINS.

51. *Conſuluere tamen digna tua pellice damna.*] *Conſolare* vel *Conſolere* reponendum. IDEM. *Conſuluere* alii, quod recte Berſmannus damnat. vid. ad II. Faſt. 821.

54. *Nocer.*] Forte, *movet.* HEINS.

55. *Judex incallidus.*] Praeſtiterit, *male callidus.* mox etiam forte, *blandita eſt oculis*, pro *laudata.* IDEM.

Non tamen evaluit vitare domeſtica tela.
Quos aliis arcus, & ſibi dura tulit.
Deprenſam conjux illam in Mavorte dolebat.
Teſtibus hic Divis cum Jove queſtus erat.
Jam dolet & Mavors, terras ultroque reliquit:
Praetulit Anchiſen huic habitura ſuum.
Anchiſen propter voluit formoſa videri:
Viſaque poſt latam jacuit ulta deam. *
Quid mirum eſt potuiſſe Parin ſuccumbere Amori?
Immunis ſub quo non fuit ipſa parens?
Quam laeſus Menelaus amat, non laeſus amavi.
Adjice, non laeſo quod comes ipſa fuit.
Et magnos (video) cogit mihi rapta tumultus:
Armataeque petunt Pergama mille rates.

Non

63. *Deprenſa conjux illa.*] *Deprenſam illam* prima editio. Heinsius. Lege:

Deprenſam conjux illam cum Marte dolebat,
Teſtibus & divis cum Jove queſtus erat.

65. *Terras ultroque.*] *Caelo terrasque relicto. Praetulit An. hinc h. ſuum.* Berſmanni Margo.

66. *Praetulit Anchiſen hiſ abitura ſuum.*] Prima editio, *habitura*. Gryphiana, *hinc abitura*. Lego, *huic habitura*. Heins. Forte:

Jam dolet & Mavors, terras ultorque reliquit;
Praetulit Anchiſen haec habitura ſuum.

Doluit Mavors primo ob Adonin, quem ille figura apri adſumta obtruncaſſe fertur, & ita ultus injuriam ſuam terras reliquit. illa vero Anchiſen ſuum praetulit; Julius Firmicus de Error. Prof. Relig. *Venus in adulterio deprenſa detegitur, & poſt Dei nuptias Anchiſae hominis cubile ſectatur.* Arnob. lib. IV. pag. 146. *Poſt Vulcanum, Phaëtontem, Martem, in Anchiſae nuptias arſiſſe ipſam illam Venerem Aeneadum Matrem & Romanae dominationis auctorem.* Burmannus.

68. *Viſaque poſt latam jacuit ulta Deam.*] Locus inquinatiſſimus, quem ſic conſtituendum eſſe opinor:

Divaque poſtlatos marcuit ulta Deos.

vel *languit*, amore ſcilicet. ulta in ſemet ipſa thoros Vulcani & Martis poſthabitos. Poſſis etiam, *Bisque vita* (vel *bis dea*) *poſtlatos marcuit ulta Deos.* idque verius reor. *poſtferre.* Curtio etiam uſitatum lib. VII. *Animi & corporis robore nulli jam rerum poſtferendus.* Seneca libro, cur bonis eveniant mala, *Vatinio poſtferatur.* Plinius libro XXXV. cap. I. *Nunc vero picturam in totum marmoribus poſtlatam*, ut recte Pintianus ex veſtigiis vetuſti codicis. C. X. *Philoxeni Eretrii tabula nullis poſtferenda.* & mox, *Pircicus arte paucis poſtferendus.* libro III. cap. IV. *Gallia nulli provinciarum poſtferenda.* libro IV. cap. IV. *Peloponneſus Peninſula haud ulli terrae nobilitate poſtferenda.* libro VI. cap. XXVIII. *Arabia nulli gentium poſtferenda.* Auſonius Epiſtola ad Paulinum:

Nam Tullianum Buzygem
Tuo locabo poſtferendum nomini.

Silius lib. II.

Ne regnis poſtferte fidem.

Plinius Hiſt. Nat. lib. XXXVII. cap. 5. *Non poſtferuntur & Charites in propyleis Athenienſium, quas Socrates fecit. marcere*, ut apud Claudianum laudibus Serenae, *nec deſide cura Segnis marcet amor.* Heinsius.

69. *Quid mirum eſt potuiſſe pari ſuccurrere amori, Immunis ſub quo non fuit ipſe Paris.*] Nihil etiam hic ſani apparet. Erunt tamen omnia perſpicua, ſi reponas:

Quid mirum eſt potuiſſe Parin ſuccumbere Amori,
Immunis ſub quo non fuit ipſa parens?

Praecedentia abunde confirmant hanc lectionem. Idem. *ipſa Parin* Marg. Berſm.

72. *Ipſa fuit.*] *Ipſe* Berſm. Edit.

73. *Cogi mihi rapta tumultus.*] *Cogit* lege. pro *rapta* etiam *Sparta* malim, ut verſus ſic conſtituatur:

Et magnos (video) cogit mihi Sparta tumultus.

Militem à Graecis jam cogi ſubindicat. *parta* pro *Sparta* ſcriptum primo fuerat. hinc tranſpoſitis ſyllabis *rapta* eſt natum. Simile mendum Faſtorum codices tam typis deſcriptos, quam exaratos mane inſedit lib. VI. 487.

Indoluit Juno raptum quod pellice natum
Educet. at ſanguis ille ſororis erat.

Cum Ovidius ſcriptum haud dubie reliquerit, *partum quod pellice natum.* per *partum* autem Bacchus ex Semele prognatus intelligitur. Salmaſius volebat:

Con-

Non vereor belli ne non ſit cauſſa probanda:
Eſt illi facies digna movere duces:
Si mihi nulla fides; armatos reſpice Atridas.
Quam ſibi ſic repetunt, ſic metuenda mihi eſt.
Quod ſi vertendae ſpem mentis concipis hujus;
Cur ceſſant herbae, carmina curve tua?
Nam te nec Phoebi ſollertior artibus ulla eſt;
Phaebeaeque Hecates ſomnia vera vides.
Tecum ſideribus, tecum deducere Lunam
Nubibus, & memini ſurripuiſſe diem.
Paſcebam tauros: interque armenta leones
Obſtupui placidos vocibus ire tuis.
Quid retro Xanthum, retro Simoënta vocatum
Adjiciam curſus non tenuiſſe ſuos?

Ipſe

Concit mihi rapta tumultus. HEINSIUS.

Cogit Berſm. Marg.

75. *Belli ne non ſit cauſa probanda.*] Propertii illa lib. II. 11. 49. reſpexit, ut ex veteri libro ſunt emendanda:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamo belli cauſa probanda fuit.

HEINSIUS.

78. *Sic metuenda mihi eſt.*] Lege:

Quam ſibi ſic repetunt, ſic retinenda mihi eſt.

Mihi, ſcilicet armato. vel lege:

Armatos reſpice Atridas,
Quam ſibi ſic repetunt, ſitne tuenda mihi.

IDEM. *Sic retinenda mihi eſt.* Berſm. & Plant.

81. *Cum te nec Phoebi.*] Scribe, ut Latinitatis ratio habeatur, *Nam te.* IDEM.

82. *Phoebeaeque Hecates ſomnia vera vides.*] *Omina vera* Paſſeratius legit ad Propertium lib. IV. Eleg. IV. quomodo Propertius ipſe *omina lunae* illic dixit. vide quae notamus ad Epiſt. IX. ℣s. 40. apud Corippum Africanum Pietas Juſtino in ſomnis apparens:

Haec ne vana putes aut credas omina fingi,
Accelera, manifeſta loquar.

Non *omnia*, ut nunc legitur. ipſe *viſionem* mox vocat, & *oſtenſa*:

Atque oſtenſa ſibi carae referebat amanti.

IDEM.

83. *Te cum ſideribus tecum deducere lunam, Nubibus &c.*] *Coelo deducere Lunam* olim refingendum videbatur, quod & Scaligero placuiſſe animadverto, ut ad imitationem illorum haec dicta ſint:

Carmina vel coelo poſſunt deducere Lunam.

Et Propertius lib. II. El. 28.

Et jam Luna negat toties deſcendere caelo.

Certe Lunae deductio in magicis notiſſima, quae arte Sagae Theſſalae in primis nobiles. Ceterum quod *deducere* eſt optimis auctoribus, de quo verbo ſatis obvio in veterum commentariis nos alibi plura congeſſimus, id *deripere Lunam coelo & devocare* eſt Horatio in Epodis. Hunc vero Sabini ad locum quod ſpectat, eum quo diligentius perpendo, eo certius adducor, ut pro *tecum* non *coelo*, quomodo prius, ſed *tectam* opiner reponendum: ſic denique verſum emendem ac diſtinguam:

Te cum ſideribus tectam deducere Lunam
Nubibus, & memini ſurripuiſſe diem. HEINS.

Berſmanni Plant. D. Heinſii editiones, *Tecum & tecum.* ut Paris adfuerit Oenonae ſacris magicis operanti. ſed ego mallem:

Tecum ſideribus cinctam deducere Lunam,
Nubibus & memini ſurripuiſſe diem.

Ita paſſim Poëtae Lunam ſatellitio quaſi ſiderum cinctam fingunt. Senec. Oct. 389.

Orbem Phoebes, aſtra quem cingunt vaga.

Stat. I. Silv. IV. 36.

Vaga cingitur aſtris
Luna.

Vid. Broukh. ad Propert. III. Eleg. 19. & ad Tibul. II. Eleg. I. 87. & nos ad Valer. Flac. V. 567. aliquid dicemus. BURMANNUS.

Ipſe pater Cebren, natae male tutus ab ore,
Cantatas quoties reſtitit inter aquas:

Nunc

89. *Ipſe pater ſeu rem natae male tutus haberet.*] Diu me exercuit hic locus, & quidem fruſtra. nec tamen defuit ſucceſſus poſt longam meditationem, dum alia ex aliis, ut fit, ſeſe offerunt. Scriptum fuerat primo à librariis, *Ipſe pater ceu rem.* unde *ſeu rem* poſtea factum, cum nil mutari debuerit. promiſcue enim duae iſtae literae *u* & *b* inter ſe confunduntur. *ceu ren* igitur pro *Cebren.* quomodo OEnones pater dictus. Deinde pro *haberet* ſuſpicor, *habore*, vel *haboret* exaratum fuiſſe, addita temere aſpiratione. Quare omnia jam ſint perſpicua, ſi refingas verſum hoc modo:

Ipſe pater Cebren, natae male tutus ab ore,
Cantatas quoties reſtitit inter aquas!

Parthenius in Eroticis cap. IV. Ἀλέξανδρος ὁ Πριάμου, βουκολῶν κατὰ τὴν Ἴδην, ἡράσθη τῆς Κεβρήνος θυγατρὸς Οἰνώνης. Apollodorus lib. III. Ἀλέξανδρος δὲ Οἰνώνην τὴν Κεβρήνος τοῦ ποταμοῦ θυγατέρα γαμεῖ. Lycophronis Scholiaſtes: Οἰνώνη θυγάτηρ ἦν Κεβρήνος, ἢ Οἰνέως. Eſt & Κέβρην Aeoliae civitas apud Scylacem. Adeatur etiam Stephanus Byzantinus de Urbibus in Κεβρηία. Oenone igitur Cebrenis filia. hinc *Nais* Lucano dicta. lib. IX. 972. *Quo vertice Nais Luſerit Oenone.* In Naſonis Epiſtola fluminis filiam ſe dicit diſſimulato tamen patre:

Edita de magno flumine Nympha fui.

Hinc lucem mutuatur locus Statianus lib. I. Silv. V. 20. a nemine interpretum intellectus:

Procul hinc & fonte doloſo
Salmacis, & viduae Cebrenidos arida luctu
Flumina, & Herculei praedator credar alumni.

De Oenone videlicet intelligendum praelatam ſibi Helenam lugente, cum ad Heſperien referant interpretes, ab Aeſaco Priami filio amatam, quod eam Ovidius Met. XI. 769. Cebrenida quoque appellat. atqui illa quî vidua poſſit dici, non video, cum illi Aeſacus ſupervixerit. ceterum quam familiaris error ſit literae B in V mutatae neminem latere poteſt, qui membranas antiquas verſavit. ejuſque naevi exemplum verſu proximo denuo occurrit. Apud Marcianum Capellam lib. IX. cum *Fovea* pro *Phaebea* exaratum offendiſſent, inſciti librarii *foveant*, ſi diis placet, nobis exhibuere. locus eſt inſignis pag. 309. HEINSIUS.

91. *Nunc locus OEnone eſt: nunc illas tende, paravit.*] Ne ſuſpenſum te teneam, Lector, locus mendoſiſſimus hoc modo eſt conſtituendus:

Nunc locus OEnonae eſt: nunc illam oſtende: parabis
Sive tuos ignes pellere, ſive meos.

Nunc tibi locus eſt, nunc oſtende illam OEnonem, quam modo dixi. *illam oſtende*, ut apud Auctorem Herculis OEtaei Act. 12. *Conjugem oſtende* [illegible] *tende*, pro *illam oſtende.* ſic ſupra epiſtolâ Ulyſſis *curas* pro *curae eſt.* Epiſtola Didus initio *meritae famam*, pro *merita & famam.* ſaepe peti haſce editiones à librariis peccatum, quod quatuor aut quinque nunc exemplis confirmabo, cum pluribus poſſim. Valerius Flaccus lib. I. ỽs. 70.

—— *Nunc aërii plantaria velit*
Perſeos, aut curru ſaevos frenaſſe dracones.
Creditae ut ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flavâ quercum damnavit ariſtâ.

Ita locus vexatiſſimus conſtituendus, qui de Triptolemo agit. pro *Creditae ut* ſcripſerat librarius, *Creditut.* unde *Creditus* deinde factum. Notum illud Noſtri, Artis lib. I. 401.

Nec ſemper credenda Ceres fallacibus arvis.

& Artis II. 513.

Credita nec ſemper ſulci cum foenore reddunt.

Hinc etiam *ſemina credere terrae* aut *ſulcis*, & ſimilia paſſim apud poëtas. Tibullus II. 7.

—— *Spes ſulcis credit aratis*
Semina, quae multo foenore reddat ager.

Variis conjecturis locus hic Valerii tentatus eſt; ſed quae omnes à vulgata ſcriptura longius recedunt. apud eundem Valerium lib. IV. ỽs. 41.

Si non ira Deum coelo implacabilis urget,

ſcribendum eſſe Notis ad lib. X. Met. ỽs. 399. pluribus adſtruximus, cum ſine ullo ſenſu, *vel ſi placabilis urget* nunc legatur. apud eundem lib. VI. vers. 353.

—— *Magno veluti cum turbine ſeſe*
Ipſius Aeoliae frangunt in limine venti.

Sic ex vetuſto Carrionis codice nunc circumfertur, cum antea legeretur, *Ipſius Euboiae.* Scribendum autem, *Rupis ubi Aeoliae.* quod Juvenalis initio Satyrae I. *Aeoliis incluſum rupibus antrum* dixit. Lucanus lib. V. 609. *ſaxum Aeolium.* Nunc de duobus Silii Italici locis videamus, quorum alter exſtat lib. III. non longe ab initio, ubi de laboribus Herculis agitur:

Nec levior vinci Libycae telluris alumnus
Matre ſuper, ſtratique genus deforme bimembres
Centauri, frontemque timet minor omnis Acarnan.

Poſtremus verſus ſubobſcurus eſt. Nam quod Dauſquejus de Abantibus olim comatis, poſtea crinem non alentibus, ex Euſtathio interpretatur, ad labores Herculis, qui à Silio recenſentur, non facit. In veteri Puteanorum fratrum codice, *frontemque timet nunc omnis Acarnan.* In Oxonienſi, & Colonienſi longe praeſtantiſſimo, *frontemque minor nunc omnis Acarnan.* Scribe, *frontemque minor truncam amnis Acarnan. trunc* exaratum primo fuerat, pro *truncam.* cum τὸ *am* geminare librarius neglexiſſet. inde *nunc* poſtea factum. Intelligendum autem de Acheloo Acarnaniae fluvio, qui cum Hercule congreſſus ſingulari certamine, ab eo devictus, & altero cornu à fronte revulſo truncatus eſt. Idem

Silius

Nunc locus Oenonae eſt, nunc illam oſtende: parabis
Sive tuos ignes pellere, ſive meos.

Silius lib. VIII. 104. ubi congreſſum Annae & Aeneae deſcribit:

Tum ſic Aeneas dulci repetitus amore,
Tellurem hanc juro.

Ita ridicule circumfertur & nullo ſenſu. *Retitus* nimirum expreſſerat librarius pro *dulci irretitus*. hinc *repetitus* inſulſe factum. ſic *nullo frons irretita capiſtro* apud Calpurnium Ecloga VI. *obretire* & *circumretire* apud Lucretium occurrunt. In Priapeis quoque pari modo non ſemel peccatum. ut Epigrammate XI.

Quaedam ſerior Hectoris parente,
Cumaeae ſoror, ut puto, Sibyllae.

Ita refinxit Scaliger, cum *ſenior* ante legeretur contra legem metricam. Sed iſtam caſtigationem Latini ſermonis uſus vix admittit. Putabam aliquando, *Quaedam annoſior.* at cum in quinque libris ſcriptis, quorum unus ſatis antiquus, legatur *Quaedam junior*; non dubito carminis auctorem ſcripſiſſe, *Quaedam haud junior Hectoris parente.* qua voce Horatius ter quaterque eſt uſus. Epigrammate LXVIII. locus eſt depoſitus ac conclamatus, quem non infeliciter, ut puto, reſtituimus:

Sed rudis hic dominum toties audire legentem
Conſtituique meras edidicique notas.

Ita editi. unus ex ſcriptis duobus, qui penes me exſtant, ſecundo verſu, *Chorus meracas.* alter, *Carpſi meracas.* unus Mediceus, *Choris meracas.* Romanus ceteris vetuſtior, *Coriſmeracas.* Repone meo periculo:

Sed rudis hic dominum toties audire legentem
Cogor, Homeriacas edidicique notas.

Pro eo quod ſequitur:

Pſoleon ille vocat, quod nos pſoloënta vocamus:
Id quod nos culum, culeon ille vocat.

Alter meus pro vulgata lectione ſtat, alter praeſtantioris notae, *quod pſoloënta cheraunon.* Mediceus, *pſoloenta cerannon.* Romanus, *ceranon.* nimirum à poëtae manu erat, ψολόεντα κεραννὸν. qui Homeri illa Odyſſeae ω. reſpexit:

Καὶ τόδε δὴ Κρονίδης ἀφίει ψολόεντα κεραννόν.

Sed nondum integer eſt verſus. Quid enim ſibi volunt illa, *ψωλεον ille vocat.* nam τὸ ψωλεὸν in Homero nuſquam occurrit. Cum aeſtuarem, oportune me admonuit feliciſſimus horum ſtudiorum Gronovius corrigendum ſibi videri:

Ille vocat, quod nos pſolon, ψολόεντα κεραννόν.

ψωλὸς enim *verpus.* cui conjecturae accedo. poſſet & *pſolen* legi. Ceterum alluſio vocum culi & κυλεοῦ (nam κυλέου ſcribendum, uti & Scaligero jam monitum eſt) reſpicit illa Iliados A. Ἀΐψ δ' ἐς κυλεὸν ὥτε μέγα ξίφος. de Achille Agamemnoni manus intentante, aut etiam illa de Menelao & Paride dimicaturis Iliados Γ.

Ἀτρεΐδης δ' ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,

Hic οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κυλεὸν αἰὲν ἄορτο.

Qui verſus libro T denuo occurrunt. quod vero ſubjungit, ita ſcribendum:

Σμερδαλέον certe niſi res non munda vocatur.

Nam libri ſcripti, *Merdaleon.* ea vox Homero eſt familiaris. illud tamen *res non munda* vix ſatis explicat Priapi mentem. quare minimum abeſt, quin opiner debere reponi:

Σμερδαλέον certe merda huic inmunda vocatur.

Ut & hoc loco ex eliſione concurrentium vocalium ſit peccatum, dum *res non munda* ſubſtituitur pro *merda immunda.* ſic Priapus apud Horatium in Satyris, *merdis caput inquiner albis.* Sed age, quoniam manum admovere coepimus elegantiſſimis verſibus, quanquam ſic ſatis obſcoenis, eos porro expurgemus. Sequens igitur epigramma, cujus initium, *Quid niſi Taenario*, huic ipſi, in quo caſtigando ſudavimus, eſt annectendum, ut unum ex duobus fiat, ſcribendumque: *Qui, niſi Taenario. Qui*, Homerum ſubintellige, de quo praecedentes verſus egerant. mox pro *Tantalidae bene ſi non nota fuiſſet*, reponendum, *bene ſi non tenta fuiſſet.* τὸ *tenta* in ſimili ſignificatione paſſim apud auctorem Priapeiorum occurrit. Vulgatum à Priapi mente & ſimplicitate prorſus alienum eſt. paulo poſt pro *fallentis Ulyſſei* malo, *fallacis Ulyſſi.* & pro *Hinc legitur* & *Hinc legimus*, utroque loco *Hic*, in Odyſſea videlicet. atque ita praeſtantiores ſcripti. pro *Grandia Dulichii juſſa tuliſſe viri*, duo ex emendatioribus codicibus, *vaſa petiſſe.* quod magis arridet, quam *vaſa tuliſſe.* quod in aliis nonnullis inveni, quodque Lipſio Schioppioque probabatur. per *vaſa* quid intelligat, non eſt ut moneam pro *convivia viſas*, codex Romanus veterrimus Vincentii Ubaldini, *convivia quaeras.* aliquanto rectius. vel *cures.* pro *ſeu fuit artis opus*, idem cum Mediceo ſatis probae notae, *ſive erat artis opus.* Puto, *Sive illud laterum, ſive erat artis opus.* pro *modo vos intendite*, Ubaldinianus, *vos nunc attendite.* tres alii, *vos nunc intendite.* bene. *attendere arcum* etiam dixit Apulej. II. Metam. *Arcum meum en ipſe vigor attendit. Intendere* tamen nec male ſe habet. Libuit paulum exſpatiari, ut erudito Lectori caſtigationes noſtras in Naſonem ſi minus quandoque probaviimus, earum loco in aliis ſcriptoribus, quae à nobis reſtituta ſunt, probemus. Atque haec ſunt, quae medelam qualemcunque hiſce A. Sabini epiſtolis, quae tres ex pluribus ſuperſunt, allatura credidi. Si quis poſt me manum ſecundam iis caſtigandis pari ſedulitate admorit, fore auguror, ut priſtino nitori maximâ ſui ex parte reſtitutae mox legantur. HEINSIUS.

92. *Parabit.*] *Paravit* libri tres, & unus, *parabis.* BERSM.

FINIS.